Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Senatus populique Genuensis rerum domi forisque historiæ atque annales : Cum luculenta variarum rerum cognitione dignissimarum, quæ diuersis temporibus, & potissimu?m hac nostra tempestate contigerunt, enarratione.

https://hdl.handle.net/1874/423711

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

S. fol.
149





134.
п
Ленна
сфлг



Historia Gentium

Folio nº. 149.

fol 149

№ 215. m

SENATVS POPVLIQVE GENVENSIS RERVM DOMI FORISQVE GESTARVM HISTORIÆ ATQVE ANNALES:

CVM LVCVLENTA VARIARVM rerum cognitione digniſſimarum, quæ diuerſis temporibus, & potiſſimùm hac noſtra tempeſtate contigerunt, enarratione.

Auctore PETRO BIZARO SENTINATI.



Ex dono Buscelin

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regij,
M. D. LXXIX.

ACADEMIA REGIA TRAIECTINA


AVREA LIBERTAS
VEXILLVM GENVEN.

SERENISSIMO PRINCIPI, AVGVSTISSIMO SENATVI, ET REIPVBLICÆ GENVENSI.



NON sine *saluberrimo consilio atque grauissimo iudicio Maiorum nostrorum institutum esse arbitror, Serenissime Princeps, Amplissimiq; Patres, vt gentium, clarorumq; virorum dicta & facta litteris consignarentur, ac rerum memorabilium gestarum memoria, temporibus suis distincta, posteritati ceu per manus traderetur. Quippè cùm nihil vtilius, vel salutarius hominibus, in huius fragilis & lubrica vitæ cursu obtingere, ac ne excogitari, vel optari quidem possit, quàm ob oculos, ac quasi in promptu habere, vnde honesta atque pia vitæ institutio, sanorum consiliorum ratio, iudicij rectitudo, & variarum rerum cognitio sumi ac mutuari queant. Hæc vniuersa & singula cùm affatim præstet ac suppeditet historia, animum meum subinde de præstantissimæ Reipub. vestræ cum diuturnitate ac dignitate, tum etiam conuersionibus cogitantem, subijt cupido, ea obiter, & quasi summatim litteris comprehendere, ac posteritati legenda tradere, quæ in ipsa Repub. vestra inde statim ab initio memoratu digna gesta sunt. Magnum me hercle ac perdifficile opus, & planè huiusmodi, vt maiorem ingenij sublimitatem, & acumen sibi deposcat. Vicit tamen difficultatem, quæ sese vndique ostendebat, omnem, partim improbus labor, omnia, licet ardua, emolliens, partim feruidum studium, ac extremus quidam gratificandi Reipub. vestræ ardor, qui vnde ortus sit, & quare tam altas in animo meo radices egerit, paucis accipite. A multis annis mihi cum non paucis vrbis vestræ ornatissimis ciuibus, præsertim verò cum clarissimis viris, vt splendidis natalibus ortis, sic etiam fidei integritate, prudentia, omniumq; virtutum laude conspicuis, Benedicto, Pasquali, & Iacobo Spinulis, talis consuetudo ac familiaritas interceßit, vt & illos ad omnia humanitatis*

officia natos esse cernerem, simulq; mihi quàm coniunctissimos experirer. Cùm igitur non modò ex horũ sermonibus, sed multò magis ex veterum & recentiorum scriptorum monumentis deprehenderem, tàm antiquæ & florentis Reip. vestræ, quæ omnibus ætatibus, cùm optimos ac celeberrimos, tum verò patriæ amantissimos, & variarum rerum cognitione instructos ciues genuit; extitisse tamen hucusque, quod equidem sciam, neminem, qui eius statum, & res domi foriscq; præclarè gestas, pro dignitate ac diuturnitate imperij Latinis literis comprehenderet; indignabar non immeritò, vt verum fatear, & subinde mecùm tacitus hanc vnicam ciuitatis vestræ infelicitatem deplorabam, potissimum, quòd extra dubium & controuersiam sit, Maiores vestros multa sapienter cũ excogitasse & constituisse, tùm res gessisse pulcherrimas, exemploq; multis ciuibus vtiles, adeò sanè, vt politicam Reipub. vestræ administrationem multi summoperè suspexerint, & prædicauerint. Proinde multorum amicorum omninò efflagitantium, vt has mihi partes ipse desumerem, idq; officij hactenus nescio quo fato neglectum, in gratiam Reipub. vestræ, in me deriuarem, rogatu instinctus, nolui esse multorum more hac in parte refractarius, sed in re tanta virium fiduciam ex singulari voluntatis propensione mihi arrogans, aggressus sum hoc opus, magno quidem impetu, sed quàm feliciter, aliorum esto iudicium; ac non antea cessaui, quàm conquisitis vndique optimis, iisdemq; fidelissimis scriptoribus, quos in his meis lucubrationibus adhibui in consilium, vltimam, quod aiunt, manum huic nostræ opellæ (quod felix & faustum sit) imposuerim. Quod autem, præter receptam & vsitatam ferè plerorumq; scriptorũ consuetudinem, rerum politicarum enarrationem à bellorum gestorum historia seiungam, hæc insolentia mihi cum multis, iisdémque grauissimis viris communis est. Siquidem Xenophon, non minus insignis historicus, quàm excellens philosophus, res bellicas Cyri separatim à politicis eius actionibus descripsit. Et Iulius ille Cæsar, secundus à Cicerone Romanæ eloquentiæ fons & pater, singula bella per se gesta, totidem libris complectitur. Crispus etiam Sallustius, cuius breuitate nihil apud aures vacuas atq; eruditas potest esse perfectius, Catilinæ coniurationem à bello Iugurthino seiunxit. Huius itidem instituti Luceiũ celebratissimum suo tempore scriptorem, qui integram de rebus Romanis historiam scripsisse putatur, quæ, vtrum iniuria temporum, vel hominum potius incuria, supina quadam oscitantia omnia negligentium, penitus sublata sit, addubitare licet, pleraq; res, vt ex Ciceronis epistola ad eũ exarata,

conijci

coniici potest, singulatim conscripsit. Quod certè vel hinc patet, cũ Cicero eadẽ epistola ipsum roget, num res suas in Consulatu suo gestas, seorsum tractare debeat, vel aliis plerisque immiscere. Quorum quidem consilia non absurda fuisse existimandum est, nimirum quòd magnum & arduum sit opus, integram historiam, singula rerum momenta, varios q; euentus adnotantem, rectè describere; & haud scio, an inter eloquentiæ opera omnium difficillimum. Non caret etiam, meo equidem iudicio, haud minori difficultate & labore, eligere ea ex scriptorum Annalibus, quæ plurimum habent ponderis, & hominũ animos informent atq; erudiant. Quandoquidẽ intelligere consilia & occasiones negotiorum, hominis est, me hercule, non solùm non hebetis, sed etiam usu periti, & in Repub. non parum versati, cùm apta distributio, & dilucida enarratio absque liberali doctrina fieri nequeat. Ceterùm, nunc restat, vt hic meus labor ab optima voluntate, & iuuandi studio profectus, vobis nõ improbetur: qui sanè eò gratior vobis videri debet, quòd etsi exempla ipsa per se multum valeant, vndecumque etiam petita, tamen propriæ Reipub. vestræ diuersa, atq; subinde immutata administratio de maximis quibusq; rebus vos proculdubiò cùm admonebit, tum etiam prudentiores faciet. Proderit namque non parum, vt equidem arbitror, ad pietatem in omnium ciuium vestrûm animis instillandũ, & pacem ciuilem, sine qua nulla Respub. diu ac feliciter consistere potest, confirmandum, videre suæ ciuitatis initia, incrementa, deprauationes, lapsus, ac rursus correctiones, & post seram pœnitentiam vitæ statusq; emendationem. Iuuabit etiam haud mediocriter considerare, quomodo Respub. vestra post tot exantlatos & desudatos labores, non humano tantùm consilio & viribus, sed legum æquitate, atque morum disciplinæq; conseruatione sensim ad meliorem formam deuenerit. His profectò omnibus elucebit, Imperia non fortuito aliquo casu, sed diuinitùs constituta esse, & contineri; cũ nemini dubiũ esse debeat, quòd sæpius multæ ciuitates & Respublicæ, vel propter illorum tyrannidem qui ad gubernacula sedebant, vel propter priuatorum ciuiũ libidines, factiones, & intolerabilẽ ambitionem & fastũ concidisse, rursumque paucorum consilio, rectè in Repub. de legibus & institutis sentientium, erectas esse, ac tantisper saluas & incolumes permansisse, quantisper iustitia, pietate, ac religione subnixæ forent. Nunc, cùm nulla vnquam ciuitas in Italia sit, quæ plures, vel periculosiores calamitates atq; conuersiones perpessa fuerit quàm vestra, erit haud dubiè non modò vobis omnibus vtile, ve-

rum etiam omninò necessarium, occasiones obseruare, ob quas Maiores vestri propria potentia & dominio excidentes, in aliorum potestatem deuenerint, florentissimumq; imperium sæpè leuissimis de causis, quæ tamen maximarum rerum momenta extiterunt, ad exteros Principes translatum sit. Ac me quidem penitiùs in huius Reipub. vestræ statum intuentē, non semel subit admiratio, simulq; oritur haud trivialis difficultas, cui scilicet potissimùm causæ hæ tot ac tam multiplices eius immutationes assignari debeant; siquidem licet Plato multa de periodis, atque vrbium & regnorum mutationibus disserat, rem nihilominùs tantam inuoluit ænigmatibus, quæ nec Oedipus quidem ipse solueret. Dicit enim causam esse, cur mutentur imperia, quòd sexquitertia radix iuncta quinario duas efficiat harmonias, vltra quas, cùm natura postea deteriores gignat, circumactam periodum finire imperia. Obscura certè ratio, & planè eiusmodi, quæ numquā satis inuestigari, vel deprehendi potuerit, adeò vt multos grauissimos viros torserit, qui nulla iudicij maturitate, vel ingenij sollertia & acumine, consilij tam arcani causas eruere valuerunt. Tradunt etenim, Cnæum Pompeium, qui à rerum præstantia & magnitudine Magnus vocari meruit, hac de causa cùm in prælio Pharsalico à socero superatus, Mitylenen ad coniugem concederet, congressus ciuium atque amicorum fugitantem, ad vnum Cratippum, celeberrimum ea tempestate philosophum, solatij causa diuertisse, & apud eum contra prouidentiam multa sapienter & grauiter disseruisse, quòd in causa æquiore, vt sibi videbatur, post tot, & tam præclaras victorias, deuexa iam ætate, à Diis derelinqui sibi videretur. Ibi Cratippus, quò tantum virum deliniret; ostendit multas esse causas, partim physicas & fatales, partim verò morales, & harum alias propiores, alias remotiores, cur mutationes in imperijs fiant. Hæc fortassis pro illa ætate, & tantis viris philosophis, absurda non videbantur, habebantq; certè rationes quibus niterentur. At nobis, Christianis sacris imbutis, nullo pacto ambigendum est, nunquam aliquam insignem alicuius imperij, vel ciuitatis immutationem fieri, vel temerè immitti, sed tam multa tristia pœnarum spectacula, supplicia nempe publica, morbos, bella, cades, fames, dissipationes familiarum, discordias publicas, & magnos dolores, tam publicos quàm priuatos, qui etiamnū in hac delira mundi senecta, & in tanta rerum omnium confusione omnium oculis obuersantur, esse haud dubiè commonefactiones, vt normam vitæ, diuinitùs in legibus, & recta gubernatione propositam, discamus atq; sequamur. Hæc

ita

ita cùm sese habeant, alterum nunc reliquũ est, vt vos, Serenissime Princeps, atque optimi & sapientissimi Patres, studiosè obnixéque rogem, velitis hanc qualemcumque nostram operam & laborem aqui bonique consulere, & pretium non ex operis præstantia, sed ex vnica animi & voluntatis propensione metiri atque æstimare. Id si feceritis, nã tanti nostri temporis nullo modo iacturam faciemus, sed eum fructum referemus vberrimum, qui à tanta Repub. cùm opibus, tum infinita propemodum hominum præclarissimorum multitudine florenti, ab omnibus bonis, ac de illa bene meritis, vel bene mereri contendentibus, non immeritò expectari debet. Interea temporis Deum opt. max. summis votis & flagrantissimo animi studio precor, vt vos, vestramq; inclytam Rempub. perpetuò ac felicissimè ad nominis sui gloriam incolumes tueatur atque conseruet. Antverpiæ, postridie Kal. Ianuarias, 1579.

Vestræ Serenitatis atque amplitudinis

obsequentissimus

Petrus Bizarus.

IOANNES LEVNCLAVIVS AMELÆBVRANVS, NOBILIS ANGRIVARIVS, IN PETRI BIZARI HISTORIAS ET ANNALES, &c.

QVOD *Veneti Bembo, Genuates hoc tibi debent,*
Ausonij decus & gloria, Petre, soli.
Vel debent potius, ciui quàm patria Bembo,
Non vna Ligures plus ratione tibi.
Nam Ligurum genti quæ controuersia dudum
Cum Venetis, æqua condicione, fuit:
Hanc Venetûm Bembus res gestas ordine pandens
Discutit, & primas vindicat arte suis;
Dum Ligurum nemo fortissima facta recenset,
Sparsa per eoas occiduásque plagas.
Nunc Latio per te postquam sermone per orbem
Cœperunt Ligurum gesta, Bizare, legi:
Res redit ad priscas leges, nec habet Venetûm gens
Quidquam, se Ligurum præferat vt populo.
Bembus id officium patriæ præstabat alumnus:
Tu quod agis, testis liber, & hospes agis.
Ergo pro meritis insignibus hisce Bizari,
Qui Ligurum verè primus in historia est,
Æmula virtutis Venetæ Genua alma Bizarum,
Plus quàm etiam Bembum patria grata, colat.

SENATVS POPVLIQVE GENVENSIS RERVM DOMI FORISQVE *gestarum memorabilium Historia.*

LIBER I.

DE REIPVBLICAE Genuensis statu, atque rebus domi foriſque gestis scripturus, operæpretium mihi facturus videor, si breuiter Liguſticæ gentis incunabula, atque adeò ipsius Genuensis ciuitatis originem & ſitum ob oculos omnium obiter posuero. Nam cùm Genua Ligurũ in Italia caput sit, magniſque incrementis à paruis initiis subinde aucta, in immensum excreuerit, historiæ nostræ series postulare videtur, vnde nomen traxerit, quóue in loco sita sit, quàm pauciſſimis fieri poterit verbis perstringere ac enarrare. Et licet multi scriptores circa huius vrbis initia multum inter se varient, adeò vt omninò difficile sit aliquid super hac re citra aliquam controuersiam pronunciare & asserere, tamen à veteribus memoriæ proditũ esse reperio, & in hoc omnium fermè scripta consentiunt, Genuam à Iano Italiæ rege, primò eo loco, quo nunc est, ędificatam esse, deinde post aliqua temporum interualla à Iano Troianorũ rege, auctam, & adornatam. Sunt qui putent, huius vrbis primordia Iano Genio Prisco, vel, vt aliqui volunt, Genuino Ægyptio Phaëthontis socio iurè deberi. Reperiuntur etiam, qui Genuum Saturni filiũ, huic vrbi nomen imposuiſſe credant. Sunt præterea qui à superioribus diſſentientes, exiſtimẽt, nomen vrbis à ſitu loci curuaturę genu respondente, Genuam esse dictã, quaſi ianuam, id est portam Italiæ denominatam. Plurimi autem omninò arbitrantur, quòd ſicuti Piſas Græci, & Romani Florentiam, ſic olim Ligures hanc vrbem condiderint. De his autem populis, & quàm longè lateq; dominati ſint, quíue illorum mores ac ſtudia fuerint, nunc verba facere, nimis ſanè prolixum foret, idq; facilè videre est apud Plinium, Ptolemæum, Strabonem & reliquos veteres auctores. Vetuſtiſſimam verò hanc gentem esse, multiſque ſæculis, antequam Dei filius humanam in terris naturam aſſumeret, extitiſſe, & floruiſſe, præter alia magnæ antiquitatis argumenta, ſatis constat & apparet ex ærea tabula, quam in Pocifera valle ruſticus quidam effoſſa humo, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexto eruit, & quam Genuenſes in vrbem delatam, memoriæ vetuſtatiſque causa, in ſummo templo collocandam curauerunt, & in hunc vſq. diem diligentiſſimè aſſeruant. Nam cùm inter ipſos & Vitturos, gẽtem ſibi conterminam, rixę & contentiones de agrorum finibus eſſent exortæ, à Senatu populoq. Romano, L. Cæcilio & Q. Manilio Coſſ., iudices miſſi fuêre, quorum arbitrio & iudicio lites ipſæ & controuerſiæ dirimerentur & deciderentur. eſtque tabula ipſa in hunc ferè modum conſcripta: Q. M. Minutieis. Q. F. Rufeis de controuerſieis inter Genuates, & Veiturios in re præſente cognouerunt, & corã inter eos controuerſias compoſuerunt: & qua lege agrum poſſiderent: & qua fineis fierent: dixerunt eos fineis facere terminos quæ ſtatui iuſſerunt, vbei ea facta eſſent, Romani coram venire iuſſerunt. Rom. coràm sentẽtiam ex senatus

Genua à quibus condita.

Genua vrbis antiquitas.

Tabula ærea reperta anno 1556.

consulto dixerunt, idib. Decemb. L. Cæcilio Q. F. Q. Minutio Q. F. Coss. Qua ager priuatus Casteli Veituriorum est, quem agrum eos vendere, hæredemque sequi licet. Is ager vectigal nec fiet. Langatium fineis agri priuati ab riuo infimo, qui oritur ab fonte in Mamcelo, ad Flouiũ Lemurum, inde Flouio Lemuri susum vsque ad riuum Comberane, &c. Facta est autem anno centesimæ sextæ Olympiadis, ab vrbe Roma condita DCXXXVII. ante Christum natum CXVI. vt quidam supputant, vel, vt aliis placet, CXV. L. Cæcilio Metello Diademate, Q. Mutio Scæuola Coss. Et quia sublatis dissidijs & contentionibus, sententiæ latæ potissimum Genuæ locus constituũ debebat, adeò vt captiui ea de causa in vinculis asseruati, publica auctoritate liberandi essent, verisimile est, hanc ciuitatem etiam eo tempore maximo in pretio & honore apud Romanos fuisse. Illud etiam, quod extat apud Val. Max. lib. primo, capite de prodigiis, haud sanè leue argumentum eius antiquitatis præbet. Flaminij autem, inquit, audaciam C. Hostilius Mancinus vesana perseuerantia subsequitur: cui Consuli in Hispaniam ituro, hæc prodigia acciderunt. Cùm Lanuuij sacrificiũ facere vellet, pulli cauea emissi, in proximam siluam fugerunt, summáque diligentia quæsiti, reperiri nequiuerunt. cúmque ab Herculis portu, quò pedibus peruenerat, nauẽ conscenderet, talis vox sine vllo auctore ad aures eius peruenit: Mancine mane. qua territus, cùm itinere cõuerso Genuam petiisset, & ibi scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus, è conspectu abiit. Hæc Val. Enarratis igitur huius præclarissimæ vrbis auctoribus & conditoribus, simulque illius vetustate aliqua ex parte ob oculos posita, nunc reliquum est, vt eius situm naturámque loci quàm breuissimè delineem. Totus itaque eius tractus est maritimus, ac sinuosa quadam incuruatione in continentem excurrens, fronte ad meridiem spectans, dorso septentrioni obuerso, leniter in planitiẽ, veluti ad quiescendum descendẽs, montium innixa radicibus, quorum à tergo contra sęuorũ septentrionum afflatum vallo munitur, ita vt proportione quadam inter se æquali, pars ciuitatis in plano sit, pars verò in montes assurgens, & vtriusque loci ita particeps, vt singulari specie & pulchritudine vndiquaq, cõspicua reddatur. eiúsque ambitus vltra sex millia passuum continet. Habet hæc vrbs portum memorabilem, & fortissima mole securæ stationis causa præmunitum, & ad Africam extensum. quà verò vrbis situs ad Orientem vergit, Feritore amne, qui hodiè Bisamnis vocatur, prope ipsa mœnia alluitur. Habet ab eo etiã latere amnem potius torrenti, quàm fluuio similem, Ferixanum dictum, qui è proximis montibus confragoso cursu præcipitatus, sese in conspectu ciuitatis Bisamni immiscet, atque ita inter se mixti, mare ipsum influunt, & ab occasu flumen Pociferum, à quo vallis habet nomen, decurrit. totiúsque illius tractus, præsertim littori maris vicinus, multis nobilibus municipiis atque commodis pagis commendatur, inter quos sane vicos hi fermè sunt omnium fertilissimi & amœnissimi, Neruium, Buhascum, Saulum, Rechum & Camulcum, passimque totis vallibus & collibus villę, instar arcium conspicuę, ac porphyrio lapide admodũ splendidę, summam ciuium opulentiam & magnificentiam in primis testantes, cum mira spectantium omnium admiratione & oblectamento cernũtur. Præterea Genuensis tractus, licet per se sit longè omnium amœnissimus, tamẽ propter locorum varietatem, omniúmq. rerũ abundantiam, atque adeò Promontorij, caput montium appellati, eximiam pulchritudinem, mirum in modum celebratur. Est enim hoc Promõtorium ita ab ipsa natura summa industria elaboratum, vt non secus ac si ex alta quadam rupe excisum esset, in mare ipsum magna

Situs Genuæ.

magna cum saxorum mole excurrat. Nunc, vt aliquid de cæli bonitate aëriq; temperie referam, vrbs ipsa sub temperatissimo cælo constituta esse, vel inde cõprehenditur, quòd populus Genuensis non solùm summa industria, rerumque terra marique gerendarum peritia, verum etiam à corporis optima constitutione & proceritate semper apud omnes commendetur. Vtũtur enim valetudine, quę rarius in morbos excurrat, & adeò sunt firmi & robusti, vt vbiuis gẽtium, ac sub quouis cælo citra aliquam valetudinis iacturam viuere possint: quod cũ nunc longa temporum serie multisque regionibus ab ipsis frequentatis innotuerit, non est quòd aliquis hac in re mihi fidem deroget. De industria autem, cùm vbique terrarum cognita sit, non puto operæ pretium, vt longa prędicatione ipsos hoc nomine extollam. satis est, omnium scriptorum Annales in hoc consentire, Genuensem populum summo cum animi ardore atq. indefatigatis armis Christianæ Religionis hostes fortiter debellasse, & suppressisse, omnemque victoriæ gloriam & laudem in Christianæ fidei propagatione reposuisse. Vtinam tam fortiter nunc imminentis hostis vim atq; strictos mucrones à ceruicibus nostris depellamus, quàm ipsi sępius, nullis, quàm propriis viribus subnixi, cum magno Reip. emolumento & beneficio fecerunt, atque repulerunt. Taceo hic Pisanos, & Venetos sæpius victos & expugnatos, cum quibus populis bella gesta certis suis voluminibus à me, si ita Diis visum fuerit, reddentur. Quid alios potentissimos populos & reges hìc commemorem? de quibus, & præclaris victoriis relatis, Genuenses ita clari & celebres euaserunt, vt frequenter opima hostium spolia, & glorioßissimos triumphos in patriam reportauerint, adeò vt de hac nobilissima Rep. idem iure optimo dici posse videatur, quod de Scipionum gente scriptores antiqui perhibent, eam fuisse stirpem, vt ipsi loquuntur, fatalem ad hostes terra mariq; vincendos & sub iugum mittendos. Proinde cùm hæc ciuitas tanta populorum & priuatarum fortunarum accessione aucta sit, non mirum si hac tempestate pulchritudine, & palatiorum laqueatorum amplitudine atque magnificentia cum præclarissimis Christiani orbis vrbibus certet & contendat. Nam quod ad eius vrbis opulentiam attinet, cũ homines suapte natura industrios & sollertes habeat, non dubium est, quin omnibus ferè temporibus opulentia ciuium priuatęque eorum fortunæ quàm amplissimæ extiterint. Et ne videar explicandis & recensendis Reip. opibus diutius immorari, studio præteribo magnum & instructum ipsius Reip. ærarium ad omnes vsus Reip. summa cum diligentia & prudentia reseruatum. Tacebo etiam pretioßissimum illud vas ex solido smaragdo excisum, quod anniuersario tempore populo cùm summa admiratione tum religione ostenditur. Vnde autem postmodum acciderit, vt hæc vrbs longè præstantissima & celeberrima, tot insularum & oppidorum, quibus olim non solũ in Ægęo mari, sed etiam Euxino enauigato, in ora Pontici maris, atque adeò in ipsa Syria, & Palæstina regione, aliisque in locis diu felicissimè potita est, imperium amiserit, eoque deuenerit, vt sępè amissa libertate, se vltrò diuersis Principibus regẽdam permiserit, cuiuis facilè constabit, si partim humanarum rerum vicissitudinem, partim atrocissimos ciuilium dissidiorum fluctus ac tempestates, quibus hæc Resp. toties iactata est, secũ animo volutauerit. Fieri sanè vix poterat, vt Memphitico rege, ac Othomannica familia tàm longè lateque imperantibus, deinde Gręcorum Cæsarum simultatibus amisso Byzantio, ipsi, nulla Fœderatorum Principum ope innixi, quæ prius in remotissimis locis possederant, ea contra hostilem vim ac potentiam diutius retinerent. Nam Venetos, quorũ etiam dominiũ latissimè extendebatur, alioßque potentissimos populos ac etiam reges, pa-

Genua quò cæli climate posita.

Genuensis industria, & victoriæ.

Genuens. opes.

ri fortuna subinde vsos, historiæ omnes testantur. Ceterum, quòd interdum sub alieno imperio vixerint, suamque patriam dira seruitute ac tyrannide opprimi, magno cum omnium dispendio & Ligustici nominis iactura conspexerint, potius priuatis ipsorum dissensionibus, ac ciuilibus odiis, quàm externæ potentiæ acceptum referri debet. Quónam verò in cardine Reipublicæ Genuensis status versatus, quísue eiusdem administrationis, tenor ac vicissitudo à multis retroactis sæculis fuerit, siue scriptorum pænuria, siue temporum difficultate, quæ solent etiam diligentissimis quibusque ansam scribendi diligentiæque stimulum vel addere, vel auferre, fatali quadam, vt puto, vi, diuersis sententijs à multis viris in historia non mediocriter versatis, adhuc certatur, sic profectò, vt in re tanti momenti temerè aliquid scripsisse, prudentioribus id semper piaculum fuerit. Nam de rebus post tanta temporum volumina aliquid certi in medium afferre, nisi quis firmis subnixus fuerit præsidiis, non video quem laborum suorum fructum iure vnquam referre possit. Porrò, vt ceteras difficultates sileam, quibus etiam in otiosa alioquin Repub. scriptores laborare solent, quid est rogo ita extra aleam reprehensionis positum, quàm propter temporum conditiones aliquid huiusmodi committere, quod vel leuitatem, vel certè perfidiam scriptoris non arguat, potissimum cùm humana ingenia ita suapte natura sint comparata, vt interdum ad gratiam loquentes, à fide historica non parùm discedant, & styli dignitatem arbitrijs Principum permittentes, eorum sese moribus ac sensibus attemperent, & inflectant, in hunc videlicet scopum intenti, vt vel apud illos gratia floreant, itaque opibus augeantur, vel ad ostentationem ingenij, famam immortalitatis apud posteritatem inani dicacitate aucupentur. Hinc est, vt, dum diuersis studijs scriptorum animi captiuantur & ducuntur, rarò aliquis in publicum prodeat, qui remotis omnibus affectibus & præstigijs, hoc vnum agat, vt veritatis lucem ob oculos omnium, ceu in publicum theatrum productam, ponat, & vtilitatem laboris ex rerum gestarum vera narratione metiatur. Qua sanè in re quantus sit habendus iudicij delectus, facilè per me conijcere possum: ideoque statim ab initio nihil magis habui in votis, nihil, dico, mihi fuit antiquius, & pro hoc vno excubuit omnis diligentia mea, ne hunc qualemcunq. laboris & industriæ meæ fructum aliqua vanitate polluerem & contaminarem, eaque ratione, quod in prouerbio dici consueuit, oleum & lychnum perderem. Nam vt nihil præclarius de me pollicear, nêue Thrasonico more de me glorier, in hoc dedi potissimùm operam, vt scripta mea facilitate & simplicitate sua placerent, & veritatis studio probarentur. Proinde cùm videam pleraque propter causas à me adductas ignorari, vel saltem ita esse perplexa, & varijs inuolucris intricata, vt nisi cum summa difficultate erui possint, coërcebo me intra eos limites quos mihi rerum cognitio suppeditabit. Etenim cùm in Reipub. Annalibus temporum series, præsertim eorum quæ ante annum salutis humanæ millesimum centesimum gesta sint, magnam nobis difficultatem adducant, & plusquàm Cimmerias quodammodò tenebras offundant, cùm pauca quædam, ceu magnæ cuiusdam ruinæ rudera tantummodò supersint, & extent, difficile profectò fuerit ex ijs fragmentis aliquid de maiestate totius operis pronunciare. Quamobrem cùm hæc ita sese habeant, ea potissimum aggrediemur quæ citra vllam cõtrouersiam ita tractari possunt, vt nemini, tametsi alioquin seuero & morosо rerum æstimatori, in dubium, vel suspicionem iure venire, & deuocare liceat. Priusquam verò de his aliquid ordiamur, omissis in præsentia quæ veteres Annales memoriæ prodiderunt de Christia-

Cur quàm plurimi a fide historica aberrent.

Quo tempore incipiant Genuens. annales.

Christianæ fidei religionisque penes Genuenses initiis, deque eius per quosdam pios homines propagatione, qui ob morum vitæque sanctimoniam, in Diuorum numerum relati, postmodum à grata memorique posteritate magna cum reuerentia instar Numinum apud ipsos semper habiti & conseruati fuerunt, nonnulla breuiter subijciam, quę in vrbe ante Seruatoris nostri aduentum contigêre, moxque illa enarrare incipiam, quæ post annum millesimum centesimum ab orbe redempto ad hæc vsque tempora domi foriscque ih Repub. gesta sunt. Quò autem priora multò magis conspicua reddantur, oratione paulò altius repetita, perpaucis verbis ostendam, ipsis Genuens. nihil vnquam fuisse antiquius, quàm vt Populi Romani amicitiam atque beneuolentiam summa fide & constantia retinerent. Nunquam enim committere voluerunt, vt aliqua de causa Romanis incommodarent, Rhodiorum, vti puto, & Masiniſſæ regis exemplum imitati, qui mira animi constantia, fideique integritate dubiis temporibus, atque accisis Romanorum rebus, ipsis fidem inuiolatam præstiterunt, eaque de causa licet populus Romanus multa & varia cum diuersis Italiæ populis, præsertim verò Liguribus Occidentalibus, bella gesserit, de quibus ad septendecim triumphos diuersis quidem temporibus reportasse dicitur, nũquam tamen, vt satis ex veterum monumentis apparet, ei cum Genuensibus aliquod bellum interceſſit. Nec id sanè mirum videri debet, cùm ipsi Ligures semper ita latè patentem regionem habuerint, vt plures diuersasq. in partes, ceu tribus, diuisi, diuersorum etiam Principum factiones ac studia sint secuti, adeò vt tempore, quo Punica arma duce Hannibale in Italiam transportarentur, plerique ipsorum, eius fidem amplexi, Barbaris auxilium contra Romanos ferre non sint veriti. Ceterùm Carthaginienses cùm constantiam Genuensis populi atque in Romanos fidem palàm viderent, ac intelligerent, ipsum ingenti odio prosequebãtur: ideoque Mago Carthaginiensis, Amilcaris filius, cùm in secundo Punico bello ex minore Balearium insula, vbi hibernarat, lectissima iuuentute in classem imposita, in Italiam triginta fermè rostratis nauibus & multis onerarijs, duodecim millia peditum, duo fermè equitum traijceret, eo consilio, vt se Hannibali coniungeret, Genuam nullis præsidiis tunc firmatam, repentino impetu cepit, diripuit, ac deleuit, prædamque Sauonam oppidum Alpinum asportauit: quod quidem, vt ex Liuio videre licet, consulatu P. Cornelij Scipionis, & P. Licinij Crassi accidit, & per totum ferè biennium miserrimo cum spectaculo vrbs ipsa euersa & prostrata iacuit, donec tandem iussu S.P.Q. Romani Lucretius Spurius, cui potissimum ob eam causam imperium prorogatum fuit, eam in pristinum statum restitueret: quod sanè Gn. Seruilio Cæpione, & Gn. Seruilio Gemino Coss. euenit, sicuti hæc omnia fusius in ipso Liuio lib. octauo circa finem, & initio libri decimi tertię Decadis tractantur. Post instaurationem à Lucretio factam, nullam Romanos cõloniam illuc traduxisse, apud veteres historicos reperio. Ceterùm, quamuis Genua statim ab initio propter loci sterilitatem, aliorumque vitæ necessariorum pænuriam, diu multisque temporibus non secus ac solitudine quadam damnata, etiam infra mediocritatem ipsam paucis ciuibus cõtenta steterit, nihilominus tamen crescente Romano imperio, Punicisque armis extra Italiam longè lateque profligatis, sensim augeri cœpta est, ita vt successu temporis, cùm alioquin viros suapte natura sollertes & ingeniosos gigneret atque aleret, hominum exterorum frequentia, & opibus mirum in modum ampliaretur, sic sanè, vt perpaucæ in Italia existerent ciuitates, quæ huic antecellere, vel aliqua ex parte rerum opulentia

Genuensium amicitia erga Romanos.

Ligures olim Romanorum hostes.

Genua à Carthaginiens. euersa, & à Rom. instaurata.

comparari possent. Hinc magnam sui inuidiam, quòd opibus domi foriſque floreret, apud exteros concitauit, conterminiſque regibus dira cupiditate proferendi imperij accensis, non leuem occasionem præbuit, vt eorum vires atque potentiam experirentur. Inter quos, vt alios, qui hanc vrbem infestissimis armis sæpius tentarunt & inquietarunt, breuitatis causa taceam, Rhotaris decimus septimus Longobardorũ rex, totum ferè orbem infestis armis miserè diuexans, atque omnia sacra profanis miscens, Genuam etiam post varias oppugnationes tandem anno à partu virginis sexcentesimo septuagesimo diripuit, & immaniter dilacerauit. Genuenses, licet ad tantam cladem summoperè consternati, ac in extremam quandam anguſtiam coniecti essent, nihilominus tamen magna animositate non commisere, vt, desperatis rebus, sedes suas, vel Penates aliò transferrent, vel sese aliquo modo commouerent, sed magna cum celeritate & cura ciuitatem collapsam ita instaurarunt, vt facilè omnem hostilem impetum & conatum sustinere & coërcere posset. Tandem anno septingentesimo septuagesimo quarto, quo Desiderius Longobardorum regum vltimus, à Carolo Magno Ticini post longam obsidionem fuit oppressus & extinctus, cùm vniuersa Italia, atque adeò totum Romanum imperium in ipsius Caroli potestatem deuenisset, Genuenses sese illius imperio libentissimis animis subiecerunt; in cuius fide & obsequio tanta me herculè cum constantia permansêre, vt Pipinum eius filium, ipso adhuc superstite, Italiæ regem declaratum, ac deinceps omnem eius posteritatem citra aliquam perfidiæ seu perduellionis notam, vel suspicionem vllam, semper summo studio & veneratione sint prosecuti, eò certè libentiùs, quo diuersorum Barbarorum regum crudelissimam tyrannidem magis haberent exploratã: & cùm eius stirpem veris Imperatoriis virtutibus exornatam animaduerterent, facile fuit, benignissimis Principibus debitum obsequium præstare, ac inter cetera quidem optimæ voluntatis & debiti obsequij argumenta, vnum exempli causa referam, quod mihi instar multorum erit.

Genua à Lõgobardis deleta.

Genua instauratur.

Desiderius Longob. rex à Carolo Magno deuictus.

Anno octingẽtesimo sexto cùm Saraceni, rerum potiente Pipino, insulas & pleraque Italiæ littora crudelissimis latrociniis & rapinis infestarent, Genuenses, quò Pipinus commodius tantam vim ac gentis eluuionem in periculum totius Italiæ, atque adeò totius Christiani orbis perniciem exundantem, ac latè sese vndiquaque miris incrementis effundentẽ, reprimeret, classem opulentissimam duce Audomaro Comite instruxerunt, eo animo, vt Audomarus illorum dux, pro Reip. Christianæ salute Saracenos tunc temporis Corsicam deuastantes, inuaderet, atque ab Italiæ faucibus tam potentem hostem auerteret. Itaq. comparatis omnibus ad tantam expeditionem necessariis, Ligur felici omine classem suam ex portu Genuens. in altum educens, breui nauigatione in Corsicam delatus est. Hostis verò cùm præter spem & expectationem repentino motu se adoriri à Liguſtica classe animaduerteret, magno metu perculsus, omnibus viribus annitebatur, vt, incisis rudentibus, atque relictis impedimentis omnibus, quamprimùm sese cum sua classe subduceret. Sed alacritate Liguſtici ducis, ac militum suorum strenuitate, factum fuit, vt nullo ipsi concesso effugij tempore, magnis viribus aliisque bellicis apparatibus vndique obsideretur, adeò sanè, vt planè inuitus, & summa necessitate adductus, manus conseruerit. In quo quidem certamine Audomarus Comes, postquam omnia periti ducis, ac fortis militis munera expleuisset, strenuissimè in acie inter primipilares ex prætoria sua puppi in hostem pugnans, magno cum Liguſtici nominis detrimento ac totius classis mærore, fatali casu occidit. Quo è viuis sublato, cùm res quodammo-

Genuenses Audomaro duce Corsicam inuadunt.

Audomari interitus.

dammodò ad extremum esset perducta, centuriones, alijque classis primates, inchoatæ pugnæ exitum auidè expetentes, multò cum maiori, quàm antea, ardore, finem pugnæ eo successu fecerunt, vt superatis, & contrucidatis ipsis Saracenis, maior illorum classis pars deleta fuerit. Hac tam præclara Ligures potiti victoria, insulam illam in suam potestatem redegêre, ac tredecim naues ex hoste captas, Genuam, ad speciem iusti triumphi perduxerunt, & deinceps illius insulæ ditionem, sibi tanquam veri domini, iure belli vendicarunt. Verùm Saraceni ob hanc perpessam cladem valdè laborantes, & quòd viderent suas vires in Europa non ita facilè coalescere posse, pro solita sua feritate, ac in Christianum nomen odio, dicto citius vires suas restaurarunt, & anno nongentesimo trigesimo secundo sub rege Hugone, prius cum Carthaginiensibus fœdere icto, magna & instructissima classe ex Africa Corsicam repetiuerunt, eo animi decreto, vt acceptam cladem & iniuriam prôbè vlciscerentur. Proinde cùm præteriti damni memoriam in illiusmet ciuitatis conspectu, ad quam infeliciter recens pugnassent, vellent deponere & abolere, cum omni classe ex-inopinatò vrbem adorti sunt, ac repentino impetu oppressam, magnam multorum hominum cędem ac stragem fecerunt, atq. etiam innumeros vtriusque sexus in duram captiuitatem ac seruitutẽ secum abduxêre. Verùm ipsi hac victoria haud sanè diu gauisi sunt. Nam vbi primum classis Ligustica, quæ tunc tẽporis procul ab eo mari aberat, Genuam reducta est, simulque de vrbis direptione cognitum fuit, Genuenses, nihil prius, magisque in votis habuere, quàm vt de hoste supplicium sumerent, & captiuos ab illorum manibus eriperent. Igitur eos summa celeritate insecuti, iuxta Sardiniam circa insulas, vulgò Businaras, cum illis conflixerunt, eo quidem euentu, vt tandem post longum atq. atrox certamen, fortuna ad Ligures inclinaret, &, sicuti probati auctores tradiderunt, magna illorum parte contrucidata, vniuersam prædã & captiuos recuperarunt, ac reduxerunt. hisque patriæ restitutis, immortalem sibi gloriam ex tam præclaro & egregio facto omnium consensu parauerunt. Constans opinio est, ac multorum literis fama celebrata, Genuæ paulò antè sub secuti temporis cladem, portenta aliqua visa fuisse, & inter cetera quidem, fontem viua scaturigine sanguinem profudisse, futuræ certè atque imminentis calamitatis magnum argumentum, & huiusmodi, quod posteritati non immeritò tradi debeat. Hæc verò sunt potissima & præcipua, quæ in hac Rep. vsque ad annum millesimum centesimum, quod equidem sciam, contigerunt, à quo sanè tempore iustæ historiæ series continuo ferè nexu deducta fuit, eaque memoriæ ac posteritati mandata, quæ ibi ad hæc vsque sæcula inciderunt, adeò vt nihil domi, vel foris gestum sit, quod priorum temporum historiis non comprehendatur. Ceterùm, antequam de his aliquid ordiamur, breuiter mihi præfandum esse arbitror, de ordine, qui deinceps in huius historiæ descriptione à me obseruabitur. Nam cùm omnium scriptorum non sint ijdem sensus, fit, vt sæpiùs variis de causis eorum consilia inter se discrepent. Mihi igitur in animo est, huius Reip. statum, qualis nam scilicet ab anno Seruatoris nostri supra millesimum centesimo extiterit, simulque de illius perpessis calamitatibus, ac miris, propter varias factiones ac studia conuersionibus, & quomodo eius Principatus interdum ad exteros etiam emanarit, describere ac enarrare. Quibus absolutis, sensim ad illa bella, quæ Respub. primò aduersus Christianæ fidei hostes, deinde, quæ in Pisanos, ac Venetos, imperij sui æmulos, variis temporibus gessit, digrediar, vt ex his, quanta fuerit populi Genuensis religio, potentia, & virtus, clarissimè intelligatur.

Corsica à Genuens. subacta.

Genua à Saracenis occupata.

Saracenorum clades.

Genuæ fons sanguinem manans, quid portenderit.

Quis ordo in hac historia obseruatus.

Genuensium Annales incipiunt ab anno salut. 1100.

tur. Quæ sanè res, eò, vti spero, erit gratior, quò exemplorum varietate, & fortunæ, modò in hanc, modò in illam omnia propellentis partem, inconstantia, omnium ob oculos ponetur. Proinde cùm nihil vtilius sit in hac humana vita, quàm omnes nostras actiones ita instituere, vt cum legibus ipsis consentiant, tamen numquam magis vitæ nostræ ratio felicius ac prosperius instruitur & confirmatur, quàm cùm alienis edocti exemplis, eam adhibemus cautionē, sine qua vitæ nostræ cursus præpeditus, & mirum in modum anxius esse videtur. Quod cùm summa diligentia obseruatum esset ab omni præclarā & bene instituta Rep. atque adeò omni bene morata ciuitate, nihil habuêre antiquius, quàm diuersarum gentium mores & ritus cognitione adire, & ex eisdem, ceu tutissima quadam specula, vitæ subsidia petere atque cognoscere. Priusquàm verò instituti operis seriem prosequar, à meo instituto minimè alienum esse duxi, si huius præstantissimæ ciuitatis antiquas familias nobilitate & opum splendore insignes, recenserem atque describerem. Nam licet in plerisq; Annalibus, in primis verò Georgij Stellæ, & Nebiani Præsulis, earum fiat mentio, tamen exiguā rationem habere videntur earum familiarum, quæ postmodum propter temporum vicissitudinem, aliaque in ipsa ciuitate grauia & magna subsecuta certamina, inclaruerunt. Quapropter licet hac nostra ætate multæ insignes sint, & habeantur, quæ retroacti temporis scriptoribus prorsus ignotæ fuerunt, tamen verisimile est, eas, mutatis subinde nominibus, verā originem ab antiquis istis familiis traxisse. Harum igitur nomina hæcferè censebantur: Aduocati, Alscati, Aldi, Antiochij, Bombelli, Battigatti, Bufferij, Burones, Boncouij, Bulgari, Bonifantes, Barattieri, Bolletti, Borgi, Brusci, Bacenij, Barbauari, Buncheri, Bolonelli, Bottacij, Blanchi, Bechignoni, Belmosti, Caimandini de Castello, Caffari, Contardi, Cannelli de Campo, Crespini, Cancellarij, Cicadę, Cauaronchi, Gebi, Corti, Caput orgij, Capreæ, Godegæ, Camaini, Camilli, Cruces, Castanij, Aurij, Demecaroi, Embriaci, Eliæ, Embrones, Frendenzonij, Fornarij, Flessi, Fallamonicæ, Ferrarij, Finamori, Flisci, Ficomatari, Garaldi, Iudices, Guarachi, Garrij, Guerci, Gansones, Guisolfi, Gobbi, Guidones, Catalusij, Grilli, Galletti, Giusti, Golię, Guirardi, Galliani, Sangenesij, Gaberini, Ginates, Grimaldi, Infantes, Ionaræ, Insulani, Ingones, Lauaggij, Lusij, Lamberti, Longhi, Lodes, Lercari, Lucheſi, Lecanottij, Lecaueli, Mallones, Marij, Muzi, Mortę, Malocelli, Mauri, Moscoli, Mignardi, Malabotti, Marini, Mazanelli, Mezziferri, Malfantes, Nigrij, Nigrones, Nauarri, Oggerij, Oltramarini de Odone, Orti, Peueres, Porci, Picamilij, Pedegoli, Pezzuli, Porzelli, Pignatari, Pinaschi, Rinaschi, Pollezini, Pignoli, Polpi, Pansani, Rezzi, Rustici, Ruffi, Recalatti, Rodulphi, Rozini, Richerij, Reccij, Rozi, Spinulæ, Sardeni, Stancones, Starlandi, Serræ, Sigismundi, Scotti, Sozopoli, Scalij, Straleri, Streggiaporci, Squarciafichi, Sauri, Sauignones, Siluagni de Turca, Tibæ, Tetuici, Torni, Taschifellones, Tancleri, Tornelli, Volti, Vegij, Vsusmarij; Venti, Versetti, Varagines, Zurli, Zerbini, Zachariæ, & pleræque aliæ, quarum hac tempestate exoleuit memoria; & vix aliqua earum extant vllius antiquæ nobilitatis indicia. Verùm, interea non me latet, atque omninò verisimile est, plurimas familias successu temporis mirum in modū extenuatas, & inclinatas cum aliis familiis, suo tempore integris & florentibus coaluisse, & quasi in eas insitas & translatas fuisse, adeò vt postmodum abolito & antiquato pristino nomine, illius familiæ, in quam transiuissent, nomen assumpserint. Itaque subnascentibus subinde aliis familiis, atque inuicem succedentibus, Genuæ certa domicilia ad familiarum

Veteres Genuens. familiæ.

ipsarum

ipsarum distinctionem & discrimen faciendum erecta fuerunt, quę patrio idiomate Alberghi appellabantur, vt exempli gratia, Catanei in Gentiles, in Centuriones, in Pinellos, in Saluagos, & sic de reliquis. Extant tamen hac nostra tempestate Genuæ potentissimæ, & nobilissimæ familiæ, quæ ab iis quas recensuimus, gentibus nullo modo deriuatæ fuisse videntur, sed potius ex externis nationibus in ciuitatem ipsam irrepsisse, atque vrbe donatas, pro veris ciuibus sese gessisse, & continua quadam propagine posteritatem suam citra aliarum familiarū discrimen condidisse, ac etiā in hunc diem cum magno honoris incremēto reseruasse, cuiusmodi sunt, Lomelini, Palauicini, Viualdi, partim ex Germania, partim ex Insubria maiorū suorum & familiarum ortū atque initia repetentes. Vt verò iam (quod felix faustumq. sit) Notis vela explicemus, & quod nostri propositi ac instituti est, aggrediamur, initiò summa Reipub. penes Consules fuit, quorum sanè administrationem neque temporis diuturnitate, nec etiam numero æqualem & conformem extitisse, vetusti Annales prodiderunt. Si quidem ipsi hunc supremum Magistratum adepti, eo interdum breuiori, modò etiam longiori spatio, publicis muniis inter se distributis, fungebantur. Pars enim in earum rerum quæ domi foriſque gerebantur, gubernationem ac studium incumbebat: Reliqui circa forenses controuersias & ciuiles causas versari, numeruſq. variabat, prout rei necessitas ac temporis cōditio exigere videbatur. Porrò hęc regiminis forma & ratio circiter nonaginta annis cōtinua quadam serie integra atq. illibata permansit, quoad scilicet ad coërcendā non nullorum ciuium ambitionem animique impotentiam, omnibus viribus atque artibus ad hunc præcipuum honorem & dignitatem anhelantium, externus Prætor, sicuti suo loco enarrabitur, introductus fuit. Primi autem publica & vnanimi Patrum suffragatione anno ab instaurata salute millesimo centesimo Amicus Bruscus, Morus, vulgò de platea longa, Guido Rusticus Ritius, Paganus Voltus, (hæc familia nunc est Cataneorum) Ansaldus Bracilis, & Bonomatus de mole consules designati, qui biennium eam potestatem retinuerunt, quo exacto, Senatus decretis Gulielmus Embriacus, Idus Carmandinus, Guido Rusticus Ritius, & Guido Spinula Beli Vicecomitis filius, vir egregiis animi corporisque dotibus insignis, vnde hæc longè celeberrima & laudatiss. familia ortum atq. originem traxit, Consules renunciati, & post illos, complures alij, diuersis familiis geniti, hanc supremā dignitatem adepti fuerunt. Ceterum, anno supra millesimū centesimum trigesimo quarto, quo quidem tempore Resp. opibus ac populi frequentia mirificè aucta & ampliata fuerat, Ansaldus Catanęus, Fabianus N. & Ansaldus Auria, vir togæ bellique artibus conspicuus, vnde Auriorum familia longè clarissima & nobilissima originem habuit, Consules creati, duodecim ferè annis antequam Genuens. post Syriacas expeditiones, ac res præclarè in Oriente gestas sub Ansaldi Catanei, Gulielmi Nigrij, Caffari & Lanfranci Peueris, Bœmundi, Marini Portæ, Sigismundi & Rinaldi Gobbi consulatu, victricia arma in Saracenos, gentem Barbaram, cōuertere, eisq. Baleares insulas, vti suo loco demonstrabitur, cum magna Barbarorum cędę ademerunt. Cuius temporis ratio, si ad nostrum calculum reuocetur, incidit in annum à Christo nato millesimum centesimum quadragesimum sextum. Et quò familię Auriæ, cuius hîc proximè meminimus, origo magis omnibus innotescat, non absurdum mihi videbitur, breuiter perstrinxisse, quibus natalibus hic Ansaldus ortus fuerit; vt demōstratis huius gentis initiis, deinceps, cùm sæpius mihi Auriorum facienda sit mentio, non hæsitemus circa illius familiæ cognitionem. Natus est

Genua primū à Cōss. administrata.

1100.

1101.

Spinulæ Fam. origo.

1134.

Origo Auriæ familiæ.

tus est igitur ipse Ansaldus ex quadam matrona nobili, cui nomen Oria fuit, ex prisca familia, Volta dicta, quæ nũc, vti diximus, Cataneorũ est, quam, posteaquam Arduinus ex Prouincia Narbonensi regulus oriundus, propter venustatem formæ atque familiæ nobilitatem ambiuisset, in matrimonium tandem accepit. Nam cùm profectionem in Palæstinam religionis ergò instituisset, casu Genuam delatus, in huius præstantissimæ feminæ ex occasione, vt fit, in familiaritatem & consuetudinem incidit, adeò vt formæ pulchritudine illectus, postmodum in Voltorum familiam receptus, ad nominis & familiæ auitæ differentiam ORIAE vxoris suæ nomen retinuerit. Et quia iisdem ferè temporibus magnum Consulum numerum assignatum esse reperio, hinc coniicere licet, nõ absque grauitate iudicij eorum numerum auctũ fuisse, ea, vt arbitror, potissimũ de causa, quòd ex illorum numero qui consulatum gessissent, ingruẽtibus bellis duces exercitus, classis prẽfecti, equitum magister peti solerent, ita vt præter eos, quos superius recensuimus, Consules, Vbertus Turrius, & Hugo Caffarus consulatus titulo in illa vrbe florucrint, & dignitate excelluerint. Porrò vti antea ostendimus, pro temporũ rerumque conditione mittebantur cõsulares viri plures, vel pauciores, prout rei magnitudo expostulabat, & eo tempore, quo Cæsar Fridericus Aenobarbus, cognomento Barbarossa, mortuo Chunrado tertio, ad imperiũ euectus est, ex præcipua nobilitate Genuensi designati sunt octo Coss. inter quos fuerũt Martinus Morus, Hẽricus Guercius, Ioãnes Marocellus, Idus Contardus minor, & Gulielmus Ripa Iudex, quorum consilio & auctoritate omnia domi forisque administrarẽtur, quo etiam ferè tempore Liguribus cum Marchionibus Carreti aliisque finitimis populis, propter limitum atque confinium lites & controuersias, grauissimæ contentiones & iurgia intercessẽre. Cæsar quoque Byzantius, Emanuel nomine, Caloioannis frater, siue, vt nonnullis placet, filius, ad consopiendas & de medio tollendas certas controuersias, quæ sibi cum Genuensibus erant, Demetrium Metropolitum Genuam ablegauit, quarum controuersiarum causa & ipsi Genuenses ad eum prius legationem miserant. Verùm, audita vtriusque partis legatione, re infecta, vtrimque discessum est. Et quoniam ipse variis de causis Venetorum, aliorumque Principum Occidentalium potentiam mirum in modum habebat suspectam, cùm sub religionis pietatisq. prætextu varias expeditiones in Græciam, atq. Asiam parauissent, operæ pretium se facturum arbitrabatur, si Genuensium amicitiã sibi coniungeret, eosque fœderis iure deuinciret, adeò vt hoc nomine oratorem ad Remp. specialiter habuerit: cuius diligentia rerumque gerendarum peritia factum est, vt Senatus populusque Genuensis hac ratione cum Cæsare Byzantino pacisceretur & transigeret, vt inter cætera constantissimæ amicitiæ argumenta, Cæsar ipse Genuensi Reip. eiusque antistiti aureum paludamentũ dono quotannis daret, addita magna certæ signatæ pecuniæ, cuius tunc frequens vsus erat, summa, vltrà veteres illas immunitates & priuilegia, quibus Veneti & Pisani, Græci imperij socij & confœderati in vrbe Constantinopolitana fruebantur, quorum omnium Genuenses pari & æqua ratione participes faciebat. Dum hæc agerentur, Fridericus, post adeptum imperium, rebusque in Germania constitutis, in Italiam cõtendit, quod quidem accidit mense Octobri, anno supra millesimum centesimum, quarto & quinquagesimo, deinde mense Decembri proximè insecuto, comitia in Roncaliis, qui locus haud sanè procul est à lacu Benaco, ingenti principum virorum ac ciuitatum concursu habuit. Et inter ceteras multorum principum & Rerumpublicarum legationes, Reip. Genuensis

Fœdus inter Græcum imper. & Genuens.

Friderici Barbarossæ in Italiam aduentus, & quid nã, præter cætera inter ipsum & Genuens. gestũ fit.

nuensis legatio fuit cum maximo honore excepta. Nam cùm ipsi duos præclarissimos viros, Hugonem Archidiaconum à singulari quadam eruditione commendatum,& Caffarum N.pari eruditione celebrem, Annaliúmque suæ ciuitatis scriptorem clarissimum, ad Cæsarem destinassent, postquam nomine suæ Reip.debitum Cæsaris obsequium detulissent, propensissimam Genuensis populi voluntatem & studia etiã præsentibus muneribus declararunt:Obtulerunt siquidẽ,inter cetera,haud parui mometi munera,Strutiones,Camelos,Psittacos, ex Indiæ visceribus petitos,pãnos holosericos,aliáq. id genus multa Saracenicæ expeditionis ac victoriæ in Hispaniæ oris nuper habitæ,nõ obscura testimonia & indicia,quibus Cæsar mirificè gauisus est,atque hanc illius populi animi voluntatem sibi caram esse, non obscurè, habita de illis honorifica mentione, testatus.Sed comitiis habitis,cùm Cæsarem aliæ curæ circumstarent, ita vt seriò Romam euocaretur, solutis comitiis, atque legatis domum abire permissis, proximo anno cum summa omnium Romanorum lætitia atque gratulatione, magnaque stipatus nobilium procerumque caterua, in vrbem venit, in qua, à Pontifice Hadriano ex Britannia oriundo, sollenni cum pompa exceptus, in Vaticanũ sub vmbella aurea præcedentibus purpuratis omnibus, deductus est, & die Sabbati VI.Cal.Iulij, postquam Pontifex ipse sacris operatus fuisset, de more maiorum Imperiali diademate, seu tiara, vt vocant, faustis vndique acclamationibus insignitus,& deinde vbi in Cæsarem esset inauguratus, in Germaniam concessit.Sed duobus ferè annis postea,rursus vrgentibus multis & arduis negotiis,postliminiò rediit,eo animo,vt in Mediolanenses,à quibus armis primò lacessitus, multas iniurias & contumelias pertulerat, bello adoriretur,eiusque gentis temerarios ausus contunderet. Itaq; vrbe tandem in deditionem accepta,sedatis compositisque rebus,ac suppressis in Insubria concitatis tumultibus,ne quid in posterum,se absente,innouaretur, quàm primum Cæsar iterũ ad Roncalias conuentum indicere habuit. Statutus est igitur comitiis dies D. Martino sacer, ad quem Roncalias diuersos Principes ac proceres euocauit. Pontifex etiam, vt honore & magna gratia ipsum Cæsarem prosequeretur, quatuor ex purpuratis suis etiam ad comitia suo nomine destinauit, coniunctis plurimis Episcopis atq; aliarum vrbium oratoribus:quibus peractis, Cæsar Conradum Episcopum Eistatensem,& Comitem Emichonem in Sardiniam & Corsicam, ad eas insulas constituendas legatos misit, eósque ea de causa Genuensibus & Pisanis tunc Romani imperii sociis,commendauit. Verùm, cùm Pisani,perinde ac Genuenses,in animo statuissent earum insularum possessionem retinere,legati,re ipsa intellecta;ad insulas ipsas non transfretarunt, sed rebus infectis, totius negotij statum ad Cæsarem detulerunt. Quapropter ipse valdè conturbatus, in Genuensium fines exercitum admouit,ac ad Boscum oppidum in finibus Galliæ Cisalpinæ progressus,cùm ibi cognouisset,Ligures nouo metu exterritos, Genuæ fese in vrbe sua continere,& muniendis mœnibus operam dare,legatos illorum ad se mitti postulauit, statimque ex Senatus consulto ad eũ missi sunt,Idus Gontardus vir consularis,Caffarus,Vbertus Spinula, Gulielmus Cicada,Guidus Laudus,Ogerius Bocheronus,Otho Iudex,& Albericus,viri à longo rerum vsu & singulari virtute commendati: cum quibus Cæsar tandem hac ratione pacem pepigit, vt Friderici Genuenses essent beneficiarij,eóque nomine Cæsar Genuam in tutelam susceptam,ab omnibus in posterum iniuriis defenderet atque tueretur, eámque,quoad fieri posset, in pace & tranquillitate conseruaret. Si verò ipsi aliquid nouandarum rerum studio contra pacta

Genuens. munera Cæsari oblata.

tra pacta molirentur, se tunc de eis meritas pœnas exacturum. Quæ omnia iureiurando à populo Genuensi sancita & confirmata sunt, ea tamen cautione, vt propter iusiurandum Cæsari hoc nomine præstitum, non obligarentur milites neque stipendium conferre: sed Cæsar tantummodò ipsis imperaret, quæ pro rerum necessitate iis iure, tanquam beneficiariis, imponi & iniungi possent. Interim præsenti pecunia, scilicet, mille marchas argenti, siue, vt aliis placet, mille, ac ducentis, multati fuerunt, & à munienda vrbe prohibiti. Sunt etiam qui asserant, Senatum Genuensem vltrò ac sponte ipsi Cæsari hanc pecuniæ summam dono dedisse. Quæ omnia, vt planiora fiant, operæpretium esse duxi, hæc paucula subiicere. Genuenses enim, cùm viderent, Mediolanum, Derthonam, aliaque Galliæ Cisalpinæ ac Etruriæ oppida, in amicitiam Cæsaris prius recepta, grauissimas propter inconsultam & turpem defectionem pœnas dedisse, summoperè verebantur, ne in par periculum venirent, præsertim cùm intelligerent, Cæsarem cum ingenti exercitu & apparatu bellico, ad Genuam expugnandam non procul abesse. Quibus rationibus commoti, & mirum in modum animis consternati, nihil reliqui ad summam diligẽtiam fecêre, quod ad suam propugnationem & tutelam pertinere iudicarint. Proinde ex vnanimi omnium consensu octo dierum spatio illam veterum mœnium partem temporum iniuria atq. vetustate collapsam & prostratam, quæ iam reparari ac instaurari cœperat, in integrum restituerunt, tanta me herculè cum diligentia & celeritate, vt nullo habito sexus vel ordinum discrimine, omnes promiscuè operæ intenti, opus ipsum, quod alioquin anni vnius spatio vix absolui potuisset, spatio octo, vt diximus, dierum, vel circiter, ad absolutam quandam perfectionem perductum fuerit. Nam primus veterum murorum ambitus non amplectebatur amplius, quàm interstitium illud quod à tẽplo D. Petri, vulgò de Banchis, vsque ad publicum prętorium longo pòst tempore erectum, interiacet, totiusque veteris ciuitatis circuitus non amplius in se continebat, quàm illum tractum qui ex vna parte versus Auriorum forum, ex altera verò, versus ædem D. Ambrosio dicatam, ad mare vsque protenditur: sed ciuitate his secundis mœnibus, de quibus nunc loquimur, successu temporis aucta, ea omnium iudicio censentur esse, quæ ab æde S. Sabinæ incipiunt, & versus regionem illam vrbis quæ Franciscanos & Dominicanos & D. Catharinæ fanum includit, rectà ad templum D. Andreæ Seresanam vsque porriguntur. Interea, dum Ligures intentis atq. solicitis animis Cæsarianum bellum à se auertere, ac Cæsaris gratiam modis omnibus promereri studeant, Vintimilius populus in agro Ligustico positus, ex Cæsaris in Italiam aduentu defectionis ansa ostensa, à Rep. atque populo Genuensi, tametsi anno præcedenti cùm ipso pro loci illius securitate transegissent, contra ius gentium fœdè ac turpiter desciuerunt, & fidem datam violarunt, ita vt arcem Vintimiliæ à Genuensibus constructam, illorumque præsidiis firmatam, prorsus euerterint ac deleuerint. Verùm, Genuenses indignatione facti valdè exacerbati, citra aliquam negligentiam, vel temporis intermissionem militarem manum ad hoc compararunt, vt sese de Vintimilienſibus acriter vindicarent. Sed vix ab ipsis oppidanis conspecto milite, futuri periculi magnitudinem ob oculos ponentes, non expectatis extremis, neq. irritatis vlterius Genuensium animis, legatione habita, obsides obtulerunt, & tradiderunt: quibus acceptis, inter eos, & Genuenses ea cautione transactum fuit, vt vltra vetus obsequium & fidei integritatem, nouas conditiones oppidani ipsi admitterent: quas vt ratificarent, sollemni iureiurando de

Veterum murorum ambitus.

Vintimilij defectio & recuperatio.

more

more conceptis verbis sese obligarunt. Quibus ita constitutis, populus Genuensis, vt antea demonstrauimus, enixè dabat operam, ne quicquam huiusmodi committeret quod Cæsaris animum offenderet, vel quacumque ratione gratia eius excideret. Cū verò in Cremonenses ac Mediolanenses, propter noua studia & turpem ab eo defectionem, ab ipso Cæsare grauiter esset animaduersum, adeò vt multatis seditionum & defectionis auctoribus, ab ipsismet vrbibus minimè abstineret, sed victricibus armis euerteret, reliqua omnia oppida & ciuitates quæ pari modo harum vrbium exemplum secutæ, antea apertè, vel clanculum aduersus ipsum arma sumpserant, vel nouis fœderibus cum aliis Principibus initis, nouo etiam iuramento sese obstrinxerant & defecerant, legatos ad eum tunc Papiæ commorantem, ad culpam diluendam, & admissi erroris veniam implorandam misere, inter quos fuêre ipsi Genuenses, Brixiani, & Placentini, ferè præcipui, qui antea cum Alexandro Pont. Senensi Adriani successore, ac Cæsaris æmulo consenserant, auditisque per ipsum Cæsarem legationibus, ferè ad Nonas Iulias illos in clientelam & gratiam eà cautione recepit, vt iureiurando, obsequij perpetuandi gratia interposito, sese etiam obstringerent, & ad Cal. Septembris suppetias & auxilia daturos ad classem instruendam, ac expeditionem in Siciliam faciendam. Cæsar enim cum Gulielmo Sicanorum rege grauiter expostularat, multis de causis, sed præcipuè, quòd magnam inter eos propter Apuliæ & Capuanos agros esset disceptatio, quam ipse armis dirimendam esse censebat. Proinde, hi, quos diximus, populi, pollicebantur etiam vlterius, se iniussu Cæsaris nunquam cum ipsius æmulis & hostibus pacē, vel fœderis iurà inituros. Quæ omnia vt rata, & sarta tecta essent, promittebant, se Senatus consultum suæ ciuitatis interposituros, hisque conditionibus ab ipso Cæsare omnem oram à Monaci, siue mauis, Moncœci, vsque ad Lunarē portum feudatario nomine, ac iure municipali saluo impetrarunt & obtinuerunt. Verùm, paruo post tempore, anno scilicet supra millesimū centesimū sexagesimo septimo, cùm Gulielmus Rogerij filius Siciliæ rex, summoperè Cęsaris vires atq; potentiam vereretur, eoq; ventum esset, vt Cæsar non obscurè expeditionem in illum pararet, cùm vndiq; Principum circumuicinorū animos partim precibus, partim verò longis pollicitationibus ad amicitiam firmandam solicitaret, vt eorum scilicet potentia fretus, Cæsaris viribus fidentius sese posset opponere, operæpretium esse duxit, & populum Genuensem sibi associandum esse, in cuius rei gratiam duos præstantissimos viros, quibus propter fidei constantiam & rerum vsum multum deferebat, Genuam ablegauit, quorum alter fuit Amicus Grillus, alter verò Rogerius Iustinianus: sed senatus Genuensis, audita ea legatione, de communi omnium consensu respondit, sibi summoperè displicere, illorum regi hac in parte satisfieri non posse; quippe cùm iam Friderico Cæsari adeò essent deuincti, vt non nisi cum perfidiæ nota, ipso inconsulto, cum aliquo Principe amicitiam inire, vel fœdus icere possent; ac vehementer rogabant, vt huius suæ voluntatis constantiam rex ipse in peiorem partem non detorqueret vel inflecteret. In ceteris autem eius rebus, si aliqua ratione in illorum potestate esset, vt illi commodarent, promptissimis atq. paratissimis animis omnia sese enixè facturos pollicebantur. Quo responso audito, cùm legati Siculi regis viderentur incassum ibi tempus terere, nullisque rationibus senatus constantiam posse infringi, domum, infecta re, quàm citissimè redierunt. Habuerant etiam superioribus annis ipsi Genuenses ad prædictum Siciliæ regem suos legatos, scilicet Ansaldum Auriam, & Gulielmum

Grauis controuersia inter Frid. & Gul Siciliæ regem.

1167.

Ventum, qui communi Reip. nomine apud eum darẽt operam ac ſtrenuè procurarent, ne populi Galliæ Narbonenſis Ligurum æmuli, in Sicilia mercium & aliarum rerum commercia exercerẽt, præſertim cùm id in ſuæ Reip. detrimentum mirum in modum cedere oſtenderent. Quibus poſtulatis rex cùm eorum amicitiam & ſocietatem magni faceret, licet non abſque ſuo incommodo & diſpendio fieret, noluit tamen committere, quin illis aſſentiretur, ea quidem ſpe, vt eorum opera pro temporũ conditione tàm mari quàm terra ſubinde vteretur, præſertim in illa nauali expeditione quam in Cęſarem ad eius regnum aſpirantem, moliebatur & decreuerat: qua certè in re fruſtrà & nequicquam illorum opem atque auxilium implorauit. Quo ferè tempore Genuenſes etiam Guidonem Lodum ad Romanum Antiſtitem, & Ionatham Criſpinum in Syriam ad eos Principes occidentales qui ſacrã expeditionem ſuſceperant, legatos deſtinarant. Pari prudentia & diligentia ad Emanuelem Byzantinum Imperatorem primò Amicum Mortam, deinde aliquot menſibus interiectis, Henricum Guercium virum Conſularem, & poſtremò Anſelmum Cataneum vnà cum Nicolao Rodulpho & Corſo Sigiſmundo, ac tandem eundem Amicum Mortam ablegarunt. His fermè temporibus Ligures etiam legationem in Inſubria habuerunt, Othonum ſcilicet, & Vbertum ex Cancellaria familia oriundos, quorum opera lites ac iurgia inter Inſubres multis de cauſis orta tollerentur. Intereà Alexandrini Salaſſorum populi, & in Pedemontana regione poſiti, cùm finitimas gentes indies magnis incrementis viderent inualeſcere, atque fines proferre, veriti, ne etiam ipſi earum telis & potentiæ eſſent expoſiti, ſumma cum prudentia de amplificanda & munienda ſua vrbe non ſemel ſeriò cogitarunt. Verùm, cùm tam honeſti conatus iis viribus & planè neruo inſtituerentur, quibus maximè neceſſarium erat niti, cõſultatione habita, Genuenſis populi animum & liberalitatem tentandam eſſe cenſuêre, miſſiſque ad hoc Genuam legatis, ſubſidium valde ad præſentẽ ſuum vſum opportunum, quàm demiſſiſſimè rogarunt, & accommodata oratione implorarunt. Genuenſes verò etſi multis bellis tenerentur, & propter anteacti temporis cõtinua bella ærarium eſſet valdè exhauſtum, tamen ſe ſuaque Rep. dignum exiſtimarunt, ſi finitimas gentes rerum anguſtia atque pecuniæ inopia laborantes, præſentibus remedijs, quoad eius fieri poſſet, iuuarent & auxiliarentur, adeò vt Senatus conſulto ſuper hoc habito, Alexandrini cum ſumma ſatisfactione dimiſſi fuerint. Vix externos res compoſuerant, cùm alia domeſtica ſubnaſcerentur, quæ eos valde defatigarent, & ſumma moleſtia afficerent: Nam progreſſu temporis Genuæ ſiue Patrum incuria, & indulgentia, ſiue, quod plerumque fieri ſolet, maxima populi peruerſitate, ac deſperata nequitia, bonorum morum diſciplinæ & omnium liberalium artium tractationes ſic erãt cum ſumma Reip. pernicie deprauatæ & prolapſæ, vt niſi nouis Conſulibus creatis, tantæ ciuitatis licentię & flagitijs nouis remediis itum obuiam fuiſſet, verendum eſſet, ne omnis ciuilis & politica ratio prorſus corrueret, & ad internecionem vſque extingueretur: Nam labes illa domeſtica tam longè lateque ſerpſerat, & contagione quadam proximum quemque inuaſerat, vt ſublata omni morum ac legum dignitate, Magiſtratus ipſe, ac etiam conſularis dignitas paruo in pretio ac exiſtimatione haberetur, tanta me herculè cum audacia, vel potius ſecuritate, vt nullum eſſet ſcelus tam abominandum & horribile, quod nouis quotidianis exemplis non committeretur & confirmaretur. Creuerat enim ex vrbana licentia peccandi libido, quæ ſuis terminis non contenta, etiam ad agrum ſub-

Alexandrini Genuenſ. opem implorant atque obtinent.

urba-

urbanum ita progressa erat, vt municipes ac rustici, pari insolentiâ in omne vitiorum genus ruerent & præcipitarentur. Proinde cùm Censoriis viris ad tantos impetus inhibendos, & mores hominum regendos, adque modestiam & legum normam reuocandos, valde necessarium esset, quidam patricij ac senatorij ordinis singulari auctoritate ac prudentia conspicuus, de bono publico mirum in modum anxius atque solicitus, in frequenti Patrum corona, tempore sermoni orato, & accepto, sententiæ loco in hunc modum disseruit. Quanta, & quàm magna fuerit maiorum nostrorum, Patres conscripti nobilissimiq; conciues, prudentia, vel ex hoc videre & intelligere licet, quòd inter cetera bene constituendæ Reip. ornamenta, & retinendę conseruandæque pacis artes, nihil præclarius, nihil vtilius, nihil denique se dignius excogitare potuerint, quàm in hac extrema, veraque languida & delira mundi senecta, legum seueritatem atque optimorum retinendorum morum censuram proponere & diligenter conseruare. Nam, vt cetera breuitatis studio præteream, quis est qui nõ clarè atque apertè videat, omnia ruinam non obscurè denunciare, multas malas artes & varia morum vitia, & communis vitæ corruptelas quotidie magis atque magis exoriri, adeò certè, vt viri boni omnes vno ore conquerantur & fateantur, mores hominum omnis generis vitiis esse ita inquinatos & deturpatos, vt contagione quadam continuo nexu latè serpant, & ægri corporis instar latè diffundantur, & quasi ab vno membro in aliud deducantur? Nam, si vitæ nostræ humanæ actiones ad trutinam exigantur, & vitam ipsam, ac mores præsentes intueri placeat, quis est, per Deum immortalem, ætatis gradus, qui non valdè immutatus sit, & superioris sæculi non multum absimilis? Quis ordo & status hominum de curriculo maiorum & veterum institutis non longè deflexit, & à signata orbita procul aberrauit? Vbi senilis quęso illa grauitas & virtus, quam in maiorum nostrorum & dictis & factis elucere cum summa dignitate conspicimus? Vbi firmioris & virilis ætatis fides & constantia, quam superiora tempora in viris suis maximè admirantur & prædicant? Quæ est, rogo, mollities, quæ libido, quæ leuitas, ad quam florentis ætatis nostræ mores, qui antea cum summo omnium hominum iudicio, verecundia & pudore nobis commendabantur, & retinebantur, non sint, horresco referens, impudenter collapsi & deprauati? Quis, dico, ordo à virtute veterum, & laude maiorum non turpiter aberrauit & flagitiosè desciuit? Aut quid denique in vita communi & moribus hominum vsquam simplex, integrum, & purum relictum esse videmus? Hæc ita cùm sese habeant, in primis necessarium esse existimo, vt Magistratus omnes, aliique, qui cũ dignitate priuatim, vel publicè regendis moribus, ac exercendis legibus sunt præfecti, hoc præsertim corruptissimo sæculo & iniquissimo morum tempore euigilent studiis omnibus, ac tandem de veterno illo quo hactenus consopiti fuerunt, expergiscantur, ac stationem illam, in quam non citra delectum atque iudicij grauitatem diuinitùs collocari sunt, summa fide, summis, dico, laboribus atque animi constãtia tueantur, ac faciant id quod bonos & strenuos milites decet, vt ne minimum quidẽ ab ordinibus & instructa ipsa acie discedant & digrediantur, verùm vniuersa, tanquam ex alta specula, diligenter circumspiciant, atque animum in mores, veluti arcum intentum, semper habeant, vitiaque ipsa adeò propè examinent & speculẽtur, vt in iis tollendis, quæ iam in vita & moribus hominum insederunt, & penè, quod citra animi magnam indignationem & iustum dolorem referre non possum, inueterarunt, seueritate planè censoria, quæ omni tempore optimo iure pudoris

*Oratio pro Reip. statu corrigendo.

& modeſtiæ habetur magiſtra, vtantur, & plurimis malis, quæ ex hac leuitate & libidine, ceu ex perenni fonte, quotidiè enaſcuntur, opportuna medicina & antidotis obuiam eant, & medeantur: qua in re cum quantis incrementis quàm plurimæ Reſp. hac ſola arte & ſtudiis, vel potius, vt verum quod res eſt, eloquar, hac vna ſola via contenderint, & à paruis initiis ad ſummum honoris & potentiæ apicem deuenerint, cùm neminem veſtrum latêre putem, non eſt, quòd hac quidem tempeſtate in his commemorandis ſim prolixior. Proindè quemadmodum veteres Rerumpub. gubernatores ſemper feciſſe compertum habemus, adeò vt nunc vulgò vſu feratur, ex malis moribus bonas leges naſci, apertè conſtat, & ſatis dilucidè demonſtratur, præſtantiſſimis quibuſque temporibus atque omnibus ætatibus felicitate quadam inſignitis, eos qui ad Reip. gubernacula & clauum ſederunt, exactiſſimam ſui muneris rationem ſumma cum religione habuiſſe. Nam, vt ceteras commoditates Reip. taceam, quibus Reſp. ipſa his artibus creſcit & augetur, quis eſt quæſo, qui non videat, ad hunc finem à Deo opt. max. Magiſtratus Rebuſpublicis eſſe datos, & præfectos, vt iis, & ceteris morum magiſtris, normas vitæ humanæ & certas leges Deo acceptas & conformes, dent, conſeruent, & elargiantur, ad quas demum ipſi ſuos, ſuorumque ciuium & diſcipulorũ mores, in his vitæ noſtræ tenebris & mundi caligine non ſecus ac nautæ ſuum curſum ad Helicen, & clariſſimos ſeptentriones inflectere ſolent, dirigant: à qua certè officij cura ſi qui ſint, vel reperiantur, qui aut voluptatum illecebris, & exoptandarum rerum aucupio, aut priuati commodi ſtudio, vel ſaltem laborum & moleſtiarum fuga abducantur, hi certè nõ ſolummodò meo, verùm omnium ſaniorum hominum iudicio, locum ipſum à Deo deſignatum & ſtatutum, nefariè deſerunt, & magna cum incõſtantia derelinquunt. Quapropter cùm ego penitius in rerum noſtrarum cardinem oculos coniicio meos, non abſque tacita quadam animi reuerentia exoſculor maiorum noſtrorum ſummam prudentiam atque animi magnitudinem, qua vſi, hanc Reip. noſtræ formulam in hanc noſtram ætatem, annuentibus ipſis Superis, cum ſummo emolumento, atque rerum domi foriſque gerendarum fauſta propagatione mirabiliter conſeruarunt, & ſtabilierunt, adeò profectò, vt nihil ſplendidius, nihilque præclarius, excogitari potuerit, quàm hiſce artibus, atque, vt ita dicam, paſſibus, in dirigenda & conſeruanda Re ipſa publica inſiſtere atque progredi, ac non ante finem motus facere, quàm omnia excogitata, perſpecta & intellecta fuerint, quæ ad huius vrbis incolumitatem atque præſtantiam noſtræ Reip. maieſtatem & ſtatum pertinere arbitrarentur, hoc etiam nomine gratis animis anniuerſaria quadam memoria grati atque prudẽti noſtrę antiquitati pro gratiarum actione ſollemni voce grates atq. laudes celebremus, ac noſtrorum maiorum prouidè excogitata & inſtituta ad poſteritatem ipſam cum immortalis famæ gloria & conſeruatione propagemus. qua certè in re quàm bene animi veſtri mecum conſentiant, ſatis probè intelligo, dum oculos meos in hunc præſtantiſſimorum virorum conſeſſum circumfero, ac quantis ſtudiis & animi attentione hanc meam orationem publicam excipiatis, video. Penetret igitur hæc mea vox, publico teſtimonio quidem ad vniuerſos facta, ſed ſeorſum ad omnes habita, in penetralia veſtri pectoris, ac non antea obliuione aliqua in poſterum deleatur, quàm extremi ſpiritus calor ipſe oſſa & artus dereliquerit. Hoc ſanè dico eò vehemẽtius, quò Res ipſa per ſe magis ſit ardua, & maioris negotij. Nam ſi de rebus leuibus, vel ſaltem mediocribus, verba facerem, non ita medius fidius rem ipſam ſeriò tractarem. Verùm,

cùm

cùm neruus Reip. & societatis humanæ vinculum hoc potissimum nexu cõtineatur, vt & leges iustè præscribantur, & cum summa obseruantia colantur, quis est, rogo, in hac præstãtissima optimorum ciuium caterua, vel adeò in huius Reip. ditione & imperio, tam deprauatus ciuis, qui facilè non intelligat, nihil esse perniciosius in ipso vniuerso orbe, quàm legum reuerentiam abrogari, & peccandi licentiam impunitate confirmari? Quid denique vtilius in totius vitæ humanæ cursu, quàm propositis vitæ innocẽti præmiis atque laudibus, omnes nostras actiones ita instituere, vt cum legibus ipsis consentiant, ab harum norma ne minimum quidem discedãt, vel inflexo in hanc, vel illam partem cursu, à vero tramite aberrent? Cuius certè institutæ meæ orationis seriem longiori, quod aiunt, filo prosequerer, nisi me plura dicere volentem admoneret temporis ratio, & cum quibus viris mihi negotium esset, satis probè intelligerem. Supersedebo igitur in præsentiarũ, ac si quid sit in me virium, & eloquentiæ, quod quàm parum sit, facilè intelligo, reseruabo hæc omnia ad Reip. nostræ, adeoque vestrum omnium salutem ac meliorem temporis commoditatem. Hæc oratio cùm attentis auribus magnoque silentio atque assensu ab omnibus decuriis, ac tribus, adeoq. à Patribus ipsis cõscriptis, esset admissa, & excepta, orator ipse de more antequam suggestum publicum desereret, pauca in sui commendationẽ præfatus, summo cum honore per præconem publicũ suo loco restitutus fuit, ac tandem senatus ipse dimissus atque solutus. Verùm, postero die cùm res arduæ adhuc Patres conscriptos perplexos tenerent, de more in curiam conuenêre, ac per suffragia seueriſſimo edicto graui senatus consulto confirmato, hoc vnum enixè dedêre operam, ne deinceps ex simili peccandi licentia corruptelæ alerentur, vel propagarentur, magno medius fidius & prudenti cum consilio, nec minori iudicio. Quippe cùm nihil in ipsis ciuibus perniciosius excogitari, vel reperiri possit, quàm peccandi cupiditatem impunitate & licentia confirmare. Itaque composito vtcumque pro temporis conditione ciuitatis statu, Senatus cùm putaret omnium tumultuum atque seditionum ansam esse sublatã atq. extinctam, reuocata veteri disciplina, togati longè tutius quàm antea, versabantur. Verùm in ipsa vrbe breui postea emersêre noui perturbatores, qui sacra profanis commiscentes, nihil non audebant, & subinde nouis turbis excitatis, Remp. ipsam in maximum discrimen adduxêre ac implicarunt, adeò medius fidius, vt cùm Consules, omnia vi, atque armis fieri viderent, & quemque eò esse securiorem, quò plures satellites & sicarios penès se haberet, veriti, ne si ad constituendos mores & turbas tollendas, quarum præcipui Fulco Iustinianus & Orolandus Aduocatus auctores erant, maximum vitæ periculum adirent, si inermes per vrbis regiones versarentur, cohortem prætoriam trecentorum ferè militum, aliamque validissimam manum sibi compararunt; & postquam vrbanas seditiones ac simultates repressissent, in agrum suburbanum egressi, quæstiones de commissis maleficiis seueriſſimas habuerunt, eosque, qui criminis conuincerentur, capite damnabant, vel, si plura scelera admisissent, exquisitis tormentis in eos animaduertebant. Deinde ad vrbana mala penitus tollenda conuersi, ciues omnes iurisiurandi sacramẽto adacti sunt, & sese vltrò obstrinxêre, in posterum legibus atque Magistratus præceptis se enixè citra aliquam exceptionem obtemperaturos. Ceterùm, inter discordias ciuiles componendũ, magna Patres ipsos difficultas torsit, quòd multi, præsertim ex nobilitate, in tanta omnium dissensione sẽ singulari certamine & ad mutuum duellum prouocassent, nec sine ipso inuicem in gratiam redire saluo honore, se posse

Gliscẽtes tumultus intestini Coss. prud. repressi.

asseuerarent. Qua re cognita, negotio ipso in consultationem vocato, nullæ potuerunt commodæ iniri rationes, quibus huic malo occurri posset, præter vnam, quòd nimirum de omnium consensu aream in platea Episcopali in speciem parari ipsis pugnaturis præceptum fuit. Interim, neque etiam precibus propinquorum & affinium, tantam humani & ciuilis sanguinis effusionem deprecantium, simulata quadam animi pertinacia & obstinatione adduci potuerunt, quin pugilæ auidos committerent. Verùm, postridiè consilio conuocato, non ita longè ab ipsa palæstra pugillari Patres consedêre, atque eò Ioannis Baptistæ reliquias, permittente ipso Antistite, perferri iussêre. Quibus peractis, cùm Archiepiscopus, & Consules, certatim quisque per se factionũ Principes rogarent, ac summis precibus instarent, vt familias suas simultatibus, ciuitatem dissidiis ac cæde liberarent, ægrè impetrare potuerunt, vt suas iniurias ipsi Præsuli, & Consulibus totius ciuitatis nomine rogantibus condonarent, adeò vt potius religione, factionum Principes, qui in iras implacabiles exarserãt, quàm tantorum virorum precibus inflecterentur. Exinde Consulibus accreuit multum existimationis ac dignitatis, & maior deinceps authoritas attributa atque habita. Hæc ferè gesta sunt sub annum millesimum centesimum vndeseptuagesimum. Ceterum, octennium ferè postea, cùm Ioanna Henrici Britanniæ regis filia Gulielmo Siciliæ regi desponsata esset, in profectione Sicula Genuam etiam diuertit, ibique magno cum apparatu, atque non citra optimæ in illam voluntatis indicia & clara argumenta à senatu honorificentissimè excepta est. subsequenti verò anno Fridericus Imperator cum Beatrice coniuge sua & filio Henrico Parma profectus Genuam venit, ibique aliquot dies commoratus, & summa liberalitate, amplissimisque donis prosecutus, Mediolanum contendit, magna cum senatus Genuensis satisfactione. Nam, antequam vrbem excederet, nihil habuit antiquius, quàm Reip. immunitates & priuilegia iterum confirmare & constabilire. Quo ferè tempore Genuenses cõsimili hospitalitate atque magnificentia Ludouici Galliarum regis filiam ad se transuectam, excepêre, & ad Alexium Emanuelis Byzantini Cæsaris filium, futurum eius cõiugem, Constantinopolim, instructis triremibus, deuehendam procurauêre. Quibus certè meritis, magnam apud omnes Principes gratiam sibi parauerunt. Verùm, non ita multo pòst, in vrbe eiusque agro suburbano ciuiles iterum simultates atque dissensiones auctore Fulcone Iustiniano, cuius proximè mentionem habuimus, excitatæ, & exortæ fuerunt. Is enim familiæ suæ Princeps, quietis atque otij impatiens, extincto priore otio quod cum Aduocatorum gente habuerat, graues discordias cum Cortenellæ vrbis ciuibus exercuit; vtque illos maioribus damnis afficeret, cum Aduocatis prioribus & veteribus suis aduersariis, nec non cum Ventorum familia fœdus icit, & nouas necessitudines coniunxit. Et si verò consules, ac plerique optimates magnam darent operam, vt publicæ paci consuleretur, neque ad vetera odia recurreretur, tamen nunquam fieri potuit, vt conciliatis animis, inuicem in gratiam redirent: sed acerrimis odiis sæpius inter se decertarunt. Et cùm in ipsa vrbe conserendi manus nulla facultas daretur, vtriusque factionis Principes cum suis clientibus in suburbanum Bisamni propinquum, ad dirum & cruentum certamen confluxerunt, eo certè euentu, vt plerisque illorum vtrinque interfectis, tandem ipsi factionum Principes progressu temporis in mutuam gratiam venerint: nec maior securitas, vel tranquillitas in ipsa vrbe ostendebatur, nouis subinde erũpentibus odiis, & factionibus, quibus tam manifestè certatum & grassatum est, vt

Fridericus cùm cũ uxore Genuam uenit.

est, vt Lanfrancus Turcius, vulgò de Turca dictus, vnà cum plerisque aliis scelestis hominibus, ob priuatas inimicitias & discordias Augelerium Vsusmariũ, virum consularem, trucidare nõ fuerit veritus: quod scelus in ipsa vrbe magnas turbas dedit, adeò vt nobilitas & populus in Cõsulum gratiam antiquatis omnibus discordiis atque odiis, hac potissimum de causa in mutuam beneuolentiam coiuerint, vt tam nefarium flagitium, tantíque Consulis mors seuerissimè vindicaretur & expiaretur. Proinde cùm parricidà cum suis sicariis in fuga elapsus esset, constitutum fuit, vt illorum domos, qui Consulari sanguine manus fœdassent, solo ad posteritatis memoriam æquarentur, & bona omnia fisco adiicerentur; ipsi verò proscriberentur, ac vbicumque agerent, pro nefariis & scelestis haberentur. Ceterum compositò ac sedato Reip. vrbano statu, sublatisque discordiis & controuersiis, quæ mirum in modum tranquillitatem publicam interruperant & conturbarant, summa prudentia senatus factum fuit, vt subsequentibus annis Genuæ non solummodò domi pacata essent omnia, verum etiam foris illius status mirificè floreret & augeretur. Sed pristinæ tranquillitatis perturbatores hanc vrbis felicitatem non tulerunt, atque otij fructũ optimo cuiq. inuidêre, ita vt excitatis subinde nouis studiis, populus ipse distraheretur, & inter se valdè discordes, & publicæ, vt diximus, quietis impatientes, nouã gubernationis formã contentiosè expeterent, summaq. cũ importunitate Patres cõscriptos ea de causa defatigarẽt. Igitur anno eiusdẽ sęculi nonagesimo, 1190. Raimundo Fressia, Morino Rodoani filio, Simone Vento, Ida Carmandino, Lanfranco Peuere, Henrico Picamilio, Othone Iustiniano, Bonifacio Vgerio, Vgone Alberigo, & Ialone Iusto Coss. cùm senatus videret populi pertinaciã, simulque animaduerteret, nouorum studiorum auctores non ita facilè ad morum seueritatem & modestiam reuocari posse, nisi certa temporis ratione ac temperamento, conuocatis in curiam omnibus ordinibus, atque habitis centuriatis comitiis, Senatus consulto decretum est, vt Prætori externo totius Imperij summa permitteretur; & primus, quem ciuitas ea dignitate ac titulo insignitum vidit, fuit Manegoldus Terocius Brixia oriundus. *Genua sub externo Prætore.* Ceterùm & si ob graues Consulum dissensiones, illum proximo anno accersiri placuerit, nihilominus tamen aliorum Prætorum posteà subsecutorum electio, nisi post triennium continuata est; siquidem medio illo tempore, denuò, vti sæpius contigit, Consules cum supremo imperio ac potestate creati fuerunt. Huius verò instituti præcipua & intima causa, maiori ex parte ipsorum Consulum ambitioni & æmulationi, cùm inuicem cedere, vel obtemperare nollent, proculdubiò accepta debetur. Nam cùm hæc ciuitas, vti anteà dictum est, progressu temporis immensis opibus ac populorum frequentia & numero mirificè excreuisset, populares, honoribus ac dignitatibus plus iusto inhiantes, minimè committendum putabant, vt Consules eo, quo diximus, modo crearentur, præsertim cùm putarent, sibi ea ratione aditus ad honores capessendos obstrui ac impediri. Quarè cùm vnicum remedium ostenderetur, ad illud confugiendum, licet per se ignominiosum esset, existimarunt, cùm in primis maiorem Reipub. quàm priuati dedecoris habendam esse rationem sibi persuaderent. Itaque ex communi Patrum decreto sancitum & constitutum fuit, vt externorum Prætorum electio fieret, penes quos per spatium vnius anni, duorum, vel trium, prout scilicet senatui expedire videretur, totius Reip. regimen atq. administratio consisteret, ea tamen cautione adhibita, vt interim, tam ciuilium, quàm publicarum rerum causa, Consules minoris auctoritatis, & certorum

nobilium numerus, qui eis, ceu perpetui collegæ, ac socij in gubernatione adessent, substituerentur. Ab huiusmodi autem administrationis genere subinde, prout nempè ciuium animi hos, vel illos effectus induerant, & in varia distrahebantur, variatum fuit, & interdum ad pristinæ gubernationis formam recursum, adeò vt temporis decursu ipsi Prætori externi iudices, quorum consiliis in rebus arduis & perplexis vteretur, sæpiùs adhibiti fuerint. Hæc summatim ac breuiter in præsentiarum de Rectoris creatione recensuimus. At breui pòst, ciuitas internis odiis mutuisque simultatibus tantoperè iactata est, vt nulla ferè fuerit familia, quæ nouis factionibus & turbis aliqua in parte nõ polluretur, & præter Ingonem Flessium, Augellerium Marium, & plerosque alios egregios ciues deque patria optimè meritos, à nefariis ac perditissimis hominibus circa hæc tempora contrucidatos, etiam Lanfrancus Peuere familia genitus, vir consularis, alioquin, vt multi arbitrantur, nouarum rerum studiosus, postquam cum Castellanorũ familia, quæ postmodum in Iustinianos transijt, diu acres inimicitias exercuisset, tandem à tribus eius familiæ, quorum duo Fulchini, tertius verò Gulielmus dicebatur, quàm miserrimè interemptus fuit. Hęc enim familia, cùm magnis opibus ac potentissimis clientelis esset subnixa, plus sibi iuris & auctoritatis, quàm reliqui, in vrbe sibi arrogabat, sic vt non vereretur per summam insolentiam debacchari, & optimo cuique insidiari, tanta cum omnium bonorum indignatione, vt Magistratus ipse illorum ausus atque conatus vix reprimere atque compescere posset: adeoque erant intolerabiles, & in omnes iniurioси, vt Præses ipse paulò antè ad id muneris assumptus, cùm de auctoribus admissi sceleris cogitare vellet, atque pro causæ factique cognitione pœnas erogare, Fulconem Castellanum totius familiæ Principem in ius vocaret, ipsius potissimum suasu atque instinctu accidisse, eo certè euentu, vt excussis atque penitius introspectis meritis causæ, Fulco publica sententia damnatus fuerit. Sed cùm fuga capitalem pœnam declinasset, tandem eius domus ac ædificia omnia diruta & solo æquata. Nec solummodò Castellana familia siue Iustiniana, pleriſque aliis ex præcipua nobilitate sibi associatis, multas in Repub. turbas dedit; sed habuit multas sibi hac in re pedisequas, quæ pari modo illam miris studiis atque artibus perturbarent, & perplexam tenerent; inter quas, primas sibi vendicarunt Curiales, aliàs de la Corte, dicti, gratia & opibus ea itidem tempestate potentes, qui cum ipsis Iustinianis, ac etiam Cataneis varias inimicitias exercebant, tanta cum audacia, vt spreta omnium legum & magistratus reuerentia, & auctoritate, in plurimis locis extra vrbem, cùm in ciuitate id commodè fieri nequiret, varios conflictus haberent, plurimæq. cædes vtrimque committerentur: quibus omnibus Consules nulla ratione obuiam ire poterant, nec impedire, quò minus illorum causa grauissimi tumultus & ingentes perturbationes cum magno totius Reip. detrimento ac publici boni iactura passim exorirentur. Quorum sanè temeritati cùm pleræque aduersæ familiæ ex præcipua nobilitate vellent omnibus viribus reniti atque resistere, multò maiores motus subsequebantur: eoque tandem deuentum erat, vt cùm nulla ratione reprimi vel restingui possent, omnia aperto Marte agerentur, omnibusque legibus dignitas & auctoritas prorsus abrogaretur, adeò sanè, vt Curiales in contemptum ipsius Senatus, tres Consules, scilicet, Ioannem Aduocatum, Rubaldum Curialem, & Henricũ Embronum, qui suas partes ac studia foueret, sibi priuata quadam arrogantia & auctoritate eligerent. Ceterùm, in tanta rerum omnium confusione, tamque deplorando Reip.

do Reip. ſtatu peropportunè, ac omninò diuinitus, accidit, vt ijſdem fermè diebus Marcoaldus Henrici Cæſaris dapifer Genuam appuliſſet. Hic enim, vbi primùm Fridericus cognomento Aenobarbus, eius pater, è viuis ſubtractus eſſet, nihil prius atque antiquius habuit, quàm vt præter cetera, Tancredum Gulielmo Siculorum regi ſuffectum & ſurrogatum, regno deturbaret. Proinde cùm haudquaquam ignoraret, quantū Reſp. in ea expeditione ſibi emolumenti afferre poſſet, ſtatim Othonem Antiſtitem Rauennatem, & Arnaldum Strettum Placentinum, legatos Genuam miſit: quorum legatione audita, Senatus viciſſim Hugonem Cataneum, & Idonem Picium ad Cæſarem ablegauit, eiuſque poſtulatis benigniſſimè aſſenſus eſt. Triennio pòſt, anno ſcilicet milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, rurſus nouam legationem per Marcoaldum, cuius proximè mentionem fecimus, ad eundem habuit. Cùm enim ipſe plurimum auctoritate & conſilijs apùd omnes Imperij ordines valeret, illum primò quidem ad varios Principes, & mox ad Genuenſ. ablegauit, vt inter cetera, quæ in mandatis habebat, expeditionem naualem, prout Ligures ſe facturos receperant, ſedulò expedire curaret, ita vt cùm ipſe legationem Genuæ ſubiret, ipſius opera & auctoritate ciuilis illa licentia & domeſticæ contentiones maiori ex parte ſuppreſſæ & conſopitæ fuerint, cùm præſertim Ligures iuſtis auxiliis & non contemnenda claſſe ipſum Cæſarem, hoc à Senatu mirum in modum efflagitantem, adiuuare decreuiſſent. Qua expeditione detenti, multi domeſtica arma in exteros, magna cum ſui nominis laude, nec minori patriæ beneficio, contulêre. Nam cùm Genuenſ. populus otij ac tranquillitatis ſit impatiens, bene, cùm illorum Repub. agitur, ſi arma & vires, quibus ſubinde in perniciem patriæ abuſi fuerunt, in exterum hoſtem conuerterent ac detorquerent. Vt verò deinceps commodius omnia domi foriſque gererentur, ſenatus cōſulto, ac etiam Cæſariani oratoris ſuaſu, nouus Prætor deſignatus fuit, nempè Vbertus Oleuanus nobilis Papienſis, vir manu conſilioque promptus, cuius fides, virtus atque induſtria plurimum ſanè ipſi Reipub. profuit. Interea temporis, Reſp. vt Cæſari obſequeretur, pro Neapolitana & Sicula expeditione validiſſimam claſſem ductu Prætoris, recèns omnium ſuffragiis atque ſententia electi, qui Draconem Gambolum Genuæ in ſuum locum ſubſtituerat, Marcoaldo Cæſaris, vti diximus, legato, & Marchione Montferratenſi comitantibus, emiſit: breuique pòſt effectum eſt, vt Gaeta deditione occuparetur, indeque, relictis prius in ea ciuitate Beltrabo Selimbono rectoris iudice, & Othobono Reip. ſcriba, qui à Gaetanis iuramentum ac fidem acciperent, & mox Neapolim verſus nauigatione ſuſcepta, illuc die, qui D. Bartholomæi feſtum præcedit, appulerunt, breuiq. temporis ſpatio conſimili fortunæ abblandientis aura, Neapolim vnà cum finitimis inſulis receperunt. Deinde Cal. Sept. proſpera nauigatione Meſſanam peruentum, ibique atrociſſimum bellum inter Ligures ac Piſanos cum magna vtriuſque gentis clade redintegratum: quo quidem tempore, Prætor in aduerſam valetudinem prolapſus, haud multo pòſt, vita exceſſit. in cuius locum Otho Carretus, pari cum dignitate ſubſtitutus fuit, ſub quo Catania & Syracuſa partim vi, partim deditione occupata, & tandem Panhormus vnà cum arce ſecūdis fortunæ auſpiciis recepta. Dum hęc in Sicilia feliciter geruntur, Senatui populoque Genuenſ. legatos ad Emirmumenim Numidiæ regem mittere placuit, eaque de cauſa Vbertus Nigrius & Gulielmus Zerbinus, præclari viri, atque longo vſu rerum periti, delecti fuerunt, qui communi Reipub. nomine cum illo fœdus ac ſocietatem iniuerunt.

Nouus Prætor.

Genuenſ. & Piſani adſunt Henrico Imp. in oppugnanda Sicilia.

Bellum inter Genuenſ. ac Piſ redintegratum.

Fœdus Gen. cum rege Numidiæ.

Pro-

1192. Proximo anno, ſcilicet eiuſdem ſæculi nonageſimo ſecundo, & duobus ſub-
ſequentibus, ciuitas Conſulari auctoritate atque imperio recta & admini-
1193. ſtrata fuit. Quo tempore exacto, de communi Senatus conſulto Iacobus Mai-
1194. nerus patria Inſuber, Præſes deſignatus, & poſt illum Drudus Marcellinus &
ipſe Inſuber, vir pacis belliq́ue artibus egregiè inſtructus atque ornatus, ſub
1195. quo publicis Patrum ſuffragiis decretum atque ſancitum fuit, vt ipſi Prætori
quotannis octo ciues adhiberentur, qui vnà totius Reip. redditus & impenſas
1196. diligenter cognoſcerent, ſimulq́ue vectigalium, armamentorum, reiq́ue naua-
lis & aliarum rerum ad Reimp. pertinentium, curã ac regimen ſuſciperent. quo-
rum quidem nomina hęc fuerunt, ſcilicet, Hugo Embriacus, Nicolaus Iecan-
ceus, Ingo Longus, (hæc autem familia in Iuſtinianos tranſijt) Gulielmus For-
narus, Belmuſtus Iercarus, Montanarus Auria, Gulielmus Nigrius, & Anſal-
mus Guaracus: in cauſis verò ciuilibus & forenſibus, Rogerius Nelius, Phi-
lippus Cauaroneus, Simon Iecanceus, Opicius Guercius, Gulielmus Panerius,
Gulielmus Rotius, Vbertus Porconus, & Ido Baldizonus, Conſules renuncia-
ti. Sub huius optimi ac præclariſſimi rectoris adminiſtratione, præter cetera,
contigit, vt Piſani occultè mitterent, qui Bonifacium oppidum in Corſica re-
pentino motu adorirentur. Qua quidem re per ipſum Marcellinum comperta
& intellecta, eueſtigiò illorum auſus frangendos eſſe cenſuit, & aliquot naues
ea de cauſa inſtructas, aduerſus eos educendas curauit. Quod quidem cùm pri-
mùm illis innotuiſſet, nulla mora interpoſita, ſeſe illinc Sardiniam verſus pro-
ripuerunt. At Præſes, qui claſſi cum imperio præerat, tanta celeritate in præoc-
cupandis hoſtium ſtudiis vſus eſt, vt, relicto Bonifacio, ſtatim ad Callarim, qui
locus eſt in Sardinia, quò per fideles ſpeculatores hoſtem iuiſſe compererat,
adnauigarit, ibiq́; licet Piſani Liguſtica potentia deterriti, fugam capeſſerent,
& hinc inde circumuagarentur, copias ſuas in continentem expoſuit, & cum
Marchione Gulielmo, qui Caralitanam toparchiam vi inuaſerat, prœlio haud
ſemel decertauit: eoq́ue tandem ſuperato, Bonifacium rediit, vt illud valido
præſidio firmaret, rebuſq́ue in vtraque inſula proſperè ac ex voto geſtis, Ge-
nuam ouanti ſimilis reuerſus eſt. ſed poſtquam decurſu temporis, Piſanis vnà
cum viribus audacia excreuit, importuna nauigatione omnia infeſtantes, nihil
prius habuerunt, quàm cum hoſtili claſſe concurrere: quorum optatis cùm ex
occaſione temporis plenè ſatisfactum eſſet, magna cum vtriuſque partis clade
naumachia commiſſa fuit, ſicuti hæc omnia ſuis locis ac temporibus enarra-
buntur. Poſt quarum rerum ſucceſſum cùm Prætor, rebus, vti diximus, benè
ac feliciter peractis, Genuam poſtliminiò rediiſſet, in ciuitate multa omninò
præter ſpem & voluntatem accidiſſe reperit, quæ & legibus valdè repugnarent,
& publicæ quietis ſeruum mirum in modum incideret. Ido quippe Cataneus,
ſiue, vt aliis placet, vnus ex ipſius liberis, vir factioſus, & nouarum rerum cu-
pidus, nonnulla Reip. ſtatuta & ſanctiones recèns contra omnem æquitatem
violauerat, ac multa bono viro & tranquillo ciue indigna commiſerat, adeò vt
Prætor hac de cauſa ipſum ad ſe continuò accerſiri iuberet. Verùm, cùm ille
dicto audiens non eſſet, iuſſit Præſes, vt domus eius exciſa funditus euerteretur.
Quo ſanè facto, licet à pleriſque improbato & damnato, tamen hoc aſſecutus
eſt, vt tali ſub exemplo optimatum arrogantiam & faſtum aliqua in parte co-
hiberet, qui eò vſque deuenerant, vt ob deprauatam viuendi conſuetudinem
1197. ægrè legibus & magiſtratibus obedirent. Tranſacto anno, quia ſeſe in Prætu-
ra non minus prudenter, quàm fortiter geſſerat, rurſus in eadem dignitate ac

mune-

munere confirmatus est, qui statim sub initio suæ confirmationis publico edicto magnificentiam & sumptuositatem intolerabilem inhibuit, ac priuatorum ciuium turres, aliaq; laqueata ædificia, in ordinem, depressione facta, redegit, præsertim cùm per leges non liceret vltra octoginta pedum altitudinem ædificia attollere. Pari seueritate in alios præcipui ordinis viros vsus est, qui impotentia animi eò lapsi erant, vt dominandi libidinem non obscurè præ se ferrent, & inter reliquos, in Nicolaum Auriam absentem seuerè animaduertit, qui contra publicum edictum atque patrias leges priuatim cum multis nauigiis in Siciliam adnauigarat, eaq. propter, illius ædificia pari modo destrui ac euerti iussit. Verùm Auria reuersus, cùm potentia, stirpisque antiquitate valdè floreret, ratus huiuscemodi contumeliam non esse ferendam, vel pro dignitate sua aliquo modo dissimulandam, cum armata manu in Rectoris palatium contendit, & ibi irruptione facta, omnia variis cædibus complebat: sed beneficio pontis cuiusdam ad euitanda pericula, vt aliqui putant, ab ipso Præside constructi, saluus & incolumis illius manus euasit, & ita sese clanculum ad ædes Archiepiscopi è regione positas subduxit, magnoque cum animi ardore & impetu Auria ipsius Præsulis ædes occupare annixus est; quod profectò assecutus fuisset, nisi à promiscua plebe subitò ad tantum spectaculum prouocata, impeditus ac strenuè repulsus esset. Tandem Auria suorum intercessione inflexus, cum Prætore, mitigatis animis, in gratiam rediit. Postero anno, nempe ciusdem sæculi duodecentesimo, sub Alberti Mandelli ciuis Mediolanensis Prætura, Pisani suapte natura inquieti, & occasionum haud segnes, cùm viderent, præter ciuiles contentiones & vrbanas simultates, etiam pleraque municipia, præsertim in ora Susiniana orientem Solem spectantia, ratione feudorum, quorum cognitio ad Senatum Genuensem spectabat, indies tumultuari, & turbas ciere, nequaquam sibi quiescendum statuêre, existimantes, opportunitatem ex temporis occasione sibi esse datam, vt solicitatis ad defectionem turbarum & tumultuum auctoribus, ipsi, Lunensi portu, in primis suis rebus idoneo & opportuno, potirentur. Verùm ipsorum consiliis atque votis nulla ratione fortuna respondit: Quando quidē, vt primū id ad Genuensiū cognitionē peruenit, citra aliquam temporis cunctationem ex Senatus cōsulto præualidum præsidiū eò destinatum fuit, breuiq; pòst, in suburbanis tectis cū hoste congressi, & vbi aliquandiu vario atque ancipiti euentu pugnatum esset, tandem victoria ad Ligures inclinauit, plerisque ex parte aduersa vulneratis, atque aliis interfectis. Quo factū est, vt, cùm essent viribus & fortunæ prosperitate destituti, desperatis quodammodo rebus, nonnulli eorum ex præcipuis ad vrbem eo consilio accederent, vt supplices veniam implorarēt, quam certè pro senatus solita humanitate, non citra tamen aliquam pœnæ irrogationem impetrarunt. Per idem fermè tempus, etiam in Insubriæ finibus Liguribus conterminis, tumultuatum fuit. Nam cùm Insubres plerisque in locis imperij sui fines proferre ac dilatare cuperent, hoc vicinæ vrbes, quæ licet mira inconstantia & propensionis volubilitate in diuersum traherentur, ita vt interdum pro Cæsare, interdum verò contra ipsum starent, quàm ægerrimè ac molestissimè ferebant, & in primis quidem Derthona & Alexandria, quæ vrbes Ligutribus finitimæ, potentiam eorum magis quàm ceteræ, reformidabant. Verùm, cùm interea indigenæ Tassaram Ligustici imperij oppidum, sibi contiguum, summa astutia, aliisque malis artibus occupassent, populus Genuensis de re tam atroci ac repentina certior factus, illuc statim cum aliquot militū

Turres Genuæ iussu Prætoris depressæ.

1198.

Genuens. victoria.

manu-

manipulis Prætorem ablegauit, eo consilio vt si omnia hostiliter agi deprehenderet, oppidum ipsum obsidione premeret, ac non antea discederet, quàm deditione facta, recuperasset. Sed cùm præter spem oppidanos sic esse animatos reperiret, vt non solùm hostilem impetum fortiter ac strenuè ferrent, verum etiam cum summa alacritate & ardore illud defenderent atque propugnarent, plus temporis in ea expeditione absumpsit, quàm vnquam antea existimarat. Is tamen oppugnationis exitus fuit, vt tandem non sine vtriusq; partis cæde, præsertim propugnantium, denuò is locus in Ligurum potestatem rediret & reciperetur. Et quia multorum iniuriis expositus, subindè plurimorum telis impetebatur, & Reipub. propter graues sumptus ac intolerabiles expensas, inutilis reddebatur, communicatis in senatu super hoc sententiis, tandem decretum & statutum fuit, vt, oppidanis in coloniam deductis, & aliò transmissis, oppidum excinderetur. Paucis diebus interiectis, populus Vintimilius, sub nouo Prætore, videlicet Beltramo Christiano ciue Papiensi Genuæ substituto, excitata seditione, à Ligurum fide atque obsequio recessit: cuius rei fama vt primùm Genuam perlata est, protinus communi omniũ Patrum sententia sancitum est, vt coacto milite armis ad pristinam fidem & officium redire compellerentur. Ceterum, ea expeditio hunc tandem euentum sortita est, vt ob rem, minus prudenter exque militari disciplina & ordine administratam, infeliciter omninò succederet, adeò vt post duorum mensium oppugnationem, tandem infecto negotio, domum reuersi fuerint. His autem fermè temporibus, res Genuensiũ in Sicilia fortunam longè benigniorem expertæ sunt. Nam cùm Gulielmus Tornellus cum octo triremium classe à Rep. instructarum, in eam insulam secunda & prospera nauigatione transfretasset, eo quidem animi decreto, vt quendam maris prædonem ac piratam Ligustico nomini longè infensissimum, adoriretur, insigni victoria potitus est. Nam licet ipse pirata, pari nauigiorum numero instructus, reginæ Constantiæ, Rogerij Normanni filiæ quæ Henrico nupserat, gratia & fauore innixus esset, qua quidem fiducia se iuxta littus Panormitanum receperat, cum eo tamẽ conserto manibus, post longum & cruentum prœlium, tandem illum cum omnibus suis nauigiis in suam potestatem redactum, captiuum fecit, & mox in gratiam eiusdem reginæ liberum dimisit. cuius certè beneficij cùm Siculi reges memores essent, postea effectum fuit, vt Resp. quę ad ea ferè tempora cum Siculis magnas grauesque inimicitias & controuersias habuerat, statim post obitum Henrici regis, opera & auctoritate Nicolai Auriæ, in mutuam gratiam & amicitiam rediret: qui, haud multo post, cum non contemnendo nauigiorum numero in Siciliam profectus est, vt Liguſticæ classi ex Syria redeunti obuiam iret, atque præsidio esset: & sic in eam insulam appulsus, reginæque legatione exposita, tam ipsa, quàm omnes regni proceres, mirum in modum commodis & tranquillitati Reip. fauere cœperunt, præsertim cùm Genuensiũ operam & studium sibi quàm maximè opportunum ac vtile intelligerent: faciliqué negotio impetrauit, vt sublatis omnibus controuersiis atque aliis simultatibus, omnes Ligures in vinculis ibi asseruati, cõtinuò pristinæ libertati restituerentur, & in posterum omnes immunitates ac solita priuilegia locum pristinum sortirentur.

Vintimilium frustra à Gen. oppugnatum.

Genuens. cum Siculis reconciliati.

LIBER

ANNO Christianæ salutis supra millesimum ducentesimo, Senatus decreto Orlandinus Malapresius Luca oriundus, Prætor designatus fuit, cui, exiguo pòst tempore, è viuis subtracto, Gulielmus Henricus eius vicarius successor datus. Consules autem iisdem diebus, Rugerius Helias, Amicus, & Balduinus Catanei, Philippus Cauaroneus, Gulielmus Pallus, Belmustus Lercarus, & Gulielmus Rozzinus, renunciati. Circa hæc tempora, cùm in Syria, à Memphitico rege, quem ipsi Sulthanũ vocabant, propter bella in Christiani nominis. Principes gesta, nonnulli Genuen. ex præcipua nobilitate in arcta custodia detinerentur, ad eũ Fulco Iustinianus vir, tametsi immodicus gloriæ, semperque animi inquies, singulari tamen prudentia & rerum gerendarum peritia insignis, cum amplissimis muneribus amandatus, eique à senatu seuerè iniunctum atq. imperatum fuit, vt eorum liberationem omni studio ac diligentia procuraret. Is itaque prospero ventorum afflatu illuc circumuectus, regem, tunc temporis Alexandriæ subsistentem, adiuit, & in familiare colloquium admissus, initiò haud sanè mediocrem spem concepit, fore, vt breui, rebus ex animi sententia succedentibus, ad suos remigraret. Verùm enim verò cùm id negotij præter spem atque opinionem magno cum suo aliorumque incommodo indies prorogaretur, veritus, ne nimia cunctatione, ob nouas bellorum faces tum à plerisque Christiani orbis Principibus in eum accensas, sibi in patriam redire integrum foret, Genuam quàm primum reuersus est, sub idem ferè tempus, quo in sinu Tunetano tres Pisanæ onerariæ, nempè Castellana, Diana, & Pauona, ab his, qui naui, vulgò Buccanigra, deuehebantur, expugnatæ fuerunt, & multis armamentis ac pretiosis mercibus onustæ, Genuam perductæ. Anno eiusdem sæculi vno ac ducentesimo, vnanimi senatus voluntate Gulielmus Embriacus, Nicolaus Cataneus, Iordanus Richerius, Gulielmus Guercius, Nicolaus Auria & Guido Spinula Coss. designati, sub quibus octo triremes, duce Nicolao Auria, pro earum nauium, quæ variis mercimoniis refertæ, è Syria expectabantur, præsidio ac securitate, instructæ ac eductæ fuerunt: isque secundis ventis in Siciliam delatus, pacem cum Regni proceribus constabiliuit, & in reditu tantum auri, argenti ac gemmarum secum attulit, vt hæc omnia mille & quingentarum librarum summam adæquaret: eaque pecunia in publicum ærarium congesta. Iisdẽ quoque temporibus, Leo Armeniæ rex in vniuerso suæ ditionis regno, & Cilicia, quæ etiam sub illius imperio tenebatur, multas immunitates Reip. concessit, & præter ceteras, vt Ligures in vrbe Sisa, Malmistra, & Tarso, templum, vicum, publicam domum, quam ipsi Fundicum vocant, ac etiam priuatum forum seorsum haberent. quod sanè priuilegium adhuc in archiuis Senatus illæsum atque integrum adseruatur. Initio proximi anni Guifredottus Grassellus patria Insuber, ad Prætura promotus, cui ex S. C. quatuor ciues singulari prudentia & fide conspicui, quorum præcipua cura & administratio circa publicorum reddituum & impensarũm rationem versaretur, adhibiti fuerunt, scilicet, Nicolaus Cataneus, Gulielmus Tornellus, Belmustus Lercarus, & Henricus Nigrius: At pro causis forensibus, quatuordecim Coss. designati, sub quorum præfectura, & gubernatione, Albertus, Gulielmus, & Rainerus, Gulielmiq. filij, Gauij Marchiones, Gauium oppidum & arcem, omniaq. loca finitima suæ ditionis, pro quatuor librarum millibus Reipub. dicendiderunt,

1200. *Legatio ad Sulthanum.*

1201. *Nicolaus Auria.*

1202. *Loca Genuens. diuẽdita.*

omniaque sua iura in eam transtulêre, ipsique, præter acceptam pecuniam, in
1203. patriciorum ordinem cooptati, atque vrbe donati sunt. Sequenti anno, Senatus eundem Prætorem habuit, eique rursus quatuor nobiles, ceu fidissimos consiliarios, attribuit; videlicet, Gulielmum Barcam, Othonum de Cruce, Idum Carmandinum, & Guidonem Spinulam. Consules autem, pari numero, vt superiori anno, designati, sub quibus, præter cæteros, indigenæ Vallis Arociæ sese vltrò Reip. tutelæ atque obsequio permisere. Cùm verò hac tempestate, Genuæ, more solito inter Nobilitatem, & Popularium partium studiosos, propter politici status administrationem nouæ simultates ac dissidia exorirentur, non defuerunt etiam priuatæ contentiones ac iurgia, ne aliqua in parte scilicet, Reipub. tranquillitas consisteret: quibus postmodum factum fuit, vt Cataneis

Sorleonis Peueris instigatu.

instigantibus, ac ea in ciuitate opibus & dignitate florentibus, Sorleo Peuer suæ familiæ præcipuus, per insidias interfectus fuerit. simulque grauissimæ turbæ & molestissimæ commotiones, præsertim inter Aurios, Cassicos, & Malinfantes, datæ & excitatæ fuerunt. Et quamuis qui rerum gubernaculis admoti erant, omnibus modis & viribus eas restinguere & componere niterentur; tamen post desudatos multos labores, res ipsa irrita & nequicquam attētata fuit, sic, vt citra aliquam temporis intermissionem ad arma furenter concurrerent, atque acerrimis odiis inter se dimicarent. Nec statui poterat aliquis controuersiis & dissensionibus finis, nisi summa prudentia & authoritate Prætoris effectum fuisset, vt, reuocatis eorum animis, tandem post multam cohortationem ab eis impetrasset, vt derelictis tandem perniciosis Reip. studiis, arma dexterasque ad salutem patriæ reseruarent, præsertim cùm ex temporis occasione Resp. ipsa illorum opera mirum in modum indigêret in præsenti expeditione, quam contra occidentalis Liguriæ oræ populos nuper temeraria defectione alienatos, susceperat. Sauonenses enim, inter reliquos, qui à reuerentia Reip.

Multæ ciuitates à Genuens. deficiunt quæ mox in gratiã receptæ.

desciuerant, omnium primi extiterant, qui post multas difficultates superati, tandem ad pristinam fidem atq. obseruantiam cum cæteris redacti sunt, multis interim captis, qui turpis defectionis primarij authores fuerãt, in quos seuerè, vt par est, animaduersum fuit. mox in Tabianos arma sunt cõuersa, & illorum arx, alioquin munitissima, diruta, totusque ager deuastatus. Quibus exemplis & rebus gestis cõmoti Albingauni, qui summa cum animorum pertinacia Ligusticum imperium detrectauerant, vltrò sese submissis animis pristi-
1203. næ Genuensium potentiæ atque fidei submisêre. Postero anno, Prætura in eundem collata fuit. quo quidem tempore Flandriæ Comites cum Venetis, Co. S. Pauli, Bonifacio Marchione Montferratensi, & plerisque aliis Christianis proceribus fœdere simul iuncto, Byzantium occuparunt: & cùm

Byzantiũ à Christianis occupatum.

Veneti in eius vrbis expugnatione, quorundam Diuorum reliquias, nec modicam crucis Dominicæ partem nacti essent, eamque cum nonnullis aliis mercibus Venetias transmisissent, nauis, qua hæc omnia deuehebantur, à duabus Ligusticis triremibus duce Bondelio intercepta est, ac direpta, & inter cætera, ipsius S. Crucis particula Genuam delata: quod sanè Venetorum animos ad maximam indignationem concitauit, missique Genuam qui ablata repeterent; cùm de his restituendis, nulla, vel certè perexigua ratio haberetur, ob id, & pleraque alia, nouæ rixæ ac bellorum semina inter vtramq. gentẽ exorta sunt, Pisanis interim hac de causa non mediocriter in gaudiũ & lætitiam effusis, qui vtriusq. partis æmuli, hoc vnum in primis studebant, vt subindè hæc odia & simultates vehementius, ceu admotis facibus, incenderentur. Ceterùm, licet

inter

inter ipsos ac Genuenses aliquandiu ab armis temperatum fuerit, nihilominus tamen consistentibus ac durantibus indutiis, sub eodem prætore in Sardinia, Galliaque Narbonensi, & plerisque aliis locis, non exigua detrimenta vltrò citroque variis temporibus illata sunt, & nonnulla nauigia vtrinque occupata: cuius rei vnicum exemplum, quod mihi nunc occurrit, obiter referam. Cùm Rico- 1204.
uerus Pisanus, pirata ea tempestate admodum celebris ac insignis, ob plurimas iniurias & contumelias in sinu Ligustico aliisque in locis, ipsis Genuensibus illatas, non mediocrem sibi gloriæ laudisque famã comparasset, Hugo Caffarus *Egregium facinus Hugonis Caffari.*
iuuenis excelsi animi ac spiritus, reique naualis supra ætatem peritissimus, mira quadam nominis propagandi cupiditate ac studio incensus, hunc prorsus adoriri atque inuadere constituit, missisque exploratoribus, vbi eũ cũ vnica duntaxat triremi in sinum Ligusticum delatum didicisset, hanc occasionem non deserendam ratus, nihil reliqui ad summam diligentiam fecit, quin statim illum paribus viribus sibi adoriendum statueret. Proinde sola triremi optimè instructa præteruectus, illi summa animi alacritate obuiam processit, & ad primum hostis prospectum, vt ventos haberet secundiores, dedita opera cœpit obliquè tergiuersari, ac postremò apertè retrogredi: quod postquàm à Pisano animaduersum esset, magna sui fiducia permotus, ad metum potiùs, quàm ad stratagema, tam repentinam fugam referebat. Sed vt Ligurem contra spem & opinionem, obuersis proris in se impetum facere conspexit, initiò haud parum exterritus, & mox animum colligens, suos ad certamen cohortatus est, simulque confligendi potestatem fecit: atque vbi longo certamine, varioque euentu acriter vtrinque dimicassent, tandem hostili telo transfixus, vnà cum vita triremim suã reliquit. Qua quidem re prosperè ac feliciter gesta, domumque cum præda reuersus, faustis omnium acclamationibus, ac summis etiam honoribus ab vniuersis Patribus & promiscua multitudine exceptus est, & ab ipso Senatu perliberali munere donatus, quòd patriam ab acerrimo hoste liberasset. Nec multò *Genuenses eodem tempore cum Pisanis ac Venetis bellũ gerunt.*
pòst, ex grauiss. Patrum consilio bellum non solummodò in Pisanos, Syracusas ex mera Friderici Aënobarbi Cæsaris liberalitate ac beneficentia populo Genuensi paulò antè donatas, occupantes, decretum fuit, verùm etiam paucis interiectis diebus, bellum pari consilij grauitate in Venetos magna mole restauratum; quod sanè temporis progressu plurimas calamitates & miras conuersiones vtrique populo attulit: sicuti postea separatim suo loco enarrabitur. In hoc rerum tractu, cùm vallis Arociæ atque Oneliæ indigenæ turpi & nefaria seditione excitata, à Rep. defecuissent, Prætor, cum expedita manu illos adortus, facilè debellauit, eosque ad pristinum officium atque obsequium redactos, propter damna & clades, cùm in ora maritima, tùm etiam in portu, vulgò Mauritij, Genuens. illata, mille libris multauit: simulque duas arces ab eis paulò antè erectas, vt sese in illas, cùm ita vsus ferret, ceu in tutissimum asylum ac refugiũ subducerent, funditùs excindi, ac solo æquari iussit. Illud verò hîc obiter haudquaquam silentio prætergundum videtur, mense Octobri eiusdem anni, atro nubium globo tantam cælitùs effusam grandinem, ac mare ita fluctibus & procellis vndiquaque agitatum fuisse, vt quatuor naues onerariæ ac eximiæ magnitudinis, videlicet Gazella, Regina, Dulcis & Falco, variis ac pretiosis mercibus *Quatuor naues vi tempestatis in portu submersæ.*
repletæ, violentia tempestatis portu in ipso perierint, licet postero die remittentibus ventis, & pelago mitiori effecto, aliqua illarum pars, tamesi nõ citra summum nautarum laborem ac difficultatem, recuperaretur. Idem annus graui igne vrbem affecit, deustis quàm plurimis ædificiis quę subito incendio conflagrarũt. *Incendium in vrbe.*

Sunt etiam haud contemnendi auctores, qui tradant, circa finem huius anni Regem Tarraconenſium Genuam appuliſſe: Ceterum, quæ huiuſmodi profectionis cauſa extiterit, ijdem, quod ſanè miror, nullam prorſus mentionem faciunt. Proximo anno, habitis comitiis, S. C. Fulco Iuſtinianus Præturæ dignitate inſignitus fuit, cui à ſenatu quatuor præſtantes viri, quorum opera & cõſilio in rebus dubiis & difficilibus, nec nõ in publicorũ redituũ ac ſumptuum ratione vteretur, nempè, Nicolaus Cataneus, Gulielmus Tornellus, Belmuſtus Lercarus, & Gulielmus Nigrius, adhibiti fuerunt, ſimulque ab eodem duodecim Conſules renunciati. Eodem anno, vt omittam quæ inter Ligures ac Piſanos contigêre, cùm de his ſuo loco ſpeciatim dicturus ſim, Comes Tripolitanus priuilegia & immunitates, quibus Reſp. hactenus in ea ciuitate ac etiam Antiochia, ob res præclarè ac fortiter geſtas, frui conſueuerat, denuò confirmari iuſſit; ipſique Ligures, ab omnibus portoriis & vectigalibus immunes redditi, & vicus, balneum, ac templum, ſicuti antea, conceſſum. Initio proximi veris, Præturam adeptus eſt Ioannes Struſſius, de cuius patria nihil certi apud veteres inuenitur, eique, præter Coss. in cauſis forenſibus, quatuor ciues, vulgò Conſules maris, ceu fidiſſimi ſocij & conſiliarij, videlicet Ogerius Scottus, Ido Carmandinus, Vbertus Vſuſmarius, & Iacobus Picamilius, adgregati. Circa hoc tempus, Genuę Senatus decreto quatuor triremes inſtructæ, quæ Reguli Montisferrati filiam Græco Auguſto deſponſatã, Byzantium deuexêre. Iiſdem quòquediebus, Henricus Manliacæ oræ Princeps, Reipub. amantiſſimus, & beneficiarius, Cretam inſulam Venetis ademit, eamque ſibi tributariam & vectigalem effecit. de quo ſanè fuſius ſuo loco explicabitur. Reſp. interim haud mediocre damnum perpeſſa eſt ob quatuor nauium iacturam, quæ Seutam verſus adnauigantes, in anguſtiis freti Herculei, vt vocant, naufragium fecerunt. At Prætoris & Conſulum iuſſu, octo triremes, ſicuti etiam octo aliæ præcedenti anno fabricatæ fuerant, pari ſtudio ac diligentia in commune beneficium exædificatæ. His rebus ita peractis, anno eius æui ſeptimo, externus Prætor creari deſiit, & præter ceteros, qui forenſes cauſas, & reliqua munia exercerent, pro Reip. adminiſtratione, ſex Conſules, nimirum Fulco, Fulconis Iuſtiniani filius, Lanfrancus Roſſus, Gulielmus Marocellus, Nicolaus Auria, Henricus Nigrius, & Vbertus Spinula, publico ſuffragio deſignati: qui vbi primum ad Conſularem dignitatem promoti ſunt, nihil habuêre antiquius, quàm, vt compoſito Reip. ſtatu, varia nauigia recèns fabricata, ſuis armamentis aliiſque rebus opportunis inſtructa, in promptu & ad manus haberentur. Et quia tunc temporis ratio expediendæ pecuniæ ſupra modum difficilis atque ardua videbatur, ipſi conſules, vltra decem millia librarum à ciuibus, tradita cautione ac ſecuritate, mutuò ſumpſerunt, & ſtatim ad viginti triremes, & quatuor longas naues, quas tunc Taridas vocabant, nũc Galeatias appellamus, ſimulq. vnam Sauonæ, alteram in portu Naulitano exædificari iuſſerũt, & vna etiam à Nicenſibus coëmpta: quibus omnibus egregiè inſtructis & præparatis, menſe Maio, dùce Nicolao Auria ſuſcepta fuit expeditio in Piſanos: de qua, etiam ſeorſum dicetur. Inſequenti anno, Senatus de vnanimi voluntate Gulielmum Embriacum, Othobonum de Cruce, Gulielmum Guercium, Montanarum Auriam, Gulielmum Nigrium, & Gulielmum Spinulam Conſules declarauit: ſub quorum regimine nonnullæ ad varios Principes legationes miſſæ, præſertim Repub. non ſolùm priuatis mutuiſq. ſimultatibus & diſſenſionibus laborante, verùm etiã externis bellis grauiſſimè implicita: quo quidẽ tempore Gulielmus Spinula, qui dudum antea in Ægypto & Syria cõmoratus fuerat, à Sulthano

1205.

Genuenſ. priuilegia in vrbe Tripoli.

1206.

Creta Venetis ademta.

Quatuor naues Liguſticæ naufragio amiſſæ.

1207.

1208.

thano Ægyptio, cum quo propter eximias animi corporisque dotes, haud mediocrem necessitudinem & familiaritatem contraxerat, euocatus est: cuius rei opportunitate Senatus, & collegæ vsi, inter cetera, quæ illi summa cum fide commiserunt, etiam iniunxêre, vt ad maiorem Reip. securitatem enixè daret operam, vt omnes controuersias ac lites inter Asiaticos, & Genuens. populum exortæ, ipsius regis auctoritate deciderentur & componerentur. In Mauritaniam verò ad Maroci ac Libyæ regem, nomine Muleimolinon, Nicolaus Cataneus, & Henricus Dietisaluus pari iudicio ac sedulitate ablegati, eo consilio, vt cum eo rege initis nouis fœderibus, vetera mutuæ amicitiæ iura vtrimque confirmarentur. Nam à paucis retroactis annis multę controuersiæ variis de causis inter ipsum & Ligures interceſſerant, adeò vt ad eas consopiendas, haud rarò apud illum suos oratores habuerint. Sed propter rerum controuersarum difficultatem hactenus nihil omninò, quod ex vtriusque gentis re esset, statui atq; concludi poterat. Quocirca hi duo oratores missi, quorum alter, post negotia feliciter cõstituta, & bienales indutias impetratas, pestilenti febri correptus, in minori Africa supremum diem obiit: alter verò, sanus atq. incolumis postliminiò domum reuersus. Dum hæc ita geruntur, initio proximi veris, Patrum decreto Gulielmus Embriacus, Gulielmus Cataneus, Idus Carmandinus, Daniel Auria, Vbertus Vsus marius, 1209.
& Henricus Nigrius, ad Consulare dignitatis fastigium promoti, quibus deinde 1210.
post vnius anni curriculum Gulielmus Nicolaus Embriacus, Henricus Dietisaluus, Henricus Demecota, Simon Camillius Aduocatus, & Marocellus, ambo sine prænomine, cum pari imperio ac potestate successerunt. Et licet ea tempestate Resp. adhuc Pisano bello distineretur, nihilominus tamen etiam atrocissimum prœlium inter ipsam, & Venetos redintegratum fuit, sicut inferius patebit. Sub horum Consulatu, Lanfrancus Turcus, Porcellinus & Conradus cognomento Porcellus, in Mauritaniam ad regem Masemutum oratores destinati fuerunt. Memoriæ quoque proditum est, circa hoc tempus, Othonem Boschi Marchionem, Reip. propter accepta beneficia, quò vicissim aliquod memoris gratique animi testimonium exhiberet, partem oppidi Ouadæ, Rosilionis, ac etiam totum Tagium donasse, vti etiam Henricus Ponsolus eandem ob causam, *Donationes factæ Reip.*
dimidiã partem oppidi, vulgò Vernatij, dono dederat, atque concesserat. Postero
anno, scilicet eiusdem æui vndecimo, Raynerius Cotta nobilis Mediolanensis, 1211.
Prætor substitutus, eique octo Patricij, nempè Fulco Iustinianus, Bonifacius Cataneus, Lambertus Fornarus, Gulielmus Guercius, Nicolaus Auria, Vbertus Vsusmarius, Gulielmus Nigrius, & Sorleo Peuer, ceu fideles socij, omniumque arcanorum participes & consultores adhibiti. His temporibus inter Ligures & *Bellum contra Massilienses.*
Massilienses grauissima iurgia & dissidia interceſſerant, indeque graue bellum conflatum, & propterea Genuæ quatuor naues, ac totidem triremes instructæ, pauciscq; interiectis mẽsibus, quatuor itidem sub Idi Longi præfectura exornatæ. Verùm enimuerò circa mensem Augusti, Hugo Bussus vnà cum duodecim ciuibus Massilienſibus Genuam appulit, vt pax certis conditionibus vtrimque constitueretur, eaque tandem de vtriusque partis consensu per vnum & viginti annos transacta. Inter hæc, Beghinus Crouaræ dominus, illius oppidi arcem Senatui pro mille & octingentis libris diuendiderat, quod sanè Gulielmo & Conrado Malaspinæ regulis vehementer displicuit, eaque de causa Reip. bellum intulêre. At Prætor, ad illorum conatus inhibendos, statim ex vrbana militia ducentos cataphractos describi, & illos vnà cum reliqua manu contra hostem educi imperauit. Et quoniam Albertus Gauijq. regulus, cuius anteà meminimus,

Prætoris dicto audiens non fuerat, sed potius sese fœderis iure cum aduersariis coniunxerat, præterquam quòd illum Senatus omni iurisdictione, quam sibi vendicabat, priuauit, eiusdem iussu ac mandato mille libris, ac etiam decennali
1212. carcere multatus fuit. Interea temporis, anno scilicet eiusdem æui duodecimo, Gulielmo Embriaco, Bonifacio Cataneo, Gulielmo Guercio, Nicolao Auria, Gulielmo Spinula, ac Sorleone Peuere, Coss, Malespinæ, Marchionatus titulo insignes, cum Repub. in gratiam redierunt, seque illi, cedentes omni iure, quod prius in oppido Crouara & finitimis locis ad illud pertinentibus, habuerant, fidei sacramẽto obstrinxerunt, quibus Senatus pro hac venditione mille & quingentas libras persoluit. Rebus ita constitutis, Fridericus secundus, Siciliæ rex, de mutuo septemuirũm Procerum consensu ad Imperij supremum apicem ac dignitatem euectus, emensis Alpibus, in Italiam venit, & paucis post diebus Genuam perrexit, vbi ad spatium trium mensium commoratus est. Et quamuis Resp. subinde atrociſſima bella cum Pisanis ac Venetis, vti anteà recensuimus, gereret, nullum tamen genus immensi honoris, ac regiæ magnificentiæ prætermissum est, quod in illum non publicè ac priuatim conferrent. Nam, vt taceam theatralia spectacula, multarum ferarum pugnas, hastiludia, & equestriũ turmarum certamina, nullus fuit apparatus in vlla vnquam gente, tam splendidus, qui huic iurè comparari possit, adeò vt nullo ferè tempore, splendidiora, vel maiora suarum opum & priuatæ potentiæ dederint testimonia, quàm eo, quo Cæsar Genuæ subsisteret. Vt verò illum sibi in posterum magis magisque deuinciret, abeuntem Senatus ampliſſimo munere, quod quidem fuit amplius duarum millium, & quadringentarum librarum, prosecutus est. Nec sanè hic aliquo modo silentio prætereundum esse arbitror, aliquos esse qui literis tradiderunt, eiusdem anni mense Augusto incredibili cum omnium admiratione in Germania ingentem multitudinem fuisse vtriusque sexus, & in ea plerosque nobilium virorum adolescentes, quæ, nescio quo enthusiasmo, vel falsa reuelatione persuasa, omninò existimabat, tantam eo anno siccitatem subsecuturam, vt etiam maris abyssi omninò exaresceret, adeò vt hac infantili opinione abducti & decepti, agminatim vsque ad septem hominum millia, transcensis Alpibus, ductu & auspiciis cuiusdam puelli Teuthonici Nicolai nomine, Genuam peregrinorum habitu contenderint, eo animo, vt compendiaria via per exsiccatum, vt ita dicam, maris alueum, pedibus Christi sepulchrum inuiserent, & ibi hac de causa ex Senatus indulgentia & voluntate sub dubia spe circa spatium sex, aut septem dierum, (nec enim Senatus illos diutius ibi hærere permisit) subsititerunt. Verùm, cùm re ipsa comperirent, quàm magna fuisset illorum infantia, & quàm longè à vero & ratione aberrassent, pœnitentia ducti, eadem leuitate, qua venerant, domum & ad proprios penates postliminiò redierunt. Hæc nõ ascriberem, cùm à vero remotiora esse videantur, nisi tam magna hominum frequentia ita excæcata fuisset, vt præter naturam tam potens elemẽtum defecisse existimare potuerit. Sed cùm habeam grauissimos auctores, quos hac in parte secutus sum, videor meo equidẽ iudicio ab omni reprehensionis nota tutus esse. Constantem opinionem hîc obtinuisse animaduerto, Genuæ, ex eo Germanorum confluxu, aliquot, nominis splendore & nobilitate præcipuos, ciuitate à Senatu donatos fuisse, qui postmodum ita coaluerunt, vt in patriciorum ordinem transiuerint, & ab his, aliquot nobiles familias hac nostra tempestate opibus & dignitate florentes, originem traxisse, inter quas Viualdorũ familiam dicunt esse principem. In hoc rerum cardine, cum Pisanis indutiæ ad quinquennium, & cum Venetis in trien-

Fridericus Aenobarbus Cæsar Genuam proficiscitur.

Germanorum stulta persuasio.

Viualdi. Indutiæ cum Pisanis ac Ven. transactæ.

triennium transactæ & constitutæ fuerunt, atque ita deuentum est ad initium anni subsecuti, quo in Repub. præter alios, qui causis forensibus, aliisque muniis & magistratibus admoti sunt, Nicolaus Embriacus, Vbertus Cataneus, Gulielmus Scottus, Montanus Auria, Fridericus Grillus & Herodes Marius Coss. publicè declarati. At quinto Idus Ian. in veteri foro amplius quatuor & quinquaginta ædificia fortuitus ignis absumpsit, per idem fermè tempus, quo etiam portu in ipso tres maiores naues consimili clade perierunt. Postero anno Ioannes Russus Cataneus, Wilhelmus Tornellus, Henricus Guercius, Ansaldus Marius, Vbertus Spinula & Oggerius Peuer, communibus Patrum votis & suffragationibus Remp. consulari potestate administrarunt, sub quibus Ligures, rebus externis maiori ex parte cõpositis, ad res vrbanas & domesticas animum, & præcipuam curam adiecerunt. Non pauca etenim in ipsa ciuitate erant, quæ diligentem inquisitionem & considerationem requirerent. Quare nihil à Patribus omissum est, quod ad publicam vtilitatem pertinere existimarent. Et in primis quidem Senatusconsulto decretum fuit, vt deinceps maior vectigalium & publicorum censuum ratio, quàm anteà, haberetur. Erant enim, vt aliæ pleræq; disciplinæ, sic etiam publicorum reddituum ratio, propter temporis incuriam mirum in modum neglecta & labefactata. Pari modo quia vectigalia exoticarum rerum & maritimarum negotiationum ad aliquot annorum spatia in nonnullorum gratiam erant diuendita, nullaque, vel certè perexigua hactenus potuerat à Senatu haberi ratio, concordibus suffragiis, & mutua consensione decretum fuit, vt in posterũ eorum elocatio dumtaxat ad sexennium foret, eaq; in foro publico publicæ auctionis instar, fieri deberet: quorum quidem censuum & vectigalium fructus & emolumenta subsidio Reip. venirent. Nam cùm plurimæ extarent exactiones, quibus Liguſtici nominis subditi mirum in modum premebantur, expedire visum fuit, vt illæ, & similia onera, huiusmodi fructibus redimerentur, satius arbitrantes, proprios ciues, quàm exteros subditos aggrauari. Statutum fuit præterea, vt priuatorum ciuium facultatum & fortunarum haberetur ratio, & pro earundem modulo & qualitate vectigal, quod ipsi generale vocabant, imponeretur, vt hac scilicet ratione vectigal salis, quod per vndetriginta ferè annos propter certam pecuniæ summam erat diuẽditum, pro media rata portione rependeretur. Et insuper, quò in posterum publico bono commodius prospiceretur, & nihil non fieret quod non publica cum vtilitate ac beneficio coniunctum esset, seuerè atque grauiter edictum fuit, vt nulli redditus ad Remp. spectantes, vltra vnius anni spatium diuendi, oppignerari, vel aliquo modo elocari possent, vno vectigali, scilicet salis, excepto, de quo nullus fructus ad emptorem redire poterat, nisi maiori tempore concesso, & idcircò biennium indultum, quamuis longiori tempore huiusmodi vectigalis ratio indigeret. His cautionibus & exceptionibus à Senatu promulgatis, externi etiam redditus comprehendebantur, tam scilicet Liguſtici agri, quàm Syriæ, & aliorum locorum Reipub. parentium. Hæc tempora insecuta est magna Reip. felicitas, & rerum tam domi, quàm foris affluentia, ita vt quamuis grauissimis bellis diu diuersis in locis implicata & defatigata fuisset, nihilominus tamen ciues, alijque Reip. clientes ac subditi, omni onere, hac vna oppignerationе excepta, quæ tamen quadraginta millibus florenorum redimi poterat, liberati & exempti erant. Inde fiebat, vt esset tanta patriciorum, aliorumque præcipuorum ciuium promptitudo, & ad subleuanda onera publica animorum propensio, vt, si quid vsus, vel necessitas Reipub. requireret, ipsi libenter in gratiam plebis in se deriuarent,

1213.

Genua grauissimo incendio & marii tempestate vexata.

1214.

Nouus ordo circa publicas impensas & vectigalia.

Genua in florentiss. statu.

adeò profectò, vt ad locupletandum ærarium publicum, quod propter assidua bella ferè erat exhaustum, ipsi, si qua pecunia, vel nouum onus à Senatu imperaretur, citra aliquam recusationẽ vel difficultatem expedirent atque præstarent. Ceterùm, tametsi diligenter ac sedulò inuestigauerim, quænam ea tempestate publicorum censuum fuerit ratio, nunquam tamen aliquid veri diligentia assequi potui; Quandoquidem quantam pecuniæ summam vectigalia Syriæ constituerint, puto magis scriptorum incuriæ, quàm eorum temporum ignoratione in literas relatum non esse. Id citra aliquam controuersiam ab omnibus asseritur, eo anno, quo circa vectigalia nouus ordo à Senatu institutus est, negotiationum maritimarum vectigalia ad sexennium in aliorum onerum & grauaminum subsidium diuendita, non vltra triginta octo millia florenorum constituisse. Circa omnes etiam alias merces, Senatus singulari temperantia agebat, nimirum cum Respub. his temporibus nullo ære alieno esset obstricta; nam pro quolibet floreno non vltra quatuor nummulos eorũ temporum exsoluebant. Pari modo nos latet, quod salis pretium eo sæculo fuerit, cùm verisimile sit, non exiguum inde fructum ad Rempub. emanasse. Minimè autem dubium est, quin hæc Respub., postquam temporis decursu amplitudine, & incolarum frequentia mirum in modum excreuerit, ac multò maiorem mercibus exercendis commutandisque rebus, quàm militiæ ac bellis gerendis, operam nauarit, longè complures & vberiores ex ipsis vectigalibus reditus, ac emolumẽta percepcrit. Circa hæc tempora, Otho Carrettus Finarij regulus, mense Iulio Genuam profectus est, ac Reip. de se optimè meritæ, suam arcem, vulgò Cairum, & Vinarolum, ac dimidiam partem Carcarari, Roccandamali, montis Canilionis, Bazoli, & Castrum, cui nomen Dius, dono dedit, seque sponte illius, præstito fidei iuramento, beneficiarium constituit: quæ omnia loca Senatus illi tamquam feudatario, vt vocant, concessit, suæque ditioni attribuit. Anno eiusdem sæculi quinto decimo, Gulielmus Embriacus, Fulco Iustinianus, Bonifacius
1215. Cataneus, Emanuel Auria, Lanfrancus Marius, & Aduocatus N. Consules renunciati, eorumque legatus fuit Otho Vicedominus Albæ, insignis legum interpres. Patres interim, composito ciuili rerum statu, Darsenam cingi mœnibus iussêre, ac deinde ad Monœci ædificationem omnem curam & diligentiam transtulerunt. Obtinuerant siquidem ex singulari Friderici Cæsaris cognomento Aenobarbi liberalitate ac beneficentia eum locum, in quo Monœcum hodie extat. Proinde statim illuc missus est Fulco Iustinianus, qui eum locum tunc temporis inhabitatum, & scopulosum, Reipub. nomine ad iustæ vrbis formam delinearet, mœnibusque atq; aggeribus communiret. Is itaque summa cum diligentia quatuor turres quadrangulari forma inuicem oppositas triginta septẽ palmarum longitudine erigi atq; fabricari curauit. Ægrè ferebant Nicenses in tãta vicinia nouam vrbem exurgere, veriti, ne illud propugnaculum, maximum sibi in posterum detrimentum afferret. Sed cùm scirent, populum Narbonensis Galliæ cum Genuens. in gratiam rediisse, ipsi Ligusticam potentiam veriti, circa mensem Nouembris Mirobadadum ciuem Nicensem, & Antepellicanum eiusdem vrbis Antistitem Genuam miserunt, seque vltrò Reip. tamquam vicinos ac socios obtulerunt, ac in eorum tutelam & obsequium tradidêre. Senatus, quòd existimaret, hanc nouam Nicensium spontaneam accessionẽ ex vsu & dignitate Reip. esse, conditionem haudquaquam auersatus est, ita vt quo magis eos in proposito & officio confirmaret, euestigiò Vbertum Spinulam, associatis illi aliquot præclaris viris & nõ infimæ auctoritatis, ad eos ablegauerit, eo potissimum

Genuens. à Frid. Monœci agro donati.

Nicia sub Genuensium potestate.

nomine,

nomine, vt ab ipsis ciuibus fidem & iuramentũ sollemniter reciperẽt. Quo iuramento ab oppidanis præstito, Spinula ex Senatus mandato iussit quamprimum Nicensem arcẽ, quòd plerumq; Aragoniis, ceterisque Liguſtici nominis hostibus tutum effugium & latebram præbere soleret, demoliri & funditus solo æquari. *Arx Nicensis à Genuens. diruta.* Proximus annus Genuæ Philippum Embriacum, Raimundum Cataneum, Simonem Borgarium, Perciualem Auriam, Gulielmum Spinulam, & Lanfranchũ Turcium Consules habuit. 1216. Etsi verò hactenus in Rep. vnà cum Coss. quorũ nomina recensuimus, quotannis à Senatu aliquot ciues, quorum alij rebus externis intenderẽt, alij causas ciuiles dirimerent, creabantur, tamẽ hoc anno, noua Reip. forma introducta, hic Magistratus omninò desiit, prout etiam alter præcedenti anno abolitus fuerat, & quinque ciuiles ac Põtificij iuris Doctores, quorum præcipua cura & studium circa forenses controuersias & lites versaretur, nempè, Gulielmus Agadus Placẽtinus, Iacobus Briscus Insuber, Bertoldus Bõzella Papiensis, Gherardus Montanarus Parmensis, & Monferratus Cremonaoriundus, in vrbem cum ampliſſimis præmiis accersiti. *Noua Reipub. forma.* Si quis autem huius Reip. statum penitius introspexerit, proculdubiò inueniet, ipsam, ab anno milleſimo octogeſimo, vsque ad annum milleſimum centeſimum nonageſimum, quod quidem centum ac decem annorum spatium continet, quatenus ad publicum regimen, & politicas causas spectat, liberè ab ipsismet ciuibus absque vllo externo adminiculo continua quadam serie gubernatam & administratã fuisse. Ceterùm, ab anno milleſimo centeſimo nonageſimo, vsque ad annum milleſimum ducenteſimum, decimum septimum, licet administratio libera extiterit, eam nihilominus variam & diuersam deprehendet. Et in hoc temporis curriculo, quod fuit circiter viginti septem annorum, interdum Patres euocarunt qui Prætoris munere fungeretur, modò huiusmodi Magistratum omisêre, & aliquando etiam horum consensu, ipsi Prætori rectores, ceu consiliarij, attributi, interdum verò is solus Reip. cum imperio præfat; sic tamen, vt semper Consules ex ciuibus, qui prudenti ac maturo iudicio forenses & ciuiles causas diiudicarent, ac definirent, designarentur. Verùm, hoc anno, propter ciuium ambitionem & interna ac domestica dissidia, vterque Consulatus desiit, adeò vt Resp. deinceps per multa annorum volumina, sicut inferius enarrabitur, externi Præsidis & iurisperitorum auctoritate potissimum innixa atque administrata fuerit. Et quoniam ea tempestate nondum erat id genus fori, quod iam longo vsu & consuetudine receptum, vulgo Rotam appellant, dumtaxat quilibet ciuilis iuris cãdidatus, priuatim hominum causas in ea parte vrbis quæ illius arbitrio ac sententiæ permittebatur, diiudicabat. Paulo antequam hæc noua Reip. forma sanciretur, Genuæ Nouellus Camilius, Gulielmum Pignolum, cum quo priuatas simultates diu exercuerat, grauiter vulnerauit, adeò vt cũ vulnus lethale esset, breui temporis spatio pòst interiret. Cuius planè interitus graues turbas, cùm vterq. patricij ordinis esset, excitauit. Quandoquidem cùm Nouellus haberet maximos in ciuitate viros, quorum patrocinio valdè nitebatur, ita vt se illorum auctoritate ex reis eximendum haud quaquam vereretur, defuncti Pignoli consanguinei & amici, non minoribus clientelis subnixi, hoc vnum agebant, vt ipse legibus pœnas daret. Hinc grauia iurgia & rixæ, indeque discordiæ & factiones quàm plurimæ exortæ sunt. Quas vt restinguerent vrbis Præfecti, & ne latius in perniciem Reip. serperent, enixè darent operam, lege cum ipso reo sibi contendendum putarunt: quod ipse, cùm esset excelsi animi ac spiritus, ægrè ferens, animi vecordiam in patriam conuertit, & clàm vrbe excedens, foris se-

se ali-

se aliquot clientibus & municipalibus suis instruxit: quibus auctus, Crouariopp-
pidi arcem, quam paucis antè mensibus in Reipub. potestatem venisse ostendi-
mus, per absentiam illius Præfecti, dolo atque astu occupauit; quam in contem-
ptum Reipub. Gulielmo Malespinæ, tunc propter nouam defectionem, à Se-
natu pro inimico habito, & declarato, dono dedit. Cuius rei fama vt primùm
à Senatu intellecta est, nulla mora interposita, Patrum decreto miles subitarius
conscriptus est, quò eam ex tam vicini ac tam potentis inimici manibus eriperet.
Arcis defensores, vbi primùm apparatus bellicos viderunt, tanta animi conster-
natione attoniti sunt, vt non expectata obsidione, summa cum celeritate, omni
spe defensionis abiecta, fuga sibi salutem quærerent. Interea temporis, anno sci-
1217. licet eiusdem sæculi decimoseptimo, ex S. C. Vbertus Buccafollis ciuis Papien-
sis, Prætor renunciatus, eique de more, quatuor legum interpretes, qui ius ciuile
administrarent, associati, & sub eius regimine, cùm inter Pisanos ac Ligures in-
dutiarum terminus expleretur; opera & auctoritate Innocentij tertij, siue, vt aliis
placet, Honorij tertij, Romani Pont. alterius successoris, pax inita & constituta
est; sicuti suo loco plenius demonstrabitur. Post hæc, Prætor misit in Sar-
diniam, qui à Iudice Turritano viginti millia librarum, quas singulis annis Reip.
Genua ter-ræmotu per-culsa. persoluere tenebatur, exigeret. Fine anni, mense Ianuario ciuitas nocturno
motu terræ cum maxima omnium trepidatione concussa, sed tamen breui pòst,
omni terrore ac metu liberata. Sub Veris autem initium, Rambertino Guidone
Bonarello ciue Bononiensi Prætore, inter Venetos ac Ligures, missis Parmam
vtrinque oratoribus, pax tandem de communi consensu ac voluntate in decen-
nium trãsacta fuit. Per idem fermè tempus, denuò Senatus cum Derthonẽsibus,
Pax inter Venetos à Genuens. mitigatis animis, in gratiam rediit. Principio subsequentis anni, Henricus Man-
1218. liacæ oræ Princeps, Reip. studiosissimus, & confœderatus, Genuam appulit, at-
que inde in Germaniam ad Fridericum Augustum profectus est; ibique con-
fectis negotiis, & ad vrbẽ reuersus, benignissimas litteras secum detulit, in qui-
bus, præter cetera, continebãtur multa priuilegia Liguribus, â Cæsare in regno
Fridericus multis priuilegiis Genuens. in regno Siculo donauit. Siciliæ concessa, & inter reliqua, vt ipsi ab omnibus portoriis & vectigalibus im-
munes forent. Postquàm verò Henricus ibi aliquandiu substitisset, summisque
honoribus ab Senatu affectus esset, triremi eius causa Genuæ præparata atque
instructa, in suam ditionem remigrauit. Mense Octobri eiusdem anni, qui Ca-
priam incolebant, sese Reip. iureiurando interposito, Genuensibus dediderũt;
atque vltrò illius beneficiarios constituêre. Circa hæc tempora, Gulielmus &
Conradus Malespinæ reguli, Reip., fidei sacramento adhibito, omnem beneuo-
Albintimilii se vltrò dedunt Genuens. & mox ab eis deficiunt. lentiam & obsequiũ detulêre; sicuti etiã haud multò pòst, Albintimilij, qui mul-
tò submissius sese erga Remp. gerentes, Zachariæ Iustiniano, Vberto Gallettæ,
Emanueli Auriæ, Vberto Spinulæ, & Iacobo Picamilio Genuensibus legatis, no-
mine Reip. in templo D. Mariæ sacro, in quod maxima incolarum frequentia
conuenerat, sollenni pompa ac cærimonia, totius vrbis dominium atque impe-
1219. rium tradidêre. At Vere appropinquante, sub eiusdem Rectoris, viri prudentis
ac strenui, rursus in ea dignitate à Patribus per biennium confirmati, Præfectu-
ra, ne scilicet vnquam Reip. citra aliquam solicitudinem vel securitatem respira-
re liceret, ipsi contra fidem ac præstitum iuramentum, denuò, nulla iusta causa
præbita, ab ea desciuerunt. cuius facti indignitas tantoperè cõmouit omnium or-
dinum animos, vt statim, quò de temerè rebellantibus pœnas exigerent, de com-
muni omnium sententia cõpluribus regulis finitimis, inter quos fuerunt Otho,
& Henricus Finarij, D. & Conradus atque Opizo Malespinæ, iure amicitiæ ac
fœderis

fœderis sibi associatis atque coniunctis, breui iustum exercitum, in quo erant amplius quingenti equites grauioris armaturæ, in promptu atque in armis haberent. Et quoniam ipsos perduelles terrestribus ac maritimis copiis premere constituerat, eodem tempore summa cum diligentia rē naualem in huius belli vsum expediuêre, omnibusque rebus ritè disposítis ac præparatis, oppugnationem, duce eodem Prætore, aggressi sunt, statimque sub eius initio nauim onerariam frumento onustam, qua cōmeatus in eam vrbem importabatur, citrà magnam difficultatem interceperunt. Verùm quòd hæc suscepta expeditio tunc paruos haberet successus, & minimè ex sententia absoluta fuerit, inde potissimum euênit, quòd videlicet, tempore minùs bellis gerendis idoneo, vtpotè brumali, & asperrima hieme, inchoata atque instituta fuerit. Temporis igitur iniquitas effecit, vt illinc, re infecta, discessum sit. Ne verò tum aliquis commeatus in oppidum importari posset, classis ibi relicta fuit, ita vt postmodum aliquot vtrinque velitationes & leuiora prœlia subinde vario atque ancipiti euentu committerētur. Prætor Genuam reuersus, cùm intelligeret, inter Gulielmum Albintimilij præfectū, ac Emanuelem eius fratrē, graues simultates & inimicitias recèns fuisse exortas, operæ pretium se facturum existimauit, si ad rem ibi feliciter, & ex vsu Reip. conficiendam, alterutrum, tali ansa oblatā, & peramplo stipendio, nempè singulis mensibus centū & quinquaginta libris proposito, in suas partes pertraheret. Fieri enim animo prospiciebat, vt si quē eorum sibi haberet fautorem, citra magnam difficultatem oppidani superari possent. Gulielmus verò, licèt fide tradita atque accepta, Reip. adhæsisset, tamen paucis pòst diebus perfidè ab ea defecit. Interim ipsi, statim post terrestrium copiarum discessum, eruptione facta, Cespellum oppidum sibi contiguum, repentino & summo impetu adorti sunt: idque vt classis Præfecto innotuit, milite in insidiis collocato, sic rem egit, vt circiter quadraginta ex illis captiuos faceret: eosque quàm primum Genuam ducendos procurauit. Oppidani, quò captiuos in libertatem assererent, miro dolo & astu Genuensibus imponere tentarunt. Cùm enim sub specie colloquij & rerum componendarum prætextu, aliquot eorum triremi Genuam appellerent, decreuerant, captiuos ibi asseruatos, opera Prioris, vt ipsi vocant, Abbatiæ Sextri tunc temporis ibi subsistentis, & Raimundi iudicis, ciuis Albintimilij, intempesta nocte liberare. Ceterum, detecta illorum fraude, res hunc exitum tulit, vt certè parum abfuerit, quin & ipsi iisdem artibus in Ligurum potestatem deuenerint, quibus illos Iudificare studebant, beneficio tamen velocitatis, fuga suæ saluti consuluerunt. Quo sanè factum est, vt obsidio in longius tempus protracta sit, quàm plerique initio arbitrabantur. In hoc rerum cursu, Fridericus Henrici secundi filius, qui ante patris mortē, de septemuirūm procerū voluntate atque consensu Cæsar designatus fuerat, patre è viuis subtracto, in Italiam ad Honorium tertium Pont. confirmationis atque imperij suscipiendi diadematis gratia, cum magna principum atque illustrium virorum frequentia & comitatu venit: de cuius quidem aduentu Genuenses certiores facti, cùm ad suum officiū valdè pertinere existimarent, vt nouum Cæsarem recentibus officiis sibi adiungerent, ac eius gratiam promererentur, Senatui placuit, legationem honorificam ad illum mittere, in qua, quò gratior Cæsari esset, summum personarum delectū habuêre, & enixè contendêre, vt ipsi quodammodò inter ceteros Italiæ Principes primi essent, qui ipsum Imperatorem officiis atque debito obsequio prosequerentur, adeò vt misso Rambertino Guidone ciue Bononiensi, suo præside, & adiunctis illi non paucis ex totius Reipub. præcipua nobilitate collegis, ad ipsum, in

Albintimilij obsessio

Friderici imper in Italiam aduentus.

1220.

sum, in Gallia Cisalpina adhuc subsistentem, perrexerint. A quo cùm humaniter excepti essent, & benignè in colloquium admissi, nomine Reipub. suæ, ipsi primùm supremi imperij dignitatem ac felicem in Italiam profectionem congratulati sunt, deinde debitum illi officium detulerunt, & pristinam cum eius prædecessoribus omni ferè tempore habitam atque continuatam obedientiam spoponderunt. Qua in parte cùm Cæsari non parum satisfactum esse animaduerterent, ad serios sermones digressi, sensim ad ea quæ in mandatis habebant, deuenêre, ac commemoratis iis, quæ tum ferè temporis ad rem maximè pertinebant, ostendebant, Cæsarum beneficio atque munificentia factum esse, vt ipsi semper pro sociis atque amicis ab iisdem habiti essent: quo etiam potissimum nomine multis priuilegiis, & immunitatibus à Cæsarum beneuolentia, ac mera liberalitate profluere consuetis, donati essent. Petere igitur se, vt ipse Cæsar nouo diplomate Maiorum suorum indulta Reipub. Genuensi confirmare atque constabilire dignaretur. Verùm cùm Cæsar, contra omnem illorum spem ac voluntatem responsum differret, simulac Mutinam venerunt, inde commeatu ac venia impetrata, ad suos, rebus infectis, redierunt, valdè demirante Senatu, quòd nouus Cæsar, qui Principes atque Respub. liberalitate sibi deuincire debebat, non solùm se hac in parte difficilem ostendisset, sed contra omnium maiorum suorum instituta, optimè de se merito populo inhumanior, quàm par esset, extitisset. Legatione itaque Genuam reuersa, breui pòst, Lotharingus Martinengus Brixiensis, vir, præter generis splendorem, laudis appetens, & militari gloria insignis, de Patrum atque ordinum volũtate in alterius locum, exacto iam anni spatio, subrogatus est: qui cùm ægrè ferret, Senatum ipsum, propter repulsam iusto propemodum dolore torqueri, eidem auctor fuit, vt noua legatio ad Cæsarem mitteretur. Arbitrabatur siquidem, Cæsaris animum, alioquin hac in parte illiberalem, continuis officiis atque Senatus auctoritate commoueri & expugnari posse. Proinde denuò ad ipsum Vbertus Cataneus, Sorleo Peuer, & Vbertus Nouara oratores, nomine Reip. ablegati sunt, qui, tametsi seriò cum ipso agerent, multisque rationibus ostenderent, Reip. suæ, optimè semper de eius maioribus meritæ, parum satisfieri, si hanc priuilegiorum confirmationem recusaret, nihilominus tamen adeò ipsum immitem atque inhumanum experti sunt, vt nihilò magis quàm alij, impetrare potuerint: imò sunt aliqui, qui dicant, hanc secundã Genuensium legationem adeò atroci vultu ac minitabundis oculis fuisse exceptam, vt non solùm illorum postulatis assensus sit, verùm etiam multa alia illis antea concessa, abrogauerit atque ademerit. Sunt præterea qui adiiciant, ita fuisse exacerbatum, vt Reipub. hanc necessitatem imposuerit, vt ceterarum gentium more & consuetudine omnia portoria & vectigalia regni Siculi persoluerent. Nec his contentum, Messanæ prætorium illis antea à suis maioribus donatum, abstulisse, & Alemannum Costam Genuensium beneficiarium, Syracusarum ciuitate exuisse. Quarum rerum indignitate commoti oratores, indignabundi Genuam reuersi sunt. Cæsar, quò etiam euidentius animi sui in Remp. Genuensem testimonium ac voluntatis argumẽtũ præberet, haud multò post, cum Pisanis, quibus cum indutiæ factæ iam effluxerant, societate ac fœdere inito, atrocissimum bellum in Ligures terra mariq; facere decreuit. de quo vnà cum causis & euentibus suo loco ac tempore luculenter disseretur. Interea temporis, cùm Prætor, vnà cum Patribus ægerrimè ferret, obsidionem Albintimiliam tamdiu ab oppidanis sustineri, maximeque cuperet, illos in Reip. fidem atque obsequium redigere, nouo instructo exercitu, in quo, præter aliam militarem

Fridericus Cæsar Genuens. infensus.

Lotharingus Martinengus.

1221.

Albintimilium obsidetur.

militarem manum, erant amplius trecenti cataphracti: rebusque omnibus egregiè dispositis, subsecuti veris initio, ad oppidum, vulgò D. Remi, quem locum recensendo militi destinarat, cum suis clientibus, ac Reipub. subiectis profectus est, paulò antequàm Galliæ Narbonens. Comes, cum aduersariis percusso fœdere, cum suis copiis Albintimilium concessisset. Verùm ille, siue cõmeatus inopia, siue aliis incommoditatibus adductus, legitimam profectionis suæ causam prętexebat, adeò vt breui pòst, Gulielmo Cottigna, cum parte copiarum ibi substituto, furtim summoque silentio sese illinc subduceret. At Præses, cui hæc omnia per fideles speculatores optimè explorata fuerant, simulac eum abiisse compertum est, nulla mora interposita, vrbem inuadere statuit: eiusq. mœnibus admoto exercitu, dum aciem instruit, & loca figendis castris aptiora diligenter explorat, oppidani continuò eruptione facta, hostem inuadunt, & vndecim ex Genuens. interfectis, ac plerisque vulneratis, reliqui sese incolumes ad suos recipiunt. At Prætor, his incommodis acceptis, grauissimè commotus, & nihil interim de priori studio atque industria remittens, omnes, qui superiori anno capti, Genuæ in publica custodia asseruabantur, ad se perduci imperauit; quibus adductis, vndecim illorũ oculos erui ac effodi iussit: & mox per internuncios oppidanis significauit, se, nisi infra octiduum deditionem facerent, singulos eorum qui supererant, crudeli & ignominiosa morte interempturum esse. His auditis, aduersarij ad solitas artes & dolos reuersi, circiter trecenti, iureiurando adhibito, polliciti sunt, se postera die portarum clauibus ad eum missis, deditionẽ facturos, si aliquot destinarent, qui arcis, vulgò Appiæ, possessionem, eius nomine acciperent. Præses bona fide rem geri existimans, protinus aliquot ex præcipuis ad eum ablegauit, quos ipsi, contra omnium gentium mores & belli iura, magis quàm Punica fide, penes se retinuerunt. Cuius rei indignitas & datæ fidei violatio, adeò ipsum Præfectum, aliosque primipilares ac vniuersum exercitum ad iustã iram commouit & inflammauit, vt seriò expugnationem adoriri proponerent, eaque de causa tam excellens, atque arduum ex bellica disciplina opus inchoauerint & perfecerint, vt meritò cum antiquis operibus conferri & certare posset: quippè, quò oppidanis vsum proximi fluminis adimerent, fossam altissimam, & ferè duorum millium latitudine, vt eius alueum in hanc deducerent & deriuarent, effodi summa cum diligentia iusserunt, ita vt flumen mutato curfu, magna cum Genuensium commoditate ac beneficio, relicto pristino alueo, in hanc fossam coaceruaretur. Deinde duæ machinæ erectæ sunt, quas vulgò Manganellos vocant, & duo itidem alia instrumenta, patrio sermone Trabuchos, nuncupata, ex quibus machinis saxeas pilas ingentis molis intra mœnia & muros contorquebant. Præterea, in eiusdem fluminis ostio atque introitu, inges nauigium plurimis lapidibus aliisque rebus grauioribus oppletum, depressere, & cum quibusdam aliis nauigiis, ex eorum genere quæ ipsi Pontonos appellant, illius ostium atque aditum occlusere, vt ea ratione obsessos omni illius opportunitate multarent, quò minus vllo commeatus genere subleuari possent. Postremò, in monte, vulgò D. Christophori, vrbi proximo, quatiendis mœnibus valdè commodo, inferiori parte, admare scilicet vergẽti, noua vrbs validis muris, & propugnaculis, vt se suosq; non minus contra hostes tueretur, constructa est. Quod etiam opus tanto militum studio & alacritate, ac etiam tam breui temporis interuallo perfectum atque absolutum est, vt fermè omnem fidem excedere videatur, eiusque præsidio ac tutelæ Sorleonem Peuerem cum duobus armatorũ millibus præposuerunt, adeò vt obsessi vndiquaque oppressi, plerique illorum,

Noua vrbs & arces à Genuens. aduersus Albingaunos constructæ.

Noua vrbs constructa.

relictis suis penatibus, sese vltrò Genuensibus traderent, atque inermes ad nouã vrbem proficiscerentur, & contra veterem arma susciperent. Erat tamen melior & potior obsessorum pars, ita animati, & in sustinendis omnibus obsidionis incommodis pertinaces, vt magna cum animorum tolerantia omnes molestias & labores deuorarent. eaque potissimum de causa obsidio valdè ducebatur, sic vt Prætor longæ obsidionis pertæsus, nec non grauioribus auocamentis interpellatus, Genuam, adulta iam æstate, redire statuerit. Ne tamen per suam absentiã aliquam benè gerendæ rei occasionem prætermitteret, classem, & maiorem copiarum suarum partem; sustinendis oppidanorum velitationibus & eruptionibus, si quæ fierent, sufficientẽ, in præsidiis reliquit: ipse reliquas secum adduxit. Cui post aliquot mẽses, cùm iam sui muneris tempus exactum esset, senatus alium Prætorem, nempè Spinum Soresinum, de more subrogauit. Interea populus Albintimilius cùm se plurimis, iisque grauissimis incommodis & calamitatibus premi, seque ad exiguum numerum, & rerum omnium inopiam redactũ animaduerteret, post graues consultationes, de communi omnium consensu quosdam ex præcipuis, qui publico nomine submissè deditionem offerrent, ac facerent, Genuam destinauit. Quorum audita legatione, senatus pro solita atque pristina sua prudentia cùm longè satius arbitraretur, clementia & humanitate sibi alienatum populum deuincire, quàm seueritate & sæuitia, ac illud aureum dictum haberet præ oculis, se malle vnum ciuem seruare, quàm mille hostes vincere, omnium suffragatione decretum est, vt condonata venia, Albingauni, ea tamen lege & conditione, in gratiam reciperentur, vt æstimationem susceptæ expeditionis quàm primum post subsecutam deditionem, Reipub. in prompta & parata pecunia soluerent. Ceterùm, quia summoperè verebantur, ne ipsi rebelles, vt sæpè vsu venire solet, composito rerum statu, ad noua studia in posterum spectarent, Patres, præcauendi omnis tumultus ac seditionis gratia, prudenter ipsis iniunxerunt, vt propriis sumptibus duas munitiones, vnã quidem in monte Apio, alteram in superiori parte vrbis, extruerẽt, quarum præsidio nouos tumultus in ipsa ciuitate reprimerent. Datum tamen illorum precibus, vt nouæ extructæ vrbis mœnia maiori ex parte demolirentur. His rebus feliciter peractis, & Sorleone Peuere ibi prętore substituto, Genuam reuersum. At Resp. breui pòst, nouarum simultatum & dissensionum fluctibus denuò atrociter iactari atq. agitari cœpit. Nam cùm Castellani, quos nunc, mutato nomine, Iustinianos appellari diximus, consuetam insolentiam nunquam omninò deponerent, recèns contra Balbos arma expediuerunt: Camilij verò cum Bermonstanis priuatas lites atque inimicitias exercebant, adeò certè, vt inter ipsos haud leues conflictus vltrò citroque variis temporibus non citra multorum cædem atque interitum haberentur. sed tandem singulari ipsius Prætoris prudentia & auctoritate lenitis conciliatisque animis, in mutuam gratiam & concordiam redierunt. Fine anni, festo scilicet natalis Seruatoris nostri circa meridiem vrbs ingẽti terræmotu iterum concussa, eaque de causa supplicationes passim habitæ fuerunt, quibus diuini numinis ira placaretur. De ipsis verò terræmotibus, & quæ eorum sit natura, & cur eueniant, ac de aliis, quæ in illis vsu venire solent, plenissimè traditur ab Aristotele libro 2. Meteorologicorũ cap. VII. & inter cetera, in iis locis maximos terræmotus ait existere, in quibus mare fluctuat, vel regio raritates & concauitates quasdam habet. Itaque in Hellesponto, inquit, in Achaia, Sicilia, & in talibus Eubœæ locis existunt maximè, quòd in terram veluti per tubos quosdam mare irrumpere videatur, &c. De iisdem eleganter etiam differit Pausanias libro

1222. *Albingauni tandem in gratiam recepti.* *Noui terræmotus Genuæ.*

sept.

sept. cùm in Helicis, quondam celeberrimæ vrbis, mentionem incidit, atq. ostẽdit, hanc cladem illis diuinitus inflictam, propterea quòd Achæi supplices è templo abstractos trucidarint, & idcircò inquit, non fuit lenta aut segnis Dei ad pœnam reposcendam ira: ingens enim terræ ac repentinus motus non ipsa tantùm mœnia, & ædificiorum superficiem subuertit, sed vrbis etiam totius arcam ita obruit, vt ne vestigia quidem vlla posteris agnoscenda relinquerentur. Et antè quidem, quoties labes huiusmodi aliqua insignior facta est, quæ terram longè lateque concusserit, præcesserunt certa quædã diuinitus rerum miracula, perpetui imbres, diuturnæ siccitates, tepidæ hiemes, æstate anni Solis orbis vel caligine obductus, vel incensus rutilo, vel subatro liuidus fuit colore: fontes exsiccati: ventorum turbines, quocunque vehementiùs irrupissent, præualidæ arbores radicitùs conuellerunt. Iam verò ignes longo flammarum tractu per cælum discurrêre: siderum etiam non antè conspectæ formæ, sæpè hominibus pauorem incussêre: densiores præterea ab ima terra halitus erupêre. Tam multis prodigiis antequàm terræ tam violenti motus euenirẽt, homines prænonitos Dij voluêre. Hactenus Pausanias. Plurimi autem fuerunt variis temporibus insignes terræmotus, inter quos præcipuus apud veteres nominatur, qui contigit anno 395. temporibus Theodosij Imperatoris, & durauit sex menses integros per orbem propemodum vniuersum: quæ, & quanta mutatio rerum institerit, ex Lycosthene, & vetustorum annalibus facilè constabit. Nec minoris admirationis alter, qui fuit Antiochiæ anno salutis 114 cùm Iudæi Messiam aduentare persuasi, seditionem atrocissimam excitarunt, qua per Græciam, Libyam, aliasque regiones vsque ad 200000 sunt interfecti. Alius à Iosepho describitur anno mundi 3935. vrbis conditæ 723. quo in Iudæa 3000 hominum periêre. Duodecim celebres Asiæ vrbes collapsæ nocturno motu terræ anno Christi 19. Rursus 13. anno ab eius nat. 21. Plurimæ similiter ciuitates in Oriente anno Christi 343. quo tempore Arriani Athanasium cum ceteris Catholicis sunt persecuti. In Achaia & Macedonia ab apparitione cometæ vrbes pleraſque terræmotibus esse collapsas, Seneca annotauit. Dirum & illud genus anni ab orbe condito 3527. ab vrbe condita 315. cuius memorabilem inter ceteros terræmotum tanta secuta est fames, vt plures coacti inopia, sese in Tiberim præcipitarint. Cum terræmotu per orbem vniuersum excurrente, mare littus egreditur, vrbesque Ciliciæ multas, & populum oppressit innumerabilem, anno salutis 369. Concussa est grauissimè ciuitas Antiochiæ anno 527. nat. Dominicę, certa Numinis vindicta ob blasphemiam & rebellionem populi contumacis in suos rectores: nec procul abfuit exemplo antiquæ historiæ Choræ, Dathan, & Abiron. Secutus alter æquè horrendus anno 529. nec prius cessauit, quàm per pœnitentiã publicè effusis lachrymis precibusque misericors Dominus placaretur. Hic enim vel maximè locum habebat illud: Vocem suam dedit Dominus, & cõtremuit terra. Quo minus mirari possumus, Iudæorum fracta molimina tempore Iuliani, cùm templum Hierosolymitanum bis tẽrue in contumeliam Christianæ religionis instaurare conati, succussa protinus terra, & horrendum intonante disiecti fuerint: totiesque deinceps à flamma, fumo, & pulvere pessumdatis machinis, multisque suorum millibus deuoratis, pauci superstites, tandem cum probro turpissimo imperfecta omnia reliquerunt. Plura & disertè de his in Nicephoro leguntur. Ceterùm inter omnes, qui nostra hac tempestate, ac etiam Patrum memoria, facti sint, memorabilis, ac planè insignis fuit terræmotus Ferrariensis, qui contigit decimo sexto Cal. Decembris, anno salutis supra millesimum quingentesimum sexagesimo

Terræmotus insigniores.

nono, quos deinde plures alij per intertalla ibidem cum maximo incolarum detrimento ac horribili terrore subsecuti sunt, prout etiam videre est in mea Epitome bello Cyprio & Pannonico annexa. At me iam longiùs euagatum, reuocat institutæ orationis series & argumentum, quod tamen protinus resumam, vbi hoc duntaxat adiecero, nempe anno ab orbe redempto supra millesimum ducentesimum vno ac vigesimo, in Cypro insula, duas vrbes haud obscuri nominis, videlicet, Paphum & Limissum, repentino motu terræ absorptas, atque absumptas. Genuæ interim, vt ad incœptum reuertar, anno eiusdem sæculi tertio ac vigesimo, sub eiusdem Prætoris in eodem munere confirmati, administratione, florebat politicus vrbis status, & mitis incrementis tàm priuatæ, quàm publicæ ciuiũ opes augebantur. Nã, quotiescunq. aliqua sese offerebat occasio, vt in ora maritima, vel Galliæ Cisalpinæ finibus aliquot pagorum, vel oppidorum esset proposita venditio, illa neutiquam à Genuensi populo negligebatur, ita vt Ligusticum nomen atque ditio longè lateque patêret, & indies extenderetur, eaque ferè de causa, Alexandrini agro Ligustico finitimi, atque contermini, graui ter cum Rep. expostularunt, quòd iure optimo Capriatum & Arquatum, quæ oppida recèns à Genuens. empta fuerant, sic planè ad se pertinere existimarent, vt se inscijs, vel non consentientibus, alienari à quoquam non possent. Quæ sanè controuersia cùm non ita commodè posset ex vtriusque populi voluntate & beneplacito decidi ac determinari, litis status armis diffinitus est. Quippe anno eiusdem æui quarto ac vigesimo, Ansaldo ciue Bononiensi Præturam gerente, Alexandrini postquam sese Genuens. hostes declarassent, & illis per fœciales, de veteri more bellum indixissent, collecta militari manu, cum Derthonensibus Insubriæ populis, aliisque finitimis gentibus fœdus ac societatẽ ea de causa potissimum iniuêre, vt Ligures, harum præsidio destituti, imparatiores ad prælium venirent. Ipsi itaque, rebus omnibus expeditis, ad Capriatum castra posuerunt, militeque mœnibus admoto, eum locum acri obsidione cinxerunt: sed cùm is anteà à Genuens. præsidio esset firmatus, & loci natura atque arte communitus, infecta re, nec citra incommodum ac detrimentum, illinc recedere coacti sunt. Genuenses, intellectis hostium consilijs & apparatibus, summa cum celeritate aliquot pedestres & equestres copias descripserunt, sic vt composito iusto quasi exercitu, occasionum haud segnes forent, quò aduersariorum conatus frangerent atque opprimerent. Hostis interim, Capriati expugnatione nequicquam tentata, sperans, fortunam immutatum iri, ad Arquati oppidi expugnationem summis studijs contendit, & illud multis varijsque bellicorum tormentorum ictibus summa impressione facta, adortus est. Verùm Ligures, qui per idem fermè tempus, Montaldeli arcem ab hoste acriter propugnatam & defensam, vi occuparant, eamque statim reparari atque instaurari iusserant, illuc protinus, cum valido agmine præsidio accurrerunt, adeò vt Alexandrini metu exterriti, dicto citiùs ab obsidione discederent. His locis igitur ab omni periculo ereptis, & fœderatis domum redeuntibus, Prætor, rebus bene ac feliciter gestis, exautorato milite ac exercitu dimisso, Genuam remigrauit. Verùm Alexandrini, ac Derthonenses, cùm nihil à se aperto Marte aduersus Ligures proficere posse animaduerterent, proximo vere, sub Brancaleonis ciuis Bononiensis prætura, ad dolos & malas artes confugerunt, & cum Petro Bono Gauij inter suos dignitate atque opibus præcipuè florenti, & cuius fidei Genuens. plurimum tribuebant, communicatis consilijs, sub obscuræ noctis tenebris clàm cum aliquot militaribus cohortibus ac turmis equitum illuc profecti sunt, eo animo ac spe,

1223.

1224.

Alexandrini Genuens. bellum indicũt, & Capriatum frustrà obsidẽt.

Arquati obsidio.

1225.

ac ſpe, vt ab eo, ceu totius rei conſcio, ac duce, in ipſum oppidum, prout anteà pacti erant, intromitterentur. Sed quia repentè clandeſtina conſilia à quibuſdam Genuenſ. ibi commorantibus, deprehenſa fuerunt, res nequaquam tentata eſt, ita vt re infecta diſceſſerint, & conſpirationis auctor celeri fuga ſibi ſalutem parauerit: Quos quidem omnes, Vbertus Aduocatus Genuēſ. in ea regione legatus, & Petrus Ventus Capriati oppidi præfectus, Cal. Maij cum cētum cataphractis magnoque peditum numero inſecuti, cùm illi iam longiùs proceſſiſſent, eorum ditionem ingreſſi, Precipianum, Alexandrinorum municipium, de-improuiſò occuparunt & diripuerunt: ſeque ad ſuam ſtationem, omni prædæ genere onuſti, recipere contendentes, ab hoſtili equitatu in planitie circumuenti, propter impedimenta, & quòd viribus impares forent, præter complures vulneratos, ſeptem ac viginti ex ſuo equitatu, quorum duodecim fuerunt ex Genuenſi nobilitate, ac circiter quadringentos pedites amiſerunt. Reliqui verò, nec citra vitæ diſcrimen ac periculum, ſeſe incolumes Gauium recepêre. Interea temporis, Alexandrini & Vercellenſes, nouis copiis, aliiſque ad bellum opportunis inſtructi, ad Aſtam, Pedemontanæ regionis oppidum, tunc ſibi apprimè infenſum, profecti, illud arctiſſima obſidione cinxerunt. Aſtenſes tantis periculis expoſiti, verentes, ne ad propugnationem ſuſtinendam impares forent, ad Genuenſium ſociorum & amicorum auxilium & patrocinium confugerunt, adeò vt Prætor iuſſu Senatus, quò maturè obſeſſis ſubueniretur, nulla mora interpoſita, omnes Gauij præſidiarios in vnum conuocauerit, quibus, vltra militares copias à Lunianæ & Carretti Marchionibus, aliiſque finitimis regulis ſuppeditatas, etiam ducentos haſtatos, à Thoma Allobrogum Duce, recèns miſſos, adiunxit, ita vt omnibus copiis coactis, præter peditem, ſupra mille ac ducentos grauioris armaturæ equites in procinctu haberet. Coacto igitur exercitu, Vbertum Aduocatum cum trecentis equitibus & aliquot ſagittariis præmiſit, qui obſeſſis quam primùm opem ferret. Ipſe cum reliqua militari manu paululum à tergo circa Gauium moratus, paucis pòſt diebus, acutiſſima febri correptus, repentè cum maximo exercitus, ac planè totius Reipub. dolore, interiit. Magna tamen aliorum ducum & cēturionum prudentia aduigilatum fuit, ne propter Prętoris obitum aliquid in exercitu committeretur eiuſmodi, quod cum detrimento, vel contumelia Reip. coniunctum eſſet, ſubſtituto ad hoc alio Imperatore, videlicet Sigencello, tunc temporis Quæſitore, cuius potiſſimum arbitrio bellum tantiſper adminiſtraretur, donec à Senatu in demortui locum Hugolinus ciuis Bononienſ. Prætor, ad quinque menſes dumtaxat, deſignatus fuit. Lotharingus Brixienſis, ex nobili & illuſtri Martinengorum familia oriundus, ſeſe huius expeditionis ſocium cum quinquaginta equitibus cataphractis, addiderat, quò Reipub. priſtinam ſuam animi promptitudinem & beneuolentiam apertiùs declararet, licet anteà in obſidione Albintimilij, ſicuti ſuperius meminimus, non obſcurum ſui animi conſtantiſque fidei teſtimonium Reipub. exhibuerit, ita vt hac potiſſimùm de cauſa eius opera ſæpiùs poſtmodum vſa fuerit. Ceterùm, Alexandrini, cùm præter ſuam opinionem tam potentem Rempub. alioſque conterminos Principes pro Aſtenſibus ſtare, eorumque iniurias non ſecus ac priuatas propulſare, atq; vlciſci velle animaduerterent, ſummoperè veriti, ne ipſi tantis viribus impares, agrum ſuum temerè hoſtilibus excurſionibus obijcerent, nulla præbita decertandi occaſione, Aſtam obſidione ſoluêre. Nihilominus tamen Ligures, ne bellum ad Arquati oppidum ipſi transferrent, operæpretium ſe facturos arbitrati ſunt, ſi ipſorum conſilia præuenientes, illos prius adoriren-

Genuenſ. clades.

Aſten. confugiunt ad opem Genuenſ.

Prætoris interitus.

Lotharingus Martinengus.

Aſta Genuenſ. ope obſidione liberatur.

tur. Proinde valido ac potenti exercitu instructi, miro confligendi ardore flagrabant, eò quidem ardentiùs, quòd existimarent, superatis Alexandrinis, Derthonam, atque ipsam Alexandriam facili cum negotio occupari posse. Quod si fieret, res suas longè meliori loco, quàm antea, futuras minimè ambigebant.

Genuenſ. inuadunt Alexandrinos.

Igitur matura consultatione super totius belli successu habita, Merlum Iustinianum & Ingonem Grimaldum cum aliquot copiis præmiserunt, vt Montanarium, Derthonensis agri oppidum, subita impressione facta, in suam potestatem redigerent. Ipsi interim cum reliqua exercitus parte paulum ab eo digressi, tàm opportuno loco sedem castris delegerant, vt si ita vsus ferret, actutum illis subsidio venirent. Verùm hostes, vti ipsi Ligures omninò præsenserant, ad Serrauallem vsque, per Frascheum oppidum excucurrerant; intellectis tamen horum consiliis, pedem retrò tulerunt; nec impedire vllo modo potuêre, quin Liguſtici duces Montanarium oppugnarent. Sed tanta fuit eius loci asperitas, & propter accliues rupes aditus difficultas, vt ægrè, ac nisi summo cum labore machinæ bellicæ mœnibus admoueri possent: quo sanè factum est, vt eius expugnatio in longum tempus protraheretur, demirantibus interim omnibus, vt, cùm obsessi vndique essent circumuallati, & non vnis difficultatibus laborarent, hostem tamen nunquam vllas suppetias illis afferre ausum fuisse, at potius contra omnium spem atque opinionem, summa vrgente necessitate, conuerso itinere, in tutiora loca sese recepisse, adeò vt Genuens. per hostiũ absentiam liberiorem expugnandi oppidi occasionem nacti, longè maiori studio atque alacritate quàm antea, ità acriter in eam expugnationem incubuerint, vt tandem oppidanos, extrema rerum omnium inopia pressos, eò compellerent, vt ipsi post octodecim dierum perpessam obsidionem, certis quibusdam conditionibus propositis, deditionem facerent. Qua victoria potiti, mox, nemine prohibente, per hostilem agrum varias excursiones fecerunt, eumque miserrimè depopulati sunt, ita vt multi iudicarent, harum duarum vrbium sibi infensissimarum alterutram citra dubium expugnaturos fuisse, si per anni temporis rationem licuisset. Iisdem fermè diebus, Fridericus Grillus & Gulielmus Cataneus, qui cum duabus equitum turmis Genua discesserant, vt recensito milite stipendia persoluerent, in itinere Boscum, ciſpadanæ Galliæ municipium, per occasionem adorti sunt, eoq;, haud magno negotio expugnato, & direpto, multum hostilis prædæ illinc secũ asportarunt, & statim valido præsidio in plerisque Liguſticæ ditionis oppidis imposito, Genuam redierũt. Occupato Montanario, Alexandrini nihilò quietiores facti, ad omnem occasionem intenti erant, nec rerum difficultate, vel sumptibus vllis deterreri poterant, quò ab incepto bello desisterent, crebrisque emissis speculatoribus, omnia Genuensium, aliorumq; sociorum curiosè rimabantur consilia. Et cùm intelligerent, Iacobum Picamilium, vnum ex Reipub. præfectis, Capriatum reſtinare, vt militi præsidiario aliquot mensium stipendia persolueret, eruptione facta, cum aliquot equitum alis illum intercipere conati sunt. Verùm, Vbertus Aduocatus, qui Gauij cum aliquot militibus substiterat, veritus, ne Picamilio ab hoste insidiæ tenderentur, & in aliquod graue periculum incurreret, magna cùm prudentia aliquot equites præmiserat, qui vim atque hostilem impetum facilè ab eo prohiberent, adeò vt hostes multitudine militum superati, & Aduocati diligentia præoccupati, quinquaginta ex eis captis, in magnum vitæ discrimen ipsi deuenerint, & præfectus institutum suum iter commodè prosecutus sit. Ceterùm Ligures, postero anno, quo P. decreto Pecorarus Mercatus Nouus, ciuis Veronens., Prætorio munere functus est, vix iam his bel-

Montanarij expugnatio.

Boscum capitur & diripitur à Genuenſ.

Alexandrinorum pertinacia.

1226.

lis cum

lis cum vicino populo liberati, paruoque respirandi spatio dato, nouis tumultibus atque intestinis bellis implicati fuerunt, quæ fermè hinc orta maiori ex parte esse videntur, quòd cùm Fridericus Cæsar Cremonæ comitia indixisset, Albingauni, ac Sauonenses, mutuo fœdere inuicem obstricti, in magnam spem erecti sunt, se hac occasione Genuensium iugum, quod cum magna molestia per quinquaginta fermè annos assiduos pertulerant, excussuros, & sese in libertatem pristinam vindicaturos. Qua in re, vt aliquod firmum præsidium haberent quo niterentur, Henricum Marchionem Carretinum, apud Cæsarem tunc gratia & auctoritate florentem, sæpe per internuncios solicitarunt, vt hoc eius patrocinio à Cæsaris liberalitate & beneficentia impetrarent. Et ne aliqua iusta de causa repulsam ferrent, néue morosiores esse viderentur, coram Cæsare professi sunt, sese libenter Thomam Allobrogum & Salassorum Ducem, tunc Cæsaris per totam Italiam legatum, pro legitimo domino agnituros, illique ea de causa totius maritimæ oræ occidentalis Liguriæ dominium tradituros. Quam sanè oblationē, cùm esset eiusmodi, vt minimè aspernanda esse videretur, citra longam deliberationem Allobrox accepit, eaque de causa, præstito ab eorum legatis iuramento, ipse apud Cæsarem enixè operam dedit, vt eorum postulata, rata haberet & confirmaret. Vt primùm verò hæc omnia ad Genuensium cognitionem peruenerunt, priusquam Senatus aliquid durius in eos statueret, Idonem Lercarium, & Gulielmum Vsumarium, vt de vniuersi negotij statu penitiùs cognoscerent, ablegarunt, qui ab eis, licet omnia amicè & humaniter agerent, valdè insolēter excepti sunt, nec etiam ab iniuriis temperarunt. Cuius rei indignitas vsque adeò exacerbauit Senatum, vt ad domandam rebellis populi vecordiam & temeritatem, protinus quatuor triremes & pleraque alia nauigia omni bellico apparatu instructa, primū Belmusti vicecomitis, deinde Amici Stralleræ auspiciis, contra eos eduxerint, quò illis omnem commeatus atque annonæ facultatem interciperent. Et quia eo tempore Carretini reguli & quorundam aliorum Marchionum fides summopere Senatui erat suspecta, nouū præsidium in Segni arcem, eius ditioni conterminam, ablegarunt, existimantes, ipsos ea ratione in officio contineri posse, & quasi iniectis frænis, nihil se insciis, molituros. Interea expedire visum fuit, contumacem & rebellem populum pro hoste ac perduelli declarare, & illi, vt fit, aqua & igni interdicere, omniaque illorum bona proscribere, ac expilationibus & direptionibus subiicere ac exponere. Quibus rebus constitutis, Lazarus Gerardinus, patria Lucensis, vir strenuus ac singulari prudentia, virtuteque præditus, eo tempore vrbis Prætor renunciatus, qui, composito prius rerum vrbanarum statu, & sedatis nonnullis priuatorum ciuium controuersiis, summa festinatione ac diligentia vsus, aliquot in Insubriam ac Hetruriam misit, qui ad vsum decreti belli Reip. nomine militarem delectum haberent. Ipse interim Seresanam profectus, primoribus eius loci, ac ceteris, in foro conuocatis, vbi rebellionem & contumelias recens à perduelli populo Reipub. inflictas, graui oratione ostendisset, eos, vt ad hanc expeditionem nomina darent, grauiter exhortatus est, eiusque concio summo applausu atque oppidanorum consensu excepta est, qua dimissa, sollenni ritu ac cærimonia primipilaribus vexilla pro veteri istius Reipub. statuto tradidit & consignauit. Deinde magnam commeatus annonæque copiam pro milite alendo, Varaginem, Naulum, & Segnam, quæ oppida constanter in Genuensium fide permanserunt, conuehi atque comportari iussit: missisque circiter trecentis cataphractis pro eorum locorum, quæ ad Apennini iugū sita sunt, tutela & securitate, decimo Cal. Maij cum omnibus

Albingauorum, & Sauonēsium defectio.

1227.

copiis, in quibus erant amplius quingenti leuioris armaturæ equites, castra mouit. Et primò quidem ad Arbisolam, vnà cum arce, cui nomen Stella, hostili præsidio firmatam, exercitum produxit, acieque militariter instructa, & prolatis tormentis, ipsam arcem summo impetu aliquot dies oppugnauit, eo successu, vt tãdem Simonem Stellam, illius Præfectum, ad deditionem compelleret; qua occupata, breui pòst, nempè tertio Non. Maij, vniuerso oppido potitus est. Huius castri amissio vt primùm Sauonæ innotuit, omnium animos vehementer commouit, quòd crederent, propter loci munitionem & validum præsidium ibi impositum, illius expugnationem multò plus difficultatis habituram: sperabantq́, se hoc modo plus opportunitatis & temporis nanciscì, quò se facilius ad bellũ sustinendum instruerent. Resumptis tamen animis, magnamque bene gerendæ rei fiduciam concipientes, sese fortiter & alacriter ad defensionem parabant, ita vt præter cetera loca, eam potissimùm vrbis partem, quæ Genuam spectat, in cuius propugnaculo non parum defensionis spei collocarant, robore validoque præsidio communirent. Ligustici Duces, cùm ab architectis, aliisque munitionum gnaris, intelligerent, oppidanorum vires potissimùm hac vrbis parte consistere, & contineri, citra aliquam cessationem assiduis tormentorum ictibus impetiuerunt, adeò vt post longam atque diuturnam illorum defatigationem non sine magna defensorum strage in ipsorum potestatẽ deuenerit. Hoc igitur munimento expugnato, Prætor intelligens, quantũ momenti in celeritate ac diligentia collocatum esset, euestigiò maioribus tormentis admotis, illam summo impetu vndiquaque aggressus est, tantamque fecit impressionem, vt cùm in ea oppugnatione quàm pertinacissimè inhereret, plurimaque damna oppidanis inferret, ipsi, desperatis rebus, ac sibi iam extrema omnia metuentes, per internuntios egerint, vt illorum nomine cum obsessoribus, honestis sub conditionibus paciscerẽtur. Et quò facilius Ligusticorum Ducum animos ad humaniores & æquiores deditionis conditiones inflecterent, aliquot ex præcipua nobilitate viri in Genuensium castra missi, qui publico nomine admissam culpam demissè deprecarentur, & oppidanos ipsos in gratiam & fidem reciperent. Hac in re Prætor, ac ceteri, qui auctoritate & dignitate in exercitu præstabãt, se exorari passi sunt, ita vt, condonata venia, & decimo Cal. Iunij, vrbe recepta, ad præcauendas in posterum omnes turbas, nouaque oppidanorum studia, eius castra & propugnacula funditus euerterent, & moles mari iniecta, quæ commoditatem stationis faciebat, pari modo disijceretur, simulque in editiori vrbis loco arx longè munitiss. construeretur, quæ etiamnum, Reipub. nomine, valido Germanico præsidio, ni fallor, tenetur. Hic tàm prosper & inopinatus expugnati oppidi successus adeò Carretti Marchionem, ceterosque finitimos regulos, qui recèns cum Reip. aduersariis fœdus iceranr, & arma in eius perniciem expedituri videbantur, commouit, vt statim mutatis consiliis, fortunamq́, victorũ secuti, nihil sanè amplius moliri vel tentare ausi sint. Præses, rebus Sauonæ ex vsu & Reip. dignitate constitutis, vrbisque tutela Ioanni Spinulæ, viro vt natalium splendore, sic prudentia & virtute insigni, cum Prætoris titulo commissa, victorem exercitum, Albingaunum deditione receptum, duxit, vt ibi, relicta exercitus parte, ac Henrico Cataneo Præfecti nomine substituto, illum populũ sæpius rebellantem, in officio ac fide contineret. Simili cura & sedulitate cetera Ligustici agri loca prout necesse fuit, milite firmauit, ac Genuam supra centum & sexaginta obsides, partim Albingauni, partim Sauonæ imperatos, secum adduxit, atque ibi pridiè Non. Iun. ouanti similis, ab omnibus ordinibus, ob bellũ, strenuè ac feliciter admi-

Sauonens. deditio, ac eorum arx diruta, & noua constructa.

administratum, summis honoribus & congratulationibus exceptus est. Pacatis externis Reipub. motibus, rebellibusque populis ad pristinum obsequium redire coactis, vrbana pax & tranquillitas miro cum totius Reipub. augmento ac felicitate vigebat, sic sanè vt nihil ea tempestate esset, quod quietem publicam, vel vrbis felicitatem aliqua ex parte labefactaret. Successu tamen temporis, quasi in fatis esset, vt celeberrima hæc Resp. diuturna quiete frui nequiret, iterum cum summa totius Senatus molestia, nouæ simultates & dissensiones exortæ sunt. Florebat tunc temporis in vrbe præ ceteris, cùm opibus, tùm nominis existimatione atque fama, Gulielmus Marius, qui, cùm esset ingentis animi, ac sublimes spiritus gereret, præsentis fortunæ suæ statum aspernatus, longè maiora animo secum voluebat, & meditabatur, quòd sese meliori conditione ac excellentiori dignitate stulta quadam ambitione & philautia existimaret. Itaque post longam deliberationem cùm secum statueret, nihil temerè ad parandā sibi nouam auctoritatem & potentiam esse agendum, magna vafritie atque solertia diræ suæ cupiditati iustam aliquam innouandarum rerum speciem & laruam prætexendam & aptandam iudicauit. Proinde, quò faciliùs principatum sibi astrueret, assentiente Prætore quàm plurimos ex suis clientibus populariſq; factionis homines non secus quàm ad pileum accersitos, in vnum conuocauit, quibus graui & diserta oratione ostendit, cum magna totius ciuitatis iactura & dispendio coniunctum esse, quòd magistratus ceterique honores & officia, meliori ciuitatis parte præterita, in paucos transferrentur, ita vt nulla habita in capessendis honoribus isonomia vel æquabilitate, optimis quibusq. neglectis, viri ingenio ac fide præstantes, ab iis muniis arcerentur, & planè excluderentur, quibus ipsi in primis digni atque idonei essent. Hæc oratio cùm valdè plausibilis esset, & reuera popularis, & quòd publicam vtilitatem spectare videretur, admodum speciosa, tantum circumfuse multitudinis, & in primis quidem plebis animos commouit, vt omnes vno eodemque ore & consensu faterentur, eius dicta cum veritate consentire, ac exclamarent, harum rerum deinceps exactam curam & diligentem rationem habendam esse, seque omnes summoperè expetere, atque rogare, vt ipse publico nomine pristinas leges decursu temporis plusquàm Cimmeriis tenebris inuolutas, in lucem & vsum reuocaret, aliosque huic rei aduersantes, si qui fortè reperirentur, in ordinem cogeret. Sed licèt propter Prætoris, tunc temporis fortè Lucam profecti absentiam, nihil in Repub. innouari ac mutari posset, nihilominus, tamen Marius plurimorum precibus defatigatus, ad Cataneorum ædes fano D. Laurentij proximas, (nondum enim publicum prætorium extabat) quamuis se nihil minus velle & cupere simularet, contendit, vbi repetitis rerum summis, & in vlteriorem consultationem adhibitis, populi postulatorum & rogationum accuratam & fidelem rationem se habiturum constantissimè pollicitus est. Interim grauiter pleraque, & non secus ac si in vrbe Princeps esset, de singulis ad Reip. statum pertinentibus, cum priuata quadam auctoritate & magno Populi assensu disserebat, eoque multis ex patricio ordine præstantissimis viris, præsertim verò iis, quorum ædes per dispositam plebem occuparat, eo nomine in iustam suspitionem deuenit, & illos à se quàm alieniſſimos reddidit. Quod nisi Prætor in vrbem reuersus, sua præsentia & auctoritate ambitiosi hominis pernicioſa consilia & inconstantis plebis ausus illicò superasset & repressisset, omninò verendum erat, ne magna Reip. status conuersio insecuta fuisset. Qua in parte non carebat reprehensione ipse Prætor, cuius potissimum facilitate factum erat, vt viri, opibus & dignitate subnixi, cona-

Genuæ auctore Guliel. Mario, noui motus exorti.

conatus, impunitate & magna quadam licentia confirmarentur, prout ipsemet in vrbem reuersus, errorem admissum magna ex parte agnoscere, ac fateri videbatur: quippè qui cùm Marium ab instituto vi ac lege deduci non posse cerneret, illum comitate, & quodam verborum lenocinio, commonstratis Reip. periculis & difficultatibus, quibus per concitatam plebem implicaretur, ad meliora & saniora consilia inflexit. Siquidem ipse suos clientes & fœderatos, qui eum magna contentione rogabant, ne illinc pedem moueret. ac eodem temporis articulo summoque silentio non parua, neq; contemnenda armatorum manus in vrbem admissa fuit, qui per turres & varias domos, instar iusti præsidij collocati, hoc vnum præ se ferebant, & minitabundo vultu ac verbis apertè interminabantur, quòd eius causam, qualiscumque esset, armis & dextera ad extremum vsque vitæ spiritum defensuri & propugnaturi essent. Quod quidem complures, aliarum factionum studiosos, ad summam indignationem concitarat, adeò vt passim per totam ciuitatem tumultuari atque ad arma conclamari inciperetur, tam me herclè vehementer, vt ipse Marius suapte natura meticulosus, & qui facilè rumoribus succumberet, magisque aggrediendis, quàm conficiendis magnis negotiis esset idoneus, multum, sicuti haud rarò vsu venire solet, vt omnia inconsulti impetus cœpta, initiis valida, spatio langueſcant, de pristino suo ardore remitteret. ac tandem multorum ciuium, tempestatem publicam deprecantium, cohortatu, inuito ac reluctante populo, susceptam prouinciam deseruit, & tanquam priuatus ad proprias ædes remigrauit. Compressis Marij, eiusq; sequacium studiis, in Gallia Cisalpina nõdum cum finitimis gentibus bellorum seminaria sublata erant: quãdoquidem Alexandrini præter ceteros, maximè Reip. infensi, hanc iustam & legitimam bello causam prætexebant, quòd nimirum dicerent, & quererentur, Capriatam, sui agri oppidũ, à Genuensibus contra æquitatem retineri. Quæ sanè controuersia cùm esset eiusmodi, vt graues turbas cieret, nec eius finis facilè prospici posset, Senatus, quòd satius existimaret, omnia prius ratione atque auctoritate experiri, quàm armis disceptare, hoc cum illis egit, vt totius rei cognitio de mutuo consensu ad Senatus populique Mediolanens. arbitrium & iudicium reijceretur, demirantibus cunctis Reip. constantiam, quòd Mediolanensibus, cum quibus nondum in gratiam redierat, huiusmodi iudicium permitteret. Hi igitur arbitri ac iudices facti, cognitis & inuestigatis meritis causæ, & magis æquitatis, quàm amicitiæ rationem habentes, secundum Genuenses pronunciarunt, ita vt anno eiusdem sæculi duodetrigesimo, 1228. Guifredo Puduano Præside, aliquot arbitri cum Reip. legatis profecti sint, quorum auctoritate & iudicio res iudicata executioni mandaretur. Verùm Alexandrini, cùm spe simul & oppido præter opinionẽ excidissent, neq; vlla ratione latę contra se sententiæ acquiescere vellent, ad malas artes & fraudes conuersi, controuersum oppidum proditione & clandestinis consiliis occupare tentarunt, & explorata diligenter temporis occasione, qua illius Præfectum cum reliquis præcipui nominis ad excipiendum Legatum egressurum intellexerant, intempesta nocte cum aliquot armatis per aliam portam summo cum silentio in oppidum irruperunt, adeò vt oppidani vix sese in tam inopinato ac repentino casu expedire potuerint, quò saluti suæ vel præcipiti fuga, siue alio quocumque modo consulerent. Ipsi namque oppido potiti, sacra profanis miscentes, omnia ferro & igne demoliebantur: tantaque rabie ac furore in promiscuam plebem & imbellem multitudinem sæuitum est, vt cùm non inuenirent de quo lanienam facerent, in ipsa cadauera sepulchris effossa, ferrum strinxerint, & suam rabiem

Alexandrini denuò arma corripiũt in Genuens.

Alexandrinorum immanitas & furor.

biem effuderint, eáque pluſquam Scythica inhumanitate non contenti, per frusta illa diſcerpentes, ad ſingulare contumeliæ ac ſitibundæ carnificinæ argumentum, paſſim per poſtes, & murorum pinnas, affigerent. Tam barbarum & crudele immaniſſimi hoſtis facinus tantoperè ipſos patres, adeoque vniuerſam ciuitatem ad iracundiam commouit, vt citra aliquam moram ad Mediolanenſem populum legatos miſerint, qui eorum nomine de hac tam intoleranda & quodammodo inaudita inſontium ciuium cæde, quæ cum ſumma Genuenſi populi contumelia & iniuria coniuncta erat, conquererentur. Procuratum etiá fuit, vt oppidani profugi, & furorem hoſtilem elapſi, Gauium ſeſe reciperent, atque omnibus ad vitam neceſſariis iuuarentur. Interim Senatu conſulto ſancitum eſt, vt, cùm tam atrocis & ſcelerati facti vindicta nullo modo differenda eſſet, quamprimùm ducenti equites illuc mitterentur, qui vel crudelem hoſtem profligarent, vel, ſi minimè per temporis occaſionem liceret, ſaltem omnem illi commeatus facultatem interciperent. Prætor poſtmodum, qui fuit Iacobus Balduinus Bononiæ genitus, comparatis maioribus viribus, continuò ad eius loci expugnationem perrexit, atque illum arctiſſima obſidione vndiquaq; preſſit, adeò vt cùm obſeſſi, neque à ſuis, neq; à ſociis, vllis auxiliis ſubleuari poſſent, (immanitate quippe ſua omnium animos à ſe mirum in modum abalienauerant, & in iuſtum omnium odium deuenerant) deſperatis auxiliis, omniſque rerum ad defenſionem ſuſtinendam neceſſariarum anguſtia laborantes, tandem ad Prætorem, qui ſuo nomine ex illius arbitrio & voluntate deditionem faceret, ablegarunt. Ipſe verò, cùm nihil temerè, vel inſcio inconſultoque Senatu ſtatuere vellet, ſumma celeritate ad ſciſcitandam patrum ſuper hoc ſententiam miſit. Qui poſt variarum ſententiarum rogationes, tandem in hoc conuenêre, vt ſtatuerent, maiorem clementiæ & manſuetudinis, quàm admiſſi ſceleris contractæque culpæ rationem habendam, ideoque Prætori renuntiarunt, vt recepto oppido, defenſorum vitæ parceret, ac eos tantummodo nudos, omnibuſque rebus multatos, ſub haſta mitteret. Hac ratione perfidis hoſtibus deuictis, ac, vti diximus, ſub iugum miſſis, Rector valido præſidio eum locum communiuit, ac dimiſſa maiori copiarum ſuarum parte, Genuam reuerſus eſt, vbi honorificentiſſimè à Senatu ceteriſque ordinibus cum magna fauſtaque totius plebis acclamatione exceptus fuit. Paucis poſt diebus, videlicet menſe Nouembri, arx Niciæ vnà cum vrbe à Prouinciæ Narbonenſis Comite, non ſine maximo Reip. detrimento, clandeſtinis conſiliis, & proditione occupata eſt. Edomitis interea & profligatis Alexandrinis, Reſp. ſub Spini Soreſini ciuis Mediolanenſ. regens ad Prætúram euecti gubernatione, domi foriſque pacata, priſtino otio & tranquillitati reſtituta meritò fuiſſet, niſi aliquot piratæ & myoparones, quorum præcipui erant Gulielmus Vintimilius, Roſſus Morinellus, Recuperus, & Durantes, ambo ex portu Veneris oriundi, oram maritimam variis excurſionibus & aſſiduis rapinis ſubinde diuexaſſent. Ad quorum conatus opprimendos, aliquot nauigia duce Anſaldo Buffero expedita & emiſſa fuerunt, quibus, breui temporis interuallo maritimæ oræ tractus ab omni metu ac periculo, captis, quos nominauimus, ereptus fuit, hiſque publico iudicio ac ſententia condemnati, ad ſupplicium aliquamdiu reſeruati ſunt. Nam cùm haberent in vrbe amicos auctoritate atque opibus præſtantes, parum abfuit, quin eorum patrocinio abſoluerentur. Prætor tamen, cui legum, hac quidem in parte, ſuprema erat permiſſa poteſtas, nullius vnquam precibus, vel auctoritate inflecti potuit, vt commutata ſententia, pœnam illorum mitigaret: Sed vni atque alteri præciſis naribus, ad vl-

1229.

Arx Niciæ à Narbon. Comite occupata.

1230.

ad vltimum ſupplicium, ipſius iuſſu rapti ſunt, valdè indignantibus eorum patronis, ac dirum neſcio quid aduerſus ipſum Præſidem frementibus, ita vt ipſe die ſupplicio conſtituta vectus equo, ac nobilium & promiſcuæ multitudinis frequentia ſtipatus, vrbem egreſſus ſit, vt omnem iniuriam & vim, ſi qua fortè apparitoribus inferretur, prohiberet. Sed tantus fuit vtriuſq; ſexus per omnia compita & ciuitatis regiones concurſus, & pro reis deprecantium multitudo, vt, cùm ipſe magna cum animi conſtantia nullius preces admitteret, ab indignante & concitata turba crebris lapidum ictibus equo diſiectus, ac deturbatus ſit, adeò vt grauiter prolapſus, fractaque tibia, paucis pòſt diebus, ex vulnere interierit. Nihiloſeciùs tamen de ſontibus pœna ſtatim ſumpta fuit. Habeo grauiſſimos auctores, qui literis conſignarint, ex his quatuor, Durantem & Roſſum cruci affixos, actutum laqueo vitam finiuiſſe. At reliquos duos, eodem mortis genere affectos, diu in patibulo, non ſine adſtantium admiratione viuos pependiſſe. Quod ſanè vbi primum Senatui renuntiatum fuit, eueſtigiò miſſi ſunt qui eos in vincula reducerent; cumque ipſi etiam cum iuramento aſſererent, ſe in tanto vitæ diſcrimine D. Ioannis Baptiſtæ opem atque auxilium ſuppliciter imploraſſe, id pro miraculo exiſtimatum, eaque de cauſa vtrique vitam condonatam. Interea, ne quid Reſpub. incommodi pateretur, crebris Patrum ſuffragijs Rodulphus de villa ex nobili ſtirpe ortus, & defuncto Præſidi admodum familiaris, in eius locum ſubſtitutus, quoad nouus Prætor deſignaretur.

Prætor à plebe trucidatus.

Rarum exemplum.

LIBER TERTIVS.

SVPERIVS demonſtrauimus, pacificata Rep. externiſque conſopitis bellis, Genuenſium opes miris incrementis tàm domi, quàm foris excreuiſſe. Ceterùm progreſſu temporis, vſque adeò in immenſum prolatatæ ſunt, vt non ſolùm negotiationes atq; cõmercia cum ſolitis & conſuetis gentibus exercerent, verùm etiam longè vltra Hiſpanias atq. Libyam nomen & auctoritatem ſuam imperiique magnitudinem proferrent. quo ſanè effectum eſt, vt anno ſupra milleſimum ducenteſimum trigeſimo primo, Hugolino Roſſo ciue Parmẽſi, Prętore, à Mauritano Murciæ & Cartageniæ regulo, cui nomen fuit Helimelme Molei, quod patrio idiomate Imperatorem ſonat, variis magniſque incommodis & damnis afficerentur, atq. indies grauiſſimæ querelæ ad Senatum eo nomine deferrentur. Quibus commoti Patres, ſtatuêre, vt eueſtigiò valida claſſis præpararetur, partim vt inimicum & inuidum regulum armis prosligarent, ac excinderent, partim quoque, vt Seuptam vrbem in minori Africa occaſum verſus poſitam, (hanc veteres, ni fallor, Mauritaniam Tingitanam vocabant) & fermè in faucibus freti Herculei ſitam, valdè ea tempeſtate diuerſarum mercium ergô à Genuenſ. frequentatam, firmo præſidio communirent, nouoque fœderis iure illius regulum ſibi in poſterum magis atque magis deuincirent. Claſſi autem, quæ decem triremibus, & pleriſque aliis nauigiis varij generis conſtabat, Carbo Marocellus & Nicolaus Spinula cum imperio præpoſiti fuerunt, qui menſe Iunio è ſinu Liguſtico ſoluentes, proſperaque nauigatione in Hiſpaniam delati, tandem Seuptam ſalui atq; incolumes appulerunt; breuique ſpatio interiecto, illuc à Mauritano Hiſpalis regulo, oratores cũ variis muneribus, iuxta illius gentis morem, ablegati, & per ipſos multa beneuolentiæ

Genuenſ. nomen ac potentia.

1231.

Seupta.

uolentiæ testimonia exhibita, quod quidem potius necessitati, quàm veræ & sinceræ amicitiæ ascribebatur, nimirum, cùm ipse per id tempus acerrimum bellũ cum reliquis Mauritaniæ principibus gereret, ita vt summoperè necessarium illi esset, Genuensem populum sibi omninò pacatum atque amicum habere, ne scilicet, vndique ab hostibus circumseptus, & impar oneri ferendo, seipsum, ac suam ditionem, in summum discrimen adduceret. Et quoniam huius vrbis in Genuensium Annalibus percrebra fit mẽtio, haud sanè ab re futurum spero, si eius descriptionem ex lib. III. Leonis Africani desumptam, hîc subiecero. Septa, inquit, quæ Latinis ciuitas, Lusitanis autem Seupta appellatur, secundum classicos authores à Romanis in faucibus freti Herculei ædificata, olim totius Mauritaniæ metropolis fuit; quare Romani eam nobilitarunt, fuitque in ea summa vrbanitas, & ciuium frequentia. Deinde à Gothis occupata, principem in ea cõstituerunt, remansitq. apud eos principatus, donec Mahumetani Mauritaniæ fines ingressi, hanc quoque vsurpauerunt. Cui rei occasionem præbens Iulianus Septæ Comes, iniuria à Roderico Gothorum & Hispaniæ rege affectus, cum infidelibus conuenit, eosque in Granatam introduxit, atque vt Rodericus, & vita, & regno spoliaretur, effecit. Mahumetani igitur occupatam Septam Pontifici cuidam suo Elgualid Habdulmalic filio, qui tum temporis Damascum incolebat, reseruauerunt, anno nonagesimo secundo Hegiræ. Ciuitas ab eo tempore in proximos vsque annos, mirè cùm incolis, tùm omnis generis nobilitate accreuit, adeò vt Mauritaniæ totius pulcherrima, meliusque exculta euaserit. Frequentia habuit templa, & studiosorum collegia, ciues literatissimos, & qui æneis operibus singulari artificio fabricatis ceteros excellerent, cuiusmodi sunt candelabra, pelues, calamaria, aliaque id genus ex ære confecta, quæ perinde elegantia habebant, ac si argentea, vel aurea fuissent. Habent Itali & in huiusmodi rebus conficiendis non parum gratiæ, verùm nihil omninò, si hæc respicias. Extra ciuitatis mœnia ampliſſima sunt rura, eo præsertim loco, qui vitium frequentia consitus, vinetum dicitur: verùm ager sterilis, & asper est; quare magna semper illis frugum caritas. Extra & intra ciuitatem patet amœnus in Granatæ oram ad fretum Herculeum prospectus, atque hinc dinoscuntur animalia, quòd eius interualli latitudo duodecim saltem sit miliarium. Verùm calamitosa ciuitas paucis ab hinc annis, ab Habdulmumene rege ac Pontifice multis incommodis affecta est: quam consecutus, ferè ad internecionem redegit, nobilesque perpetuo multauit exilio. Nec multò post à rege Granatense meliora sustinuit, qui ciuitate occupata, præter memoratam cladem, nobiliores & potentiores ciues Granatam migrare iussit. deinde ãnnõ DCCCXVIII. Hegire à Lusitana classe capta, quotquot inerant ciues, aufugerunt. Abu-Sahid per ea tempora Fessanorum rex, nullius pretij homo, hanc recuperare neglexit: verùm allato inter saltationes & conuiuia nuntio, vetuit ob eum rumorem diei celebritatem interrumpi: quare permisit Deus, vt nocte quadam cum sex filiis à Secretario, cui multum fidebat, interficeretur, quòd se illius vxori commiscere voluisset. Hæc inciderunt in annum 824. Hegiræ. Fessano imperio per octennium rege destituto, successit trucidati regis ex matre Christiana filius, qui eadem nocte, qua rex confossus fuit, Tunetum profugerat: hunc Abdulacum vltimum Marinæ familiæ regem appellarunt, qui, vt superius dixi, à populo pariter occisus est. Hactenus de Septa. Vt verò ad id quod dicere inceperam, sermo referatur, Carthageniæ populi, statim intellecto Ligurum aduentu, sese in suis portubus aliisque stationibus admodũ quietè ac placidè continuerunt, ne scilicet aliquo modo prœliandi occasionem

Septæ descriptio.

præberent, vel Ligures omnibus rebus, quæ bello vsui forent, quàm optimè instructos, ad iram concitarent, adeò vt transactione cum illorum regulo facta, Liguſtici Præfecti, cum eo tempore nullum ibi haberent hoſtem, cum quo neceſſariò confligendum eſſet, Genuam ſeſe circa finem Auguſti cum claſſe recepe-rint. Verùm enim verò quia in hoc rerum agẽdarum ſtatu, inter populum Genuenſem & Battarum Græcorum Imperatorem, nec non Michaëlem Deſpotũ Comeneum, haud mediocres, vel leuis momenti controuerſiæ enatæ erant, ſenatus, quòd Orientalem nauigationem in primis ſibi opportunam, tranquillam & pacificam quàm maxime optaret, Nicolaum Embriacum, & Guidonem Policinum ad eosdem ad res componendas miſit. Iiſdemque ferè de cauſis Henricus Molazana Cataneus, & Paganorus Rodulphus in Ægyptum ad Sultanum oratores amandati, vt ipſorum opera & induſtria conſopitis litibus, nulla deinceps Reipub. ibi exoriri poſſent impedimenta. Simili modo ad Fridericum Cæſarem, qui Rauennæ tunc temporis comitia indixerat, ſenatus ſplendidiſſimam, miſſis ad eum octo præcipuæ nobilitatis viris, nempe Roſſo Cataneo, Ioan. Guercio, Theodoſio Fliſco, Anſaldo Nigrio, Rubaldo Alberico, Alinerio, Panſano, Anſaldo Mario, & Ioanne Spinula, legationem habuit, ea potiſſimum de cauſe, vt, diremptis aliquot controuerſiis atque diſſidiis, quæ ſibi cum Cæſare pauloantè interceſſerant, Reſpub. ſecum in gratiam rediret: eaque ab ipſo amanter atque honorificè excepta fuit. Prius quàm verò vlterius progrediar, haud ſanè alienum ab inſtituto noſtro fuerit, caſum fatalem & funeſtũ duorum Genuenſium iuuenum inſerere. Accidit autem proximo anno, Pagano Petraſancta nobili Mediolanenſi Præturam gerente, vt Liguſtica nauis in Cyprum commutandarum mercium gratia, Genua enauigaret, in qua, præter reliquos Genuenſ. ciues, Othobonus Elias, & Iacobus Grillus, ambo nobili loco nati, & florenti ætate iuuenes erant, qui ſecunda nauigatione vſi, incolumes in Cyprum appulerunt, ibique rebus ex ſententia conſtitutis, patriam cogitarunt. Sed cùm inter nauigandum, vt non rarò contingere ſolet, graues inter illos rixæ & cõtentiones leuibus de cauſis exorirentur, miras turbas vectoribus aliiſque ſociis excitarunt, eo ſucceſſu, vt ipſe Othobonus breui pòſt ita omnium oculis diſparuerit, vt nunquam, licet diligenter de ipſo inquireretur, in alicuius conſpectum venerit, ſed mira cum omnium admiratione deſideratus ſit. Sunt qui putent, potiùs ratiocinatione, reique veriſimilitudine, quàm veris argumentis & indiciis adducti, ipſum, à Grillo, ſtrenuo ac robuſto clàm interfectum, & mira cum dexteritate in mare præcipitatum fuiſſe. Atque vbi ceteri Genuam redierunt, amiſſi iuuenis parentes ac propinqui, totius negotij ſtatum ad Prætorem detulêre, grauiterque cum Grillo expoſtularunt, ſic vt ipſe in vincula coniectus, quæſtioni ſubiiceretur, cauſamq; ſuã ex carceribus ageret. Verùm, quia Inſubrici imperij legibus, quibus Reſp. ea tempeſtate magna ex parte vtebatur, cautum & ſancitum erat, vt propter delictorum ſuſpicionem nemo extremum vitæ periculum, niſi antecedente debita teſtium probatione, adiret, conſtitutum fuit, vt huius controuerſiæ ſumma, ſingulari certamine definiretur, cùm ſcilicet in iudicis non eſſet poteſtate, veritatem aliqua firma & probabili ratione eruere, præſertim cùm res tantummodò nudis coniecturis niteretur. Statuit itaque Prætor, vt, ad dirimendam litem, ex vtraque parte Patroni deligerentur, qui ſingulari huic duello præeſſent, ac eorum iudicio modus pugnæ conſtitueretur. Proinde Actorum Cacia quidam Florentinus, Rei verò Piſtellus Comenſis æquitatem & innocentiam quiſque per ſe recepit, qui ambo in forum Sereſanum, vbi certamini locus conſti-

Multæ Genuenſ. legationes ad varios Principes.

1232.

Longobardorum in criminibus purgandis conſuetudo.

Duellum.

constitutus erat, conuenientes, magno cum hominum concursu diu ancipiti Marte pugnarunt, eo tandem euentu, vt fortuna ad Florentinum inclinante, victoria penes eum staret. Et quia æquitatem causæ ex victoris successu æstimabant, & emetiebantur, Grillus reus quàm primum iuxta earundem legum constitutionem capite damnatus fuit, ac non multò post, vltimo supplicio affectus est. Porrò, vt vetus ista in criminibus purgandis apud Insubres consuetudo magis cõspicua reddatur, vnum in præsentia ex vetustioribus exemplum proferam, quod quidem instar multorum esse poterit. Anno sexcentesimo trigesimo primo Adalulfus quidam summo inter Longobardos loco natus, reginam Gundebergam de stupro interpellare ausus, cùm repulsam conuiciumque tulisset, veritus ne ab ea proderetur, regem adiit, & secreti colloquij copiam nactus, dixit: Tato dux Etruriæ consilia de nece tua cum regina communicauit, vt te sublato, illam sibi coniugio societ. Quibus verbis rex incensus ira, subitò propè amens, coniugem in arcem Amelli coniecit, atque ibi per triennium in arcta custodia retinuit. Post tertium annũ Clotarius Gallorum Rex mulieris misericordia motus, legatos ad Arioaldum misit, perperam feciſſe arguens, quòd Gundebergam ex regio Francorum sanguine ortam, iniusta causa damnasset, atque honore suo dispoliasset. Rege autem se iustam causam habere dicente, Ansoaldus è Legatis vnus, Facilè id tibi assentiemur, inquit, si quem ex reginæ familiaribus singulari cũ accusatore commisso certamine, reginam ipsam permiseris expiare. Quibus dictis, Pitto quidã, siue Carellus, vt aliis placet, ab Arriperto reginæ cõsobrino productus, cũ Adalulfo est cõparatus. Certamine inito, à veritate victoria stetit. Itaq; prostrato Adalulfo, victus Arioaldus, reginã è custodia eduxit, atq; in antiquũ locũ gratiæ honorisq; restituit. Hinc autem facilè perspici potest, veterem & antiquam Longobardorum consuetudinem fuisse, vt crimina vel maxima singulari prœlio purgarentur, quæ postea in leges translata, per multa annorum volumina seruata est. Vt verò ad institutum reuertar, paucis pòst mensibus, Pegoloto Hugucione ciue Florentino ex nobili Girardinorum familia, Genuæ prætorio munere fungente, Luca celeberrima Tusciæ ciuitas & olim Romanorum colonia intestinis bellis & dissensionibus mirum in modum laborauit, ac exagitata fuit: erantque in ea Rep. tempestates adeò periculosæ, vt, nisi Senatus Genuens. prudentia quã primùm moderatæ ac superatæ fuissent, verendũ esset, ne grauem perniciem, & planè exitiosam pestem illi Reip. attulissent. Quapropter cùm ambæ Resp. fœdere atque amicitia inuicem coniungerentur, Senatus Genuens. ad comprimendos istos motus Simonem Ventum, & Ioannem Saluaguin viros, præter generis claritudinem, ab auctoritate & longo rerum vsu valdè commendatos, misit. quorum tanta fuit dexteritas, atque prudentia, vt illius Reip. statum breui temporis interuallo, reconciliatis omnium animis, componerent. Sunt 1233.
qui asserant, hoc anno montem quendam, 5000 hominibus obrutis, aliò migrasse, quo tempore & Eclipsim prodigiosam Solis, Lunari corpore versus occasum in sex angulos prorogato, extitisse, indeque secuta bella ciuilia & innumeras cædes. At proximo anno, Rimedio Rusca Comis genito, Prætore, noui motus in agro Ligustico ab Oneliæ & Arociæ indigenis concitati sunt: quorum sanè tanta fuit temeritas & furor, vt omnem mouerent lapidem, quò, excusso iugo, se in libertatem assererent; ita vt nouæ spei inhiantes, tam longè lateque grassarentur, vt quædam Reip. oppida, sibi contermina, inter quæ fuerunt Petra Lata, & Riuernatum, repentino impetu facto, occuparent, ac eorum legatos & procuratores interficerent. Ad quorum quidem perduellium & refractariorum

Luce intestini motus Genuens. auctoritate compositi.

rabiem refrenandam, & exitiosa arma profligandà, statim Senatus totam vrbanam militiam educi iussit, rebusque omnibus quæ ad bellum spectarent, præparatis, Ioannem Stralerum equestribus copiis, pedestribus verò Theodosium Flisicum, & Petrum Ventum præposuêre: qui vrbem cum exercitu egressi, quoddam municipium Albingauno proximum, quod à rebellium partibus stabat, adorti, illud facili negotio expugnarunt. Quorum exemplo Iurenses deterriti, cùm sese tantis apparatibus inferiores esse cognoscerent, non expectato Ligustici exercitus aduentu, omnium primi extitêre, qui vltroneam Reip. deditionem offerrent. Quorum etiam promptitudo effecit, vt alij duarum vallium indigenæ non multò post, se, suaque omnia pristinæ fidei & obsequio committerent. Hoc modo repressis tumultibus, rebellibusque ad officium redire coactis, recepta oppida valido præsidio communita fuerunt. Quibus omnibus Henricus
1235. Rossus Cataneus vir grauis & fortis, cum imperio relictus fuit. At initio subsequentis anni, Petro Andalo ciue Bononiensi Prætoriam dignitatem obtinente, Senatum Africæ minoris componendæ cura excepit. Intelligebat siquidem, quantum Reip. interesset, si ea, & præsertim qui Seuptam, cuius antea meminimus, inhabitabant, ab omnibus iniuriis & incommodis liberi, commodè & tranquillè ibi negotiari possent. Paucis enim diebus antea, Cantabri, gens quietis impatiens, & excursionibus assueta, illam oram crebris depopulationibus & rapinis mirum in modum inquietarant, ita vt parum abfuerit, quin Seuptam inopinatò opprimerent, & occuparent. Nam, priusquã fretum Herculeum transfretarent, in Gadibus aliquot Ligustica nauigia ibi stationem habentia, interceperant, ideoque ad illorum conatus & vim arcendum, valdè necessarium erat, vt mercatores Ligustici Seuptæ negotiantes, cùm nullum adhuc Genua subsidium mitteretur, pro sua, suarumque fortunarum tutela decem onerarias instruerent, quas in sinu Cantabrico prædabundo hosti opponerent, cum quibus eo successu conflixêre, vt, cùm longè Cantabris essent numero ac viribus inferiores, relictis nauibus, conscensisque scaphis, fuga sibi salutem quæsiuerint, adeò vt cùm ipsis in vrbem redeundi potestas interciperetur, Maleacum, maritimum Hispaniæ Bæticæ oppidum petierint, vbi cùm duas naues haberent, nouo supplemento facto, ac pro præsenti rerum conditione omnibus vtilibus instructas, Seuptanis tunc ab hoste obsessis, auxilium miserunt, qui prospero ventorum & fortunæ beneficio vsi, in portum quendam non ita multum à Seupta remotum, descensione facta, citra vllum hostium obstaculum in vrbem recepti sunt. Senatus, intellecta noua suorum ciuium calamitate, & recenti Seuptensium obsidione, quò omnem vlteriorem iniuriam & necessitatem auerteret, & crebris etiam Mauritani literis opem atque auxilium implorantis, admoneretur, decreuit, vt, nulla interposita mora, duodetriginta triremes, & quatuor onerariæ naues, omnibus rebus militaribus opportunè & egregiè adornatæ, illuc mitterentur. Et quia graue periculum in mora erat, & rei necessitas summam festinationem requirebat, non concessa instruendæ quamprimùm classis commoditate, quatuor triremes omnibus rebus naualibus instructæ, auspiciis Lanfranci Spinulæ, & mox decem sub Othonis Camilij præfectura, & tandem quatuordecim naues duce Ingone Bonifacio Cataneo, ad auertendum hostem ablegatæ fuerunt, quæ omnes haud multò post, simul inuicem coniunctæ, nequicquam reluctantibus & impedientibus Cantabricis, obsessis opportunum præsidium attulerunt, & vrbem omni obsidione liberarunt. Cuius quidem immortalis accepti beneficij memoriam adeò ingratè & impiè Barbarus regulus citò

Plurima nauigia Liguſtica à Cantabris intercepta.

Classis aduersus Cantabros.

Seupta obsidione liberata.

oblite-

obliterauit, vt hoc nomine perenni odio ab omnibus meritò censeri debeat. Nam, vt cetera omittam, tanta fuit eius barbaries, vel potius feritas, vt, cùm Liguſtici Præfecti ac trierarchi, ſibi Reip. nomine factarum expenſarum & ſumptuum rationem aliqua ex parte rependi ac refundi peterent, tantùm abfuit, vt ſeſe gratum, prout tenebatur, illis exhibuerit, vel rationem aliquam in conſilium admiſerit, vt etiam contra omnium gentium mores, illos, accerſitis ad hoc aliquot Arabibus, & in vrbem ſummo cum ſilentio receptis, per inſidias adoriretur, nec paucis incommodis & damnis, cùm ad reſiſtendum imparati eſſent, afficeret. Quibus crudeliſſimi ſimul & ingratiſſimi vno eodemque ferè tempore & amici, & hoſtis, contumeliis ipſi commoti, enixè operam dedêre, vt, cùm iam hiems appeteret, illinc ſuas facultates tranſportarent; quod tamen quàm ægerrimè, & vix poſt multas preces, impetrarunt. At Senatus de tantis iniuriis & contumeliis edoctus, licèt maximis in rebus gerendis & ſuſtinendis animos ita exercitatos haberet, vt non facilè frangi, vel debilitari moleſtiis poſſet; nihilominus tamen difficile fuit, id grauiter non ferre, præſertim cùm acceptum beneficium non ſolummodò ingrati animi vitio contaminaret, ſed etiam barbaricam & crudeliſſimam feritatem adiungeret. Statuit ergo pro veteri ac ſolita ſua prudentia, non antea contra illum armis diſceptare, quàm eius animum penitiùs intellexiſſet, exiſtimans, illum adduci & perſuaderi poſſe, vt, ratione in conſilium adhibita, honeſtæ petitioni aſſentiretur; à qua ſi recederet, mox illi bellum nomine Reipub. indiceret. & hæc per Carbonem Marocellum ad eum miſſum, denunciari iuſſit: iſque vbi primùm ad eum venit, necnon prouinciam, ſibi à Senatu iniunctam, exponeret, & nihiloſeciùs illum pertinacem eſſe animaduerteret, bellum ipſi Reipub. nomine indixit, omniaque hoſtilia denunciauit, & mox ad Maurum Hiſpalenſium regem, tunc temporis Reipub. ſocium & amicum, ſimulque huic regulo infenſiſſimum, & capitalem hoſtem, prout in mandatis habebat, rogatum ſuppetias ſeſe contulit, arbitratus, id multò magis ex vſu Reip. eſſe, ſi barbarum hoſtem, ſociorum auxiliis in tam longinquis regionibus debellaret, quàm ſi ex Italia non citra periculoſam & longam nauigationem, militem domeſticum euocaret. Marocellus, ſimulac Genuam rerum ſuarum ſtatum ad Senatum tranſcripſit, ac de ſingulis edocuit, ibi protinus ex patrum decreto viginti triremium, ſeptem onerariarum maiorum, & triginta minorum nauigiorum claſſis ad illius belli vſum expedita fuit, & contra hoſtem emiſſa. Proinde vt primùm Genuenſ. Seuptam appulêre, ſtatim cum vniuerſa claſſe vrbem ipſam obſidione preſſerunt. Verùm cùm Marocellus vnà cum terreſtribus ſuis copiis indies expectaretur, quò ciuitas mari terraque vndique oppugnari poſſet, Reip. fato accidit, vt ipſe in medio quodammodò rerum bene gerendarum curſu grauiſſima febri correptus, repentè, priuſquàm reliquæ claſſi ſeſe coniungeret, è viuis ſubtraheretur, & ita milites ab ipſo, illis in locis deſcripti, quam primùm poſt ducis obitum, militiæ renunciantes, quiſque ſeſe domum receperunt. Nihilominùs tamen claſſis præfecti, cùm inchoatum bellum modis omnibus proſequendum eſſe exiſtimarent, aliquot iam duces deſtinarant, qui auxiliares iſtas copias, vti diximus, propter ducis obitū retrogreſſas, iterum repeterent atque reducerent, & in media propemodùm rerum omnium conſultatione decem aliæ triremes cum nouo militum ſupplemento Genua miſſæ, ſub imperio Hugonis Lercarij, illuc appulerunt; quarum aduentu factum eſt, vt obſeſſi noſtrorum potentiam veriti, de tranſactione ſæpiùs inter ſe deliberarent; ſic mehercle, vt ea expeditio huic ferè habuerit exitum, vt pace ſub

Perfidiæ & ingrati animi exemplū.

Bellum regulo Mauritano indictum.

Septa à Genuenſ. obſeſſa.

Carbonis Marocelli obitus.

Pax inter Ligures & Mauritanũ.

æquis conditionibus vtrimque constituta, Ligures ab vlteriori vrbis expugnatione cum magna sua laude ac emolumento abstinuerint, rebusque feliciter, ac ex animi sententia perfectis, Genuam Idibus Decemb. cum incredibili omnium

1236. lætitia & applausu reuersi sint. Proximo anno, sub Iacobi Treciagi Prætura, Genuensium Annales nihil sanè, quod foris aut domi insigniter gestum fuerit,

1237. commemorant. Ceterùm insequenti, Oldrado Crosso Laudensi Prætore, in Rep.

Noui motus in Repub.

noua dissidia & simultates repullularunt. Quandoquidem, tametsi omnium eorum, ad quos hæc electio spectabat, vnius exceptis suffragiis, ipse Oldradus, Prætor renunciatus esset, non deerant tamen aliquot morosiores, qui huic creationi obstrepebant, & molestè refragabantur, quòd dicerent, nullum Præsidem creari debere, nisi omnium suffragiis, & nemine excipiente, designatus esset. Quapropter contendebant, huiusmodi electionem planè infirmam atque inualidam esse: quod sanè cùm Rempub. in varia studia deduceret, plurimis controuersijs & dissensionibus ansam præbuit, adeò vt cùm fortè is, qui antea Præturam gesserat, siue, vt aliis placet, nouus Prætor, cum nonnullis ciuibus circa aliquot publicas fabricas versaretur, exorta graui contentione, plurimi coram eo vulnerati sint, & quidam interfecti: resque omninò in multò maius discrimen coniecta fuisset, nisi vrbis Antistitis opera, & auctoritate, exorti motus maiori ex parte sedati atq; compositi fuissent: Cuius etiam potissimùm auctoritate & iudicio Prætor recèns designatus, in suo munere ac dignitate confirmatus est.

Domestica dissidia.

Paucis interiectis diebus, inter Spinulas, & Marocellos graues itidem tumultus concitati sunt; qui sanè cùm essent eiusmodi, vt minimè consopiri possent, & prorsus vlterius in perniciem Reip. serpturi viderentur, Præses, vt illorum conatibus maturè obuiam procederet, præcipuos eorum auctores, vt ad tempus suis penatibus abessent, iniunxit. Huiusmodi, & similibus contentionibus ac turbis Respub. ea tẽpestate mirum in modum inquietabatur, sic vt interdum ex priuati alicuius ciuis casu graues ac pernicioſi motus ibi orirentur. Nam, vt cetera, tamquam minoris notæ, silentio præteream, statim post hanc, quam recensui, inter has duas familias altercationem, euenit, vt adolescens quidam patricij ordinis concubia nocte ab incertis sicariis interficeretur: quod cùm ipsius parentes ob rei atrocitatem indignissimè ferrent, vniuersam ciuitatem maximis perturbationibus repleuit; nec vnquam quieuêre, donec propter huiusmodi parricidium tres infimæ conditionis homines, qui rei habebantur, nempè Paschalis Olearius, Otho Nigrinus, & Peculus H. securi plecterentur. Hæ autem assiduæ ciuiles contentiones atque odia popularia non pauci Liguſtici agri oppidis occasionem dedêre, vt à debito obsequio pristinaque reuerentia sensim desciscerent; & in primis quidem Sauonens. ceteris, defectionis turpe ac funestum exemplum præbuêre. Siquidem ipsi, Paulo Sorresino ciue Mediolanensi, Genuæ Præturam gerente, occupata arce paucis antè annis ex Senatus mandato, ibi, vt anteà commemorauimus, extructa, Balduinum Mulferum & Petrum Gontardum illius præfectos, vnà cum suo præfecto Ansaldo Cataneo, ac plerisq; aliis, publicis muneribus & officiis admotis, summa violentia expulerunt, seque in pristinam libertatem reposuerunt. Quos deinde insecuti Albingauni, & qui portum Veneris, & Albintimilium incolebant, excusso iugo, pari libertatis illecebra illecti, & nouandarum rerum cupiditate adducti, noua studia amplexi sunt. Dici autem vix potest, quantoperè his repentinis motibus ac defectionibus Senatus ipse, atque adeò tota Resp. commota fuerit. Nec enim obscurè intelligebant, quantos retroactis temporibus propter similes contumacias & re-

1238. *Sauonenſiũ & vicinarum vrbium à Genuens. defectio.*

bel liones

belliones subiissent labores & pericula, quamque grauis & pernicioſa res esset, clandestinis atque ciuilibus bellis aliquo modo distineri. Quocirca, depositis ciuilibus rixis & simultatibus, omnes certatim dabant operam, vt harum ciuitatum & oppidorum defectiones quamprimùm armis vlciscerentur, ita vt Senatusconsulto decretum fuerit, vt summa cum diligentia quatuordecim triremes ducibus Fulcone Guercio & Rosso Turcio instruerentur; quibus seuerè iniunctum fuit, vt confestim Albintimilium adnauigantes, illud summis viribus inuaderent, arbitrati, illam expeditionem plus laboris, & difficultatis, quàm reliquorum oppidorum expugnationem habituram, ideoque operæpretium esse censebant, vt summa celeritate illos præoccuparent, priusquàm scilicet, oppidanis plus otij ac temporis concederetur, quò sibi melius de rebus necessariis prospicerent: & omninò existimabant, fore, vt hac vrbe in fidē atq; obsequium recepta, reliquæ multo faciliùs ad priorem obedientiam redirent. Ipsi ergo huc delati, summa industria quæcumque in mandatis habebant, executi sunt; militeque in continentem exposito, illam summis viribus oppugnarunt: sed defensores, protinus irruptione facta, hostiles conatus aliquandiu strenuè ac fortiter repulerunt, eo tamen successu, vt cùm ipsi, bellatorum numero ac viribus minùs valerent, ac summoperè metuerent, ne in easdem, & longè grauiores calamitates inciderent, quas paulò antè easdem ob causas perpessi fuerant, illicò ad classis præfectos ablegarint, qui publico nomine demissis precibus veniam peteret, ac certis quibusdam conditionibus deditionem faceret. Hac vrbe igitur, in vetus obsequium ac fidem redire compulsa, continuò Albingaunum nauigationis cursu inflexo, in itinere Gallindram, siue, vt alij vocant, Gallinariam, insulam ab ipsis Albingaunis paulò antè occupatam, in fidem receperunt, adeò vt ipsi, cognita Albintimilij populi deditione, priusquàm Ligusticus exercitus suis mœnibus admoueretur, pari exemplo deditionem facerent: sicuti etiam per idem fermè tempus, ab iis qui portum Veneris incolebant, studiosè procuratum est. ac soli Sauonenses iam supererant, in quos arma verterentur: eaque de causa cùm Genuæ nouum supplementum fieret, hique se à sociis ac fœderatis desertos viderent, ne belli extrema experirentur, de Senatus solita humanitate & beneuolentia confisi, Genuam oratores miserunt, qui admissi sceleris & perduellionis culpam, publico nomine impetrata venia, iterum deprecarentur. Patres, licèt haberent iustissimam causam, vt in eos seuerissimè animaduerterent, & ad posteritatis exemplum aliquid durius in eos statuerent, nihilominus tamen vicit sceleris atrocitatē genuina atque illis innata clementia, adeò vt cùm essent ciuium sanguinis parci, eos tandē in gratiam reciperent, hac tamen lege & conditione, vt præcipuos defectionis auctores Genuam perduci curarent. Quos tamen Senatus mira quadā & inaudita mansuetudine, vt illorū animos sibi magis in posterū deuinciret, & faciliùs in officio retineret, omnes breui pòst, saluos & incolumes ad eos remisit, præter Gulielmum quendam, vnū ex præcipuis contumacibus ac rebellibus, qui populum ad defectionem excitarat, de quo, ad ceteros deterrendū, publicè supplicium sumptum fuit. Compressis his motibus, post exigui temporis decursum, aliquot nouæ turbæ in ora maritima exortæ fuerunt, ad quas restinguendū Fulco Guercius iussu Senatus cū aliquot triremibus ablegatus est, & facili cū negotio res tunc ibi sedatę. Subsecuta est deinde pax inter Ligures ac Venetos, intercessione & auctoritate Gregorij Pontificis noni cōstituta, quæ deinceps, vt separatim suo loco explicabitur, per multos annos continuos firma & illęsa inter eos stetit. Cōpositō & pacificato

Albintimilium à Genuens. obsidetur.

Albintimilium receptum.

Albingaunum & Portus Veneris deditionem faciunt.

Sauonens. in gratiam recepti.

Pax inter Ligures & Venetos.

cificato externarũ rerum & motuum ſtatu, rebellibuſq. ad officium & fidem, vti diximus, redire coactis, tranquillitas & otium Reip. reſtitutũ maiori ex parte videbatur, niſi ea ſubſecuta eſſent tempora, quæ non ſolũ vniuerſam Italiã, diuerſis factionibus & ſimultatibus implicarant, ſed etiam contagione quadam peſtilentiſſima potiorem Chriſtiani orbis partem occuparunt. Cùm enim in Italia propter Pontificem ac Cæſaris diſſidium & diuturnam altercationem, diuerſa Principum populorumque ſtudia exorta eſſent, contentio eò tandem deducta eſt, vt in duas quodammodò æquales partes ſciſſa, Guelfæ ac Gibellinæ factionis nomina comparârint. Quarum certè factionum ſemina cùm longè lateque exitioſa quadam ſegete & contagione ſerperent, ac totam Italiam miris turbis atq. tumultibus quàm miſerrimè diuexarent, etiam Genuæ vtraque factio ſibi locũ ſortita eſt, ita vt vniuerſa ferè ciuitas in varias partes ac ſtudia diſtracta, aſſiduis diſſenſionibus & rixis laborare ac defatigari inceperit. Cùm verò hæc planè eiuſmodi extiterint, vt incredibilem omnibus ferè Chriſtiani orbis regionibus & populis non ſolùm conuerſionem, ſed etiam magnam ſolitudinem ac vaſtitatem intulerint, & ipſos Principes grauiſſimis diſſidiis ac certaminibus inter ſe commiſerint, operæpretium erit, quàm breuibus potero verbis enarrare, vnde exitioſæ iſtæ duæ peſtes nomen primum atque originem traxerint. Plerique haud obſcuri nominis ſcriptores, ex his, quos recentiora ſæcula protulerunt, literis ſuis crebram harum duarum factionum mentionem fecerunt, ſic tamen, vt de illarum primordiis atque origine haud mediocris inter ipſos diſſenſio & controuerſia extiterit. Quidam enim cenſuerunt, has primùm ſub Friderico ſecundo in Etruria apud Piſtorienſes natas, apud quos duæ factiones præcipuæ regnabant, Cancellarij ſcilicet, & Panzatici: qua quidem tempeſtate dicũt fuiſſe duos fratres ex illuſtribus Principum in Germania familiis ortos, quorum vni Guelf, alteri verò Gibel nomen erat, & ambos in diuerſas factiones ſua ſtudia inclinaſſe, ac ſuum nomẽ his, vnde ſteterit, partibus dediſſe; & Panzaticos quidem, Gibellinos dictos; qui verò alterius factionis erãt, Guelfos appellatos. Quidam alij exiſtimarunt, hæc fatalia & pernicioſa nomina ſub Friderico primo, cognomento Aënobarbo, initium habuiſſe, ſic tamen vt temporis progreſſu miris incrementis augerentur. Quippè inter ipſum Cæſarem & Alexandrum Pontificem ſuborta fuit grauis ſimultas, quæ deinde in apertum bellum prorupit. Sunt etiam qui poſteris ac memoriæ mandauerint, ætate Lotharij Saxonis Imperatoris, eiuſq. antagoniſtæ Chunradi Sueui III. Imp. hæc nomina primò in Italia cœpiſſe: quod ſanè compluribus verisimile videtur, cùm conſtet, non modò Lothariũ Imperatorem, Romani Papatus fidelem aſſertorem, à genero Henrico Duce Bauariæ, fratre Guelfonis vltimi, id eſt ſexti, aduerſus Chunradum Cæſarem, eiuſque fratrem Fridericum, Sueuiæ Duces, ſtrenuè adiutum, ſed etiam prioribus ſæculis Guelfonum gentem vetuſtam & inclytam fuiſſe, ac Romano Pontifici ſemper adſtitiſſe: quo ſanè factum eſt, vt ipſi Guelfones Marchiam Veronenſem, & pleraque Italiæ loca poſſederint, & ab illis, vt præcipuis Pontificum propugnatoribus, omnes Pontificias partes ſecuti, Guelforum cognomen adepti fuerint. Porrò huiuſmodi voces ſub eodem Chunrado tertio in pugna quadam cœpiſſe commemorant, cùm Guelfi auxiliares copiæ ſymbolum quaſi hoc ſibi haberent, *Hic Guelf*. Qui verò ſub Chunradi Cæſaris ſignis erant, *Hic Guaibelin*, clamabant. Chunradus enim Sueuus in eo pago vetuſtæ nobilitatis Vuaiblingen ferebatur nutritus. Hinc Cæſarianis Guibelini, Pontificis ſociis Guelforum nomen manſit, quòd olim Guelfus Italica auxi-

Quando Guelfi & Gibellini eſſe cœperunt.

lia con-

lia contra Cæsarem Chunradum duxerat. Ceterùm, sub Friderico secundo Cæsare hoc factionum studium adeò latè serpsit, vt nulla ciuitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe perniciosissima intactus remaneret. Vrbs enim in vrbem, prouincia in prouinciam, populi pars in alteram, nulla impellente alia, quàm harum partium causa, inter se atrocissima bella per multa annorum curricula gesserunt. Nec solùm diuisa erant insignia in prœliis deferenda, sed colores, terræ fructus, vestium habitus, ipse hominis incessus, digitorum cõcrepitus, & oris hiatus, suarum habebant partium significationem. Vt verò ad inceptum redeam, Genuæ summoperè verebantur, cùm populus in has duas potissimùm factiones esset distractus, ne aliqui ex præcipuis familiis, Cæsaris partes recèns secuti, eiusque gratia & auctoritate subnixi, Reipub. statum conuellere & immutare conarentur. Quorum ausis atque conatibus vt maturè obuiam iretur, néue aliquis immutandis rebus relinqueretur locus; anno eius sæculi vndequadragesimo Philippus Vicedominus Placentinus, Præses publicis patrum suffragiis designatus, cum senatu egit, vt impendentem tempestatem atque grauissimum Reipub. periculum prudentia & maturitate consilij superaret. Igitur, quò melius tranquillitati ac vtilitati publicæ consuleretur, Patres statuêre, vt Rossus Turcius, & Fulco Guercius, quorum non semel antea meminimus, custodiam vrbis, tamquam militiæ præfecti, consignatis illis aliquot præsidiariis cohortibus, sibi desumerent, quò scilicet, ciuium animi nouarum rerum studiosi, & nihil, præter aliquam obuiam occasionem expectantes, præsidiariorum præsentia, ceu iniecto freno, in officio retinerentur. Hæc, etsi cum summa Senatus prudentia grauiter essent excogitata, & salutariter procurata, nihilominus tamen in tam aperta studia hæ factiones vbiq., & præsertim in hac vrbe euaserant, vt nulla diligentia, auctoritate, vel metu coërceri potuerint, adeò vt Gulielmus Spinula in Apennini faucibus aliquot vrbis præsidiarios milites cum suis clientibus & sociis adortus, manifestum animi sui studiique indicium dederit, & quomodo erga Remp. animatus esset, declarauerit. Cuius rei indignitate commotus Senatus, & valdè metuens, ne, si Spinulæ temeritas impunitate confirmaretur, multi alij ciues simili exemplo delinquerent, grauiter ac prudenter statuit, vt ipse proscriberetur, eiusque bona hastæ subiicerentur. Pari seueritate in Sorleonem Peuerem, Ansaldum Embronum & Burborinum Raimundum Cataneum, factiosos ac rebelles ciues, & in vrbem ad dicendam causam euocatos, animaduersum fuit. Quippè perpetuo exilio propter defectionem, & quòd minus Senatui dicto obedientes essent, multati sunt, ac eorum ædes ad maiorem ignominiam solo adæquatæ. Circa idem fermè tempus, Genuæ Senatus decreto tredecim triremes, quibus præerat Fulco Guercius, in oram maritimam eductæ, isque, exiguo tẽporis interuallo, Ceruium, Dianum, Vallem Oneliam, Bestanum & portum Mauricium, quæ loca paulò antè à Genuensibus defecerant, ad pristinam fidem atque obsequium redegit, pariqué successu arcem vulgò S. Ampelij, in quam plerique profugi ac extorres, ceu in tutissimum asylum, sese receperant, expugnauit, ac funditus euertit. Inter hæc, illud minimè silentio prætereundum videtur, nempè tertio Non. Iunij eiusdem anni circa meridiem fuisse ingentem eclipsim, & Solem ita nube atra obscuratum, vt omnia densissimis tenebris inuoluerentur. Posterus annus Henricum Monsam, patria Mediolanensem, Genuæ Prætorem habuit, sub quo, præter cetera, inter Remp. & Insubres ac Placentinos mutuæ conuentiones initæ, paxque, adhibito etiam fidei sacramento, vtrimque constabilita. Iisdem quoque diebus, Iacobus Carrettinus Finarij regu-

1239. Eclipsis. 1240.

lus, eò

lus, eò quòd ipse vnà cum Marchione Lanza, contra ius fidemque præstitam, arcem, vulgò Petram, obsideret, hostis Reipub. declaratus fuit, eique publico nomine bellum indictum. Nec multo pòst, Vbertum Marchionē Palauicinum Cæsaris legatum, nonnulla Reip. propugnacula & munitiones adortum, Præses cum valida militari manu expulit ac profligauit. Dum hæc, & pleraque his consimilia foris geruntur, domi subinde internis motibus ac ciuilibus dissidiis laborabatur: quæ sanè haud parum auxit atque aluit Gregorij Pontificis cum Cæsare altercatio. Nam, cùm ipse Synodum Romæ vniuersalem indixisset, à Repub. enixè contendebat, vt transalpinos Antistites, & oratores, Niceam appulsos, cum sua classe ad vrbem deduceret. Quod vt modis omnibus impediret Cæsar, multos patricios suæ factionis, & præcipuæ auctoritatis viros per fideles internuncios solicitabat, inter quos Fridericus Grillus, & Ioannes Saluagus, adeò Pontificis postulatis in illa Repub. reluctabantur, vt, cùm sese Cæsarianarum partium publicos fautores & sectatores profiterentur, ea de causa à Senatu & Gulielmo Surdo Placentino recèns ad Præturam euecto, in exilium ablegati fuerint. Rossus etiam Cataneus non paruas in Rep. ea tempestate turbas dedit. Nam cùm fortè apparitores publici sententiæ contra illum latæ locum & modū constituere vellent, ipse summa vi eos repulit, ita, vt ea propter in Senatum ad dicendam causam euocaretur. Sed ipse Magistratus auctoritatem floccipendens, sese aliquot magnorum virorum patrocinio atque ope, iudicio liberare & subtrahere conabatur. Quod ægrè ferens Prætor, Senatu in ædem D. Laurentio sacrā conuocato, huiusmodi orationem habuisse dicitur.

Nouæ dissensiones in Rep. ob Friderici ac Pont. studia.

1241.

Prætoris cōcio in senatu.

Intuenti mihi in hunc præstantissimorum virorum cœtum, dignitate, pietate, virtuteq; excellentiū, P.C. profectò oculi terrentur. Non enim potest verecundus ac bene institutus animus in tàm præclaro ac peramplo consessu, sine summa commotione, & propè fine metu, vel verecundia, dicere. Sed cùm vetus & honestissima huius amplissimæ Reip. cōsuetudo obtinuerit, vt Prætori, si quid grauius in ciuitate cōtigerit, liceat publici commodi gratia, vel senatum cogere, vel singulos Patres priuatim atque seorsum consulere, & adire, spero vos consilium meum probaturos esse, quòd hanc opportunitatem nactus, ea quæ ex vsu & dignitate Reipub. vestræ, cuius administrandæ aliquam partem mihi pro exacto iudicio vestro demandastis, breuibus verbis dixero. Nunquam equidem P.C. si verum effari, & in libera ciuitate liberum hominem liberam vocem liceat emittere, adduci hactenus potui, vt crederem, tantam esse in hac vestra tam præclara vrbe morum corruptelam, & bonarum omnium disciplinarum neglectionem & contemptum, vt Magistratus, aliorumq; munerum ac officiorum auctoritas, palam & apertè floccipenderetur & opprimeretur. Nam cùm Respub. vestra semper fuerit optimis institutis atque saluberrimis præceptis informata, & iisdē, ceu firmissimis epistyliis solidisque fundamentis, subnixa, demiror summoperè, quánam potissimum ratione fiat, vt antiquatis, vel saltem contumaciter neglectis optimis istis ciuitatis moribus, debitus honor Magistratibus, & præsertim vrbis Prætori, haberi & deferri consuetus, hac tempestate, cùm longè maior quàm antea, esse deberet, cum maximo Reip. dedecore, ac pernicioſissimo exemplo sit abrogatus. Arbitrabar siquidem, vt verum fatear, ita omnia in hac ciuitate ad regulam, & absolutissimæ Reip. normam esse attemperata, vt, si quid in aliis ciuitatibus esset corruptum, vel planè huiusmodi, vt censura, vel seueriore disciplina indigeret, hoc vnum ab hac Repub. tanquam præclarissimo Amphictyonio ad salutem omnium populorum & regionum instituto, peti atq;

mutuari

mutuari debere. Aristocratiam enim habetis ita democratia temperatam, vt plena dignitatis sit, & leges vestræ non sunt ad vllius partis aut factionis commoditatem latæ, sed ad honestatem, iustitiæ conseruationem, & æqualem ciuiũ consociationem directæ. Ad hæc, tanta ornamenta politica accedunt, vt nemini dubium sit, quin imperium vestrum per tot annos steterit, non aliis ferè præsidiis, quàm æquitate, iustitia, & vera legum reuerentia subnixum. Proinde, quò altius atque penitius retroactorum temporum conditionem repeto, eò maior me, collegasque meos subit admiratio, magis dicam, an indignatio, præsertim cùm non tam vestra culpa, quàm malo nostro potius fato contigisse videatur, vt hoc nostro Præturæ & administrationis tempore longè plures pernicioſi ciues, quàm antea, essent, qui malis exemplis, ceu pestilenti contagione, ceteros læderent, & publicam dignitatem labefactarent. Vtcumque tamen sese res habet, eò nos adducit nonnullorum refractariorum nobilium ciuium intoleranda ambitio, & inaudita hactenus, quod equidem sciam, improbitas, vt in hoc amplissimo ac celeberrimo omnium ferè ordinum consessu magis queri, quàm gratulari de Reip. vestræ statu libeat, cùm iam non semel deprehenderim, & nuper magno meo cum dolore expertus sim, non solùm nobis, verum etiam legibus vniuersis vsqueadeò reuerentiam omnem abrogari, vt nullus locus, vel auctoritas in hoc nostro munere nobis relinqui videatur. Nec ego hîc P. C. priuatam controuersiam, cùm nihil mihi proprio nomine insolenter arrogem, contra refractarios instituo. Vestra potius causa agitur, & non magis mihi, quàm vobis, hæc recèns mihi inflicta contumelia, grauis atque acerba esse, ac videri meritò debet, nimirum, cum vestra auctoritate, atque iudicio, ceu publico testimonio dignus existimatus fuerim, qui in hac vrbe dicundo iuri cum publica auctoritate præessem. Quo certè in munere quantum fidei ac solidæ diligentiæ iugiter, quoad eius fieri licuit, adhibuerim, testis est Deus, qui, vt est iudex incorruptus, sic infallibilis omnium actionum nostrarum obseruator & perscrutator existit, adeò sanè, vt quò magis mihi integritatis fideique incorruptæ meæ sum conscius, eò magis atque flagrantius rei indignitate commoueat. Quis enim non indignè ferat, in bene morata ciuitate, qualem hanc passim prædicari audimus, paucos factiosos priuatis opibus & clientelis fretos, atque confisos, eò deuenisse temeritatis dicam, an dementiæ, vt ad dicendam causam à Prætore per præconem publicum accersiti, tantum abest, vt paruerint, vt etiam in eius contumeliam, & graue præiudicium, gladium strinxerint, & apertam vim, nisi discederet, interminati fuerint. At quis non indoleat, per eos tandem passim & manifestè delinqui, Magistratusque auctoritatem labefactari, quorum potissimùm adminiculo & dignitate, nutantis Reip. status confirmari & fulciri, atque bonarum disciplinarum omnium norma mordicus retineri debeat? Hæc ita cùm sese habeant, rogo vos obnixè P. C. & per inclytæ huius Reipub. vestræ maiestatem semel iterumque obsecro atque obtestor, vt ratione in consilium adhibita, rem ipsam, de qua hîc coràm queror, paulò penitiùs consideretis, & expendatis maturius: ac vtrum hæc mea contumelia cum vestra, atque adeò cum totius Reip. coniuncta sit, diligenter attendite. Semper autem sapientissimi homines senserunt, veteres mores, veteraque instituta ciuitatum ac populorum, summa cura conseruari debere, quòd nulla res perinde publicam tranquillitatem lædat, atque legum irreuerentia, morumque neglectio, ex qua necessariò omnium vitiorum sentina, ceu ex viua scaturigine, oriri solet, non aliter atque corporis humani valetudinem neglecta victus ratio labefactare consueuit:

Peroratio.

ſueuit. Vſu etiam venire plerumque videmus, vt laxatis bonorum morum habenis, incredibilis omnis diuini atque humani iuris contemptus, ceu continuus pediſſequus, ſubſequatur. & non modò diſciplina in ciuitatibus regendis, & Magiſtratuum auctoritas periclitari incipit, ſed religiones vniuerſas, fidem, iuſiurandum, & omnia vincula ſocietatis humanæ laxata eſſe vulgus exiſtimat. *Peroratio.* Cùm igitur quotidie hinc maximi motus in ciuitatibus exoriri conſueuerint, veſtrûm erit, huic malo, priuſquàm vlterius progrediatur, & inſtar tabifici morbi noceat, ſaluberrimis remediis mederi, & ignem ipſum, antequàm materia augeatur, dum reſtingui poteſt, quamprimùm obruere; alioquin non video, quomodo ſalus publica cum tranquillitate in tam opulenta, & (quod pace veſtra dixerim) in tam factioſa vrbe, diu contineri poterit. Nullum enim nocentius Reip. malum, vel venenum exiſtimandum eſt, quàm receptorum morum repentinam mutationem, vel eorundem neglectionem, admittere, quæ in vulgo, licentiã, audaciam, contemptum Imperij, deniq. nihil non earum peſtium quæ ciuitatibus exitio eſſe ſolent, parit. Et hæc pro ſumma Reip. veſtræ dignitate ac obſeruantia, qua illam, voſque omnes, ampliſſimi viri, inde ſtatim ab initio quò huc veni, ſum proſecutus, & pro meo perpetuo erga vos ſtudio dixiſſe in præſentiarum ſufficiat. Vbi dicendi finem fecit, Prætura, qua hactenus functus erat, in omnium patrum conſeſſu ſeſe ſollemni more abdicare volebat. Senatus tamen conſurgentis auctoritate inhibitus, & in priſtino ſuo munere confirmatus, quòd patres grauiſſimis verbis pollicerentur, ſeſe enixè operam daturos, ne in poſterum quiſquam vllo modo legibus vim inferret, vel auctoritatem Magiſtratus læderet atque infringeret. Quorum verbis delinitus, & pacatior factus, dimiſſo Senatu, curia exceſſit, ea animi fiducia, vt deinceps pro ſolita ſua conſuetudine in iuris adminiſtratione locum & auctoritatem haberet, donec expleta ſui muneris functione, Conradus de Conceſſis natus Brixiæ, in eius locum 1242. ſubſtitueretur, ea quidem tempeſtate, qua Cæſaris ſtudia nobiliſſimus quiſque ſequebatur, & præcipuæ fermè familiæ palàm & apertè Cæſaris partibus fauebant, inter quos, Auriæ, Spinulæ, Aduocati, Grilli, Venti, Peueres, & Catanei longè ceteris dignitate atque opibus antecellebant. *Plurimi ex nobilitate Cæſarianas partes fouebant.* Quos Prætor cùm benignè ad ſe euocari iuſſiſſet, hiſque dicto minimè audientes forent, in ſummam animi indignationem exarſit, eaque de cauſa aſſociatis ſibi aliquot patricij ac Senatorij ordinis viris, vt hoc nomine à promiſcua & præfractaria multitudine tutus, & ab omni periculo exemptus eſſet, rebellium domos adiit, & publica auctoritate dirui ac ſolo tenus deijci, propter illorum contumaciam iuſſit, inter quas Cataneorum domus omnium prima euerſa fuit. Verùm ad Auriarum domicilium contendentem, vt pari ſeueritate in illud animaduerteret, multorum precibus inflexus, atque retractus fuit, ne aliquid durius in eos ſtatueret. ſed impari animo ac voluntate erga Thomam Spinulam vſus: ſiquidem apparitoribus iniunxit, vt ipſum eius familiæ Principem, nullo habito reſpectu, per occaſionem adorirentur, & in vincula conijcerent. *Thomas Spinula.* Spinula tamen futuram vim præſentiens, ſeſe domi cum aliquot clientibus adeò præmuniuerat, vt, niſi vi, expugnari non poſſet. Proinde Prætor nulla ratione in tanta Rep. tantam inſolentiam ferendam eſſe ſtatuens, & ne tam malo exemplo vlterius peccaretur, ſummo ſtudio allaborans, iuſſit illius ædibus æneas machinas admoueri. Quibus tandem effectum eſt, vt poſt acrem defenſionem, atque multos vtrimque vulneratos & cæſos, ipſe graui & lethifero vulnere accepto, pro ſemimortuo relinqueretur, & ita ædibus eius potiti ſint. Hac ſeueritate Rectoris ceteri earundem partium ſtudioſi,

dioſi, ex quorum numero fuerunt Manuel & Perciuales Auriæ familiæ, cum pleriſque aliis præcipui ordinis, deterriti, non expectatis extremis, in curiam ſeſe Prætoris tribunali ad dicendam cauſam ſtiterunt. Fridericus tamen Grillus, Vbertus Aduocatus, Sorleo Peuer, & Paſqualinus Nigrius, quòd per nimiam peruicaciam illius imperium detrectaſſent, in exilium publico iudicio relegati ſunt. Qui verò Prætoris edicto obtemperauerant, licet ex reis eximerentur, attamen plurimum veriti, in vrbe ſuſpicionibus plena, & variis factionibus diſtracta, commodè viui non poſſe, vrbe excedentes, voluntarium quodammodò exilium ſuſcepêre, ſeque in Spinularum municipia & aliorum patriciorum oppida ſubduxerunt. His motibus domeſticis partim Prætoris ſeueritate, atque prudentia, partim verò Senatus auctoritate ſuperatis, ac pro præſenti rerum conditione vtcumque compoſitis, Senatus in gratiam Pontificis claſſem inſtrui iuſſit, qua ſacri Antiſtites Romam deueherentur. Pontifex enim, vt ſuo loco dicetur, Romæ ſynodum quandam generalem indixerat, ad quam certatim ex omnibus fermè Chriſtiani orbis Prouinciis ſacri iuris patres ſummo ſtudio confluebant. Inſequenti anno Manuel Mazzus, ciuis Brixienſis, Præturam obtinuit; ſub quo acerrimum bellum in Sauonenſ. qui paucis antè menſibus, iterum perfidè à Repub. deſciuerant, geſtum fuit, eo tamen ſucceſſu, vt licet ipſi à Genuenſ. quamplurimis, iiſdemque grauiſſimis damnis afficerentur, minimè tamen, per id quidem tempus, debellari ac vinci potuerint. Huic, expleto vnius anni ſpatio, Philippus Vicedominus, vetere ac celebri vrbe Placentia oriundus, cuius etiam ſuprà mentionem fecimus, cum eadem auctoritate atque imperio ſucceſſit. Circa hoc tempus, Senatus conſulto, Fulco Guercius & Picamilius, Romam Oratores amandati. Et quoniam Genuæ oneraria eximiæ magnitudinis commeatu onuſta, ex Gallia Narbonenſi expectabatur, ne fortè à Cæſarianis interciperetur, pro illius tutela ac ſecuritate, quatuor triremes duce Amico Stregia Porco, (hæc familia poſtmodu. in Saluagos tranſijt) è ſinu Liguſtico emiſſæ fuerunt. At cùm poſtea per certos ac fideles ſpeculatores compertum eſſet, Andream Vſuſmarium Cæſarianæ claſſis Præfectum, cum decem roſtratis ac ſeptem nauibus, ex his quas vulgò Galeatias vocabant, enauigaſſe, ac Genuæ ſupramodum vererentur, ne illa, quæ ſanè haud leuis momenti eſſe ducebatur, in hoſtium poteſtatem deueniret, quò immunis à periculo eſſet, vel, vt ipſum Vſuſmarium inuaderent, ſumma celeritate patrum decreto quinque ac viginti triremes omni bellico apparatu exornatæ, quibus ipſemet Prætor vir manu ſtrenuus, & conſilio promptus, cum imperio præerat, iſque cum ſua claſſe Monœcum vſque contendit, & prædictam nauim ſaluam atque incolumem Genuam perduxit, nullaque mora interpoſita, de ipſius Senatus iuſſu ac mandato, claſſem iuxta portum Sauonenſem intulit, atque vno eodemq. tempore terreſtribus copiis per continentem eôdem admotis, omnia loca circumiacentia ferro atque igne deuaſtauit. Paucis pòſt diebus, cùm fama increbuiſſet, Vſuſmarium, Cæſaris iuſſu, cum duabus ac viginti roſtratis Tunetum & Bugeam verſus præteruectum, eo conſilio, vt Genuenſibus, qui in illis locis negotiabantur, incommodaret, Præſes vnà cum Senatu operæpretium fore cenſuit, ſi maturè huic rei proſpiceretur. Siquidem haud mediocris timor inceſſerat, ipſum in reditu oram Liguſticam variis excurſionibus infeſtaturum, ideoque ſtatim totidem triremes optimo remige omnibuſque rebus ad rem naualem neceſſariis inſtructas, expediuerunt. In hoc rerum tractu, Piſani, quò Ligures aliquo incommodo ac detrimento afficerent, nauim piraticam, Lombardam nomine, in

Claſſis in gratiã Pont. Genuæ inſtructa.

1243.

Sauonẽſium noua defectio.

1244.

mare eduxerunt, eo tamen euentu, vt cùm nonnulli ex Liguribus, qui tunc temporis in Hiſpaniis mercimoniorum gratia degebant, nauim, vulgò Balzanam, aduerſus hoſtilem emiſiſſent, illam breui pòſt interceptam, ſui iuris ac poteſtatis facerent. Eodem anno, Innocentium quartum Pont. Genuam appulſum, indeque Lugdunum cogitantem, Senatus, ceterique ordines, ſummis atque ampliſſimis honoribus exceperunt: de quo ſanè plura, cùm de his bellis quæ inter Fridericum Cæſarem & Remp. geſta ſunt, ſermo habebitur, commemorabimus. At poſtero anno, Philippo Guiringlo ciue Mediolanenſi prætúram gerente, Montisferrati, Ceuæ, & Carreti Marchiones, fœdere, quo ſeſe Reip., adhibito etiam fidei ſacramento, obſtrinxerant, fœdè ac turpiter violato, in Cæſariana ſtudia tranſierunt. Quæ autem per id tempus inter Rempub. ac Piſanos contigerint, ſuo loco ac tempore ſeorſum, vti prædiximus, enarrabuntur.

1245.

Horribilis tempeſtas.

Menſe Decembri eiuſdem anni multa iam nocte ventorum procellis ac turbinibus atrociſſima tempeſtas in mari atque adeò in ipſo portu coorta, magnam cladem intulit, & multò maiorem his nauigiis quæ iuxta continentem ad anchoram ſubſiſtebant, quàm in alto pelago, ſic ſanè, vt effractis aggeribus, & repagulis omnibus, ipſam molem ad portus ſecuritatem conſtructam, diſijceret, ſummumq. & incredibilem terrorem omnibus incuteret, cùm plana vrbis ſtagnare inciperet, donec tandem remittentibus ventis, tumidum æquor placatum, & omnia priorem faciem induerunt. Sed quia iiſdem diebus populus Genuenſ. grauiſſimum bellum aduerſus Fridericum ſecundum vario atque ancipiti Marte gerebat, Senatus decreto atque Alberti Mandelli ciuis Mediolanenſis, recèns ad Præturam euecti, auctoritate atque Imperio, ne quid incommodi ab hoſte inferretur, naues ac triremes, ſæuitia tempeſtatis magna ſui parte quaſſæ ac ſemilaceræ, denuò ſumma cum feſtinatione ac diligentia inſtauratæ: ſimulque graui edicto inhibitum, ne quiſquam militiæ aſſuetus, agro Liguſtico excederet, omneſque ac ſinguli, omiſſis ad tempus negotiationibus, aliiſque rebus priuatis, arma & equos in commune beneficium ac vtilitatem expedirent. Sub idem fermè tempus, Vbertus Palius, & Picamilius, ad Romanum Pont. ea tempeſtate Lugduni ſubſiſtentem, oratores ablegati, qui, peracta ſua legatione, rectà, ſicuti à Senatu in mandatis habuerant, ad Ludouicum Galliarum regem conceſsère, vt illum ad Syriacam expeditionem ſatis ſua ſponte animatum, oblatis auxiliis, tantò vehementiùs accenderent, & inflammarent. Nam licet Genuenſes non ſolùm externis bellis impliciti atque illigati eſſent, ſed etiam domeſticis ſimultatibus intricati, nihilominus tamen pro ea, qua ſemper Chriſtianam fidem proſecuti ſunt, obſeruantia, Ludouicum, ſacram expeditionem contra Barbaros in Aſia meditantem, inſtructiſſima claſſe, alijſque ad bellum opportunis adiuuarunt: in qua certè, tanta omnium populorum conſenſione ac ſtudiis ad arma concurſum fuit, vt omnes in optimam ſpem erigerétur, aliquid egregij, & quod maximè in Chriſtianæ Religionis emolumentum cederet, poſſe confici. Ipſi quidem Genuenſes, ſexdecim onerarias naues & triginta triremes ductu Hugonis Lercarij & Iacobi Leuanti regia pecunia inſtruxerunt, eorumque potiſſimùm auſpiciis Damiatam, antiquitus Peſuſium vocatam, Ægypti metropolim, rex cum ſuis fœderatis feliciter expugnauit & recepit, vt hæc omnia ſeorſum ſuo loco abundè explicabuntur. Inter hæc, Fulco Guercius cum Repub. certis quibuſdam conditionibus paciſcitur, & naui ac duabus triremibus egregiè priuatis ſumptibus præparatis, piraticam aduerſus Liguſtici imperij æmulos atq. aduerſarios exercuit. Eodem temporis tractu, in Senatu publicis

1246.

Meliopolis expugnatio.

patrum

patrum votis sancitum atque ordinatum fuit, ne deinceps pro ciuilibus atque forensibus causis iurisperiti aliunde accerserentur, at dumtaxat eam prouinciam subirent, qui in ciuitate, siue in agro Ligustico iuris cognitione ac peritia reliquis antecellerent, simulq. Consularis dignitas tanquam postliminio resumeretur. Eodem anno, cùm in odium Friderici secundi Imperatoris, Pontifex Rom. Electores ac Germaniæ principes crebris literis adhortatus esset, ne Fridericum, abstentum, hostemque iudicatum, pro Cæsare agnoscerẽt, néue ex eius sobole regem sibi crearent, cùm iam eius filium Chunradum delegissent; conuenerunt Herbipoli Moguntinus, Colonienſis, Treuirensis, Argentinensis, Metensis, & Spirensis Episcopi, cum plerisque aliis Principibus, & publicis suffragiis Henricum, Landtgrauium Thuringiæ & Hassiæ, fratrem Ludouici Landtgrauij, S. Elisabethæ coniugem, virum, præter fatalium splẽdorem, eximiis animi corporisq. dotibus florentem, regem Romanorum delegerunt. Qui mox, de more, longo vsu & consuetudine recepto, curiam Principibus Francofurti ad Mœnum indixit. Chunradus de his comitiis certior factus, repentè coacto exercitu, illuc armatus perrexit; eo animi decreto, vt illa omnibus viribus impediret. Ceterùm, commisso prœlio, cum ingenti suorum strage fusus fugatusque est. Hanc cladem cum Sueuis maiori ex parte acceptam ferret, eosque proditionis insimularet, ipsi, huiusmodi contumeliæ impatientes, sese ab eo quamprimùm abalienarunt, & conspiratione facta, Hentico adhæserunt. Præsul quoque Argentinensis, munitiones & castra, quæ paulò anteà Fridericus & filius possederant, expugnauit, ac euertit. At Chunradus, cùm se hostili potentia longè imbecilliorem animaduerteret, spe futuri auxilij, Bauariæ Ducis filiam in matrimonium accepit: sed licet magnis clientelis & propinquitatibus innixus, minimè tamen aduersariorum conatibus resistere potuit, cùm præsertim à Sueuis vndique impeteretur. Henricus interim ad imperium euectus, præter ceteras vrbes, Vlmam, Chunradi partes fouentem, acriter obsedit. Ceterùm propter asperrimum frigus, vtpote sæua hieme, ac etiam commeatus reiq. frumentariæ inopiam, ab expugnatione recessit, & cùm obsidionem solueret, ictu sagittæ lethali vulnere affectus est, adeò vt eodem anno, quo à Germanis Proceribus Cæsaris titulo insignitus fuerat, è viuis subtraheretur. Hic sanè, vbi primùm ex Romanorum designatus fuit, nihil antiquius habuit, quàm vt compositis vtcumque imperij rebus, legatos Genuam mitteret, qui sui Principis nomine Senatum de optima & propensissima in eum voluntate edocerent, simulque illi haud obscuris testimoniis atque argumentis singularem beneuolentiam declararent.

Henricus Landtgrauius rex Rom. designatus.

Et quoniam in Lantgrauiorum mentionem incidimus, non ab re fore existimaui, si nonnulla de ipsorum origine, ac ditione hîc obiter subiecero. Hæc verò Hassia communi & iamdiu recepto vocabulo appellatur. Quod verò ad huius nominis etymologiam spectat, sunt qui dicant, illam à monte Hassonæ, Hassiam, siue Hassoniam nũcupatam. Aliis verò placet, Hassos, seu Hessos, ex Chattis, qui in hac regione habitasse commemorantur, t in s mutato, prognatos, vnde adhuc est loci nomen Catzen-Elnbogen, gentis illius contestans vetustatem. De his autem populis, Cheruscis finitimis atque conterminis, crebra fit mentio apud veteres, præsertim verò apud Corn. Tacitum, dum bella inter ipsos & Romanos variis temporibus varioq. euentu gesta enarrat, & præter ceteros duces ac primores illius gentis, Arpim, & Catumerũ inter Principes recenset. Ceterùm, in libello cui titulus est de situ, moribus & populis Germaniæ, de Chattis hæc memoriæ prodidit. Vltra hos, inquit, Chatti initium sedis ab Hercynio saltu in-

Chatti.

choant,

choant, non ita effusis ac paluſtribus locis, vt ceteræ ciuitates, in quas Germania pateſcit; durant ſiquidem colles, paulatimque rareſcunt: & Chattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur ſimul atque deponit. Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax vultus, & maior animi vigor. Multum, vt inter Germanos, rationis ac ſollertiæ: præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in duce, quàm in exercitu: omne robur in pedite, quem ſuper arma ferramentis quoque & copiis onerant. Alios ad prœlium ire videas, Chattos ad bellum: rari excurſus, & fortuita pugna. Equeſtrium ſanè virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere. Velocitas iuxta formidinem, contatio propior conſtantiæ eſt. Et aliis Germanorum populis vſurpatum, rara & priuata cuiuſque audentia, apud Chattos in conſenſum vertit, vt primum adoleuerint, crinem barbamque ſummittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votiuum obligatumque virtuti, oris habitum. Super ſanguinem & ſpolia reuelant frontem, ſeque tum demum pretia naſcendi retuliſſe, dignoſque patria ac parentibus ferunt. Ignauis & imbellibus manet ſqualor. Fortiſſimus quiſque ferreum inſuper annulum, ignominioſum id genti, velut vinculum geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſoluat. Plurimis Chattorum hic placet habitus. Iamque canent inſignes & hoſtibus ſimul, ſuiſque monſtrati. omnium penes hos initia pugnarum. hæc prima ſemper acies, viſu noua. Nam ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemque venêre, aluntur, prodigi alieni, contemptores ſui, donec exſanguis ſenectus tam duræ virtuti impares faciat. Hęc quidem Tacitus. Quatenus ad dominium Haſſiæ, nec non Landtgrauiorũ titulum attinet, illud in primis animaduerſione dignum eſt, videlicet, tempore Ludouici tertij, qui regnauit anno Chriſti 903. & ante illud tempus, nõ fuiſſe tot, & tam varios nobilium gradus, quot paſsim hodiè inueniuntur, præter Reges, Principes & Barones. At Duces, Marchiones, Comites Palatinos, Comites & equites auratos fuiſſe illo æuo magis officiorũ nomina, quàm nomina hereditaria. Siquidem Duces, Marchiones, & Comites fuerunt præſides regionum & illarũ terrarum, ſuper quas ab Imperatoribus & Regibus conſtituti erant, & dominia illarum erant Cæſarum atq; imperij. Dux fuit ſummus militum in certa regione rector, id quod ex antiquis literis aduerti poteſt. In literis fundationis Lucernenſis ſic ſcriptũ inuenitur: Ego Vuighardus & frater meus Rupertus, dux militum Sueuiæ reges Ludouici &c. anno circiter 840. Comes verò fuit iudex ab Imp. vel Rege deſignatus, præfectuſque ciuitati certæ aut regioni. Sicque tota Germania plena fuit Comitibus, inter quos quidam erant Landtgrauij, id eſt, regionum comites, quidam Marggrauij, id eſt, certarum marcarum, ſeu diſtrictuum comites, quidam Palatini comites, alij Burgorum comites, quos Burggrauios appellant, & alij Centuriones, quos in Germania vocant Centgrauios; atque omnes eligebantur ex Baronibus, aut aliis grauibus viris. Atque hinc eſt, quòd in vetuſtis literis tam frequens fit mentio de Landtgrauiatibus, vt eſt Lãdtgrauiatus Suſenburgenſ. Siſgoienſis, Kleckgoienſ. &c. Porrò Landtgrauiatus Haſſiæ ſubortus eſt ex Landtgrauiatu Thuringiæ. Quos autem habuerit præſides à 400. aut 500. annis, non ita planè exploratum video. Nonnulli, haud incelebres ſcriptores deducunt genealogiam à Ludouico, diuæ Eliſabethæ marito, vſque ad hæc tempora.

Landtgrauij.

Ludo-

1.	2.	3.	4
Ludouicus Landtgrauius Thuringenſ. vxor eius diua Eliſabeth.	*Sophia filia, quã duxit Henricus Dux Bauariæ.*	*Henricus cognominat° puer Haſſiæ.*	*Ludouicus Epiſcopus Monaſterienſ. Otho Landtg. Septẽ filiæ.*

Ludouicus hic primo ſignatus loco, Landtgrauius Thuringen. habuit vxorem Eliſabetham filiam regis Vngariæ, reliquitque filium & filiam. Filij nomen erat Hermannus, qui obiit adoleſcens, ducta tamen vxore Beatrice Ducis Brabantiæ filia, quæ poſtea nupſit Wilhelmo Comiti Flandriæ. Mortuo autem Hermanno, fororius eius Henricus Dux Brabantiæ factus dominus Haſſiæ, dedit filio ſuo Henrico puero Haſſiam, & alteri filio Brabantiam. Henricus genuit Ludouicũ, Othonem, & ſeptem filias. Ludouicus epiſcopus conſtruxit aulam Martpurgenſem & ſacellum in Burgo. ſeptem filiæ nupſerunt Comitibus à Seine, Hennenberg, Nuremberg, Ochſenſtein, Waldecken, &c. Ab Othone deducitur ſeries genealogiæ in hunc modum:



4. Otho genuit multos liberos. Filius Otho Antiſtes Meidenburgenſ. ædificauit caſtrũ, & à ſe Ottenſtein appellauit. Duo, Henricus, & Ludouicus, certis conditionibus atque ſortis proiectione in hunc modum diuiſerunt terram. Conuenit inter eos, vt vnus tantum duceret vxorem, alius autem cælebs maneret, poſſideretque Grebenſtein, Imenhaus, & Nordeken iuxta Leinum fluuium. Conuenit præterea inter eos, vt vterque apud vnam & eandem ſponſam ageret procum, & quem illa ex eis deligeret maritum, is dominus eſſet terræ. Venerunt ergo ambo ad filiam Marchionis Miſnenſis, indicaueruntque illi animum ſuũ, rogantes, vt qui magis placeret, hunc ſuſciperet oſculo amoris. At illa conſentiens in Henricum, fecit illum dominum terræ. Ludouicus tamen pactis non ſtans, duxit vxorem Comitiſſam à Spanheim, ex qua ſuſtulit Hermannũ Landtgrauium. Et quoniam renunciauerat iuri ſuo quod in Principatu habuerat, miſit filium ſuum ad Academias, vt liberalibus artibus inſtitutum, Eccleſiaſticis dignitatibus addiceret, ſicut etiam poſtea ab Othone Meidenburgen. Antiſtite, ſuo patruo, Canonicatum obtinuit, & aliquandiu poſſedit. Henricus Landtgrauius, ducta vxore ex comitum Cleuenſium familia, ſuſtulit ex ea filium Othonem, & duas filias, Adelheidem ſcilicet, quã duxit vxorem rex Poloniæ, & Eliſabetham, quã Albertus Dux Brunſuicenſ matrimonio ſibi iunxit. Othone ante patrem ſine liberis excedente, Henricus adminiſtrationem regionis genero ſuo Alberto Brunſuicenſi tradere conſtituerat. ſed ab eodem genero irritatus, per S. Eliſabetham iurauit, ſe mutaturum ſententiam, quod etiam præſtitit. Nam miſit pro Hermanno Canonico nepote ſuo, eũque Principem in Lantgrauiatu inſtituit. Is deinde ex legitimo coniugio duas filias, & vnum filium procreauit, qui etiam patri ſucceſſit in Principatu. Fundauit autem Henricus duas collegiatas eccleſias, vnam Caſſilij, & alteram Rodenburgi. ſucceſſit Ludouico filius eius Ludouicus, ætate inter reliquos fratres ſenior, habuitque vxorem Mechtildem Vuitember-

genſem, quæ ei genuit duos filios, Wilhelmum ſeniorem, & Wilhelmum medium, atque filiam vnam. Eius frater habitauit iuxta Lynum fluuium, duxitque vxorem Annam de Katzen-Elnbogen, & Dietz. Hermannus verò fuit Archiepiſcopus Colonienſis, & vnus ex ſeptemuiris Principibus. Wilhelmus ſenior curiam ſuam habuit Caſſiliis, & frater eius Spangenbergæ, & Wilhelmus iunior, ope atque auctoritate ipſius Hermanni, ſui tutoris, anno ſal. 1489. adminiſtrationem Martpurgenſis regionis, comitatus Katzen-Elnbogenſis, Dietzenſis, Tiegenheimenſis, & Niddenſis, adeptus fuit, habuitque vxorem Eliſabetham Principis Palatini filiam, quam elocauit anno ſal. 1498. qui poſtmodum anno 1509. abſque prole deceſſit, eique in Principatus adminiſtratione Wilhelmus medius ſuccedens, magni Ducis Meckelburgenſ. filiam ſibi in matrimonio coniunxit, ex qua anno 1504. ſuſtulit Philippum Landtgrauium, cuius coniunx fuit Chriſtiana, Gregorij Ducis Saxoniæ & Marchionis filia, quæ, præter generis amplitudinem, puerperiis, ac ſingulari pudicitia & vitæ ſanctimonia emicuit. Ex hac verò, præter ſobolem feminei ſexus, in qua fuit Agnes, vxor D. Mauritij Electoris Saxoniæ, Anna vxor D. Wolfangi de Zuueibrugk, & Barbara, quæ nupſerat D. Georgio à Wirtemberg, ſuſtulit quatuor liberos, nempè Wilhelmum, Ludouicum, Philippum I. & Georgium, Principes, vt ſtemmatum & maiorum imaginibus inclytos, & illuſtriſſimos, ita quoq. ſummis, vereq. heroicis virtutibus vndiquaque conſpicuos atque inſignes. Quanta verò in ipſorum inclyto parente fuerit animi celſitudo, nec non militaris diſciplinæ peritia & virtus, quantaque rerum geſtarum gloria floruerit, nemini profectò obſcurum eſſe poteſt, qui vel mediocriter in hiſtoriis & noſtrorum temporum cognitione ſit verſatus; vtq; de aliis ſileam, ex Sleidano id facile cuiuis erit intelligere. Is ſanè, vt ex innumeris, hæc quàm breuiſſimis verbis attingam, anno 1528. aduerſus Antiſtites Wirtzburgenſ. Bambergenſ. & Moguntinenſ. bellum mouit. Anno 1534. Vdalrico Wirtembergenſi Principi auxilio fuit, vt is auitum dominium, quo per xv. annos caruerat, recuperaret. ſequenti anno Monaſterienſ. vrbem, ab Anabaptiſtis in Weſtphalia occupatam, cum pleriſque aliis principibus expugnauit. Smalkaldico fœderi acceſſit 1536. Henricum iuniorem Brunſuicenſem Ducem 1542. ditione ſua eiecit, quem etiam paternã ditionem repetẽtem, cum Carolo Victore filio cepit anno 1545. Exorto verò inter Carolum V. Imp. bello cum Imperij ordinibus, dux exercitus vnà cum Friderico ſeptemuiro, Smalcaldici fœderis factus, 1546. bellum geſſit cum Imp. deinde malè ſuccedentibus rebus 18. Iunij, anno 1547. Cæſari ſeſe dedidit, liberato Brunſuicenſe cum filio, & in eius cuſtodia detentus: ac tandem anno 1552. priſtinæ libertati reſtituitur. De ipſis autem Landtgrauianis Principibus, Philippi liberis, adhuc ſuperſtitibus, quorum quiſque ſeorſum ſuam ditionem ſingulari cum prudentia & æquitate adminiſtrat, prolixius orationem extendere, neque argumenti ſeries patitur, neque ipſe, illorum inclytas dotes, & in primis quidem, Illuſtriſſ. ac potentiſſ. Principis Wilhelmi, primogeniti, regias & heroicas virtutes, nec nõ abſtruſam & reconditam in omni diſciplinarũ genere, ac præſertim in motib. ſiderũ, ac mathematicis rebus, in quibus ſanè ita excellit, vt hoc ſæculo perpaucos ſibi pares, ſuperiorẽ verò habeat neminem, eruditionẽ pro dignitate vnquam poſſem exprimere. Id tamen breuiter ſubiecero, nullam eſſe cuiuſquam vel diſertiſſimi hominis eloquentiam, quæ illorum incredibilem in ſuum parentem omni quidem tempore, at illo præcipuè, quo à Cæſare captiuus & in vincula detentus eſt, pietatem pro meritis queat extollere. Notum eſt enim, quidnam ipſi pro eo liberando apud Ducẽ Mauritiũ

& Cæ-

& Cæsare m egerint, adeò vt numquam omninò quieuerint, donec ipsum tandem in auitum imperiũ restitutũ conspexerint. Porrò ex his, Philippus j. tertius frater, tunc generosiss. indolis adolescẽs, & nunc egregiis animi corporisq. dotib. præfulgens, sese apud Henricũ II. Galliarũ regem, cũ D. Mauritio & Marchione Alberto fœdere coniunctum, obsidem obtulit ac exhibuit. Reliqui verò vna cum ipsis fœderatis principibus intrepidis animis arma susceperunt, & ipsi expeditioni cũ summa laudis gloria interfuêre, ita sanè, vt neq. Coriolani, neq. Scipionis cognomento Africani, neque Manlij Torquati, siue aliorum, quos veterum monumenta summis præconiis extulêre, in patriam & parẽtes pietas clarior atq. illustrior refulserit; eoque nomine perpetuò celebrabuntur. Sed ne diutius lectorem ab his quæ litteris consignare statui, & ad quæ etiam animus iuxtà & calamus festinat, remorer atque abducam, coarctabo me inter angustias, sic tamen, vt quæ hactenus de hac tam clara ac veteri prosapia eiusque ditione atq. origine recensui, libenter omnino adiunxerim, partim ne tacito silentio præterirem hanc illustrissimam familiam, cui me multis nominibus plurimum debere ingenuè fateor & agnosco, partim etiam vt omnibus testatum sit, quanti fecerit Remp. Genuens. Henricus Thuringiæ atque Hassiæ Landtgrauius, Cæsar designatus, qui statim ad imperium euectus, illi splendidam, vti diximus, legationem destinauit, eique non vulgaria beneuolentiæ documenta ac testimonia declarauit. Verùm enim verò, vt ad rerum ordinem redeam, eodem anno, scilicet supra millesimum ducentesimum sexto & quadragesimo, Fridericus vndique ex Apulia Siciliaque accersitis copiis, cum sexaginta millibus armatorum Parmam, vetustissimam Galliæ Cispadanæ vrbem obsedit, ac etiam sub idem tempus, sua classe, cui tunc præerat Andreas Vsusmarius, Ligusticæ oræ tractum variis discursionibus infestabat. ad cuius quidem conatus inhibendum, Ligures rem naualem expediuerunt, adeò vt quàm plurima damna vltrò citroq. inferrentur, sicuti hæc omnia sigillatim recensebimus. Suprà commemoratum est, septemuiros Principes, Henricum Landtgrauium, Regem Romanorum renunciasse. Ceterum, post eius obitum, Romanus Pontifex de communi Purpuratorum consensu, Petrum, cognomine aurea statula, Cardinalem titulo S. Gregorij, in Germaniam ad septemuiros Principes misit, illos maximoperè adhortatus, vt denuò alium ex suis Proceribus in regem Romanorum, aduersus Fridericum & Chunradum filium renuntiarent. Qui vt Pontifici obsequerentur, nulla mora interposita, simul in oppidum Vuaringen conuenerunt, ibique mutuis suffragiis Gulielmum Hollandiæ Comitem, iuuenem vix pubertatis annos egressum, quippè qui nondum vicesimum excesserat, sed amplissimis opibus, & clientelis subnixum, Romanorum regem erearunt. Is verò, paucis post diebus à regia dignitate susceptа, itidem oratores, sicuti eius prædecessor fecerat, Genuã ablegauit, qui Senatum de sua ad imperium promotione, atq. optima erga eum voluntate commonefacerent. At mense Octobri, aër, repentè puro ac sereno die, in densissimam nubium caliginẽ ac tenebras cõuersus est, & Luna vndique atra & fuscá nigredine obducta: quo sanè vniuersa ciuitas mirum in modum expauit. Exitu anni, parum abfuit, quin Alexandrini occultis artibus & clandestinis consiliis arcem atque oppidum Capriatæ, cuius Præfectus erat Martinus Marabottus, occuparent. Post quæ secutus est annus eiusdem ætatis septimus & quadragesimus, quo Gulielmus cognomine de Castro nouo, Placentiæ, peruetustæ ac nobili Galliæ Cispadanæ ciuitati, ortus, prætoria dignitate insignitus fuit. Et iuxta præcedentis anni decretum, quinque Pontificij ac ciuilis iuris

1246.

Gulielmus Hollandiæ Comes, Cæsar designatus.

Eclipsis Solis & Lunæ.

1247.

lis iuris Doctores aliundè euocati, penes quos forensium causarum arbitrium atque iudicium staret, prout triginta fermè annos continua quadam serie obseruatum fuerat, creari desierunt, ac vetus consuetudo de eligendis consulibus recepta. Igitur coacto Senatu, habitisque de more comitiis, Bonuassallus Saurus, Simon Siluagnus, Nicolaus Mortettus, Simon Lomelinus, Andreas Gattilusius, & Hugo Fliscus, Consules renuntiati. Ceterùm, quia persæpè in hoc opere in Fliscorum mentionem incidimus, minimè ab instituto alienum fuerit, si summatim ac breuiter, vnde hæc nobilissima familia, sui generis primordia traxerit, quémue suæ gentis auctorem conditoremque agnoscat, ostendero. Hæc sanè, vt ex vetustis Annalibus deprehendi, suam originem in Robaldum vetusto Lauaniæ Comitum titulo insignem, Alberti patrem, refert. Ex hoc verò natus est Albertus Rufinus, qui tres liberos habuit, nempe Hugonẽ, Theodosium, & Girardum, quorum primus Flisci nomen assumpsisse dicitur. Habeo equidem haud incelebres scriptores, qui hanc gentem, suum exordium ac originem ad Bauariæ Principes referre, posteris ac memoriæ prodiderint, simulque asserant, quendam ex ea familia Lauaniæ Comitatum emisse, ac eum pro Genuensibus contra Pisanos veteres sui nominis ac ditionis æmulos, multa egregiè ac fortiter gessisse, atque ob id à Senatu, grati animi ergò, quamplurimis priuilegiis atque immunitatibus donatum. Ceterùm id neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est, ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem. Nam vt conquirere fabulosa, & fictis oblectare legentium animos, procul grauitate cœpti operis crediderim, ita vulgatis traditisque fidem eleuare non ausim. Id planè in confesso est, hanc præclariss. familiam, belli togæq. artibus diu cum summa nominis laude & gloria floruisse, ac in ea, præter sacros omnium ordinum, Antistites, duos summos Pontifices, nempè Innocentium quartũ & Hadrianum quintum, iuxta cõplures purpuratos extitisse, qui multis eximiis virtutibus & meritis
1248. suam stirpem ac patriam illustrarunt. Proximo anno prætura functus est Rambertinus Bouarellus ciuis Bononiensis. Quamuis autem Respub. hoc tempore Friderici Augusti, Pisanorum, Iacobi Carreti Marchionis ceterorumque regulorum loca finitima incolentium, necnon Vberti Palauicini, ac multorum exulum Gibellinas partes propugnantium, armis vndiquaque impeteretur, id tamen minimè obstitit, quo minus hostilibus conatibus terra marique repressis, validissimam classem pro sacra expeditione, quam, sicuti paulò antè recensui, Ludouico Galliarum regi promiserant, omni bellico apparatu instruerent ac exornarent, eaque postero anno sub Alberti Malauoltæ ciuis Bononiensis prætura, è sinu Ligustico educta, eiusque potissimùm ope ac præsidio Æliopolis, vti diximus, occupata. Iisdem fermè diebus, Ferdinandus tertius Castellæ rex, Hispalim, peruetustam Hispaniarum vrbem, diu à Mauritanis dominatam, consimili fortunæ abblandientis aura, Non. Cal. Decembr. expugnauit, suoque imperio adiecit. ad cuius rei tam prosperè ac feliciter gestæ nũtium, ad eum, auctore Præside, ac decreto Senatus, Hugo Fliscus, vir iuris scientissimus, & Gulielmus Bolletus, firmandi fœderis, & mercium, vltrò citroque commutandarum gratia, oratores missi, & paulò pòst Nicolaus Caluus eôdem ablegatus, cuius opera quicquid reliqui esset negotij, ad optatum exitum perduceretur. Post
1250. hæc, Girardus Corrigius Prætor designatus, qui de vnanimi patrum consensu, contracto quicquid erat militum, Sauonensem agrum hostiliter depopulatus est, & in septem collibus Sauonæ adiacentibus, duo propugnacula erexit, validoque præsidio imposito, Genuam remigrauit, eodem temporum tractu, quo

Fliscorum origo.

Hispalis à Ferdinando Castellæ rege expugnata.

Fride-

Fridericus Cæsar Pontifici, ac Genuensi populo infensissimus, inter mortales agere desiit, eóque viuorum numero subtractus fuit. Subsequenti anno, Senatus decreto Prætoria dignitas & honos in Menabum Turricellam collatus, cui statim ab initio nihil antiquius fuit, quàm vt descripto milite, rebelles populos ad pristinam fidem atque officium redigeret. Proinde cum expedita manu Varagi- 1251.
nem, oppidum recensendò ac perlustrando militi destinatum, contendit. His apparatibus, Iacobus Carrettus Finarij regulus, Sauonenses, Albintimilij, & pleræque aliæ ciuitates, quæ aut libertatis studio, aut spe maioris commodi à Rep. desciuerant, missa legatione, submissè veniam petierunt. Quos Senatus, iniuriis posthabitis, benignè in gratiam recepit, & cum his nonnulla fœdera & conuentiones initæ, ipsíque Sauonenses in ciuium ordinem cooptati fuerunt, atque vrbe donati. At Prætor, his rebus non minus properè, quàm feliciter peractis, exauctoratis manipulis, Genuam ouanti simili, & cum incredibili omnium lætitia & congratulatione reuersus est. In hoc rerum curriculo sæuissimum bellum inter Ligures ac Venetos gerebatur, eo tandem successu, vt cùm vtraque Resp. diutinis calamitatibus defatigata esset, (fit enim, vt sicuti ex longa pace prœlij cupîdo, sic fessis bello pacis amor) multò magis in hanc, quàm in bellum propendêret, ideoque vnanimi consensu oratores vtrimque Lucam ablegati fuerunt, & Venetorum quidem nomine, Petrus Gradonicus, & Iacobus Dorus; Genuensium autem, Guido Spinula & Hugo Fliscus, eò perrexerunt. Ceterùm ob nonnullas graues controuersias, pacificationis negotium in proximum ver dilatum, eoque appetente, in portu Veneris, vbi vtriusque Reip. legati conuenerant, pax tandem in decennium transacta. Circa idem tempus, Innocentius quartus Pont. cuius suprà mentionem habuimus, Lugduno Massilias, indeque Genuam concessit: cuius aduentu & præsentia vniuersa ciuitas summo gaudio perfusa, nihilque ab ea prætermissum, quod ad tantum Pontificem sibi demerendum, quoquomodo facere videretur. Fine anni Resp. cum Florentinis & Lucensibus fœdus ac societatem contra Pisanos iniuit, & Prætor suum magistratum, quo sanè admodum honorificè, vt plerique alij, perfunctus erat, deposuit, eique Guiscarda Petrasancta ciuis Mediolanensis cum pari imperio & 1252.
auctoritate præpositus: sub cuius regimine nihil memoria dignum ac notabile apud veteres annales reperio, nisi quòd Senatus à Marchionibus Clauesanis arcem Andoræ vnà cum agro finitimo pro octo millibus librarum coëmerit. Proximo anno Henricus Vexilliferus, Brixiæ genitus, Prætura adeptus est: sub quo 1253.
iterũ Sauonæ vrbis mœnia Senatus consulto diruta, & funditus euersa fuerunt, propterea quòd mutuarum conuentionum terminus iam effluxerat: Nam in ea transactione, quæ facta est anno supra millesimum ducẽtesimum vno ac trigesimo, de mutua Sauonensium cõsensione obtinuit, vt sibi integrum foret, exacto biennio, muros eius ciuitatis exscindere, ac fossas cõplanare; sicuti omninò accidit, eò quòd ipsi malè erga Rempub. Genuens. affecti, nihil omninò impensius studerent ac molirẽtur, quàm vt ad primam occasionẽ ab eius fide atq. obsequio desciscerent. Paucis pòst diebus, Rodulpho Graidano, eiusdem patriæ alumno, 1254.
prætoria dignitas demãdata: isq; fini muneris functione sedulò ac fideliter obita, Martinum Sumariuam, cui patria fuit Lauda Pompeia, successorem habuit: sub 1255.
quo, præter cetera, Gulielmus Albintimilij Comes, vnà cum suis liberis, eò quòd summa perfidia vsus, mutua iura & fœdera temerasset, ab omni feudo ac beneficio, quod sibi cum Rep. hactenus interceserat, prorsus excidit, adeò vt etiam publicus hostis declararetur. Sequenti anno, Philippo Turrigero Insubri, ex il- 1256.

lustri

lustri Turrigerorum familia oriundo, Prætorio muneri admoto, Ligures cum Florentinis, & Lucensibus aduersus Pisanos, icto fœdere, collatisque viribus, acerrimum bellum contra eos gessêre; quod sanè vnà cum causis & euentibus speciatim suo loco recensebitur.

LIBER QVARTVS.

PRIORIBVS libris, quænam Reipub. administratio ab eo tempore cuius mentionem fecimus, hucusque extiterit, & quid domi foriscq., exceptis iis bellis de quibus seorsum tractabitur, gestum fuerit, maiori quo fieri potuit compendio ac breuitate explicauimus. Nunc superest, vt repetitis paulò altius ciuilibus discordiis, quibus statim ab initio Reipub. fatali quadam ratione mirum in modum ad exitium quodammodo vsque laborauit, dicamus, quánam potissimùm de causa factum sit, vt longè maiores ac periculosiores, quàm anteà, in ciuitate dissensiones atque tumultus, indeque haud leues conuersiones exortæ fuerint. Satis enim constat, nunquam grauioribus procellis ac tempestatibus Ligusticæ ditionis statum fuisse inuolutum & subiectum, quàm his subsecutis temporibus. Siquidem hactenus ægritudines hominumque affectiones miris artibus atq. dolis delitescebant, & nondum in apertam & planè manifestam eius perniciem eruperant. Solet enim non rarò vsu venire, vt in ciuitatibus tantisper odia supprimantur, donec commodam erumpendi occasionem nacta sunt. Posteà verò, vbi non semel eruperint, contagione serpunt, & instar flammæ omnia consumentis, inuadunt atque absumunt, nec antè extingui, vel consopiri valent, quàm cum publica lue & pernicie diu lateque grassatæ fuerint. Hoc idem in hac ciuitate contigit. Nam nemini dubium est, & in hoc planè consentiunt omnium scriptorum Annales, ex ciuilibus simultatibus, tanquam à perenni fonte, & nunquam exarescente scaturigine, in hac vrbe grauissimas turbas exortas esse, & nisi post multorum temporum interualla, multorumque casum & interitum, sedatas atq. restinctas fuisse. Hoc autem, cùm meridiana luce clarius sit, non est, meo quidem iudicio, vt hac in parte fidem lectori, multis enumeratis exemplis, faciam. Satis verò liquet ex veterum monumentis, quamdiu bene nobilitati ceterisque Patricij ordinis cum cetera plebe conuênit, & isonomia rerumque omnium communicatio passim in Rep. retenta fuit, contentiones ac simultates omnes nullum locum habuisse. Vbi verò hic neruus parilitatis, & veræ, vt sic dicam, democraticæ communionis, incisus est, paulatim magna ciuium distractio insecuta est, & illius status in deterius labi cœpit. Nam vbi hoc pestiferum ac exitiale odiorum virus ibi diffundi cœpit, oppressaque nobilitate, & sublata omni aristocratiæ forma, Respub. popularem administrationem, hoc est, democratiam, amplexa est, ea indies magis atque magis labefactari, & tacitis vulneribus confodi ita cœpit, vt prius ad interitum properaret, quàm ægrotare quodammodò animaduerteretur. Quo sanè factum est, vt plerique patricij ordinis viri, qui ea tempestate auctoritate atque opibus in Repub. florebant, & hoc nomine magnum locum apud omnes ordines sortiti erant, hanc bene gerendæ rei ansam & occasionem nacti, supremo rerum omnium imperio, & absolutæ Reipub. administrationi inhiare cœperint, existimantes, facilè fieri posse, vt, distractis hominum animis, sublataq. omnium ordinum consensione, vniuersalis quædam confusio in ipsa

Ciuilium dissensionum causa & origo.

in ipsa vrbe oriretur, cuius demùm opportunitate, ceu commodo ministerio, ad Principatum sibi astruendum, vterentur. Intelligebant siquidem, nihil difficilius esse, malis artibus ad supremum gradum contendentibus, quàm Reipub. statum concordia atque vnione innixum. Rursus nihil esse facilius, quàm in conturbata ciuitate virum aliquem, vel diuitijs, vel natalibus, vel denique gratia & eloquentia confisum, aditum sibi ad res magnas atque præclaras patrandum & conficiendum, quærere atque parare, adeò vt omnia hæc, quorum etiam singula sufficientem materiam cõsequendæ auctoritatis subministrare videbantur, in vnum collata, existimarent, effectura, vt, nemine, vel saltem paucis obstantibus, dignitatem ex rerum opportunitate sibi metirentur. Ceterùm, quantoperè errore atque inani opinione lapsi sint, & quàm diuersus à votis rerum fuerit euentus, exiguo temporis spatio apertissimè declaratum fuit. Populares etenim, quamdiu nulla propemodum auctoritate, vel exiguis tantummodò viribus pollebant, haud grauatè optimatium imperio subijci, omniaque illorum nutu & consilio gubernari atque administrari facilè permittebant. Postquam verò sibi capessendis honoribus aditum vi & factionibus aperuêre, atque suppressis, vel in ordinem coactis Optimatibus, Magistratus, aliaque ciuitatis præcipua munia, gerere indiscriminatim cœpêre, fortunis atque opibus aucti, nihil habuêre antiquius, quàm vt statim excusso iugo, & ab omni legum & disciplinarum reuerẽtia turpiter ac iniquè deficientes, ad supremum dignitatis gradum, diuersimodè contenderent atque aspirarent. Cùm enim essent in ciuitate plures factiones atque ordines, diuersa studia sequebantur, nec omnes iisdem artibus, vel modis, ad ea, quæ ibi suprema & maxima, contendebant. Hinc etiam factum fuit, vt, priusquam in Repub. Guelphi ac Gibellini nominis perniciosæ factiones, cognitæ, vel introductæ essent, magna inter Spinulas & Aurias, mirò ambitu atque assidua æmulatione inter se flagrantes, dissidia exorirentur. Cœperant siquidem hæ duæ nobilissimæ familiæ inuicem summa inuidia, atque inde pestifero odio flagrare, quòd diu communicatis inter se ac distributis honoribus, præcipuam ferè in Repub. auctoritatem sibi comparassent: deinde labefactato Reip. statu, vtraque vt fieri solet, sibi populares factiones asciscere, atque conquirere anxiè studebat, ita scilicet, vt clientelis subnixæ, ad omnem casum paratæ, atq. instructæ essent, quò & vim aliarum simultatum repellerent, & pristinam dignitatem ex assidua quadam potentia, hominumque studiis alerent, ac etiam propagarent. Quocirca, dum quisque per se principem locum in ciuitate affectat, successu temporis effectum est, vt ope aliarum factionum, vtraque parte inter se æmula, suppressa atque labefactata, populares seditiones indies augerentur, & ita inualescerent, vt sese potentia, numero, & auctoritate, nobilium ordinibus ac studiis anteponere, nedum exæquare contenderent. Hinc illæ 1257.
turbæ ac tempestates deinceps subsecutæ: Siquidem anno supra millesimum ducentesimum quinquagesimo septimo, cùm, Alberto Malauolto Bononiensi, cuius anteà meminimus, Prætore designato; alter, cui iam sui muneris tempus exactum erat, quinto decimo die à Magistratu depositò, vnà cum sua familia discessum pararet, eumque per vrbem equitantem, plerique ex noui Præsidis ministerio ac famulatu, honoris ergò, vt fit, extra ciuitatem deducerent, popularis factionis aliquot improbissimi homines, siue sponte, siue, quod verisimilius est, à potentioribus, rerum mutandarum occasionem anxiè occupantibus, solicitati, adeò insolenter publicè cum ipso expostularunt, vt non modò dicteriis atque probris non abstinerent, verùm etiam cùm in plateam, vulgò Pancogoli,

goli, deuentum esset, multis lapidibus illum impeterent, & subinde clamitarent, contrucidandum esse, eoque necessitatis adegerũt, vt, vitandi periculi causa, vtque commodius sese à concitatæ & effrenis multitudinis manibus subduceret, paucorum patrocinio protectus, in destinati successoris sui ædes, non procul inde remotas, cum summa festinatione, animi dubius & anceps, se subducere coactus fuerit, existimans, se hoc modo & tutum fore, & concitatæ plebis animos ab incepto quieturos. Res tamen longè aliter euenit. Quippe statim post eius discessum, aliquot popularium factionum manipuli sese ceteris agglomerantes, ita insolenter & lasciuè per omnes vicos & compita decurrerunt, vt summam atque inexpectatam seditionem in Repub. quamprimùm excitarent, quæ dicto citius ita incaluit, vt nulla ferè esset ciuitatis pars, vel regionis angulus, in quo passim non tumultuaretur. Auxerant enim, vt in promiscua multitudine fieri solet, inuicem animos, & quisque suæ factionis auctorũ voluntatem atq; gratiam hoc modo sibi promereri pollicebatur, adeò vt perplexa ciuitate, hi factiosi ac pernicioſi ciues agminatim, vti diximus, discurrẽtes, populare nomen, ingeminatis sæpiùs vocibus, inclamarẽt, & non secus quàm serui ad pilcũ vocati, quotquot populares essent, vel populari nomini fauerent, studiosè ad se pellicerent; sic sanè, vt paruo interposito tempore, omnis ferè illa vrbana multitudo, quæ verè Plebeia dicitur, promptis pectoribus, & summa vultus animique alacritate certatim accurreret, causata scilicet vim pristinæ Reip. libertati per Prætorem, ceterosque Optimatium tyrannidis administros, cum graui totius ciuitatis pernicie ac detrimento infligi: tantumque ardor ebullierat, vt ipsum Præsidem subinde insecuta, tandem in ædem D. Syro sacram, magno strepitu contenderet, ibique summis viribus instaret, vt Prætori, veteri, & consueta auctoritate abrogata, Præfectus popularis designaretur. Vigebant ea tempestate in Repub. non solum multæ, ac præclaræ patriciæ nobilesque familiæ, verùm etiam aliquot populares, diuitiis & auctoritate florentes, inter quas Buccanigrorum ferè præcipua existebat, quæ ceteris gratia atque applausu populari antecelleret. Proinde factum est, vt in hoc præsenti rerum tumultu, Gulielmus Buccanigra, vir magno excelsoque animo, ac planè eiusmodi, vt ostensa aliqua bene gerendæ rei spe, aliquid supra gradum atque hominum opinionem auderet, cùm apud plebem magnum sibi fauorem parasset, æquali & vnanimi omnium popularium consensu vrbis Præfectus renunciatus sit, atque in hoc munere faustis acclamationibus ingentiq. totius vrbis applausu confirmatus, tanta me herclè cũ stulta & effreni vniuersæ multitudinis approbatione, vt humeris sublatus, non tantùm Prætor, sed Reipub. Dominus absolutus videri posset, adeò vt nullo senatus, vel patriciorum ordinum expectato consensu, vel suffragio, integram illi totius Reipub. administrationem deferrent, & in verba eius more sollemni iurarent. Hac tanta licentia minimè contenti, eò vesaniæ dicam, an temeritatis deuenêre, vt nouum paulò ante, vti diximus, ex Patrum voluntate designatũ Prætorem, eò necessitatis compulerint, vt non modò spontè Magistratu exiret, verũ etiam vt sese iureiurando summa cum religione obligaret, se deinceps non commissurum, vt aliqua ratione popularem designatum Præsidem in suo munere administrando conturbaret, vel impediret: sed libenti animo, quoad eius fieri posset, eius iussis atque imperio obtemperaturum. Ex hac repentina quidem, sed exitiosa concitatæ plebis seditione, magna rerum omnium confusio, & periculosissima Reipub. conuersio subsecuta est. Nam statim hoc modo, vti diximus, labefactata senatus auctoritate, populares ciuitatis dominium ad se rapientes, &

Gulielmus Buccanigrã, vrbis Præfectus, & postea Princeps renunciatur.

tes, & intentata vi, omnia suo arbitrio administrantes, ita vt nemo in tam magna præclarorum virorum frequentia esset, qui sese stultæ & effrenæ multitudini obijcere atque opponere auderet, ipsi hac impunitate confirmati, quò magis dicerent, se Reipub. imperium assecutos esse, omniaque pro libidine atque arbitrio constituere posse, hoc vnum egerunt, vt violentia raptum dominium, certis præsidiis, & pro commoditate temporum attemperatis, illud ex vsu suo confirmarent. Sciebant enim, vrbis regimen armis partum, atque optimatibus extortum, nullo modo nisi armis retineri & conseruari posse, nimirum cùm ita sit à natura comparatum, vt nullus aliquarum rerum status diu subsistere queat, nisi eis præsidiis enitatur, quibus maximè natura gaudeat. Quapropter ad astruendam sibi tyrannidem, vno eodemque tempore triginta duos ciues ex democraticis decuriis delectos atque secretos, quos ipsi nouo & iam recepto vocabulo Antianos vocabant, constituerunt, qui, Ephororum instar, vnà cum ipso præfecto, ciuitatis munia inter se partirentur, & totius Reip. summam administrationem haberent. Hi itaque omnium consensu per octo decurias distributi, totidem ciuitatis regiones repræsentabant, adeò vt extincta penitus Aristocratia, Democratia in vrbe constituta videretur. Hanc quò magis constabilirent, cùm multa tumultuariò ac temerè vt fit in tanta rerum omnium confusione & festinatione, egissent, paucis interpositis diebus, pleraque per se constituta, ad maiorem rei cognitionem deuocarunt, ita vt, absente præfecto, Buccanigra publicis suffragiis ad decennium in ea dignitate confirmatus sit, atque ipsi annuum stipendium mille librarum ex ærario publico assignatum, & præterea quinquaginta stipendiarij cum aliquot apparitorum numero pro eius satellitio, vel, vt ipsi vocabant, vitæ præsidio destinati. atque ita Popularis status Plebiscito introductus. At Prætor, per Patres conscriptos constitutus, qui hactenus dubia sub spe rerum exitum expectauerat, cùm videret, eò esse in ciuitate deuentum, vt Senatus omnem pristinæ auctoritatis spem abiiceret, nec eius recuperandæ aliqua spes affulgeret, sed potius vniuersa Reip. munera pro libidine insanæ multitudinis dispensari, ante præfinitũ tempus sponte se Prætura abdicauit, in cuius locum initio proximi anni de optimatium tacito cõsensu Rainerus Rossus, Luca oriundus, suffectus est. Quamuis etenim deinceps vrbis Prætura magna sui parte manca & mutila esset, & vix aliquam imaginem pristini decoris ac dignitatis retineret, cùm omnia scilicet, vti ostendimus, populariter regerentur, tamen ciuitatis genius obtinuit, vt aliquis adhuc honor & locus illi muneri relinqueretur, ita vt causæ ciuiles, & criminales, Prætoris cognitioni atque iudicio subinde permitterentur. In hoc tam perplexo & lubrico Reip. statu, Popularis præfecti collegarumque auctoritate, sexdecim triremes instructæ ac præparatæ sunt, quæ ductu atque imperio Nicolai Venti, & Iacobi Nigrij, aduersus Pisanos, veteres atque acerrimos Reip. hostes, eductæ fuerunt. Exortus erat siquidem recèns in Sardinia, de qua mira contentione vterque populus inter se contendebat, nouus tumultus, propter arcis cuiusdam, quam ipsi Castrum vocant, defectionem. Hæc cùm paulò antè Reipub. Genuens. armis esset expugnata atque recepta, Pisani tantam contumeliam cum graui suo detrimento coniunctam, ægrè ferentes, enixè dabant operam, vt eam iterum armis subigerent: eamque ea de causa arctissima obsidione cingebant. Certiores itaque facti de Ligusticæ classis apparatu, soluta obsidione, quòd sese viribus impares viderent, in quoddam eius insulæ municipium, quod pro partibus suis stabat, subduxêre. Verùm, cùm interea gliscentem rumorem Genuensium mora dissipasset, repetita obsidione, eò

Antiani.

Genuæ Popularis status introductus.

1258.

Bellum inter Pisanos ac Ligures instauratum.

neceſſitatis Caſtrenſes adegêre, vt ipſi, cùm obſidionem diutiùs ſuſtinere nequirent, & ſubſidia diu anxiè expectata, magno cũ ſuo periculo differri conſpicerent, Iudici Alborenſi, cuius potiſſimùm auſpiciis obſidebantur, deditionem fecerint, ſicut in iis libris quos ſeorſum de bello Piſano ſcripſimus, fuſiùs ſuo loco enarrabitur. Interim Gulielmus Buccanigra, quem popularibus votis atque ſuffragiis vrbis Præfectum deſignatum eſſe diximus, vbi primùm ſe ad ſupremum honoris apicem peruenisſe animaduertit, inſolentior factus, omnia pro ſua libidine atque arbitrio, vt in tanta licentia fieri conſueuit, nullo refragante, vel ſeſe opponere audente, adminiſtrabat. Quippe qui, inconſulto Senatu, legationes, Reip. munera, aliaque ad abſolutam principalem dignitatem ſpectantia, cum magno bonorum omnium dolore diſtribuebat, non communicatis rebus Senatui, aliiſque ordinibus, prout conſuetudo Reipub. recepta, in primis requirebat, adeò vt ex vrbis prætura, in veram & intolerandam tyrannidem euaſiſſe, ac non obſcurè transformata videretur. Quod ſanè effecit, vt plerique nobiles, qui exitioſo conſilio præcipitati, in patriæ Reipublicæque ſuæ perniciem tacitis ſuffragationibus Plebiſcito conſenſerant, magna, ſed nimium ſera pœnitentia ducerentur. Vſu venire nimirum ſolet, vt illa, quæ per impotentiam animi, vel conſiliorum præcipitantiam cõmittuntur, hoc eſt, quæ temerè ſtatuuntur, pœnitentiam ſecum à tergo, tamquam comitem & indiuiduam pediſſequam, trahant. Hoc iis accidit. Sæuitiam enim Buccanigræ ſummoperè pertæſi, crebris ſuſpiriis Reipub. ſtatum valdè labefactatum deplorabant, & iam ex plurimis indiciis, ceu præcurrentibus notis, probè intelligebant, & obſeruabant, quorſum tam ambitioſi hominis, tanta auctoritate, ceu exitioſis telis armati, ingenium eſſet poſtmodum euaſurum, qui ſcilicet ſibi iam nihil reliquum fecerat, quàm vt ſuppreſſis omnibus ordinibus, ac extincta quodammodo Reipub. libertate, morem ſuis affectibus gereret, atque id, quod ſibi vtile ac expedire videretur, pro æquo atque honeſto duceret. Proinde ad oppugnandum hominis conatus, ipſi ad ſeria remedia, vt fieri ſolet, confugêrunt, & vnanimi cõſenſu in eius caput coniurauêre, eaque de cauſa mutuò ſeſe religioſo ſacramento obſtrinxerunt. Sed licèt hæc coniuratio, & paucorum nobilium ac popularium in eum conſpiratio, ſumma cum induſtria ac fide ſilentij tractaretur, fieri tamen non potuit, vt ſagaciſſimi ac ſuſpicioſiſſimi hominis ſollertiam latêret, vel effugeret. Ipſe etenim longo atque recepto tyrannorum more cùm ſciret, nunquam ſatis fidam potentiam, vbi nimia ſit, & in fecunda gignendis inimicitiis ciuitate, etiam quæ tutiſſima videri ſolent, haud parum metuenda, omnia cum ſumma animi præſentia adminiſtrabat, omniumque conſilia anxiè perſcrutabatur & inquirebat, ita ſanè vt valdè arduum ac difficile eſſet, aliquid contra ipſum moliri, quod nõ per delatores ſuos, quos valdè multos habebat, vel propria induſtria indagaret & ſubodoraretur. Itaque, breui, poſtquam hi nobiles in illum coniuraſſent, res vniuerſa retecta fuit, totiuſque negotij ſtatus ad ipſum delatus. Sed eorum bono fato contigit, vt priuſquam apprehendi poſſent, elabendi tempus ex mora concederetur, ipſeq. hac de cauſa ſummo dolore exagitatus, fremebundus ſuorum adminiſtrorum negligentiam increpuit, ac omnes coniurationis participes, proſcriptis bonis, exilio multauit, præcipuè verò illius auctores iudicio publico damnatos, graui contumelia proſecutus eſt. Nam, vltra exilium, & bonorum confiſcationem, domicilia eorum ſolo æquauit, multoſque alios, qui ſibi quacunque de cauſa in ſuſpicionem venerant, ad ſe accerſitos, eò neceſſitatis redegit, vt iureiurando, palàm & apertè conceptis verbis, ſe obſtringerent, atque illigarent,

Coniuratio in Buccanigram patefacta.

rent, sed ad illius nutum, quotiescunque requisiti essent, coram tribunalibus atq; iudiciis publicis sisterent; hac ratione ratus, sibi magnam securitatem imperij præstitisse. & indies magis atque magis ferociens, se sensim absolutum Reip. principem, abrogata prorsus Senatus auctoritate, exhibere statuerat; eoque secundo suæ præfecturæ anno, quo quidem tempore fuit etiam Prætor, licet Annales ipsius nomen supprimant, se in Opicij Fliſci palatium Laurentij fano proximum, tanquam in priuatum & proprium suum domicilium, contulit, & ad 1259.
satellitium suum pro custodia sui corporis, popularibus calculis decretum, nouo supplemento facto adauxit, ita vt hoc modo non solùm toti ciuitati intolerabilis esset, verũ etiam supramodum formidabilis. Verebantur siquidem omnes, ne postmodum tam tyrannicum eius ingenium, impunitate confirmatum, promiscuè citra aliquem delectum tam in amicos quàm inimicos, ad minimam suspicionem, vt tyrannis proprium est, grassaretur. Repetitis quippè superiorum temporum multorum pernicioſorum ciuium exemplis, qui per malas artes, oppressa ciuitatis suæ libertate, imperium sibi per scelus & vim astruxerant, facilè coniectabant, ipsum, alioquin suapte natura laudis gloriæque auidum, & maioribus semper inhiantem, intra eos terminos, quibus consistebat, nunquam permansurum, potissimùm cùm imperij status vel citò miris ac insolitis incrementis adolescat, vel interdum leuissimis quibusque de causis temporis puncto præcipitetur. Priusquam verò institutam orationis seriem prosequar, id obiter adiiciendum putaui, nempè anno eiusdem sæculi duodesexagesimo, mense Decembri, Lunam post sexdecim dierum incrementum, è-vestigiò vniuersam, licet admodum sereno ac tranquillo tempore, penitus non sine maxima rei astronomicæ studioſorum admiratione, euanuisse. Deinde postero die tam gracilẽ & exiguam conspectam esse, vt vix à quoquam dignosci posset: & mox paulatim excreuit. Dum hæc ita geruntur, proximo vere, Othobonus Fliſcus, Purpuratus, Innocentij Pont. nepos, Roma, visendæ patriæ cupidus, Genuam appulit, ibique per aliquot dies inter affinium & amicorum complexus, commoratus, quòd magna auctoritate summisque opibus, ac non paucis clientelis inniteretur, Buccanigræ in magnam suspicionem venit, ne prætextu profectionis ad Astã Cisalpinæ Galliæ vrbem, vt ibi aliquos suos propinquos, & inter eos quidem, vnum atque alterum nepotem, captiuos, in pristinam libertatem assereret, aliquid in ipsa Repub. clanculum, associatis sibi aliquot patricij ordinis viris, moliretur. Metuens igitur sibi, & anxiè in omnes eius actiones inquirens, enixè dabat operam, vt eius consilia, si quid forsitan in suam perniciem efficere studeret, maturis consiliis opportunisq; remediis anteuerteret ac præueniret. Nihil tamen eo tempore ex his suspicionibus in ciuitate natum, vel vtrinque attentatum fuit. Sed Cardinalis suum institutum iter prosecutus, citra aliquas turbas, vel commotiones, quatuor ex præcipua nobilitate viris, Reip. nomine apud eum legatione fungentibus, nempe Othobono Camilio, Iacobo Marocello, Guidone Spinula, & Hugone Fliſco, concomitatus, vrbe excessit. Postero anno, sub eodẽ Buccanigra, Martinus Fanensis iuris peritia insignis, publicis Patrum suffragiis 1260.
præturam assecutus est; quo quidem tempore, se flagellantium, siue, vt vulgò loquuntur, Disciplinantium ordo, Perusiæ primùm, à quodam eremita, vt fama & rumor inualuit, exortus, Genuæ introductus est, atque, vt fieri solet, vt quæ paruis initiis enascantur, successu temporis, mirificè augescant, à promiscua ciuitate miro zelo ac studio amplexus, hinc non solùm per totam ferè Italiam, diffusus & prolatatus, sed per pleraſque totius propè Christiani orbis prouincias &

Eclipsis Lunæ.

Disciplinantium ordo.

regiones tacito progreſſu diffuſus atque dilatatus. Circa hæc tempora, Michael Paleologus Orientis imperium obtinebat: qui ob priuatas ſimultates & inimicitias, quæ illi cum Venetis intercedebant, ſingularem beneuolentiam & animi propenſionem in Ligures manifeſtis argumentis præ ſe ferebat. Et cùm multũ Reſp. intereſſet, tam potentis Principis in Oriente ad nauigationes Aſiaticas cõficiẽdum, amicitia atque fauore iuuari, ſub initium proximi anni, Iordano Raaluengo ciue Aſtenſi Prætore, Senatus nomine Gulielmus Vicecomes & Guarnerus Iudex, prudentiſſimi ac integerrimi viri, optimeq. de patria ſemper meriti, ad eum legati miſſi ſunt, quorum opera atque induſtria Reſpub. aſſecuta eſt, vt, inito cum ipſo fœdere atque amicitia, res orientales longè meliori loco, quàm antea, eſſent. Ipſe etiam, vt aliquo recenti beneficio ſibi Rempub. arctiùs deuinciret, magna liberalitate vſus, illi Smyrnam vrbem, atq. etiam, vt nonnullis placet, Chium Ionij maris inſulam dono dedit. At Senatus, ne ob tanta Principis beneficia Reſpub. indigna vel ingrata videretur, poſtmodum triennio exacto, illi aduerſus Venetos, cum quibus belligerabatur, decem roſtratas, & ſex longas naues egregiè inſtructas, in illius belli vſum ſubſidio ablegauit; cui quidem auxiliari claſſi Buccanigra Præſes, quò magis ſuam auctoritatem & dignitatem confirmaret, & imperium ſolus ſuo more pro ſua libidine exerceret, Martinum Buccanigram fratrem ſuum, nequicquam reluctantibus Patribus, præpoſuit. Hęc aſſidua & intolerabilis Buccanigræ arrogantia, vel potiùs, vti pleriſque videbatur, mera tyrannis, effecit, vt nobiles, qui adhuc in vrbe reliqui erant, impotentia quadam euicti, eò omnes conſilia ſua contulerint, vt quibuſcunque modis, libertatis, vti exiſtimabant, euerſorem penitus delerẽt atque opprimerent. Igitur anno eiuſdem æui ſecundo ac ſexageſimo, ſub eodem Prætore à Patribus recèns confirmato, noua conſpiratione in eius exitium facta, expedire ſibi in primis cenſebant, vt vrbanæ multitudinis animos palàm & apertè explorarent, & ad veterem libertatem recuperandam dictis & factis inflammarent. ipſiq́ue inter ſe cum ſociis & clientibus per compita & ciuitatis regiones euagantes, libertatis nomen ſæpiùs inclamarunt, ita vt tota ferè ciuitas ad arma concurrerit, & flagrantiſſimis animis ſeſe in priſtinam libertatem aſſerere conarentur. Verùm, cũ & ipſe vnà cum ſociis & amicis ad reprimendos plebis conatus & tumultus, armatus in publicum proſiliiſſet, in forum, quod in quinque vias diſciſſum, Riuulum, ſiue vt vulgò Foſſatellum nominant, nobilitatem, quæ ibi aciem cum ſuis inſtruxerat, obuiam habuit, & continuò atrox atque dirum bellum vtrinque exortum. Pugnatum eſt diu, & ſumma cum vtriuſque partis contentione, adeò vt ex vtraque parte multi promptiſſimorum fortiter dimicando interirent; & inter eos quidem, qui à partibus Buccanigræ ſtabãt, Lanfrancus eius frater contrucidatus eſt: & ita ſenſim fortuna ad nobilitatem inclinante, ipſi, victoria, cæſis præcipuis quibuſque aduerſæ factionis, potiti ſunt. Buccanigra præfectus, prœlio non interfuit, ſed ad omnem caſum ad palatij cuſtodiam remanſerat. Intellecta itaque ſuorum cæde, per internuncios, aduerſæ factionis auctores, propoſitis pacis conditionibus, ad concordiam ſolicitabat, & inuitabat: quæ cùm eſſent huiuſmodi, vt planè non forent aſpernandæ, ita inter eos tranſactum eſt, vt ipſe ſeſe quàm primùm Præfectura abdicaret. Quod ipſe confeſtim fecit, & ſe cum tota ferè ſua familia in ædes Petri Auriæ, cuius fidei & amoris integritati plurimum tribuebat, recepit; veritus, ne, ſi diutius in publico palatio, inq́ue hominum oculis verſaretur, concitatæ plebis iniuriis foret obnoxius. His ferè rationibus ab armis vtrinque fuit diſceſſum, & paulatim omnis ſeditio compreſſa,

1261. *Fœdus inter Paleologũ et Ligures.* *Smyrna, & Chius Genuenſ. donata.* *Martinus Buccanigra.*

1262. *Noua conſpiratio aduerſus Buccanigram.* *Buccanigra imperio exuitur.*

compressa est. Postero die magnus fuit omnium ferè ordinum concursus, & ingens præstantium virorum Reipub. curam habentium, frequentia, qui post multas deliberationes publicæ tranquillitatis constituendæ & confirmandæ causa, habitas, eò omnia sua consilia contulêre, vt Reipublicæ formam præteriti temporis conditione valdè labefactatam, iterum ad vetus ornamentum ac dignitatem restituerent, & reuocarent. de cuius Reipubl. status reformatione, nihil equidem habeo quod pro vero adferre possim, cùm Annalium scriptores inter se varient, & duntaxat tradant, subsequenti die crebris omnium ordinum suffragiis atque consensu, Martinum Fanensem Prætorem creatum, eoque abnuente, Palmerum eius filium, qui deinde vsque ad noui Prætoris, nempe Leazari ciuis Bononiensis, electionem, confirmatus fuit, adeò vt Respublica denuò suam veterem dignitatem & amplitudinem maiori ex parte recuperarit, ac deinceps aliquamdiu penes Optimates regimen fuerit. Hanc conuersionem excepit bellum Venetum, à veteribus odiis ac mutuæ potentiæ æmulatione ortum; de quo etiam sigillatim suo loco explicabitur. At Ligures interim, Buccanigra suprema dignitate abdicato, & externis bellis implicitos, domestica & ciuilia bella recèns paucorum factione renata, distinebant. Sub hoc enim tempus, Gulielmo Scarampa, ciue Astensi, Prætore, Respub. iterum duabus exitiosis pestibus, nempè Guelfi ac Gibellini nominis factionibus, de quarum origine superiori libro satis fusè & luculenter disseruimus, mirum in modum agitabatur; eoque factum est, vt magna & repentina quædam omnium ordinum secuta fuerit animorum distractio, præsertim Optimatium, quorum tam diuersa erant studia, vt paucæ ibi essent nobiles familiæ, quæ inuicem non dissiderent, & tota ciuitas in duas diuersas partes diuisa atque abstracta videbatur, cùm Auriæ ac Spinulæ Gibellinam factionem profiterentur; Grimaldi verò & Flisci, pro Guelfis starent. Hinc summa vtriusque partis æmulatio, & assidua per diuersas vias ad vrbis principatum contentio, cùm vtrisque essent non paucæ clientelæ & asseclæ, quibus muniti, omnia sibi in Repub. pollicebantur: Senatus tamen cùm videret hanc pestem in extremam Reipub. perniciem indies latiùs serpere, summa cura & labore dedit operam, vt cùm adhuc extingui posset, consopiretur. Hoc vt fieret commodiùs, statutum fuit, vt octo ciues, neutri parti adhærentes, præter cetera munia, publicorum etiam redituum administrationem susciperent. Quorum etiam diligenti opera & consilij grauitate effectum est, vt enatæ controuersiæ ac simultates ad tempus nonnihil comprimerentur. Horum autem nomina hæc fuerunt, videlicet, Gulielmus Iustinianus, Lanfrancus Ventus, Henricus Dragus, Lanfrancus Marocellus, Iacobus Marius, Hugo Lomelinus, Ansaldus Lusius, & Materrinus Guizolfus.

Respub. sub Optimatum regimine. 1263. 1264.

Inter hæc, crinita stella, quam & Cometen vocant, effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam imperij mutationem, siue summis potestatibus exitium portendat. Nec sanè ab hac vulgi opinione plerique etiam præstantissimi viri hactenus abhorruerunt, vel nostra hac tempestate abhorrere videntur. De hoc autem sidere, ac eius causis & proprietatibus, multa eruditè ac disertè posteris ac memoriæ tradidit Peripateticorum Princeps Meteor. lib. 1. cap. VI. & sequenti. Et quoniam ad hoc ventum est, non ab re fuerit, hæc paucula in præsentiarum subtexere, nempè à Mathematicis reique Astronomicæ peritioribus diligenti obseruatione compertum, faces eiusmodi plurimum nasci ex stationibus trium superiorũ, Saturni, Iouis, & Martis, si quando in mutuas syzygias incidant, præsertim si alter ipsorum in signis igneis, aut non procul à via Lactea reperiatur, aut

Cometes.

cum ſideribus fixis naturæ Martis, aut Solis magnitudinis primæ, ſecundæ, ac tertiæ. Quin ſolæ ſtationes in vnoquoque ſyſtemate plurimùm præſtant, & diuturnas vires influunt. Cuncta verò confirmat Mercurij teſtimonium, ſi acceſſerit, maximè omnium Eclipſes, ſiue grauiores luminum defectus, præſertim vbi inciderint in principium Arietis, aut Libræ, ſimulque alia eiuſdem ſignificationis portenta concurrerint. Longum autem eſſet, & nimis equidem ab inſtituto digrederer, ſi Cometarum plurium exempla, cùm eorum qui noſtri Seruatoris aduentum præceſsêre, tum etiam qui ab eius natiuitate vario tempore contigerunt, enumerarem, atque referrem. Verùm enimuerò haud ſanè ingratum hęc legentibus fore arbitror, ſi nonnullos celebriores, qui ante horũ temporum ambitus, de quibus nunc agimus, conſpecti ſunt, breuiter ſubiecero, & de reliquis, prout ſeſe offeret occaſio, ſuo loco ac tempore dicetur. Anno, quo Xerxes Perſarum rex potentiſſimus, cum innumerabili exercitu Græciam inuaſit, Cometes fulſit cornu figura. Arſit & igneus alter orbicularis eximiæ magnitudinis, noctem ſplendore ſuperans, ante bellum Achaicum, & miſerandum Carthaginis excidium, quo Thebæ, Corinthus, Chalcis, & quædam aliæ florentiſſimæ Græcorum vrbes funditus deletæ. Ipſa autem Romani imperij Carthago æmula diruta eſt anno vrbis 207. cùm ſtetiſſet annos DCLXVII. Sic etiam ante initium belli Peloponneſiaci per 75. dies viſus eſt alter Cometa horribilis ac tremendus. Item ante Athenienſium cladem in Sicilia: ante cæſos Lacedęmonios à Thebanis ad Leuctra Bœotiæ. ante ciuile bellum Cæſaris & Pompeij, & ante mortem ipſius Iulij. Cometa maximus, quo tempore Mithridates Ponticus rex, vir, vt inquit Vell., neque ſilendus, neque dicendus ſine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, ſemper animo maximus, conſiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, natus eſt anno mundi 3780. ante Chriſtum 183. qui quartam cæli partem ſic occuparat, vt totum vndique ardere videretur, & durauit dies 80. Ferunt, huius ſplendore Solis lumen propemodùm torpuiſſe. Hic proculdubiò Hannibalis & Scipionis mortem, Celtiberorum cædem in Hiſpania, ſimulque ciuilia bella inter Sullam & Marium, portendit. Sub Auguſto Cæſare ingentem cælo fulſiſſe lampadem ferunt: imò & in eadem pueri effigiem viſam, de qua vates conſulta Auguſto reddidit, hunc puerum ſeſe auguſtiorem fore, dignumque, quem Auguſtus adoret. Cometa ſex mentium (quod æuum illius generi longiſſimum memoratur,) effulſit anno à nat. Domini 66. Secuta ingens mutatio imperij Romani, aliaque innumera ſub Claudio Imperatore. Cometa gladij forma die Azymorũ, vrbi imminuit Hieroſolymæ, annum integrum perſeuerans, quamquam id genus peculiaris figuræ ac durationis modo, quiddam ſupra naturam criniti ſideris indicarit. quare potiùs inter oſtenta omnino metaphyſica referatur. Secuta eſt vrbis miſera deuaſtatio, de qua Ioſephus ampliſſimè ſcripſit, concinentibus aliis inſuper ſignis atque oraculis. perierunt vndecies centena millia Iudæorum tum fame, tum gladio. Fulſit acontias (ſiue Cometa iaculi ſimilitudine) de quo, quinto conſulatu ſuo Titus Imp. præclaro carmine cecinit, anno ſalutis 80. Tres ciuitates Cypri terræmotu corruerunt. Secuta ingens peſtilentiæ ſtrages, vt per plurimos dies, mortuorum plura centenis millibus efferrentur. mox vna calamitate alteram protrahente, mortuus eſt Veſpaſianus Imp. cui Titus ſucceſſit. Ceterùm, vt eò redeam vnde digreſſa eſt oratio, paulò poſt criniti ſideris, de quo proximè locuti ſumus, exortum, Vrbanus Pontifex vita defunctus eſt; cui de vnanimi purpuratorum conſenſu, Clemens quartus, natus in Gallia Narbonenſi,

ad ſu-

ad ſupremum rerum ſacrarum apicem atque faſtigium euectus fuit. Sub idem tempus, Britannia atrociſſimis diſſenſionum fluctibus iactata. In Hiſpaniis itidem rex Turdetaniæ, ſeu Bæticæ, aut Granatæ, ſicuti hodiè appellant, Ordelamar nomine, prius Caſtellæ regis tributarius, vnà cum omnibus Mauritanis qui tunc temporis erant in Hiſpania, ab eo defecit, & ſociorum ope atque auxiliis innixus, acerrimum bellum contra ipſum geſſit, adeò vt maxima vtrimque ſtrages ſubſecuta fuerit. Vt verò ad inceptum redeam, paucis interiectis menſibus, cùm aliquot patricij ordinis, opibus ac dignitate reliquis antecellentes, animi ſui impotentiam & effrenem dominandi cupiditatem diutius occulere, vel inhibere vlla ratione nequirent, factum fuit, vt occultata odia & ſimultates iterum cum graui Reip. detrimento erumperẽt, & indies magis atque magis inualeſcerent. Siquidem proximo anno, Vbertus Spinula ſexto Non. Octob. prouecta nocte cum Thoma ſuo fratre, Ioanne Rauaſcherio, Ioanne Bottino Riueraſcho, ac pleriſque aliis, militari, partim agreſtium in Valle Scriuia & finitimis locis collectorum, partim etiam plebeiorum manu concitata, cum ſummo ſilentio vrbem ingreſſus eſt, ſublatoque clamore, populum ad defectionem & tumultum excitauit. Nec his contentus, ſumma feſtinatione palatium Prætoris, cui nomen erat Albertus Riuola, cum ſuo ſatellitio inuolauit, ipſumque valdè attonitum, & nihil minus expectantem, per vim vnà cum ſua familia domum ſuam abduxit. Deinde per omnem ciuitatem cum ſuis euagatus, nomen Spinulæ familiæ ingeminatis vocibus inclamauit. ad quem ſanè ſtrepitum & rumorem tanta confuſio ciuitatis coorta eſt, vt, vbi diluxiſſet, ciues tumultuariò, ſeditionis cauſa prorſus ignorata, ſtupentibus ſimiles, agminatim accurrerint, &, vt plerumque fieri ſolet, armis inſtructi, ad omnem euentum paratos ſe offerrent. Verùm, propter maximum populi concurſum atque frequentiam, qui rerum nouarum cupidus, in Vbertum propendebat, tantum abeſt, vt vlla ex parte mitigari potuerit, vt etiam, ſicuti Spinula in primis cupiebat, in Laurentij templum populariter conueniret, quò ibi noua Reip. forma & adminiſtratio introduceretur. Magna erat populi ad templum properantis frequentia, ita vt Guerci, qui ædes ſuas fano contiguas habebant, Spinulas, alioſque partibus illorum addictos, ac proruentem multitudinem, aditu templi arcere, ac infeſtis telis ex domorum ſuarum penetralibus ac turribus impeterent ac diuexarent. Effecit tamen concurrentis populi multitudo, vt, quamuis ſubinde ab iis infeſtarentur, viam tamen ſibi atque aditum per vim ac ferrum, nequiquam ipſis renitentibus, aperirent. Vbi itaque Vbertus in ædem Laurentianam peruenisſet, artificioſa oratione populi faũorem captans, omni ſtudio allaborabat, vt illius ſuffragiis Præfectus ac Princeps deſignaretur. Qua in re quàm plurimos tam ſuæ, quàm aduerſæ factionis ſtudioſos præter ſpem ac voluntatem contrarios habebat. Quorundam tamen neutri parti fauentium opera & auctoritate effectum fuit, vt Spinula aſſentiretur, vt Guido Spinula & Nicolaus Auria tantiſper Rempub. adminiſtrarent, donec nouus Magiſtratus communibus ſuffragiis in publicis comitiis pro recepto vrbis more & conſuetudine renuntiaretur. Et hoc modo ſublati noui motus per Spinulam concitati, & veteri Prætori, abrogato officio, ſtipendium ſolutum, & damna in ſuperiori tumultu perpeſſa, compenſata, in eiuſque locum per nouos ſubrogatos Præfectos, alius declaratus, nempè Iacobus de Palude ciuis Parmenſis, ſed cum minori, quàm anteà, poteſtate, pariſque modo alij octo ciues publicis exigendis reditibus creati atq. ſubſtituti, in quo adminiſtrationis genere Præfecti, donec comitia centuriata celebra-

1265. *Vbertus Spinula.*

Genuæ ciuilis ſeditio.

Reip. adminiſtratio penes Nobiles.

1266.

lebrarentur, absolutam quandam dignitatem & auctoritatem, vt facilè conijcere licet, retinuêre, non citra multorum inuidiam, quibus graue erat, Reipub. administrationem paucorum arbitrio & libidini permitti, ita vt mox, citra tamen vllam seditionem vel strepitum, Rodubius Vercellis natus, Prætor, & octo
1267. Rectores, de more sollemni crearentur. In hoc tam perplexo Reipub. statu, publica & priuata munera non penitus neglecta. Nam Resp. licet paulò antè luctuosissimo bello cum Venetis gesto, simulque miris suspicionibus & simultatibus inuolueretur, nihilominus tamen legationes, publicæ vtilitatis causa ad varios Principes, præsertim verò ad Pontificē, & Carolū Apuliæ regē non neglexit. Verùm, quia ea tempestate multæ erant difficultates, quæ vtriusque Principis animum non parum ex parte Reip. offendebant, nihil eo tempore oratores obti-
1268. nere potuerunt. sed infecto negotio Genuam reuersi. Subsequenti anno, pro Reip. veteri more ac instituto, Guido Corrigius Parmensis, adstipulantibus Patribus, Prætor designatus, eique octouiratus adiunctus, quorum arbitrio & potestate Resp. administraretur, videlicet, Simon Zaccharia, Lanfrancus Saluagus, Gulielmus Porcus, Stephanus Marocellus, Guarnerus Iudex, Anselmus Grillus, Vialdus Carolus, & Bonifacius Picamilius. Et quoniam superius demonstratum est, inter nobiles ac populares mutuis seditionibus atque acerrimis odiis laboratum, id obiter adijciendum putaui, nempe complures familias quæ hac nostra tempestate populares habentur, antequam simul essent aggregatæ, inter patricias connumeratas fuisse, prout Fornari, Bisacij, Mecoti, Mortæ, Mortei, Bulgari, Casici, Rapalli, vulgò de Cruce, Sauinioni, Rodoani, Bolletti, Contardi, Polpi, Turrigeri, Pasij, Bestani, Nepitelli, Iudices, & pleræque aliæ consimiles, quarum vix amplius hoc tempore vlla extat memoria: quæ omnes, inter pa-
1269. tricias, vti diximus, censebantur. Intereà temporis, Genuæ Bonifacio Carioso ciue Regiensi Præturam obtinente, Romanus Pontifex solicitabat, crebrisque internunciis ac literis omnes ferè Christiani orbis Principes ad Asiaticam expeditionem vrgebat, nimirum cùm Barbari, cum graui Reip. iactura, miris incrementis indies magis atque magis adaugerentur. Proinde cùm Ligures bellum aduersus Venetos magis necessitate adducti, quàm sponte, suscepissent, Pont. vtrumque populum ad mutuam pacem & concordiam reuocare studuit, & crebrò adhortatus est, eosque pertinaces, & dicto non audientes, pro veteri suo instituto ac more Genuens. anathematis fulmine aliisque diris deuouit. Qua de causa Respub. quatuor oratores Romam ablegauit, quorum opera & industria breui effectum est, vt reconciliato Pontifice, ex reis eximerentur, & in publicam communionem & Christianorum cœtum reponerentur. Pontifex etiam, vt Ligures ad hanc sacram militiam faciliùs inflecteret, sese in censuris, vt vocant, Ecclesiasticis, aliisque noxis remittendis & condonandis, multò mitiorem solito exhibebat; præsertim quòd animaduerteret, huiusmodi imprecationibus & diris illos haud multum commoueri vt ab armis recederent. Quamobrem & ipse Genuæ ad Patres legatum habuit, vt communibus sententiis bellum consopiretur, simulque ingētes apparatus in vsum illius facti, in truculentissimū & immanissimum hostem detorquerentur. Pari modo Galliarum & Siciliæ reges, hac etiam potissimùm de causa ad vtrumque populum suos oratores, qui eos suo nomine ad pacem & concordiam traducerent, ablegarunt. Intelligebant etenim, nullam expeditionem Asiaticam commodè fieri, vel aliquem fructum tantorum periculorum & sumptuum reportari posse, citra vtriusque Reip. adminiculum & opes. Et licet Senatus bene esset animatus, & ad pacem valdè propensus, eaq-

Variæ legationes à Genuens. missæ.

propter

propter, ad vtrumque regem suos legatos vicissim haberet, tamen cùm varia interim occurrerent, quæ, nisi dato temporis spatio, superari nequibant, nihil sanè, ea tempestate, quod ex vsu Christianæ Reipub. esset, constitui potuit. Paucis tamen interiectis mensibus, iussu Senatus ad ipsum Siciliæ regem & Græcum Imperatorem noui oratores destinati, scilicet, Franciscus Camilius, Lanfrancus Cataneus, Theobaldinus Nigrius, & Hugo Fliscus, quorum quidem prior ad Græcum, reliqui verò ad Siculum profecti sunt. Erat eo tempore Respub. Genuens. tam domi, quàm foris, multis opibus egregiisque institutis, & rerum gestarum gloria, mirificè clara & illustris, adeò vt non solùm ab imperij magnitudine prædicaretur, verùm etiam omnium populorum consensu rei naualis peritia, atque maritimæ classis potentia, ad illos, tanquam propria, & optimo iure spectans, deferretur. Quo sanè factum est, vt per id tempus, Memphitici regis, Tartari, & Græci Augusti oratores, Romam ad Pont. Galliæque, ac Neapolis reges amandati, Genuam priùs appulerint, vbi honorificentissimè simulque liberalissimè excepti fuerunt, ac benignè & ex animi sententia dimissi. Iisdem ferè diebus, Senatus ad Neapolitanum regem, cum quo Reipub. graues controuersiæ intercedebant, illarum cõponendarum gratia Simonem Guercium, Ioan. Aduocatum, & Simonem Cancellarium iurisperitum misêre, cum quo tandẽ certis quibusdam conditionibus transactum est. At postero anno, Ligures, Rolando Putagio ciue itidem Parmensi, Prætore, Ludouicum Galliarum regem, nouas res in Syria molientem, iterum speciosissima classe atque opibus adiuuarunt. Ceterùm, cùm ipse in hac expeditione Tunetanam vrbem summis viribus adortus, priùs tabulis obsignatis, Philippo filio, & Carolo regi Apuliæ suo fratri, Gallici regni administratione relicta, è viuis subtractus esset, vtriusque regis, ac etiam Gregorij decimi, recèns ad supremum Pontificatum euecti, studio & auctoritate, indutiæ inter Venetos ac Genuens. in quinquennium initæ & constitutæ fuerunt. Inter hæc, Guelfi ac Gibellini nominis factiones, vniuerso Christianæ Reip. orbi, & in primis quidem Italiæ, sicuti antea demonstratum est, mirum in modum pernicioſæ ac exitiabiles, longè lateque in ciuitate serpere ac propagari cœperunt, ita vt quamplurimi, summis familiis geniti, indecan sam arripuerint, qua sui animi impotentiam aliquandiu occultatam, sensim retegerent, sicuti, propter oppidi Albingauni præfecturam, paucis pòst diebus euenit. Quippè cùm Lucas Grimaldus, complurium suffragiis, extra ordinem, & receptam consuetudinem illius vrbis prætor designatus esset, Curzorum familia, contrariæ partis ea tempestate illic facilè princeps, hoc Senatus decretum iniquissimo animo tulit, adeò vt hisdem auctoribus magna seditio in ea vrbe excitaretur, nullaque mora interposita, Ansaldus Balbus Iustinianus, Hugo Auria, & Gulielmus Turrius, plerisque propinquorum & familiarium sibi associatis, Genua Albingaunum profecti sunt, eo consilio, vt Grimaldum inuaderent, ac statim præfecturæ administratione submouerent. Ceterùm, ipse de illorum aduentu commonefactus, cum expedita manu, sese intrepidè ac strenuè hostilibus conatibus oppposuit, & consertis manibus, non pauci ex aduersariis capti sunt, reliqui verò, abiectis armis, in fugam versi, atque ita infectis rebus, Genuam, nec sine summo dedecore atque ignominia, redierunt. Postquàm verò Ansaldus & Auria nihil non egissent vt captiui in pristinam libertatem assererentur, nec tamen id vllo modo impetrarent, præcipuos quosque Grimaldi familiares atque intimos precibus defatigarunt, nec tamen ab eis quicquam, præter inanes pollicitationes, cõsequebantur, ita vt Spinulę atq. Auriæ suis fautoribus & clientibus;

Indutiæ inter Venetos Genuenses.

1270.

tam

tam patricij ordinis, quàm popularis ſtudij, in vnum conuocatis, prolixa & neruoſa oratione multis argumentis & rationibus innixa, oſtenderent, Reipub. quàm maximè intereſſe, ac expedire, vt, ad plurimorum inſolentiam coërcendam, quóue fluentem procumbentemque patriam in antiquum, vt ipſi quidem dicebant, decus & maieſtatem reſtituerent, noua gubernationis forma, quæ populi tutelam ac protectionem ſuſciperet, conſtitueretur; in quo ſanè ipſi, publici commodi ratione habita, omnem ſuam operam & auctoritatem promptiſſimis animis offerebant atque pollicebantur. Hæc, & pleraque huiuſcemodi, ab ipſis non minùs grauiter, quàm diſertè pronunciata, in eorum animis, mira quadam nouandarum rerum cupiditate incenſis, tantam vim habuêre, vt dicto citius vniuerſi aſſentientes, vtque id ratum firmumque haberetur, iureiurandi ſacramento interpoſito, paucis pòſt diebus, videlicet, quinto Cal. Nouemb. qui dies iuxta priſcum ac receptum morem, Simoni & Iudæ dicatus eſt, ſimul coirent, exque vnanimi conſenſu arma aduerſus Fliſcos & Grimaldos aduerſæ partis ſupremos auctores, primo impetu in publicum palatium facto, corripuerint. At Prætor, cùm ſe viribus longè imbecilliorem conſpiceret, ne extrema experiri cogeretur, cum pleriſque ſuis ſtudioſis, & quibus magis fidebat, per auerſam illius portam occultè digreſſus, confeſtim ſeſe in Fliſcorum ædes, iuxta ædem Laurentio ſacrâ poſitas, ſubduxit, ibique ad aliquot horarum ſpatium aſpero atque ancipiti Marte vtrinque dimicatum eſt, eo tandem ſucceſſu, vt aduerſarij, nouo ſupplemento adaucti, illas, capto ipſo Præſide, expugnarint: & mox ſui animi decretum proſecuti, denuò magnam populi frequentiam in vnum conuocarũt, à quo, reliquis etiam amicis ſuffragantibus, duo ex præcipuis earum familiarum, nempe Vbertus Spinula & Vbertus Auria, vrbis Præfecti, ceu populi protectores deſignati, quibus vniuerſi vtriuſque ordinis, ac etiam ipſe Prætor, omnem obſeruantiam & obſequium, adhibita iuriſiurandi formula, promiſerunt; eiſque de publico omnium ordinum conſenſu liberum totius Liguſticæ ditionis ac nominis imperium cum ſumma auctoritate permiſſum fuit. Hic præſens rerum ſtatus, & noua Reipub. adminiſtratio, licèt prima fronte pleriſque admodum violenta & præceps, inque reliquorum patriciorum haud mediocrem iniuriam & detrimentum cõſtituta videretur, nihilominus tamen ſingulari horum Præfectorum, ac etiam eorum, quos aliquandiu cum pari dignitate atque imperio ſucceſſores habuerunt, prudentia, fideique integritate, Reſpub. per multos annos haud ſanè infeliciter geſta & adminiſtrata fuit. Ipſi interim, rebus gerendis admoti, nihil potius & antiquius habuêre, quàm vt Reſp. domi foriſque pacata floreret, & inter cetera, vt Albintimilij, quorum cauſa proximè noui motus excitati fuerant, nouus magiſtratus conſtitueretur, adeò vt Grimaldo ab ea Præfectura ſubmoto, in eius locum Balianus Auria ſufficeretur, ac ipſorum opera & auctoritate, quò ciuium animi arctiùs conglutinarentur, & mutua charitate coaleſcerent, multa coniugia & affinitates contractæ: moxq. vrbis rectori, per ſoluto priùs integro ſtipendio, & dignitate abrogata, veniam & cõmeatum dedêre: ac
1271. edicto cautum fuit, ne quiſpiam, illum, aut aliquem ex ſua familia, vel minimo incommodo iniuriaque afficeret. Inſequenti anno, ſub horum imperio ac præfectura, Accurſius Lancius Alexandriæ natus, publicis Patrum votis Rector deſignatus fuit, eorumque decreto ſancitum, vt rempub., exceptis tantummodo quæ ſibi à duobus Præfectis iniungerentur, (nam hæc omnibus aliis ritibus ac inſtitutis præferenda erant) iuxta vetera illius ſtatuta legeſq. Cæſareas adminiſtraret. Verùm is dumtaxat ſemiannum in eo munere permanſit. Cùm enim

Reip. adminiſtratio penes Vbertũ Spinulam et Vbertum Auriam.

promiſ-

promiscuæ plebi non vsque adeò illius gubernatio satisfaceret, ac per idem fermè tempus, à Bononiensi Magistratu Prætor renunciatus esset, ipse, huiusmodi opportunitatem adeptus, sese vltrò dignitate abdicauit, eoque factum est vt totius Reip. administratio tantùm penes duos præfectos remaneret: hique vnanimi consensu nonnullos Grimaldæ familiæ, ac etiam quosdam patricios, qui ab illorum partibus stabant, perpetuo exilio multarunt. Circa hæc tempora, Gregorius, superiori anno Viterbij de Purpuratorũ consensum Pontifex declaratus, è Syria reuersus, cum quatuor triremibus Andegauensibus Genuã appulit, eo animi decreto, vt illinc Romam enauigaret: quem Patres ceteriq. ordines summis atq. amplissimis honoribus exceperunt, eumq. abeuntem quinque patriciæ dignitatis viri, iussu vtriusque Præfecti, ac Senatus, Romam vsque concomitati 1272.
sunt. Tali statu rerum, plerique amplis familiis geniti, ac præsertim aduersarum partium primarij duces ac studiosi, Othobonum Fliscum purpuratum, Innocẽtij Pont. nepotem, vti præcipuum patronum agnoscere, & ad ipsum, ceu ad tutissimum asylum & sacram anchoram, vt dicitur, in omnibus suis rebus confugere. Is enim supra modum indignatus, suos ab vrbis principatu ceterisque muneribus excludi, enixè dabat operam, vt præfectorum auctoritatem sensim labefactaret atque deprimeret: nec vmquam omninò quieuit, donec proscriptos ac extorres eò tandem induxisset, vt correptis armis, Ligusticos fines inuaderent, ipseque mox, cõiunctis viribus, totus in eorum perniciem ac exitiũ incumbebat. Verũ cùm suos aduersarios summa potẽtia, & honorũ prẽfectura innixos animaduerteret, sibi quàm maximè conducere visum fuit, si cum Carolo Apuliæ rege, Guelfi nominis ea tempestate facilè Principe, fœdus ac societatem inirent. Quarè, honorifica & splendida legatione ad eum missa, illum omnibus studiis in suas partes allicere conati sunt. Rex, auditis oratoribus, minimeque ignarus quantum inde commodi, si rerum potiretur, pro Sicula expeditione, quam iugiter atque assiduè secum animo voluebat, sibi proueniret, legatos amantissimè excepit, seque illis fœderis iure obstringens, continuò apertum bellum aduersus Remp. gerere, omniaq. hostiliter agere decreuit, & primò quidẽ omnes Ligures alterius factionis, qui tunc temporis in suo regno rerum exoticarum & commutandarum gratia degebant, continuò publicæ custodiæ tradi iussit. Exules interim, hac regia potentia plurimum confirmati, cum haud spernenda manu in oram Orientalem profecti sunt, primoque accursu arcem, vulgò Stellam, & portum Lunarem vnà cum eius munitione occuparunt. sed paucis pòst diebus, hæc loca, non citra insignem hostium cladem, à Nicolao Auria viro præclaro ac strenuo, recepta. Et quoniã Alberto Fliscõ Cardinalis fratri iterũ propter concitatas turbas, vnà cum suo filio Emanuele aqua & igni interdictum fuerat, ipse ad eam iniuriam vlciscendam, coacto milite, cum infestis armis Ligusticæ oræ tractum variis rapinis ac populationibus diuexare incepit, sic tamen, vt exiguo temporis interuallo illinc non sine maximo detrimento recedere compelleretur. Quippè Vbertus Auria, quem alterum ex duobus moderatoribus ac Præfectis declaratum fuisse ostendimus, cum lectissimo vrbanæ militiæ robore summaq. animi alacritate eruptione facta, hostemque aggressus, tam prospera fortuna vsus est, vt conserto prœlio, illum cum omnibus suis in turpem fugam coniecerit. Quo feliciter peracto, ne Ligusticus ager in posterum hostilibus excursionibus patẽret, Præfecti vtriusque auctoritate, ac Senatus decretis, duo ex suprema nobilitate, quorum prudentia & industria rebus omnibus maturè prospiceretur, designati. Et oræ quidem occiduæ Vbertus Sardena, alteræ verò Ansaldus Balbus cum

Fœdus inter Carolum Andeg. & exules Genuens.

bus cum sat firmo ac valido præsidio præpositi, eaque ratione per id tempus
1273. conciti motus maiori ex parte suppressi, conquieuerunt. Ceterùm, proximo anno, cùm defectionis auctores ac perduelles, instinctu atque ope eiusdem Othoboni purpurati & Caroli Andegauens. indies aliquid noui aduersus Rempub. molirentur, atrocissimum bellum denuò exarsit. Nam cùm ipse Carolus ea tempestate in Etruria Vicarium Pontificium ageret, illi, ob loci vicinitatem multò faciliùs atque commodiùs suis fœderatis adesse, ac illorum conatus promouere integrum erat: eiusque opera & auctoritate effectum est, vt Salutij & Carreti Marchiones, quorum vterque Gallica studia sectabatur, vnà cum Alexandrinis, ceterisque Insubriæ populis percusso fœdere, nec non Nicolao Fliseo, qui hactenus neutri parti adhæserat, & Spediam, ac reliqua loca huic contermina, sui iuris fecerat, sibi tanquam socio & belli coadiutore adiuncto, cum valido ac præpotenti exercitu Ligusticam ditionem inuaserint. At Præsides, hostili apparatu nihil prorsus exterriti, vno eodemque tempore terrestribus & naualibus copiis aduersus confœderatos, prioribus quidem, ipso Vberto Auria, & classi, quæ ad minimum quatuordecim triremium numerum æquabat, Iacobo Squarciafico cum supremo iure atque imperio præpositis, arma expediuerunt. Interea temporis, Ansaldus Balbus, cuius proximè mentionem habuimus, non modò vsq. ad Præfecti aduentum infestam aciem summa virtute atque animi fortitudine inhibuit & compescuit, sed etiam hostes eò tandem adegit, vt Serzanam vsque

Spedia direpta atque incensa.

sese reciperent, & mox Auriæ superuentu Spedia vi occupata, eaque maiori ex parte direpta atque incensa. Paribus quoque fortunæ auspiciis Squarciaficus eodem temporis articulo castrum Manarolum, & arces, vulgò Quinqueterrarum, feliciter expugnauit, ita vt hoc prospero successu aduersariis haud parum perculsis & consternatis, animumque despondentibus, quæcumque oppida paulò antè à Repub. desciuerant, breui, & citra magnam difficultatem, recuperata sint, & ad pristinam fidem atque obsequium redacta. Consimili eiusdem sortis abblandientis aura & indulgentia in finibus Insubriæ versus oram Occiduam, Ægidij Nigrij Præfecti ductu & auspiciis contra hostem dimicatum fuit. Cùm enim Ricardus & Leo, Boschi Marchiones, in gratiam Caroli aduersus Remp. militarem manum collegissent, Nigrius illorum cœptis atque conatibus sese intrepidis animis obiiciens, non solùm ipsis Ouadam ademit, verùm etiam omnia loca Ligusticæ ditionis, in illis partibus subiecta, quàm strenuissimè defendit & conseruauit. Hoc grauissimo ac periculosissimo bello summa cum Reip. felicitate, nec minori ducum gloria terminato, cùm ipsi Rectores iugiter aduigilarent, vt fœderatorum insidiæ atque conatus in irritum caderent, initio subse-

Multæ vrbes atque oppida à Senatu recepta.

1274. quentis anni, quò sese illorum viribus ac potentiæ facilius opponeret, cum Montisferrati regulis, & Ticinis ac Estensibus populis fœdus contraxerunt. quod sanè ipsius Andegauensis animum, longè vehementiùs ad iram concitauit, adeò vt statim pleraque nauigia omnibus rebus quæ bello vsui forent, instrui ac præparari iuberet, quibus primo quoque tempore Corsica inuaderetur, ibique in ora eius insulæ, quæ Aggiaci nomen habet, arx recèns à Liguribus constructa, vulgò Lombarda, facili negotio expugnata. Cuius rei fama vt primùm Genuam perlata est, summa celeritate duæ ac viginti triremes sub Lanfranci Pignatari præfectura atque imperio instructæ ac emissæ fuerunt, qui hostem inopinato aduentu adoriretur. Verùm is de aduersariorum consiliis atque itinere paulò antè commonefactus, arce relicta, omnique insula excedens, sese protinus in Galliam Narbonens. recepit. Ne verò classis Præfectus alicuius rei bene gerendæ occa-

sionem

sionem prætermitteret, in Siciliam contendit, in quâ, post plurima damna, Drepanum, ceteraque loca finitima incolentibus, illata, Zozi insulam diripuit, & Messanam secundis ventis delatus, ibi pleraque nauigia occupauit, ipsisque insularibus tantum formidinis ac terroris incussit, vt, quoad ibi subsisteret, nusquã gentium quisquam ex eo littore prodire, vllamque nauigationem quôquam suscipere audêret. Paucis pòst diebus, illinc soluens, Neapolim, vbi rex Carolus eo tempore degebat, classe admota, erectisque Georgianis insignibus, omnem Tyrrheni maris tractum hostiliter depopulatus est, regiaque vexilla plerisque in locis capta, in maiorem hostis contemptum & ludibrium, conuulsit atque discecit: neque probris & contumeliosis verbis temperabat. His peractis, & in patriam reuersus, multos captiuos, regis subditos, secum deductos, Præfectis tradidit: qui tamen omnes illorum iussu ac mandato tridui spatio pristinæ libertati redditi fuerunt. At rex, his contumeliis supramodum concitatus, iraque ac dolore accensus, confestim ad eas vlciscendum quadraginta triremium classem parari, eamque optimè instructam, in sinum Ligusticum educi imperauit. Inter hæc, Vbertus Auria cum aliquot nauigiis, Monœcum versus Nicolao Auriæ suppetias laturus adnauigarat. Hic etenim cum valida manu ex continenti aduersus primarium ac supremum regij equitatus magistrum, quem ipsi patrio sermone Marescallum vocant, ex Prouincia profectum, cum quo ante ipsius Nicolai aduentum, in obsidione arcis Mentonæ Ansaldus Lusius Spinula, dum se illius conatibus obijceret, haud prospero exitu pugnarat, castra produxerat. Verùm Auria de regiæ classis aduentu certior factus, Genuam versus proras obuertit, sic vt regius nauarchus in Ligusticum sinum præteruectus, Genuensi portui imminêret; ibique tamdiu hæsit, donec de reditu Auriæ intelligeret. Quippe cùm indigenas sibi infestissimos haberet, summoperè verebatur, ne vndiquaque ab hostili agmine circumuentus, extremum aliquod periculum adiret, ideoque consultius fore arbitratus est, si quàm primum sese illinc subduceret. Atqui ne illuc frustrà veniisse videretur, in reditu, præter ceteras clades in ora Orientali inflictas, intempesta nocte oppidum portus Lunaris, necnon eius insulæ suburbia & circumiacentia ferociter diripuit, ac etiam iniecto igne concremauit. Sub idem fermè tempus, Gregorius Pont. omnis humanitatis ac beneficentiæ, sibi paulò antè à Senatu exhibitæ, penitus immemor, in gratiam Othoboni purpurati, qui pleraque suæ ditionis municipia & colonias sibi à Repub. eripi conquerebatur, illam execrationibus atque anathemati deuouit. 1275.

Classis Andegauensis contra Genuenses.

Postero anno, iisdem Præfectis, ac Simone Anconitano Prætore, nihil sanè memoratu dignũ Annales, quod equidem sciam, posteris tradiderunt. At sequenti, 1276.
iisdem Rectoribus, ac eodem Præside, Gregorio ex Galliis profecto, & in vrbe Aretina, dum Romam contendit, è viuis subtracto, Innocentius quintus, natione Sequanus, patriaque Tarantasius, successor datus, qui Genuensibus singularem amorem ac beneuolentiam declarauit. Nam vbi primùm ad Pontificiam dignitatem euectus est, ad Senatum amantissimas literas dedit. Et quoniam nihil magis in votis habebat, quàm vt sublatis odiis, omnibusq. bellorum seminibus euulsis, mutuam pacem & concordiam inter Christiani orbis principes conciliaret, ab eo sibi legatos mitti postulauit, & mox Patrum decreto Ioannes Hugolinus, iuris peritia insignis, Guido Spinula, Babilanus Auria, & Lanfrancus Pignatarus, viri, præter generis claritudinem, egregia virtute & longo rerum vsu præditi, oratores ad eum destinati, qui benignissimè ab ipso Pont. excepti fuerũt, & paucos post dies, inter Remp. & Carolum regem, iuxtaque inter Othobonum

Pax inter Genuens. & Carolum eiusq; Fœderatos.

Cardinalem, Grimaldos, Flisços, ceteroſque proſcriptos ac exules, pax certis quibuſdam formulis & legibus tranſacta, omneſque ſuis penatibus ac bonis reſtituti. Pontifex interim, non minori ſtudio ac vigilantia connitebatur, vt etiam inter Ligures ac Venetos, quibus cum indutiarum terminus iam effluxerat, ſublatis mutuis contentionibus, conciliatio animorum fieret: nec dubia ſpes affulgebat, hæc ipſius conſilia proſperè ac feliciter ſucceſſura, ſi longior illi vita ſuppeditaſſet. Obiit namque menſe ſexto, & duobus diebus exactis, ex quo rebus ſacris præfuerat, & in eius locum de communi Purpuratorum collegio, Othobonus, cuius proximè meminimus, ex illuſtri Fliſcorum gente oriundus, poſtmodum Hadrianus quintus dictus, ſuffectus eſt; cuius adminiſtratio haud ſanè multò diuturnior extitit. Quippe qui intra quadrageſimum diem, ſiue, vt aliis placet, trigeſimum quintum à ſuſcepta dignitate, non abſque ſumma Præfectorum adeoque vniuerſæ vrbis lætitia & congratulatione extinctus eſt.

Quandoquidem huius potentiam & auctoritatẽ, qua fermè apud omnes principes ac reges mirum in modũ pollebat, ſummoperè formidabant, cùm præſertim paulò ante ſuum obitum, ſororem Duci Sabaudiæ matrimonio iunxiſſet, ita vt cùm eius animũ ſibi vehementer ſuſpectũ haberent, quænam belli gerendi ratio, ac media opportuniora eſſent, haud ſegniter proſpicerent. Ceterùm, eo fatis excedente, haud mediocri metu ſoluti ſunt. Is tamẽ, vbi primùm ſupremus Pontifex renuntiatus fuit, nihil antiquius habuit, quàm vt patriam anathemate, quo paulò antè Gregorius illam deuouerat, eximeret, & Chriſtianæ Reip. reconciliaret. In hoc rerum cardine, haud mediocris Reip. diuerſorum locorum facta fuit acceſſio. Siquidem Nicolaus Fliſcus Senatui hæc ſuæ ditionis oppida, nempè Vetianum, Carpenam, inſulam Veſiniam, Marolam, Spetiam, Tiuenium, Volaſtrũ, Mõtem Nigrium, Amelium, Caſtilionem, Gignaculum, & Ripalatum pro quinque ac viginti millibus librarum diuendidit. Thomas etiam Maleſpina, dimidia parte oppidi Ouadæ, ac iure, quod ſibi erat in pleriſque aliis locis eius regionis, pro decem millibus librarum, vltrò eidem ceſſit. Ad hæc, Thomas Ponzonus magna parte Varaginis pro mille & quingentis libris, & Guido Vezzanus vnà cũ Gulielmo ſuo fratre ſuiſque conſobrinis, pro certa quadam pecuniarum ſumma, ſeſe omni poſſeſſione ſui oppidi atque arcis ſpontè abdicarunt. Fine anni, qui non modò Genuã & Liguſticum agrum, verùm etiam vniuerſam fermè Italiam duabus maximis calamitatibus, fame ſcilicet, ac peſte, mirum in modum diuexauit, iuxta molem templo D. Marci conterminam, receptaculum, ſiue tuta ſecuraque ſtatio pro nauigiis, vulgò Darſena, non ſine maximo rei naualis beneficio, feliciſſimis auſpiciis inchoata fuit. Initio ſubſecuti Veris ſub ijſdem Rectoribus, Ogerius Guidobobus publico Senatus conſenſu Prætor renunciatus eſt: quo quidem tempore cùm plerique ex Grimalda & Fliſca familia & illorum confœderati nouos in Rep. motus ac turbas cierent, turſus in exilium acti. Ceterùm proximo anno, iiſdem Præfectis, eodemque Præſide rerum potientibus, cùm Albertus Fliſcus demortui Pontificis, Hadriani quinti frater, immenſa honoris glorieque cupiditate flagraret, ac præſentem Reip. ſtatum extremo odio proſequeretur, cum Emanuele Maleſpina, ac pleriſque patricij ordinis, ſuis amicis atque clientibus, qui nunquam in patriam remigrarant, clandeſtina conſilia iniuit, & decimo ſeptimo Cal. April. cum trecentis equeſtribus viris, ac mille & ducentis peditibus Clauarum Liguriæ municipium adortus, illud facili negotio expugnauit, omniaq. loca huic proxima ferro atq. igne deuaſtauit. Cuius facti atrocitas vniuerſos Patres ad ſummam indignationem commouit, adeò vt Vber-

Pleraq. oppida à Genuenſ. coëmpta.

1277.

1278.

vt Vbertus Auria cũ expedita manu, rectà in eos contenderit. ad cuius aduentus famam hoſtes, cùm etiam per idem tempus quatuor triremes egregiè inſtructæ aduerſus ipſos eductæ eſſent, perculſi atque perterriti, oppidum, in quo ad ſpatium octo dierum ſubſtiterant, deſeruêre, atque illicò ſeſe in vallem Trebianã Fliſcorumque ditionem ſubduxerunt. Auria tunc temporis minimè illum inſecutus, in Malaſpinas,& in primis quidem in Moruellum, vnum ex præcipuis eius familiæ, arma expediuit, ſtatimque in oram Lunigianam, vt eorum municipia inuaderet,exercitum traduxit, & Arcolam arctiſſima obſidione preſſit. Ceterùm, ob publica negotia Genuam reuocatus, Emanuelem Nigrium ſuum legatum ad arcis obſidionem reliquit,qui eam breui pòſt expugnauit, & mox traiecto Macra flumine, Moruelli ditionem hoſtiliter depopulatus eſt. Paucis interiectis diebus,Albertus,Manfredus, & Franciſcus eiuſdem familiæ, quos idem Moruellus ſua ditione exuerat, Genuam profecti, apud Senatum vehementer de ipſo conqueſti ſunt,& poſt varia vltrò citroque colloquia, tandem Arcolam, & pleraque alia loca pro ſeptem librarum millibus Reip. diuendiderunt. atque ita externi motus eo quidem tempore pacati. Superius à nobis oſtenſum eſt, opera Innocentij quinti Pontificis,pacem inter Carolum Andegauenſ. & Remp. fuiſſe tranſactam. Ex hac igitur mutua animorum coniunctione exiguo temporis interſtitio Carolus Tarenti Princeps, eius filius, menſe Septembri, cum ſex triremibus optimè inſtructis, Genuam adnauigauit, vt inde in Galliam Narbonenſ. traiiceret: quem Præſides, ac Senatus, vt ſibi regiam familiam in poſterum aliquo ſingulari beneficio deuincirẽt, ſummis honoribus affectum, ampliſſimis quoque muneribus abeuntem proſecuti ſunt. Poſt menſis interuallum, Genuæ fuit repentina atque ingens aquarum inundatio. Nam mare immenſo auctu, non modò iacentia & plana vrbis loca, ſed ſecura huiuſmodi caſuum impleuit, & in publico foro decem cubitorum altitudinem æquauit, vrbiſq. fores in platea, vulgò Fontis amoroſæ, occluſas, diſiecit atque proſtrauit, necnon portæ, vulgò Vaccarum, fundamenta euulſit, adeò vt etiam turres ſummum diſcrimen adierint, ne prorſus concíderent ac ſolo æquarentur. Poſtero anno, ſub præfectorum gubernatione Gulielmus Brunus Aſtenſis, Prætor deſignatus, eique Caualcabus de Mediceis, ciuis Papienſis, ſucceſſor datus: quo quidem tempore, pace in vrbe parta, rebuſque tranquillis, externæ curæ redière. Si quidem, hoc anno, cùm inter Venetos ac Ligures, tranſactis indutiis, res admodũ fluctuarent, nouum & aſperrimum bellum inter ipſos recruduit, eo quidẽ euentu, vt tandem vterque populus ob inſignem victoriæ moderationem atque clementiam, qua Genuenſes in quorundam Venetorum, quos ceperant, liberatione vſi erant, diu ab armis abſtinuerit: eaque poſtmodum in Piſanos, quibus cum per multos annos pax illæſa & intemerata extiterat, ob cauſas, quæ ſuis locis ac temporibus ſigillatim explicabuntur, conuerſa, cum quibus ab anno eiuſdem æui ſecundo & octogeſimo, vſque ad ſeptimum & octogeſimum eiuſdem ſæculi, cum multo vtriuſque partis ſanguine & clade dimicatum fuit. Sub iiſdẽ moderatoribus, & Michaele Saluatico Valentia Inſubriæ ciuitate oriundo, Prætore, qui deinde ad triennium eodem munere functus eſt, initio anni eiuſdem ætatis vnius & octogeſimi, Senatus, ad Martinum quartum, natione Gallum, recèns ſupremum Pontificem renunciatum, quòd ſingulari beneuolẽtia Rempub. proſequeretur, Perciualem Baldicionem inſignem iuriſperitum, Simonem Auriam, & Nicolaum Pizanium oratores, qui ei publico nomine congratularentur, ablegauit. Anno quinto & octogeſimo, (nam de his bellis quæ tribus prioribus

Genuæ maxima inundatio.

Nouum bellum inter Ven. ac Genuenſ.

1279. 1280. 1281. 1282. 1283. 1284. 1285.

annis & subsequẽtibus, inter Ligures ac Pisanos gesta sunt, seorsum, vti diximus, enarrare constitui) ijsdem Rectoribus, & Henrico Spetta ciue Astensi præturam gerente, plereq. triremes ac nauigia sub variis trierarchis atq. ductoribus in varias
1286. partes emissa fuerunt. At proximo anno, sub eodẽ Prætore, Vbertus Auria vnus
Chunradus Vberti filius ex præfectis, vltrò sese primaria dignitate abdicauit; in cuius locum Chunradus eius filius publica Patrum suffragatione suffectus est. Posterus annus & insequens eosdem Præfectos ac eundem Prætorem habuit; cuius singularis virtus fideique integritas, cum summa iustitia & æquitate coniuncta, ab historicis, sicuti etiã multorũ aliorum, mirificè cõmendatur. Interea tẽporis, cùm in partibus
1289. ad Orientem vergentibus, res Christianorũ Principũ propter immensam ac formidabilem Alfir Sulthani, Memphitici regis, potentiã & tyrannidẽ, indies magis atque magis in deterius prolaberentur, anno eiusdem sæculi vndenonagesimo,
Tripolis à Sulthano obsessa & oppugnata. sub eorundem Præfectorum administratione ac Bertrami Calcani ciuis Mediolanensis. prætura, cùm Tripolis, vrbs in Africa celeberrimi nominis, graui ac diutina obsidione premeretur, Senatus consulto decretum fuit, vt obsessi noua ope ac præsidio subleuarentur. Sed cùm nimio locorum interuallo maturè adiuuari nequirent, nonnulli Genuens. qui ea tempestate Capham incolebant, sponte sibi hanc prouinciam desumpsêre, summaque festinatione aliquot nauigiis optimè instructis ac præparatis, ductu atq. imperio Paulini Auriæ tunc ibi consulatũ gerentis, illuc nauigationem instituerunt. Ceterùm, huius expeditionis is tandem exitus fuit, vt ea ciuitas, priusquam obsessis maturè succurri posset, cum maximo Christiani orbis detrimento & calamitate mense Aprili Barbarorum ditioni cesserit. Nihilominus tamen Deorum immortalium benignitate factum est,
Benedictus Giacariæ. vt per idem tempus Benedictus Giacarias cum aliquot triremibus, & vnica naui, in eas oras transfretaret; cuius quidem beneficio maior propugnatorum pars salua & incolumis in Cyprum delata. Id verò, præter cetera incommoda non minimi ac leuis momenti, quibus deinde Giacarias vnà cũ Paulo Auria Sulthanum affecit, illius animum tantoperè aduersus Remp. incitauit, vt omnes Ligustici nominis, qui tunc temporis in partibus Syriæ atque Asiæ negotiabantur, statim comprehendi, & illorum bona fortunasque fisco adiudicari iusserit. At Senatus, quo Principem tanta potentia & opibus florentem deliniret ac per-
Albertus Spinula mittitur ad Sulthanum. mulceret, simulque ad clementiam & mansuetudinem inflecteret, ad eum, Albertum Spinulam, cuius perraræ prudentiæ ac fidei plurimum tribuebat, destinauit: eiusque opera atque industria tandem effectum est, vt captiui è custodia exempti, libertatem simul & pristinas facultates recuperarẽt. Ceterùm, Senatus,
Senatus mira gratitudo erga de se benemeritos. quò in posterum reliquos ciues hoc tam præclaro ac memorabili exemplo ad idẽ agendum pelliceret ac inuitaret, omnes sumptus, quos Ligures qui Caphæ mercimoniorum gratia commorabantur, pro expeditione Tripolitana impenderant, (hos autem, subducta ratione, triginta duarum milliũ, octingentarum & quinquaginta septem librarum summam æquasse, veterum Annales perhibent) in se
Carolus Andegauens. Genuã proficiscitur. transferre placuit. Circa hoc fermè tempus, Carolus secundus Andegauensis Genuam profectus fuit, vbi honorificentissimè à Senatu ac ceteris ordinibus exceptus est, arcemque vulgò Rocabrunam, à suo patre occupatam, Reip. restitui iussit. Breue ab hoc intercessit spatium, ex quò, in Cyrno insula noui motus,
Corsica nouis motibus agitata. Pisanis præcipuis eorum auctoribus, exorti. Quandoquidem ipsi, ante pacis cõditiones initas, iudicem Ienarcanum semper Reip. quàm maximè suspectum atque infensum, ad defectionem solicitarant, eumque modis omnibus sibi fouendum atque ornandum susceperant. Proinde ad eas seditiones reprimendas, vtque

amissa

amissa oppida recuperarent, de Præfectorum & Prætoris auctoritate, ac Senatus decreto, (Pisanis ex mutua conuentione ac fœdere partem sumptuum, nempè nouem librarum millia suppeditantibus) Lucas Auria, vir belli togæque artibus insignis, cum expedita manu in eam insulam ablegatus, ad cuius aduentum hostes illinc digressi, loca priùs occupata, inter quæ fuit etiam arx Istriæ, ac Ienercæ, deseruerunt, atq. ita modico negotio in fidem recepta. Interim Auria secundis rebus alacrior factus, & Antistite illius insulæ, iuxtaque Cortingorum familia, eo sæculo clara & illustri, ac Genuensibus amica, opem suppetiasque ferentibus, in Aleriam progressus, illam pari felicitate expugnauit, & castrum, cui nomen Petralata, post paucorum dierum obsidionem occupatū, iterum Ligustico imperio adiecit. Hac fortunæ indulgentia, Bagnari reguli, Marchiones Verdenses, ac plerique alij non vulgaris nominis ac famæ, permoti, vltrò sese illi dediderunt, ita vt paruo temporis interuallo vniuersa insula, eximia huius ducis prudentia, & felicibus auspiciis, ad pristinā Genuensiū fidem atq. obsequiiū redierit, ipseque Auria breui pòst, prius omnibus rebus ibi optimè dispositis & ordinatis, in patriam, multa gloria & præda onustus, reuersus est. Corsicis motibus sedatis atque compositis, Rectoribus non minùs ad suam dignitatem, quàm ad Reip. decus ac beneficium expedire visum fuit, vt arcem Calaritanam sitam in Sardinia, à Pisanis iuxta mutuas conuentiones reciperent. Hi namque, præfixo annuali termino iam effluxo, cùm propter nonnulla impedimenta id negotij perficere nequiuissent, alterius anni prorogationem sibi dari petierant, proque Genuensiū cautione ac maiori securitate aliquot suæ ditionis oppida, & turres sui portus, arcemque Gorgonam, necnon viginti quinque millia librarum: quas Reip. soluere tenebantur, quinquaginta obsides, & pleraque alia offerebant: quas quidem conditiones libenter sanè amplexi essent, nisi sententiarum varietas obstitisset. Nam ea tempestate Resp. iterum variis ciuilium dissensionū fluctibus diuexari atque agitari inceperat, quæ illam deinceps per multos annos supramodum inquietarunt, initio indè potissimum exorto, quòd nempè Præfectorum gubernatio, licet optima, & Reip. salutaris, (fieri autem potest, vt cùm rebus cunctis insit quidam velut orbis, quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur) indies iam omnibus in commune, præsertim verò ipsis patriciis, summoperè metuentibus, ne si diutius in ea persisterent, decursu temporis totius Reip. dominium atq. imperium sibi vsurparent, & monarchiam quandam astruerent, magis atque magis inuisa & suspecta reddebatur, adeò vt Cal. Ian. ingens coniuratio aduersus ipsos Præsides ac Plebis rectorem, vulgò Abbatem, detegeretur. Huius autem præcipui auctores fuerunt omnes Grimaldi, Flisci, Nigrij, Saluaghi, Embriaci, Marini, Iustiniani, Fallamonici, Picamilij, Guisolfi, & Cibo, qui omnes cum expedita manu ciuitatem adorti, primo impetu ædes Abbatis occuparunt, & mox ædes Vberti Flisci, vbi erant ipsi Præsides, (nam ea tempestate Prętorium nondum erectum erat) inuaserunt: easque vt commodiùs expugnarent, Antistitis palātium illis vicinum ac proximum, occuparunt. Ceterùm, cùm magna populi frequentia in Præfectorum subsidium accurrisset, & præter ceteros, Philippus Catanēus haud parua clientum & vulgi multitudine stipatus, pro ipsorum tutela ac defensione arma corriperet, eò tandem res deuēnit, vt quàm plurimis aduersæ factionis partim vulneratis, partim etiam interemptis, relicta oppugnatione, sese in fanum Laurentio dicatum, subducerent, ac portas occluderent. Hostes verò illos insecuti, extrema in eos moliri, ac templi fores omninò incendere statuerant. Quod sanè cū sub noctis tenebris fieret,

Corsica in fidē recepta.

Coniuratio aduersus præfectos & Abbatem.

ac ingens ſtrepitus & commotio vbique excitaretur, vniuerſam vrbem ſumma trepidatione ac pauore immiſcuit: & proculdubiò ipſum templum vnà cum multorum ſtrage expugnaſſent ac etiam incendiſſent, niſi quorundam ciuium, quêis in partes, nec amor, nec odium, auctoritas & preces, illorum animos ad miſiora conſilia flexiſſent. Quippe qui rectoribus promiſerunt, ſtatim coniuratos, abiectis armis quaſcumque vellent conditiones, ſuſcepturos. Hoc peracto, ipſiſque ſalua & incolumi vita illinc abire permiſſis, vrbani motus, ac tumultus maiori ex parte conquieuerunt, quatuor dumtaxat ex præcipuis ſeditionis auctoribus breui exilio multatis, & reliquis omnibus cùm ſingulari præfectorum clementia, & moderatione, tum etiam, ne grauioribus turbis anſa præberetur, venia condonata: & quiſq. in fidem & gratiam recepti. Proximo anno, 1290. qui fuit eiuſdem ſæculi nonageſimus, Reipub. regimen adhuc erat penes eoſdem Præfectos, deq. Patrum conſenſu Ioannes Lucinus prætura functus eſt. Et quia Piſani arcem Calaritanam Reip. prout ex pactis tenebantur, tradere abnuerant, multaque hoſtiliter faciebant, bellum in ipſos, Lucenſibus prius ſibi fœderis iure obſtrictis, decretum, ac etiam, ſicuti ſuo loco enarrabitur, feliciter geſtum. In hoc rerum tractu, cùm eorundem præfectorũ adminiſtratio, ſicuti proximè commemoraui, iam fermè omnibus inuiſa eſſet, & niſi Reip. ſtatus noua gubernationis forma corrigeretur, graue periculum inſtaret, ne populus rerum nouarum cupiditate, atque odio præſentium, nouarum ſeditionum auctor eſſet, ipſi tandem à ſuis propinquis & familiaribus inflexi, quinto Cal. Nouemb. qui dies incidit in feſtum D. Simonis & Iudæ, Gulielmo Drudo Aſtéſi Prætore, vltrò ſuprema dignitate atque imperio abierunt. Quorum ſingulis Senatus, propter egregiam Reip. nauatam operam, tria millia librarum dono dedit. Proinde conuocatis Patribus, habitiſque de more comitiis, vnanimi eorum ſuffragatione duo Reformatores, vt vocabant, nimirum Simon Spinula & Vbertus Auria Conradi pater, renuntiati: quorum potiſſima cura & ſtudium circa Reip. ſtatum corrigendum ac emendandum verſaretur. Hi verò poſt longã & maturam conſultationẽ, in hanc demũ ſententiam iuêre, vt ad omnẽ, vel minimam tyrannidis ſuſpicionẽ ex ciuiũ animis euellendã, Reip. gubernatio iterũ externo Prętori cõmitteretur, ſimulq. ad publicum otiũ & pacẽ conſtituendã ſanxêre, vt omnia tam Ancianorum ciuiũ, quàm Senatorij ordinis munia & magiſtratus cũ æquabili auctoritate & gratia diſtribuerentur. Itaque omni mora poſthabita, Lanfrancus Suardus Bergomates in vrbem accerſitus, cui Reip. prætura committeretur: iſque ſui muneris partes peregregiè adimpleuit, & annua functione obita, Gulielmum Drudum ciuem Aſtenſem, in eãdem dignitate ſucceſſorem habuit. Paulò antequam ipſi Præſides ſeſe ſupremi honoris faſtigio exuerent, Acellinus Auria, & plerique alij, omnes fermè domos ac ædificia, quæ tunc temporis inter fanum D. Matthæi ac D. Laurentij ſita erant, pro duabus millibus & quingentis libris per ſuos procuratores coëmerunt: hiſque omnibus dirutis, publicum palatium extrui iuſsêre. Iiſdem fermè diebus, Carolus Andegauenſis cum duobus Purpuratis Genuam profectus eſt, vbi à Senatu regio ſplendore ac magnificentia exceptus fuit. Intereà temporis, cùm natura comparatum eſſe videamus, vt humanis animis nihil magis intelligentia ingenitum ſit, quæ parens eſt ipſa omnis inuentionis, fiatque eiuſdem naturæ inſtinctu, vt quàm quiſque ingenio maximè præſtat, tam is ad comminiſcendum ſemper aliquid maximè intentus ſit, & pronus, adeò vt nonnulli ex ſapientioribus, quos priſca ætas tulit, homines, alpheſtas interdum appellarint, quaſi indagatores, & inueniendi vi prẽditos,

Præfecti ſe ſupremo Magiſtratu abdicant.

Noua Reip. forma inſtituitur.

Reip. adminiſtratio rurſus penes Prætorem.

1291.

Fabrica publici palatij.

ditos, ac si hominis maximè proprium esse existimarent, indagare & inuenire; Theodorum Auriam & Hugolinum Viualdum vnà cum suo fratre, ac plerisque aliis nobilibus viris, incredibilis quædam nouas insulas & regiones ad occiduum orbem vergentes, perscrutandi cupiditas incessit: eoque factum est, vt duabus rostratis nauibus, omnibus rebus ad tam longinquam profectionem opportunis, summa diligentia instructis ac præparatis, prosperoque ventorum afflatu è sinu Ligustico soluentes, ad fretum Herculeum adnauigarint. quo quidem emenso, illinc tam vltra versus Indiam perrexêre, vt, sicuti à quibusdam posteris ac memoriæ traditum est, nihil sanè amplius de ipsis auditum atque rescitum fuerit. Inter hæc, Emilech Alaraf, potentissimus Ægypti Imperator, Christianorum res in partibus Asiæ atque Orientis supramodum affligebat, adeò vt, præter ceteras clades haud rarò illis inflictas, ad Ptolemaidis, in qua vrbe complures Christiani orbis nationes varia mercimonia exercebant, expugnationem, animum & vires conuerterit. In ea, præter mille & quingentos cataphractos, paucis antè diebus, illuc missos à Romano Pont., ac militarem manum, quam Henricus Cyprius rex eôdem adduxerat, circiter triginta propugnatorum millia fuisse dicuntur, ipsaque vrbs admodum munita censebatur. Verùm, neque militaria præsidia, neque locus natura atque opere circumseptus, obstare potuerunt, quò minus ea ciuitas post quatuor & quadraginta dierum obsidionem, cum maxima omnium strage vi expugnaretur; sic vt etiam Cypri rex, ægrè admodum vnà cum aliquot proceribus & nonnullis ex suo comitatu, duarum Ligusticarum in eo portu ad anchoram subsistentium, quibus præerat Andreolus Pellatus, ope ac beneficio seruatus sit, & incolumis in suum regnum præteruectus: vbi paucis pòst mensibus, vrbem Famagustam, instar Ptolemaidis, constrúi ac ædificari iussit: quæ postmodum tam Genuensium quàm Venetorum, aliarumq. gentium celeberrimum emporium ac receptaculum fuit. Verùm, quia famosæ vrbis mentionem fecimus, congruum videtur, eius primordia paucis verbis aperire. Vrbes Cypri, quæ insula latè Mediterraneo mari protensa, inter Ciliciam & Syriam sita est, & nunc regni titulo, nec non opibus claret, duæ, vt præcipuæ; Nicosia nimirum, & Famagusta antiquitus Salamina; nominantur. Verùm tamen eò Famagusta præcellit, quòd & regiæ potior sedes sit, & cathedralis Ecclesiæ nomen ac ius obtineat. Eò accedit, portum, id quod caput est, ipsam efficere, à quo nobilissimum insulæ totius emporium redditur. Porrò ita terra ac mari natura loci, & à Venetis arte munita est, vt insultantem hostem, eumq. præpotentem sustinere possit. Vtramq. tamẽ Selimus expugnauit, Venetisque eripuit vnà cum reliqua insula, facto ob solam dominandi libidinem fœdere, quod idem mortuo Solymano patre iurarat sollemni more. Capta enim Nicosia anno Christianæ salutis M. D. LXX. die verò 7. Calend. Sextiles; Mustapha belli legatus, tertiodecimo Cal. Oct. proximè sequentis, Famagustam obsedit. Selimus interim, ne laboranti vrbi Veneti succurrerent, trecentarum nauium classem prædãdis Hadriatici sinus littoribus instruxit. Veneti fortissimos tres viros eius tutelæ præfecerunt, M. Antonium Bragadinum, Astorrem Ballionium, & Ludouicum Martinengum. Postquam igitur isti eam menses XI. & aliquot dies defendissent, tandem rerum omnium ad ducendum bellum inopia coacti, & spe frustrà exspectati auxilij penitus dejecti, quarto Nonas Sextiles subsecuti anni ea conditione Mustaphæ legato eam tradiderunt, vt vrbe sibi ac militi saluis ac liberis, ceterisque vnà cum bonis ac armis, discedere liceret. Barbarus tamen vinctos concidi tres illos præfectos

Ptolemaidis expugnatio.

Famagusta in Cypro, instar Ptolemaidis, condita.

Famagustæ descriptio.

Exemplum horribilis immanitatis ac perfidiæ.

ctos militares cum quinquaginta veteranis, qui ipsos comitati fuerant, dum claues ac tentoria vrbis tradendæ ipsi tulissent, præcepit. Bragadino nares & aures tantùm truncauit: nam viuum ad infamiam reseruabat. Vrbem ingressus, viuo pellem detrahi, & eam hastæ alligari, & militaris signi vice gestari iussit. Laurentium Teupulum, quem Alexandria Consulem norat, è furca laqueo iugulauit. Quam crudelitatem, & contra ius gentium violatæ pacis perfidiam, Deus Opt. Max. sexaginta quatuor pòst diebus vltus est. Nam Christiana, Pontificis, Philippi regis, ac Venetorum fœderata classis, Turcicam ad Echinadas Ithacámue aggressa, Nonis Octob. non absq. singulari diuini numinis prouidentia, funditus vndique, cæsis omnibus fermè Turcis, euertit, depressit atque profligauit, tanta victoria, quanta mari contra Turcas quisquam consecutus dicatur: exemplo quidem posteritati perpetuo, perfidiam atque nimiam crudelitatem & Diis, & hominibus non solùm displicere, verùm etiam seueriss imè puniri. Huius autem belli vniuersam historiam tribus libris complexus sum: eaque anno sal. supra millesimum ducentesimum tertio ac septuagesimo impressa est 1573
Basileæ, & inclyto ac potentissimo D. D. Augusto Duci Saxoniæ, Septemuiro Principi, &c. necnon semper, non absque summa honoris præfatione mihi nominando, & quàm demississimè colendo, dedicata. Hæc in præsentiarum de Famagusta. Quæ verò deinceps subsecuta sunt, proximo libro enarrabuntur.

LIBER QVINTVS.

NOSTRI, vrbe Ptolemaide, vti prædiximus, amissa, breui pòst, vniuersa ditione, quam in Syria & Asia, annis circiter centum & octoginta, non minori cum decore & gloria, quàm fructu ac emolumento possederant, minimo temporis articulo exuti. At Ligures, postremo bello cum Pisanis prospero Marte, ac perenni cum sui nominis fama & laude gesto, ac peracto, ne ipsi Reip. aut domesticus, aut externus hostis vllo vmquam tempore deesset, arma victricia in Tarraconenses, cum quibus antea semper pacem coluerant, summis viribus atque conatibus transtulêre. Huius autem belli præcipua & intima causa inde potissimùm effluxit, quòd ipsi, præter multiplices iniurias, quibus populum Genuens. in Sicilia post Gallorum cædem, quæ incidit in annum eiusdé æui octogesimum secundum, & Petri tertij Aragonij dominatum, affecerant, proximè in Pisanorum gratiam sese Corsicis & Sardianis rebus immiscuissent. Et quia huius gentis, multis nominibus claræ, in plerisque veteribus ac recentioribus scriptoribus haud perrara fit mentio, non sanè ab re fuerit, si ex multis, quæ de illius origine ac rebus gestis complures scriptores tradiderunt, hîc pauca breuiter attigero, vt, cùm de illa sermo habebitur, id saltem, quod præcipuè ad eius cognitionem spectat, intelligatur. Porrò vtraque gens Hispanica est, ex ea parte, quæ olim citerior, & Tarraconensis dicebatur, & Cathalanos quidem, siue Aragonios hinc potissimum appellatos fuisse narrant. Anno vrbis conditæ M. C. LXIIII. cùm tempore Honorij Imper. Alaricus Gothorum rex potentissimus Romam occupasset; Alani, Sueui, Vandali, atque aliæ nationes, traiecto Rheno, in Galliam concesserunt, eamque propè vniuersam prædando diripiendoque peragrantes, tandem ad montes Pyrenæos, qui Galliam ab Hispania diuidunt, peruenêre. Nec multo pòst, cùm eis custodum perfidia claustra montis

Tarraconẽsium origo.

reseraſſet,

reſeraſſet, ſeſe in Hiſpaniam inundantis diluuij inſtar, effuderunt; eamque omnẽ ſuis excurſionibus deuaſtarunt. Alani igitur, tunc inter Iberum & Rubricatum fluuios conſedêre, pulſis prioribus incolis, qui Iaccetani dicebantur. Circumacto deinde exiguo tempore, hoc eſt, anno M. C. LXIX., cùm Alarico in Italia defuncto, Athaulfus, cui Alaricus Placidiam, Arcadij & Honorij Imperatorum ſororem, connubio iunxerat, ei ſucceſſiſſet, Conſtantius Comes, qui ab Honorio in Galliis præfectus fuerat, Gothos è Narbonenſi prouincia expulit: ijque in Hiſpaniã venientes, eodẽ loco, vbi Alani erant, conſederũt. Cumq; diu iam totam eam regionem direptionibus atque rapinis deuaſtaſſent, & Athaulfus à ſuis Barchinone ſublatus eſſet, tandem cum Alanis de incolenda ſimul ea regione fœdus inierunt. Quamobrem ſucceſſu temporis ex mutua & familiari conſuetudine, lingua & moribus ex binis populis in vnum coiuêre; & ex binis quoque nominibus, Gothis, atque Alanis, vnum fecerunt, ſeque Gothelanos, & prouinciam eam, Gothelaniam appellarunt: quæ deinde nomina ſermonis mutatione iterum inflexa fuerunt, vt nunc communiter Cathelani, & regnum, Cathelonia nuncupetur. Habent Barchinonem, vrbem præcipuam, paruam quidem olim, nunc populi frequentia, diuitiis, moribus, ac legibus inclytam. Horum autem nomen, priuſquam Alfonſus Aragonius ad regni Neapolitani poſſeſſionem vocaretur, non ita celebre in Italia extitit. *Athaulfus.*

Aragonici Cathalanis vicini, ſed magis ad Occaſum, inter Iberum & Valentiæ regnum ſiti ſunt: atque hoc nomen à Tarracona quam incolunt, antiquiſſima vrbe, olim à Cn. & Pub. Scipionibus fratribus, ſecundo bello Punico extructa, obtinent: nam Aragonici dicuntur, tanquam Tarraconici. Ac prius quidem diſtinctum erat Catheloniæ regnum ab Aragonico. Sed poſtea temporis decurſu, ambo coniuncta fuêre. Siquidem primum, cùm nulli adhuc eſſent in Aragonia reges, populus Petrum Tharenſem quendam nobilem, in regem elegit: ſed cùm non eſſet is ex poſteris Gothorum natus, factum eſt, vt regiam dignitatem conſecutus, ſuperbire, atque inſoleſcere cœperit, adeò, vt ſuis inuiſus ac exoſus, haud multo pòſt, etiam regno exueretur: & cùm alij non adeſſent qui huic muneri ſuſtinendo apti viderentur, Pontificis permiſſu & auctoritate ex cœnobio Ranimirum quendam Sancij illegitimum filium (is enim legitimam prolem nullam reliquerat) euocarunt; atq. illum Aragoniæ regem ſubſtitutum, Oſeæ anno M. XVII. regio diademate inſigniuerunt. Hic ergo primus fuit rex Aragoniæ è Gothorum familia, & ex ſorore Pictauienſis Comitis Hurracam filiam ſuſcepit: At poſtquam aduerſus Mauros aliquoties non infeliciter pugnaſſet, & pacem conſtituiſſet, regno atque filia, dònec matura viro foret, Alfonſo ſeptimo Caſtellæ regi commendatis, in cœnobium reuerſus eſt, & illic vitam finire ſtatuit, quòd homo ſimplicis ingenij eſſet, & ſuorum nobilium inſidias metueret. Harucca autẽ matura viro, Ramundo Barchinonenſi Comiti nupſit, eaque ratione ſibi Aragonicum regnum acquiſiuit: fuereque deinceps Cathalonia & Aragonia vno regno comprehenſæ. Hactenus de Tarraconenſibus. 1291.

Vt verò ad deſtinatum redeam, per idẽ fermè tempus, quo Reſp., Beltrano Ficieno externo præfecto, & Gulielmo Gardino ciue Aſtenſi Prætore, aduerſus Cathalanos cruento atq. atroci bello implicabatur, etiam contra Piſanos, & paulò pòſt, in Venetos, licet nondum elapſo indutiarum termino, magnum ac memorabile prœlium de integro exarſit. Cetertùm, quod à Iacobo Auria, haud incelebri eorum temporum ſcriptore, de illius potentia memoriæ proditum eſt, hic neutiquam ſilentio prætereundum videtur. Is enim pro certo aſſerit, in hoc poſtremo *Quãta fuerit Genuenſis potentia & amplitudo.*

postremo bello in Pisanos gesto ac prosperè terminato, quod fermè ad septennium continuarat, supra sexcenta & viginti septem nauigia, partim oneraria, partim ex his quæ remis aguntur, in mare contra hostem educta, præter numerum diuersarum nauium propriis sumptibus à priuatis ciuibus instructarũ, quas sanè vltra septuaginta quotannis fuisse commemorant, quibus in Sardiniam, Siciliam, Peloponnesum, Galliam Narbonensem, & pleraſque alias orbis regiones mercium vltrò citroq. commutandarum gratia, nauigabant: ex quibus sanè tanta vtilitas, & compẽdium proueniebat, vt Resp. ea tempestate nulli obærata, singulis annis, demptis classium impensis, supra centum quinquaginta librarum millia in publicũ ærarium conferret. Nec profectò vllum tempus vnquã extitit, quò diuitiis ac potentia magis floruerit. De his autẽ bellis quæ aduersus vtrumq. populum circa hæc tempora gesta sunt, eorumque origine ac euentu, & quanto harum gentium cruore flagrauerint, suo loco ac tempore seorsum, vti antea diximus, explicabitur. Anno eiusdem sæculi tertio ac nonagesimo, Senatus con-
1293. sulto Simon Hulmellus Bergomo Cenomanorum vrbe oriundus, externus Præfectus, & Petrus Carbonesus Bononiæ natus, Prætor designati, ac etiam posterus annus eundem Præfectum vidit. At insequenti, eiusdem Senatus decreto,
1294. vtraq. Præfectura Iacobo Calcano, patria Insubro, demãdata fuit, sub quo mense Ianuario, pax inter Guelfos ac Gibellinos, qui ea tempestate in Mascaratorum &
1295. Rampinorum nomina transierant, & per annos amplius quinquaginta inter se acerrimis odiis conflixerant, non sine maximo totius vrbis gaudio ac beneficio, tandem inita & constituta. Ceterùm, etsi nondum externa bella se remiserant, ciuitas tamen insolens longæ pacis, eiusq. dulcedine haud sanè diu perfrui con-
1296. sueta, nouis ciuilium dissensionum fluctibus ac procellis atrociter iactata. Nam circa finem Decembris subsecuti anni, veteres simultates ac discordiæ, quæ maiori ex parte iam consopitæ ac propemodum extinctæ videbantur, iterum cum ingenti omnium detrimento ac pernicie recruduerunt, & mox inter Spinulas & Aurias, necnon inter Grimaldos & Fliscos aduersæ partis duces, sæuissimum bellum exarsit, & ab eo tempore vsque in mensem Februarium plurimo sanguine vtrimq. certatum, ac præter quàm plurimos, quatuor ex prẽcipuis familiis, nempe Iustiniana, Spinula, Maria & Marina, interfecti, multaque & pulcherrima ædificia incensa, eo tandem exitu, vt fortuna ad Spinulas & Aurias inclinaret, adeò vt aduersarijs expulsis, omnique externo magistratu abrogato, summa Reip.
Resp. penes Conradum Auriam & Conradum Spinulam. penes ipsos constiterit. Quippe statim Conradus Auria & Conradus Spinula vtrique Vbertorum filij, communibus Patrum suffragiis Rectores designati fuerunt. His fermè temporibus, Sicaniæ rex, è Gallia Narbonensi Genuam profectus, magnifico, regioq. apparatu exceptus fuit, eique Antistitis palatium hospitij loco traditum, ac breui pòst, Roma eôdem reuerso, Spinularum ædes longè splendidissimæ, domicilium præbuêre. Illud pænè hic silentio præterieram, anno præcedenti Genuæ magnificum atque insigne opus, quod meritò cum ve-
Aquæductus. tustissimis quibusque Romanorum æquiparari potest, scilicet aquæductum, vnde per cuniculos ac varios meatus perennis aquarum copia & abundantia in vrbem, cum maximo & incredibili eius beneficio inuehitur, mirifica structura
1297. absolutum ac perfectum fuisse. Postero anno, sub ijsdem Moderatoribus placi-
1298. dè perseueratum, & duobus insequentibus, Chunradus Spinula & Lambas Au-
1299. ria cum æquali potestate atque imperio summæ rei præfuerunt, quoad rursus circa finem Octob. eiusdem anni, ipsis supremò Magistratu abeũtibus, Albertus Portalodus Papiensis, Prætor publicis Patrum calculis renunciatus fuit. Paucis

diebus,

diebus interiectis, Spinula vrbe excedēs, in Siciliam ad Petrum Tarraconensium regem, ea tempestate Gibellinas partes in Italia summis viribus propugnantem, contendit: apud quem aliquādiu commoratus, propter eximias animi corporisq. dotes ab eo rege amanter atque honorificè habitus fuit. & cùm postliminiò in patriam rediret, post quadriennium acutissima febri correptus, vita, immenso sui desiderio relicto, emigrauit. Cuius corpori sollemni pompa in fano Catharinæ sacro parentatum. Iisdem fermè diebus, pax inter Venetos ac Ligures constituta, simulque inter eosdem, ac Pisanos, indutiæ ad annos septem ac viginti cū haud modico Reip. beneficio transactæ. Nam ipsi, præter cetera loca, Sassarum Sardiniæ municipium, Genuensibus tradidêre, totaque insula Corsica cesserunt, ac etiam centum triginta quinque millia librarum Ligusticæ monetæ propter sumptus, quos ipsi Ligures hoc in bello impenderant, persoluerunt. Interea, Belloto 1300.
Calcano ciue Mediolanens. præturam obtinēte, nonnulli è Grimalda familia, intimis quibusque & amicorum præcipuis sibi associatis, multa iam nocte cum quinque triremibus optimè instructis, vrbem ingressi, omnia, lymphatis cæco pauore animis, vario tumultu immiscuêre, adeò vt cùm ad illorum conatus inhibendos, Lanfrancus Spinula, vir non minùs belli gloria, quàm togæ artibus *Lanfranci Spinulæ interitus.*
præstans, aliquot sociorum & familiarium manu constipatus, arma expediuisset, post acrem pugnam ab eis contrucidatus fuerit. Mox verò, cùm magnus populi concursus in eos fieret, Grimaldi, haud parua accepta clade, ex vrbe eiecti fugatique sunt, ac etiam complures illorum capti: Et quoniam præcipui ex *Grimaldi vrbe eiecti.*
Auria & Spinula familia, Petro Aragonio Siciliæ regi, ac Friderico eius filio adhæserant, eiusque partes aduersus Carolum & Vbertum Andegauenses summa ope protegebant, Bonifacius octauus Pontifex, tantam iram & indignationem concepit, vt ea potissimùm de causa Genuam, atq; adeò vniuersum agrum Ligusticum, diris atque anathemate deuouerit. Exitu eiusdem anni, portus, *Amplificatio portus Genuens.*
Marino Buccanigra architecto, in centum & quindecim cubitorum longitudinem adauctus & ampliatus fuit, magnaque pars molis completa. Ceterùm circa initium subsequentis, Damiano Assenaigo ciue Mediolanensi, prætoria digni- 1301.
tate potiente, inter Andegauensem, ac eos Ligures qui illi aduersabantur, pax tandem inita, simulque Resp., mitigatis animis, cum Pontifice in gratiam rediit. Post hæc, vrbis Præturam gessit Angelus Petramalla Aretinus, cui, post exacti 1302.
anni spatium, Gulielmus Castellus Astensis, successor datus. Ceterùm, quinam duobus subsequentibus annis eam prouinciam obierint, nulla apud veteres 1303.
Annales fit mentio. Sub initium anni supra millesimum trecentesimum quinti, Calabriæ Dux Caroli filius, Genuam vnà cum sua coniuge, vt inde in Gal- 1304.
liam transfretaret, enauigauit: ibique ab vniuerso Senatu ac ceteris ordinibus perhonorificè exceptus fuit, & in primis ab Opicino Spinula huius familiæ tunc 1305.
temporis facilè Principe, ad cuius ædes diuerterat, splendidissimè habitus. Ceterùm, insequenti anno, maxima in Repub. subsecuta fuit conuersio. Siquidem plerique patricij ordinis conquesti, leges ac statuta ciuitatis nimiū in Spinulas & 1306.
populares, quorum maior pars Spinulis fauebat, propendêre, quamplurimis, ac etiam omnibus Auriæ familiæ, Barnaba excepto, sese illis agglomerantibus, octauo Idus Ianuar. arma contra ipsos expediuerunt, eo quidem successu, vt post longum atque atrox vtrimque prœlium, priusquam aduesperasceret, fortuna ad ipsos Spinulas eiusque fœderatos inclinaret, adeò vt cœpta luce, de Senatus consulto Opicinus Spinula & Barnabas Auria, vrbis Præfecti ac Rectores designati *Opicinus Spinula, & Barnabas Auria, vrbis Præfecti.*
fuerint; & singulis eorum, sicuti anteà fieri consueuerat, annuum stipendium,

quod

quod mille & quingentarum librarum ſummam adæquabat, conſtitutum, ac etiam pleriſque huius ſeditionis auctoribus publicatis bonis, igni & aqua interdictum, eoque factum eſt, vt deinceps, inter duas nobiliſſimas familias, nempè Spinulam, atque Auriam, inter quas ſemper hactenus ſingulare ſtudium atque amicitia interceſſerat, initium grauiſſimarũ diſſenſionum ac immortale odium, quod progreſſu temporis multarum calamitatũ cauſa & ſeminarium fuit, enaſceretur. Opicinus interim, quò ſeipſum tutiùs atque firmiùs in ſuprema dignitate communiret, ſuam filiam Theodoro Palæologo Andronici Græci Imperatoris filio, & alteram Theodoro Montisferrati regulo elocauit: quod ſanè ab hoc poſtremo haud difficulter impetratum eſt, ea potiſſimùm ſpe inducto, vt ſcilicet, per huiuſmodi affinitatis vinculum, pleraque municipia, ſibi à Repub. iniuſtè, vt nonnullis videbatur, ſuperioribus annis erepta, ſoceri ope & auctoritate multò faciliùs atque commodiùs recuperaret. Verùm Auriæ, ac reliqui ſœderati, cùm ſeſe numero ac robore impares animaduerterent, nihil habuêre antiquius, quàm vt ſtatim Grimaldos, quibuſcum hactenus graues inimicitias exercuerant, licet tunc temporis profugos ac extorres, ſibi conciliarent, quò ſimul coniunctis viribus, bellum de communi ſententia gereretur. Itaque correptis armis, primo acceſſu Tagiam & Oneliam occidui littoris municipia, occuparunt. Hæc vbi primùm Genuæ intellecta, Senatus conſulto Barnabas Auria & Rinaldus Spinula & Prætor, contracto quicquid erat militum, aduerſus eos profecti ſunt; ad quorum aduentum hoſtes perculſi ac perterriti, præter omnium ſpem, eueſtigiò certis quibuſdam conditionibus cum eis pepigêre, ac ſeſe cum ipſis Præfectis, tum etiam populi Abbati (nam etiam hoc tempore is magiſtratus continuarat) ſubiecerunt, omneſque, præſtito priùs fidei ſacramento, in patriam reſtituti. Compoſitis præſentibus motibus, noua diſſidia non modò inter Aurias & Spinulas, verùm etiam inter ipſoſmet Spinulas, qui diuerſa ſtudia fouebant, (nonnulli etenim, Spinulæ de Lucullo, hique omnes Opicino adhæſerant; alij, de Foro, appellabantur) exarſerunt: ac plerique illorum, Opicini gloriæ ac felicitati ſupramodum inuidentes, cùm præſertim ſemper magnæ fortunæ comes liuor adſit, & mortalibus natura inſitum ſit, vt recèns aliorum felicitas ægris oculis introſpiciatur, illius vitæ omnibus ſtudiis atque artibus inſidiabantur, ita vt Barnaba Auria ab eius fide & amicitia abalienato, & inter ipſos mutuis odiis conflatis, illi tãdem perſuaſerint, ſibi quàm maximè expedire, vt etiam ipſe cum aliquo illuſtri Principe affinitatem contraheret. quorum verbis & rationibus inflexus, quò ſibi quamplurimos amicos, opibus & auctoritate florentes compararet, filiam Salaſſorum regulo in matrimonium locauit. Hac re licet Opicinus vehementer commoueretur, nihilominus tamen, qua erat animi ſagacitate atq. prudentia, id propè diſſimulabat; ſuiſque rebus conſtabiliendis indies magis magiſque ſtudens, nihil omninò aliud, præter idoneum tempus præſtolabatur, quo, Auria è medio ſublato, ipſe ſolus rerum potiretur. Igitur anno eius ſæculi nono, poſtquam iterum ambo ſuos æmulos & aduerſarios nouas turbas excientes, profligaſſent, nihil prius habuit, quàm vt ſuum collegam funditus deleret, eaque de cauſa cum Eduardo Spinula ſuo patruo clandeſtinis conſiliis initis, effecit, vt menſe Nouembri, cùm eſſent in Senatu, ipſe, arrepta occaſione, aduerſus Barnabam inſurgeret: & quamuis Opicinus factum excuſaret, ac diceret, id neutiquam, ſe conſcio, atque auctore fieri; is tamen protinus omni dignitate cum ſumma labe atq. ignominia exutus eſt, & in publicũ palatium, vbi Abbas populi ius dicebat, perductus, nec non in publica cuſtodia aſſeruatus, adeò vt habi-

1307. *Initium diſcordiæ inter Spinulas & Aurias.*

1308.

1309.

habitis comitiis, de vnanimi patrum consensu ac voluntate supremus Prę fectus, & quodammodò perpetuus Dictator, designaretur. Ceterùm aduersarij ad omnem opportunitatem intenti, parua mora interiecta, cum haud spernendis viribus portum Mauritium, Andoram, & Albingaunum occuparunt: & licet Opicinus cum valida manu per suos delegatos & procuratores illorum conatibus obstare anniteretur, ipsi tamen, infectis rebus, domum redière. At Barnabas qui captiuus detinebatur, inter cœnandum, appositis custodibus frustratis, vincula elapsus, fuga sibi consuluit; seque statim in ædes Spinularum, vulgò de Foro, quorum beneuolentia sibi plurimùm perspecta erat, subduxit: indeque post triduum clàm vrbe digressus, in oppidum Saxellum perrexit, eoque pleriq. nobiles, Guelfis partibus addicti, sese quamprimùm contulêre: simulque omnes rationes atque artes inibant, quibus Opicinum principatu deturbarent. Quocirca initio proximi anni, omnes Auriæ familiæ vnà cum Grimaldis, Fliscis, ac 1310.
reliquis fœderatis coacto exercitu, eoque mœnibus admoto, vrbem inuadere constituerant. Spinula de hostilibus paratibus certior factus, summa festinatione & diligentia, vrbanum ac externum militem describi iussit, ac breui vltra quingentos equites, & decem armatorum millia in promptu ac præ manibus habuit, moxque in hostem acie directa & militariter instructa, huic iuxta D. Andreæ cœnobium occurrit, & consertis manibus, tam siniſtro & improspero Marte conflixit, vt post acrem ac diutinam dimicationem, vnà cum suis in turpem fugam coniectus, & castris omnibus exutus, ac etiam, ipso Prætore, qui secum erat, interfecto, ægrè se incolumem in sua municipia & colonias receperit, atque ita repentè versa fortuna, è supremi honoris fastigio delapsus. Genuæ interim, qui rebus gerendis admoti sunt, continuò ædes Opicini, Rinaldi ac Eduardi Spinulæ incendi, & postmodum solo æquari, ac etiam ipsi Opicino aqua & igni interdici iussêre; habitisque de more comitiis, tertio Id. Iun: sexdecim ciues designati, quorum consilio & auctoritate ipsa ciuitas, atque ager Ligusticus, vsque ad Cal. Iulij regeretur, & Robertus Benauia, populi Abbas renuntiatus, iuxtaque in Senatu, de nouo Reipub. statu constituendo habita consultatio, & sex patricij ordinis, ac totidem populares creati, qui summæ rei cum æquali dignitate præsiderent. Ceterùm, Spinula, cùm Monœci castrum adhuc in sua potestate haberet, Remp. ex ea parte haud mediocriter infestabat, adeò vt circiter quingentis equitibus, & octo millibus peditum, vnà cum Theodoro Montisferrati regulo, ac ceteris clientibus & fœderatis, vsque ad D. Petri fanum, quod vocant Arenatium, ratus, illic hostem sibi obuiam processurũ, perueniret. At qui sedebant ad gubernacula, superiorum temporum exemplis probè edocti, sese intra vrbem communientes, nullam pugnandi copiam fecêre, ita vt cùm Spinula omnes suos conatus atque consilia prorsus in irritum cadere animaduerteret, simulque omni commeatu ac rei frumentariæ inopia laboraret, quinto die, ex quo illuc castra produxerat, Gauium, infecto negotio, remigrarit. In hoc rerum tractu, hi, penes quos Reip. regimen erat, operæpretium fore arbitrati, si aduersariis omnem ansam præciderent, qua, maioribus viribus instauratis, iterum nouas turbas ac tragœdias excitarent, Franciscum Fliscum cum quadringentorum equitum ala, & aliquot militaribus cohortibus aduersus perduelles miserunt, isque, præter ceteras clades hostibus illatas, Burgum & Buzallam diripuit, atque igne iniecto concremauit. Verùm Opicinus, œstro vindictæ inflammatus, eueſtigiò cum delecta manu in oram Orientalem profectus, Montaldi arcem in agro Rapallitano sitam, post viginti dierum obsidionem, simulque Voltagium,

Clades Opicini Spinulæ.

Ciuilium dissensionum fructus.

Noua forma Reip.

& pleraque alia circumiacentia expugnauit ac euertit. Sub idem quoque tempus, Galeotus Spinula vnà cum ſuis fratribus & amicorum præcipuis, triremi ad hoc inſtructa, prædabundus hac illac circumuagabatur, & plurimis damnis oram Liguſticam diuexabat, ideoque Patrum decreto, duæ triremes, ductu Farauelli Auriæ in eum emiſſæ fuerunt, qui hoſtilem adortus, cum ea conflixit, eo quidem exitu, vt multis vtrimque cæſis ac vulneratis, illam tandem expugnarit: & ex his, qui in ſuam poteſtatem deuenerunt, iuſſu Senatus, duo ac triginta crucibus affixi. In tanta rerum omnium perturbatione, ac ciuili diſcordia, tandem diuinitus contigit, vt quorundam optimorum ciuium, nulla partium labe temeratorum, induſtria & auctoritate, menſe Iulio eiuſdem anni, pax certis quibuſdam formulis tranſigeretur: ex quîs maximè inſignes fuêre, vt Reſpub., aduerſæ parti, propter illius ædes ac ædificia exuſta, quadraginta librarum millia in præſenti ac numerata pecunia perſolueret: Ipſi contrà, omnes arces ac munitiones à ſe occupatas, quamprimũ reſtituerent. Præterea, vt omnes proſcripti ac exules, præter Opicinum, cui non ante biennium in patriam redeundi poteſtas dabatur, ſuis bonis ac penatibus redderentur. Inter hæc, Rhodus, nobiliſſima inſula in mari Carpathio Cariæ adiacens, cum pleriſq. aliis inſulis conterminis, decimo octauo Cal. Septemb. à Chriſtianis recepta: pro qua expeditione, præter quinq. ac viginti triremes Pontificias, ipſi quoque Ligures decem triremes auxiliarias omni bellico apparatu inſtructas, ſuppeditarunt. Menſe Octob. ſubſequentis anni, Henricus Cæſar ſeptimus, vnà cum Margarita ſua coniuge Ducis Brabantiæ filia, femina eximiis dotibus, & præclara pudicitia, ex Germania, ſuperatis Alpibus, Genuam tranſmiſit, vt illinc Romam profectus, imperij diademate à Romano Pont., vt moris erat, inſigniretur. Hunc Senatus ac ceteri Ordines, regio apparatu ampliſſimiſque honoribus exceperunt. iſque, vt viciſſim aliquod memoris gratique animi teſtimonium erga Remp. de ſe bene meritam exhiberet, quamdiu ibi ſubſtitit, ſumma ope nixus eſt, vt non modò pax recèns conſtituta, firmiùs coaleſceret, verùm etiam, vt deinceps omnia mutuarum diſſenſionum fomenta ac ſemina penitùs è ciuium animis euellerentur. in quo ſanè tantam ſibi promiſcuè apud omnes gratiam & beneuolentiam comparauit, vt, quò Reip. ſtatus deinceps tranquillior ac pacatior eſſet, illi de mutuo conſenſu & voluntate totius vrbis, adeoque vniuerſæ Liguſticæ ditionis, ius atque imperium ad annos viginti vltrò deferrent, & in foro Sereſano publicè ac ſollenni pompa ſeſe iuriſiurandi ſacramento obſtrinxerunt. iſque fuit primus externus dominatus, cui Reſpub. propter ciuiles ſeditiones ac inteſtina odia, vnde poſtmodum atrociſſima bella enaſcebantur, ſponte ſua ſeipſam ſubdiderit. Ex hac verò Cæſariana gubernatione factum eſt, vt Auriæ, ſua inſignia mutauerint. Cùm enim plerique illius familiæ leonem, alij turres, & plures diuerſa inſignia circumferre conſueuiſſent, ipſi in poſterum ſemper inſignia Imperialia geſtarunt; & quò aliqua diſtinctio ineſſet, de vnanimi eorum conſenſu ſtatutum fuit, vt dimidia pars clypei, ſeu campi, vt vocãt, in quo depingitur Aquila, albo colore notaretur. Hæc verò, vt etiam id obiter dicatur, fuit Romanorum inſigne, quòd Ioui, qui Romani generis auctor perhibebatur, ſacra ſit. Viſo enim Aquilæ augurio, Iuppiter ad bellum contra Saturnum egreſſus, felici potitus eſt victoria, ſeu quia Aquila auium regina & dominatrix eſt. Cæſar interim, compoſito Reip. ſtatu, & Hugone Faſciola ciue Aretino, ſuo vicario ibi conſtituto, necnon Patribus Repub. commendata, dum ſeſe ad inceptum iter parat, ſuam coniugem poſt paucorum dierum ægrotationem, inſperatò, & cum extremo animi ſui dolore

Pax inter Remp. & extorres.

Rhodus à Chriſtianis recepta.

1311.

Henricus Cæſar Genuam profectus.

Primus externus dominatus Genuæ ſub Henrico Cæſare.

Auriæ Aquilam Imperialem ſibi aſſumunt pro ſuis inſignibus.

Idibus

Idibus Decemb. amisit; cuius cadaueri in æde Francisco sacra, cum regia pompa & splendore iusta persoluta, & marmoreum monumentum erectum fuit. Verùm ipsemet haud sanè diu à susceptа imperij coronatione superstes fuit. Nam Bonouenti, opera cuiusdam monachi Dominicani perditissimi ac sceleratissimi hominis, veneno in Eucharistia dato, quod quidem sub vnguibus habuisse, eoque & hostiam & calicem infecisse dicitur, repentè sublatus est. Huius immaturo ac improuiso obitu irrita fuit expeditio, quam in Rubertū regem, ac ceteros suos aduersarios suscipere statuerat, eaque de causa Genuæ, ac Pisis, valida classis iam in promptu habebatur. Ceterùm inopinata eius mors, hæc omnia consilia, nec citra summam Reip. calamitatem, disrupit. Siquidem Cæsarei legati auctoritas ibi sensim diminui & labefactari cœpit, adeò vt paucis pòst mensibus, illius iam exigua, vel prorsus nulla ratio haberetur, eoque tandem Pisas profecto, & post eius discessum Saraceno, ciue Mantuano, Prætore designato, statim vetera odia & simultates inter Aurias & Spinulas, moxque inter reliquos dissidia innouata, quæ progressu temporis ob cruenta & interna bella, vtrimque consecuta, Gibellinam factionem, vt inferius patebit, sic planè eneruarunt, vt diu altera inferior extiterit, initio, ex motibus Rapalli inter vtriusque familiæ æmulos concitatis, exorto; ad quos Genua, singulis suas partes tuitantibus, auxilia transmissa, hisque ad vrbem reuersis, & Auriarum ac Spinularum nomine, voce magna sæpiùs ingeminato, dira seditio vrbem inuasit, in qua, præter reliquos, Cataneus Auria fortè fortuna à quodam ex suis interfectus fuit. Hoc ciuili tumultu indies glisscente, cùm subinde animi ad iram & rabiem subinde vehementiùs exardescerent; Spinulæ, Aurianum forum, in quo ipsi sese communiuerant, acri impetu adorti, illos æneis tormentis, aliisque militaribus machinis inde submouere connitebantur. Verùm, cùm plerique summæ nobilitatis viri, inter quos præcipui erant Flisci, Grimaldi & Saluaghi, in gratiam Auriarum arma corripuissent, ipsi tandem illinc repulsi sunt, eoque redacti, vt maior illorum pars vrbe excedere cogeretur. Horum digressu Auriarum potentia & nominis existimatio mirum incrementum accepit, ita vt aduersarios, à quibus antea non paucis incommodis & damnis affecti fuerant, etiam in suis municipiis persequi non vererentur. At cùm ipsi haud multo pòst, collectis viribus, agrum Ligusticum variis depopulationibus inquietarent, Dominicus Auria, sub Iacobi Pontifcarari Brixia oriundi prætura, cum valido exercitu contra illos profectus est, & consertis manibus, post diuturnum atque anceps prœlium, fortuna à partibus Spinularum stetit, adeò vt præter reliquos, etiam Auria fortissimè dimicans, ceciderit. Hæc clades vniuersos eius familiæ, ac fœderatos incredibili dolore affecit; nullaque mora interiecta, ad eam vlciscendam, mille & quingentos cataphractos, ex quibus, vt annales memoriæ prodiderunt, trecenti erant Genuenses, & circiter quindecim peditum millia coëgerunt, quibus copiis Manfredinum Carretti regulum, virum, præter generis decus & claritudinem, consilio ac manu præstantem, suarumque partium fautorem, cum supremo imperio præposuerunt. Spinulæ ad tanti exercitus famam nihilò exterriti, cum æqualibus fermè copiis, hostem, priusquam montium iuga emetiretur, aggressi sunt, eo quidem successu, vt illos semel atque iterum profligarent. Cùm verò ex vrbe indies nouum supplementum in Auriana castra submitteretur, lassisque ac defatigatis militibus noui ac recentes succederent, eò tandem res deducta est, vt Spinulæ, dissipatis ordinibus, aduerso Marte dimicauerint, ac, præter ceteros, quindecim insignes viri grauioris armaturæ, ex quîs septem fuerunt ex Spinula

Henricus Cæsar veneno sublatus. 1312.

1313.

Bellum inter Spinulas & Aurias. 1314.

1315.

familia, desiderati. Hostis interim secundis rebus ferocior factus, ac vlterius progressus, cuncta adiacentia ferro flammisque peruastauit, & Buzallam, munitissimam Spinularum arcem, expugnatam, funditus diruit ac euertit. Ceterùm, Auriis huius victoriæ fructus breuis omninò extitit. Quippe cùm in suo exercitu, vltra alios alienigenas, magnus quoque numerus Germanorum esset, ipsi proximo die arma in victores verterunt, & supra mille ex eis obtruncarunt; eorumq; Præfectum, & Lambam Auriam cum duobus suis liberis captiuos fecêre; quos partim Gauij, partim etiã Voltagij ad viginti dies in publica custodia detentos, nunquã pristinæ libertati restituere voluerunt, nisi priùs ipsis septẽdecim aureorũ millia, quę sibi loco stipendij, vti dicebant, debebantur, in præsenti pecunia, sicuti mox factum est, persoluerentur. Nec Spinulæ molestiis ac periculis caruerunt. Cùm enim ipsi quoque circiter ducentos equites Germanicos grauioris armaturæ, in suo exercitu haberent, & Buzallæ seditione fortè excitata, quidã ex eorum numero interficeretur, Germani ira perciti, summo impetu Vbertum Spinulam Reynaldi filium contrucidarunt, nec citra magnã difficultatem res vtrimque sedatæ atq. compositæ fuerunt. At mense Nouemb. subsequentis anni, Gerardo Brixiensi ex vetusta & nobili Gambararum familia, Prætore, Spinulæ cum haud spernẽdis viribus in vallem Pulciferam profecti, oppidum, cui nomen erat Pons decimus, adorti sunt: atque illud paucis pòst diebus occupatum, solo tenus deiecerunt. In hoc præsenti rerum cardine, cùm Reip. administratio penes Urias esset, Flisci & Grimaldi, licet cum ipsis fœderati, hoc indignissimè ferebant, ita vt omnibus artibus ac studiis illorum vires ac potentiam deprimere conarentur, quò ipsimet deinceps, sicuti euenit, supremum in ciuitate locum obtinerẽt. Et quò sui optati compotes faciliùs euaderent, procurarunt in primis, vt Spinulæ, in patriam, quod sanè ipsi quàm maximè auebant, restituerentur: cui quidem rei Auriæ, ac præsertim Conradus Vberti filius, illius familiæ, ea tempestate, vti ostendimus, facilè princeps, prorsus aduersabantur. Proindè anno eius sæculi decimo septimo, Zambellino Bonaldo ciue Brixiensi, cui multa legum cognitio, Prætore, Spinulæ, horũ ope ac patrocinio clàm in vrbem, decimo sept. Cal. Sept. intromissi fuerunt. quod repentè ingentes turbas concitauit, exque his postmodum grauissimæ calamitates initium habuerunt. Siquidem Auriis, & modico temporis interuallo, ipsis etiam Spinulis, subactis, Grimaldi, ac Flisci, cum ceteris, quorum studia in Guelfos propendebant, Genuæ rerum, sicuti supramodũ votis expetiuerant, potiti sunt: ex quibus sanè, quarto Id. Decemb. Carolus Fliscus, & Gaspar Grimaldus, publico Senatus consulto in æde Laurentio sacra habito, vrbis rectores ad spatium aliquot annorum designati, & Prætor, cuius mentionem fecimus, in eadem dignitate ac munere confirmatus. Hoc Senatus decretum aduersarios summo timore percelluit, adeò vt plerique illorum, ac præsertim Spinulæ, eodem die vnà cum suis amicis atque clientibus vrbe digrederentur. At Guelfi, liberum Reip. imperium adepti, nihil reliqui ad summam diligentiam fecêre, quo minus sese in eo deinceps non minori iudicio ac sollertia constabilirent, quàm in hostilibus consiliis præueniendis cauti prouidique extiterant. Et quoniam ignorabant, quínam potissimùm in orę occiduæ tractu, suis partibus fauerent, subitò illuc Ribellum Grimaldum, qui hæc omnia diligẽter ac sedulò exploraret, ac ciuiũ studia pernosceret, ablegarunt. Sed cùm Albingauni, interioris Liguriæ indigenæ, quorum potior pars in Gibellinos propendebat, huius dictis minimè audientes forent, ipse nulla cuiusquam ratione habita, omnes huic factioni addictos, extra vrbem eiecit: qui statim sese Conrado Auriæ

Militaris seditio aduersus Aurianos.

1316.

1317.

Genua sub Guelforum imperio. Carolus Fliscus & Gaspar Grimaldus.

Reip. administratio penes Guelfos.

ac Ri-

ac Rinaldo Spinulę in finitimis locis degentibus, coniunxerunt, simulq., cõiunctis viribus, & Carreti, Ceuę, ac Clauesanę Marchionibus necnõ Albintimiliis & Linguiliis Comitibus, Gibellinarum partium ſtudioſis, ſibi fœderis iure aſſociatis, Albingaunũ acri obſidione preſſerunt. At Grimaldus vbi ſeſe octiduum ſtrenuè defendiſſet, cùm numero ac robore longè impar eſſet, certis quibuſdã conditionibus, deditionem fecit. Hoc vbi primùm Sauonenſibus, qui eadem ſtudia ſectabantur, innotuit, à Rep., Eduardo Auria & Andalo Spinula, qui haud procul inde aberant, in vrbem intromiſſis, turpiter deſciuerunt: quæ ſanè ciuitas Gibellinis, propter loci opportunitatem, in poſterum haud mediocri emolumento ac præſidio extitit. Quippè in ea ſeſe nouis mœnibus verſus maritimam oram præmunientes, aduerſæ parti perſæpè illinc plurima damna intulerunt. Igitur hoſtes, vtraque vrbe potiti, quò indies potentia & viribus adaugeſcerent, cum Cane Scaligero, Veronæ regulo, præter natalium ſplendorem, bellica virtute inſigni, & Mapheo Vicecomite Mediolanenſi, ea tempeſtate in Inſubria Cæſaris legatò, iuxtaque Gibellinarum partium ſtrenuo propugnatore, fœdus ac ſocietatem iceruntt: quibus adiutoribus factum eſt, vt breui ex contermina regione præualidum ac numeroſum exercitum, duce Marco ipſius vicecomitis filio, aduerſus hoſtem coëgerint, omnibuſque rebus quæ ad bellum vſui forent, ſumma cura atque induſtria præparatis, anno eius æui vndeuigeſimo, & octauo Cal. Aprilis Genuam verſus ſuam aciem direxêre: vtque ciuitatem arctiori obſidione præcingerent, pars, quà Biſamnis, pars verò, vnde flumen Pulciferum decurrit, caſtra collocarunt, atque in primis Phariam turrim ſummis viribus oppugnare inceperunt. At qui Genuæ rebus gerendis admouebantur, vbi primùm de hoſtilibus apparatibus accepêre, quæcumque ad vrbis defenſionem ſpectabant, ſtudioſiſſimè procurarunt, & nouo quodam inuento aſſecuti ſunt, vt naui eximiæ magnitudinis, turri admota, funis ſummæ cuiuſdam craſſitiei obſeſſis porrigeretur, quo in mali ſummitate affixo, per illum ad turrim vſque facili negotio excurri poterat, adeò vt ibi vaſe, inſtar magnæ vrnæ vndique occluſæ, aptè concinneque diſpoſito, eius chordæ beneficio & commoditate non ſolùm quæ ad victus neceſſitatem pertinebant, ſed etiam reliqua ad defenſionem opportuna, citra vllum obſtaculum, ſuggererent. Hoſtes interim, cùm ſuos conatus irritos atque inanes conſpicerent, nouas rationes inierunt, & in ea parte quæ continentem reſpicit, tantum ſoli effodêre, vt paulatim per cuniculos erectos, vſque ad illius fundamenta appropinquarent, quò ipſam turrim diſijcerent. Obſeſſi, hoc animaduerſo, ne belli extrema experiri cogerentur, poſt duorum menſium obſidium ea conditione cum hoſte tranſegerunt, vt ſalui & incolumes dimitterentur: tantaque fuit rabies ac furor in eos qui arcem tradiderant, (ſeptem dumtaxat, ſiue, vt aliis placet, nouem fuiſſe perhibent) vt ſtatim in vrbem ingreſſi, à Præfectis, Prætore atque Abbate, fidei crimine damnati è ſublimi rupe Romano more præcipites darentur. At Gibellini rebus ſecundis alacriores facti, neminęque obſtante, continuò ad vrbis mœnia exercitum admouerunt, & quinto Cal. Iulij iuxta locum vulgò D. Mariæ Petreminutæ, hoſtem ſummo impetu adorti, proſpera fortuna dimicarunt, eoque ſucceſſu, haud multò pòſt, D. Ioannis, & Agnetæ ſuburbia occupauêre. Hac clade oppidani non mediocriter perculſi, ac ſuis viribus diffiſi, ad Vbertum Andegauenſem Neapolis regem, alioſque ſuarum partium per Italiam fautores, miſſis oratoribus, ac imploratis auxiliis, confugerunt. Rex minimè inſcius quanti referret, ſi vrbem tantis opibus ac potentia florentem, ſuiſq, rebus mirificè opportunã, ſibi tuendam ſuſciperet,

1318.

1319.

Genua obſidetur à Gibellinis.

Guelfi confugiunt ad Vbertum Andegauẽſ.

nulla mora interposita, mille ac ducentos cataphractos illis subsidio transmisit: cuius supplementi accessione Gibellini deinceps non parum de pristina audacia & animi ardore ac studio remittentes, breui pòst, relicta ea parte, qua Bisamnis defluit, sese versus oram occiduam in suburbiis occupatis receperunt, & pro maiori tutela ac securitate montem D. Bernardi, vt appellant, ciuitati propinquum, valida munitione circumuallarunt. Interim Andegauensis, quò vrbem commodiùs protegeret ac tueretur, paucis pòst diebus, illuc ipsemet vnà cum sua coniuge, ac duobus liberis, quinque ac viginti triremibus secum adductis, quibus præter militem, plerique proceres ac illustres viri deuehebantur, enauigauit: eoque feliciter appulsus, à Senatu ac vniuersis ordinibus, incredibili applausu regiaq. magnificentia exceptus fuit. Deinde habitis de more comitiis, omnium Patrum suffragiis decretum est, vt ad maiorem Reip. incolumitatem & amplitudinem, illius dominium & administratio ipsi Regi committeretur. Quocirca, sexto Cal. Aug. Rectoribus sese coram Prætore ac populi Abbate supremo magistratu abdicantibus, Ruberto, & Ioanni vigesimo secundo Pont. ad decennium Reip., adeoque totius Ligusticæ ditionis imperium, adhibito iurisiurandi sacramento, sub certis conditionibus ac legibus sollemni cærimonia tradiderunt. Ex hac regia potentia Guelfis non mediocris auctoritas & robur accessit; moxque cùm ita natura comparatum sit, vt quò se fortuna, eòdem etiam hominum fauor inclinet, Florentini, Senenses, ac Bononienses, icto cum Genuensibus fœdere, illos commeatu, ac mille & centum cataphractis adiuuerunt, quibus præsidiis multò firmiores redditi, non solùm hostiles impetus egregiè ac strenuè propulsarunt, verùm etiam cum quatuor millibus promptissimorum virorum & sexcentis equitibus sexto Id. Aug. de-improuisò eruptione facta, hostem à monte D. Bernardi, à se, vti diximus, paulò antè occupato, repellere connixi sunt, eo tamen euentu, vt post acrem dimicationem, tandem hoste præualente, ad portas vsque ciuitatis fusi fugatique sint. Ceterùm, oppidani, haud multò pòst, collectis animis, & ad suburbia recipienda conuersi, domum quandam iuxta forum, vulgò D. Agnetis, communiuerunt, cui per pontem ab vrbis mœnibus vsque ad ipsam domum extensum, commodè succurri poterat. Aduersarij, hoc comperto, cùm se illam facilè occupaturos sperarent, admotis castris, actisque cuniculis, eam summis viribus inuaserunt. Et licet ipsius propugnatores, summa vi hostilibus conatibus resisterent, eaque de causa pridie Id. Oct. magnus conflictus vtrimque haberetur, in quo, præter ceteros, Opicinus Panzanus, & Opicinus Nigrius, nobiles ac præclari ciues, desiderati, nihilominus tamen fors ita illorum cœptis atque conatibus fauit, vt ipsa domus tandem cum trecentorum defensorum clade occupata sit ac funditus excisa. Dum hæc ita domi foriſque geruntur, Andegauensis, cui nihil magis in votis erat, quàm vrbem obsidione liberare, omnibus viribus in vnum collectis, proximo anno vbi suas copias bipartitò distribuisset, hostem ex duobus lateribus adoriri constituit. Quapropter Simonem Turrigerum patria Insubrem, ac præcipuum Guelfi nominis fautorem, qui, præter generis vetustatem, consilio atque arte militari plurimum pollebat, cum quindecim lectissimorum virorum millibus, & octingentis grauioris armaturæ equitibus, versus Sextrum oræ occiduæ, vbi magna pars aduersariorum castra posuerat, destinauit, ipseq. cum expedita manu eruptione facta, montes D. Bernardi, & Peroldi ab hoste occupatos, summa impressione inuasit. Primò circa Sextrum infestæ acies magna mole summisque viribus concurrerunt, & classiariis, subsidio Guelfis accurrentibus, acerrimè vtrimque ad multas ho-

Genua sub Ruberti Andegauēs. & Ioannis Pont. dominio.

1320.

tas horas dimicatum. Quamuis autem initiò ipsi semel atq. iterum pulsi essent, cùm tamen subinde nouus miles ab ora maritima illis quàm maturrimè opem ferret, Gibellini eò tandem adacti sunt, vt priori statione relicta, sese mutatis castris, in montes reciperent, adeò vt cùm maior militum pars Insubri essent, contempto ducum imperio, eam expeditionem deseruerint, & quisque ad suos properus remigrarit. Per idem quoque tempus, Andegauensis paribus fortunæ auspiciis arma expediuit. Quippe hostes, cognito Insubrum discessu, confestim suas munitiones reliquerunt; & mox soluta obsidione, quæ ab octauo Calend. Aprilis vsque ad oct. Id. Febr. continuarat, sese vltra montium iuga subduxerunt. Horum digressu Guelfis tam in suburbanis tectis, quàm ciuium prædiis ac municipiis omnia longè lateque depopulantibus, grauissima damna inflicta; quod tamen haudquaquam obstitit, quò minus ciuitas tam graui & diutina obsidione erepta, in summum gaudium ac lætitiam prorumperet, & passim supplicia ad deorum puluinaria decerneret. Andiouinus interim, lætus parta victoria, vbi aliquamdiu Genuæ substitisset, vrbanis rebus ritè dispositis & Reip. administratione Ricardo Gambasiesæ, viro strenuo, & cuius fidei plurimum tribuebat, demandata, necnon sexcentis equitibus, & aliquot triremibus egregiè instructis, ad vrbis tutelam & custodiam substitutis, Auenionem, vbi tunc temporis Pontifex agebat, cum sua familia & aulico ministerio concessit. Verùm hostes, qui magnam Occidui littoris partem, & pleraque Ligusticæ ditionis oppida, sita vltra Apennini iuga, suæ potestatis fecerãt, de regia profectione edocti; cùm scirent, nihil in discordiis ciuilibus festinatione tutius, vbi facto magis quàm consulto opus esset, nihil habuêre antiquius, quàm vt, omni mora & cunctatione posthabita, cum maritimis, ac terrestribus copiis vrbem denuò inuaderent, primoque cum mille ac ducentis equitibus, nec exiguo pedestrium virorum robore in vallem Pulciferam descenderunt, ac eodem temporis momento, scilicet, octauo Cal. Iunij, cum sex rostratis nauibus inopinatò Genuensem portum ingressi, illic onerariam, multis ac pretiosis mercibus onustam, & in Galliam Belgicam soluere paratam, nullo negotio interceperunt. Iisdem quoque diebus, Conradus Auria cum duodetriginta triremibus Sauonæ instructis, eôdẽ, quò vrbem arctiori obsidione premeret, adnauigauit, ita vt, terrestri agmine vrbis mœnibus admoto, ipsa denuò summis viribus vndiquaque oppugnaretur. Sed regius Præses, ac Senatus, de hostilibus consiliis & conatibus certiores facti, excelso infractoque animo sese ad omnem sortis euentum præparauerunt; nihilque prorsus omisêre, quod ad sui, ac ciuitatis defensionem opportunum necessariumq. fore intelligebant. Et in primis quidem, Pharia turris egregiè communita. In montibus etiam, quorum proximè mentionem habuimus, noua propugnacula & munitiones erectæ, simulque classis eodem tempore, ne quid detrimenti ab ora maritima inferretur, quàm oppidò exornata. His rebus ita constitutis, breui pòst, nonnulla nauigia in hostem educta fuerunt, eo quidem successu, vt à Conrado Auria, cum sua classe ad omnem occasionem intento, tria ex illis, modica difficultate, priusquam vllum effugium patêret, occupata fuerint. Qua clade commoti patres, ne quid grauius eueniret, actutum iussêre, vt cum duobus ac triginta nauigiis inuicem connexis, portus aditus occluderetur, eiusque defensioni Gaspar Grimaldus cum imperio præpositus. Econtrà, hostis in vrbis oppugnationem sedulò incumbens, & quibusdam munitionibus è regione aliarum sibi aduersantium, erectis, illam ab ea parte quà Bisamnis leni cursu in mare defluit, commodè inuadi posse arbitratus, summo silentio per oppidum

Genua obsidione liberata.

Gibellini portum Genuens. ingrediuntur.

Genua iterum obsessa.

pidum Muratianum cum expedita manu in eam vallem descendit. Ceterùm res minimè tam secretò geri potuit, quin ipsius cõsilia, aduersæ parti per fideles nuntios ac ministros innotescerent; ideoq. incredibili celeritate illum præuenientes, cum valido armatorũ robore iuxta cœnobium D. Ioannis, vulgò Peuerani, quà ei transeundum erat, præstolati sunt: atq. inuicem occurrẽtes, longa & cruenta pugna mutuò conflixêre, donec tandem prœlium nox dirimeret. Proximo, ac insequentibus diebus, ciuitas ex variis partibus acerrimè obsessa, multæque oppugnationes factæ, ac per idem tempus interceptæ sunt literæ à quodam ciue, (nomen apud veteres nullum extat) populatibus studiis addicto, ad hostem conscriptæ, in quibus ei clàm, præter cetera, significabat, in vrbe extrema rei frumentariæ & rerum omnium egestate atque inopia laborari: earumque auctore deprehenso, grauissimo in eũ supplicio, vti par erat, animaduersum fuit. quippè qui è sublimi quadam & confragosa rupe in mare præceps datus. In hac dira obsidione, quæ terrestribus simul & naualibus copiis fiebat, aduersarij sexto Id. Octob. circa meridiem, arcem vulgò Castellatij, ab ipsis Guelfis in summitate montis Peraldini recèns constructam, D. Bernardi munitionem, turrim Sardenam, D. Michaëlis cœnobium, & pleraque alia loca, vno eodemque tempore adorti fuerunt, eo quidem euentu, vt magna vtrimque cædes committeretur. Paucis pòst diebus, nempè sexto Cal. Nouemb., cum magno nauigiorum numero, multisque ignitis missilibus ac ligneis machinis, adhibito etiam tubarum sono ac ceteris militaribus instrumentis, portum ingressi sunt, ac turrim portæ, vulgò Vaccæ, proximam summis viribus oppugnarunt. eiusque oppugnationis is tandem exitus fuit, vt ad multas horas vario dubioque Marte, ac multo vtriusque sanguine, dimicatum sit, quoad fortuna, hoste ab vrbis ingressu ac introitu repulso, ad ipsos oppidanos inclinaret. Minimè tamen in dubio est, quin ciuitas hoc tempore in summum rei discrimen adducta esset, nisi illud propitia fata, & prosper vrbis genius auertissent. Nam si hostis eodem temporis articulo cum terrestri exercitu eam inuasisset, profectò in maximum ac extremum discrimen coniecta, expugnationi, quàm defensioni multò propior extitisset. His tam acribus atque assiduis propemodum oppugnationibus Guelforum animi ad summum dolorem atque iram accensi, quo tandem aduersarios à suis munitionibus & propugnaculis, in quibus haud exiguam bene gerendæ rei spem atque fiduciam reposuerant, expellerent, rursus paucis pòst diebus, cum delecta manu eruptione facta, in montium fastigia peruenêre, ibique Nonis Cal. Febr. collatis viribus, post longum atque asperum certamen, non sine clade, ad vrbem reuerterunt. Cùm verò interim aditus portus multò magis quàm antea ipsis hostibus patêret, illuc denuò cum aliquot suis nauigiis pridie Id. Febr. ingressi, duas onerarias, ac totidem nauigia ibi ad anchoras subsistentia incenderunt, ac etiã vnam triremem secum abduxêre. Hæc tam diuturna obsidio, necnõ assiduæ calamitates ac detrimenta, quibus ciuitas continenter affligebatur, plebi haud mediocrem ansam & occasionem præbuerunt, qua aduersus optimates, seditione excitata, insurgerent. Siquidem his mutuis simultatibus effectum erat, vt populares indies viribus ac potentia excrescerent, adeò vt tandem correptis armis, illa confestim in patricios verterent: & in quorundam præcipui nominis ædificia excursione facta, primo impetu ædes Galeoti Spinulæ, ac nonnullas Auriæ familiæ combusserunt. nec dubium est, quin consimili furore in pleraque alias desæuiissent, nisi Abbas populi, nobilium querelis ac precibus inflexus, maturè sua auctoritate interposita, illius animos maiori ex parte mitigasset. In hac

tanta

tanta rerum omnium perturbatione, ac miserrimo statu, qui Reip. præerant, enixè operam dedêre, vt plebe sedata, & ciuilibus ac internis motibus repressis, tandem ab importuna & longa obsidione liberarentur. Hostes siquidem noui supplementi accessione, non solùm montanas munitiones, at etiam vniuersam Sextri, & Pociferæ Vallis planitiem occuparant. Ne verò ab aduersaria classe quicquam detrimenti acciperent, summa vigilantia & sedulitate rem naualem expediuerunt, ita sanè, vt partim ex nauigiis Andegauensibus, quorum pleraque ipso in portu remanserant, partim etiam ex recèns constructis & fabricatis, supra sexaginta triremium classem, in qua etiam quadringenti & quinquaginta equi deuehebantur, coëgerint, eamque omni bellico apparatu exornatam, sub regij legati præfectura atq. imperio, Sextrum versus, vbi maior belli moles consistebat, eduxerunt: nihilque prius ac potius habuêre, quàm vt inimicos ab ora maritima, & ex continenti, vno eodemque tempore, summis viribus adorirentur. Ceterùm ipsi, tametsi aliquandiu infestam aciem fortiter ac intrepidè repulissent, cùm tamen armatorum numero ac robore multò impares forent, sensim cedere, moxque sese in turpem ac præcipitem fugam, itinere Sauonam versus directo, & Guelfis subinde illos insequentibus, coniecêre. Per idem quoque tempus, qui montium vertices occuparant, rati sese vrbem, propter maximum numerum eorum qui illinc excesserant, omni fermè præsidio destitutam inuenturos, illam ex duobus lateribus inuasêre. At sua opinione plurimùm decepti, non sine aliqua strage inde à præsidiario milite æneis tormentis, aliisque telis ac missilibus, reiecti ac repulsi fuerunt. Interea temporis, Guelfæ classis Præfectus, vbi hostem Sauonam vsque insecutus esset, illius vrbis expugnationem tentare constituerat. Sed cùm eam expeditionem summæ difficultatis ac periculi plenam animaduerteret, ad Albingauni recuperationem animum atque arma conuertit: eaque ciuitas, cùm situ atque opere Sauona multò imbecillior esset, primo nauigiorum appulsu ab hoste derelicta, nec fuit penes ipsum nauarchum impedire, quo minus à milite Narbonensi, ac etiam Calabris, quorum in classe permagnus numerus erat, immaniter diriperetur, ita vt nec etiam sacris abstinerent. *Albingauni direptum.*
Hæc maritima Guelforum potentia, & prosperi successus, Fridericum Sicaniæ regem, Andegauensis æmulum, induxit, vt cum Gibellinis inito fœdere, quadraginta triremium classem instrueret, eamque Sauonam transmitteret, eo animi decreto, vt viginti nauigiis, quæ ipsi tunc temporis in procinctu habebant, adiungeretur. Cuius rei fama vt primùm Genuam perlata est, Senatus consulto duodeseptuaginta triremium classis præparata, & duce Lanfranco Vsusmario emissa: omnibusque persuasum erat, quòd cùm ambæ classes propemodum æquali numero ac viribus essent instructæ, insigni aliquo prœlio decertaretur. Sed enim, licet iuxta insulam Pontiam inuicem occurrissent, nihilominus tamen occulta fati lege, vtraque pugnam detrectauit, & Guelforum classis Neapolim contendit, vbi mox Calabri remiges, ob sibi defraudata stipendia, & alimentorum penuriam, descensione facta, relictis triremibus, sese aliò contulêre. Et licet Carolus Ruberti regis filius, & Calabriæ Dux, vehementer apud eos instaret, vt iterum classem conscenderent, & quisque ad sua munia rediret: ipsi tamen nunquam omninò flecti potuerunt, adeò vt sociis naualibus, multisque rebus opportunis destituti, sese in portum Lunæ quamprimùm reciperent, & metu ac pauore hostilis classis, quæ circum eos sinus longè lateque peruagabatur, & Vulturij arcem Guelfo præsidio firmatam, occupauerat, Genuam reuerti minimè audebant. Accedebat huc, quòd iisdem diebus, Castrucius Castracanis, Dux ea *Castrucius Castracanis.*

tempe-

tempestate celeberrimi nominis, & Gibellinarum partium eximius fautor, memorabili pugna Guelfis ad Altopassum in Etruria superatis, victorem exercitum in Genuensium ditionem verterat, vt eos infestis armis inquietaret. Quibus rebus patres supramodum anxij atque solliciti, summa cura & studio, vrbis mœnia vndique communire satagebant, & in primis eam partem, quæ Carinianum versus & D. Stephani ædem porrigitur, nondum mœnibus septam, lignis ac cespite instar muri summa crassitie, præcinxerunt; in quo quidem opere perficiendo nulli sexui atque ordini parcebatur: sed opportunè, ac singulari Reip. beneficio euenit, vt Castrucius haud multò pòst, cum suis copiis in Thusciam redire cogeretur, vt Lucensibus, in populum Florentinum acre bellum gerentibus, maturè opem ac suppetias ferret. Huius inopinus & celer discessus minimè obstitit, quò minùs aduersarij promotis castris, denuò cum haud spernenda manu Genuam ex ea parte, quæ ad Carinianum vergit, adorirentur; ea potissimùm spe inducti, quòd nondum ad iustæ munitionis formam redacta esset. iamque non pœnitendos progressus fecerant, cùm tandem à præsidiario milite non sine aliquo detrimento illinc repulsi fuerunt. Ciuitas interim, non modò terrestribus copiis acriter impetebatur, verùm etiam hostis, re nauali superior, eodem temporis articulo catenam portus, ab vrbano milite variis machinis propugnatam, perfringere, & hoc pacto sibi aditum in vrbem parare, summa animi atq. corporis cõtentione annitebatur, eiusq. mœnibus cùm naui raræ cuiusdam magnitudinis, ac etiã reliquis nauigiis, super quibus castra quædã lignea cum variis militaribus instrumentis artificiosè erexerant, appropinquarunt. Sed pari oppidanorum alacritate ac fortitudine illorum conatus reiecti. Porrò tanta erat animorum in hoc tristissimo & funestissimo bello pertinacia, vt ipsi, tot tantisque oppugnationibus nequicquam hactenus susceptis, nulla ex parte defatigati, cùm sperarent, multa ausis, fortunam aliquandò benigniorem futuram, paucorum dierum interiectu, ne quid prorsus intentatum relinquerent, erectis cuniculis, denuò ciuitatem in suburbiis ad Occasum vergentibus, iuxta D. Sabinæ fanum, summa impressione aggressi sint. At defensores ijsdem artibus vim hostilem propulsarunt, aliisque cuniculis prioribus oppositis, nec minori solertia excogitatis, prouidè erectis, per multos dies sub terram ab vtrisque vario, ancipiti, atque atroci prœlio, his, rursus illis exitiabili, dimicatum fuit, eo sanè euentu, vt hostes subinde vlterius progressi, octauo Idus Decemb. vsque ad veteres muros penetrarẽt, quorum vltra quadraginta cubitos diiecerunt. Sed quoniam pars muri prorsus intacta atque integra remanebat, vrbis introitus ipsis longè, quàm priùs, difficilior reddebatur, ita vt cùm in eo diruendo multum operæ ac temporis absumerent, oppidanis maior sese præmuniendi facultas daretur, donec tandem omni expugnandi ac potiundæ ciuitatis spe excidentes, infecto negotio, illinc cum maximo dolore ac indignatione discederent. Vt verò interim aduersæ parti aliquid negotij facesserent, initio subsequentis anni, cum prompta manu, & duodeuiginti triremibus optimè instructis, ad Nauli, vnde sibi haud parua incommoda inferebantur, expugnationem perrexêre. Hæc vbi primùm Genuæ significata, cùm is locus haud leuis momenti foret, Senatus decreto illuc statim quindecim triremes egregiè exornatæ, Petri Guani ductu & auspiciis cum præsidio amandatæ: isque, cùm inter nauigandũ, hosti fortè occurreret, subterfugere non potuit, quin iuxta Spoturnum pugnandi copiam faceret, adeò vt nauigiorum numero ac viribus longè inferior, trium triremium iacturam perpessus fuerit. Reliquæ verò, nautarum ac remigum beneficio incolumes

1321.

euase-

euaſerunt. Hic ſecundus ac proſper ſucceſſus, illorum animos ad rem bene gerendam multò alacriores effecit, ſic profectò, vt cùm in ea obſidione ſubinde pertinaciùs inhærerent, oppidani, iam ad extrema redacti, & deſperatis auxiliis, tandem octauo Idus Febr. Gibellinorum nomine Finarij regulo deditionẽ fecerint. Arcis præſidiarij, vbi aliquamdiu obſidionem fortiter ac ſtrenuè ſuſtinuiſſent, cùm nemo illis opem ac ſuppetias ferret, ipſi quoque, oppidanorum exemplum ſecuti, & magis victorum fidem atque clementiam, quàm ſæuitiam experiri ſtatuentes; octauo Idus Aprilis ſeſe certis quibuſdã conditionibus dedidere. Poſt quæ, ad reliqua loca eius littoralis oræ inuadenda progreſſi, Anduriam Liguriæ municipium, obſedêre. At Senatus, his rebus cognitis, repentè ad hoſtiles conatus inhibendum, triginta nauigia, quorum maior pars ad regem Andegauenſem pertinebat, inſtrui ac deduci imperauit: ad quorũ proſpectum hoſtes perculſi, quamprimùm ſoluta obſidione, ſeſe illinc proripuerunt. Tali ſtatu rerum, ciuitas in ſummam viuendi licentiam & impunitatem prolapſa erat, proiectaq. omni Magiſtratus, Patrum, ac etiam regij Præſidis auctoritate & reuerentia, ſimulque abruptis vinculis omnis modeſtiæ, pudoris & æquitatis, profana ſimul & ſacra cõmiſcebantur; & quantò quis audacior, nefariiſque ſceleribus promptior, tantò vtique potior atque honeſtior habebatur, adeò vt tandem ipſius Senatus conſulto decem ciues crearentur, qui, populi Abbate ſibi aſſociato, Rempub. ordinarent, & ſub graui pœna omnibus iniunctum, vt ſinguli ad æris ſonum regio legato aſſiſterent, eique omnem fidem atque obſequium ſumma cum obſeruantia exhiberent. Hoc decreto, cùm rei, & contumaces, ſeueriſſima pœna ac ſupplicio multarentur, res vrbanæ, quatenus temporum iniquitas ferebat, in paulò meliorem formam atque ordinem redactæ. Fine anni, turris molis inchoata, in cuius cacumine fax accenſa, ſiue laterna, vti vocant, prælucens appoſita, cuius vſus nocturno nautarum curſui ignem oſtendere ad prænuntianda vada, portuſque introitum. Inter hæc, decimotertio Cal. Iunij, anni eius æui ſecundi ac vigeſimi, Ruberti Andegauenſis frater, cum ſexdecim longis nauibus optimè inſtructis ac præparatis, Genuam appulit; quo quidem præſidio milites atque oppidani non parùm confirmati, haud multo pòſt, aduerſus hoſtem, qui nunquam procul ab vrbe caſtra dimouerat, & Friderici regis Siciliæ ope ac patrocinio, ſeptendecim triremes adornarat, eruptione facta, arma expediuerunt, & turrim, vulgò D. Martini de Herchis, loci natura atque opere egregiè communitam, expugnarunt, licet, paucis pòſt diebus, à Gibellinis recuperata ſit, eoque ſucceſſu, decimoquarto Cal. Sept. prima luce, turrim naualium in ſuam poteſtatem redegêre, quã etiam viciſſim breui pòſt exuti ſunt. atque ita per aliquot menſes mari terraque vario Marte vtrimque dimicatum fuit. At ſubſecuti anni principio, cùm Guelfi nihil magis in votis haberent, quàm vt ſeſe tandem ab importuno & præferoci inimico liberarent, contracto quicquid erat militaris præſidij, ſummo ſilentio Baliani Nigrij & Thomæ Fliſci auſpiciis atq. imperio, paulò antequàm cælum albeſceret, ex parte Occidua vrbe digreſſi, & Caſmauerim verſus itinere ſuſcepto, ipſa aurora illum in monte Peraltino inuaſerunt. Qui vbi primùm ſeſe ab infeſto agmine circumueniri animaduertit, protinus correptis armis, defenſionem parat, & mox ad ictum campani æris, quicumq. ſuburbium, cui nomen Pre, occuparant, illi maturo ſubſidio accurrentibus, tam ſtrenuè atque acriter conflixit, vt oppidanos primo ac ſecundo congreſſu intrepidè atque animosè repelleret, eo tamen ſucceſſu, vt cùm Guelforum acies ſubinde recenti ſupplemento & auxilio inſtauraretur, ipſe, relicto monte;

Naulum à Gibellinis occupatum.

1322.

1323.

Gibellinorum clades.

monte, cui, ceu tutissimo asylo ac propugnaculo, diu cum summa laude ac beneficio insederat, & dissipatis ordinibus, sese pauidus in fugam conijceret, adeò vt non modò priorem stationem, verùm etiam D. Ioannis suburbana tecta suis rebus apprimè vtilia & opportuna, omnibus suis familiis ac fortunis victorum prædæ atque arbitrio relictis, amiserit: in eaque fuga complures capti, & inter ipsos, haud pauci supremi ordinis viri, qui omnes Genuam perducti, postmodum exiguo pretio pristinæ libertati restituti fuerunt. Nam licet summa animorum acerbitate ac pertinacia vtrimque decertarent, nihilominus tamen hæc bella multò magis ex dominandi cupidine, quæ tamen plerumque cunctis affectibus flagrantior esse consueuit, quàm ex vltionis ac vindictæ studio gerebantur. eoque factum est, vt in his ciuilibus præliis, ac ceteris, varia de causa subsecutis, Respub., non, vti pleræque aliæ, funditus interierit. Post hanc cladem, maior pars eorum qui fuga sibi salutem pepererant, Vulturium, indeque Sauonam concesserè, vbi propter loci opportunitatem enixè dabant operam, vt reparatis viribus, nouum exercitum describerent. Inter hæc, Ioannes Pontifex vigesimus secundus, Christianæ fidei ac pietatis summo studio atque ardore incensus, simulq. tam præpotentis & inclytæ vrbis casum vehemẽter commiseratus, vt hæc domestica dissidia & funestas simultates è medio auferret, ab vtraque parte ad se Auenionem, vbi tunc temporis agebat, legatos mitti postulauit, eaq. de causa duo ac viginti oratores missi, quorum duodecim à Senatu, & reliqui ab aduersa parte ablegati fuerant: ibique postquam ab ipso Pont. quàm humanissimè ac benignissimè excepti essent, de conciliandis animis, mutuisque controuersijs pacandis sedulò peractum. sed propter ciuilium discordiarum intemperiem, animorumque discrepantiam, frustrà tentatis conditionibus pacis, reque penitus infecta, illinc discessum, adeò vt oratoribus ad suos reuersis, ac exigua mora interiecta, rursus ad arma vtrimque conclamatum sit: eoque insaniæ ac furoris deuentum, vt non solùm Genuæ, atq. in agro Ligustico, verùm etiam in plerisq. locis Orientalibus, hæc fatalia dissidia suum pestiferum ac exitiabile virus effunderent. Quippè cùm ex ciuitate decem triremes omni militari apparatu instructæ, in eas regiones aduersus Græcos, ac etiã illos qui erant Gibellini nominis, eductæ essent, vbi earum Præfecti aliquot damna illis inflixissent, fretum Euxinũ emensi, ad vrbẽ Synopen, Ponti prouinciæ metropolim, delati sunt: eamq. ingressi, cũ eius regulo, cui nomen Zarabis, fœdus ac societatem contraxerunt. Quod sanè vbi primùm his Gibellinis qui Peram incolebãt, innotuit, nihil reliqui ad summã diligentiam fecerunt, quo minùs, Græco Augusto sibi fœderis iure obstricto, ac suppetias ferente, sexdecim rostratas in promptu haberent, & hostilem reditum præstolarentur, eo animi decreto, vt eas statim inuaderent. Huius rei fama simulac primùm ad Synopium regulum perlata est, vt ipse hac ratione sibi Cæsarem deuinciret, spreta fide ac iuramento, clandestina consilia contra Guelfos iniuit, & mense Iulio summa vafritie atque astu omnes triearchos & præcipuos quosque, ac etiam socios nauales ad prandium & quædam ludicra spectacula, vt ipse aiebat, per fideles ministros amanter inuitauit, multisque armatis in variis locis palatij occultè dispositis, dato signo, repentè conuiuas incautos, & postquam dolum intellexerant, sacra regni, & hospitales mensas obtestantes, crudelissimè interfici, & quosdam primariæ auctoritatis in carcerem conijci iussit, ac vno eodemque tempore sex triremes omni remige nudatas, & continenti admotas, occupari. Nonnulli verò ad primum strepitum celeri fuga ad littus properantes, nando salui atque incolumes tandem ad reliqua na-

uigia.

uigia paulo remotiora peruenerunt; & continuò velificatione facta, Genuam adnauigarunt, eoque appulsi, acceptam cladem retulerunt. Qua cognita, incredibile dictu est, quantoperè omnium animi, ob rei atrocitatem, & tam ingentem perfidiam, ad vltionem accenderentur, & plerique in lachrymas effusi, dum alij fratrum & liberorum, alij verò adfinium & amicorum inexpectata funera deplorant. nec dubium, quin statim hoc tam nefarium scelus vindicassent, nisi ea tempestate ciuilia bella & internæ cædes huic rei summo impedimento extitissent, ideoque hanc expeditionem in tempus magis aptum atque idoneum distulêre. Iisdem fermè diebus, caput, siue promontorium Phariæ turris, mœnibus & præaltis fossis aliisque propugnaculis communitum fuit. At initio proximi anni, in partibus Sardiniæ, Guelfi, cum duabus triremibus, onerariam, qua præterue- 1324.
teros, Galeatius Barnabæ Auriæ filius deuehebatur, intercepêre, ac Genuam vnà cum nauigio captiuum perduxerunt: ablatisque mercibus, omnes gratis & absque vllo pretio, præter ipsum Galeatium, qui sese mille libris redemit, liberi atque incolumes dimissi. Hostes verò, haud multo pòst, arcem Castilionis in villa vulgò Pra, iuxta Pegium sitam, proditione occuparunt. In hoc rerum cardine, Rubertus Andiouinus vnà cum sua coniuge, ac Duce Calabriæ suo filio & plerisque proceribus, Genuam ex Gallia Narbonensi decimo Cal. Maij reuersus est; & quadraginta quinque nauigia, milite, armis ceterisque rebus instructa, secum adduxit, eo consilio, vt inde Neapolim transfretaret. Dum Genuæ subsistit, honorificentissimè, sicuti antea, exceptus fuit; eiusq. edicto, noua quædã instituta & decreta circa Reip. administrationem ac regimen promulgata fuerunt. Et quoniam Senatus illi ad decennium Reip. dominium atque imperium tradiderat, super nouo prorogationis tempore variis sententiis inter ciues vtriusque ordinis & plebem disceptatum fuit. Hæc enim, vt ad plures annos, & quidam etiam in perpetuum, quoad viueret, at priores, vt ad certum quoddam & præfinitum tempus summa rei penes illum esset, contendebant. Tandem cùm in horum sententiam concederetur, ipsi, de mutuo consensu, non vltra sexennium terminus prorogatus, licet ipse postmodum vsque ad annum eiusdem æui trigesimum quintum præfuerit. His rebus ita peractis, Rex, cunctis rebus Genuæ prius dispositis, & substituto qui Reip. curam capesseret, pridie Idus Maij Neapolim cum sua classe atque familia contendit. At Gibellini, sub idem ferè tempus, cum vndecim triremibus, quas tum habebant in Prouincia, trium hostilium nauigiorum, quæ variis mercibus referta, è sinu Massilienſi soluerant, prædam fecêre. *Luporũ vis immensa.*
Illud verò pænè exciderat, nempe hoc anno, ac etiam præcedenti, incredibilem luporum multitudinem in Pociferam vallem, Bisamnim, & fermè in totius oræ maritimæ tractum ex Alpibus descendisse, tanto me hercle ausu, vt etiam vrbis mœnibus appropinquare non vererentur: & plurima damna in his regionibus intulere, adeò vt etiam plerosque pueros & infantes vtriusque sexus deuorarint. Interea, cùm Andegauensis hoc vnum enixè, ac præcipuè in votis ha- 1253.
beret, vt Fridericum Cæsarem ex Sicilia deturbaret, appetente vere, Principem Calabriæ cum vniuersa classe, in qua erant viginti triremes Ligusticæ, omnibus rebus ad bellum necessariis instructæ, quas Senatus suppeditarat, ad Siculam expeditionem ablegauit, eo tandem euentu, vt, quamquam ipse illuc secunda nauigatione præteruectus, Panhormum arctissima obsidione pressisset, ac etiam crebris oppugnationibus illam expugnare summis studiis atque artibus annitere-tur, nihilominus tamen, aduersariis vrbem strenuè propugnantibus, post ali- *Sicula expeditio frustrà ab Andegauens. tentata.*
quot leuiora prœlia, obsidionem soluerit, & mox cum mille & quingentis cata-

phractis, magnoque peditum numero vniuersam insulam variis excursionibus, dimidium fermè annum, diuexauit, eamque plurimis detrimentis affecit, donec
1326. hostili potentiæ ac viribus cedens, in Apuliam, voti impos remigraret. Posthæc, in agro Ligustico noui motus exarserunt. Cùm enim Castrucius Castracanis, cuius superius mentionem fecimus, Florentinorum castra disiecisset, ac per aliquot menses, nemine contraire ausо, illorum ditionem variis populationibus deuastasset; insequenti anno, sese Gibellinis adiungens, maiorem partem oræ Orientalis occupauit, adeò vt Patres ad illius conatus iuhibendos, Lucam Nigriũ cum delecta manu expediuerint: isque primo accessu arcem Rapallitanam inuasit, ac illam, breui temporis interuallo, & priusquam Castruciani milites subsidio aduenirent, vnà cum oppido ac locis conterminis, certis quibusdam legibus & conditionibus, recepit. Deinde Reggium profectus, turrim hostili præsidio
1327. firmatam, occupauit, & mox in agro Pegiano arcem extrui curauit. At sub initium posteri anni, quidam spurius è Bertolota familia, Gibellini nominis studiosus, cum Castrucio clandestina consilia iniuit, & ducentorum militum robore stipatus, multa iam nocte, de-improuisò Sextrum Orientalem adortus est, ita vt oppidani metu exterriti, patrios lares nec sine triginta hominum clade deseruerint, suasque coniuges, familias, & facultates victorum prædæ atq. arbitrio permiserint: quæ tamẽ ipsis, dicto citius, illæsa pudicitia, vnà cũ bonis ac penatibus, summa continentia, & raro mitissimi animi exemplo restitutæ fuerunt. Interim Genuæ nouus delectus habitus, & aliquot militares cohortes, duce Luchino Fliseo, in aduersarios amandatæ, qui hostilem potentiam veritus, non vltra Clauarim progredi ausus est: Quòd nisi per idem tempus, nouæ turbæ Castrucium in Etruriam reuocassent, haud dubiè Respub. in grauissimum discrimen incidisset, cùm præsertim iisdem diebus, Spinulæ inopinatò Monœci arcem, suæ ditionis fecissent. Ea tempestate Romano imperio præerat Ludouicus Bauarus, Rudolphi Imperatoris ex filia nepos, qui à septemuiris Principibus Cæsar designatus, nihil habuit antiquius, quàm vt statim emẽsis Alpibus, in Italiam descẽderet, cùm præcipuè nonnulli ex dynastis ac regulis, illum ad hanc profectionẽ summoperè cohortarentur, quò sua auctoritate atque potentia Cæsarianas partes & clientelas firmiùs constabiliret. Proinde, omnibus rebus in Germania ritè dispositis, sese ad hoc iter accinxit, primoque Mediolanum venit, vbi ferreo diademate, vti moris erat, insignitus fuit. Inde Lucam profectus, Pisanos obsedit, quòd portas ingressuro præ metu clausissent, atque ab vrbe illum auertissent. Sed Pisanæ oppugnationis is tandem exitus fuit, vt Castrucio copias, pecuniam, & commeatus ad id bellum conferente, & diuersis castris citra Auserim amnem positis, Pisani multis oppidis exuti, Cæsari portas aperirent, & prægrandi pecunia multarentur. Ab hoc insigni studio, apprimeque forti & fideli opera Castrucius à Cæsare Lucensium & Lunensium Dux est appellatus, prætulitque demũ decora insignia & ornamenta nouæ dignitatis. atque inde Pisanos recenti factionum æstu iactatos, nec idem in Repub. sentientes, variis occultæ largitionis artificiis aggressus, ita eorum decuriones circumegit, vt fauente Cæsare, nec abnuente populo, ciuitatis Princeps salutaretur. Ludouico autem Romam contendenti, ad id sollemne officium suscipiendi diadematis inuitatus, cum delecto equitatu & sagittariorum cohortibus comes fuit. Verùm paucos intra dies, illinc in Etruriam rediit, vt Pistorium, eius Prouinciæ haud ignobile municipium, Guelforum proditione à Florentinis occupatum, reciperet: quod quidem, post trium mensium acerrimam obsidionem cum magna hostium ignominia & singulari

Exemplum continentiæ.

Ludouicus Bauarus.

fuga

sua gloria deditione recuperauit. Quocirca Ligures, à Castrucio, tot accumulatis honoribus claro, & cuncta propè apud Cæsarem præstanti ingenio administranti, iurè sibi metuebant; eaque de causa, ne quid Resp. detrimenti pateretur, ciuitatem summo studio ac iugi labore vndiquaque communiebant. Interea temporis, Castrucio, vti diximus, in Etruriam profecto, Patribus visum fuit, Reip. haud parum conducere, vt arx Vulturij, quam Anfreon Spinula patriæ ereptam, iam fermè ad octennium sibi, veluti iure hereditario ad se pertinentem, vsurparat, tanquam postliminiò reciperet. Igitur anno eius sæculi duodetrigesimo, Senatus consulto ablegati, qui eā summis viribus adorirentur & expugnarent. Quò autem hæc expeditio feliciùs exque animi sententia succederet, Genuæ multis 1328.
scalis clàm præparatis, summo nocturni temporis silentio, illas ab ea parte, quæ munitior ac sublimior censebatur, admouerunt, ea potissimum spe inducti, hanc scilicet, minoribus excubiis ac præsidio custodiri. Præfectus, de hostis aduentu certior factus, & insidiis cognitis, illi cum aliquot præsidiariis armatus obuiam processit, & conserto prœlio, post acrem pugnam, strenuissimè dimicans, interfectus est, & reliqui vnà cũ Anfreonis filio sibi statim fugâ consuluerunt. At qui arcẽ occuparant, veriti, ne illam rursus facilè amitterent, quibusdam tedis ac facibus accensis, militi, Phariam turrim nomine Reip. propugnanti, signum, prouti simul conuenerant, dedêre, vt illinc Senatus de totius rei euentu commonefactus, statim supplementum mitteret, ac locum nouo præsidio firmaret, sicuti haud cunctanter id omninò procuratum fuit. Rebus domi foriſque ita sese habentibus, Castrucius in medio florentis gloriæ curſu; quippè qui vix quadragesimum septimum ætatis annum expleuerat, virtute & fama rerum gestarum se- *Castrucii obitus.*
nior, quàm annis, (nam quantum ad gloriam, longissimum æuum peregit) priscorumq. Romanorum magnitudinem, & bellicæ rationis ingenia diligenter ac feliciter æmulatus, fato concessit. Moriens, Henricum filium testamento imperij reliquerat hæredem, quem paucis pòst diebus, Ludouicus Cæsar, cuius suprà mentionem fecimus, vnà cum fratre dominatu exuit, Germanicis præsidiis impositis, quorum duces breui temporis interstitio, Lucam Gerardo Spinulæ, vi- 1329.
ro opulento, & Gibellinæ classis Præfecto, quatuor & septuaginta millibus aureorum, non sine maxima Senatus indignatione, cum ipsius Spinulæ, aduersæ *Luca Gerardo Spinulæ dimendita.*
factionis tùm facilè principis, potentiam & ambitionem haud mediocriter suspectam haberet, diuendidêre. Inter hæc, Andegauensis, quinque & quadraginta Liguſticas triremes mercede conduxit, quæ, duce Luchinio Nigrio, in Apuliam adnauigarunt: contrà Gibellini, qui erant Sauonæ, tres ac triginta pro Friderico Siciliæ rege instruxerunt, eáſq. cum reliqua parte regiæ classis, quæ ductu Cæsaris filij, Liguſticarum numerum æquabat, coniunxerunt; eo tamen euentu, vt his tantis apparatibus, nihil omninò, per id quidem tempus, memoria dignũ gestum fuerit. Postero anno, qui fuit vndetrigesimus, Antonius, siue, vt aliis 1329.
placet, Aitonus, Auria tres hostiles triremes, multis mercibus ac exoticis rebus onustas intercepit, pariq́ue successu mense Augusto, quatuor in Sardinia, deinde tres, quæ ad Gallos Narbonenses pertinebant, & mense Octobri duas itidem, quę paulò antè è portu Veneris soluerant, occupauit. Circa hæc tempora, in vrbe *Genua fame ac morbis vexata.*
summa rei frumentariæ inopia laboratum, adeò vt modius tritici fermè quatuor libris diuenderetur. & initio subsequentis anni, febris quædam continua, & dysenteria, ciuitatem, adeoq́ue omnem fermè agrum Liguſticum, supra modum diuexauit atq. afflixit; quo quidem morbi genere innumeri vtriusq. sexus è medio sublati. Porrò vbi ex annonæ pænuria & caritate fames inuasesit, ibi quoq.

variis morborum generibus homines conflictari, longa experientia compertum est. Quin etiam sæpenumerò pestis, hæc duo, ceu legitima soboles comitari consueuit. Ceterùm, quàm misera, rabiosa, & malesuada res sit fames ac sitis, haud sanè paucis verbis commemorari potest. Nec rarò, præsertim in diutina vrbium obsidione, euênit, vt solitis alimentis atque cibariis, moxque iumentis, equisque, & ceteris animalibus, quæ profana fœdaque in vsum necessitas vertit, absumptis, virgulta postremò & stirpes, & internatæ saxis herbæ auulsæ, miseriarum patientiæq. documentum extiterint. Est apud Iosephum fames descripta temporibus Vespasiani in Hierosolymitana oppugnatione, ac etiam à Nicephoro temporibus Iuliani, & Maximini. Famem verò fuisse per orbem propè vniuersum Annales asserunt, anno Domini 537. In Gallia similiter anno 660. quo Dagobertus Francorum rex thesaurum templi in vsus pauperũ erogare coactus est; id factum aliis sacrilegium esse volentibus, aliis opus pium, & laudabile. De Ptolemæo Lagi filio veterum Annales prodiderunt, quum peragrãti Ægyptum, comitibus non consequutis, cibarius in casa panis datus esset, eum negasse vllum cibum vnquam sibi visum suauiorem. Aderat enim optimum condimentum fames, vti etiam, quoad sitim attinet, iidem de Dario vltimo Persarum rege commemorant, qui cũ in fuga aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit, vnquam se bibisse iucundius. & Artaxerxes, cùm in fuga quadam, diuerpto illius commeatu, aridis ficis & hordeaceo pane vesceretur, Dij boni, inquit, cuiusmodi voluptatis hactenus inexpertus fui! At Lysimachus superatus à Domitiano in Thracia, cùm seipsum totumque exercitum propter sitim tradidisset, postquã captiuus bibisset, O dij, inquit, quàm paruæ voluptatis causa me ipsum ex rege seruum effeci! Sed me humanarum calamitatum exemplis inhærentem, suscepti argumenti series domum reuocat, vtque inceptum prosequar, adhortatur. Dum Resp. intestinis & plus quàm ciuilibus bellis atrociter iactatur, nonnulli ex Christiani orbis Principibus, eius vicem commiserati, omni ope studebant efficere, vt tandem, mitigatis animis, ad mutuam pacem & concordiam redirent; in primis verò Galliarum rex, qui summo studio id procurabat, eaq. de causa vtriusque partis legatos ad se mitti postulauit, ad quem etiam Rubertus rex suos oratores ablegauit. Ceterùm, tanta erat animorum distractio, vt post multas disceptationes ac sententiarum varietates, tandem rebus infectis, quisque ad suos remigrarit. Auria interim, cum quatuordecim rostratis omnem Ligusticæ oræ tractum variis rapinis ac populationibus infestabat, & præter cetera detrimenta, quibus Remp. affecit, etiam oppidum, vulgò S. Rhemi, recèns occuparat. Proinde ad illius vim & conatus reprimendos, Senatus consulto decem triremes sub Friderici Maraboti præfectura, quoad maius supplementum decerneretur, eductæ; quarum duæ, maris sæuitia ac tempestate circa Sardiniam, citra tamen cuiusquam cladem, submersæ fuerunt. Reliquas, hostis conspicatus, protinus inuadere constituit, ac per integrum diem insecutus est, adeò vt cùm illarũ Præfectus, adumbrante vespera, eò necessitatis sese adactum esse conspiceret, vt omninò sibi confligendum foret, ne, impar numero ac robore, pugnam, cum maximo suo detrimento, inire cogeretur, insigni quadam solertia & stratagemate imminens periculum euitauerit. Siquidem, posito in mari scuto eximiæ cuiusdam magnitudinis, ac desuper laterna, seu lampade accensa firmissimè defixa, omnibusque triremium luminibus extinctis, cùm ipse clypeus vnà cum lychno subinde æquoreis fluctibus continentem versus iactaretur, & Auria hostilis classis lumen arbitratus, illàc suum cursum inflecteret, hæc, quæ sub noctis tenebris,

Stratagema militare.

vix

vix vnius sagittæ iactu ab aduersariis distabat, eueſtigiò sese illinc proripiens, Genuam salua & incolumis peruenit. Eodem temporis tractu, in ciuitate maximi motus extiterunt: quippe cùm lictores quendam exulem ac proscriptum in Catanicorum ædibus intempesta nocte cepissent, ac eum in carcerem pertraherent, continuò ipsi, ac eius clientes, raptis armis, nudatisque ensibus, illum vi ex apparitorum manibus abripuerunt. Quod vbi primùm regio Præsidi significatum est, ipse, vt in eos animaduerteret, orta luce, vrbanam multitudinem, ad ictum æris excitauit, & vnà cum populi Abbate ad illorum ædes perrexit, adeò vt cõpluribus patriciæ dignitatis, ad Cataneis opem ferendam accurrentibus, in vrbe summa imis, & sacra profanis miscerentur. Et nobiles quidẽ, erectis vexillis iuxta D. Gregorij cœnobiũ, populares verò iuxta ædẽ Laurentio sacrã cũ populi Abbate, sese, sublatis signis, præsidio ac munitione firmarũt, ipsisq. Cataneis per internuncios indicarũt, se, nisi infra vnius candelæ accensę spatiũ, regio legato debitum officiũ atq. obedientiã præstarent, omnes suas vires in eorum pernicię ac exitiũ conuersuros. Ceterũ, Abbas vnà cum suis minimè hoc tempus præstolatus est, quin potius plebs omnis moræ impatiens, & præfixo termino neglecto, cum ingenti frequentia & multitudine ipsos patricios in suis compitis ac vicis, vbi sese trabibus, ceterisq. propugnaculis circumsepserant, summo impetu adorta, ad multas horas dubio atque ambiguo Marte cum illis conflixit, donec tandem fortuna ad ipsos nobiles inclinante, non absque insigni clade illinc repelleretur. Verumenimverò cùm Catanei, ac illorum fœderati, apertè intelligerent, hac ratione suos aduersarios, qui patriæ bellum inferebant, indies potentiores fieri, de communi consensu octo ex suis præcipuis ad regium Præsidem miserunt, & Abbatis populi, publicæ tranquillitatis otiique longè studiosissimi, opera & auctoritate, cum illo, reconciliatis animis, in gratiam redierunt; non parum deinceps cum Grimaldis ac Fliscis conquesti, quòd nimirum, in tam propinquo summæ rei discrimine, nulla sibi auxilia & suppetias tulissent: seque potius aduersæ partis imperium laturos aiebant, quàm vt vulgo atque inconditæ multitudini vlla ex parte cessuri essent. simulque adijciebant, ipsos quidem toto cælo aberrare, si eius patrocinio & gratia innixi, ea ratione ad supremum Magistratum aspirarent, sicuti etiam re ipsa breui experirentur. In hoc rerum curriculo, Tarraconenses, qui variis temporibus plurima incommoda vtrique parti intulerant, & ab vtraque vicissim haud modicis detrimentis affecti erant, ingentes apparatus terra marique aduersus Ligures facere, multaque hostiliter moliri. Proinde vtraq. pars cũ diutinis & cruentissimis bellis defatigata, tum etiam imminẽtibus periculis deterrita, tandem depositis odiis, ac mutuis simultatibus abolitis, animi cogitationes ad saniora consilia flectere incœpit; & Cal. Martij de mutuo consensu indutias pepigêre: quæ deinde in annum productæ, vt commodiùs de inundæ pacis rationibus vtrimque transigeretur. Interim habitis comitiis, Senatus consulto octo ciues declarati, qui pacis conditiones ritè examinarent atque perpenderent. Et postquàm variis sententiis decertatum esset, tandem vnanimi vtriusque voluntate constitutum fuit, vt omnium controuersiarum ipse Andegauensis, cui totius Reipub. imperium, vti diximus, demandatum erat, absolutus iudex atque arbiter designaretur. Igitur quatuor & viginti oratoribus ad eum, Neapoli tunc degentem, vtrimque ablegatis, breui effectum est, vt quarto Non. Septemb. pax certis legibus & conditionibus iniretur: quarum quidem præcipuæ ac insigniores fuêre, vt Respub. in posterum, sicuti hactenus, ipsius regis nomine administraretur: vt deinceps publica munia & magistratus æquali

Genuæ nouus tumultus.

1331.

Pax Genuæ inter Guelfos & Gibellinos.

dignitate & gratia inter vtrumque ordinem partirentur. Præterea, vt quisque suis penatibus ac bonis in integrum restitueretur. Hæc vbi primum Genuæ intellecta, vniuersam vrbem incredibili gaudio & voluptate affecerunt, adeò vt lætitiam illius diei, concursumque ciuitatis, & vota pænè inferentium cęlo manus, spemque conceptæ perpetuæ securitatis, vix vllius hominis, vel disertissimi, eloquentia exprimi posset, quemadmodum nec è diuersò, quantis ærumnis & calamitatibus hæc funestissima bella ad annos sexdecim continuata, Rempub. domi foriſque inuoluerint, & supramodum, eius membris distractis atque conuulsis, lacerarint. Et proculdubiò immanes, ac multiplices sumptus, ciuium fugæ ac exilia, ædium euersiones, fratrum, coniugũ, parentum neces, rapinæ aliaque innumera his consimilia, quibus ciuitas hoc temporis spatio miserrimè fuit obnoxia, omnem aliam Rempub. quantumuis immensis opibus & potentia florentem, labefactasset, ac etiam in extremam ruinam & interitum adduxissent.

LIBER SEXTVS.

INITIO præcedentis libri ostendimus, quibus causis Ligures commoti, aduersus Tarraconenses, hactenus socios & amicos, arma induerint, simulq. de illorũ origine & incrementis nõnulla summatim recensuimus. Nunc breuiter nobis explicandum est, cur iterum, vix domesticis malis aliqua ex parte suppressis atque restinctis, arma in eosdem resumpserint, & quídnam deinceps vtrimque variis temporibus gestum fuerit, suo loco ac tempore differetur. Et si verò, post priorem dimicationem, pax inter vtramque gentem certis quibusdam legibus ac formulis transacta fuerit, ipsi tamen cùm propter regni Siculi accessionem, Sardiniã quoq. animo inuaderent, pace polluta ac temerata, subinde cum aliquot nauigiis optimè instructis, vario incursu oram Ligusticam diuexantes, grauiaque ac sæua damna inferentes, eò tandem fiduciæ, dicam, an temeritatis, progressi sunt, vt vel ipsi portui hostiliter, & cum haud mediocri indigenarum periculo imminerent. Proinde cùm infensissimis animis atque armis sese Reip. hostes declarassent, & quæque aspera & aduersa molirentur, Patres iusta ira incensi, ad illorum vim & pernicioſos conatus reprimendos, anno supra millesimum trecentesimum secundo ac trigesimo, summo iudicio ac celeritate quinque & quadraginta triremium classem egregiè paratam atque instructam, Antonij Grimaldi, viri, præter gẽneris vetustatem, pacis bellique artibus conspicui ductu atque imperio emiserunt: isque mense Iulio è sinu Ligustico soluens, Cataloniam versus enauigauit: in quam secundis ventis appulsus, pleraque Tarraconensium nauigia in littore anchoris adhærentia, subito incendio absumpsit, & mox descensione facta, maiorem Balearicam, & regnum Aragonium haud exiguis cladibus affecit, ipsique Tarraconensium regi & Balearico Reipub. nomine bellum indixit. Qui, vt Ligustici nauarchi ausus & ferociam retunderent, de vnanimi voluntate atque consensu duarum & quadraginta triremium classem, ad hoc, magnum numerum longarum nauium varij generis contra illum instruxêre. At Grimaldus è portu minoris Balearicæ, in quem sese illum inclusuros, & obsessuros, hostes sperarant, impigrè egressus, tanto impetu atq. animi fortitudine illos inuasit, vt hostes eius felici temeritate audaciaq. deterriti, simulque impressionem non sustinentes, sese in turpem ac præcipitem fugam

1332. *Bellum in Tarraconenses.*

gam coniecerint, noctisque beneficio, ac maris sæuitia, & aduersante vento, vniuersi incolumes euaserunt. Et quoniã æstas iam præcipitarat, summaq. cõmeatus inopia premebatur, quindecim ex suis triremibus in Siciliam aduersus hostem ablegatis, ipse cum reliqua classis parte Genuam delatus, eximium decus regiarum classium fugatarum, vnaque ingentem prædam in patriam rettulit. Per idem fermè tempus, incolæ Bonifacij cum duobus rostratis & aliquot nauigiis perbellè instructis, triremim Aragonicam circum eos sinus prædabundam adorti, ea facili negotio potiti sunt. At mense Ianuario subsequentis anni, Genua 1333.
S. C. decem triremes sub Othoboni Marini præfectura, & mense Aprili totidem aliæ sub Ianotti Cicadæ auspiciis armatæ, ac in eundem aduersarium eductæ fuerunt, qui aliquot hostiles naues frumento onustas intercepit, & Tarraconenses vicissim Ligusticam triremim in Gallia Narbonensi occuparunt, plurimaque incommoda & detrimenta vltrò citroque, nec citra multorum cladem ac interitum hoc anno inflicta. Quandoquidem, vtriusque partis animi sic omninò exacerbati erant, vt in omnem sæuitiam proni, in cuiusque vitã inquirerẽt. Ad hæc quidam notus è Bertolota familia, in maritimo oræ Orientalis tractu, Carpena, & plerisque aliis locis Ligustici agri ademptis, haud leues tragœdias & turbas concitauit. Ceterùm proximo anno, Genuæ eiusdem Senatus decreto, decem rostratæ Salagri Nigrij, viri, vltra generis amplitudinem, togæ belliq; operibus 1334.
clari auspiciis armatæ, ac emissæ: qui versus insulas Balearicas cursu nauigationis flexo, cùm fortè fortuna in quatuor ingentes onerarias Catalanorum delectorum numero refertas (mille enim & octingentos fuisse referunt, in hisq. centum & octoginta primæ nobilitatis & equestris dignitatis viros, qui vnà cum suis cõiugibus ac liberis in Sardiniam, ad expugnandum eam insulã, cuius maior pars sub Brancæ Auriæ, viri ea tempestate summis opibus & auctoritate florentis, imperio tenebatur, adnauigabant, siue, vt aliis placet, illinc patriam versus redibant,) incidisset, earumq. occupandarum ingenti studio flagrans, illas, licet aduerso Euro & sæuiente pelago, summa constantia per decem dies insecutus est: quoque suorum animos ad eos insequendum, & ad pugnam ciendam vehementius inflammaret, simulque nauium celeritatem cursu triremium adæquaret, militari consilio atque astu annonam vnà cum reliquis impedimentis in mare proijci ac præcipitari iussit, suosque breui, sed pressa & neruosa oratione, quæ sapientia præuisa, aptaque imminenti certamini differens, hortabatur, ne ferrum perhorrescerent, cùm longè turpiori ac tetriore mortis genere, hoc est fame, atque inedia illis pereundum esset. Quippe annona in mare proiecta, nullũ ipsis relinquebatur alimentum, nisi quod ex debellata classe, commeatibus referta, sibi acquirerent. Quibus sanè tantoperè accensi sunt, vt eos tandem remorum velorumque beneficio assecuti, signoque prælij dato, illos summo impetu inuaserint, eo quidem successu, vt Ligures, post longam & cruentam *Genuens. victoria aduersus Tarraconens.*
vtrimque dimicationem, circiter octingentos ex aduersa parte contrucidarint, & vltra eos quos grauissimis & lethalibus vulneribus affectos in Sardinia reliquerunt, trecentos ac sexaginta captiuos fecerint: atque ita hostiles naues in suam potestatem redegerunt. Huic autem bellicæ gloriæ, quam Salagrus in hac insigni expeditione præstitit, singulares continentiæ laudes haud parum omninò addunt splendoris, vt exemplum in omnes partes nobile ac illustre appareat. Is enim à matronarum corporibus violandis graui edicto suos prohibuit. quas, descensione in Sardiniam ad Calarim facta, liberas vnà cum suis viris atque incolumes dimisit, pudori muliebri contumeliis obnoxio parcens, virumq. ex captiuis,

ptiuis, quem generis decus nobilitarat, compertum, quòd coniugem, egregia & præstanti forma, ne hostium præda fieret, ante nauium expugnationem, amoris stimulis exagitatus, immaniter iugularat, securi percuti iussit: quod se non tam puniendi flagitij causa, quàm indignatione commotum facere dixit, quòd ille ipsius pariter ac Genuensis populi continentiæ tantoperè diffisus esset. Paucis pòst diebus, Tarraconenses cum sex triremibus probè exornatis, in oram maritimam præteruecti, nonnullas Liguſticas triremes atque nauigia interceperunt, & in maiorem Liguſtici nominis contumeliam, quosdam Genuens. ignominiosæ mortis genere affecerunt. Id verò vbi primùm ad Salagri aures fama detulit, iusta ira & dolore ad vltionem incitatus, denuò cum decem triremibus Genua egressus, inter nauigandum circa finem Septemb. plerisque hostilibus nauigiis, Liguſtica præda, eius nempè quam paulò antè sex Aragoniæ triremes ceperant, onustis, obuiam factus est, eaq. omnia breui in suam potestatem redegit: & mox quatuor aduersarias triremes atque onerariam iuxta Sardiniam circumuagari intelligens, classe bipartitò distributa, eam insulam præcinxit. Ceterùm, hostis Salagrum conspicatus, eum tanta festinatione adortus est, vt vix Liguri ad arma expedienda quicquam otij ac temporis concederetur. Tanta nihilominùs fuit animi præsentia & fortitudine, vt, consertis manibus, Tarraconensium nauigia cum insigni eorum strage, vtpotè circiter quingentis ac sexaginta interfectis, & centum quadraginta in patriam secũ abductis, expugnata & capta fuerint. Posthæc, Calaritanam oram secũda nauigatione repetens, vbi illuc appulisset, in classis Præfectum, & quendam trierarchum, præcipuos auctores, vt in captiuos Ligures tam fœdo mortis genere, cruce scilicet, ac patibulo, desæuiretur, pari pœna ac supplicio animaduerti iussit. Circa hæc tempora, cùm ijdem hostes, Ligures, qui Peram, olim Galatam, vrbem è regione Constantinopolis, trans sinum illum qui vtrique populo stationem efficit, sitam, & Genuensium coloniam, haud mediocribus damnis atque incommodis affecissent, Genuæ S. C. septem triremes instructæ, subque Barnabæ Catanei, viri, præter suorum maiorum stemmata, prudentiæ ac rei bellicæ gloria florentis, iussu & auspiciis emissæ fuerunt, qui statim in oram Orientalem nauigatione suscepta, cùm in quadam Ægypti vrbe à Mauritanis inhabitata, in duas Tarraconensium onerarias, ab ipsis atque indigenis strenuè defensas incidissent, illas, post acrem dimicationem sui muris factas, protinus iniecto igne concremauit. Illud quoque neutiquam silentio prætereundum videtur, nempe hoc anno, Ioannem Fornarum, Cæsareæ, vulgò Alexandriæ, à Palea cognominatæ, ex vetusta ac nobili familia ortum, & acerrimum Guelfarum partium propugnatorem, relicto natali solo, Genuam cum quinque liberis, scilicet, Thoma, Petro, Girardo, Dominico & Ludouico, ac centum aureorum millibus in præsenti expeditaque pecunia concessisse: quem Senatus cùm propter familiæ claritudinem, & insignes animi dotes, tum etiam vt ipsi, qui hoc flagrantissimè cupiuerat, hac in parte obsequeretur, in patriciorum ordinem cooptauit. Superiùs commemoraui, anno eiusdem sæculi vno ac trigesimo, Genuæ Ruberti regis opera & auctoritate pacem inter Guelfos ac Gibellinos tandem initam & constitutam fuisse. Ceterùm anno eiusdem 1335. æui quinto, hæc iterum cum insigni Reip. detrimento ac exitio, ex noui Præsidis in vrbem aduentu contaminata. Quippè, cùm veteri Prætore, qui centum ac viginti equitum grauioris armaturæ satellitio stipatus, rebus gerendis summa cum laude præfuerat, subrogato, Bulgarus Tolentinas, vir sollertis prouidiq. ingenij, & qui sublimes spiritus gereret, ac priori anno, quo Resp. sese Andegauensis,

Pera.

Ioannes Fornarius.

degauensis imperio spontè subiecit, in ciuitate supremum Magistratum obtinuerat, cùm trium ac triginta cataphractorum præsidio Neapoli Genuam, quò in alterius locum substitueretur, missus esset, Gibellini, cùm antea de ipsius aduentu nihil certi & explorati habuissent, continuò in haud leuem suspicionem deuenêre, illum à Guelfis, ea potissimùm de causa euocatum atque in vrbem accersitum, vt suas partes tueretur: atque ob id summoperè indignati fuerant. Et licet complures vtriusq. ordinis ciues publicæ tranquillitatis amantes, nullisq. studiis addicti, suam auctoritatem interponerent, ac enixè operam darent, vt omnibus suspicionibus & querimoniis è medio sublatis, quisque paci & concordiæ summis conatibus operã nauaret; nihil tamẽ consequi ac impetrare potuerunt. Cùm enim Guelfi pridie Non. Febr. in vico, cui nomen Susilia, nonnullos Imperialis familiæ adorti essent, statim publicè arma correpta, mucronesque denudati, & vtriusq. factionis præcipui auctores sese maioribus viribus ac præsidiis præmunire connitebantur, adeò vt Gibellini, Saluagos ea tempestate summis opibus & clientelis innixos, atque alterius studij fautores, reconciliatis animis, simulque Sauonensium ac plerorumque aliorum auxiliis imploratis, in suas partes ac studia pellicerent. Post hæc, Imperiales, ac fœderati totam Siciliæ regionem, vsque ad D. Catharinæ ædem porrectam, nec non Aurianum forum & loca his contermina, strenuè propugnabant. At reliqui, ceteram vrbis partem vnà cùm præcipuis turribus ac munimentis tuebantur & obuallabant, quorum quidem ope ac robore, octo triremes, & pleraque alia nauigia multo bellico apparatu instructa, quarto Cal. Martij à suis aduersariis transmissa, aliquãdiu portu prohibuerunt. Ceterùm, exiguo interstitio, qui eis deuehebantur, in Darsenam descensione facta, clientum atque amicorum patrocinio, portam, vulgò Campi, & finitimas turres, occuparunt; eoque successu ferociores, & in portum vsque Aurianum excurrentes, illinc summa vi atque impetu hostem propulsarunt: quo quidem tempore cùm Ioannes Fliscus, Caroli filius, aduersæ partis vel præcipuus propugnator, à Saluagis, tunc armis ac bellatore egregiè circumseptis, & neutrarum partium, frustrà auxilium ac suppetias implorasset, iuxtaque conspiceret, inter eiusdem factionis duces, haud modicam animorum distractionem esse, ne seipsum in aliquod præruptum atque anceps periculum cõiiceret, quamprimùm vrbe digressus est. Huius discessu, & Saluagis opem omninò detrectantibus, Guelfi extemplò sic animis concidêre, vt sibi suisque viribus ac potentiæ supramodum diffisi, & quæque aduersa ominantes, Reipub. administrationem semper hactenus à se in perplexis dubiisque temporibus, ac etiã periculosissimis bellis intrepidè constanterque defensam & conseruatam, suis capitalibus aduersariis vrbem, non citra maximum illius, propter euitatas cædes, beneficium, deseruerint. Hi verò, simulac sese liberum & absolutum Reip. imperium adeptos intellexerunt, haud imprudenter speculati, neminem celerius opprimi, quàm qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis securitatem, nihil omninò in mora habuêre, quo minùs ea omnia maturè ac sedulò prospicerent, quæ seipsos in hoc supremi honoris fastigio quàm firmissimè constabilirent. In primis autem publico edicto sanxêre, vt quilibet suis penatibus ac fortunis redderetur: Ad hæc, vt regius legatus, persoluto illi prius debito stipendio, vnà cum sua familia & comitatu saluus atque incolumis aliò commigraret. Præterea sept. Idus Martij Galeotus Spinula, & Raphael Auria, regni Siculi summus maritimarum rerum Præfectus, quem vulgò Almirotem vocant, Reipub. moderatores, quorum præfectura dumtaxat bimestri spatio termina-

Guelfi cedũt. Gibellinis.

minaretur, Ancianisque ciuibus, ac populi Abbate, ceu collegis & fidis coadiutoribus sibi adiunctis, designati, ac publico Senatus consulto decretum fuit, vt Resp. in posterum, Prætoris, Præfectorum, Abbatis, & Ancianorum ciuium consilio atque auctoritate administraretur: statimque Becarius Becaria ciuis Papiensis, iurisconsultus, & equestris ordinis ac dignitatis, Præses renunciatus, eaq. ratione ciuitas in manus ac potestatem Gibellinorum deuenit, & pleriq. ex primoribus populi, antea Guelfi nominis fautores, contraria studia secuti sunt: paucorumque dierum interiectu, omnes arces ac propugnacula Liguſticæ ditionis, præter Monœcum, ab ipsis recepta. In hoc rerum tractu, bellum Tarraconense, quod paulò antea consopitum & maiori ex parte suppressum videbatur, denuò exarsit. Igitur Patres non ignari, minimè cunctatione opus, vbi pernicior sit quies, haud cunctanter primò septem triremes, ductu filij Eduardi Auriæ, cuius quidem nomen apud veteres Annales non extat, omnibus bellicis apparatibus aduersus eam gentem instrui ac emitti iusserunt. isque duas hostiles triremes, & quædã alia nauigia intercepit: deinde paucis interpositis diebus, duodetriginta rostratæ naues sub eiusdem Eduardi Auriæ, viri & bellicis operibus & ciuilibus artibus ea tempestate clarissimi, præfectura atque auspiciis eductæ. Qui è sinu Liguſtico in Panhormi portum præteruectus, duas Tarraconensium onerarias cepit, & flammis absumpsit: moxque descensione in continentem facta, ipsis tantum formidinis ac terroris incussit, vt nemo illorum ex sua statione prodire auderet. Ceterùm, initio proximi anni, iisdem Præfectis indutiæ inter regem Aragonium ac Balearium transactę, ac postmodum mense Septembri pax vtrimque firmata. Interim Guelfi, tametsi, nouercante fortuna, à Reip. administratione atque imperio excidissent, nihilominus tamen resumptis animis, & occasionum haud segnes, cum aliquot nauigiis probè exornatis, Liguſticæ oræ tractum variis populationibus & rapinis inquietare, omniaque hostiliter moliri, breuique pòst, Monœci, quem locum adhuc in sua potestate retinuerant, cum decem triremibus optimè præparatis, eò tandem fiduciæ progressi sunt, vt etiam Genuensi portui, non absque summo totius propè vrbis metu ac periculo, imminerẽt. Quare ad illorum impetus & audaciam cohibendam, S.C. decem triremes, ac totidem pro illarum nauium, quæ variis multique pretij mercibus onustæ, in Græciam & Syriam adnauigabant, securitate, instructæ ac expeditæ, simulque mense Maio sub diuersis ducibus ac trierarchis emissæ. At ipsi, dum Genuæ de apparatibus agitur, per mare Tyrrhenum ac Siculum excursione facta, non exiguis detrimentis aduersam partem affecerunt: breuique post, iterum in oram littoralem delati, Sextrum, Liguriæ municipium, tenui præsidio custoditum, facili negotio occuparunt. Quo sanè factum est, vt Genuæ actutum præter superiorem classem, quatuordecim triremes, & circiter quadraginta egregiè instructa varij generis nauigia, duce Napolione Spinula, Galeoti filio, iuuene impigro ac strenuo, expedirentur, eo tamen successu, vt hoste præmetu relictis scalis, & nonnullis qui eodem fermè tempore in terram descensionem fecerant, sese Monœcum recipientibus, Præfectus haud multo pòst, classem in Genuensem portum reduxerit. Inter hæc, Spinularum nauis negotiatoria à duabus hostilibus intercepta fuit, eiusque scriba & Præfecto contrucidatis, Neapolim deducta, ipsique remiges, persoluto pretio, dimissi. Subsecuti anni principio, habito Senatu, oct. Cal. Aprilis publica suffragatione decretum fuit, vt præfecti, quorum proximè mentionem fecimus, vsque in finem Octobris in suo munere, ceu protectores vrbis, persisterẽt, & mox

Bellum in Tarraconẽs. instauratũ.

1336.

1337.

in trien-

in triennium Reip. præessent, simulque delegatum, seu vicarium, cui esset legũ peritia, sine vllo Prætore haberent, deque illorum voluntate atque consensu, populi Abbates crearentur. Cæterùm, proscripti ac extorres, turbidis rebus intrepidi, & ad omnem occasionem intenti, circa hæc tempora, noua classe, nempè duarum ac viginti triremium, instructa, iterum iuxta portum delati sunt; nemineque obstante, cùm nondum Genuæ res naualis in procinctu atque ad manus foret, plurima incommoda & detrimenta, plerisque in locis, Ligustico nomini atque imperio subiectis, intulerunt: & præter cetera, Moncœcum reuersi, duas Venetas naues eximij roboris ac magnitudinis, quæ multis atque opulentis mercimoniis refertæ, ex Gallia Belgica redierant, occuparunt: eaque de causa parum omninò abfuit, quin repentè violatis temeratisque indutiis, acerrimum bellum inter vtramque gentem, initio ab ipsis Venetis orto, recrudesceret. Quippè, cùm post exiguum interuallum, Franciscus Marinus cum decem nauigiis, quibus in Peloponnesum adnauigarat, totidem Venetis fortè occurrisset, horum præfectus Marino per myoparonem significari iussit, vt, demissis velis, secum in colloquiũ atque congressum veniret. Quem cùm ipse abnueret, ac diceret, neque sibi, neq. Reip. Genuens. quicquam negotij cum Venetis in præsentiarum esse: Venetus, hoc responso tradito, statim per internuncios illi bellum indixit, adeò vt, nulla mora interposita, sese mutuis armis impeterent, & multo vtriusque partis sanguine, cum pari robore ac nauigiorum numero inuicem confligerent, inter ipsos dimicatum, donec tandem compluribus Vtrinque desideratis, necnon sex Venetis triremibus captis, fortuna à partibus Genuensium staret. At postquam Venetus Senatus totam causam sigillatim ac plenè intellexisset, licet haud mediocri detrimento affectus, nihil sanè vlterius contra Ligures attentauit, eoque factum est, vt pax, eo quidem tempore, ab vtrisque populis inuiolata atque illæsa perdurarit. Exitu anni, Lombardus Spinula Voltagij castrum occupauit: eodemque tempore Fridericus Siciliæ Rex, non absque ingenti eorum Genuensium, qui ea tempestate vrbanis rebus cum imperio præsidebant, dolore atque mœstitia, quam etiam lugubri veste aliquandiu testati sunt, ex hac vita decessit. Interea temporis, inter Galliæ ac Britanniæ reges, crudelissimum bellum vigebat, eaque de causa proximo anno Genuæ in gratiam regis Galliarum viginti triremes, quarum opera aduersus Anglos in mari Oceano vteretur; Antonij Auriæ auspiciis eductæ. Vbi verò, iam bellis aliqua ex parte sedatis atque compositis, milites exautorandi ac dimittendi essent, inter ipsum Præfectum ac trierarchos, quorum plerique amplis familiis orti erant, & illarum gubernatores ac remiges, stipendiorum causa, vt interdum fieri consueuit, ingens controuersia exorta est: & discordia eò vsque creuit, vt socij nuales, ipsas triremes in suam potestatem redigerent, & quidam Petrus Capurrus nauta, Vulturij genitus, circiter quindecim naucleris sibi associatis, regem adiit; apud quem de classis præfecto, ceterisque trierarchis grauissimè conquestus est. Ceterùm Rex, in nobilium gratiam propensus, illũ statim, indicta causa, vnà cum suis in vincula conijci iussit. Quod vt primùm fama innotuit, nonnulli ex turmis naualibus eueſtigiò in oram Liguſticam præteruecti, longè lateque diuulgarunt, in ipsum Capurrum, & socios, turpi ac ignominiosa nece animaduersum. Etsi verò paucis pòst diebus rem longè aliter se habere compertum fuerit, eosque pristinæ libertati restitutos, planè intelligeretur, nihilominus indigenæ acerrimum odium in ipsos patricios concepêre, adeò vt nautæ Sauonenses, cùm ex Belgio in patriam redirent, nobilium iniurias veriti, complures accolas Vulturij, Pociferæ vallis, & Bisamnis

Franciscus Marinus victor cõtrà Venetos.

Friderici Cæsaris interitus.

1338.

1339.

sibi

ſibi aggregarent, ſimulque Sauonæ in ædem Dominico ſacratam conuenientes, de militari delectu habendo conſilia & rationes iniuerint. Huius rei fama ſimulac in vrbem perlata eſt, vt naſcenti incendio maturè occurreretur, S. C. Eduardus Auria, vir domi militiæque clarus, Sauonam ablegatus fuit; eiuſque tantum abeſt, vt publico nomine vlla ratio haberetur, vt etiam ingraueſcente tumultu, ſeſe quamprimùm in turrim prætorij ſubducere cogeretur, eoque tandem res deducta, vt ceteris popularibus coadiutoribus illinc rectore expulſo, nouum ſtatum popularem introducerent: eiuſque peſtiferi ac exitialis veneni vis atque contagium non modò Sauonenſes, at etiam breui pòſt, Genuam ipſam tabifica labe infecit. Quippè cùm tempus appropinquaſſet, quo, de more & conſuetudine iam longo vſu recepta, nouũ populi Abbatẽ deſignari oporteret, extemplò Reſp. feralibus nouarum ſeditionum procellis atrociter agitari incepit. Nam eo die, quo de communi Patrum ſuffragatione is Magiſtratus renuntiari conſueuerat, complures trium Vallium incolæ ac municipes, vrbem, haud paucis ex plebe, in loco huic electioni aſſignato, ſeſe agglomerantibus, ingreſſi clamitabant, ſe minimè paſſuros, vt deinceps Præfectis vllo modo ſui Abbatis creandi poteſtas permitteretur, ita vt, flagrantiore vi addita, ſimulque aucta ſeditione, viginti homines plebei deſignarentur, qui in atrium, vbi ſuffragia dari ſolebant, introeuntes, foris à pleriſque popularium partium ciuibus, & circumfuſa multitudine, quæ illuc paſſim confluxerat, eo animo, vt rei ſucceſſum inſpiceret, ſuſpenſis animis expectabantur. Verumenimuerò cùm propter diſcrepantes ſententias eorũ quibus ius eligendi erat, cunctatio nimis longa & moleſta videretur, quidam auri fuſilis textor, vir ſimplicis quodammodò ingenij, publicè dixit, haud quaquam ſe ignorare, quiſnam huic muneri quàm maximè idoneus foret, quiſue ceteris omnibus meritò præferri debuiſſet. Cumq. ab his, qui proximè aſtiterant, obnixè rogaretur, vt liberè quod animo ſentiret, enũciaret; ipſe confeſtim Simonem Buccanigram, tunc ibi præſentem, Abbatem nominauit: cuius quidem verbis vix credibile memoratu eſt, quanto applauſu ab ipſo vulgo adſenſum fuerit, & mox à pleriſque Buccanigræ dextera apprehenſa, eius nomen ſublatis vocibus ingeminatum, ſic ſanè, vt qui intus erant, ab huiuſmodi rumore non parum excitati, eiuſque cauſæ ignari, illinc trepidè digreſſi, ac plebis decreto animaduerſo, in eius ſententiam, manibus, pedibuſque deſcenderẽt. Igitur Simonem ab ipſa multitudine, vti moris erat, enſe tradito, ac in ſellam Præfectorum perducto, necnon ipſorum lateri aſſidere iuſſo, illum, ceu Abbatem ſalutauerunt; ipſeque vti erat ſollers ingenij, & principatus appetens, præſentem occaſionem haudquaquam aſpernatus, indicto ſilentio, in hunc modum exorſus eſt.

Simonis Buccanigræ oratio.

Quòd me, præſtantiſſimi ciues, compluribus aliis in hac celeberrima Repub. opibus potentiaque florentibus, præteritis, patriæ charitate impulſi, optimaq; de me exiſtimatione habita, vltrò ad hunc honorem extuleritis; equidem vobis pro hac ſingulari veſtra humanitate atque animi propenſione, immortales gratias ago, ſimulque hoc nomine me plurimum debere, ingenuè fateor & agnoſco. Ceterùm oro, atque obteſtor, vt, quò in poſterum arctiori beneficio ſim vobis deuinctus, iudicij veſtri documẽta aliquo illuſtri teſtimonio magis clara & conſpicua reddatis. Nam licet ipſe, in hoc iamdiu receptę dignitatis gradu, iure ac meritò acquieſcere poſſim, ac debeam; vos tamen oratos velim, vt hanc rem cum veſtris animis paulò penitiùs introſpiciatis. Siquidem, propter huius Reip., iuxtaque meæ familiæ, quæ minimè hactenus in obſcuro verſata eſt, ſed maioribus etiam ornamentis atque muneribus adaucta fuit, amplitudinem, proculdubiò

expedire

expedire intelligetis, vt hoc nomen Abbatis deinceps aliquo insigniori titulo splendescat: eoque si quis vestrum fortassis me indignũ existimauerit, facilè assentiar, vt in quempiam alium, fide, consilio ac virtute conspicuum, transferatur. Is enim semper fuit animi mei sensus, eaque natura & consuetudo, vt patriæ decus & incrementum priuatis commodis lubentissimè anteponam: nihilque mihi magnificum & glorioſum arbitrabor, quod non idem cum Reip. salute ac vtilitate connexum atque coniunctum fuerit. Vix autem hæc absoluerat, cùm se gladium de more sibi traditum, ipsis moderatoribus dedita opera velle restituere simulauit: quo statim à feruenti atque incõstanti plebe animaduerso, interpellata eius oratione, denuò magnus strepitus ac rumor excitatus est, cum ingenti applausu ac vociferatione, qua vnanimi consensu passim exclamabant, Reip. administrationem in ipsum conferendam esse: cumque is, dominandi auidus, principem locum summoperè ambiret, illicò respondit, se, postquam eo animo essent vt ipse vnà cum præfectis summæ rei præficeretur, minimè huic negotio refragaturum. At plebs subinde in illius laudem & dignitatem profusa, iterum ingeminatis vocibus, id vnum in primis contendebat, vt nempè, non solùm ciuitatis dominus foret, sed etiam vt Dux ac Princeps omnium suffragio renunciaretur: statimque illum ingenti applausu & fausta acclamatione humeris sublatum, eiusque nomine per vrbis compita & regiones crebrius ingeminato, ad eius ædes perduxerunt. Hic repentinus casus in vniuersa ciuitate haud mediocres turbas concitauit: Nam Rectoribus confestim, nec citra summum vitæ periculum, sese domum recipientibus, indies maiores motus fiebant, nec facilè sedati essent, nisi à nouo Principe per vrbem obequitante, opportunum remedium adhibitum fuisset. Is enim, vt non minori sollertia & industria munus suum aggrederetur, quàm vt ad illud perueniret, antea vsus fuerat, cùm nonnulli, Saluagorum ædes adorti essent vt eas diriperent, ipse quamprimum de hoc scelere commonefactus, versus illas perrexit, & in itinere, cuidam ex sociis redeunti, prædaque onusto, fortè obuiam factus, illum protinus apprehendi, & capite multari iussit. Quo quidé exemplo vniuersorum animos ita percelluit, vt vel potissimum causa extiterit, qua breui pòst singuli arma deponerét, & quisque ad suum officium rediret. ipsisq. Præfectis supremo magistratu abeuntibus, atque vrbe digressis, mox ad nouum Principem designandum, & Reip. statum corrigendum, animi cogitationes adiecerunt. Igitur proxima luce vniuerso populo in ædem Laurentio dicatam conueniente, de vnanimi consensu ei, sollemni pompa, Ducale sceptrum aliaque Principis ornamenta publicè tradiderunt. Simon, vbi primum supremam potestatem adeptus est, nulla mora interposita, nobiles, præsertim verò illos quorum studia in Guelfos erant propensiora, maiori ex parte albo senatorio erasos, ab omnibus publicis muneribus & dignitatibus abdicauit, atque proscripsit. Ad hæc, nonnullos è Spinularum atque Auriarum familia, quorum opes & auctoritas sibi magis suspecta & inuisa erat, exilio damnauit. Denique, vt plebem sibi magis deuinciret, libros, in quibus publici reditus continebantur, protinus aboleri, atque incendi iussit, adeò vt Resp. omnibus patriciis quodammodo exuta, suisque veteribus institutis atque ordinibus orbata, honestæ cuiusdam tyrannidis speciem referret. huiusque rei memoriam anniuersario sacro, ac dono aurei paludamenti in ædem Augustino sacram delati, publico decreto recoli atque ornari placuit. quod sacrum perpetuo, & numquam interrupto tenore vsurpatum, ad nostra vsque tempora productum videmus. Reip. statu hac, qua diximus, ratione composito ac firmato, simulque

Simon Bucanigra primus Dux ac Princeps Genuens.

Franciſco Nigro Volaterrano iuriſconſulto, Prætore deſignato, quam primùm ad vniuerſarum arcium & propugnaculorum Liguſtici agri recuperationem ſua conſilia direxit, quæ ſanè omnia, excepto Monœco, cum ſingulari ſui nominis gloria, nec minori patriæ emolumento, in ſuam poteſtatem redegit. His rebus ita peractis, confeſtim ſeſe ad quorundam licentioſorum hominum audaciam reprimendam conuertit, qui Ribellum Grimaldum adorti erant, eo quidem prætextu, vt dicerent, ab eius maioribus olim Lanfrancum Buccanigram & Guliel-mi fratrem, patruum ſuum, fuiſſe interfectum: iſque ſtatim ipſius Principis iuſſu ac mandato ab illorum manibus abreptus fuit, atque omni periculo exemptus. Etſi verò interim non deeſſent plerique ordinis patricij, qui ſecretò in eius perniciem ac exitium conſpirarent; tanta nihilominus fuit eius vigilantia & induſtria, vt, cõpoſitis inſidiis omnibusq. periculis fato atq. prudentia euitatis, ſeſe indies in principatu magis atq. magis conſtabiliret. Primus verò qui eius vitæ inſidiatus, baliſta illum interficere conſtituerat, fuit quidã è familia Voltorum, nunc Cataneorum, à primario quodam ciue (nomen apud ſcriptores in incerto eſt) impulſus. Ceterùm, ea conſpiratione detecta, ipſeque decimo quarto Cal. Ianuarij captus, poſtera die ante ædes Prætoris, cui nomen fuit Franciſcus Niger, etiam Volaterranus, capite pœnas perſoluit. Inſequenti anno ac Non. Sept. detecta eſt alia 1340. coniuratio, in qua, præter cæteros, fuerunt etiam duo præcipuæ nobilitatis, qui Gibellinas partes ſecuti, cum pleriſque armatis medio ferè noctis ſilentio publicum palatium adoriri ſtatuerant; hiſque cum profugis ac extorribus ſimul conuenerant, vt ſibi eodem tempore maturo ſubſidio aduenirent. Verùm, cùm ipſi in quodam ſtabulo vbi delituerant, deprehenſi eſſent, vnà cum duobus aliis præcipuis auctoribus eodem ſupplicij genere multati fuerunt. Dum res ita domi geruntur, in his locis, quæ ad Orientem vergunt, Saraceni, ſub regis Marocci, qui dictus fuit Boniacob, imperio, indies ſuam potentiam, cum maximo Chriſtiani orbis detrimento, longè lateque proferebant, & præter ceteras clades noſtris inflictas, quatuordecim onerarias, & octo ac viginti triremes Chriſtianorum, inter quas fuit etiam quædam Liguſtica, quæ ad Cæſarianos pertinebat, interceperunt. Proinde ad illorum ingentes auſus atque conatus, aliqua ex parte inhibendos, principis auctoritate ac Senatus decreto, ſub Simonis quarti, popularium partiũ ſtudioſi, auſpiciis eductæ: iſque ſecunda nauigatione Peram delatus, cùm Zarabim, Sinopis regulum, cum duodecim roſtratis & duobus aliis nauigiis, in Ponto Euxino Chriſtianorum res mirum in modum diuexare, pro certo intelleXiſſet, ipſe confeſtim ad eum contendit, locoque ab omnibus inſidiis ac periculis remoto, in eius colloquium admiſſus, tandem ſic ab eo diſceſſit, vt ex eius verbis ac promiſſis firmiter crederet, illum, prout ſe facturum receperat, ſeque, adhibito etiam iuramento, obſtrinxerat, Liguſticis rebus nihil prorſus incommodi ac detrimenti in poſterum illaturum eſſe. Itaque Pontum Euxinum emenſus, Capham, olim Theodoſiam, vbi Ligures varia mercimonia exercebant, incolumis peruenit, indeque, propter publica negotia, Trapezuntem, vetuſtam admodũ ciuitatem, à Græcis in extremo Ponticæ oræ conditam, duos Legatos cum duabus triremibus amandauit. Interea Sinopis regulus, ſumma perfidia, iuxta illius gentis morẽ & conſuetudinẽ, vſus, reliquarum Liguſticarum triremiũ reditũ eo cõſilio præſtolabatur, vt illas ſub fide tradita aliquo modo ſui iuris ac poteſtatis faceret. Id verò, ſimulatq. à Genuẽſi prefecto haud obſcuris indiciis ac teſtimoniis reſcitum eſt, cũ maxima leuiſſimi iuxtà & crudeliſſimi hominis perfidię, qua, ſicuti antea recenſuimus, in Ligures vſus fuerat, vlciſcẽdæ cupidine inardeſceret, ad illum

Chriſtianorum clades à Mauris inflicta.

illum enauigauit, ea quidē fiduciæ dissimulatione, vt nihil minus quàm de illius fide ac beneuolentia quicquam omninò addubitare videretur. Et quoniā ab exploratoribus didicerat, hostem contra se cum decem triremibus egressum, illis, quas tunc temporis apud se habebat, viginti nauigia Caphæ summa festinatione sub alia specie instructa, adiunxit: breuique aduersariæ classi obuiam factus, acieque militariter disposita, & suos cohortatus, in eum protinus intendit, ac intrepidè fortiterque conflixit, eo quidem successu, vt breui capta hostili classe, præclaram atque insignem victoriam reportaret: ac deinde, vt patriæ illatum dedecus & contumeliam vindicaret, quam plurimos eorum fœda & ignominiosa morte necari iussit. Initio proximi anni, cùm inter Alphonsum decimum Castiliæ, ac Libyæ reges, dirum & periculosum bellum gereretur, in quo Hispana classis, pleriſque triremibus aliisque nauigiis amissis, magnam cladem acceperat, Alphonsus rex Genuam legatos misit, quibus apud Principem ac Senatum valdè instabat, vt sibi, oblato stipendio ac mercede, auxiliares copias & nouum nauigiorum supplementum conducere liceret, eaque de causa, vt regi gratificarentur, viginti triremes omni bellico apparatu instructæ, subque Ægidij Buccanigræ fratris ipsius Ducis, viri manu prompti ac exerciti militiæ, præfectura & imperio traditæ atque concessæ fuerunt, quibus in Hispaniam prosperis ventis delatus, & cum Mauritanis acri certamine congressus, illorum florentissimas opes fregit atque imminuit, eosque variis temporibus maximis cladibus affecit, adeò, me herclè, vt Alphonsus egregiam illius virtutem atque animi magnitudinem admiratus, quò eum sibi magis magisque deuinciret, simulque apud eum de se, suoque regno quàm optimè meritum, grati ac memoris animi testimonium extaret, eum insigni Halmirotis titulo & perampli Comitatus, vulgò Palmæ, inter Cordubam & Hispalim siti, dono remunerarit. Et licet postmodum ob mutua dissidia & grauissimas altercationes, inter Petrum & Henricum Alphonsi liberos concitatas, Ægidius, eò quòd ipsi Henrico, causæ æquitate superiori, adhæsisset, anno eiusdem æui septimo ac sexagesimo, Petri, viri supra modum crudelis ac ferocis, iussu in vrbe Hispali immerita nece affectus fuerit, illius tamen posteri in Hispania eam ditionem ad nostra vsque tempora possident, gentile Buccanigrarum nomen retinentes, interque Hispaniæ Principes numerati, nobili titulo eius Comitatus insignes. Tali rerū statu, Georgius Carrettus, Finarij regulus, Buccanigræ longè infensissimus, pleriſque regulis finitimis sibi fœderis iure associatis, Albingaunū, interioris Liguriæ municipium, arctissima obsidione premebat, eoque factum est, vt Principis ac Patrum communibus suffragiis, classis, supplemento etiam facto ex nonnullis nauigiis eorum quæ post bellum Mauritanum feliciter gestum in vrbem reducta fuerant, præparata atque instructa, & duce Ioanne Mario in subsidium oppidanorum, additis etiam terrestribus copiis, transmissa. Ceterùm, hostis tot tantisque apparatibus haud mediocriter deterritus, cū Ligures numero ac viribus potiores animaduerteret, legatos, qui apud Principem ac Senatum de pace transigerent, Genuam destinauit. At Princeps, vt illum in sua potestate haberet, mira astutia & calliditate cum oratoribus egit, vt ipsemet Marchio Genuam profectus, coràm de pacis conditionibus transigeret: easque sua præsentia multò æquiores futuras asseuerabat. Quorum persuasionibus inductus, publica fide prius impetrata, sub finem Augusti mensis ad vrbem perrexit: tantaq. fuit vniuersæ plebis in ipsum Principem propensio & obseruantia, simulque aduersus prædictum Marchionem odium & indignatio, vt dum is, descensione facta, ad prætorium con-

Egregium stratagema.

Genuensium victoria aduersus Sinapis regulum Duce Simone Quarto.

1341.

Aegidius Buccanigra Hispaniæ classis præfectus.

Eiusdem aduersus Mauritanos victoria.

Buccanigrarum familia adhuc perseuerat in Hispaniis, & in magno pretio habetur.

tenderet, plerique, sublatis clamoribus, dicerent, minimè illi vitam condonandam, qui Remp. hostilibus armis infestasset; adeò vt mox Principis iussu apprehensus fuerit, eique octo apparitores additi, & paucis pòst diebus in teterrimum carcerem, cui nomen Grimalda, perductus. Et quia sperabat se, illius opera, pleraque oppida & arces Occidui littoris, quas sibi aduersarij vsurparant, recepturum, breui pòst illinc in alium longè deteriorem carcerem, vulgò Malpagam, traduci, eumque in cauea lignea recludi, & tam diu detineri imperauit, donec sibi Finarium, Varigotum, & Aceruum, cum reliquis locis suæ ditionis, simulque oppida & arces aliquot nobilium Linguiliæ familiæ ac ceterorum qui vnà cum Carretto aduersus Albingaunos arma expediuerant, traderentur; eaque omnia nomine Reipub. statim recuperata, & modico temporis interuallo, præter Monœcum & Albintimilium, totius oræ maritimæ tractus iterum Ligustico
1342. imperio cessit. Ceterùm, anno eius æui secundo & quadragesimo; Genuæ sub eodem Principatu, ac Busseni Eugubij, peruetusta Vmbriæ ciuitate orti, prætura, vndecim triremes, (quis autem illis præfuerit, ex Annalibus non constat) Hispaniam versus delatæ sunt: & cùm fortè illarum Præfectus in nouem onerarias, ex illarum numero quas vulgò Galeatias appellant, & tres rostratas naues Mauritani regis, cui nomẽ erat Boniacob, qui cum maximis terrestribus ac maritimis copiis Hispaniam ea tempestate mirum in modum diuexabat, in loco ab indigenis Bellenoce nuncupato, incidisset, statim illas summo impetu adortus, post longum atque atrox certamen profligauit, & mox descensione facta, terrestrem exercitum inuasit, eo quidem euentu, vt de hoste præclaram ac singularem victoriam retulerit: multaque præda & gloria onustus, Genuam reuersus est: vbi propter rem feliciter gestam, cum multo gratantium concursu actæ superis grates, & publici gaudij haud leuia signa passim edita fuerunt. Hoc itidem anno, cùm nobiles profugi ac incertis sedibus vagantes, subinde in Rempub. aliquid noui molirentur, tota vallis Onelia, in quam plerumque sese recipere consueuerant, Auriis potissimùm intimos quosque ac præcipuos amicorum ad defectionem solicitantibus, ab ea desciuit. Quæ vbi Genuæ cognita, Princeps ac Senatus nihil prius atque antiquius habuêre, quàm vt illorum conatus maturè coërcerentur. Igitur, coacto exercitu, Prætor mense Augusto aduersus contumaces ac rebelles amandatus: ad cuius aduentum ipsi animo consternati, ea valle ac eius munitionibus relictis, sese in finitima loca subduxerunt, adeò, vt breui pòst vniuersi ad pristinam fidem atque obsequium redirent. Et quoniam Antonius Auria primarius defectionis auctor & concitor extiterat, Genuæ omnia ipsius bona proscripta, & publico fisco ac ærario adiu-
1343. dicata fuerunt. Postero anno Resp. fuit sub eodẽ Principe, & Friderici Andreæ, Castro Tusciæ municipio oriundi, præfectura; quo quidem tempore Ligures, ac etiam Veneti, à Scytharum Imperatore in vrbe Tanai ad ostium fluminis eiusdem nominis sita, plurimis & grauissimis incommodis atq. iniuriis affecti sunt, adeò vt omnibus bonis exuti ex ea regione expellerentur. Per idem temporis spatium non solùm Genuæ, sed etiam in multis locis Liguscæ ditionis multæ ac variæ proditiones detectæ, quarum præcipui auctores deprehensi, commeri-
1344. tis suppliciis pœnas luerunt. Initio subsecuti veris, Marcius Lucianus è Grimalda familia, qui vnà cum ceteris Reipub. aduersariis Monœcum possidebat, cum triremi egregiè instructa, piraticam exercẽs, onerariam Danielis Cibo, quæ multis & magnis mercibus onusta, è Gallia Belgica redibat, occupauit, earumq. pretium vltra septuaginta librarum millia æstimatum: pariq. successu, haud multò pòst,

Genuensium aduersus Mauritanos victoria.

Ligures ac Veneti à Scytharum rege grauissimis damnis affecti.

tò pòst, alterius cuiusdam nobilis Marini Liburnicam, quæ supra quindecim millia librarum æstimabatur, intercepit. Inter hæc, Scytharum rex cum ingenti exercitu ad vrbis Theodosiæ, sitæ in Euxini ora, & Genuensiũ coloniæ, obsidionem profectus est, eamque plurimis bellicis tormentis ac æneis machinis adortus, arctissima obsidione pressit. Ceterùm, oppidani, post diutinam atque acerrimam defensionem, cùm tandem desperatis auxiliis, & ad extremum redacti, nullum propugnationi locum sibi vlterius relinqui animaduerterent, liberationem ac salutem in sola virtute & brachiis reponentes, sub occulto noctis eruptione facta, hostem tunc palantem, & inopinatò aggressi, ac vno eodemq. tempore tedis ac facibus, quas secum gestabant, incensis machinis, in eos impressionem fecerunt, eo quidem successu, vt licet non absque suorum cæde, circiter quinque millibus contrucidatis, & quamplurimis secum in captiuitatem abductis, omnia illorum castra dissipauerint, sic vt Barbari hac clade perculsi, & quia tempus anni bellis gerendis aduersabatur, ab ea expeditione quamprimùm recedere coacti fuerint; eorumque rex, suum legatum, Torim nomine, Genuam misit, qui certis quibusdam conditionibus cum Senatu paciscereturi simulque ablatarum facultatum restitutionem, seque illata incommoda & detrimenta resarciturum pollicebatur. Verùm, haud multò pòst, pace temerata, summaque perfidia vsus, Genuensibus iterum sua bona & fortunas ademit, ac etiam complures eorum barbarica immanitate trucidauit, ita vt, subducta ratione, præter suorum miserandam necem, amplius ducentorum millium librarum iacturam fecerit. At Genuæ interim, S. C. sex triremes aduersus perduelles ac piratas instructæ, quarum imperium Hugolino Guisolfo demandatum, iussuque Præfecti tres in plagam Orientalem, ac totidem Moncœcum versus adnauigarunt, quæ vnam ex hostilibus triremibus captam, illam cum omnibus armamentis (nam remiges, ac ceteri, qui ea deuehebantur, post acrem pugnam, sese mari committentes, nando incolumes ad littus peruenêre) Genuam perduxerunt. Eodem temporum tractu, cùm patricij extorres, quorum præcipui erant Grimaldi, Spinulæ, Auriæ, ac Fliſci, popularem statum diutiùs ferre ac tolerare nequirent, omnes simul coniunctis animis associatisque viribus, in Buccanigræ perniciem ac exitium coniurauêre; breuique, haud mediocribus equitum ac peditum auxiliis comparatis, mœnibus castra admouerunt, eo animi decreto, vt illam expugnarent. At Princeps, quò maturè sibi prospiceret, statim omnes populi Connestabiles (sic enim ea tempestate Decuriones vocabantur) ad se accersiri iussit, quibus, & aduersariorum conatus, & quibus viribus ac potentia inniterẽtur, ostendit, ac, præter cetera, subiunxit, quòd cùm non minùs de sua, quàm de vniuersæ vrbis salute ac dignitate ageretur, secum diligenter cum suis animis reuoluerent, atque perpenderent, quídnam in primis sibi agendum esset, seque ab eorum sententia ne latum quidem vnguem, quod aiunt, discessurum. Horum potior & maior pars, ad euitandos grauissimos tumultus & calamitates, quæ tum ab hoste imminere videbãtur, censuit, vt ipse cum his nobilibus qui adhuc erant in vrbe, certis quibusdam formulis ac legibus transigeret, & de ipsius consensu quatuor ex eorum numero cum plena potestate electi ac designati, qui vnà cum ipso Principe de summa pacis agerent: breuique factum est, vt lenitis, conciliatisque animis, ad mutuam vnionem & concordiam redierint, ea quidem in primis condicione, vt ipsis nobilibus, restitutis bonis, in patriam remigrandi potestas fieret. Præterea, de Senatus consulto sancitum fuit, vt Principi in sua administratione atque regimine, duodecim ciues æquali isonomia inter vtrumque

Theodosia à Scytharum rege obsessa.

ordinem distributi, qui auctoritate & prudentia conspicui essent, ceu consiliarij ac indiuulsi comites adhiberentur; & hoc pacto exorti motus magna ex parte sedati, tametsi hostilis exercitus adhuc in circumuicinis locis subsisteret. Verùm, paucis pòst diebus, nati ex nobili familia, hoc prospero successu elatiores facti, subinde nouis turbis ac molestiis Remp. diuexarunt, adeò vt Ducales ministri ac Procuratores, ab his, qui Clauarum & Rapallum incolebant, illinc expellerentur, simulque per idem tempus, ipsi suum exercitũ denuò vrbis mœnibus admouerũt, præcipuis eorum enixè contendẽtibus, vt Buccanigra supremo magistratu deturbaretur. nec vlla ratione arma summittere, atque illinc recedere statuerant, nisi prius ipse suũ militem exautorasset. His conditionibus cùm suam dignitatem haud parùm imminui ac eleuari cõspiceret, omnibus rationibus aduersatus est: totusq. anxius atq. consilij expers, illos, quorum fidei ac beneuolentiæ plurimùm tribuebat, consulere, vt quid sibi potissimùm in tanta animi perplexitate facto opus esset, non obscurè intelligeret. Tãdem suorum familiarium persuasione inflexus, septingentos præsidiarios milites, quos sibi hactenus tanquam satellites & custodes corporis adhibuerat, persoluto prius stipendio, dimisit, & decimo Cal. Ian. abdicato principatu, sese vnà cum suis fratribus ac vniuersa familia, in Squarciaficorum ædes, quorum amicitiæ haud parum fidebat, priuato similis recepit; subinde grauiter conquestus, se, propter nimiam confidentiam, à suis clientibus & amicis elusum ac deceptum: ibiq́ue haud sanè diu subsistens, cùm ab his, quorum animos non parum à se abalienarat, sibi maximoperè metueret, tacitus vrbe excedens, Pisas nauigio cõcessit. Quòd si eo tempore in tuendo Principatu tam fortis & animosus extitisset, quàm solers ac prouidus in eo adipiscendo fuerat; haud dubiè sibi maiorem laudis gloriam comparasset, neque vllum pœnitentiæ locum reliquisset. Ceterùm, suo etiam exemplo testari voluit, breuibus momentis summa verti posse, omniaq́ue vel præcipua in humanis rebus, mutationi esse obnoxia, vt appareat, quemadmodum vrbium, imperiorumq́ue, ita gentium & principum virorum nunc florere fortunam, nunc senescere, & aliquando etiam interire. Exitu anni, quindecim Christianorum triremes, quarum sex Venetorum erant, quinq. Genuensium, & reliquæ Romani Pont., duce Martino Zacharia Smyrnas inferiores ex manibus Sarracenorum abstulêre, ac per idem fermè tempus, Castellæ rex, contra Mauritanos feliciter dimicans, illos, præter ceteras clades inflictas, vrbe, cui nomen Zizera, multauit, suoq́ue imperio adiecit. Exordio subsequentis, priusquam nouus Princeps designaretur, Patrum decreto, duo patricij ordinis renuntiati sunt, qui enixè operam darent, vt nobiles, qui erant extra ciuitatem, inermes domum redirent. Ceterùm, Galeotus Spinula cohortiũ Præfectus, vbi primùm de Principis discessu certior factus est, pacis conditionibus neglectis ac violatis, vrbem adoriri statuit, primoq. impetu portam, vulgò Campi, acriter oppugnauit: quod sanè vniuersos, præsertim verò plebem, subitò ad arma concitauit. Hæc enim dirùm fremens, ac indignabunda, populi nomine sæpiùs inclamato, sese illius cœptis atque conatibus intrepidè ac fortiter opposuit, eoq́ue tandem illinc repulso, ciuitas, ob vulgi conceptam indignationem, multo maiori quàmprius, tumultu & seditione conflictabatur. nec citra plurimorum cladem atque interitum sedari vnquam potuisset, nisi mox Reipub. statu emendato, quàm maturrimè his grauissimis motibus occursum esset. Vigebat ea tempestate inter ceteros patricij ordinis, Ioannes Morta, vir eximia prudentia, reliquisq́ue animi & corporis dotibus insignis, qui propter suas egregias virtutes, nobilibus iuxtà ac popu-

Buccanigra sese abdicat Principatu.

1345.

lari-

pularibus gratus acceptuſque erat, & ab omnibus paſſim colebatur, adeò certè, vt nemo ferè eſſet in ciuitate, quin tacitis votis atque ſuffragiis, illum quouis honore, ac titulo digniſſimum cenſeret. Itaque coacto Senatu, & comitiis, vt moris eſt, habitis, de vnanimi conſenſu in æde D. Laurentij, in quam ipſi Patres conuenerãt, octauo Cal. Ian. Princeps declaratus, eiq. ſollenni cærimonia Ducale ſceptrum, ceteraque Principis decora & inſignia publicè exhibita fuerunt. Hoc Senatus decreto, ſi reliqui nobiles, qui nondum in patriam redierant, placari ac mitigari potuiſſent, facilè Reſp. ſuam priſtinam tranquillitatem atque otium cum magno ſuo beneficio recuperaſſet. Verumenimuerò cùm Spinula, qui ſeſe in ſuburbiis & conterminis montibus valido præſidio communiuerat, nunquam cum ſuis copiis ex locis finitimis receſſiſſet, nihil non turbidum, & inquietum cernebatur, adeò, me herclè, vt præter reliquos, patricij ordinis viri in multò deteriorem ſtatum & conditionem, quàm anteà, prolapſi fuerint. Quandoquidem paucos poſt dies, cùm Sauonæ denuò popularibus diſſidiis & contentionibus, omnia ſuſque deq. inuoluerentur, etiã Genuæ nouę turbæ ac motus exarsêre, qui, ob grauiſſimam ſuſpicionem à plebe conceptam in eos, qui adhuc extra vrbem degentes, nullas pacis conditiones admiſſuri videbantur, indies magis atque magis ingraueſcebant; eaque, ingenti ſeditione excitata, promiſcuè in omnes quos generis vetuſtas commendabat, ad arma conclamauit, primoque impetu in ædes Squarciaficorum facto, pleraſque illarum ferro atque incendio deuaſtauit: & mox pari furore ac veſania in eas, quæ in foro, vulgò Vinearum, ſitæ erant, graſſata. Cùm verò illius temerariis conatibus nonnulli ſupremæ nobilitatis viri ſeſe acriter oppoſuiſſent, non ſine aliqua ſuorum clade repulſi ſunt, ita mediusfidius, vt effrenis, ac tumultuoſa, per compita & ciuitatis regiones, debacchantium more, ac populi nomine, ſublato clamore, ſæpiùs ingeminato, hinc inde excurrens, omnia ſummis tumultibus ac periculis immiſceret. Princeps, vt exortum incendiũ aliqua ex parte reſtingueret, operæpretium fore duxit, vt quãprimùm omnes patricios Senatorij ordinis, qui erant in vrbe, ſua dignitate exueret: eaq. re exorti motus nonnihil ſedati, cùm præſertim ſumma vigilantia atque induſtria omnium nobilium arma conquiſita eſſent, & ab illorum manibus quodammodò extorta. Et hoc pacto Spinula, dum pacis conditiones contemnit & auerſatur, quæ maiori ex parte in hoc potiſſimùm conſiſtebant, vt ipſe cum omnibus ſuis fœderatis, milite exautorato, inermis vrbem ingrederetur: & ſibi, & ſuis omnibus extremam perniciem ac exitium peperit. Quippe, cognito inconſtantis ac ſeditioſæ plebis ingenio, multò ſatiùs extitiſſet, ſi temporibus inſeruiens, illam demulcere ac lenire, quàm nouis iniuriis irritare ac lacęſſere ſtuduiſſet. Populares interea, metu domeſtici hoſtis liberati, nihil reliqui ad ſummam diligentiam fecerunt, quo minùs etiam ſeſe ab eorum, qui euocato milite, ac trium vallium indigenarum præſidio ſuas vires adauxerant, ſuſpicione ac periculo ſubtraherent. Quocirca, omnibus rebus ad terreſtrem pugnam & rem naualem diligenter expeditis ac præparatis, confeſtim ſuos aduerſarios inuadere conſtituerunt, & decimonono Cal. Febr. de improuiſo ex omnibus partibus eruptione facta, datoque ſigno prœlij, eos acri impetu adorti ſunt: eaq. res hunc exitum habuit, vt, poſt inſignem cladem inflictam, illos ſtatim ſuburbana tecta, in quibus ſeſe præmunierant, deſerere, ac in finitimorum montium propugnacula & aggeres, cum reliquis qui ibi caſtrametati fuerant, profugere coëgerint. & vtrimque acie militari more inſtructa, omninò funeſtiſſima bella inter Guelfos & Gibellinos, tamquam poſtliminiò renouata eſſe videbantur. At

Ioannes Morta Duã Genuenſ.

populares, quibus decretum erat, numquam prorsus arma exuere, nisi prius hostem illinc profligassent, iterum paucorum dierum interiectu, eundē cum haud spernendis viribus inuaserunt: isque à suis munitionibus protectus, & loci æquitate superior, non modò aduersariorum impetum fortiter sustinuit, verùm etiam insigni victoria; licet haud sanè incruenta, cùm in eo certamine, præter alios complures, etiam Sarra Spinula strenuissimè dimicans, occubuerit; potitus est. Huius rei tam prosperè ac feliciter gestæ occasione, si victores, sicuti illis tum integrum erat, opportunè vsi essent, facili negotio vrbem in suam potestatem redegissent. Verùm, tantum abest, vt hoc ab eis attentatum fuerit, vt etiam (qua de causa equidem ignoro, diuinitùs tamen, ac singulari totius ciuitatis beneficio id euenisse, haud dubiè affirmari potest) in medio rerum bene gerendarum cursu relicta priori statione, & circumiacentibus locis, ab ea expeditione præter omnium spem recesserint, seque in sua prædia & colonias subduxerint. In hoc rerum cursu, Antonius Auria subinde cum aliquot nauigiis Albingaunum, & pleraque oræ maritimæ loca variis excursionibus ac deprædationibus infestabat; quod sanè Principis animum valdè anxium & solicitum habebat, eaque de causa vbi primùm ciuitatem, adeoque omne Ligusticum solum terrestribus copiis liberatum animaduertit, ad Aurianam audaciam & conatus inhibendos, summo studio ac celeritate nonnullas triremes præparari ac instrui iussit, in quibus validum præsidium, & præsertim sagittariorum, impositum, atque illud contra hostes eductum, ad cuius aduentum Auria non parum exterritus, cùm se viribus & manipulorum numero minus præstare animaduerteret, sese, nec citra aliquod detrimentum, in proxima loca subduxit, adeò vt maior pars Occidui littoris pristinam fidem atque officium erga Remp. resumpserit, & obsequium cum securitate, quàm contumaciam cum pernicie maluerit. Interea, licet hostis haud multò pòst, redintegratis viribus, denuò cum sua classe Ligusticæ oræ tractum diuexare inciperet, cùm tamen per idem tempus aduersus illum duodecim triremes Guiscardi Lancei Bergomo oriundi, qui eo tempore Præturam gerebat, auspiciis, Genua emitterentur; ipse protinus, omni pugnæ ansa & periculo deuitato, liberam cunctis nauigationem reliquit. Iisdem quoque diebus, opera eiusdem Præfecti, viri summa virtute reique bellicæ gloria florentis, Onelia, & Portus Mauritius recepti: breuique spatio interiecto, Auria, qui sese in Cerui castrum receperat, certis quibusdam conditionibus deditione facta, cum Principe ac Senatu in gratiam rediit. Hæc vrbana dissidia & interna prœlia, ob Reip. potentiam nominisque splendorem atque amplitudinem, totius Christiani orbis Principes, in primis verò Romanum Pont., mirum in modum commouerūt: eoque factum est, vt Patauinum Antistitem, sacri collegij purpuratum, Genuam mitteret, qui ad mensem ibi subsistens, nihil omninò prætermisit, quod quidem ad animorum redintegrationem & mutuam pacem atq. concordiam pertinere intelligeret; eaque rē res huiusmodi tandem exitum habuit, vt post inducias decimo Cal. Iulij vtrinque transactas, de mutuo consensu Luchinum Vicecomitem, Mediolanensium Principem, omnium controuersiarum iudicem atque arbitrū designarent, eiusque rei perficiendæ causa legatus Pontificius Mediolanum perrexit, & Insuber, mense Iunio sententiam tulit, cuius conditiones fuêre, vt omnes patricij ordinis, exceptis Galeoto, Gerardo, eorumque nepotibus, & Friderico è Spinula familia, nec non Carolo & Antonio Grimaldo cum suis nepotibus, & Nicolao Raphaële ac Thoma Fliſco, ceteris omnibus inquietioribus, magisque suspectis, suis laribus ac pristinis fortunis, & facultatibus restituerentur.

Bellum inter nobiles ac populares.

Sententia in dissensione inter patricios & populares Genuens. per Luchinum Mediolanēs. Principem lata.

rentur, vt Respub. in eodem statu, & gubernationis forma, vti priùs, consisteret, proque harum rerum obseruatione, Insuber sese sponsorem constituit, adeò vt, his rebus peractis, ciuiles simultates atque odia maiori ex parte conquiescerent, & soli Grimaldi, qui Monœcum, & arcem Brunam occuparant, quique ab his conditionibus pacis, vti commonstrauimus, excludebantur, nouas turbas ex illis locis excitabant, ac reliquis, qui à Senatu proscripti, huc illuc incertis sedibus vagabantur, sibi aggregatis, indies nouis contumeliis atque incommodis Rempub. inquietabant, ita vt progressu temporis, terrestribus & maritimis viribus adaucti, atque apertum bellum patriæ inferentes, tandem triginta triremium classe instructa, atque amplius nouem millibus armatorum comparatis, cum toto exercitu ad vrbem contenderint. At proximo anno, Genuæ 1346.
vbi de hostilibus consiliis innotuit, quò faciliùs atque commodiùs sese illis opponerent, de vnanimi consensu ac voluntate quatuor ciues populares designati, quorum prima & potissima cura esset, ea omnia sedulò procurare, quæ ad bellũ gerendum opportuna & necessaria forent: hisque primò nihil fuit antiquius, quàm vt rationem expediendæ pecuniæ, in qua belli neruus haud dubiè consistit, adinuenirent; quandoquidem ob sæuas atque horribiles factiones, & crudeliss. bella, quibus Resp. diu immaniter iactata fuerat, ærarium maiori ex parte exhaustum ac exinanitum erat; nec vllo modo par erat tam publico, quàm priuato ære alieno persoluendo, indeque præclarissima illa & nunquam satis laudata, Georgiani Magistratus, de quo in fine operis fusiùs differetur, inuentio, principium atque originem habuit. Proinde, nulla mora interposita, Principis auctoritate ac Senatus decretis, vndetriginta triremes armis, viris, remige ac bellicis tormentis exornatæ, ac Simon Vignosius (hæc familia, nunc mutato nomine, transiit in Francos) vir popularium partium, & per multos annos militum atque hostium gnarus, gerendæ rei præficitur. Harum verò singulæ ad ducentos milites, fermè omnes sagittarios, deuehebant. Priusquam autem nauarchus ad eam militiam sese accingeret, ac rem naualem expediret, illi à Principe in foro, vulgò D. Laurentij, magna quadam & sollenni cærimonia XI. Cal. Febr. vexillum Georgianũ traditum fuit; qui deinde rebus omnibus ritè dispositis ac præparatis, fausta omnium acclamatione è portu soluens, Monœcum versus enauigauit; de cuius aduentu perduelles certiores facti, commutato nauigationis cursu, in Galliam Narbonensem vela & remos cõuerterunt. Iisdem temporibus inter Philippũ VI. Galliæ, ac Eduardum Britanniæ reges, atrocissimum & cruentissimum bellum gerebatur, adeò vt cum Gallis triremium vsus ea tempestate sibi valdè vtilis atq. opportunus esset, simulque Genuensium in rebus militaribus virtutem ac fortitudinem optimè compertã ac exploratam haberẽt, ab illis, peramplo stipendio ac mercede oblata, suam operam requisiuerint, atque etiam obtinuerint. At Vignosius, neutiquam sibi tunc temporis vlterius progrediendum ratus, Genuam classem reduxit, eamque nondum exarmatam, haud multò pòst, mutuis Patrũ suffragiis ad eorum locorum, quæ adhuc in partibus Orientalibus Ligusticum imperium agnoscebant, defensionem ac tutelam, sub eiusdem prefecti gubernatione atque regimine mitti placuit. Is verò, cùm omnibus rebus ad tam longinquam profectionem instructus, quarto Non. Maij Terracinam, olim Anxurem, cum classe incolumis appulisset, eaque à Nicolão Fundi Comite, arctissima obsidione premeretur, oppidani, quos non latebat, inter Ligures, & ipsum Comitem, graues inimicitias fuisse, confestim Genuensis Reip. vexilla erexerunt, simulque ad Præfectum misêre, qui eius ope implorata, illi vrbem suaque omnia

Georgianus Magistratus.

Simon Vignosius Ligusticæ classis Præfectus.

Terracinenses sub Genuens. potestate.

vltrò

vltrò offerrent. Is, ſtatim deſcenſione facta, militeque in continentem expoſito, ſummo impetu hoſtem inuaſit; eoque tandem adegit, vt, ſoluta obſidione, ſeſe illinc ſubduxerit, atque ita vrbs, omni metu ac periculo erepta, Genuenſium ditioni ceſſit. Nauarchus, hac fortunæ eblandientis aura, D'. Michaelis cœnobiũ, & duas munitiones ab hoſte occupatas, facili negotio recepit. Poſt hæc, Gaetam verſus nauigatione directa, & Carilianum flumen ingreſſus, multas turres ac propugnacula diſiecit; & mox vlterius procedens, Traietum oppidum cum pleriſque aliis caſtellis minoris notæ ac nominis, vi expugnauit; & Sueſſam, vrbem Volſcorum celebrem, quam præfatus Comes, Ioannæ Apuliæ reginæ ademerat, in priſtinam libertatem reſtituit; ſimulque duas ipſius triremes, quæ prædabundæ, Liguſticæ oræ tractum inquietabant, interceptæ, in quibus, præter ceteros, quidam Genuenſ. ex ſuprema nobilitate, pirata admodum inſignis, captus eſt, qui patriam grauiſſimis incommodis affecerat: (quo nomine is appellatus fuerit, & qua familia genitus, in incerto eſt, cùm Annales vtrumque omiſerint) & deinde in ipſum in portu Neapolis, iuſſu ipſius Præfecti, extremo ſupplicio animaduerſum. Et quoniam inter ipſam Ioannam, & Ligures, nonnullæ ſimultates atque diſſidia interceſſerant, nullus claſſiarius in terram deſcendere auſus, quin etiam omnibus Genuenſibus, qui eo tempore cum Neapoli, tum in aliis partibus eius regni ſubſiſtebant, graui edicto iniunctum fuit, vt infra quadraginta dierum ſpatium quiſque illinc recederet, ac reginæ publico nomine comminationes factæ, omniaque hoſtilia indicta, niſi Albintimilium à ſe occupatũ, Reip. quamprimùm reſtitueret. His rebus non minùs properè, quàm feliciter peractis, nauarchus inchoatam nauigationem proſequutus, exiguo temporis ſpatio, proſperis ventis afflantibus, ad Eubœam Ægei maris inſulam peruenit: ibique cùm in ſex ac viginti nauium claſſem, quarum maxima pars Venetorum erant, reliquæ verò equitum Rhodienſium, quibus omnibus præerat Ingibertus Delfinus, Vienna oriundus, incidiſſet, Delfinuſque oratione primò, ac precibus, deinde magnifico promiſſo anniuerſarij vectigalis decem millium aureorum nũmũm, Simonem reuocare cõtendiſſet ab incepto celebris nominis inſulæ Chij, quam vnà cum Smyrna, Aſiæ vrbe, Michael Palæologus Genuenſi populo donarat, dein, temporis decurſu, propter mutua Genuenſium diſſidia, Græciæ regulus, qui hanc ad ſe pertinere multis rationibus contendebat, aliorum Principũ ope ac patrocinio adiutus, illam ſibi vſurparat, armis repetendæ, cuius inſulæ, cõmerciis tam opportunæ, ipſe, quamquã alia in ſpeciem præferens, (ſunt etiam qui tradãt, hunc, à Venetis clàm plurima largitione magniſq. pollicitis allectum, in eam expeditionem ſubornatum fuiſſe, vt hoc pacto, ſub externo ſcilicet præfecto, ſua conſilia multò faciliùs occultarent) inhianti cupiditate imminebat: Simon fœdæ rei mentionem auribus aſpernatus, ac inſtituto itinere pergens, ad eã inſulam celeriùs, quàm aduerſarij, cum ſua claſſe perrexit. At Delfinus de ſecundo rerum ſucceſſu ſibi prorſus diffidens, aliò nauigationis curſu inflexo, ab ea prouincia ſuperſedit; quod quidem Vignoſio multò liberiorem expugnandæ vrbis commoditatem præbuit, ita ſanè, vt ſummis viribus eam adortus, tandem poſt longam & difficilem oppugnationem, vrbe, atque adeò vniuerſa inſula cũ inſigni ſui nominis gloria, & immortali ſuæ patriæ beneficio potitus fuerit: breuique pòſt, paribus fortunæ auſpiciis, vtramque Phocæam, quæ Ioniæ vrbes, Foliæ nouæ ac veteres, vulgò appellantur, cum illarum munitionibus & propugnaculis, Liguſtico nomini atque imperio adiunxit. Quibus rebus proſperè terminatis, etiam Tenedi ac Mitylenæ inſulas oppugnare inſtituerat. Ceterùm

Vrbs atque inſula Chius à Genuenſ. expugnata, & inſulares in Genuenſ. ciuium ordinem cooptati.

Foliæ nouæ ac veteres Genuenſ. Imperio adiunctæ.

terùm, quò minus eam expeditionem susceperit, naualium turmarum seditione impeditus est. quippe quę nullis persuasionibus induci potuêre, vt eo tẽpore vlterius progredi vellent, adeò vt conuersa nauigatione in Chium redire cõpelleretur; moxque pacatis naucleris atq. remigibus, cùm iam æstate deuexa & præcipitata, tempus gerendis bellis minus aptum atq. idoneum esset, ipse, multa gloria & diuiti præda onustus, mẽse Decembri Genuam reuersus est. Fuit proculdubiò Vignosius his laudibus ac virtutibus ornatus, vt meritò summis ac excellẽtissimis quibusque viris æquiparandus sit. Nec solùm res bellicæ, ac rerum gestarum magnitudo illius nomen apud posteros illustrauit, verùm etiam non minorem à iustitia, continentia & probitate laudis gloriam promeruit. Quàm verò diligens bellicæ disciplinæ obseruator extiterit, eaque in re, vt in plerisque aliis, haud immeritò cum ipsis veteribus comparandus, ex hoc facillimè coniici potest: Cũ vrbe Chio, vti diximus, potitus, ingressum in ciuium prædia militibus edicto interdixisset, ac vnicus filius, Franciscus nomine, qui nondum ex ephœbis excesserat, paterna indulgentia sese aduersus edicti seueritatẽ satis munitum ratus, & cuiusdam ciuis fundum tenerè ac per lasciuiam ingressus, nonnullos vuæ racemos secum asportasset, ab indigenis, quibus erat incognitus, deprehensus est, & ad Præfectum adductus. Etsi verò, vbi primùm eius filium esse intellexerunt, ipsi, vnà cum primoribus totius exercitus apud eum multis ac demissis verbis instarent, vt hoc teneræ ætati condonaret, nullius tamen precibus locum reliquit; sed statim illum, racemis collo ad maiorem ignominiæ notam suspensis, palàm virgis cædi, totaque vrbe circumduci iussit, memorabili sanè, ac rigidi & inuicti animi exemplo, omnemque paterni amoris sensum in Ducum imperiis, militarique disciplina & obedientia sancienda superantis, adeò vt quemadmodum populus Genuensis olim suos Hannibales, Scipiones, Pompeios, ac Cęsares habuit, ita etiam illi sui Cottæ, Posthumij, & Torquati, haud quaquam defuerint, quibus meritò gloriari possit, ac debeat. Suprà enarratum est, profugos Genuenses, qui patriæ bellum inferebant, sese ad Ligusticæ classis aduentus famam, in Galliam Narbonensem recepisse, ac per idem tempus, à rege Galliæ tunc grauissimo bello, quod sibi cum Britanno intercedebat, implicito, accersitos, vt etiam eorũ opera vteretur. Quæ autem huius atrocissimi & funestissimi belli præcipua causa, quiue illius progressus ac euentus extiterit, præter ceteros scriptores, Paulus Æmilius & Polydorus Virgilius, præclarissimi suæ ætatis scriptores ac historici, satis disertè & luculenter in suis monumentis memoriæ ac posteris prodiderunt. Ipse quidem Eduardus, cum Eduardo filio adolescentulo in Normãniam transmisit, anno huius sæculi sexto & quadragesimo Cal. Quintilibus, florem, roburque ac dignitatem totius Angliæ, atque Hiberniæ secum in armis ducens. Sunt qui tradant, illum cum amplius mille nauium classe in hostile solum descensionem fecisse. Galliarum rex, vltra domesticas copias, externa quoq; auxilia accersiuerat, ita vt illi ex peregrinis ac exteris gentibus Ioannes rex Bohemiæ & Carolus eius filius, eisdem fermè diebus, à Germanis Proceribus, repudiato Bauaro, Cæsar delectus, cum aliquot turmis, Rodulphus Lotaringus Dux cum trecentis, Sabaudiæ Comes cum mille equitibus, ac etiam Carolus Lucemburgensis cum aliqua nobilitatis manu, iuxtaq. Ligurum sagittariorum duodecim millia mercede ab eo conducta, subsidio adfuerint. In Pontiuensi Comitatu ad Cresciacum decimo Cal. Sept. vtrinque aperto Marte ac diu ancipiti prœlio dimicatum, donec tandem fortuna ad Anglos, non sine ingenti Gallorum cæde ac strage, cùm eorum, præter vulneratos & captiuos, ad triginta millia, in quibus

Singularis laus & commendatio Simonis Vignosij.

mille

mille ducentos equites ex præcipua nobilitate annumerant, desiderati esse dicantur, inclinauerit. Ferunt, Ligures sagittarios, cùm viderent plurimum imbré, arcuum neruos emolliuisse atque laxasse, & repentè tanquam numen ab hoste staret, ex turbida minacique tempestate liquidissimam lucem refulgêre, nec non libero alacriqué hostium ore nitidissimum solem, Gallorum oculos perstringere, nihil boni animo auguratos esse, ac propterea suasisse, vt aliquantisper prœliũ differretur. Ceterum, ipsos à Carolo Alenconij Comite, regis fratre, cæca pugnandi cupiditate rabieque incenso, grauibus probris & conuiciis increpitos fuisse, ac etiam in primo agmine, tametsi dum acies disponitur, in extremo collocati essent, vnà cum cetero peditatu dimicare compulsos, adeò, vt cum propter causas prædictas sagittis commodè vti nequirent, cumque etiam ob iram & indignationem ex contumeliis, quibus ab Alenconio subinde impetebantur, cõceptam, arcuum neruos intercíderent, exiguam operam regi, qui multum præsidij ac fiduciæ in ipsis reposuerat, præstiterint, & plerique illorum, potius Gallico equitatu attriti, quàm vt ab hoste læderentur, cecidêre. Genuæ interim, ab hoc
1347. tempore, vsque ad annum quinquagesimum eiusdem sæculi, omnia, quoad ciuium concordiam & pacem spectat, in maxima tranquillitate atque otio constiterunt. Sed quo minus illius fructus nec publicè, nec priuatim diu percipi potuerit, grauissima vis pestilentiæ effecit, qua eius æui annus octauus & quadragesimus
1348. fœda contagione insignitus fuit. Nec modò Genuam, & Ligusticæ oræ tractum tabifica lues inuasit, sed etiam vniuersam propè Italiam supra modum diuexauit, omneque mortalium genus in summa cæli intemperie depopulabatur. Domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non sexus, non ætas periculo vacua. Seruitia perinde ac ingenua plebes raptim extingui, inter coniugum & liberorum lamenta: qui dum assident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur. Equitum Senatorumq. ac principum virorum interitus promiscui, sic sanè vt per multos annorum ambitus, nunquam vllibi gentium atrocius grassata fuerit.

Pestis per vniuersam Italiam.

1349. Inter hæc, anno supra millesimum trecentesimum quinquagesimo, Ioanne
1350. Morta viro præstantissimo, deque patria optimè merito, è viuis, cum ingenti omnium mærore ac lacrymis, subtracto, propter noui Principis creationem denuò consueta dissidia & simultates recruduerunt. Hanc supremam dignitatem, præter cæteros, Luchinus Facius, vir popularis, excelsique animi, & apud plebem summæ auctoritatis, nec non Spinulis quammaximè carus atque acceptus, flagrantissimo animi studio ambiebat, eaque de causa supra duo lectissimorum virorum millia in armis coëgerat. Huic contrà, demortui Principis propinqui ac familiares, summoperè aduersabantur, quippè qui omnes in eius filiũ enixè propendebant, summaque ope annitebantur, vt patri in supremo magistratu succederet, adeò vt propter huiusmodi iurgia & mutuas altercationes, Respub. tunc temporis denuò in maxima rerum omnium perturbatione versaretur. Nam plerique ciues, cùm ex illorum numero, quos generis claritudo & maiorum imagines exornarant, tum etiam popularium partium publicæ quietis amantes, Luchini fastum atque animi impotentiam haud parum omninò formidabant. E diuerso, neutiquàm Reipub. expedire arbitrabantur, vt præcipui honoris amplitudo successione obtineretur. Hæc sententiarum varietas, animorũq. distractio, Ioanni Valentio, viro singulari prudentia, neutriq. parti adhærenti, & cui publico bono nihil erat antiquius, ad Principatum consequendum, haud sanè mediocri adiumento extitit, ita vt maior pars tacitis votis ac stu-

diis,

diis, illum ad huius loci sublimitatem atque fastigium prouectum ardentissimè exoptaret. Igitur v. Idus Ian. in æde Laurentio sacra conuocatis P. & comitiis de more habitis, omnium ordinum consensu Princeps renuntiatus est; & mox à ceteris æmulis & competitoribus arma deposita, ipsaque Respub. in pristinã quietem ac dignitatem restituta, cùm præsertim publico edicto seuerè cautum fuerit, vt publica munia & magistratus inter vtrumque ordinem exæquo partirentur. Interea temporis, inter Ligures ac Venetos, atrocissima bella repullularunt, quæ diu ambiguo euentu, magnaque mole vtrimque gesta fuêre, donec tandem victoria à partibus Genuens. staret: sicuti hæc omnia suis locis cum eorum causa & successibus speciatim, Deo auspice, enarrabuntur. Dum verò Respub. his grauissimis ac periculosissimis bellis varia fortuna sub Valentij Principatu gestis, indies magis magisque distineretur, ciuitas, quòd sese multis præclarissimis viris, partim in superioribus prœliis, partim etiam in recenti victoria, fortiter pugnando, interemptis, orbatam animaduerteret, in extremis angustiis & calamitatibus obuersabatur. His etiam accedebat, quòd propter immensos & incredibiles sumptus quos & priuatim & publicè pro classe toties instaurata impenderant, obque ciuilia & intestina bella, quibus atrociter multum diuque iactata fuerat, publicum ærarium vehementer exhaustum atque attenuatum erat. Præterea, Guelfi ac Gibellini nominis funestissimæ factiones denuò per id tempus feruescere ac recrudescere inceperant, ipsique patricij indies ægerrimè ferebant, quòd sese principali honore priuatos conspicerent. At populus è contrario, summoperè conquerebatur, hæc externa bella cum tanto nauali apparatu, dumtaxat patriciorum causa, quò videlicet suas cupiditates & animi libidinem explerent, simulque ob emolumentum & vtilitatem, quæ inde ad eos emanaret, suscipi ac foueri, adeò sanè vt in ipsa vrbe nihil omninò aliud, præter assiduas querimonias tristesque voces subinde exaudiretur: eoque fiebat, vt non mediocris esset circa Reip. administrationem sententiarum varietas, plerisque censentibus quàm maximè expedire, vt quàm primùm in ea, noua Reip. emendatæ forma introduceretur, & quibusdam aliis multò magis conducere videbatur, vt ipsa Respub. iterum sub alicuius magni ac præpotentis Principis imperium deuolueretur. Quam quidem sententiam Ioannes Vicecomes, Antistes ac Mediolanensiũ Princeps, per suos ministros Genuę subsistentes, omnibus artibus & rationibus promouebat. cumq. maior ac potior pars huic manibus pedibusq. assentiretur, de cõmuni consensu ad eum oratores mitti placuit, qui Remp. omnemque Ligusticam ditionem eius tutelæ atque imperio certis quibusdam conditionibus traderent atque permitterent. Insuber, qui diu anteà nihil magis in votis habuerat, legatione audita, continuò Gulielmum Palauicinum titulo Marchionem, ac virum nõ modò à natalium splendore, verumetiam à singulari ingenio & prudentia insigniter commendatum, Genuam, vt suo nomine vrbis regimen susciperet, ibique suum legatum ageret, destinauit: cui mox sollenni quadam cærimonia cum magno totius Senatus & vrbanæ multitudinis consensu atque applausu, Reipub. administratio commissa & attributa est. Eodemque temporis articulo, Ioannes Valentius, postquam triennio cum egregia sui nominis laude, nec minori Patriæ felicitate rebus gerendis præfuisset, sese, tanquam priuatus, in suas ædes recepit. Incidit hæc Reipub. conuersio in annum eius sæculi quinquagesimum tertium. Transacto biennio, Veneti ac Ligures diuturnis & cruentissimis bellis defatigati, tandem de vnanimi voluntate pacis formulas, ac leges vtrimque pepigerunt: hæque ab hoc tempore, vsque in annum eiusdem

Ioannes Valētius Princeps designatus.

Bellum inter Venetos ac Ligures instauratum.

Genua sub Principum Mediolanēsium dominio.

1353.

Pax inter Venet. & Ligures.

æui sextum & septuagesimum, integræ ac inuiolatæ permanserunt. Rep. à Veneto bello vrbanisq. seditionibus paululùm respirante, anno eius æui quinquagesimo quinto, aliquot Ligusticæ triremes in subsidium Calloioannis Græci Imperatoris cum Genuens. confœderati, aduersus Cantacusenum, qui magnam imperij partem illi abstulerat, Byzantium transmissæ. in qua sanè expeditione, præter ceteros, Franciſci Catalusij præclara virtus atque animi fortitudo supra modum enituit, adeò vt apud Cæsarem, propter ipsius egregia merita, maximum auctoritatis & potentiæ locum obtinuerit, maritimis rebus cum summo imperio præfectus, eiusque, præter reliquam ipsi Augusto in multis locis nauatam operam, consilio, virtute, cura & vigilantia, Cantacuseni conatus ingentibus ac periculosis initiis res nouantis, sunt compressi. Quod egregium promeritum ampliſſimo præmio remunerans Cæsar, Franciſci memoriam, ac gentis Catalusiæ nomen opulentæ celebrisque nominis insulæ Lesbi, vrbisque Mitylenes ditione nobilitauit, ac sororem illi in matrimonium dedit. Tali rerum statu, cùm subinde Ligures, pro mercimoniorum, quæ in partibus ad Orientem vergentibus habebant, tutela atque securitate, pleraque nauigia optimè instructa educerent, Philippus Auria non minùs suorum maiorum titulis, quàm propriis meritis ac virtute illustris, cum quindecim, siue, vt aliis placet, viginti triremibus perbellè instructis, in Africam minorē delatus, Tripolim, vetustissimā & insignem vrbem, in Libyæ ora sitam, vnde propter innumeros piratas illam incolentes, plurima & grauissima damna negotiatoribus inferebantur, post acrem & difficilem obsidionem, vi expugnauit atque diripuit, ingensque auri pondus ex spoliis redactum, & magnum captiuorum numerum Genuam abduxit. Quo sanè, publicum ærarium, ob superiorum temporum perpessas calamitates, valdè, vti diximus, exhaustum atque imminutum, magna ex parte subleuatum est. Priusquàm verò ad alia progrediar, libet hîc subijcere, quæ Ioannes Leo Africanus de hac vrbe lib. v. memoriæ tradidit. Tripolis, inquit, à Romanis extructa, deinde à Gothis, postremò à Mahumetanis eo tempore fuit occupata, quo Homar Califa secundus imperauit. Hi, postquam Tripolitanum ducem per sex menses obsedissent, tandem Carthaginem fugere coëgerunt. Incolæ partim interfecti, partim in Ægyptum atque Arabiam capti, fuerunt abducti, teste Ibnu Rachich apud Afros historiographo celeberrimo. Post excidium antiquæ Tripolis condita est altera, eodem nomine appellata: Hæc muris altissimis atque elegantissimis, quamquam non admodum multis, cingitur, in campo quodam arenoso sita est, in quo dactylorum satis bona prouenit copia. Huius domus ad Tuneti domos collatæ, elegantissimæ sunt: deinde & hîc artes suis omnes sunt locis distinctæ. Magna hîc reperitur textorum copia. Nullus hic puteus, nullusque omninò fons est: aquam omnes è cisternis quibusdam petunt. Magna hîc semper frumenti caritas. Omnis enim Tripolis agri, perinde atque Numidiæ, arenosi sunt atque aridi. Huius rei ratio est, quòd qui pinguiores huius regionis essent agri, frequentissimis maris vndis teguntur. Huius regionis indigenæ, maximam hodie agrorum partem in Septentrione à mari occupatam dicunt, quod & facilè in regionibus Monaster, Magdia, Affacos, Capes, atque in Lotophagiti insula cognosci potest, necnon in aliis quoque partibus Orientalibus, vbi ad miliare vnum, aut alterum, mare ingressis, vix aqua ad vmbilicum pertingit. Neque desunt, qui eam ciuitatem magis in Septentrione positam fuisse opinentur; verùm crebris indies maris inundationibus, paulatim Meridiem versus ædificatam fuisse. cuius rei testimonium præbent integra adhuc quibusdam locis ædificiorum

Franciſcus Catalusius gener Imper. Conſtantinopolitani, & Mitylenes D.

Tripolis à Philippo Auria expugnata.

Tripolis elegans deſcriptio.

ficiorum monumenta, quæ maris fluctibus demersa sunt. Frequentissima hic exstructa fuerunt templa atque collegia: Xenodochium habuit, quod pauperes, ac ceteros recipiebat: parcissimè victitant. Besis tantùm & hordeaceo vescũtur: In hac enim regione vel minimum prouenit hordei, adeò vt ditissimus hic censeatur, qui vnum, aut alterum possidet frumenti modium; mercaturam tamen ferè exercent omnes. Est enim ea ciuitas Numidiæ atque Tuneto vicina, neque inde Alexandriam vsque, vllum aliud reperitur oppidum: non etiam procul à Sicilia atque Malta abest. solentque quotannis ad eorum portum Venetorum naues confluere, maximamque eò aduehere mercium copiam. Semper Tuneti regis imperio paruerunt. Eo autem tempore, quo Abulhasen Fessæ rex Tunetum obsedit, regem cum Arabibus ad desertum fugere coëgit. Deinde victo Abulhaseno, Tuneti rex in regnum rediit: tum se ciues regi opponere cœperunt: fuitque illorum Respub. maximis semper dissidiis bellisque intestinis vexata. Quod vbi Fessæ rex intellexisset, quinto belli ciuilis anno rursus cum exercitu Tunetum profectus est, ipsum regem prœlio superatum, atque Constantinam fugatum tam acriter obsedit, vt Constantienses, cùm se Fessæ regis vim non posse ferre viderent, cum omni exercitu intromiserint. Tuneti rex Fessam captiuus primò adducitur, deinde in Septæ arce aliquamdiu asseruatus est. Interea autem, Tripolis viginti nauium Genuensium classe expugnata atque depopulata fuit, habitatores verò captiui. Quod vbi primũ Fessæ rex intellexisset, ea conditione cum Genuens. egit, vt ipse, numeratis quinquaginta aureorum millibus, in pace oppidum possideret. Genuenses postea inde profecti, maximam aureorum partem adulterinam intellexerunt. Inter hæc, Tuneti rex à Fessæ rege Abuselimo libertati restitutus fuit: quo tandem ad regnum reuerso, remansit penes successores imperium, donec Abubar Hutmeni filius, in Tripolitana arce vnà cum filiolo à nepote interfectus fuit: qui deinde sibi id regni vsurpauit: idem postea prœlio quodam periit, quod contra Hubdulmumenum gessit; qui statim Tripolitanum regnum assumpsit. Huic successit filius Zacharias, qui post mensis aliquot peste interiit. Post hunc, in regem electus fuit Mucamen Heseni filius, Zachariæ cognatus, qui, simul ac tyrannidem inter ciues exercere cœpisset, à populo regno expulsus est. Ad regnum postea quidam è ciuibus successit, qui modestissimè imperauit. Qui verò antea expulsus fuerat, aliquot militum exercitum misit, qui Tripolitanum vexarent imperium: Hi statim amisso prœlio, fugerunt. Post hæc, qui humanissimè regnare cœperat, in tyrannum versus est, quo à cognato interfecto, populus nobilem quendam virum, qui tunc temporis Eremitam agebat, coacto ferè animo regere voluerunt; remansitque penes illum huius vrbis imperium, donec Ferdinandus Petrum quendam Nauarrienſem eò misisset; qui cùm improuiso aduentu suo vrbem occupasset, captiuos plurimos secum duxit. Tripolis Præfectus vnà cum genero Messanam captiui missi sunt. Vbi per aliquot annos detenti, tandem à Carolo Imperatore pristinæ libertati restituti, Tripolim redierunt: quod oppidum postea à Christianis fuit deletum. Huius oppidi arx munitissimis muris cincta est, & quantum intelligere potui, nouos cœpit recipere incolas. Habes igitur hic, quæ de Tuneti ciuitatibus memoratu digna occurrere potuerunt. Hactenus Leo Africanus. Cæterùm, vt ad institutum redeam, hunc prosperum & desiderabilem rerum bene gerendarum cursum noui turbines Genuæ, nec citra insigne patriciorum detrimentum, exorti, interrupêre. Cùm enim Insubrij Principes nonnulla, à Rep. 1356.
suis veteribus institutis & mutuis conuentionibus admodum aduersantia po-

ſtularent, Patres, ac præſertim nobiles, in primiſque Melianus Cataneus & Laurentius Angelus, in ſummam indignationem exarſerunt. Hi namque Præſidi Mediolanenſi per fideles nuntios ſignificarunt, Senatum nihil omninò ipſi conceſſurum, quod quidem ſuis ordinibus ac legibus vlla ex parte repugnaret; nec ſe alia de cauſa Mediolanenſium Principum poteſtati ac tutelæ vltrò ſubieciſſe, niſi vt Reſpub. ipſorum gratia & auctoritate ſuum priſtinum ſplendorem ac dignitatem commodiùs retineret. Hac ſpe inductos, deque illorum prudentia, probitate ac manſuetudine, quibus ciuiles affectus, & animi inter ſe diſcrepantes, aptiſſima quadam via & ratione plerumque moderari conſueuerunt, ſibi omnia pollicitos, ſe ſuamque ditionem libenter tradidiſſe; in quorum ſanè fide atque obſequio ſe deinceps conſtanter permanſuros, ſi hoc ab eis ſedulò obſeruari intellexerint, reque ipſa olim experirentur. Hæc verba, ſimulatque Mediolanum ad Principes perlata ſunt, eorum animos ad ſummam iracũdiam inflammarunt: ſtatimque illorum auctoribus ad ſe euocatis, ſupplicium de his quam primùm ſumpturi videbantur. eaque res occaſionem præbuit, vt pleriſque popularium partium ſibi adiunctis, decimooctauo Cal. Decembr. arma contra ipſum rectorem expediuerint, & mox in eius gratiam maiori parte vrbanæ multitudinis veteri odio aduerſus patricios incitata, ſubſidio accurrente, omnia ciuilibus diſſidiis & contentionibus denuò miſceri inceperunt. Superius à nobis oſtenſum eſt, Simonem Buccanigram, abdicato principatu, Piſas conceſſiſſe. Hic, vbi aliquamdiu in ea vrbe ſubſtitiſſet, Genuam rediit: & cùm præteriti erroris pœnitentia duceretur, quòd videlicet ſupremo magiſtratu abiiſſet, omnibus ſtudiis atque artibus ſibi annitendum ſtatuit, vt illum, hac præſenti vrbanarum ſimultatum anſa & occaſione oblata, tamquam poſtliminiò recuperaret. Proinde, dum vtraque pars cruento ac dubio euentu confligit, ipſe cum ducentis armatis ſeſe in fanum D. Syri, ſuis ædibus propinquum, recepit, atque illinc, poſtquam ſuos amicos & clientes, breui, propter temporis anguſtiam, ſed illa quidem graui & neruoſa oratione adhortatus eſſet, ſummo ſilentio & via quadam occultiori atque inſolita, ad fores prætorij, vbi Mediolanenſium legatus totus pauidus atque animo conſternatus de ſua ſalute non parùm anxius atque ſolicitus remanſerat, perrexit, & protinus acri impetu illius portas incendere decreuerat. Verùm, ipſe quorundam amicorum precibus ac perſuaſione inflexus, ne ſe tam grauibus periculis exponeret, confeſtim illas aperiri & recludi iuſſit, adeò vt Buccanigra citra difficultatem vniuerſa curia potiretur; eiuſque rei fama dicto citiùs per vrbem diuulgata, effecit, vt nobiles multum de ſuo priſtino ardore atque alacritate remitterent, moxque ipſis paulatim cedentibus, plebi plus ſpatij & opportunitatis conceſſum eſt, in publicum palatium feſtinandi, quò Buccanigræ maturo ſubſidio aduenirent. Is verò cùm ſe, & prætorium in ſuam poteſtatem redegiſſe, ac ſe maxima vulgi frequentia & multitudine conſtipatum animaduerteret, nihil omninò in mora habuit, quò minùs animi ſui decretum patefaceret. Quippe qui grauibus atque aptis verbis conſilij ſui ratione explicita, plebem eò tandem adduxit, vt illi ſummo conſenſu & applauſu denuò principatum deferrent. Ipſe interim, ne deinceps ijſdem, quibus antea, fortunæ caſibus ac periculis obnoxius foret, nihil potius habuit, quàm vt ſeipſum in ſummo dignitatis apice cum extrema patriciorum clade ac exitio communiret: eoque factum eſt, vt omnibus, quarumcumque partium eſſent, de quorum viribus atque potentia quoquo modo ambigeret, publicatis bonis, vrbeque prohibitis, igni & aqua interdiceret: necnon ceterorum patri-

Simon Buccanigra iterum fit Princeps ac D. Reip. Genuenſ.

ciorum

ciorum qui adhuc in ciuitate remanserant, arma diligentissimè inquiri, eaq. omnia in peculiari loco asseruari iussit, ac illos in posterum, non solùm omnibus publicis muneribus ac dignitatibus priuauit, sed etiã seuerissimo edicto vetuit, ne quis eorum vllis nauibus, vel triremibus, siue militaribus, seu negotiatoriis præesset. Id autẽ vnumquemq. patriciorum multò magis quàm vllo vnquã tempore permultos annos mirum in modũ afflixit atq. depressit, adeò vt tandem serò, licet suo maximo infortunio & calamitate, intelligerẽt, multò satius fuisse, aut saltem minùs acerbum & luctuosum, vt sese Vicecomitum, vel iniqua petentiũ, imperio subijcerent, quàm vt impotens vulgi dominium ferre ac perpeti cogerentur. Buccanigra, his, quibus diximus, modis atque artibus seipsum in Principatu indies magis magisque stabiliente, Respub. ab hoc tempore, vsque ad annum eius æui secundum ac sexagesimum, ab omni ciuili & domestica seditione penitus conquieuit, tametsi interim, propter ipsius Principis insolentiam, & tyrannicam, vt plerisque videbatur, administrationem, cùm ex ipsa nobilitate, tum etiam ex his, qui popularia studia sectabantur, minimè quamplurimi deessent, qui occultis & clandestinis consiliis eius vitæ insidiarentur, inter quos fuit etiam quidam ciuis popularis, valdè opulentus, ac eiusdem dignitatis æmulus, qui haud multò pòst capite pœnas luit. Huius verò, vt etiam pleroruinque aliorum nomen, apud veteres Annales non extat. Ceterùm, quamuis, partim propter odium, partim propter inuidiam, assiduam eminentis fortunæ comitem, complures alij in eum diuersis temporibus coniurauerint; is tamen, cùm sibi tam multos æmulos & aduersarios esse conspiceret, ad illas conspirationes tacita quadam simulatione ac sagacitate conniuebat. Inter populares quidem, plurimos habebat fautores, & sui nominis atque amplitudinis mirificè studiosos, quorum, præter ceteros, fuerunt Nicolaus Canettus, vir pecuniosus ac summis opibus florens, & Leonardus Montaldus, celeberrimus ea tempestate iurisperitus, miraque gloriæ cupiditate flagrans, cuius in primis consilio, cùm plerumq. in singulis suis actionibus vteretur, factum est, vt sese diutiùs in supremi honoris fastigio atq. maiestate conseruarit. Verumenimuerò cùm ita natura comparatum sit, vt, quæ fato maneant, differri, sed minimè vitari possint, modus atque ratio inuenta est, quæ illi tandem extremam perniciem ac interitum afferret. Anno eiusdem sæculi sexagesimo tertio, Petrus Lusinianus, rex Cypri, vnà cum filio Genuam appulerat, eo quidem consilio, vt inde ad Galliæ regem, & reliquos Christiani orbis Dynastas profectus, eorum animos ad Syriacam expeditionem sua præsentia multò facilius concitaret, atque accenderet. Hunc Princeps ceterique ordines, summis & quæsitissimis, vti par erat, honoribus exceperunt, omnique genere splendoris ac magnificentiæ prosecuti sunt; indeque nonnullis patricij ac Senatorij ordinis occasio præbita, qua illum fraude, & occultis insidiis, nempe veneno, interimerent. Proinde cùm à Petro Iustiniano equestris ordinis viro, vnà cum ipso rege in prædium ciuitati proximum, cui nomen Sturla, ad conuiuium inuitatus esset, ibi venenum à quodam ipsius Petri domestico, & cui maximè præ ceteris fidebat, in cibis, seu potione propinatum hausit; cuius vis tanta fuit, vt cùm omnes eius artus peruaderet, vox pariter & spiritus eius raperentur, statimq. decumbens, eodem die, non sine ingenti totius vrbis cõmotione ac tumultu, extinctus est. Vix enim intercluſa anima, mortalitatem expleuerat, cùm equestigiò Iustiniani clientes atque amici publicum palatium armis occuparunt. Et licet illorum ausis atque conatibus Bartholomæus, Ioannes, & Nicolaus, demortui Principis fratres, vnà cum suis fautoribus ac foederatis sese

1357. 1358. 1359. 1360. 1361. 1362. 1363.

acriter oppoſuiſſent, cùm tamen ipſi numero ac viribus minùs valerent, facilè ſuccubuerunt: & propter ingens odium, quod ſibi iam fermè apud omnes promiſcuè conflauerãt, ſummum vitæ diſcrimen ac periculum adiiſſent, niſi continuò in prætorium admiſſi, popularem vim ac rabiem euitaſſent. Principe, eo, quo diximus modo, è viuis ſubtracto, eiuſque cadauere in æde Franciſco ſacra, nulla funebri pompa & honore, humi demandato, ſtatim de mutuo populi conſenſu viginti ciues deſignati, exq. his ſexaginta, qui deinde quadraginta, hiq. vnũ & viginti, crearunt, ex quibus decem ſubſtituti, quorum tãdem calculis Gabriel Adurnius vir populariũ partium, & Gibellini nominis ſtudioſus, de cuius fide, virtute, ac ſapientia, plurimum ſibi pollicebantur, Princeps renuntiatus fuit. Qui vbi primùm rebus gerendis admotus eſt, nihil prius atque antiquius habuit, quàm vt patricij ab omnibus publicis muneribus ac dignitatibus excluderentur, adeò vt ipſi vltrò ſuis penatibus relictis, vrbe excederent, & quiſque ſeſe in ſua municipia & latifundia reciperet; alij verò incertis ſedibus vagarẽtur.

Gabriel Adurnius Princeps Reipub.

LIBER SEPTIMVS.

SIMONE BVCCANIGRA, humanis rebus exempto, & Gabriele Adurnio, Patrum ſuffragiis, in eius locum ſubſtituto, quàmplurimi ex his, qui reliquos opibus & auctoritate anteibant, iuxta oppidum, cui nomen Saſſellum, haud contemnendam manum aduerſus ipſum Principem contraxêre; ad quorũ vim reprimendam, priuſquam, exercitu in vnum conducto, caſtra propiùs admouerent, ipſe Petrum Recanellum ſuum generum, virum ſingulari prudentia, & militia non inglorium, cum aliquot turmis & militaribus cohortibus ablegauit. Ceterùm, hoſtes ad eius aduentum haud parum perculſi, ſeſe illinc, non ſine aliqua clade atque oppidi iactura, ſubtraxêre. Per idem quoque tempus, in Carratinos Finarij regulos, qui mutuis pactis & conuentionibus neglectis, ac violatis, Remp. ſupramodum diuexabant, duce Franciſco Embriaco, valida manus deſtinata. Verùm, cùm ipſe, aut militaris diſciplinæ inobſeruantia, ſiue alia de cauſa, minùs proſperè ac è dignitate Reip. hoc bellum adminiſtraret, necnon Adurnio in haud leuem ſuſpicionem deueniret, breui pòſt, ab ea expeditione ſubmotus eſt, & in eius locum Bartholomæus Vianus cum imperio ſuffectus, qui exiguo temporis interuallo rem eò deduxit, vt Finarij Marchiones, poſitis armis, cum Repub. in gratiam redierint: vtque ipſi in poſterum commodiùs in Genuenſium fide atque officio retinerentur, Senatus conſulto Caſtrum Francum, quod plerique Cauianum vocant, in eorum agro ac territorio extructum. Interim, dum hæc domi geruntur, Ligures, Bartholomæo Iacobo celebri iuriſconſulto, Theodoſiæ conſulatum gerente, Soldaiam, Scythiæ vrbem haud ſanè ignobilem, occuparunt. At Genuæ, ciuilibus diſſidiis ac mutuis ſimultatibus laboratum. Siquidem haud pauci, claris maioribus orti, & in primis quidem Leonardus Montaldus, omnibus artibus ac ſtudiis Adurnium ſupremo Magiſtratu deturbare annitebantur. Is enim per crebros internuncios Inſubriæ Principum animos, mira quadam & incredibili recuperandæ Liguſticæ ditionis, ac imperij proferendi cupidine flagrantium, indies magis atque magis ad eam expeditionem incendebat & inflammabat, adeò, vt cùm ipſe, animi inquies, & occaſionum haud ſegnis, ſubinde populum ad defectionem ſolicitaret, Inſuber, prius Ambroſio Barnaba ſuo filio, ex illegitimo

1364. 1365.

Caſtrum Francum.

Soldaia à Genuenſ. occupata.

Leonardus Montaldus.

partu

partu genito, in oram Orientalem ad Spediæ oppugnationem, quam etiam breui pòst in ſuam poteſtatem redegit, cum quinque millibus promptiſſimorum virorum præmiſſo, Genuam verſus cum valida & expedita manu perrexerit: quo quidem tempore, Montaldus, vrbana multitudine ad ſeditionem excitata, intimos quoſque amicorum atque adfinium coëgerat, quorum patrocinio & clientelis innixus, prætorium ſummo impetu inſedit. Huius temerariis conatibus atque auſis cùm Prætor, (nomen apud veteres Annales haudquaquam exprimitur) vir ſollertis ingenij, ac rei bellicæ peritus, iuſſu ipſius Principis cum aliquot manipulariis ſeſe acriter oppoſuiſſet, ab auctore concitati motus, graui etiam vulnere accepto, illinc repulſus eſt, nec tamen ob id curiam expugnauit. Nam è veſtigiò quamplurimis Adurnij familiaribus & propinquis, illuc maturo ſubſidio accurrentibus, acieque militariter inſtructa, Montaldus breui pòſt, cum ſuis diſſipatus, & in celerem fugam coniectus eſt, ita vt Inſuber, qui iam Clauarim profectus, ſubinde vlterius progredi ſtatuerat, his rebus cognitis, haud modica lentitudine ac tarditate retrocederet. Illud verò hîc minimè ſilentio prætereundum videtur, nempè circa hæc tempora, Genuæ, ac in pleriſque locis Italiæ, tantam locuſtarum (has Ligures patrio idiomate *Mamalones* vocabant,) vim & *De locuſt.*
copiam fuiſſe, vt præ illarum numero ac multitudine, quæ ex æthere, inſtar denſiſſimæ niuis, aut grandinis decidebant, vniuerſa cæli facies mira quadam & tetra caligine obumbraretur: hæque ambederant quicquid herbidum aut frondoſum erat, & grauiſſima damna intulerunt. Porrò locuſtarum exercitus, quòd ſæpè irruptiones externorum militum præſignificent, ipſius animalculi forma, & qualitas ſatis declarat. Accedit euentus rerum, qui ratione ancipitem vbiq. confirmat. Plinius annonæ caritatem ex his prædicere non veretur, quòd ferè poſt ſquallores diuturnos, è ſicca putredine, vt Hipp. vocat, atque ex vna terrarum ariditate progerminent: quodque virulenti cuiuſdam morſus contagio plantas & ſata inficiant, vt mox vredine contabeſcant: eoque fit, vt partim ab inſpiramine dum viuunt, partim à reſolutione dum pereunt, hæc inſecta, vitiatis paulò pòſt alimentis ac potibus, ipſius etiam ſpiritus corruptelam in hominem, & in cetera animalia propagent. Anno ſalutiferi partus 593. poſt maximam ſiccitatem, locuſtæ omnia deuaſtantes, famem toti terrarum orbi non minimam pepererunt. Multam quoque calamitatem frugibus anno 1353. intulêre, ac Ruſſiam anno 1084 infecerunt, quo tempore Boleſtaus Poloniæ rex, in Pannoniam exulans, factus eſt impos mentis, atq. à ſuiſmet canibus deuoratus. Magnis item agminibus per Syriam & Meſopotamiam volitarunt anno Chriſti 677. Quamquam verò naturalis eorum ſit generatio, teſte Ariſt. lib. De animalium hiſt. cap. 19. ac Plinio lib. 11. Nat. hiſt. cap. 29, quantitas tamen, non abſque diuini Numinis ira & indignatione, portenti ſpeciem acquiſiuit; vt certius conſtat ex iis quæ Pharaoni, atq. Ægyptiis diuinitus mittebantur, concinente viuo teſtimonio Vatis Pſal. 77. Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ. Alibi quoque Pſal. 105. Dixit, & venit locuſta, & bruchus, cuius non erat numerus. Nec ſecus viſum eſt ethnicis Philoſophis, vt patet ex Plin. eodem loco Nat. hiſt. Ceterùm haud pigebit ſubnectere, quod ipſe proximis diebus obſeruaui in opere Ioannis Leonis Africani, cui titulus eſt De totius Africæ deſcriptione. Inquit enim circa finem lib. IX. Locuſtarum plerumque tanta conſpicitur in Africa frequentia, vt volantes inſtar nebulæ Solis radios operiant. Arbores ipſas pariter cum frondibus ac fructu eſitant. Diſceſſuræ oua relinquunt, quibus aliæ, tametſi non volent, pullulant, & quibus in locis offendûtur, omnia ad cortices arborum

exedunt, magnamque annonæ caritatem, præcipuè in Mauritania, relinquunt. Verùm Arabiæ desertæ & Libyæ populi, locustarum aduentum pro felici habent omine: nam vel elixas, vel ad solem desiccatas, in farinam tundunt atque comedunt. Adurnius interim, vt ad propositum reuertar, per fideles amicos plenissimè edoctus, in ciuitate complures clandestina consilia aduersus se iniuisse, vt principatu exuerent, initio proximi veris, diligenti inquisitione facta eorum
1366. qui susceptæ conspirationis vel conscij, vel participes fuerant, ex his, duos, quorum alter fuerat eques prætorianus, alter sese ipsi Leonardo coniurationis socium & ministrum adiunxerat, capite multari iussit. Reliqui verò, clàm & summa taciturnitate, aut ad ipsum Montaldum Pisas profectum, aut in castra Principum Mediolanensium concessêre; nihilque ea tempestate aduersus eos nobiles qui adhuc in vrbe remanserant, prorsus attentatum fuit. Vrbanis motibus maiori ex parte suppressis & consopitis, supererat externus hostis, ad cuius vim propulsandam, Genua de Principis ac Patrum volũtate, Bartholomæus Leuantus, & Nicolaus Moneggina cum delecta manu ablegati, qui, omnibus rebus quæ ad bellum vsui forent ritè dispositis ac præparatis, in haud mediocrẽ spem atq. fiduciam recipiendæ Spediæ, à qua hostis haud procul sua castra collocauerat, deuenêre. Igitur ad eam expeditionem pergẽtes, oppidum vndique arcta obsidione presserunt. At breui pòst, superuenientibus aduersariis, Ligures fusi fugatique, & complures capti; in queîs fuerunt etiam ipsimet Præfecti: quod sanè vniuersam oram maritimam in summum terrorem coniecit, maiorq. indigenarum pars metu instantis periculi, in vrbem profugêre; cùm præsertim Montaldus, Fliscis, cum quibus fœdus icerat, sibi aggregatis, eôdem descendisset. Proinde cùm victores liberum sibi aditum in vrbem dari conspicerent, præsidio circiter mille armatorum Spediæ relicto, quinto Cal. Martij Genuam versus profectionem instituerunt. Verùm Adurnius, turbidis rebus intrepidus, & nihil omninò superiori clade consternatus, cognitis aduersariorum consiliis, præter quàm quòd omnes incolas, qui erant ab oppido Clauarino vsque ad vrbem circa Rapallum, in vnum conuenire iussit, euocatos auxiliaresque milites, quos tum in armis & ad manus habere potuit, ad fauces atque angustias difficilium locorum præoccupandas misit, ita vt hostis ex ea parte præclusis itineribus, suas copias per Fliscorum municipia & colonias, non citra maximum incommodum, ac temporis dispendium traducere cogeretur. Quod sanè vehementer illius impetum retardauit: & Montaldus ac Nicolaus Fliscus primi omnium extitêre, qui pridie Non. Apr. cum expedita manu, prius indigenis vallis Bisamnis ad defectionẽ solicitatis, & admoto milite, vrbis mœnibus appropinquarint. Paucis pòst diebus, nempe vi. Id. Apr. Araon Spinula, Insubricis cataphractis præpositus, cum aliquot alarum turmis & delecto peditatu in Pulciferam vallem contendit, & mox ad Petri Arenarij fanum, quod mari alluitur & loca finitima, excursione facta, omnia hostiliter depopulatus est, plurimisque damnis atq. incõmodis Ligusticum agrum affecit. Adurnius, etsi animo erat excelso, quique, vt dictum est, rebus arduis atq. asperis haud facilè succumberet, nihilominus his tantis paratibus haud parum commotus, cùm se ab hostili agmine vndique circumuallatum, ac etiam in vrbe nouas ciuilium dissensionum procellas oriri animaduerteret, cum Præfectis Mediolanens. de pacis legibus & conditionibus sedulò agere incepit, adeò vt tandem post varias sententias, his formulis de mutuo consensu & astipulante Senatu transigeretur: ex queîs insigniores fuêre; Vt Adurnius in principatu remaneret; vt Resp. Insubriæ Principibus singulis annis quatuor nummûm aureorum

Pax inter Mediolanẽs. ac Ligures.

millia

millia persolueret, simulque vt in eorum subsidium quadringentos sagittarios suis impensis ac sumptibus alere teneretur: Vt nobiles proscripti quamprimum suis bonis ac penatibus redderentur, solusque Montaldus, vtpotè reliquis omnibus magis suspectus, animique impotens, & miscendis seditionibus promptus, ad biennium exularet. His conditionibus vltrò citroque admissis, atque hoste Ligusticis finibus excedente, Resp. à domesticis ac externis malis aliquantisper conquieuit, tametsi haud interim deessent plerique diuersi ordinis viri, qui Adurnio subinde negotium facesserent, ac eius vitæ omnibus modis atque artibus insidiarentur. Proinde, inter cetera, ab amicis commonefactus, Sauonæ quendam patricij generis, aduersæ factionis propugnatorem, atque acerrimum suæ dignitatis æmulum, secretò delitescere, illuc statim Petrum Recanellum, cuius proximè mentionem fecimus, ablegauit, qui Non. Maij cò profectus, illum de mandato Principis apprehendi, ac securi percuti iussit. Per idem fermè tempus, misit in vallem Pulciferam, qui Philippum Spinulam, ibi cum suis municipalibus ac sociis nouas turbas excientem, caperent: hique omnes comprehensi, summum vitæ discrimen adiêre, licet postmodum Princeps singulari clementia & moderatione illis vitam condonarit. Montaldus verò, iisdem propè diebus, vnà cum suis asseclis & fautoribus sese Astam, peruetustam Galliæ Transpadanæ vrbem, recepit. At initio subsequentis anni, qui Fliscorum partes ac studia sectabantur, tertio Id. Ian. templum D. Vlcisij, positum in valle Pulcifera, incenderunt. cuius rei fama vbi primùm Genuam perlata est, protinus aliquot vrbanæ cohortes Sauinionem, Fliscorum municipium, transmissæ, vt illatam iniuriam vlciscerentur. Interea temporis, videlicet decimo Cal. Iun., Vrbanus quintus Pont. Romanus, Auenione cum quinq. ac viginti triremibus Genuam appulit, eo animi consilio, vt illinc Romam transfretaret: eumque Resp. summis & exquisitissimis honoribus excepit; & quinto Cal. Iun. abeuntem, octo etiam Ligusticæ triremes, honoris ergò, Romam vsque concomitatæ sunt. Exitu anni, pax inter Insubriæ Principes, ac Remp. denuò constabilita. Subsecutus est annus eius æui duodeseptuagesimus, quo Adurnius ad Carolum quartum Bohemiæ regem, ac Cæsarem renunciatum, & in Etruriam profectum, nobilem ac splendidam legationem habuit: à quo, præter cetera, impetrauit, vt in Ligustica ditione suum Vicarium ageret. Ceterum, anno septuagesimo, Resp. denuò propter famiam Fulgosiam, toti ciuitati non minus fatalem & perniciosam, quàm Adurnia exiterit, ad supremos honores ac dignitates promotam, in pristinas ciuilium bellorum calamitates recidit, cùm præsertim ipsius Adurnij administratio, propter insolitas exactiones ac vectigalia imposita, omnibus iam fermè supra modũ inuisa & exosa redderetur. Ea tempestate qui rebus gerendis præsidebant, duos populi Vicarios eligere consueuerant, quorum alter Guelfi, alter verò Gibellini nominis esset: hotumque potissima cura & studium in eo præcipuè consistebat, vt nempè publica officia, & magistratus ex æquo inter vtrumque ordinem distribuerentur, videlicet partim ex aristocratia, partim ex democratia permixti. Huic muneri tunc temporis Dominicus Campofulgosius, & Gulielmus Ermirius cum imperio præerant: qui, cùm propter generis splendorem atq. opes apud plebem summa gratia & nominis existimatione florerent, ipsique Adurnio aprimè infensi essent, de Reip. statu corrigendo noua consilia & rationes iniuerunt; cùm præsertim ad hoc agendum, plurimis, iisdemque assiduis diuersorũ patriciorum precibus incitarentur, quò scilicet, populo in varia studia & partes distracto, ipsi multò facilius atque commodius suam ambitionem animique impo-

1367. 1368. 1369. 1370.

impotentiam explerent. Quocirca hi duo, quos diximus, vicarii, aliquot populariibus viris sibi adiunctis, in ædem vulgo D. Mariæ de Vineis, simul conuenientes, suæ rationis decretum in medium protulêre, ac dixerunt, sibi operæ pretium videri, vt, cum optimè intelligerent, quantoperè Adurnij præfectura & administratio in commune omnibus promiscuè displiceret, ad maiora incommoda atque pericula euitanda, noua gubernationis forma institueretur, eosque obnixè, multis rationibus adductis, cohortabantur atque orabant, ne præsentem occasionem sibi è manibus elabi paterentur, priusquam scilicet, nouis seditionibus concitis, Resp. in aliquod graue periculum ac discrimen incurreret. Nondum autem perorarant, cùm nonnulli ex his, qui maiori auctoritate pollebant, illorum colloquium interpellarunt, & aiebant, cùm de patriæ salute ac dignitate ageretur, vel minimam cunctationem sibi ancipitem & periculosam videri, seq; omnium primos fore pollicebantur, atque offerebant, qui hanc prouinciam in semet reciperent. Igitur, nulla mora interposita, summo studio atque ardore sese illis quàm plurimis agglomerantibus, rectà in prætorium, cum maximo cõcursu insanæ atque inconditæ multitudinis nouarum rerum percupidæ, contenderunt, eo quidem consilio, vt extemplò Adurnium principatu exuerent ac deturbarent. Ipse verò, tam subitò & inopinato casu haud parum perculsus, atque attonitus, cùm se, nullo fermè præsidio communitum videret, statim populum ad sonitum campani æris, quò sibi maturo subsidio aduenirent, exciri imperauit. Ceterum, paucis admodum suppetias ferentibus, seditionis concitores auctoresque, magno impetu fores curiæ, igne iniecto, concremarunt. quę vbi primum Adurnio cognita, vt sese præsenti periculo subtraheret, per auersam eius portam furtim digressus est, adeò vt hostes, occupato prætorio, confestim ad noui Principis creationem deuenirent, & absque vlla sententiarum discrepantia Dominicus Campofulgosius, qui præ ceteris à plebe mirificè adamabatur, Idibus Aug. tumultuariò Dux ac Princeps declaratus fuit. Sed quoniam ipse nullis legitimis calculis se ad supremum dignitatis apicem euectum intelligebat, hoc in primis maximoperè contendit, vt proximo die in ea consuetis cærimoniis, publicèque ac sollenni pompa confirmaretur. Quo quidem ex animi sententia peracto, nihil sibi potius & antiquius fuit, quàm vt capita & præcipuos quosque Fliscæ gentis, ex quorum municipiis quàm plurima damna inferebantur, acri bello persequeretur, eisque, præter reliquas clades illatas, initio subsequentis anni, arcem, vulgò Roccataliatam, quò sese plerumque, ceu in tutissimum asylum atque refugium recipere solebant, ademit. Externis motibus maiori ex parte cohibitis atque repressis, Genuæ Senatus consulto decẽ triremes egregiè instructæ, ac Thomæ Murchij, viri strenui, & magnis ausis prompti, auspiciis, emissæ fuerunt, qui fausta nauigatione in Melitem, insulam non procul à Pachyno Siciliæ promontorio sitam, expugnauit, & mox descensione in ipsam Siciliam facta, Mazariam vrbem iuxta Lilybæum promontorium cepit, atque diripuit. Quandoquidem hæc loca, insignes piratas Liguribus infensissimos, vnde ipsi haud rarò grauissimis incommodis afficiebantur, hospitio, atque omni humanitatis genere excipiebant. Quibus rebus felicissimè peractis, nauarchus diuiti præda & gloria onustus in patriam reuersus est. His locis tametsi Genuenses haud sanè diu potiti sunt, nihilominus tamen egregiorũ factorum simulq. clari viri memoria, neutiquã à nobis reticenda fuit. Dum hæc foris aguntur, Fulgosius, nonnullos præcipui nominis, inter quos fuit Gabriel Adurnius, sibi magis suspectos, vrbe prohibuit, ac mense Decembri duos ciues, alterum patriciæ dignitatis, alterum verò

Dominicus Campofulgosius Princeps renunciatus.

1371.

Melita à Genuens. expugnata.

verò popularibus ſtudiis addictum, qui prætextu Guelfarum partiũ clancularijs conſilijs in eius vitam conſpiraſſe ferebantur, in publico theatro ſecuri percuti iuſſit, adeò vt Ioannes Fliſcus Vercelli Antiſtes, illius familiæ tunc temporis facilè princeps, qui eiuſdem coniurationis particeps, cum octingentis equitibus Bargaliam vſque profectus erat, quàm primum ab ea expeditione receſſerit. Sunt qui tradant, eam conſpirationem à Thoma Illionò retectam & patefactam fuiſſe. *Franciſcus Vialdus.* Circa idem ferme tempus, Franciſcus Viualdus, vir ex præclara vetuſtaque familia, & eximijs dotibus ornatus, nonaginta locis, id eſt, nouem libratum millibus Remp. donauit, eo conſilio, vt ipſa deinceps illarum multiplicatione, ære alieno liberaretur, & præſertim ea parte, quæ vulgò Capitulum, ſiue coëmptio Capituli pacis nuncupatur; deinde in publicum emolumentum ac beneficium indies multiplicarentur. Hæc donatio tanti ponderis ac momenti extitit, vt niſi parentes priuata commoda, liberorum, nepotumq. ac poſterorum vtilitati præpoſuiſſent, communitas, ſeu Reſpub. haud dubiè nulli amplius obærata, permagnos redditus ea tempeſtate conſecuta eſſet.

Inſequentem annum & ciuilibus contentionibus, & Veneti belli innouatione fœdum, etiam dij contagioſa & diutina lue inſigniuêre. Quippè Fulgoſio rerum potiente, ciuitas, adeoque totus ager Ligusticus, annum & amplius, cum dira & ſæuiſſima peſte conflictatus; quò quidem tempore, Fliſci, caſtrum Rocataliatam, cuius ſuperius mentionem fecimus, aſtu & proditione receperunt. At in Cypro inſula rex Petrus ſub primam noctis horam in vrbe Nicoſia à ſuis fratribus obtruncatus fuit, eique Petrus, quem alij Petrinum vocant, interfecti regis filius, adhuc pænè puer, in regnum ſucceſſit, & contentio in ſollenni regij diadematis accipiendi de ſuperiori honoris loco inter Venetos ac Genuenſes orta, anſam atque occaſionem præbuit, qua omnes Ligures ea tempeſtate ibi reperti, grauiſſimam cladem ſubirent. Ceterùm, hæc, effluxo anni ſpatio, primò quidem Damiani Catanei, & mox Petri Fulgoſij auſpiciis egregiè ac fortiter vindicata fuit, adeò vt non modò illius auctores, condignas pœnas dederint, ſed etiam vniuerſa inſula expugnata, quæ poſtmodum, excepta Famaguſta, regi fuit reſtituta, ea tamen lege & conditione, vt Reip. quotannis ad certum tempus, quadraginta nummûm aureorum millia, tributi loco, perſolueret, ſicuti hęc omnia ſigillatim enarrabuntur. His rebus in Cypro quàm proſperrimè geſtis, poſtero anno, in vrbe, ac fermè per vniuerſam Europam, propter frugum egeſtatem & alimentorum pænuriam, tanta inopia laboratum, vt Genuæ per id tempus modius tritici ſexdecim florenis aureis, id eſt, viginti libris eius monetæ, paſſim diuenderetur. Proximus annus; ac etiam inſequens, Genuæ clade maritima multiſque aliis calamitatibus illuſtris. Nam priore, in mari Siculo vna ex Ligusticis triremibus, cui Lanfrancus Panſa cum imperio præerat, ſæua atque atroci tempeſtate coorta, cum omnibus, qui ea deuehebantur, æquoreis fluctibus hauſta, naufragio periit. Subſequenti verò, tres triremes, quæ menſe Decembri Famaguſta ſoluerant, vi tempeſtatis cælique truculentia ſummum periculum adiêre, vnaque ex his, cum remige, ac ceteris, qui ſeſe huic elemento crediderant, inter quos fuit etiam Nicolaus Spinula, vir, præter natalium ſplendorem, ſummis virtutibus clarus, qui Famaguſtæ præfecturam geſſerat, eodem infortunio ſubmerſa. Præterea duæ onerariæ, quarum altera Lumelina, altera verò Galla dicebatur, in eodem pelago demerſa, & perpauci incolumes euaſerunt. At veris initio, bellũ inter Venetos ac Ligures cum ſumma vtriuſq. gentis, ac præſertim Venetæ, pernicie redintegratum. de quo, eiuſque cauſa & ſucceſſu ſpeciatim

Grauis & funeſta contentio inter Venetos ac Ligures.

1372. 1373. 1375. 1376. 1377.

ſuo loco explicabitur. Fulgoſius interim, iam vltra ſexennium ſummæ rei cum præclara ſui nominis, ſuæque familiæ gloria, nec minori totius Reipub. dignitate ac beneficio præfuerat, cùm repentè, fatali, vt ita dixerim, vrbis genio, & quorundam ex præcipuis, qui dominandi cupidine accenſi, ad eundem Principatum per fas & nefas omnibus ſtudiis atque artibus anhelabant, impotenti ambitu, nouæ ſimultates atque diſſidia repullularunt. Vigebat quippè ea tempeſtate in Repub. Nicolaus Guarcus, vir ſumma auctoritate atque opibus florens; qui tametſi populares partes ſectabatur, tamẽ nobilitati mirificè fauebat, & hoc vnum præcipuè ſatagebat, quánam ſcilicet ratione, principem locum aſſequeretur. Superius cõmemoraui, Adurniam, & Fulgoſiam familiã, ob mutuas diſſenſiones ac inteſtina odia, vniuerſæ ciuitati admodum fatales ac exitioſas fuiſſe. Ceterùm, Guarca gens, vnde noua factio in eam irrepſit, ob eaſdem ciuiles diſcordias, ac ſimultates, non minùs certè, ſicuti inferiùs patebit, grauis Reipub. ac exitialis fuit: primuſque ipſe Nicolaus omninò extitit, qui præclaris animi corporiſque dotibus ornatus, eam ſummoperè illuſtrauit: eoque faciliùs ſupremum magiſtratum adeptus eſt, quò Fulgoſij adminiſtratio iam pleriſque nouarum rerum percupidis, moleſta atque inuiſa eſſe inceperat. His quoque accedebat fama ab æmulis & aduerſariis diuulgata, ſcilicet, Venetam claſſem, quo tempore adhuc bellum inter vtroſque populos ancipiti Marte gerebatur, portui Lunenſi imminere; Inſubriæque Principes cum expedita manu in fines vſque Liguſticos peruenisſe. Quibus falſis rumoribus Fulgoſius natura facilis ad credendum, commotus, ne hoſtilibus iniuriis ac periculis obnoxius foret, populum ad arma conuocauit; quod quidem illi ſummo detrimento fuit. Quandoquidem arma, ab vrbana multitudine, paulò antè in tutelam vrbis correpta, eueſtigiò in eum cõuerſa, & ſubinde omnia vario tumultu ac ſeditione miſcente, publicum palatium ab eadem occupatum, nemineque obſiſtere auſo, Princeps comprehenſus, & in eius locum Antoniottus Adurnius ſuffectus. Verùm cùm ea electio minimè à ceteris primoribus rata firmaq. haberetur, eodem die, nempe, decimoſeptimo Iunij, anno eiuſdem ſæculi octauo ac ſeptuageſimo, maturiori conſultatione habita, Nicolaus Guarcus à Senatu mutua omnium ordinum ſuffragatione Princeps renuntiatus eſt: cui, poſtquam Adurnius, ſuorum amicorum conſiliis inflexus ac perſuaſus, ceſſiſſet, actutum exorti motus conquieuerunt. At Fulgoſius vnà cum Petro ſuo fratre, non abſq. multorum commiſeratione, ac fortunæ ludibrio, humanarumque rerum inconſtantia, in vincula coniectus fuit, ibique in rigida & ſeuera cuſtodia aſſeruatus. Guarcus interim, rebus gerendis admotus, quò ſeſe patritiis iuxtà & popularibus, necnon Guelfis ac Gibellinis, promiſcuè amicum & fautorem declararet; ſtatuit, vt publica munia & magiſtratus ex æquo & pari iſonomia conferrentur; omnibuſque Fulgoſiæ familiæ aqua & igne interdixit. Quibus rebus domi conſtitutis; confeſtim ad res externas, animi curam & cogitationes adiecit, primoque, cùm ver adoleſceret, cum rege Pannoniæ, Patauij regulo, & cum ceteris fœderatis Principibus contra Venetos, quibus cum, vt demonſtratũ eſt, eo tempore aſperrimum bellum gerebatur, fœdus ac ſocietatem firmauit; & Marchioni Carretino reconciliatus, ab ipſo Albengam, & Naulum, quæ loca priori anno Reipub. abſtulerat, recuperauit. Cùm verò paucis pòſt diebus, in Venetorum, ac Principum Mediolanenſium gratiam, veteranorum legio, Stellæ cognomine inſignis, in vallem Pulciferam, vt eam variis depopulationibus atque incendiis infeſtaret, deſcendiſſet; ipſe ſuperioribus exemplis probè edoctus, quàm videlicet periculo-

Nicolaus Guarcus.

Antoniottus Adurnius Princeps declaratus.

1378.

1379.

riculosum foret, ob leues causas plebi arma suggerere, maturo ac prudenti consilio decem millibus aureorum inter ipsos milites distributis, effecit, vt tandem, post septem dierum spatium, illinc placidè abirent. Insuber tamen, circa hæc tempora, Nouium, haud postremum Liguriæ municipium, proditione occupauit. Et quia ipse Princeps Antoniottum Adurnium multis rationibus valdè suspectum habebat, quò sese in posterum omni metu ac periculo eximeret, ipsum exilio multauit, indeque postmodum inter illas familias, sicuti mox enarrabitur, grauissima odia & funesta dissidia exorta sunt, quæ deinde ingentem Iliadam malorum secum attulêre. Porrò, haud solus Adurnius, hac iniuria commotus, aduersus Remp. apertum bellum gessit, verùm etiam per idem tempus, Petrus Campofulgosius, quem paulò antè in carcerem coniectum fuisse diximus, frustratis custodibus elapsus, se statim Thurrigeris adiunxit, cum quibus oram Orientalem aggressus, haud leues turbas concitauit, licet, breui pòst, singulari industria & virtute Leonardi Guarci contra ipsos cum valido armatorum robore illuc profecti, maiori ex parte cohibitæ ac suppressæ fuerint. At pridie Non. Ian. subsecuti anni, Guarco rerum potiunte, ipsius auctoritate, ac Senatus consulto viginti ciues ex omnibus ordinibus selecti, ac renuntiati, qui vnà cum Senatu de rebus grauibus, & necessariis decernerent, cùm præsertim ea tempestate inter Ligures ac Venetos de summa imperij ac vtriusque Reip. salute ageretur. Interea temporis, cùm Ligures semper in Oriente aliquot præclaras vrbes sub imperio retinuissent, in Ponto Euxino casus quidam valdè memorabilis, & nullo pacto silentio prætereundus, accidit. Inter ceteros, qui Caphæ, olim Theodosię, varias negotiationes exercebãt, & propter mercium cõmutationem, sese in Cæsaris Trapezuntini amicitiam & familiaritatem insinuarant, Megolus Lercarius ciuis Genuens. nobili & peruetusto genere ortus, propter suas egregias animi corporisque dotes, vel præcipuum locum obtinebat. quo sanè factum est, vt hoc nomine magnã sibi apud quamplurimos, etiam ex primoribus, inuidiam atque odium conflaret. hique indies nouis consiliis atque artibus enixè dabant operam, vt is Cæsaris gratia & beneuolentia excideret. Cùm ergo inter aulicos Cæsaris Trapezuntij esset, & lateruunculis lusuque, vt fit, pomeridianas horas traduceret, in altercatione & iurgio ab homine, qui magnum gratiæ locum apud ipsum Cæsarem obtinebat, colapho cæsus, cùm iniuriam suam à Cæsare negligi videret, omnem iracundiæ ac generosæ indignationis impetum, humilitate auctoris spreta, in ipsum Imperatorẽ contulit. Proinde paucis pòst diebus, Genuam reuersus, animiq. mæstitiam squalore atque habitu corporis præferens, iniuria amicis & propinquis exposita, illorum opibus adiutus, duas triremes comparauit, atq. instruxit. Cum quibus, egregia florentis ætatis bellatorum, omnisq. naualis instrumenti, & bellici apparatus copia refertis, tanta maris emensus spatia, Euxinum ingressus, non populationibus modò, incendiis & vastationibus omnem Cæsarianæ ditionis oram breui infestam fecit, sed vim & iram implacabilis animi, memoriamque altæ insidentis iniuriæ voluentis, in miseros à se captos, fœdo supplicij genere expromebat, quos naribus & auribus amputatis, dimittebat, vt videlicet, contumeliam in ore acceptam, illa oris deformitate reddenda vlcisci videretur. Quibus acerbitatibus impulsus, tandem Cæsar quatuor triremes in illum armauit, quas Megolus, cùm aperta vi imparem se intelligeret, astu sollertique consilio elusas, vicit. Simulata enim fuga, cùm Cæsarianæ omnibus remigij viribus connixæ, fugientes insequerentur, disparique celeritate aliæ alias anteirent, Megolus, ob stratagematis sui successum lætus, pugnaque illo-

1380.

Megolus Lercarius.

rum segregata, cùm imbecilliores fore illos cerneret, in duas proximas cõuersus, reliquis longo interuallo sequentibus, easque adortus, ipso impetu & incursu oppressas cepit; quo exemplo reliquæ perterrefactæ, fuga salutem expediuerunt. At Megolus, triremibus suppressis, vsitata deformandi oris exempla in captos edidit, quos dimittens, nuntiare Cæsari iussit, vnam illi tantummodò esse, sese, ac populos suos è tantis cladibus eximendi rationem, si eum, qui ipsum iniuria affecisset, sibi in manus daret; aliter sibi de iniuria satisfieri non posse. Quod cùm Cæsar, inalis, & populorum fremitu victus, fecisset, Megolus hominem ad se adductum, calce prius in conscensu triremis in ore percussum, ad genua in humiles fletus proiectum, ac mortem quidem tam audacis superbiæ & arrogantiæ facinori debitam fatentem, sed tormenta & cruciatus deprecantem, benignè allocutus, bono animo esse iussit, cùm addidisset, egregiorum ac fortium virorum moris non esse, in mulieres sæuire. quod anceps dictum in muliebres hominis fletus, in specie iactum, famam gratiæ apud Cæsarem flore ætatis collectæ, obliquè perstringebat. Ceterùm cùm sibi affatim satisfactum esse diceret, vnam reliquam esse addidit erga Genuens. nomen satisfactionem, cui non minor, quàm ipsi facta esset iniuria, si Cæsar Trapezunte ædes publicas negotiatoribus Genuens. ædificasset, egregij facinoris serie in parietibus pictura expressa, & ad documentum sanciendum, ne quis in posterum illius nationis homines iniuriis cuiusquam obnoxios duceret. quas ædes Cæsar ex pacto ædificatas, homine recepto, Genuens. nationi domicilium assignauit. Postquam Lercarius priuatam iniuriam à priuato homine sibi inflictã, tam atrocibus factis vltus est, Genuam cum magno suo gaudio, omniumque amicorum congratulatione rediit, magnoque in honore ab ipso Senatu habitus, quòd tam præclarum excelsi & generosi animi specimen & documentum non semel cum maximo suo periculo præbuisset. Nihil enim præclarius, neque fortius ab eo geri poterat, quàm priuatis opibus innixus, tam potentem Principem ad tam ignominiosam pacis conditionem adigere. Quocirca, vt in posterum ipse suo exemplo profeciisse Reipub. existimari posset, vltra delatos honores, publicè ac priuatim multis muneribus donatus fuit, & insigni Reip. testimonio nobilitatus. Subsecuta est pax inter Venetos ac Ligures, magna cæde atque ancipiti & dubio euentu acriter, & contentiosè belligerantes. de cuius quidem conditionibus suo loco seorsum enarrabimus. At vix huic grauissimo & periculosissimo bello finis impositus est, cùm Genuæ iterum ciuiles simultates & iurgia repullularunt, occasione noui motus à popularibus orta. Nicolaus enim Guarcus, quem vrbis Principatum assecutum fuisse docuimus, ab eo tempore, quo bellum cum externis populis gestum fuit, magna cum prudentia ita Rempub. administrarat, vt singulis ordinibus suum honorem & pristinam dignitatem libenter contribueret; adeò vt cùm nobilitati primas, vt debebat, partes deferret, eamque tam domesticis, quàm externis honoribus insigniret, populares summa suspicione laborare cœperint, quòd illius indulgentia fieret, vt ipsi in plerisque capessendis honoribus præterirentur. Hinc nouæ turbæ, atque, vt fieri solet, diuersæ factiones ac studia. Erant namque in ipsa ciuitate aliquot patricij ordinis, qui occultè ac tacitè popularibus nouandarum rerum occasionem & spem præbebant, nimirum, cùm ipsi hoc pacto sibi ad Principatum aditum anxiè quærerent, scirentque, nulla commodiori via ad supremam dignitatem perueniri posse; nisi concitata plebe, & nouis excitatis tumultibus, inter quos præcipuè ferè erat Leonardus Montaldus, cuius superius non semel meminimus, vir haud dubiè industrius, & quòd summis opi-

1381. 1382. *Pax inter Venetos ac Genuens.* 1383.

bus

bus floreret, ac popularis esset. Antonius quoque Adurnius, Guercæ factioni mirum in modum aduersabatur, & præ ceteris omnibus infensus erat, ita vt in eius pernicie iugiter inuigilaret, & nihil non moliretur, quò illum Principatu exutum, opprimeret: & hic quidem apertè, & tanquam vnius partis Princeps, hostiliter se gerebat; ille verò clandestinis consiliis, tacitoq. populi fauore voti cõpos euadere contendebat. Sumpta igitur ab horũ familiaribus tumultuandi occasione, magnas in ciuitate turbas dedêre, & vnusquisq. primas in Rep. partes sibi vindicans, diuersa contentione multa in Rep. immutare annitebatur, & in primis quidem Magistrum iustitiæ, à Senatu pro præsenti illius temporis conditione introductũ, officio priuarunt, causantes, minimè Reip. expedire, vt vnus solus in tanta Rep. absolutã vitæ necisq. potestatem haberet, sed rerum criminaliũ supremam cognitionẽ & iudicium potiùs ad vrbis Prætorẽ pertinere, prout etiam hactenus fieri consueuerat. Prꝛterea satellitium, pro custodia Principis corporis adhiberi solitum, quod ferè octoginta stipendiariorũ erat, sustulerunt, quòd dicerent, hos sumptus non solùm ciuitati graues esse, at planè inutiles, cùm verum Principem nõ tam præsidiaria cohors, quàm populi beneuolentia, & Reip. benè administratæ conscientia, tutum, atque ab omnibus periculis securũ præstare soleant. Hæc popularis licentia neutiquã eo loco, quo incœpit, constitit: sed vlterius progressa, paulatim nouæ querelæ passim audiebantur. Laniones enim querentes, se duriùs quàm solebant, tractari, & subinde nouis vectigalibus aggrauari, onus deprecabantur. quorum postulatis cùm Princeps minimè assentiretur, sed reddita ratione cur id fieret, edoceret, inhiberi non potuerunt, quin magna ira accensi, dirum fremerent, & nouos tumultus concitarent. Inhibuit tamen illorum ad præsens conatus, non tam Reipub. reuerentiã & maiestas, quàm quòd se nullæ aliæ decuriæ agglomerarent. Proinde finitimos agrestes, atque alios pleroſque socios & familiares ad vrbem excibant, vt eorum præsidio tutiores, aliquid, si recèns, tentato Senatus animo, repulsam ferrent, grauius molirentur. Insecuta fuit magna totius ciuitatis confusio, adeò vt incolæ trium Vallium, qui partem occiduam inhabitabant, audito campani æris sonitu, multò citius & frequentius, quàm fieri consueuerat, se armis atque telis instruerent, magnoque impetu agminatim discurrentes, in vrbem irreperent. Plebs itaque, hac noua indigenarũm accessione aucta & armata, multò quàm antea, ferocior facta, cateruatim discurrebat, populique nomen sublatis & ingeminatis multis vocibus, subinde inclamabat, habitæque passim conciones, quibus portoria, exactiones, & reliqua noua imperata vectigalia, abrogari ferociter contendebat: in eoque impetu iustitiæ Magister, & quidam decurio, qui sese effrenæ populari licentiæ fortiter oppoſuerant, miserè contrucidati sunt. Tanta enim erat popularis factionis frequentia, vt nulla essent ciuitatis compita, vel regiones, in quibus homines armati non conspicerentur, & mira vociferatione inconditisque vocibus non tumultuaretur. Sunt enim qui tradant, statim post contrucidatos, quos supra recẽsui, patricios sese populari seditioni immiscuisse, & supra duo virorum millia cuiuslibet gradus & cõditionis in Dominicanum templum conuenisse, vt insanæ ac ferocienti plebi obuiam irent, agrestemque illam & indomitam rusticorum turbam & ferociam communibus armis retunderent, inter quos Leonardus Montaldus conspicuus erat, & cum multis plerisque aliis popularis factionis Reipublicæ reformationem solicitè efflagitabat, omnemque occasionem quærebat, vt oppressa nobilitate, euersisque patricij ordinis viris, ipse cum suis per vim principatum occuparet. Fecit enim rogationem pro populo, vt omnes Principis

Genuæ popularis tumultus.

Magister iustitiæ à plebe trucidatus.

consiliarij, atque Antiani ciues, sic enim vrbis Decuriones vocabant, deinceps populares essent, & vectigalia, quæ in primis super annona & commeatibus imposita erant, maiori ex parte summouerentur; adiiciens, flagellata annona, commodè in ipsa ciuitate viui non posse. Verùm, cùm hac in re citra Principis consensum vel voluntatem, nihil omninò statui vel decerni posset, ipse, quòd plurimum populi fauori inniteretur & fideret, cõueniendi Senatus partes sibi desumpsit; existimans, se, cùm natura valdè ambitiosus esset, & gloriæ summoperè appetens, hoc modo faciliorem aditum ad Principatum, quem mirificè optabat, assecuturum esse. Dux, à Patribus derelictus, & tantummodò à duobus fratribus germanis, qui cum exigua manu & paucis familiaribus, qui illi subsidio venerant, concomitatus, agnita populi voluntate, se ad omnia facilem, necessitatis summa adductus, exhibuit. Et quò magis populi furorem inhiberet, & communitati consulere videretur, abolitis aliquot decretis, & rescissis multis sanctionibus antea promulgatis, publicè ex Curiæ fenestris libellum, in quo hæc omnia continebantur, proiecit. Hoc modo ad præsens delinitis plebis animis, aliquantisper ab armis temperatũ, & sensim multitudo ex hominum oculis euanuit. Eadem nocte Dux priuatum Senatum habuit, & de Reip. statu grauiter disseruit. Et quia valde expedire ad constituendam tranquillitatem publicam videbatur, si, abrogatis nonnullis patricij ordinis publicis muneribus & dignitatibus, populares eorum loco succederent, decretum fuit, vt ad pacificandã Remp. deinceps maior democratiæ ratio, quàm antea, haberetur. Hac, qua diximus, ratione motus aliquantisper repressi. Postero die rursus innouati sunt. Nonnulli etenim ex vulgo, huic nouæ sanctioni & decreto minimè acquiescentes, magna contentione instabant, vt octouiratus popularis, penes quem arbitrium atque potestas nouarum legum condendarum esset, designaretur; inter quos Montaldus, tanquam bene de populo meritus, omnium votis annumerari & reponi expetebatur. Interim illi, qui vrbis prouisores dicebantur, summo studio atque labore dedêre operam, vt conciliatum vulgus, depositis armis, melioribus cõsiliis modum constitueret, & seditionibus finẽ imponeret, ac etiam vt agrestis illa & rustica colluuies, quam in vrbem irrepsisse docuimus, confestim ad suos rediret; sed tanta fuit plebis animi pertinacia, vt nullius auctoritate, vel persuasione, ad saniorem mentem inflecti potuerit, & in tam magna rerum omniũ perturbatione, ipsimet nesciebãt, quidnam pręcipuè peterent. Quidam enim, sublato clamore, populi nomen ingeminabant: alij nouum Principem, nemine tamen nominato, exposcebant: pleriq. vectigalium abrogationem, & annonæ subsidium implorabant. aliqui etiam, sed illi quidem pauci, Antoniotti Adurnij alta voce nomen extollebant, tacitis suffragiis ipsi principatum deferentes. Nec his tumultibus contenti, ad tam magnum animi furorem dilapsi sunt, vt Antonium Bufferium, publicorum redituum collectorem, ad sedandum tumultum concurrentem, nulla præbita occasione, cum blandissimis verbis eorum animos demulcere conaretur, interficerent. Quidam etiam, factionis Fulgosiæ studiosi, postulabant, vt omnes eius familiæ profugi & proscripti, in patriam restituerentur, aliæque aliorum inconditæ voces diuersa postulantium, exaudiebantur, adeò me herclè, vt nullo equidem, quod sciam, tempore, Resp. licet antea sæpius afflicta, & conturbata, maius discrimen adierit. Nemini enim dubium erat, quin tunc temporis planè pessum data fuisset, nisi cum magno totius Ligustici nominis beneficio, pauci aliquot ciues, de communi tranquillitate ac veteri Reip. dignitate valdè soliciti, cõmunicatis sententiis, omnes suas rationes & studia, ad illius conseruа-

seruationem contulissent. Videbant siquidem fieri non posse, vt in hac extrema totius ciuitatis confusione, Respub. ab interitu retraheretur, nisi aliqui, & illi quidem optimi ciues, salutis curam & administrationem in se deriuarent, & ceu experti medici salutare pharmacum ægrotanti exhiberent. Ipsi itaque inuicem iuramento obstricti, Leonem nigrum in societatis argumentum pro insignibus gestabant. Horum beneficio & auctoritate factum fuit, vt insana multitudo sensim desisteret. Interea, Princeps cũ suis amicis & clientibus in prætorio se anceps animi continebat, expectans, quem tandem rerum exitum hic tragicus tumultus sortiretur; tantoque metu premebatur, vt nihil prorsus quod ad Reip. administrationem pertineret, attentare auderet: tandem animo à quibusdam confirmatus, pauloque audentior solito factus, populum ad ictum æris conuocare statuit, vt periculum faceret, num aliquod salutiferum remediũ in his tantis præsentibus malis adhiberi posset. Conuocata igitur in concionem plebe, à miseriis & deplorando Reip. statu exorsus, seueram magis & acrem, quàm mitem, vel demissam orationem habuit, subinde rogans, quánam sua culpa factum esset, vt per tot assiduos dies citra aliquam intermissionẽ tumultuati essent. Se nũquam fuisse eo animo, neq. ingenio à natura ita institutum, vt Principatum bonis artibus, ordinumq. totius ciuitatis cõsensu partum, per vim, refragante populo retinere vellet, nimirum cùm toto principatus sui tempore, semper enixè operam dederit, vt nihil temerè constitueret, quod quauis de causa ab aliquo in suspicionem, vel dubium deuocari posset. Exuerent igitur furorem, ac omnem animi acerbitatem relinquerent, exhortabatur. Si enim ciuitatis tranquillitas propter se vnum perturbaretur, promptum se & paratum asseuerabat, vt, publicæ quietis constituendæ causa sponte supremo magistratu abiret. Nunquam enim futurum, vt illum animum, quo egregiè erga Rempub. esset animatus, quacumque conditione esset, siue priuatus, siue Princeps, mutaret, vel deponeret. Qua in re, vltra quòd sibi probè esset conscius, se ita semper in totius Reip. oculis vixisse, vt si in Senatu causam dicere iubeatur, se nõ subterfugere, quin hoc lubentissimo animo faciat, cùm nihil probo & honesto viro, atque optimè de patria & de ciuibus suis merito, iucundius, vel etiam præclarius inueniri queat, quàm actionum suarum rationem, & planè totius vitæ suæ cursum, per innocentiam ductum, citra mendacium recordari & recensere. Quòd si alia essent præter illa, quæ populum torquerent, vltrò dicerent. Vnicuique enim per se liberæ vocis potestatem fieri, nec per se stare, quò minus saniora consilia, si quæ reperiri & excogitari possent, locum inueniant, & auidè à se amplectantur. Si verò omnis rei difficultas, in vectigalibus aliisque publico bono institutis & imperatis consisteret, perpenderent ipsi, vtrum hæc cum priuato eius commodo magis quàm cum publica vtilitate coniuncta essent. Quis enim est tam stupidus, vel tàm malè de Reip. status conditione informatus, qui ignoret, publicos sumptus ad tot bella, quibus inuoluebantur, necessarios, sustineri, vel tolerari non posse, nisi ærarium publicum vectigalibus aliisque communibus censibus instauretur: cùm illud in confesso sit, neque gentium quietem sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributo consistere? Cùm hęc & similia, quæ ad rem maximè pertinere existimabat, grauiter atq. disertè pro concione dixisset, tantam in animis inconstantis & imperiti vulgus vim habuêre, vt in tanta animorum ac sententiarum distractione, quàm primum mitiores facti, sublatis vocibus responderent, nihil aliud se ab eo postulare, quàm vt sublatis, vel saltem mitigatis portoriis & vectigalibus, pristinam dignitatem in Principatu, prout consueuerat, retineret. Exulabat

tunc temporis Antoniottus Adurnius, qui amicorum suorum litteris commonefactus, in quo statu Respub. versaretur, clàm eo consilio in vrbem irrepserat, vt aliquid noui ex occasione moliretur. Hoc, cùm Duci, ac Senatui innotuisset, ad auertendum nouum seditionis incendium, enixè per suos internuncios operam dedêre, vt ipse quã primùm vrbe excederet, polliciti, statim, pacato Reip. statu, se illum in patriam restituturos. Res tamen ea tam feliciter, vel industriè tractari nequiuit, quin Adurniæ factionis studiosi, perbellè rem ipsam cognoscerent, & subodorarentur, adeò vt vbi primùm ipsum discessisse compertum habuêre, variis sententiis distracti, aliqui eorum essent, qui opinarentur, ipsum iussu Senatus in mare præcipitatum, atque submersum esse: aliqui verò suspicabantur, ipsum, clanculùm capite plexum: aliqui demum ab his diuersi, illum adhuc in vinculis distineri asseuerabant. In hac tanta animorum diuersitate & discrepantia cùm eius factionis homines subinde versarentur, magnus fuit in ciuitate ea de causa exortus tumultus, sic vt mille ferè armati homines in armis conspicui, passim per vrbem discurrerent, palamque profiterentur, se non prius ab armis discessuros, quàm vbi ipse Adurnius, & in quo statu esset, edocerentur. Potiorem enim illorum partem opinio inuaserat, illum insidiis Senatus fuisse oppressum. Hæc pertinacia effecit, vt tamdiu tumultuarentur, donec Leonardus Montaldus, cuius fidei plurimum tribuebant, ipsos, iureiurando interposito, doceret, nihil Adurnio mali, vel humanitùs accidisse, illumq. Sauonæ liberum commorari. Huius viri auctoritas apud imperitum vulgus hoc assecuta est, vt per aliquot assiduos dies ciuitas à tumultibus respiraret, Octouiratu, quem ipsi Prouisores vocabant, interim suam veterem auctoritatem & dignitatem retinente, quibus, iussu Senatus prouincia potissimum incumbebat, vt reprimendis & restinguendis turbis auctores populo forent. Hi, quoniam secretò Principem suprema dignitate submouêre mirum in modum cupiebant, retinendæ maioris quietis prætextu, suffragante Guarco, ipsi Adurnio liberam potestatem in vrbem remigrandi fecêre: quam rem Princeps & Senatus, ægrè, vti par erat, ferebat, cùm suam auctoritatem eo modo haud parum infringi & deminui animaduerterent. Proinde maiora veritus, & nulla ratione temerè aliquid popularium animis fidendum statuens, cùm multorum studia in se conuersa esse videret, quadringentos milites illarum Vallium, qui eius partibus adhærebant, specie præsidij ac securitatis in vrbem accersiuit: quæ sanè consilij ratio vsqueadeò illi fuit perniciosa, vt maiori ex parte causa extiterit, quò eius excidium accelleraretur: Siquidem Adurnio in vrbem reducto, suarum partium studiosi, aliique, qui hactenus Principi & Senatui, non tam apertè, quàm occultis consiliis aduersabantur, occasionem arripuêre, quasi viribus confirmati, illum apertè inuaderent, auctoribus potissimum ipso Adurnio, Montaldo, ac Petro Campofulgosio, qui hac de causa amplius tria armatorum millia in armis coniunxerant. Contrà verò, Guareus de his tantis paratibus commonefactus, & quorsum illorũ studia spectarent, præsentiens, se cum suo satellitio, clientibus, ac fidissimis sibi quibusque in prætorio ad omnem vim coërcendam communiebat. Exiguo tempore interiecto, aduersarum factionum confœderati in vnum conglobati, nũ secus quàm aperta acie dimicaturi, instructis ordinibus sub vexillis progressi, Principis palatium obsidione cinxerunt, multisque ignitis telis, aliisque missilibus, & artificiosis pyragmatis fores incendere conniti, ab eius defensoribus mira alacritate & robore prohibebantur, ita quidem, vt vtrimque certamine exorto, diu vario Marte dimicatum sit. sed cùm oppugnatores subinde numero viribusque

que adaugerentur, & Princeps se tantæ multitudini longè imparem conspiceret, fortunæ cedens, se furtim cum Antonio suo filio & fratribus in ædē D. Laurentio dicatam, subduxit, hoc modo concitatæ plebis & inimicorum manus elapsus, ac parum sui securus, intempesta nocte cum summo silentio Finarium versus conscenso lembo iter cepit, relicto eo Principatu, in quo per totum quinquennium non solum se strenuè ac honorificè gesserat, sed multa cum dignitate, tum vtilitate Reipub. administrarat. Dolendum profectò, malo ciuitatis fieri, vt bonos fermè Principes tolerare nequiret. Nā Ducali prætorio in horum triū factionū ciuium potestatem relicto, statim inter illos graues & exitiosæ turbæ ac dissidia exorta sunt, cùm singuli, opibus atque clientelis confisi, miris artibus ad supremum dignitatis gradum aspirarent & contenderent, tanto me hercle omnium bonorum cum dolore, potius dicam, an commiseratione, vt optimates, ceteriq; nobilitatis fautores, cùm nullis horum apertè adhærere, vel fauere auderent, ambiguis animis & incertis consiliis propemodum conficerentur. In palatio etiā publico, quasi iam diuisa, & redacta in duas potissimum partes ciuitate, duo diuersi cœtus cogebantur, & Montaldus quidem cum maiori parte primorum ex populari factione, seque in cubiculum Abbatum, vt ipsi vocabant, receperat, vt habitis deliberationibus rogatisque sententiis, nouum Principem designarent. Adurnius ex altera parte cum sociis atque amicis, & totius Plebis quodammodò fece, superiorem curiæ partem sibi tanquam propriam delegit, seque in Ducali solio constituens, à promiscua multitudine circumdatus, inconditis suffragiis & vocibus totius ciuitatis Princeps salutabatur, ac, quò firmiùs in Principatu constabiliretur, ad æris campani sonitum per totam ferè vrbem eius nomen ingeminatum est, quasi totius ciuitatis testimonio & consensu Princeps renunciari deberet, præsertim cū Campofulgosius, quem tertium omnium seditionum auctorem esse demonstrauimus, & nonsecùs ac olim Romæ sub Triumuiratu, scilicet Augusti, M. Antonij, ac Lepidi, dudum Romanum imperium administratū fuit, etiam partiri Remp. cupiuerat, tacita consensione assentiri videretur. Montaldus cum suis, nihil omninò his rumoribus publicis deterritus, Fridericum Paganum, qui neutri parti hactenus fauerat, cum magno suæ factionis applausu Principem declarauit. Id vbi primùm ab his auditum est, qui pro Antonij partibus stabant, cuestigiò, summo cum impetu, relicto palatio, in publicum processēre, ac lymphatis similes, toruis oculis, & fœdo vultu, minitabundi discurrentes, anxiè in ipsum Fridericum, vt interficerent, inquirebant. Sed cùm ipse esset natura placida, & ingenio planè tranquillo ac quieto, & qui nihil magis quàm supremum honorem, tantis periculis obnoxium, auersaretur, magna cum festinatione ex curia aufugerat: Montaldus tamen ad tempus aliquid sibi temperandum ratus, non vlteriùs quicquam illo die aggressus est, at sensim se cum suis domum recepit. Postero tamen die, cùm esset, vti diximus, excelso atque ambitioso animo, & planè eiusmodi, vt nullum periculum honoris gratia subire recusaret, cum sexaginta armatis in fanum D. Syri secessit, quò etiam, in illius gratiam, magna ciuium frequentia quamprimùm confluxit. Hic variis sententiis de Reipub. statu & gubernationis forma disputatum est, omniumque sententiis huc inclinatum, vt dicerent, Reipub. summoperè conducere, vt ipse, eius præcipuam curam in se deriuaret, quæque ex eius vsu essent, pro solita limatissimi sui iudicij rectitudine prospiceret atque statueret. Huiusmodi potestatem custodiendæ Reipub. nactus, indies magis atque magis animi securior factus, imperium Reipub. sibi astruere per fraudem & recti specie contendebat;

bat; & quò honestiùs secreta sua consilia obtegeret, quadraginta ciues, quorum fidei & beneuolentiæ plurimum confidebat, elegit, quorum arbitrio supremi magistratus electio permitteretur, causatus Adurnij electionem irritam ac prorsus inanem esse, quòd nullis legitimis suffragiis, sed potius consilij præcipitantia, & infimæ plebis ignoratione facta esset: nullaque mora interiecta, ipse, horum consensu & crebris suffragationibus Reipub. Dux creatus est. Ceterùm, inter tot congratulantium turbas & consalutantium amplexus, magna vultus orisque firmitudine, quasi nihil noui sibi accidisset, vnumquemque, prout eius conditio requireret, excepit, sæpius in corona omnium præfatus, se vltra semestre Reipub. cum summo imperio præesse nolle, ac se Principatum, eo animo, quo assumpserat, quotiescumque Reip. expedire visum esset, depositurum. Hoc singulari, & planè incredibili verborum lenocinio, vultuque constantia Senatum etiam, ceteroque patricij ordinis illexit, vt Senatus Adurnio significaret, vt se quamprimum magistratu, ad quem temerè profectus erat, abdicaret, & Montaldo legitimè renuntiato, cederet: cuius voluntati etsi reluctari videbatur, ita vt aliquid vlterius ausurus crederetur, tamen suorum amicorum consilio ab instituto destitit, & rei supremam administrationem ipsi Montaldo permisit, cui de more sollenni Ducale sceptrum aliaque Principis ornamenta, tradita publicè fuerũt cum incredibili totius ciuitatis voluptate & gaudio, quòd hoc modo seditiones, quas prius summo cum detrimento perpessi erant, sublatas, & otium Reipub. postliminiò restitutum iri crederetur. In hoc rerum fermè tractu, Petrus Lusinianus Cypri rex, fatis concessit; eique Iacobus patruus, qui ea tempestate vnà cum coniuge Genuæ in vinculis asseruabatur, in regni administrationem, consanguinitate & hæreditario iure proximus, successit. Montaldus, vbi de illius morte intellexit, operæpretium se facturum existimauit, & in primis Reipub. conducere videbatur, vt huic è custodia exempto, publico nomine de tanti regni successione congratularetur. Proinde assumptis aliquot proceribus, ipsum septimo Idus April. quo ad Principatum euectus fuerat, inuisit, ac pristinæ libertati restituit, aliaque omnia hospitalitatis & humanitatis officia exhibens, illum amicè amplexus, placidis verbis consalutauit, omnemque operam ac singulare studium Reip. nomine pro pacifica regni successione, aliaque ad iter necessaria obtulit. Lusinianus incredibili gaudio perfusus, commutata sorte, & præteritæ fortunæ acerbitatem insperata dignitate solatus, illi cum multis lachrymis ingentes gratias egisse dicitur, Reipublicæque omnem beneuolentiam, ac veræ animi integritatis studia promisisse, cùm fateretur, se multis beneficiis erga Rempub., licet in custodia, paucorum oppressione & inuidia, contra bonorum omnium voluntatem asseruatum, obstrictum atque obligatum esse. Se igitur non commissurum, vt aliqua de causa in posterum ingratus deprehenderetur. Itaque statim libertate donatus, possessionem Famagustæ ac tributum, paucis antè annis, vt diximus, à Genuens. Repub. Cypriis regibus impositum, sollenniter confirmauit, pauciscque interiectis diebus, iussu Senatus Nicolaus Maruflus cum decem triremibus bene præparatis atque instructis, ipsum regem in Cyprum saluum atque incolumem deduxit. Dimisso Lusiniano, Montaldus ad rerum ciuilium administrationem animum intendit, primoque ab omnibus præcipuis familiis more solito tanquam Reip. Princeps visitatus & salutatus est: néue, mutata dignitate, minus popularis esse videretur, quindecim ciues populares delegit, quorum consilio deinceps in rebus grauibus vteretur, nobilitate omnibus Reipub. muneribus & magistratibus penitus excluſa. Hoc modo

Leonardus Montaldus Princeps creatur.

Iacobus Lusinianus.

modo sibi firmũ Principatum astruxisse ratus, ac plurimum fiduciæ in populari beneuolẽtia reponens, Nicolao Guarco, ceterisq. eius fratribus, ac reliquis suis æmulis liberam potestatẽ fecit, vt, si modò illis integrum esset, in vrbẽ postliminiò reuerterentur; iniuncto tamen, vt sese ære alieno contracto eximerent. Et quò plebem sibi arctiùs deuinciret, vectigalia, aliasque publicas exactiones imperari solitas, partim imminuit, partim sustulit. eoq. faciliorem sese in his præbuit, quò ciuitas per id tempus, tam graui peste laborabat, vt amplius nõgenti, singulis hebdomadibus, vtriusq. sexus eo morbo interirẽt. Superiùs diximus, Montaldũ non alia conditione assumere voluisse Principatum, quàm vt tot, tamq. variis tumultibus finis ac modus constitueretur, eumq. eo animo post semestre depositurum, quo illũ publici boni gratia adierat. Exactum igitur erat tẽpus illud ab eo præfinitum, stabantq. omnes erectis animis dubiaq. spe accensi, vtrum quod se vltrò facturum dixerat, re ipsa adimpleret, & magistratu exiret. Verùm, post longã expectationem is rerum fuit exitus, vt ipsum nihil minus in animo habere deprehenderetur, quàm eam dignitatem, ad quam mira cautela peruenerat, sese spoliaret. Quandoquidem tanta prudentia, tantisque artibus sibi solida Principatus fundamenta iaciebat, vt non dubium foret, quin se in Reip. imperio contra omnium aduersariorum vim & iniurias probè quàm diutissimè tueri ac defendere posset, præsertim cùm nulla esset politica ratio, quæ ab ipso prætermissa, vel neglecta esset, adeò vt, nisi immatura mors præueniisset, non facilè à summo amplitudinis fastigio deturbari potuisset. Sed tabifica lue, quæ tunc temporis, vti diximus, in ciuitate admodum grassabatur, correptus, cùm tamen alioquin sic satis firma & bona valetudine antea vsus esset, Idibus Iunij cum incredibili omnium bonorum atque adeò totius vrbis, dolore ac mæstitia, vitæ suæ cursum absoluit, vno tantummodò anno in Principatu exacto; in cuius locum, citra aliquam seditionem vel strepitum, omnium ordinum cõsensu Antoniottus Adurnius Reipub. Princeps designatus est. Hic, quia non semel antea Reipub. administratio illi demandata & permissa, vti commemorauimus, fuerat, valdè circumspectè sese in eadem hac tempestate gessit, popularium, puto, veritus inconstantiam, & leuitatem, qui iisdem animis plerumque aliquem è supremo solio deturbare solent, quo eum extulêre. Ipse igitur Prædecessoris sui vestigia secutus, paucula circa rerum politicarum statum innouauit. Guarcus statim, sub huius Principatus initium, sponte vrbe excesserat, quòd indignè ferret, tantum suum aduersarium, cum quo tamdiu simultates atque odia exercuisset, præter spem & opinionem in vrbe rerum potiri; Finariumque concesserat, vbi haud multo pòst ab illius oppidi regulo, in gratiam Adurnij noui Ducis captus est, & paruo interiecto tempore, ad eum Genuam transmissus, illiusque iussu in Ericis arcem ablegatus, atque ibi admodum duriter, & planè, vti dicunt, inhumaniter, hoc est, longè infra suam conditionem, asseruatus fuit. Adurnius ad confirmandum sibi Principatum, composito rerum vrbanarum statu, externa etiam bella vt consopirentur, summo studio annitebatur. Ceterùm, anno eiusdem sæculi octogesimoseptimo, aliquot conspirationes aduersus eum retectæ sunt, eaque de causa tres fratres Iustiniani, de Garibaldo, nempe Franciscus, Raphael & Leonardus, inter populares summæ existimationis, quòd coniurationis participes essent, extrema veriti, clam vrbe excesserunt. At Nicolaus Maruffus, Raphael Ponzonus, Ianottus Marius & Thomas Pinellus in summam deuenêre suspicionem, quòd eiusdem conspirationis vel auctores essent, vel saltem consci. Proinde iussu Principis in vincula coniecti, & quæstio de illis habita est, & quòd culpa

1284. *Antoniottus Adurnius Montaldo in Principatu succedit.*

1385.
1386.
1387.

non

non vacarent, magna pecuniæ ſumma multati, & in longinquas inſulas more maiorum deportati. Adurnius, inteſtinis his malis, atque adeò domeſticis periculis ereptus, cùm eſſet animo ſupra modum excelſo, & maximis quibuſque curis pari, aſſiduè ſecum aliquid meditabatur, quò non ſolùm Reipub. dignitatem ac potentiam augeret, ſed etiam nomen ſuum illuſtraret. Proinde cùm intelligeret, regem Tunetanum cum aliquot ſuis nauigiis omnem Liguſtici littoris tractum ſubinde inquietare, duodecim triremes inſtruxit, iiſdemque Raphaelem ſuum fratrem præfecit, vt Barbarorum inſolentiam & quotidianas iniurias coërceret. Raphael, vt nihil infra hominum exiſtimationem gereret, ſumma cum alacritate aſſociatis ſibi quinque Piſanorum triremibus, ac tribus Manfredi Claramontij Siciliæ nauarchi onerariis, in Africam confeſtim enauigauit, inſulamque Meningam, ſeu paruam Syrtim, quam nunc Zerbas vocant, multis victoriis, ſed recenti funeſta clade ibidem à noſtris accepta, nobilem atque illuſtrem, adortus eſt, eamque armis recepit, & totius inſulæ adminiſtratio ipſi Claramontio, conſentiente Raphaele, & acceptis triginta ſex aureorum millibus honorarij nomine, permiſſa eſt. Adurnius, rebus in Africa feliciter geſtis, longè maiori ſtudio, quàm antea, omnes ſuas curas animique cogitationes ad externas expeditiones contulit, annoq. ſubſequenti, qui fuit eiuſdem æui vndenonageſimus, ad expugnandum Tunetum validam claſſem adornauit. Afri enim vniuerſam Italiæ oram, inſulaſq. inferi maris, crebris excurſionibus mirum in modum infeſtabant, ac multis illatis cladibus, cum ſummo totius Reipub. Chriſtianæ incommodo iuxtà ac dedecore, omnia longè lateque depopulabantur. Verùm, cùm tanto ſuſtinendo bello ſe impares conſpicerent, expedire ipſi Duci reliquiſque Patribus conſcriptis videbatur, vt Galliæ rex, ad belli ſocietatem miſſis legatis, inflecteretur, nimirum cùm Gallica potentia eo tempore vſque adeò eſſet magna & valida, vt maximæ quæque Prouinciæ eius armis vel eſſent receptæ, vel protegerentur. Quocirca Senatus confeſtim ad Carolum VI. tunc Galliæ regnum adminiſtrantem, aliquot oratores, viros graues, Reipub. nomine miſit, qui ab ipſo rege in colloquium admiſſi & amanter excepti, facta dicendi poteſtate, oratorum maximus in hanc ſententiam exorſus eſt.

Expeditio aduerſus regem Tunetanum.

1388.

Inſula Meninga à Genuenſ. occupata.

1389.

Oratio Genuenſ. legati habita coram rege Galliarum.

Nemo noſtrum ambigit, Inuictiſſime Rex, huius præſtantiſſimi tui ſimulq. Chriſtianiſſimi regni Maieſtatem adeò fuiſſe magnam, omnibuſque ſuis hoſtibus formidabilem, vt ſolo nominis ſui terrore, tanquam certiſſimo belli fulmine, Turcas, Sarracenos, ceteroſque Religionis Chriſtianæ hoſtes, non modò ab Europæ faucibus arcêret, ſed etiam intra Tauri montis iuga compreſſos, ac ne egredi quidem auſos, contineret. Hinc illa immortalis gloria, quæ maioribus tuis, tibique, atque adeò florentiſſimi regni tui poſteritati, propter tot inclytas victorias de tantis hoſtibus reportatas, ſempiternùm debetur. Hinc demùm illa illuſtriſſima Galliæ nuncupatio, quæ non gentis, ſed Chriſtianæ fidei habita apud ipſos Barbaros fuit. Macte igitur eſto gloria atque virtute, inuictiſſime rex, ac ne patiaris, vt neceſſariæ tuæ alioquin curæ & domeſticæ occupationes te ita à rerum Orientalium ſtatu retrahant, vt Chriſtiana Reſpub. aliquo nouo & inſigni detrimento afficiatur. Quondam maiorum tuorum arma Euphratem, ac Nilum, iugum ferre compulerunt. nunc omnibus in deterius labentibus, videmus circa Euphratem & Nilum crudeliſſimos & immaniſſimos hoſtes imperio atque opibus florentes, qui, deſpectis noſtris viribus, contemptiſque piorum Principum armis, Aſiæ atque Africæ longè lateque dominentur. Quis enim eſt tam ſtupidus, & humanarum rerum ignarus, vt non videat, quorſum hæc barbarica

barica ambitio, & dira crudelitas euasura sit? Europam namque sensim transgressi, Byzantio certa spe imminent, Hungaros, fortissimam gentem, nouis excursionibus ita terrent, vt nisi oppidò nouis auxiliis adiuti fuerint, planè de rebus suis desperent. Taceo Hispanias, quas ferè omnes tot iam ætatibus obtinent. Nec ea commemorabo, quæ magis deploranda, quàm recuperanda existimari possint. Eò namque ventum est, vt Barbari, Terrarum dominos non temerè se dictitent. Nec ea contenti re, mari etiam insultant. Narbonensis siquidem Prouinciæ maritimam oram præteruolant, tanta me herclè cum audacia, vt parum absit, quin ora miserorum hominum ex littore spectantium, remis respergant. Hæc sanè, licet grauia sint, & pænè eiusmodi, vt intolerabilia esse videantur, feruntur tamen aliquo modo, si cum aliis longè grauioribus in comparationem veniant. Quis enim ignorat, quàm miserum sit, quòd nos, continentemq. Galliæ Liguriam, atque exiguo tantummodò amne diremptam, insulasque in mutuo nostro conspectu sitas, piratica, assiduisque latrociniis infestas faciunt, non secus ac si Gallis cum Genuensibus eadem fortuna in omnibus externis expeditionibus aduersus Barbaros cõmunis esset. Galli enim superioribus tẽporib. sanctissimã vrbem seruitute Barbarica eripuêre, nobis in partem periculi glorieq. receptis, adeò vt ex eo tempore nunquam finem fecerimus, Gallorum sacra aduersus impios arma, virtute, pietate & officio, quoad eius fieri potuit, iuuandi. Nos enim illis maioribus sumus orti, vt etiam, vel consentientibus nostris hostibus, præclara facinora pro religione Christiana non semel ediderimus. Nunc, ne ab eorum virtute, & parta gloria degenerasse videamur, sacrum bellum in Afros, aliosque scelestos & impios hostes necessariũ, coactiq. magis quàm sponte suscepimus. Illi enim nos vltrò petunt, nec aliquem incursionibus, vel prædis finem aut modum faciunt, vel norunt. Sed igni ferroq. nos assiduè (quod nisi cum graui gemitu efferre possum) crudeliter diuexant, & depopulãtur. Habemus enim ditionem nostrã, adeò illorum iniuriis expositã, vt hac vsi ansa, nos magis quàm alios, subinde aggrediantur, eoq. ab illis magis vrimur, & premimur, quò aliàs maiorẽ Christianæ Reip. operã nauauerimus; putantque, nos imperio vestro parêre, quòd nulla natio inter Christianos, perinde ac Galli, nota sit, nostrum verò nomen, ceu obscurum, ignorent: vel saltem splendore vestri imperij supprimitur. Proinde cùm bellum sacrum nobis necessarium sit, vt domesticum, ac planè tibi finitimum, auertamus, & in ipsos auctores transferamus, ex dignitate tua fuerit non expectare, donec hoc incendium, postquam obuia quæque absumpserit, ad vos perueniat; sed dum temporis ratio patitur, nos, vestri, adeoque tui imperij amantissimos, opportuno auxilio aduersus communes nostros hostes instruere. Nos enim, tametsi aliquid mari possumus, vos tamen longè magis omni in re, præsertim verò terrestribus viribus, inuicti estis. Pollicemur itaque, si non inuitus socia arma contuleris, & voti compotes domum dimiseris, Reipub. nomine, stationes, portus, littora, vrbes, classes nostras, & quicquid denique in nostra potestate reliquum est. Suscipe igitur, precamur, hoc bellum in cõspectu, ac propè sinu tuo positum, ad quod ex propinquo te memoria sanctissimorum regum maiorum tuorum, ac planè voce sua Deus optimus max. vocat. Siquidem non addubitamus, quin, collatis viribus, præclarissimam de toties victo hoste victoriam reportaturi simus. *Peroratio.*

Magno assensu audita est Genuensis oratio, decretumque à rege, vt citra aliquam intermissionem illis matura auxilia ferrentur, tantaque omnium Procerum ad

rum ad hanc expeditionem erat animorum inclinatio, vt regius frater mira gloriæ cupiditate flagrans, eam prouinciam sibi sigillatim deposceret. Verùm, quòd negotium cum perfido magis quàm generoso hoste esset, ita vt veterano aliquo duce opus in primis foret, Proceres ipsi regi auctores fuêre, vt Dux Borbonius huic expeditioni Imperator designaretur. Nobilitas Gallica certatim huic militiæ nomina dabat, ingensque ardor omnium animos incesserat, vt etiam cũ vitæ suæ periculo bene de Christiana Repub. mereretur. nec is ardor solũ per Gallias fuit, verùm, vt plerumque fieri solet, virtutis æmulatio in Angliam transiit. Nam constitutis ea de causa cum Galliæ rege in triennium indutiis, aliquot præcipui iuuentutis Anglicæ Proceres, cum valida manu sagittariorum in Galliam transmisêre, communicatisque consiliis, & armis, sub signis agminatim Alpes transcendêre, paruoq. temporis tractu, vniuersus exercitus Genuam, vbi in vsum huius belli validissima classis, nempe quadraginta triremium, & viginti onerariarum, duce Ioanne Centurione Vltramarino, Adurnio Principi arcta necessitudine coniuncto, instructa erat, peruenit. Veneti quoque ad hanc militiam auxilia contulêre, licet ea tempestate sibi cum Genuensibus bellũ intercederet; sed magis communis fidei ac religionis, quàm priuatæ querimoniæ rationem habentes, reconciliatis ad tempus animis, ceteris Christianis populis inferiores videri nolebant. Itaque omnibus ad bellum necessariis præparatis, classique imposito exercitu, postquam de more, sacris pro felici huius belli successu operati essent, cõtinuò Præfectus in Libyam contendit, & in Vticensi portu tantisper stationem habuit, donec illa omnia, quæ ad Tunetanam expeditionem pertinerent, expedita essent. Ne verò interim, celeberrimam vrbem tacitus pręteream, priusquam vlterius progrediar, minimè ab re fuerit, si adiecero quæ scriptores de illa prodiderunt. Hæc vrbs Africæ vetustissima, ipsi etiam Straboni ac Polybio memorabilis, Arabibus Tunis, antiquioribus Tharsis appellata, principio angustissimum oppidum fuit, ab Afris ad lacum quendam extructum, quod à Mari mediterraneo circiter 12. milliaribus distabat. Deleta verò Carthagine, cùm ædificiis, tum etiam incolis mirum in modum augeri cœpit, & tum primò Abu, Zacchariæ regis Tunetensis filius, Marocci regis iugo excusso, regiam Tuneti aulam instituere cœpit: sub quo Principe ad Leonis vsque Afri tempora, adeò Tunetensis Resp. excreuit, vt totius Africæ opulentissima sit appellata. Huius filius cùm post obitum patris ad regnum peruenisset, amplissimis ædificiis suburbia locupletauit. vnum, ad portam Beb. Suuaica, ædificauit, quæ fermè trecentas numerabat familias. alterum ad portam Bebel Manera extruxit, quod quidẽ amplius mille familiarum fuit capax. Frequentissima in vtroque est opificum multitudo, & in posteriori omnes Tuneti Christiani habitant, qui in regis custodiam electi sunt. Adiunctus est ab eo tempore tertius quidam vicus ad maritimam portam, Bebel Bacchar dictam, quæ à sinu dumtaxat dimidio milliari abest. Huic se Genuenses, Veneti, ac reliqui mercatores Christiani conferunt, habentque sua extra Maurorũ tumultũ hospitia secretiora. Est autem hic vicus tantæ amplitudinis, vt tam Christianorum, quàm Maurorum familias supra centum annumeret. Domus autem humiles sunt, & aliquantulùm arctiores. Ceterum, lapidibus, multoque museaco, vt appellant, elegantissimæ. Huius ciuitatis ædificia, cum iis quæ visuntur in suburbanis tectis, numerum attingunt decies ferè millesimum. Ornatissimum hoc oppidum, atque incolis frequentissimum, singulis artibus locum peculiariter assignatum habet. Hic textorum numerus propemodum infinitus, telaque longè subtilissima, per totam Africam distrahitur, magnoque

Tuneti descriptio.

10000 domus

pretio

pretio diuenditur. Est autem ipsis feminis mirus quidam nendi modus. Nam sublimiori quodam loco, aut in superiori domus parte sedentes, fusum aut per fenestram, aut per foramen quoddam tabulati in subiectam demittunt contignationem, adeò vt fusi pondus filum maximè æquale atque politum reddat. Huius texturæ complures sunt officinæ; & qui hanc artem exercent, omnium in ea vrbe ditissimi censentur. Hìc etiam aromatariorum, aliarumque artium quæ manuales vocantur, ingens copia, simulque innumeri laniones in macello frequentissimo, qui ouillas carnes vt plurimùm venales habent. Sunt omnes perliberali ingenio, & habitu satis decoro. Dulipanum in capite gerunt, quod prolixo admodum linteo tegitur, idque omnes aulici, ac milites gestare consuerunt, sic tamen, vt in eis aliquod discrimen agnoscatur. Diuitum numerus haud sanè permagnus, idque fortasse ob rei frumentariæ, omniumque adeò frugum summam pænuriam & caritatem. His enim, propter crebras Arabum incursiones, non licet agrum vel minimo interuallo ab vrbe situm, colere, ideoq. vt plurimum frumento importato vtũtur, & quod præsertim illis Beggia, & Bona, locis haud valde remotis, aduehitur. Nonnulli ex indigenis agros in suburbio muris cinctos habent, vbi hordeum ac triticum serunt: at solum est ita aridum, vt frequentissima irrigatione indigeat, ideoque singulis fermè est suus puteus, vnde aquam rota quadam, quam mulus, aut camelus agit, exhauriunt, & quibusdam meatibus siue ductibus, ad id summo artificio paratis, totam agri superficiem irrigant. Est in hac vrbe ampliſſimum quoddam templum, sacerdotum numero atque annuis prouentibus opulentissimum. Alia quoque templa passim reperiuntur, sed longè diuitiis ac reditibus inferiora. Insunt etiam pleraque collegia, & cœnobia more patrio extructa, quæ omnia communi ciuium beneficentia fouentur. Miro quodam artificio gypsum incidunt, & elegantissimis coloribus depingunt. Est autem lignorum incredibilis inopia, in quibus egregij quidpiam insculpi posset. Balnea verò multò commodiora, quàm Fessæ, licet non admodum ampla neq. sumptuosa. In suburbiis frequentissimi atque amœnissimi sunt horti; qui etsi fructuum haud magnam copiam, præstantissimos tamen producunt: & malorũ citreorum, rosarum, atque aliorum florum omnis generis maxima vbertas, eo præsertim loco, quem ipsi patrio idiomate Bardum vocant, vbi regium visitur palatium, hortis vndiquaque amœnissimis cinctum. Habet insuper ex omni parte vltra quatuor, aut quinq. milliaria, campos oliuis copiosissimos, vnde tantum olei conficiunt, vt non ciuitati solùm satis sint, verum etiam ad Ægyptum, haud exigua copia transmittatur: & ligna ex oliuis decisa, igni committere solent, indeque carbones conficere. Nonnullarum feminarum inopia in causa est, quo minus integram pudicitiam seruent. Hæ quidem ornatè vestiuntur, & domo egressæ, Fessanarum more, faciem obtegunt. Pannus enim latus frontem velat, cui etiam alter quidam subiungitur, & caput tam multis panniculis obuoluunt, vt ea parte gigantem referant. Omnem ferè substantiam, omnemque adeò curam & studium, suffumigationibus, quas Profumos vocãt, & huiusmodi deliciis insumunt. Est autem apud ipsos cibus quidam sumptuosissimus, quem Lhasis appellant; cuius qui vnciam vnam sumpserit, perinde acsi ebrius esset, ridere, iocari, atque ineptire incipit, maximeque ad libidinem prouocatur. Sunt præterea in hac vrbe nõnulli, quos insanire planè dixeris, qui semper lapides circumferunt, nudisque pedibus & aperto capite incedunt, atque à populo ceu eximiæ sanctitatis viri coluntur & obseruantur. Hoc imperium Tunetanum octingentis ferè millibus passuũ in ora ab Occasu in Orientem extendebatur: Nam Bugea &

Tripolis emporio & gymnasio claræ vrbes, Tunetanæ ditionis erant, cùm & ea introrsus ad Æthiopum arenas vsque pertineat. Tunetum Carolus V. Augustus anno supra millesimum quingentesimum septimo ac trigesimo, mense Augusti, fuso fugatoque Hariadeno, deditione expugnauit, & vniuerso regno potitus est. Mustapha miles strenuus, quem Hariadenus, seu Barbarossa, discedens, vrbis defensioni præfecerat, Imperatoris se potestati fideique permisit. Muleassem Nazerum in regnum restituit, Guletam tantum arcem cùm maximam, tum munitissimam, præsidio imposito, sibi retinuit. Binos ad venationem falcones, & binos Numidiæ pernices, equos & Guletano præsidio Hispanico stipendij persolutionem tributi nomine quotannis Muleassi imposuit. In ea expeditione Carolus Cæsar viginti Christianorum millia in vinculis captiuos, libertati restituit, pridiè D. Ioannis Baptistæ natalis. Ceterum Muleasses tanti beneficij immemor, ad Turcarum tyrannidem deficiens, vniuersum regnum proditione Solymanno restituit, quod ab eo tempore vsque ad annum Christi M. D. LXXIII. propriis regibus administratum fuit, quoad Ioannes Austrius ex sociali cum Pontifice ac Venetis bello, & nauali cum Turcis conflictu in Epiro ad Echinadas victor rediens, Tunetũ expugnauit, profligatis ac cæsis Barbaris, vniuerso regno potitus est, Castro nouo, duce & auspice Gabriele Serbillonio Mediolanensi, ad arcis Antuerpianæ (nunc dirutæ magnaq. ex parte euersæ) imitationem ac formam, cõmunito: Guletæ verò Petrum Carerum Hispanum, nomine Philippi regis præesse iussit. Id ægrè ferens Turcarum tyrannus, classe instructa, in Guletam & nouam arcem expeditionem parauit, & tandem mense Quinctili & Sextili M. D. LXXIV. terra marique Sinano purpurato exercitus Imperatore, & Occhiali classis duce, vtrãmque arcem expugnauit, Christianos omnes, tantum exceptis qui vincti Constantinopolim sunt missi, trucidauit, ciuitatis Tuneti ac nouæ arcis muris solo æquatis. Hæc in præsentia de huius inclytæ vrbis statu, & indigenarum natura. Ceterum, vt ad destinata sermonem referam, nostri, relicto Vticensi portu, secundum littus, Carthaginem vsque adnauigarunt, quia Tunetum, propter interiacentem stagni difficultatem commodè nauibus adiri non potest, præsertim cùm inter mare & vrbem, continentis pars, ceu linea quadam directa, intercurrat. Proinde cùm descensionem in continentem facere vellent, hostes vndique circumfusi, ac sub signis stantes, summis viribus atque conatibus dabant operam, vt descensione prohiberent. Virtute tamen sagittariorum Anglicorum effectum fuit, vt nequicquam resistentibus Barbaris, exercitus noster in terram exponeretur. Statim igitur expositis copiis, ipsi sese pari modo ad prælium præparant. Nam Tuneti rex, relicto firmo ad vrbis Tunetanæ tutelam præsidio, castra in propinquo non procul à mari, qua Christianis ad vrbem aditus dabatur, posuerat, seque egregiè communiuerat, ita vt tametsi nostri in acie essent constituti, & nihil, præter prœlium expectarent ac exposcerent, Barbari tamen sese munitionibus suis continentes, nunquam fortunæ aleam cum nostris committere auderent. Numidæ tamen, quòd velocissimum ac maximè pernix equitum genus, nostros, illorum agros & mapalia vrentes, subinde magnis incommodis afficiebant, equitemque nostrum cataphractum, vlterius vagari volentem, summa alacritate impediebant, adeò vt ex istis velitationibus certamen valdè impar vtrimque oriretur. Barbari enim suo more magna calliditate nostris excurrentibus, fugientibus similes tergiuersabantur, cedentibus verò instabant, & multiplici ludificatione, prout vsus ferret, longius eliciebant, quò scilicet disiunctos à suis, paucos, ipsi plures circumfusi premerent, & admissæ suæ temeri-

Tuneti obsidio.

ritatis pœnas exigerent. Optimum ergo visum ipsi Borbonio ceteriſq. Ducibus, vt omiſſis iſtis leuibus prœliis, cùm de ſumma re in certamen non deſcenderet Barbarus, vrbem obſidione oppugnare. Tenebatur ſiquidem firmiſſimo, vti diximus, præſidio, maiorq. pars nobilitatis, quæ magno in honore penes Barbaros etiam habebatur, vrbis defenſioni ſeſe commiſerat; & licet egregiè à noſtris militibus ciuitas tentaretur, nihil noſtri, cùm ſtrenuè defenderetur, proficiebant. Nam, præter ſummam defenſorum alacritatem, hoc accedebat incommodi, vt Afer, noſtros in mœnia verſos, à tergo adoriretur, tametſi nihil mouere temerè auderet, quòd multæ noſtrorum copiæ ſub ſignis contrariam in partem verſæ, ad inhibendum omnem à tergo impetum paratæ ſtarent. Interim Præfectus præſidij, aut ſpontè, aut regis mandato impulſus, per præconem petiit, vt ſibi cum Imperatore Chriſtiani exercitus colloqui liceat. Iuſſus igitur egredi, planè id abnuit, niſi ipſemet Borbonius muros accederet. Et cùm multi eſſent Ligures, linguæ Punicæ non ignari, his interpretibus vſus præſidij Præfectus, ex Imperatore noſtro quæſiuit, quænam cauſa Gallos, Angloſq́ue, tanto maris terræq́ue tractu ab Africa remotos, in Libyam pertraxiſſet. Iuſſu Imperatoris illi reſponſum, Genuam eſſe vnam Chriſtiani nominis ciuitatem, illius agro, religionis odio ab Afris bello & direptionibus vexato, non minùs Gallos & Britannos offenſos, quàm ſi hoſtile ferrum intra proprij regni viſcera cõtorta forent. Huius itaque colloquij initium, ſpem alicuius tranſactionis attulit. Nam vtrinque miſſi legati, qui de pacis ſumma agerent, eaq́ue his conditionibus inter eos de mutuo conſenſu conſtituta & confirmata. Primùm, vt Afri ſeſe finibus ſuis & terminis ſolitis continerent. Vt abſtinerent ora maritima Italiæ Galliæq́ue, ac omnibus inſulis Africæ Europæq́ue interiectis, captiuos Chriſtiani nominis redderẽt. Decem aureorum millia in præſenti & expedita pecunia confeſtim numerarent. Hæc ferè fuerunt conſtitutæ mutuæ pacis ſuprema capita; & hoc modo bellum contra Barbaros ſuſceptum, opinione multorum celeriùs confectum & conſopitum fuit, exercituſq́ue Chriſtianus, Genuam, vnde ſoluerant, reductus. Galli & Angli inde profecti, à ſancta feliciq́ue expeditione potius quàm bello, ad ſuos quiſque cum inſigni gloria & mutuis congratulationibus rediêre.

Pax inter Ligures, & Afros.

LIBER OCTAVVS.

AT Genuæ, anno ſupra milleſimum trecenteſimum nonageſimo, Petri Fulgoſij potentiſſimi ciuis, aliorumq. ſociorum ambitio, nouos in Rep. motus exuſcitauit; qui ſumma Principis diligentia & ſollertia ſuperati & oppreſſi fuerunt. Statim enim de pernicioſo illorum conſilio commonefactus, Fulgoſium, nihil minus expectantem, comprehendi, & in vincula conijci iuſſit. Cuius periculo ceteri conſcij & coniurati, deterriti, confeſtim fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt, & coniuratione ipſorum patefacta, illorum bona fiſco adiudicata, ipſiq., tanquam rebelles & contumaces, more ſolito proſcripti. Adurnius tamen, metu & graui trepidatione non caruiſſe dicitur, quòd, inquiſitione facta, tot tantorumq́ue ciuium capita contra ſe conſpiraſſe reperiret. Quocirca magno temperamento vſus, de ipſo Fulgoſio coniurationis auctore, extremum ſupplicium ſumere noluit; veritus hac ratione nouos tumultus, cùm videret, magnam populi partem erga illum vehementer eſſe propenſam. Qua ſanè in re magnam ſibi pro- 1390.

meruit prudentiæ ac moderationis laudem, simulque præcidit multis grauibus Reipub. periculis ansam. Viuebat ipse interim, suo, aliorumque proborum virorum iudicio planè miser, cùm inter tantas molestias & domesticas insidias, continenter illi populares insolentiæ tolerãdæ ac deuorandę essent. Nã vix aliqua elabebatur dies, quin nouæ plebis querimoniæ, atrocitatis & contumeliarũ plenæ, ad ipsum deferrentur, adeò vt animo exæstuans, & spe dubius, quid sibi statuendum in tam dubio Principatus sui statu non adinueniret. Hinc enim popularibus factionibus & inconstantia vexabatur, illinc nobilitatem timebat; nec parum illum defatigabat super Fulgosij negotio deliberatio; nimirum quòd periculosum duceret, eum penitus liberare, & absoluere, nec minus sibi periculi imminere, si eum diutius in reis haberet. Proinde tantis curis impar, ac multum de pristina animi generositate remittens, quam eò vsq. in omnibus suis actionibus & negotiis ostenderat, nullo impellente, vltrò Principatum relinquere constituit, cùm antea summa cum virtutis commendatione, totiusque Reip. præclaro testimonio per sexennium, imperium gessisset. Simulãs igitur se, animi relaxandi gratia, in suburbanum suum prædium secedere velle, statim tertio Non. Augusti D. Thomæ portam ingressus, triremim Conradi Auriæ illic præparatam, remotis arbitris, conscendit. Hic repentinus eius discessus magnam toti ciuitati admirationem ac perturbationem iuxtà attulit; simulque, vt fieri solet in vrbe quæ nullo metu regitur, confestim ad arma concursum: eratque res periculi plena, & planè eiusmodi, vt summam rerum cõuersionem præbitura videretur, nisi Patrum conscriptorum prudentia statim ab initio restincta fuisset. Hi enim, ad compescendam plebem, propter Principis absentiam tumultuantem, Iacobũ Fulgosium, virum singulari prudentia, & pacis in primis studiosum, necnon liberalibus artibus egregiè ornatum, ad supremam dignitatem communibus suffragiis extulerunt, sic sanè, vt ipso Principe designato, excitati tumultus sensim conquieuerint. Erat ipse Fulgosius, illius Dominici filius, qui priùs cum magna sua laude & honore, Reip. Principatum gesserat; cuius natura & mores multò erant mitiores & humaniores, quàm Petri sui fratris, recèns è vinculis exempti. Quo sanè factum fuit, vt pauci essent in ipsa ciuitate, qui huic electioni refragarentur. Ipse itaque assumpto honore, promptissimo animo multas conditiones sibi propositas se adimpleturum spopondit, & in veræ liberalitatis & mansuetudinis testimonium, Principatus initia ab humanitate auspicatus est. Nam omnibus profugis & exulibus restitutis bonis, in patriam remigrandi liberam potestatem fecit. Nec sanè hanc optimæ voluntatis rationem successu temporis, vt plerumque fieri solet, aliqua de causa immutauit. sed Reipub. adeoque vniuersæ patriæ amantissimus, tametsi subinde nõ leues occasiones præberentur, illam cõstantissimè retinuit, ita vt ciuitatis administratio sub eius regimine planè quietè ac pacificè diu constitisset, nisi Adurnius Principatum, à quo sese, vti diximus, abdicarat, denuò cum magna animi inconstantia, & perspicuo leuitatis argumento affectasset. Hic enim, vel quòd ipsum præteriti erroris pœniteret, aut quòd noui Principis imbecillitatem probè nosceret, subsecuti anni principio, eadem triremi, qua Genua, paucis antè mensibus, Sauonam fecesserat, Segestum occidentale adnauigauit, eo quidem prætextu, vt se nihil aliud prorsus velle diceret, quàm in patriam reuerti. Quod vt commodè assequeretur, suorum amicorum atque clientum apud Principem interponebat operam. Verùm cùm illi repulsam à Principe ferrent, magnam omnibus suspicionem iniecit. Siquidem res eò in ciuitate deuenerant, vt ex minimis quibusque de causis Reipub. mutatio summo-

Iacobus Cãpofulgosius Princeps declaratur.

1391.

sum mopere timeretur. Nec deerant profectò in vrbe qui Fulgosio Duci suaderent, vt pro maiori sui Principatus firmamento ac sui securitate, Adurnium ipsum, hoc maximè rogantem, intromitteret, existimantes futurum, vt hac ratione, Guarcorum familia, à qua sibi non parum metuendum erat, tanquam iniecto freno, cohiberet, nimirum quòd nouo beneficio atque insperata liberalitate illũ sibi deuinciret. Quam sanè consilij rationem si Fulgosius secutus fuisset, næ sibi magnam vtilitatem ac securitatem, vti euentus declarauit, conciliasset. Adurnius etenim, vbi se, redeundi Genuam spe excidisse videt, grauissima indignatione & ira incensus, confestim haud pœnitendam manum ex finitimis oppidis collegit, nullaque mora interposita, mense Martio cum octingentis & amplius armatis ad locum, vulgò D. Petri Arenatium, peruênit, negligente interim Fulgosio tanti viri conatus: indeque planè accidit, vt Adurnio facilis in vrbem patêret accessus; adeò vt cùm nullus esset præsidiarius miles, qui sese illi opponeret, Non. Apr. vrbem ingressus, in platea D. Agnetis domicilium sibi delegerit, illudque suis militibus circumsepserit. Repentinus eius aduentus multos amicorum suorum in colloquium protraxit. Nam nemo erat qui, modò partibus eius faueret, eius colloquium diffugeret. Ea tamen die nulli excitati tumultus, sed admodum sui securus, tantum ipsi Fulgosio denunciari iussit, vt postero die Curia excederet, ac prætorium sibi liberum relinqueret. Itaq. prima orta luce cum suis copiis ad palatium progressus, nemine obstare, vel reclamare auso, illud liberè ingressus est, & Principatum, timiditate, dicam, an inconstantia depositum, per vim & metum recuperauit, & quò nihil de pristina humanitate remisisse existimari posset, voluit, vt Fulgosius eo die secum prandere. Quod cùm impetrasset, ipsum ad ædes suas honorificè perduci iussit. Fulgosius namque, cùm ita esset ingenio ac eruditione institutus, vt magis literarũ otium, quàm imperij molestias quæreret, non inuitus, vel saltem citra aliquam animi molestiam, Adurnio in Principatu cessit, ac in posterum quietam vitam, postquam vnum duntaxat annum in Principatu expleuisset, sibi delegit, magno me herclè cum veræ fortitudinis exemplo, nimirum, cùm nihil grauius hominum opinione in hoc tragico humanarum rerum theatro contingere possit, quàm à supremo felicitatis gradu nullo suo merito aliquem deturbari. Sauonenses, qui Adurnio infensi erant, ex his tantis & repentinis mutationibus ansam corripuêre, vt nouos motus aduersus Rempub. excitarent. Magno enim impetu Signum oppidum haud procul Genua situm, adorti sunt, eo consilio, vt illud suijuris facerent. Signani à Sauonensibus præter expectationem obsessi, Genuensium ope implorata, sui oppidi statum Reip. ob oculos ponebant; statimque missa auxilia, quibus commoti Sauonenses, ab incepto destiterunt. Et quò temeritatis suæ pœnas luerent, illos aliquot suis arcibus multarunt, ita vt hac de causa suumopere indignati Sauonenses, à Repub. non sine magna obmurmuratione eorum qui erga Senatum, atque adeò Rempub. bene affecti erant, deficerent. Adurnius hac turpi defectione non parum indignatus, duos ciues populares, & vnum patricij ordinis, qui aduersus se recèns conspirarant, ad ceteros exemplo deterrendos, sept. Idus Martij capitis damnauit; Petrumque Fulgosium, denuò res nouas molientem, & in Senatus Reipublicæque perniciem conspirantem, comprehendi iussit, quem in Nouium oppidum captiuum ablegauit. Benedictum itidem Vialem, celebrem Iurisconsultum, & Sauonensis fratrem, rebellionis subsecutæ haud postremum auctorem, in arcem Ericis custodiæ causa transtulit: vbi paulò pòst, fato concessit. Illius obitus nouas in ciuitate turbas dedit. Siquidem Antistes eius frater,

Adurnius per vim Principatũ recuperat.

Sauonensiũ defectio

1392. *Noui motus in Repub.*

frater, relicta Genua, in Fliscorum ditionem profectus, breui sexcentis armatis stipatus, in vrbem per portam D. Stephani reuersus est. Cui se omnes propemodum coniunxerunt, qui Adurnium odio prosequerentur, vel saltem parum eius laudi & honori fauerent: inter quos fuêre præcipui Ludouicus Guarcus, Guarcæ factionis princeps, & Baptista Buccanigra Simonis Buccanigræ, nuper Reip. principis filius, & equestris ordinis, cum plerisque suis sociis atque clientibus. Verùm Adurnius, intellectis nouis æmulorum suorum apparatibus, sese maturè communiuerat, statimque illorum conatibus militem præsidiarium obiecerat, sic sanè, vt vlterius progredi nequirent. Ipsi igitur in vnum conglobati, proximo die circa ædem Francisco sacram, ea spe constiterunt, vt palatium publicum per vim adorirentur, & deturbato Principe, expugnarent. Sed Adurnius, magna prudentia illorum conatus præueniens, vsque adeò se ad omnem casum præparauerat, vt, præmissis quamplurimis sagittariis, aduersarios suos ab occupatis locis egregiè repelleret: & Castelleti turres, ac regionem D. Catharinæ cum illa quæ D. Francisci vocatur, milite suo occupauit & communiuit: moxque collatis signis, cum hoste conflixit; illumque profligauit & deleuit, captis ferè præcipuis omnibus; inter quos Antistes Sauonensis fuit, qui in arce Nolana, in quadam teterrima turri asseruatus est. Buccanigra verò, & Guarcus, in exilium acti. Repulsis itaque & oppressis aduersariis, Adurnius longè maiori cura & prudentia seipsum constabiliebat: veritusque, ne deinceps huiusmodi pestes in vrbe exorirentur, enixè dedit operam, vt aliquot Spinularum oppida, quæ multis aduersariis suis receptaculum & effugium præbuerant, confestim occuparet. Proinde, paruo interiecto tempore, videlicet sexto Cal. Maij, Raphaelem Adurnium fratrem, cum septingentis equitibus, & duobus fermè peditum millibus huic prouinciæ destinauit. Ipse facili negotio Buzallam, & Burgum, vulgò de Fornariis, cum aliquot circumuicinis pagis & oppidis strenuè expugnauit. Quibus peractis, summa diligentia sibi in vrbe, & præsertim in palatio, contra æmulorum, & clandestinorum inimicorum insidias prospexit, ac modis omnibus cauit, ne in posterum aliqua de causa hostilibus iniuriis & technis esset expositus. Et cùm non ignoraret, multos in ciuitate cum ex nobilitate, tum plebe, suæ vitæ insidiari, ad maiorem sui securitatem & præsidium, cohortem prætoriam descripsit, adeò vt nouo satellitio constipatus, omnibus suis aduersariis tam domi, quàm foris omnem lædendi spem prorsus auferret. Quocirca Spinulæ, ac Fliſci, illius, vt ipsi dicebant, tyrannidem perosi, fœdere mutuo inito, vniuersas sui consilij rationes in eius perniciem indies magis atque magis conferebant; simulque Antonium Montaldum Leonardi filium, iuuenem magnanimū, & nouis rebus inhiantem, ac Adurniæ factionis à primis annis infensissimum, in suas partes pertraxerunt. Hic, collecta in Fliscorum municipiis manu militari, primus omnium extitit, qui seditionem apertè excitare, nouaque studia aduersus Principem sequi auderet. Martinus etiam Montaldus, & Clemens Promontorius, homines populares, & summa inter plebeios auctoritate, sese adiunxerunt. & res eo loco erat, vt nihil aliud, præter Antonij Montaldi, in vrbem aduentum, expectaretur. Interim Princeps, perbellè coniiciens, quónam tot, tamq. potentium aduersariorum conatus spectarent, summo studio allaborabat, vt externum militem sibi compararet. Nam, præter externam vim, sibi non parum periculi ab insana & effreni multitudine, cuius fauor & studium plerumque cū temporis conditione mutatur, si res malè cessisset, imminere conspiciebat, præsertim cùm maior populi pars in factionum auctores inclinaret: à quibus magna

Adurnij victoria.

teme-

temeritate, nullaque habita supremi Magistratus ratione, duodecim Gubernatores populares, ad infringendam Principis Senatusque potentiam, rursus, prout non semel antea contigerat, electi erant. Hi tantum auctoritatis & dignitatis in Rep. sibi arrogabant, vt nonnullas leges, neglecto ac praeterito Senatu, ferrent, easque Plebiscito sancirent: indiesque, gliscente audacia, aduersarij cum externis auxiliis in conspectu ciuitatis obuersabantur, ita vt crepitus armorum, progredientiumque strepitus neminem in ipsa vrbe latêret. Agminatim enim ad ciuitatis portas in Adurnij excidium aduolabant. Horum aduentus vsqueadeò exterruit Principem, vt pristinae suae virtutis, atque in omnibus actionibus suis constantiae immemor, repentè, non expectato, nedum conspecto hoste, Curiam deseruerit. & in aedem Dominico sacram, animi anxius, & consilij inops, tanquam ad tutissimum asylum confugiens, subsequente nocte, vrbem summo cum silentio egressus est: ideoque, Rep. Principe destituta, Antonio magna commoditas praebita fuit, vt ciuitatem contra profugi Principis, aliorumque eius factionis fautorum conatus, nouis praesidiis firmaret. Occupatis namque turribus S. Andreae, quae alioquin sic satis valido milite tenebantur, praetorio etiam pari successu potitus est. Haec tantae eius temeritatis prosperitas adeò populum commouit, vt incredibili omnium consensu Reipub. Princeps appellaretur, cùm tamen vix tertium & vigesimum aetatis suae annum attigisset. Proximo die, ne tantùm videretur populari inconstantia ad supremum dignitatis gradum euectus esse, à Senatu sexaginta ciuium, qui planè popularis erat, in eadem dignitate de communi illius consensu & suffragatione confirmatus est. Montaldus interim, Principatus sui initia à liberalitate & gratitudine exorsus, quò se aliis nobilibus, quorum opera & fide in acquirendo statu vsus erat, gratum ac memorem exhiberet, simulque eos in posterum obstrictiores haberet, Spinulis oppida, quae illis Adurnius, vti diximus, ademerat, citra moram restitui iussit, adeò vt omnem ferè nobilitatem hoc recenti suo beneficio sibi deuinciret. Vnus erat inter omnes acerrimus eius hostis Martinus Montaldus, ipsius cognatus & affinis, qui dignitatis suae aemulus, aegrè ferebat sibi tantum honorem, quem multis artibus ambiuerat, populari indulgentia & planè vniuersae vrbis fauore ereptum esse. Incedebat igitur fremebundus, & toruis oculis nescio quid minarum spirans. quod cùm Montaldum Principem non latêret, ipsum in custodiam coniecit, eò libentiùs, quòd fama obtinuisset, illum contra se conspirasse. Haec praesens Martini conciio aliquot suos clientes & familiares tunc temporis in suburbanis suis praediis rusticantes, cum armis (ducentos fuisse commemorant) vsque ad caput Phari pertraxit, eo consilio, vt eum vi & armis vinculis eriperent. Anteuertit eorum consilia & conatus Raphaël, ipsius Ducis frater, iuuenis impiger ac militaris: qui cum haud spernendis viribus, iis obuiam progressus, omnes ad vnum fudit atque fugauit, ita vt nihil planè periculi inde postmodum emanauerit. Huius temporis tractu, Antonius Adurnius, qui Principatu exutus, Venetias secessus gratia commigrarat, instinctu atque suasu Ioannis Galeacij Vicecomitis, Mediolanensium Principis, in Insubriam venerat, quòd illi opem & patrocinium suum ad recuperandum pristinum honorem & statum polliceretur. Ipse igitur tanti Principis fretus auxiliis, in nouam spem, adeoque in magnam fiduciam erectus, & confirmatus, Dertonam vsque cum aliquot copiis peruenit: cuius sanè repentinus & inopinatus aduentus magnam Montaldo, aliisque, partibus eius stantibus, formidinem & animi consternationem iniecit, eò quidè maiorem, quò recèns magnę simultates, ac dissensiones propter Martinum in vinculis asseruatũ,

Antonius Montaldus ad Principatum euectus.

1393.

inter eos enatæ forent. Quapropter Adurnius hanc ſibi occaſionem propitiam fore ratus, ſumma cum diligentia & alacritate militem ſuum Genuam vſq. perduxit: qui ſanè ſi tantam conſtantiam & animi fortitudinem, in tuendo & conſeruando Principatu adiunxiſſet, quantum ad ſubeunda pericula, quò eundem recuperaret, promptitudinis, magnam medius fidius laudẽ & commendationis famam, hoc quidem nomine, mereretur. Adurnius itaq. Cal. Iunij, Vulturiũ cum ſuis copijs ingreſſus, ab oppidanis, præſertim verò primoribus, magno applauſu & fauore fuit exceptus. Ceterùm, Montaldus, quòd nimia cunctatione & mora ad propulſandum hoſtem vteretur, non parum ab amicis, aliiſque in bello verſaris, palàm & apertè criminabatur, eoque magis, quòd maximum periculum in mora foret. Nam aduerſariorũ vires impunitate ac temporis cõmoditate armatæ, vſqueadeò excreuerãt, vt excurſiones ad vrbis quodãmodò portas ſingulis diebus facerent. Qua licẽtia & temeritate cõmotus Montaldus, veritus maximoperè, ne, ſi diutiùs tempus extraheret, ſe, ſuoſque, atque adeò vniuerſam ciuitatem in grauiſſimum periculum adduceret, decimoſeptimo Cal. Iunij, eruptione cum iis, quos ad manus habebat, copiis facta, audacter & ſtrenuè hoſtem inſecutus eſt, eumque circa ciuitatis mœnia diſperſum, & multa temerè audentem, adortus, in fugam, capto Chriſtophoro Adurnio, ipſius Adurnij fratre, coniecit. Antonius pater, ruſticorum beneficio ſe in ditionem Carretini Marchionis incolumem recepit. Hæc præclara atque felix Montaldi ſtrenui Principis, & excelſi animi iuuenis expeditio, vbi proculdubiò quietum etiam otium peperiſſet, niſi tanta morum corruptela, & immoderata quædam ciuitatis licentia, noua ſtudia & diſſidia excitaſſent. Cùm enim aliarum præcipuarum factionum capita & ſupremi auctores, haudquaquam Reipub. præſenti ſtatui acquieſcerent, ſenſim in apertos illius aduerſarios euaſerunt. Verùm, tanta erat Principis de ſe, ſuiſque actionibus confidentia, vt, ſpretis horum ſtudiis, nihil durius in eos, ad ceteros exemplo deterrendos, ſtatueret. Quod ſanè non parum diſcriminis illi attulit. Siquidem Petrus Fulgoſius, vir inquieto animo, & ſemper nouarum rerum cupido, ſubnixus fauore Nicolai Zoalij ea tempeſtate optimæ exiſtimationis ciuis, & Ludouici Guarci, ac etiam Sauonenſium Antiſtitis, conſpiratione inuicem facta, ſub variis prætextibus arma vno eodemque ferè tempore corripuit. Singuli enim eorum, præſertim verò Guarcus, factioni, quæ tunc maiori in pretio habebatur, ceteris infenſior, Principatum inuadere nitebatur, eaque de cauſa quilibet eorum cum clientibus & amicis diuerſo itinere in Curiam contendebat, vt Principem ſimul & loco & dignitate deturbarent. Sed Fulgoſius mira calliditate, dicam, an perfidia, animum conſiliaque occultans, antequam aliquid apertè moliretur, aliquantiſper cum ſuis in templo D. Syri ſubſtitit; miſitq. ad Montaldum, qui ei ſuo nomine omnia fauſta atque felicia precarẽtur, ſingulareque ſtudium & amoris conſtantiam dicerent ac renuntiarent. Nihil enim ſe in animo habere, quod in ipſius præiudicium, vel detrimentum aliquo modo cedere poſſet; nimirum ſe arma non alio conſilio ſumpſiſſe, quàm vt Guarcum factioſum atque ambitioſum iuxtà hominem, nihil non audentem, & dira cupiditate ſummis diuitiis ac honoribus inhiantem, reprimeret, ac refrenaret. ſe vtique ſemper pro Reipub. ſalute publicoque bono, quoad eius fieri licuit, iugiter euigilaſſe, atque enixè etiam cum vitæ fortunarumque periculo contendiſſe; ſeque pari animo deinceps vſurum, neque vnquam admiſſurum, vt aliquid ſe, vel patria ſua indignum admitteret. His, & ſimilibus verborum lenociniis apud Montaldum Principem ſe purgare, omnemque ſuſpicionem amouere ſtudebat. Is verò

Montaldi aduerſus Adurnium victoria.

&ſi

etsi non ignoraret ipsius animum, & quàm ficta & simulata esset hæc oratio, ex imis ambitionis & perfidiæ penetralibus profecta, nihilominus tamen, quòd temporis conditioni inseruiendum existimaret, hanc se eius voluntatem optimo animo amplecti dixit; summasque egit gratias, quòd tempore tam necessario suam fidem atque opem offerret. Itaque de ipsius Fulgosij fide facturus periculum, ipsum in prætorium recepit, præsertim quòd tantis viribus se longè imparem esse animaduerteret. moxque ceterorum aduersariorũ conatibus obuiam cum suis processit. Habebat siquidem pro sua defensione, vltra Fulgosij milites, alam delectam externorum militum, atq. aliquot oppidanorum manum. Quorum numero atque ope fretus, tam egregiè fortiterque hostibus restitit, vt Guarcus tandem cum graui suo detrimento ac periculo retrocedere, seque aliò recipere cogeretur. Superato Guarco, eiusque militibus oppressis, noui exorti tumultus, atque alius exauditus armorũ crepitus. Nam statim post Guarci discessum, inumbrante vespera, Clemens Promontorius, qui stabat à partibus Emanuelis Montaldi, in armis cõspectus est, quem vltra mille armati sequebãtur. Hic enim, Guarco palatium adhuc oppugnante, militarem manũ sibi collegerat, & promptissimum quemque sibi coniunxerat, successum totius negotij præstolaturus, spei plenus, se posse in tanta rerum omnium confusione ad Principatum peruenire. Noctu itaque Montaldum, nihil huiusmodi, maiori parte suorũ hostium iam oppressa, suspicantem, aggressus est, eumque ab vltimo bene gerendarum rerum cursu remoratus. Nam ipsum ita acriter oppugnauit, vt curiam omninò deserere, ac intempesta nocte vnà cum suis fratribus in ædes Auriorum, quorum beneuolentiæ ac fidei haud parum tribuebat, profugere coëgerit. Hæc tanta alternantis fortunæ inconstantia haud modicam rerum omnium perturbationem Reipub. attulit. Siquidem Petrus Fulgosius, qui, vti diximus, prætorij defendendi partes sibi desumpserat, Promontorij conatus ita retudit, atque repressit, vt ipse clientum & amicorum suorum fauore subnixus, necnon multitudinis, subinde Fulgosij nomen ingeminantis hortatu, Principatum occuparet, eaque nocte in publico palatio in supremo dignitatis gradu permaneret. Nec intra hos vicissitudinis terminos Reipub. fortuna constitit. Nam postero die, sub auroram Clemens Promontorius, aliquem sui laboris fructum reportare cupiens, iterum cum suis in palatium irrupit, tantumque effecit, vt, expulso Fulgosio, magno circumfusæ multitudinis applausu, atque ingenti sublato vndique rumore, ipsemet Princeps ciuitatis consalutaretur. Verùm, quòd hæc electio repentina, & illegitima foret, breuissimo temporis spatio impedita & penitus rescissa fuit: Quandoquidem, subsequenti die, Senatu, cùm magna eorum ciuium frequentia, qui nullis partibus tenebantur, in templum D. Mariæ vulgò de Vineis, coacto, graues super designando Principe deliberationes habitæ: qua sanè in re, opera & auctoritate Antonij Montaldi, qui nunquam vrbe excesserat, vsi sunt, ac vnanimi consensu decretum, vt Promontorius, qui per vim & tyrannidem Principatum occupauerat, communibus armis è curia deturbaretur. Proinde ipse, intellecto Senatus animo, & vim veritus, sponte Principatu se abdicauit, & prætorio egressus est, adeò vt cùm Fulgosius nihil vlterius tentare auderet, Reipub. status penes se remaneret. Ceterùm, vsqueadeò erat Reip. status perplexus, obque inscitas conuersiones intricatus, vt non parum temporis, vel industriæ requireret, quò in meliorem formam atque ordinem redigeretur. Habitæ igitur super eius reformatione variæ sententiæ. Nonnullis enim ex Patribus consultum videbatur, supremam dignitatẽ denuò in Montaldum transferre; quòd dicerent, illum,

Populares inconstãtia, quoad gubernationẽ.

boni

boni Principis muneri in omnibus semper satisfecisse, & de Repub. ita bene promeritum, vt vel hoc solo nomine vniuerso populo gratus atque acceptus esse debeat. Aliis, & iis quidem non paucis, operæ pretium videbatur, vt ad extinguendas & è medio tollendas tantas factiones, quarum prætextu tantæ turbæ ac seditiones indies exoriebantur, aliquis ciuis nullis partibus contaminatus, Princeps eligeretur. Non deerant, qui ab his dissentientes, graues adferrent rationes, quibus adducti, dicerent, Reip. Principatũ nulli ciui, sed externo alicui præpotenti Principi cõmittendum, & tradendũ esse. in quam sanè sententiã, præter aliquot populares, vniuersi nobiles manibus pedibusq́., quod dicitur, descendebant; sperantes, se hoc pacto, populi seruitutem, vel potius manifestam tyrannidem, aliquando effugituros. Hæc tanta sententiarum varietas, & rei totius magnitudo planè effecit, vt, cùm nihil tam citò, quod in vsum Reipub. esset, decerni posset, de communi omnium decreto duodecim ciues, quos ipsi reformatores appellabant, designati sint, quibus deinde aliquot alij associati, eorumq́ue omnium tandem iudicio & auctoritate post multas consultationes & disceptationes, forma Ducalis administrationis ea lege constituta est, vt tantummodò Reip. supremus Magistratus annuus esset. Itaque Franciscus Iustinianus Garibaldus crebris suffragiis, Dux, per anni spatium, renuntiatus, ac sub finem Augusti Ducale illi sceptrum aliaq́ue Principis ornamenta tradita. Ceterùm, composito rerum statu, atque Reipub. forma ad conseruandam tranquillitatem publicam excogitata, & sancita, haud sanè diu ciuitati pax & otium constitit. Quandoquidem factionum Principes, dominationi assueti, huic subscribere nolentes, non dudum sese quietos cõtinuerunt; inter quos ferè erat præcipuus Antonius Montaldus, qui variis rationibus ostendebat, multum suæ dignitati & nomini detrahi ac derogari, si diutiùs hoc loco vrbis status esset. Ipse enim, quanquam publico bono minimè aduersaretur, sed perpetuò pro dignitate Reipub. actiones suas instituisse videri posset, tamen cùm esset iuuenis excelso animo, atque magnis opibus subnixus, priuatam vitam degere nesciebat. quin potiùs dominandi dulcedine semel inescatus, supremas sibi partes resumere deposcebat. Fit enim rarò, vt semel degustata dominandi illecebra, non facilè aliquis sibi priuatam vitam indicere queat. Quocirca cùm eius causa, tum aliorum, non deerant noui motus. Excesserat enim vrbe, indignatione atque inuidia plenus, vnde magna obmurmuratio ac metus in ciuitate sequebatur. Fama enim obtinuerat, illum, cum Antonio Adurnio, qui semper vrbe abfuerat, fœdus clanculum cõtraxisse, eosq́ue breui, coniunctis viribus adfuturos, vt Reipub. statum denuò conturbarent, adeò vt cùm Baptista Buccanigra non amplius quàm triginta hominibus stipatus, in publico foro commotionem ac turbam contra Montaldi amicos excitasset, magna fuerit subsecuta confusio: & res in extremum quodammodò periculum deducta videbatur, ita minimæ quæque res tumultus ac seditiones in lubrica & præcipiti ciuitate pariebant, eoq́ue magis, quòd ipsius Antonij Adurnij studia iam omnibus ferè manifesta essent. Ipse enim irrequieto animo, omnẽ, quod dicitur, lapidem mouebat, vt pristinam dignitatem recuperaret; ideoq́ue Ioannis Galeacij Vicecomitis præsidio, qui clã Reip. Ligusticę imperio inhiabat, subnixus, cum magnis copiis iterum ex Gallia Cisalpina in Liguriam descenderat, eiusq́ue clientes & fautores his nouis viribus freti, tumultuari passim inceperunt, confirmati potissimùm ipsius Montaldi aduentu, qui breui pòst, in vrbem reuersus, arma susceperat. Hæc noua ciuitatis calamitas valdè angebat tam ipsum Principem, quàm vniuersum Senatum, nec ad tantos refrenandos tumultus ali-

Franc. Iustinianus Garibaldus, Princeps designatus.

tus aliquod præsentius, vel efficacius remedium ostendebatur, quàm vt Spinulas, & Fliscos ea tempestate maiori ex parte in suis prædiis degentes, in vrbem reuocarent. Sed erat id consilij plenum periculi & difficultatis, quòd non ignorarent, illos, citra maximum vrbis incommodum & perturbationem redire non posse. Nihilominus vicit difficultatem & impedimenta omnia rei præsentis necessitas, ita vt cùm vtraque familia se ad reuertendum in vrbem præpararet, Spinulæ cum circiter mille quingentis peditibus ad montem Peraltum vrbi proximum, accesserint, quò ibi sese cum Fliscis coniungerent. Quippe ipsi propediem ibi cum valida manu expectabantur. eratque hæc ferè summa suorum consiliorum ratio, vt Adurniæ factioni, reliquis tunc temporis multis parasangis superiori, obuiam procederent, illiusque potentiam labefactarent, priusquã ea, ipsius Adurnij aduentu maioribus viribus confirmaretur. Incassum tamen hæc illorum diligentia extitit, quoniam aduersarij, eos præuenientes, auctoque exercitu, cum magno totius patricij ordinis odio, Spinulas in superiori parte illius montis adorti sunt, eosque, antequam se Fliscí illis adiungerent, profligarunt. His primis successibus non parum ferociebant. At Fliscis, audita sociorum clade retrocedentibus, Iustinianus Princeps, natura mansuetus, & moribus ac institutione quieti magis, quàm bellicis operibus accommodatior, omnia extrema veritus, ac tantam ciuitatis inconstantiam pertæsus, vltrò sese Principatu abdicauit, & ad priuati ciuis rationem ac statum rediit. Orbata igitur Principe suo Respub. iacebant artes omnes, atque, vt fit, in tanta omnium trepidatione, vnusquisque priuato suo commodo consulebat, cùm nemo ibi esset, quin ex præsenti ciuitatis statu pessima sibi metueret. Nam licet sæpius graues fuissent in Repub. tempestates atque procellæ, quæ illam mirum in modum affeciissent, tamen in comparationem cum præsentibus deuocatæ, nulla ex parte cum præteritis conferri poterant. Et concidisset proculdubiò ipsa Respub., vno eodemque tempore tot diuersis telis ac seditionibus quassata, nisi ad ruinam properanti, Montaldi virtus obstitisset. Is, initio harum dissensionũ & motuum, quòd Adurniã factionem, longè infra hominũ existimationem inualidiorem arbitraretur, cũ suis copiis & cliẽtelis, quieto simílis steterat, vt rei exitum spectaret. At vbi Spinulas ab Adurniis superatos, & Fliscos retrogressos, ac Rempub. derelictam esse animaduertit, mutata sententia, enixè dabat operã, vt eius subleuandæ gratia, omnes aliarum factionum auctores sibi coniungeret. In hoc rerum statu, Adurnij exercitus vrbi appropinquabat, & tametsi Baptista Buccanigra cum sic satis valido præsidio ad portam D. Stephani, cui præfectus erat, iugiter excubaret, nihilque reliqui faceret, quod ad boni ciuis officiũ pertineret, nihilominus tamen impedire vel obstare nequiuit, quin trecenti Adurnij milites per portam vulgò D. Stephani, in vrbem irrumperent. Adurnius igitur, horum præsidio fretus, reliquas suas copias citra magnum negotium per portam, cui nomen Carbonara, circa meridiem introduxit, & tantisper in propriis suis ædibus D. Agneti contiguis, substitit, donec omnes suas cohortes, quæ iustum exercitum repræsentabãt, sub signis in vnum conuenissent. Sant enim qui pro certo asserant, ipsum vltra quinque millia externorum peditum cum aliquot cataphractis, & duo ferè millia Genuensium sub vexillis habuisse. Nocuit hæc consilij ratio mirum in modum ipsi Adurnio. Siquidem Montaldus, qui tantummodò quingentos, sed strenuissimos & fidelissimos bellatores habebat, animo prorsus intrepido & inuicto, illũ cum plerisque aliis ciuibus de improuiso, priusquam exercitus eius coiuisset, inuasit, relicto ad omnem casum suo fratre Paulo, in eo foro quod vulgò Fossatellum

Insignis victoria Montaldi aduersus Adurnios.

lum vocant, ne scilicet aliquid incommodi à tergo acciperet ab iis qui passim in ciuitate Adurnias partes fouebant & sequebantur. Instruxerat prius aciem suam non alio consilio, quàm vt in Prætorium tenderet, & illud contra vim hostilem tueretur. Sed intellecta opprimendi occasione, illam nullo modo neglexit, adeò vt non citra omnium stuporem, Adurnium in terga verterit, & multos ex suis tam equites quàm pedites fuderit atque ceciderit: ipseque vix fuga incolumis euasit. Hæc victoria in tanto rerum omnium discrimine, momento ferè temporis parta, Montaldum eò existimationis euexit, vt omnibus deinceps admirationi iuxtà & venerationi esset. posteroque die, qui fuit primus Septembris, cùm in palatium publicum, priuato similis veniret, vt in medium de rebus publicis consuleret, ibidem à Senatu, qui eò cum centum fermè ciuibus constituendæ Reipub. causa cõuenerat, consentientibus omnibus, ipse, tanquam victor, & præclarè in rebus tam dubiis & profligatis de Repub. meritus, Princeps renunciatur, citra (quod mirum est) aliquam exceptionem, cùm aliàs hic Magistratus propter subsecutas assiduas altercationes & turbas, annuus esse cœpisset. Huic verò ad vitam collatus est, prœstito tamen & interueniente solenni iureiurando, quòd omnia Reip. statuta & priuilegia summa cum religione & inuiolabiliter obseruaret. Nec satis habuit gratus Senatus, ipsum tanto publico testimonio tantoque honore condecorasse; at etiam Senatusconsulto, decreti fratribus eius ob insignem operam Reip. in rebus tam dubiis nauatam, honores & immunitates, certaque publicorum redituum annuatim pars concessa; eodemque decreto sancitum, vt tam insignis victoriæ memoria ad omnem venturam posteritatem anniuersario sacro & aurei paludamenti dono in summo templo vltima die Augusti celebraretur, & transiret. Quibus peractis, nouus Princeps omnes animi cogitationes & curas ad ordinandam Rempub. contulit, & incredibili prudentia ac moderatione publicum statum pro tempore composuit. Verumenimuerò cùm nunquam in Repub. publicæ tranquillitatis perturbatores ac euersores deessent, Principatum summis periculis acquisitum, à maximis molestiis auspicatus videri potest. Quandoquidem principio subsequentis anni, Antonius Rex, ciuis popularis, vir factiosus, & planè elato animo, à nonnullis huius noui Principis aduersariis impulsus, arma singulari temeritate aduersus eum sumere non erubuit. Sed statim in initio, antequam lædere posset, oppressus fuit. Habeo grauissimos auctores, qui tradunt, hunc pernicioſum ciuẽ, nõ tam popularium hortatu, quàm Baptistæ Buccanigræ instinctu, hanc stultam & maximè exitiosam prouinciam sibi sumpsisse. Buccanigra enim, vrbe tantis periculis erepta, se à Montaldi amicitia penitus disiunxerat, vtque à Principatu remoueretur, exoptarat. Quotquot tamen fuerunt qui nouo Principi insidias struerent, vel breui oppressi sunt, aut exulare coacti. Non deerant etiam eadem tempestate noui rumores ac defectiones, tam in villa vulgò Quinti, quàm in agro Segestino, in gratiam exulum ab indigenis excitatæ, suasu etenim Adurnij magna hominum frequentia, præsertim illorum qui tres Valles inhabitant, in cœnobium D. Andreæ ponè mare positum, confluxerant, vt ibi, deliberatione habita, de nouo Reipub. bello inferendo rationes inirent: famaque obtinuerat, quàm plurimos ex præcipuis factionum auctoribus isthuc cõuenire statuisse. Ceterùm, ea re percognita, Paulus Montaldus Principis frater, & Antonius Guarcus eius cognatus, cum pedestribus & maritimis copiis repentè illos adorti sunt, & clancularium istum conuentum planè impediuerunt, vel dissoluerunt, priusquam copias aliquas contraxissent, quibus sese opponerent. Erexe-

Antonius Montaldus denuò Princeps.

1394.

rant

rant namque ibi aliquot munimenta, quò sese contra aduersariorum iniurias tutarentur. Attamen efficere non potuerunt, vt prœlium subterfugerent. Proinde post longum atque atrox certamen vtrimq. editum, res hunc habuit successum, vt inde expellerentur: Montaldus verò grauiter vulneraretur. Interim Buccanigra etiam instaurato agmine, in vallem Bisamnem peruenerat, ibique suorum clientum & amicorum opera nouos motus excitare annitebatur. Solus Petrus Fulgosius, vir prouidus, & sagax, quique suis consiliis tempus magis aptum atq. idoneum præstolabatur, quiescebat, cùm nimirum videret, maiorem vrbis partẽ erga Montaldum bene animatam atque affectam esse. Buccanigra igitur, cùm subinde nouis copiis viribusq; augeretur, Princeps illius potẽtiam & insidias veritus, armatus cum suis illi obuiam processit, eiusque acie disiecta, copiisque profligatis, illum viuum in suam potestatem redegit, iussitque, vt in forum publicũ perductus, ibi, quòd hostis patriæ fuisset, & Rempub. denuò in extremum periculum adduxisset, capite plecteretur. Verum, cùm in theatrum supplicio destinatum, quaqua versus faciem, auxilium implorabundus, verteret, gemebunda voce ipsius Montaldi Principis, qui sese, vt hoc spectaculum videret, ad fenestrã exposuerat, suppliciter mortem, tametsi Franciscus Vrbinates, tunc temporis Prętor, vt erat immiti & planè seuero ingenio præditus, vrgeret, deprecabatur, adeò vt Princeps suapte natura humanus, & communis sortis humanæ memor, multorum precibus, potissimum verò Antonij Guarci, inflexus, condonata culpa, illum in vita conseruauerit, Raphaële Montaldo eius fratre ipsum è lictorum manibus eripiente. Hac singulari, & quasi inaudita clementia & humanitate Dux ipse, aliique, qui pro sonte interceſſerant, ingentem sibi apud omnes beneuolentiam & laudem compararunt. Non deerant tamen interim perditissimis istis temporibus quamplurimi, qui nullis offensis, vel iniuriis commoti, subinde in eius perniciem omnia extrema molirentur: Quippe non solùm illi à plerisque consuetarum factionum auctoribus periculum imminebat, verùm etiam nouæ quotidiè repullulabant, quæ non alia, quàm plebis gratia & fauore nitebantur: sed tanta erat seditiosorum hominum temeritas, vt nihil nõ auderent, & assiduè nouas turbas cum magno detrimento Reip. concitarent. Quandoquidem præcipui illarum auctores neque tam viribus & auctoritate imbecilles erant, vt ad Ducalem dignitatem, cuius gratia tot simultates, & contentiones oriebantur, aspirare nequirent; nec demum tanta pollebant potestate, vt supremam illam dignitatem nacti, diu illam conseruare possent; eaq. de causa fiebat, vt, cùm mutua æmulatio incruenta esset, & prorsus à mutuis cædibus abstineret, nulli spe principatus exciderent, nec tamen interim satis securi sibi viderentur. Præcipuarum factionum capita, quorum scilicet auctoritate clanculum omnia gerebantur, erãt hæc, scilicet, ex Adurnia factione, ipse Adurnius, ex Fulgosia, Petrus, ex Guarca, Antonius, qui, vti ostendimus, ibi potiti rerum fuerant. Inferioris verò classis & notæ, modò vnus, modò alter, prout vnicuique multi, vel pauci sese cõiungerent, & fauerẽt. Ex ordine patricio erant etiã Fliſci, qui, quòd semper Guelfas partes summa pertinacia tutati forent, magnam sibi penes populum, qui hæc studia sequebatur, auctoritatem conciliarant; ita vt quoties alterutri factionum adhærerent, illam sibi planè in obsequio retinerent: in qua quidẽ familia Cardinalis Fliſcus principem locum facilè obtinebat. Reliqui nobiles maiori ex parte, quòd superioribus temporibus, multis damnis & incommodis, propter subsecutas Reipub. conuersiones, affecti essent, illorum ciuium partibus fauebant, qui neutram factionem secuti, liberam adhuc voluntatem haberent: cumque ad pu-

Montaldi singularis humanitas & clementia.

blicos honores capeſſendum, aditum ſibi præcluſum eſſe animaduerterent, in tantam animi demiſſionem deuenerant, vt, deſperatis omnibus dignitatibus & muneribus, priuatis tantummodò negotiationibus & rei familiari augendæ intenti eſſent. Videbatur hoc genus hominum à nullis, vti diximus, factionibus intemeratum, à Genio Reipub. in maximum ſuum beneficium eſſe reſeruatum. Quippe ciuitati in extremum ſæpius diſcrimen adductæ, & planè ad interitum properanti, inſtar fideliſſimi atque optimi chirurgi, ſanandis inflictis vulneribus optimum ac ſaluberrimum remedium attulit, Reip. adminiſtratione vel labefactatam, vel etiam quandoque quodammodò euerſam, optimo reformationis genere ſubleuando & reſtaurando. Ceterùm, gliſcentibus indies magis atq. magis in Montaldum odiis, & factionum auctorum audacia vſque adeò progreſſa, vt Principis potentia & auctoritas palàm & apertè negligeretur, ipſe, intellecta noua coniuratione, contra ſe facta, adhibito optimo ac fideliſſimo amicorum quoque in conſilium, illorum ſuaſu ſeſe Reipub. adminiſtrationi, præſertim quòd haud ſatis firmo præſidio eſſet communitus, ſubduxit; & tanquam priuatus, ſe, relicto prætorio, ad ædes ſuas recepit. Hæc eius ſpontanea abdicatio nouos iterū tumultus, ac periculoſam ſeditionem excitauit, qui tamen maiori ex parte diligentia & prudentia Senatus, omnem curam ad Reipub. conſeruationem conferentis, &, ne quid nouarum rerum in vrbe naſceretur, enixè contendentis, ſuperati & conſopiti ad tempus fuêre; &, celebratis comitiis centuriatis, Senatus, aliorumque ordinum ſuffragatione, Principatus inſignia in Nicolaum Zoalium, virū ea tempeſtate à pacis ſtudio, ac Reip. amore, aliiſque præclaris virtutibus maximoperè commendatum, contulêre. Poſt hanc electionem Montaldus vrbe exceſſit, & Monœcum adnauigauit, ſpe illectus, vt illius oppidi Præfectus ſibi conſanguinitate coniunctus, eam arcem atque oppidum veteri eius auctoritate ac præſentia traderet. Qua tamen in re opinione ſua falſus eſt, quoniam ipſe Præfectus nunquam vllis artibus adduci potuit, vt tantum facinus in ſe admitteret; ſed oſtenſis rationibus, ſe palàm profitebatur, vtrumque locum nouo Principi reſeruare, ita vt cùm Montaldus experiretur primos ſuos conatus irritos cecidiſſe, illinc Sauonam, indeq. Gauium petierit, vbi à Præfecto intromiſſus eſt, atque illi arx tradita, quod ſanè tam noui Principis, quàm Senatus animum vehementer offendit: indeque eius perfidiam eſtimantes, ſimulque potentiam, & maximam rerum agendarum induſtriam ſummoperè veriti, operæpretium ſe facturos exiſtimarunt, vt ad illius opprimendos conatus, néue ſua auctoritate deinceps Reipub. moleſtus eſſe pergeret, Antonium Adurnium, ipſi infenſiſſimum, ac planè capitalem hoſtem, qui hactenus ſemper in ſuburbano ſuo degerat, honeſtis conditionibus propoſitis, domum reuocarent. Hoc effecit, vt, dum vni incommodo mederi ſtudent, in aliud longè grauius inciderent. Siquidem Adurnij aduerſarij, intellecta Senatus voluntate, omnibus viribus contenderunt, ne in vrbem reciperetur: veriti nimirum, quòd ſi licentia & auctoritate in vrbe armaretur, ne, cùm eſſet natura ambitioſus, & vindictæ cupidus, aliquid erga ſe machinaretur: inter quos quidem erat præcipuus Antonius Guarcus, propter ingens odiū, quod ſibi cum ipſo Adurnio iamdudum interceſſerat. Ipſe enim, clientibus, & aliquot ſuis ſtudioſis ſtipatus, cum Senatu apertè expoſtulauit, ſic vt à minis & opprobrioſis verbis non temperaret. Quapropter illius iuſſu & mandato vnà cum triginta ſuis aſſeclis in vincula quamprimùm coniectus eſt. Sed obortis hac de cauſa magnis murmurationibus, Senatus grauiores motus metuens, ipſum paulò pòſt, cum ſuis priſtinæ libertati reſtituit. Hæc tamen Patrum indulgentia non

Nicolaus Zoalius creatur Princeps.

extinxit

extinxit Guarci ſuorumque offenſæ memoriam, nimirum cùm ſæpè vſu venire ſoleat, vt ſatius ſit, aliquem præpotẽtem penitus extinguere, quàm aliqua ex parte lædere. Quippe ita hominum natura comparatum eſt, vt magis iniuriarum, quàm officiorum memoriam circumferamus. Proinde Guarcus odij ac vindictæ plenus, ſtatim poſt ſuam liberationem longè apertius & maiori audacia, quàm antea, graſſari cum ſuis cœpit. Quandoquidem percuſſo nouo fœdere cum Fulgoſia familia, & contemptis omnibus periculis, neglectaque Reipub. cùm tranquillitate, tum ſalute, prætorium inuaſit. Id autem vbi Zoalio innotuit, cùm animum prorſus à bellicis motibus alienum haberet, nullis comparatis ad reſiſtendum ſubſidiis, ſtatim ſupremo Magiſtratu, in quo tantummodò duos menſes exegerat, ſponte ceſſit, curiamque ipſam in ſuorum aduerſariorum potentiam & voluntatem reliquit, & hoc pacto circumacto Reip. fatali circulo, eius gubernatio in manus eorum qui erant factionum Principes, deuoluta eſt. Et quoniam ea tempeſtate Montaldus & Adurnius vrbe aberant, Reip. adminiſtratio duabus aliis factionibus de communi ſententia permiſſa eſt, præſertim cùm non ſatis de electione conueniret, ſcilicet, vtrum Fulgoſium, an Guarcum Reip. Principatui admouere ſatius eſſet. Itaque ad remouendam omnem controuerſiam & ſuſpicionis anſam, ſortem ducere placuit, & ita citra aliquam controuerſiam Antonio Guarco Principatus obtigit, qui poſtmodum ſexaginta ciuiũ popularium ſuffragatione, qui partim Guelfi, partim Gibellini erant, in noua dignitate confirmatus eſt. Hæc noua Guarci ſuprema dignitas, complures tam domi, quàm foris, & præſertim eos, qui neutri parti addicti erant, mirum in modum offendit, adeò vt, initis conſiliis, conſtitutum inter eos ſit, vt vi atque armis illum Principatu exigerent. Igitur decimo quarto Cal. Sept. collecta ſic ſatis magna militari manu, in Caſtelleti planitie conuenerunt, vbi etiam incolæ trium Vallium præſtò fuerunt, quò auxilium ferrent, ſi opus eſſet, ita vt omnes in vnum conglobati, vltra duo millia numero eſſent. Expedire primoribus iſtarum partium ducibus videbatur, vti primum impetum in nouos Reip. Præfectos facerent, ideoque omnes in forum, quod vulgò Foſſatellum vocant, flexo iam ad veſperam die cõtenderunt. At Guarcus, æmulorum ſuorum conſiliorum pariter & ſtudiorum non ignarus, aliquot ſibi copias præſidiarias comparauerat, quas ita in promptu habebat, vt eas quamprimum ipſis obiiceret: quæ tam fortiter eos ſunt aggreſſi, vt illi terga vertere, ac in planitiem, quæ erat à ſuperiori parte, ſe recipere cogerẽtur: longeque maiores quàm antea, motus exoriebantur. Siquidem nulla ferè erat vrbis regio, vel triuium, in quo armati homines non conſpicerentur; nullaque ferè domus, quæ non ſummo metu laboraret, ita vt Lucas Fliſcus, & Antonius Montaldus, ambo cum ſuis clientibus in vrbem accurrerent; hic quidem, vt Principatum amiſſum recuperaret; ille verò, vt ſuam vtilitatem ex præſenti temporis conditione metiretur. Quorum ſanè aduentus planè effecit, vt Guarcis & Fulgoſiis hactenus aliquantulum concordibus, parum conueniret. Quandoquidem Petrus Mõtaldi opera impediebatur, quo minus Guarco celeriter, vti res ipſa requireret, auxilia ſubminiſtraret, potiſſimùm cùm ipſe Montaldus enixè laboraret, vt eos inter ſe quacumque ratione committeret, ac mutuis ſuſpicionibus implicaret. Huic tam magno moleſtiarum & diſſenſionum aceruo nihil prorſus deerat, præter Adurnium ſemper ceteris longè ſibi infeſtiorem. Hic itaque decimotertio Cal. Sept. opinione citius cum vna trirẽmi non procul à portu aberat. Verùm, cùm propter exortam tempeſtatem, nequiret tam citò ac volebat, in continentem deſcendere, ſuis hoſtibus occaſionem dedit, & tempus, vt illum omninò

Antonius Guarcus Princeps deſignatus.

ninò descensione prohiberet. inter quos Montaldus, qui præ ceteris ipsius potentiæ summoperè aduersabatur, primus extitit, qui ad littus cucurrit, vt ipsum aditu arcêret. Non ignorabat enim, quantum pretij operæ faceret, si, spretis aliis rumusculis, quibus parum, vel nihil commouebatur, ipsum Adurnium in suam potestatem redigeret. Quocirca, reliquos suos comites & asseclas præueniens, ea animi fortitudine & alacritate, qua sæpius in magnis rebus, & arduis expeditionibus vsus erat, in ipsius triremim, vndarum fluctibus, atque ob perpessam maris sæuitiam valdè quassatam, omniq́ue fermè remigio destitutam, insiliit: tantoq́ue robore ipsum adortus est, vt quam primum sese ei dedere coactus sit. quem captum, in vrbem adduxit; & in turrim, vulgò Portæ campi, mari proximam, licet tota ciuitas in armis esset, & propterea illi non parũ periculi ab Adurnia factione imminneret, perduci, atque ibidem asseruari iussit. Quod sanè vt primùm Guarco innotuit, animum eius nõ leuiter percelluit: Adeò namque consternatus fuisse dicitur, vt præ metu eorum qui se in Castelleti planitiem receperant, tunc minimè auderet Montaldum inuadere; præsertim quòd Montaldus ipse statim Adurnio capto, in non dubiam spem veniret, vtrũque, communicatis consiliis, in suam perniciem coniurasse, sicuti postmodum clancularium istud consilium retectum est, propter Adurnium, haud multò pòst in libertatem restitutum, & Vulturium vsque, commeatu adhibito, incolumem perductum. Guarcus igitur, tot tantisq́ue difficultatibus implicitus, & tantis aduersariorum suorum telis expositus, comparatis nouis copiis, quò se tantis molestiis liberaret, tertio Cal. Sept. cum tribus millibus expeditissimorum virorum ad Castelletum, in quod sese aduersarij maiori ex parte receperant, contendit. Cetertùm, illi, Montaldi ope ac recentibus auxiliis freti, tantum abest, vt aliquid detrimenti receperint, vt etiam ipsum Guarcum, non citra magnum sui periculum, insigni clade ibi affecerit, ita vt ægrè cum copiarum suarum exiguis reliquiis se confestim in curiam subduceret. Proinde ne se maioribus periculis inuolueret, simulq́ue vt omnem inuidiam declinaret, vltrò aliquot prædecessorum suorum exemplum imitatus, Principatum deposuit, & vnica triremi Sauonam profectus est. In hac tanta rerum varietate, Resp. rursus Principe destituta, in extremo versabatur discrimine, quòd vix vllus bonus in ciuitate reperiretur, qui in tanta rerum omnium confusione, aliquid, quod ex vsu publici boni esset, statuere, vel consulere auderet. Tanta erat etenim factiosorum hominum diuersitas & concursus, vt ne mutire quidem tutò alicui esset integrum. Attamen ne funditus Reip. status euerteretur, illi, qui nullis factionibus tenebãtur, in se libenter Reip. curam transtulissent, nisi Montaldum, tunc validis armis & clientelis, vti diximus, instructum, idemq́ue fermè cum Adurnio sentientem, veriti fuissent, ne alterutrum in ordinanda Repub. offenderent: adeò ea tempestate vtriusque libidini Respub. patebat, vt nihil citra horum voluntatem in ea statui posse videretur. Interim Adurnius, qui se Vulturium, vti demonstrauimus, receperat, cùm multò flagrantius quàm antea, Principatum ambiret, magno clientum & propinquorum numero stipatus, in vrbem venit, seq́ue in Castelleti turribus communiuit: probeq́ue sibi conscius, quòd nomen suum toti ciuitati graue & inuisum esset, extrema quæque tentans, experiri etiam voluit, an factione Gibellina in vrbẽ postliminiò reducta, fortuna suis votis secundiori aura aspiraret. Descensione itaque in aream facta, Gibellinæ factionis sectatoribus tesseram dederat, vt, VIVAT AQVILA, exclamarent. Hac voce confestim deterriti, qui diuersæ factionis partes, vtputa Guelforũ, sequebantur, sese vltra suas ædes continuerũt,

ita

ita vt quamuis cauſam motus ignorarent, prodire non auderent. Adurnij hoc ſtratagemate vſi, facultatem nacti ſunt, vt liberè per vrbem diſcurrerent: ac multis direptionibus infames, adeò ciuitatem ipſam infeſtarunt, vt etiam incendiarij facti, multorum nobilium palatia, ſubditis facibus, concremarent; inter quæ, ſuperbiſſima illa & ſplendidiſſima Archiepiſcopalis Curia, multis laquearibus conſpicua, iuxta fanum D. Mariæ, vulgò de Caſtro, in quam magna Guelforum frequentia confluxerat, ſubito incendio conflagrauit. Montaldus & Adurnius interim, inuicem coniuncti, cum ſuo agmine pariter per vrbem diſcurrebant, & licet diuerſarum factionum eſſent, vterque tamen Principatum inuadere, & occupare annitebatur. Proinde in ædem Franciſci cum ſuis fautoribus & amicis confluentes, diræ ſuæ cupiditati honeſtos titulos & laruatas rationes prætexebat, cùm dicerent, ſe nihil magis optare, quàm vt ſuppreſſis ac extinctis omnibus ſeditionibus ac tumultibus, ſingulis integrum eſſet, in medium conſulere, deque conſtituenda optima Reipub. forma, conſilia & ſententias explicare; alioquin aſſeuerabant, ſe non videre, quomodò tranquillitas Reipub. vmquam reſtitui poſſet. Conuocatis igitur præſtantiſſimis quibuſq;, Adurnius in frequenti multorum ciuium corona, ac diuerſarum factionum confeſſu, à publica vtilitate exorſus, ſe, dixit, in poſterum omninò ſtudere velle, vt ea, quæ ad Reipub. decus & dignitatem pertinerent, quantum fieri poſſe liceret, conſtituerẽtur, cauſabaturq; ciuium paucorum ambitione, & ſuorum aduerſariorum odio, factum eſſe, vt toties ad principatum recuperandum animi cogitationes adieciſſet. Nihil tamẽ interim ſibi inſolenter arrogare, ſeque magis ad patriæ ſalutem & dignitatem reſpicere, quàm priuati commodi & iniuriarum rationem habere. Permittere ſe igitur, integram liberamque noui eligendi Principis ciuibus ſuis electionem. Quapropter agerent illi, qui neutras in partes tranſierant, & quod fauſtum felixque eſſet, ſtatuerent: ſe namque, minimè Principatum expetere, idemque ſibi de Montaldo perſuadere, & multis rationibus adductum conſtanter polliceri: omneſque & ſingulos ſeorſum rogabat, vt omnem operam & diligentiam ad communem tranquillitatem ac beneficium conferrent. Cuius verbis Montaldus ea lege & conditione aſſenſus eſt, vt Reip. adminiſtratio in neutrum eorum caderet: ſed qui vtrique amicus foret, & nullis partibus ac ſtudiis inquinatus, is tandem communibus ſuffragiis principem locum obtineret, adeò vt circiter nonaginta ciues in ſacrarium eiuſdem templi, Principis deſignandi cauſa conuenirent. vixque conſederant, cùm foris ingens oritur tumultus, magnique rumores ab incondita multitudine excitantur, alta voce Adurnium eligendum eſſe inclamante, ſic vt maior pars in eum ſuffragia ferre cogeretur. Adurnius, vt erat dexterrimo ingenio & animo, ac temporis conditioni inſeruire conſueto, hanc electionem haudquaquã aſpernatus eſt, ſed multam modeſtiam præ ſe ferens, omnem culpam, ſiquid in deſignando Principe peccatũ eſſet, in popularem fauorem reijciebat. Interim permittebat, vt illa electio, ſi illis ita expedire viſum eſſet, reſcinderetur. Quæ ſanè eius ad ſpeciem & ad tempus accommodata oratio, tantum effecit, vt incredibili cum omniũ applauſu & lætitia, in primis verò plebis, cui paulò antè inuiſus fuerat, ad prætorium deduceretur, quartumq. Dux ac Princeps Reip. declararetur. Ceterùm, Montaldus, vbi ſe opinione ſua contra ſpem & voluntatem deceptum, & Adurniis promiſſis deluſum vidit, grauiſſimè ſuccenſuit, Adurniũ popularibus ſuffragiis ſibi prælatum eſſe. Angebatur itaque animi, quòd tam egregiam occaſionem ſibi obuiam, per negligentiam, ſiue magis per diſſimulationem, elabi ſiuiſſet, præſertim cùm hoc modo non parum ſibi

Genuæ multa ſplendidiſſima palatia ciuilibus diſſidiis incenſa.

Adurnius quartùm Princeps declaratus.

priſtinæ exiſtimationis tam domi, quàm foris decederet. Ad præſens tamen cõpoſito vultu, & lætus fronte, ac pectore anxius, altaque mente doloris acerbitatem premens, Gauium, vnà cum fratribus, ſub negotiorum ſuorum prætextu ſe contulit, vt ex tempore maiorem rerum ſuarum commoditatem metiretur. Adurnius interim ad Principatũ euectus, vt ſeſe in eo quàm firmiſſimè conſtabiliret, conſuetudinem tam à ſe, quàm ab aliis Ducibus ſuis prædeceſſoribus hactenus obſeruari ſolitam, in conſtituendo Decurionum magiſtratu, aliiſq. eligendis, & in ordinem cooptandis conſiliariis, immutauit. Quandoquidem ad retinendum vniuerſum populũ in maiori obſequio & beneuolẽtia ſingulari prudentia, dicam, an calliditate, volebat magiſtratus omnes perpetua quadam iſonomia tam nobilibus, quàm popularibus communes eſſe, ac eos æquabili portione inter eos in poſterum diſtribui, ratus ea ratione, nobilitatem ſibi potiſſimum conciliatum iri. Patricius tamen ordo cùm videret hanc immutationem aliquam tyrannidis ſpeciem præ ſe ferre, illi cum aliquot aliis ciuibus qui nullis factionibus illigabantur, hac in re facilè aduerſatus eſt, eò magis, quòd labefactata continuis motibus ac periculoſis conuerſionibus Repub., minima quæque, quæ in ea immutarentur, quàm maximè offendere ac lædere poſſent. Eò ſiquidem delapſa erat Reſp., vt omnibus maritimis cõmerciis ac exoticis nauigationibus orbata, viribus & potẽtia quàm minimum valeret, adeò vt paſſim palàm & apertè omnibus fermè cõtemptui ac ludibrio eſſet, & eò anguſtiæ redacta, vt quàm plurimi ciues, quorum rei familiaris rationes potiſſimùm negotiationibus nitebãtur, eam, tanquam ſolitudine damnatã, deſerere ſtatuerent. & pleriq. Auriæ familiæ, qui ſe in occidentalem oram receperant, ſortem, fatalem q. Reip. calamitatem cõmiſerari, hoc vnum agebant cum Galliarũ regis adminiſtris, ſibi finitimis, vt Reip. adminiſtratio tãto regi, temporibus tam dubiis, traderetur & cõmendaretur. Verùm, quòd magnæ eſſent difficultates, quæ ſe in hac re manifeſtè oſtendebant, hoc negotium commodè perfici nequiuit, ſed in meliorem occaſionem reiectum. Accedebat huc, quòd in tãta, & tam crebra Reip. mutatione ac varietate, haud mediocris eiuſdem auulſio ſubſecuta eſſet. Siquidem non pauci erant priuati ciues, qui multa Reip. oppida & arces, ſibi, neſcio quo prætextu, vſurparent: & inter eos quidem Ioannes & Ludouicus Grimaldi, Monœcum, Interiani portum Veneris, ſui iuris ac poteſtatis fecerant. In hoc rerum ſtatu, ab Antonio Guarco, Adurniæ factionis infenſiſſimo hoſte, noui motus Genuæ excitati: qui cùm extra vrbem habitaret, menſe Maio anni eiuſdem ſæculi quinto ac nonageſimo, cum ſexcentis armatis in vallem Pulciferam deſcendit, vt populum ad defectionem ſolicitaret. Adurnius, de tam potentis ac ſeditioſi ciuis conatibus præmonitus, validam manum ad eum opprimendum confeſtim eduxit: qua ille deterritus, terga vertit, & celeri fuga ſaluti ſuæ conſuluit. Ioannes etiam Galeacius Vicecomes, Inſubriæ Princeps, longè flagrantius, quàm vnquam antea, aſſiduis ciuitatis ſeditionibus & conuerſionibus commotus, ad illius imperium aſpirabat, nec vllam occaſionem prætermittebat, vt rem conceptam feliciter, & ex ſententia conficeret. Proinde ab Adurnio, quem antea ſummo ſtudio proſecutus erat, alienior factus, omnem fauorem atque animi beneuolẽtiam in Guarcum transferebat, nimirum, vt horum communibus viribus Reſpub. oppugnata, in eius quodammodò ſinum ſe reclinare cogeretur. Itaque miſſis Guarco duobus peditum millibus, & quingentis equitibus grauioris armaturæ, ipſe rurſus menſe Iulio ad vrbem contendit. tantumque abfuit vt Adurnius eius aduerſariis conſternaretur, vt etiam magna animi alacritate & fiducia plenus, ſe nouis copiis, quæ

Pleraque oppida Ligustici agri à priuatis ciuibus occupata.

1395.

quæ trium ferè millium delectissimorum peditum, & mille equitum erant, præsidij causa communiret. Veritus tamen aliquam intestinam oppugnationem, quòd maiorem partem oppidanorum sibi aduersari non ignoraret; vltra octingentos ciues proscripsisse traditur, adeò vt Guarcus de his summis apparatibus certior factus, simulque intellecta ciuium proscriptione, haud meliori successu quàm antea, cum magno metu, & haud medioeri famæ dispendio, eò, vnde venerat, retrocesserit. Ciuitatis igitur status eo in cardine versabatur, vt non facilè alicui singulari mutationi esset obnoxius. Siquidem illi qui Reip. gubernaculis admoti erant, summa quadam vigilantia & perenni cura procurabant, vt ab his qui opibus & auctoritate pollerent, nihil incõmodi accipere posset. Plebem verò & inualidissimum quemq. sibi recentibus beneficiis deuinxerant, ita vt multò securiores & firmiores, quàm antea, rerum administrationi intenti essent. At Guarcus & Montaldus, vt Adurnij potentiam deprimerent & labefactarent, inito mutuo fœdere, nouaque societate constabilita, sibi potiorẽ omnium profugorum & proscriptorum partem coniunxêre. Proinde coniunctis & coalitis copiis, recentique auxilio à Flisci confirmati, circa finem Octobris ad Stalianum oppidum exiguo interuallo ab vrbe distans, peruenêre. Verùm enimuerò, tanta erat Adurnij auctoritas, vt Præfectos, ac Duces, à suis hostibus contra se missos, illinc statim recedere coegerit: & propter hiemem, ac planè intensum frigus, instituta expeditione deseruerunt. Nihilominus tamen Princeps ad sui securitatem, neue deinceps aliquibus iniuriis patêret, vtque se tantis suspicionibus ac metu semel liberaret, aliquot copias tam mari, quàm terra, Reccam, & in pleraque alia circumuicina loca propter huiusmodi motus ac defectiones misit, vt ea ad pristinum obsequium atque obedientiam cogeret ac reuocaret: quæ omnia feliciter, & ex animi sententia peregit. Proximè diximus, in his tantis Reipub. turbis aliquot patricios, Reip. diuersa loca occupasse. Valdè hæc iniuria, quòd cum Reip. graui dispendio coniuncta esset, pungebat ipsum Ducem, vniuersumque Senatum, eò magis, quòd ipsi nobiles hac in re licentia confirmati, neque modum, neque finem statuerent. Nam hisce ferè diebus, duo Grimaldi fratres, clam Monœco egressi sunt, ea spe & consilio, vt Vintimilium Reip. municipium inuaderent. verùm, Reipub. beneficio casu accidit, vt, dum ipsi cum sua manu, quam ad hoc comparârant, pontem isti oppido vicinum, agminatim transirent, epistylia eiusdem vel longa vetustate collapsa, vel impetu aquarum ita auulsa & exæsa, vt ferendo tanto oneri imparia essent, conciderint, adeò vt rupto ponte, ipsi partim ab oppidanis cæsi, partim verò submersi, & ruina oppressi sint, & duces capti. Annitebatur interim summis viribus atque omni certamine Vintimiliarum Præfectus, vt Monœcum Grimaldis eriperet, ac Reipub. restitueret. quod proculdubiò omninò fecisset, nisi quidam ex Grimalda familia oriundus, intellecto ipsius Præfecti consilio, huic rei maximum impedimentum attulisset. Per idem fermè tempus, Franciscus Viualdus, cuius suprà, paucis verbis eius munificentia & singulari erga patriam charitate commemorata, mentionem fecimus, è viuis excessit. Hunc sanè tantis opibus floruisse veterum Annales perhibent, vt ditissimos quosque suæ ætatis homines, & qui etiam multis retroactis sæculis in vrbe diuitiis inclaruerant, longo interuallo superarit: eisque tam modestè continenterque vsum fuisse commemorant, vt hac sua immensa opulentia nulli vnquam mortalium obfuerit, nulliq. hoc nomine iniurius extiterit. Quod verò ad rem familiarem spectat, ædes incolebat huiusmodi, quæ neque nimio splendore fastum ac superbiam præ se ferrent, neque rursus sordidi abiectique

hominis vllum indicium præberent. In victu omni, & cultura corporis, haud mediocris parsimonia, & moderatio; tantusque illi famulatus & inseruientium numerus, quantus etiam mediocriter diuiti satis videri posset. In hoc autem vitæ genere ad extremum vsque diem pari tenore atque constantia perseuerauit & sic prorsus inuidia caruisse dicitur, vt, quod minimè caret admiratione, haud quisquam repertus fuerit, contra quem, iustis de causis, odium & maleuolentiam conflarit, adeò vt, quod extat apud Comicum, verissimè de illo dici queat, nempè, sic eum suam vitam instituisse, vt sine inuidia laudem inueniret, atque amicos pararet. Ceterùm, quoniam de Viualdis, quæ sanè familia semper in ciuitate summo in pretio atque honore habita fuit, nunc mentionem fecimus, minimè silentio prætereundum videtur insigne illud ac memorabile exemplum continentiæ, quod de Luchino Viualdo ijdem scriptores posteris tradidêre. Is enim cùm Genuæ matronam forma præstantem, ac genere nobilem, verùm castitate inuictaque pudicitia nobiliorem, deperiret, neque animum aduersus omnes oppugnationes pudore munitum, vllis aut precibus, & blandimentis flectere, aut donis corrumpere potuisset; factum est, vt mulieris vir vnà cum naui omnibusque mercibus à piratis captus, & in seruitutem sit abductus. Quare mulier ad egestatem, extremamque omnium rerum inopiam redacta, cùm, vnde paruulos liberos aleret, nihil haberet, necessitatibus victa, ad Luchini occultò ad se accersiti genua prouoluta, atque in flebiles questus effusa; Quandoquidem, inquit, mentem tantummodò posthac pudicam gestura, vt vtraque parte mei casta perpetuò manerem, fortunæ iniquitas prohibet, animumque illum aduersus omnia inuictum; fames, charissimorumque pignorum aliter periturorum, amor & misericordia expugnauit, dona illa Luchine, quæ à te sponte acceptura nunquam fui, nunc accipere, hocque corpore in ea, quæ libido tua feret, morem tibi gerere parata sum. Consopitam, atque à libidine constrictam generosi animi virtutem misericordia excitauit, & indomitæ cupiditatis æstum, tum, vt cùm maximè ardentem, subitò extinxit. Proinde ad meliorem mentem conuersus Luchinus, lachrymas ipse quoque non tenens, Ne isthuc, inquit, Deus opt. max. sinat, permittatque, vt tam pudicum corpus violare audeam, mentemq. tam castam, & à flagitio tantoperè abhorrentem, fortunæ iniuriis victam, ad detestabilem rem descendere patiar. Quæ dona prostratæ pudicitiæ habitura à me fueras, eadem etiam atque etiam cumulatiora seruatæ, hera, habebis: domumque reuersus, vt omnem prorsus suspicionem tolleret, coniuge participe consilij facta, eademque ministra & internuntia, tantum mulieri subinde suppeditauit, quâtum in illius, & filiorum alimenta abundè sufficeret. Hoc sanè Luchini factum, & singularis animi magnitudo, Alexandri cognomento M., & Africani continentiæ tantis laudibus, tamque magnifica oratione à quamplurimis in cælum sublatæ, si quis rem suis momentis ponderet, infinito interuallo est anteferenda. Nam neque prior, qui Darij, potentissimi Persarum regis, deuicti vxorem, facie inclytam mulierem, vetuit in conspectum suum deduci, vt eam ne oculis quidem contingeret; neque alter, puellam, licet forma egregia, nobilis viri Hispani filiam captã, perductamque ad se, & mox patri inuiolatam redditam, nunquam antè conspectam, adamabat, adeò vt vllis veteris, alteque animo insidentis amoris facibus vtriusque libido accenderetur, facileque fuerit, à re non expetita oculos & cupiditatem abstinêre. Ad hoc, ipsorum errata, occulta esse nequiuerant, sic vt inuidiam apud suos, atque inimicorum, quorum maximus erat numerus, obtrectatorumque vituperationem, simulque grauem offensam apud exteros populos, flagi-

Rarum exemplum continentiæ.

flagitium admittendi, deuitarent. qua quidem re nihil splendidius, susceptisque consiliis magis aduersabatur. Illorum itaque affectus non tam à virtute & continentia perdomiti, quàm ab alia lõgè maiore, inueteratáq. gloriæ cupiditate consopiti iure merito videri possunt. Quod totum contrà in Luchino fuit, animo veteri flãma æstuante, occultoq. peccato nulli prorsus liuori, aut fraudi obnoxio, nihilq. priuatæ vitæ susceptas rationes lædente. Ceterùm, vt ad institutam orationis seriem reuertar, postero anno Resp. nouis perturbationibus neutiquã caruit. Aduersarij enim, Adurnij Principis summo odio propter recentem eius dignitatem longè flagrantiùs quàm antea, incendebantur; nihilque eius auctoritate & potentia deterriti, enixè atque assiduè dabant operam, vt illum Principatu vi atq. armis deturbarent. Proinde Montaldus cùm omnia sibi obsepta conspiceret, ad manifestam vim conuersus, Mediolanum cogendi militis causa profectus est, breuique interiecto spatio, Gauium rediit. Guarcus etiam, in Spinularum municipiis, ad expellendum Adurnium, militarẽ manum colligebat, eiq. omnes ferè profugi, ac ceteri nobiles ex multis partibus sese adiungebant, sperantes futurum, vt, collatis atque associatis viribus, Rempub., euerso Principe ac Senatu, è tanta tyrannide, vt ipsi vocabant, in pristinam libertatem asserentur: quod nunquam, vel saltem tam citò, assecuti essent, nisi Adurnius in tam firmo dignitatis atque amplitudinis suæ statu temerè exterritus fuisset. Nimia enim sua pusillanimitate effecit, vt cùm in magnis atque arduis deliberationibus nullam certam, vel conuenientem consilij sui rationem explicare sciret, Principatu simul & existimatione excideret. Tanta siquidem tunc temporis fuit animi demissione, vt ad solum apparatuum hostilium, quos contra se maximos fieri videbat, conspectum, citra aliquam resistentiam fasces, aliaque supremi honoris insignia, sicuti antea non semel fecerat, vltrò resignare constitueret. Priusquam tamen sese Principatu abdicaret, operæpretium se facturum existimauit, si ciues, quos proscripserat, & in exilium egerat, in patriam, impunitate proposita, reuocaret: quibus patriæ restitutis, ceterisque ciuibus, in hac sua postrema electione, longè maiori sinceritate, atque animi candore, quàm antea vsus erat, propositis, sibi subinde de Reip. dignitate ac salute cogitanti, rerumque statum penitiùs introspicienti, omninò consultum videri, vt ad restituendam Remp. tot vulneribus cõfossam, eius administratio alicui externo Principi permitteretur. Qua in re si ita ciuitati expedire videretur, se omne studium atq. operam interpositurum, pro virili parte pollicebatur, eosque obnixè rogabat, & pro patriæ incolumitate obtestabatur, vt, explicatis cõsiliis, hac in re maturè aliquid decernerent; ne, cùm periculum in mora esset, aliquid grauius ex longis deliberationibus Reipub. oriretur. Se interim eas, quas habebat penes se copias, vltrò ad remouendam omnem suspicionem exauctoraturum & dimissurum, libenterque Principatum, legitimè adeptum, in gratiam tranquillitatis & vtilitatis publicæ ea fide, qua assumpserat, depositurum. Hæc eius leniissima oratio, quæ à singulari quodam patriæ amore ac studio profecta videbatur, simulque deponendi Principatus confirmatio tantam vim in omnium animis habuit, vt omnes ciuitatis ordines, missis oratoribus, qui præcipuos factionis auctores publico nomine rogarent, vt ab armis discederent; quod & impetratum fuit; in vnum conspirantes, super hac re in curiam confluerent, & comitia celebrarent. in quibus quidem variis ac prorsus inuicem secum pugnantibus sententiis dudum certatum fuit. Tandem vicit eorum sententia, qui multis rationibus adducti, censerent, Rempub. fessam & defatigatam, in sinum alicuius externi Principis, vti 1396.

diximus,

diximus, aliquantisper reponendam esse. Verumenimuerò in tot, tamque potentium, simulque præstantium Principum frequentia, difficile omninò erat, citra aliquod Reip. detrimentum, vel alicuius offensionem, vnum aliquem ceteris præferre, nimirum cùm singuli per se, & plurimum prodesse, & nocere Reipub. possent. Florebat ea tempestate cùm excellentibus animi dotibus, tum imperij magnitudine præ ceteris ferè Christiani orbis Principibus, Carolus sextus Galliarum rex. Ad eum igitur, ceu Principem numeris omnibus, quod aiunt, absolutum, legationem mittere placuit, vt eius animum in re tam ardua periclitarentur, simulque rescirent, vtrum ipse imperij Ligustici habenas regendas sumere sibi vellet. Oratores publico nomine ad eum missi, fuerunt Damianus Cataneus, vir ciuilis Pontificijque iuris cognitione admodum celebris, ac Petrus Persius, vir domi forisque iuxtà clarus. His ablegatis, ne interim aliqui noui motus in vrbe concitarentur, Adurnius tantisper in Principatu remansit, donec alia gubernationis formula de communi cõsensu institueretur. Oratores, vbi regem in Gallia assecuti, ea, quæ suæ Reipub. nomine in mandatis habebãt, exposuissent; Rex, pro veteri maiorum suorum more, ac inolita inter Galliæ reges consuetudine, totius legationis summam ad suos proceres, & consiliarios reiecit, eò magis, quòd ipse tunc temporis admodum esset adolescens, & tanti imperij administrationem, cùm vix ex ephæbis excessisset, adeptus foret. Inter regios proceres, ceterosque arcani, vt vocant, consilij, variis fuit disceptatum sententiis, ac potior eorum pars censebat, integrum non esse regi, tum propter ætatis gradum, tum etiam propter alias causas, Ligusticum imperium gubernandum suscipere, præsertim quòd multarum ætatum exemplis malè Principes suos excepissent, & non semel turpiter multassent. Non deerant tamen, qui, vt regi gratificarentur, quòd eum magnanimum scirent, gloriæque studio flagrantem, suaderent, tanti imperij sui pomœria hac noua Reip. accessione proferenda & amplificanda esse. Quorum sententiæ rex libenter assensus, legatorum postulatis se satisfacturum promptissimo animo recepit, iisque Reipub. nomine multas & ingentes gratias, propter eximiam existimationẽ, quam Senatus de se conceperat, simulque ob præclarum totius ciuitatis testimonium, egit. Interim illis liberam potestatem fecit, vt quod ex vsu Reipub. esset, per suam absentiam statuerent. Oratoribus Genuam reuersis, tametsi nonnulli essent, qui huic Reipub. decreto reluctarentur, Senatus tamen, aliique præcipui, Senatus consulto hanc nouam regis electionem sanciuerunt: breuique pòst, missis ad Galliæ regem literis, rogarunt, vt per suos administros Reip. possessionem acciperet. Ambiuerat etiam Reip. dominium Ioannes Galeacius Insubriæ Dux, eoque nomine suos legatos ad Senatum miserat; qui statim promulgato Senatus decreto, infecta re, domum rectà contenderunt. Paucis interiectis diebus, Genuam regij legati appulerunt, inter quos erant præcipui Franciscus Casinatici regulus, & Arnulphus regij scrinij magister, cum quibus, his ferè subscriptis conditionibus, octauo Cal. Nouembris transactum fuit.

Quibus conditionibus Resp. Genuens. sese Galliarum regi tradiderit.

Primò, vt Rex Galliæ foret deinceps legitimus Genuæ dominus, ac totius Ligusticæ ditionis Princeps, saluis tamen Romano imperio iuribus feudatariis, & beneficiariis.

Vt Rex suo nomine Pręsidem Genuæ haberet ex Galliis oriundum, qui in decernendis Reipub. muneribus duo haberet in Senatu, prout superiores Duces habuerant, suffragia.

Vt Decuriones, quos Ancianos vocant, deinceps partim ex nobilitate, partim verò ex popularibus, æquali distributione eligerentur.

Vt re-

Vt Regi non liceret Reip. aliqua noua vectigalia vel portoria imperare.

Vt populus Genuensis propter exortum ea tempestate inter Principes Romanum schisma, neutrius partis studia sequeretur, vel foueret.

Vt in omnibus bellis, quæ Rex quocumque modo gereret, populus Genuens. socius atque amicus esset: Aduersariis verò regiis hostis & inimicus, adhibita tamen expressa conditione, vt si ipsi regi aliquod bellum cum Græcorum Imperatore, vel Cyprio rege aliquo modo intercederet, Respub. Genuens. ab hoc planè immunis esset.

Vt Rex teneretur omnia oppida, vrbes, atque arces, & reliqua munimenta superioribus bellis Genuensibus erepta, omni cõtentione recuperare, quo nomine illi ad maiorem securitatem traderent decem arces ex præcipuis quæ essent in ora maritima collocatæ, sic tamen, vt illud dominium omninò nullo pacto nec per ipsum regem, nec per eius successores, posset vllo vnquam tempore oppignerari, vel ratione aliqua abalienari. His conditionibus sollemni cærimonia vtrimque confirmatis, Adurnius, qui hactenus summæ rei cum summa potestate præfuerat, coram vniuerso Senatu, se Principatu abdicauit, sceptrumque, ac cetera Reip. insignia, regiis oratoribus consignauit, à quibus ipse Adurnius vsque ad regij legati aduentum, Reipub. gubernationi præpositus est. Quę deinceps secuta sunt, sequenti libro, Deo auspice, enarrabimus.

LIBER NONVS.

POSTQVAM Adurnius ex Senatus decreto, Reip. curam & administrationem vsq. ad regij Præsidis aduentum suscepisset, præcipui diuersarum partium duces, illius supramodum pertæsi, iuxtaque in haud mediocrem suspicionem delapsi, ne diutius in ea perseueraret, coacta militari manu, nec non indigenis subinde ad defectionẽ solicitatis, enixè dabant operam, vt illum primo quoque tempore è supremo loco deturbarent, adeò vt quarto Cal. Martij subsecuti anni cum valida & lecta armis iuuentute in vallem Pulciferam descenderent. Quòd nisi eorum conatus ab ipso Adurnio, ac etiam à Spinulis & Fliscis, ægrè ferentibus, Rempub. denuò prioribus dissidiis atq. calamitatibus inuolui, maiori ex parte cohibiti ac repressi fuissent, haud dubiè in fœcunda gignendis inimicitiis ciuitate, & populo ad discordiam prono, hostilibus resumptis, solitisque contentionibus renascentibus, cuncta iterum ciuilibus bellis exarsissent. Paucorũ dierum interstitio, hæ duæ præclarissimæ familiæ, vrbano milite sibi aggregato, eruptione facta, hostes summo impetu circumuenerunt, eo quidem successu, vt illos, plerisque ex primipilaribus, ac etiam nõnullis supremi nominis, ex queis insigniores fuêre Antonius Montaldus & Antonius Guarcus, in suam potestatẽ redactis, prœlio fuderint ac disiecerint: eoque factum est, vt deinceps regius dominatus longè firmiùs ac securiùs constabiliretur. Siquidem breui pòst, nempe decimo quinto Cal. Apr., Valerandus Luxemburgicus Lini ac S. Pauli Comes, & Petrus Medunensis Antistes, ambo, præter generis claritudinem, eximia prudentia, longoque vsu rerum conspicui, ex Gallia regio nomine ad vrbem appulerunt, quibus Adurnius mox Principatu, atque omni Ligusticæ ditionis imperio tradito, curiaque excedens, se, tanquam priuatus, domum recepit. Verùm Castelleti arcem tamdiu apud se retinuit, donec sibi quatuor librarum millia, quam pecuniæ summam Resp. illi debebat, persol-

1397.

Primus regius dominatus Genuæ.

tueren-

uerentur: eaque ipsi Non. Cal. Aprilis deprompta fuit. Ceterum arce tradita, in Senatu variis studiis & contentionibus disceptatum est, satiúsne foret, vt hæc regiis ministris tribueretur, an potius eam, publico præsidio firmatam, sibi ad omnem casum ac euentum reseruarent. Tandem peruicit eorum sententia, quibus videbatur præstare, vt, quò pacta transitionis rata firmaque consisterent, Gallici regis fidei ac tutelæ permitteretur: ideoque statim Paulo Monelio eius Prefecto iniunctum, vt illinc digressus, liberam eius loci possessionem nouis præfectis relinqueret. Hoc tractu temporũ, Bartholomæus Scartabonus Viterbij genitus, ac iuris prudentia celebris, ad paucorum dierum interuallum Prætor designatus, & quatuor ciues creati, qui omnium noxas & delicta, ante ipsorum aduentum perpetrata, singulari quadam lenitate atque clementia obliterarent, & admissi erroris gratiam facerent. At mense Maio communibus Patrum suffragiis Angelus Panciaticus ciuis Pistorienſis, in eius locum substitutus est. Iisdem fermè diebus, cùm duæ rostratæ naues multis ac pretiosis mercibus onustæ, ex plaga Orientali Genuam versus adnauigarent, vna earum in itinere à Turcis circumuenta & occupata est, quorum Imperator Baiasetes, Ihalabi nomine, Christianis infensissimus, crudelissimum bellum in eos gerebat. Ex his verò qui ea deuehebantur, præter paucos contrucidatos, reliqui omnes in miseram captiuitatem abducti. Altera non multò pòst Genuam incolumis peruenit, sed cum plurimis dira & tabifica lue infectis, quæ non modò ciuitatem, sed breui omnem Ligusticæ oræ tractum exitiabili contagio infecit, ac per multos menses supra modum diuexauit, adeò vt ea indies magis magisque desæuiente, singulis diebus amplius quadraginta & sexaginta vi eius morbi interirent, maiorq. pars, relictis penatibus, salutis causa huc illuc secederent. Inter hæc, Guarcus & Montaldus, qui adhuc in libera custodia captiui asseruabantur, condonata venia, & arce Gauij restituta, mense Iunio reconciliatis animis, cum Rep. in gratiam redierunt, eisque pro sumptibus atque impensis benignè satisfactum, & ob rem aduersus Adurnios tunc Reip. hostes declaratos, prosperè gestam, annuali stipendio donati, ea tamen in primis lege & conditione, vt sese regio dominatui subijcerent, eique omnem fidem atque obsequium perpetuò exhiberent. Et quoniam vtraq. ora maritima perniciosissimis ciuilium seditionum ac discordiarum fluctibus vndiquaque atrociter iactabatur, in Orientalem Ceuas Auria cum quadringentis armatis ablegatus, & in alteram ipsemet Præses cũ valida manu profectus est, eo quidem euentu, vt breui nonnullas arces ab Antoniotti Adurnij clientibus occupatas, necnon portum Mauritium, Auriano milite firmatum, reciperet: horumque opera & studio effectum est, vt exigua temporis intercapedine omnes perduelles, ac defectionis auctores, ad pristinam fidem atque officium reuerterentur. His rebus non minùs properè, quàm feliciter peractis, ne deinceps publicæ quietis perturbatores, causa externi dominij nouos motus ac tragœdias cõcirent, S.C., licet Prætor adhuc suo munere fungeretur, Bartholomæus Scartabonus, cuius suprà mentionem fecimus, Iustitiæ Præfectus renuntiatus est, tanta mediusfidius auctoritate, vt etiam in causis criminalibus plenum ius exerceret, nec illi culpæ ac vitio verteretur, si quid interdum ab eo, cùm res ita postularet, publici commodi gratia fieret, quod ipsorum veteribus institutis aliqua ex parte repugnaret. Hoc statu rerum, Valerandus, qui propter pestem longè latéq., vti diximus, grassantem, periculi euitandi causa modò in ora occidua, & aliquando in his oppidis quæ vltra Apennini iuga posita, salubriori tempe-

Genua peste dimexata.

ric fruebantur, aliquamdiu substiterat, eodem fermè tempore, ob grauissima negotia

gotia in Galliam reuocatus, vrbis Præfecturam Borleo Luxemburgico, sibi arcta necessitate coniuncto, demandauit, & in his locis, in quibus ipse antea commoratus fuerat, Petrum Episcopum Medunensem substituit, eo animi decreto, vt, pestilentia remittēte, cum affine suo partem curarum capesseret, eaque omnia sedulò prospiceret, quæ ad vrbis, adeoque totius agri Ligustici quietem & gubernationem pertinerent. Interim subsecutus est annus eius æui duodecentesimus, quo Respub. nouis externis motibus haud sanè vacua remansit, ab his qui 1398.
erant è Bertolota familia, initio exorto. Hi enim subinde in ora Orientali, præcipuis quibusque ad defectionem solicitatis, grauissimas turbas & motus concitabant; ideoque vt illorum ausis atque conatibus maturè obuiam iretur, Præses cum circiter sexcentis manipulariis contra ipsos amandatus, ad quorum aduen-
tum deterriti, se statim in arcem Corniliam subduxerunt: & mox, cùm sese tantæ moli impares conspicerent, nonnullis ex Marchionibus Malaspinis sibi mutuo fœdere adiunctis, eorumque, ac ceterorum amicorum ope, militari manu collecta, quod vnum reliquum, rem in casum dare, prœlioque experiri statuerunt. Nec detrectauit pugnam Genuensis Præfectus, animi promptus, & exercitæ virtutis, adeò vt Cal. Maij vtrimque multo sanguine & ambiguo euentu concurreretur, donec tandē fortuna ad hostes, ipsomet Genuensium duce, qui nullum tamen optimi ducis, aut fortissimi militis officiū omiserat, interfecto, & *Genuensium clades.*
cum eo circiter quadraginta, Guelfi nominis, ac reliquis in fugam adactis, penitus inclinaret. Hæc clades, vti vrbem summo dolore affecit, sic etiam agrum Ligusticum vehementer commouit, ita vt qui robore minus valerent, sibi ab aduersa parte maioribus viribus instructa, summoperè metuerent. Ipsi interim superbia recentis victoriæ ferociores, Leuantum oppidum arctissima obsidione presserunt, & multa Guelforum prædia & municipia, in conterminis locis posita, diripuerunt, ac incenderunt. At Clauari Antonius Cocornus, vir ex vetusta nobiliq. familia, & Gibellinarum partium acerrimus propugnator, coniurationis crimine suspectus, de Præfectorum imperio, ac Senatus decretis, captus fuit, ac Genuam perductus, & mox Quæsitori traditus: & de illo quæstione habita, tot suppliciis & cruciatibus affectus est, vt, paucis pòst diebus, vitam cum morte commutauerit. Per idem quoque tempus, Antonius Montaldus, & Antonius Guarcus, tanquam eiusdem conspirationis aduersus regium dominatum conscij atque participes, eorundem iussu ac mandato in vincula coniecti; sed quoniam insontes, omnisque culpæ expertes fuerant, breui sunt dimissi ac pristinæ libertati restituti. Mense Maio, Andreas Arferius, ciuis Cortonensis, vir, ciuilis ac Pontificij iuris scientissimus, communi Patrum suffragio Prætor designatus fuit; sub quo Damianus Embriacus ob ingentes turbas & commotiones, quibus ora Ligustica vndique afflictabatur, mense Iunio Clauari præfectura sese vltrò ac spontè abdicauit, isque locus à Gibellinis mirum in modum diuexatus est. Exigua mora interiecta, Genuæ Senatus decreto quatuor triremes, pro eorum locorū, quæ adhuc in minori Africa Genuensibus parebant, tutamine ac securitate, omni bellico apparatu instructæ, necnon Gregorij Granelli ductu & auspicio emissæ. Eadem æstate, tres piraticę Castellanorum & Tarraconensium naues, totidem onerarias Ligusticas in mari Siculo præstolatæ sunt, atque inuicem infestis armis concurrerunt, eo quidem exitu, vt post acrem ac difficilem pugnam, victoria à partibus Genuensium staret, & hostilis quidem prætoria celeri fuga elapsa. Reliquæ duæ, Liguribus cessêre, quarum altera cum omnibus remigibus ac epibatis capta fuit: altera verò pænè vacua intercepta, cùm maior pars, con-

ſcenſis ſcaphis, ad littus ſalua atque incolumis appuliſſet, & paucos poſt dies, Prætoris ac Iuſtitiæ Præfecti iuſſu, eius nauarchus, cum ſexdecim aliis qui ſecum erant, in crucem actus, teterrima laquei nece vitam finiuit. Menſe Sextili, munus ipſius Iuſtitiæ Præfecti, quod iam fermè omnibus in commune, præſertim verò Gibellinis, mirum in modum inuiſum ac exoſum erat, de vnanimi Senatus conſenſu abolitum ac deletum fuit. Interea temporis, Antoniottus Adurnius, qui, vti ſuprà memoraui, quartùm in Repub. ſupremum Magiſtratum obtinuerat, tertio Non. Iulij, in loco quem indigenæ Caſtellum Francum vocant, haud procul Finario, tabifica lue, ſicuti nonnullis placet, ſiue tædio curarum feſſus, ac ſenectute grauis, poſt multos honores perfunctos, naturæ conceſſit. Ceterùm, in valle Pulcifera, nonnulli Gibellinarum partium fautores, immaniſſimorum latronum inſtar, dum taxat incẽdijs, rapinis, ac cædibus intenti erant, & ſibi quamplurimis eorum qui vallem Biſamnem incolebant, aſſociatis, primarios quoſq. aduerſæ partis adorti, vbi eos cepiſſent, ingenti pecunia multabant: in quo quidem nec ſuæ factionis hominibus parcebant, adeò vt fermè omnes, relictis ſuis municipiis & latifundiis, in vrbem, ceu ad tutiſſimum aſylum, confugerent. eorumque numerus ita poſtmodum excreuit, vt ferè vniuerſa regio, correptis armis, ſeditionem excitaret, & incolæ, ſublatis clamoribus, VIVAT AQVILA, ſæpius ingeminabant: eiſque aliquot Vulturiani, Antonius cognomento Rex, & Raphaël Carpenetus, ſeſe coadiutores ac ſocios adiunxerunt, & præter cetera, conquerebantur, & dicebant, Præſulem Medunenſ. tantũmodò in partes Guelforum, neglectis Gibellinis, propenſum; & iniquum ſibi videri, vt oppidorum atque arcium præfecturæ ſolis Guelfis committerentur, ita vt Præſes, conſentientibus Patribus, aliquot militares cohortes ex prætorianis & vrbana multitudine collectas, aduerſus perduelles & contumaces miſerit: hæque facili negotio Bulzanetum oppidum occuparunt, quod tamen exiguo pòſt tempore, amiſſum fuit. Cùm verò idem Præſes animaduerteret, illorum vires ac peruicaciam indies adaugeſcere, ne in maiorem Reipub. perniciem excreſcerent, vtque abiectis armis ad debitum obſequium redirent, de mutua Senatus voluntate quoſdam ciues ſingulari prudentia, nulliſque ſtudiis addictos, & patriæ in primis caritate flagrantes, ad eos miſit, qui ipſis publico nomine præteritorum veniam cõdonarent, ac inſuper Bulzaneti, Montisbelli, & Muratiani cuſtodiam ac præfecturam concederent. At quia ſummoperè verebantur, ne ſecum candidè ac ſincerè ageretur, breuique & venia, & ipſorum locorum regimine exuerentur, denuò ad arma conclamarunt, ſibique maiora polliciti, ſubinde grauiores motus excibant. Quapropter, Antonius Montaldus & Antonius Guarcus ad eos ablegati fuerunt, quò præcipui defectionis auctores illorum auctoritate inflexi, pacatis animis, Genuam remigrarent. At in vrbe ſtatim ingens ſuſpicio exorta, ne ſcilicet Guarcus & Montaldus, cum pleriſque ex Spinula & Auria familia, Gibellinarum partium ſtudioſa, necnõ cum primoribus popularibus, clandeſtina conſilia miſcentes, præcipui harum ſeditionum auctores forent, adeò vt ſibi tutius fore arbitrarentur, ſi vrbe abeſſent, præſertim crebris amicorum literis admoniti, ibi agi de ipſorum capite ac vita. Proinde Antonio rege, ac intimis quibuſque ſibi coniunctis, hoſtilemque animum induti, omnia ſtudia & animi cogitationes in patriæ perniciem ac exitium conuertêre. Quo ſanè factum eſt, vt Reſpub. multò maioribus, quàm antea, ſimultatibus ac periculis inuolueretur. Hi enim Adurnio, vti diximus, è viuis ſubtracto, ſoli ac principales diuerſarum partium duces ſupererant, qui ſuis optatis, nullum præter regiam dominationem, obſtaculum

Antoniotti Adurnij interitus.

ac fre-

ac frenum conſpicati, præter affinitatem, quæ mutuò iamdudum interceſſerat, iterum ſeſe nouo fœderis iure obſtrinxerunt: & quò ciuitatem grauioribus rixis atque contẽtionibus implicarent, veteres factiones, vrbi pernicioſiſſimas, & exitiabiles, ſummis viribus atque artibus inſtaurare annitebantur. Deinde ex variis locis contracto exercitu, eoque intempeſta nocte admoto, illam ſummo impetu aggreſſi ſunt, eo tamen ſucceſſu, vt cùm ſtrenuè à præſidiario milite propugnaretur, illinc ſtatim, præ nimia feſtinatione ſcalis relictis, nec ſine aliquo diſcrimine abſceſſerint. Hæc repentina & inopinata aduerſariorum oppugnatio, vniuerſos Patres, atque in primis ipſum Præſidem, adhuc ignaros à quibus ſibi præcipuè cauendum eſſet, haud mediocriter percelluit, moxque tam nobilium ac popularium, quàm Gibellini & Guelfi nominis, eorum nempè, quos amor in patriam commendabat, delectu habito, illiſque armis ſubminiſtratis, eos, portarum cuſtodiis præfecerunt, graui pœna propoſita, ne quis, præter ipſos, arma ſuſcipere auderet. Ceterùm aduerſarij, cùm in prima oppugnatione, facta ex ea parte, qua Biſamnis tenui ac exili curſu in mare defluit, fortunam minus ſuis conatibus ſecundam atque propitiam experti eſſent, eadem nocte ſummo ſilentio in alteram ciuitatis partem ſuas copias trãſtulêre, indeque per oſtiolum, vulgò D. Michaëlis, eo tempore nullo, vel ſaltem exiguo vigilum ac excubitorum præſidio cuſtoditum, in vrbem irruperunt. Quod ſimulatque ab oppidanis cognitum, protinus omnes promiſcuè ad arma iuerunt, & vniuerſa ciuitate variis ſeditionibus ac tumultibus implicita, per omnia compita, & viarum anfractus, vtriuſque factionis nomen ſublatis ingeminatiſque multis vocibus inclamatum, nec in ipſis tenebris, tantaque rerum omnium confuſione conſtabat cui potiſſimùm parti adhærendum eſſet. Spinulæ atque Auriæ, præcipui Gibellini nominis duces ac patroni, vnà cum ſuis clientibus ac familiaribus, ſuas vias & plateas trabibus aliiſque munitionum generibus obuallarunt. Ex diuerſo, Fliſci, in cœnobium Laurentio dicatum, ſimul conuenire, nonnulli regio Præſidi ſuppetias ferre, & cõplures alij varia ſcelera perpetrantes, per vrbis vicos ac itinerum regiones debacchantiũ more diſcurrere ac vagari: omniaq. ſacra profanis, imaq. ſummis cõmiſcebantur. Quippè, albeſcente cælo, nihil aliud prorſus cernere erat, quàm ſingulos paſſim in ſuis domibus ac turribus circumſeptos. & in quolibet illarum ingreſſu inter ipſa factionum capita, manus conſerebantur, intraque viſcera ciuitatis omnes vici ac ſemitæ vtrimque diuiſæ ac munitionibus firmatæ, tanto nimirum diſcrimine, vt quiſque certatim, ſuis domibus relictis, ſeſe intra regiones ſuarum partium contraheret ac præmuniret. Guelfi, totam fermè illam partem, quæ ab æde D. Petri, vſque ad fanum Andreæ porrigitur, adiunctis quoque his locis, in quibus ſita eſt ædes Laurentio & Ambroſio ſacra, & quicquid verſus oram maritimam inferiorem vergit, acerrimè tutabantur. Reliqui verò, quicquid à templo D. Lucæ per ædem Magdalenam vſque in forum Aurium & D. Catharinæ delubrum, necnon verſus portam, vulgò Campi, extenditur, propugnabant, ſic fanè vt quotidie inter ſeſe, nulla regij legati, omnem ſuam auctoritatem, ne id fieret, interponentis, ratione habita, mutuò infeſtiſſimis armis confligerent. ipſaque ciuitas in multò deteriorem ſtatum & conditionem, quàm in primo earum factionum bello contigerat, prolapſa erat, cùm hęc dira & cruentiſſima certamina intra ipſius, vt dictum eſt, viſcera gererentur, in quibus perpauci omninò ab armis abſtinuerunt, adeò, vt etiã Guarcus & Montaldus, haud multò pòſt, ab omni fœderis iure ac fidei deſciſcerent, cùm hic, in Gibellinas; alter verò in Guelfas partes tranſgrederetur. Quocircà vnius

Genue magni tumultus propter diſſidia.

eiuſdemque ciuitatis indigenis, quin etiam eiuſdem cognationis, vniuſque ac eiuſdem domus & familiæ hominibus in varia ſtudia diſtractis, ac in mutuam perniciem ruentibus, ciuiumque animis ſæuiſſimo & deteſtabili odio inter ſe flagrantibus, ibi omnia turbis, rapinis, cædibus, domorũ conuulſionibus, atq. ſacrarum ædium incendiis, conflagrabant, cùm veſanus furor non modò alterã partem, in alteram incitaret, ſed omni pietatis & humanitatis iure diſſoluto, fratrum in fratres, ac ipſorum parentum in liberos, filiorumque in parentes dextras armaret, pluraque inhumanæ ſæuitiæ facinora eiuſdem vrbis inter ſe ederent incolæ, nulla patrij ſoli charitate inexpiabilia ardentiaque odia mitigante, quàm vlla immanis barbaries ardore pugnæ irritata, in victos edidiſſet. In hoc atrociſſimo & efferato dimicandi ſtudio, quò ſanè omnia ciuili cruore fœdabantur, Gibellini, quorum præcipui Antonius Montaldus, & Ceuas Auria tunc temporis extiterunt, propter maiorem factioſorum hominum cõcurſum præualebant, ita vt ipſis multò liberior per vrbem excurrendi poteſtas fieret, & publicũ palatium, à regio præſide infirmo ac tenui præſidio communitum fermeque indefenſum, oppugnarent, eoque facili negotio potirentur. Hoc in poteſtatem redacto, cùm Montaldus ad omnem occaſionem intentus, ſibi ſtatim vſurpare vellet, eo quidem prætextu, vt diceret, id magno vtrique præſidio contra ſuos aduerſarios futurum; Auria veritus, ne hac ratione ſibi denuò ad Principatum viam aſtrueret, ſeſe illi acriter oppoſuit, & præter cetera, ſubiiciebat, tametſi ad reprimendum ſuorum aduerſariorum conatus ſimul arma corripuiſſent, neutiquam tamen reliquos ciues, in ea eſſe ſententia, vt Reſp. à regia fide atque imperio deſciſceret: ac ſecum ſatis præclarè actum eſſe dicebat, quòd aduerſæ partis, regij Præfecti gratia & auctoritate innixæ, vim atque iniuriam ſtrenuè à ſe repulſiſſent. Hac re Montaldus grauiter commotus, cueſtigiò ſeſe cum ſuis clientibus atque aſſeclis in ædem Dominico ſacram ſubduxit, eumque hoſtis à tergo inſecutus, non exigua clade, capto etiam Odone Grillo, affecit. At Præſes imminentis periculi metu mirum in modum attonitus, ægerque animi, & conſilij ambiguus, ſeſe in palatium haud incunctanter recepit, ibiq. Auriam, ipſum impendentis tẽpeſtatis euitandæ cauſa, Galliam cogitantem, his verbis allocutum eſſe, ac planè in meliori ſententia confirmaſſe dicunt. Si ignorarem, tantam eſſe in te prudentiam, ampliſſime Præſul, quin hunc lubricum rerum humanarum ſtatum, & planè temporum iniquitatem, ex humana quadam ingenerata fragilitate metireris, equidem ſummoperè vererer, ne in tanta huius ciuitatis morum atque diſciplinarum omnium neglectione & corruptela, ita eſſes animatus, vt vbiuis gentiũ viuere velles, quàm in tam corrupta & ſeditioſa ciuitate cum ſummo animi tui tædio vitam tranſigere, præſertim cùm vltra quandam communem rerum omnium licentiam, tanta immodeſtia ciuium animos inuaſerit, vt neglecta regis dignitate atque auctoritate, paſſim in omnibus ingrati animi ſui teſtimonium præbeant. Quæ ſanè hominum licentia, & à recto tramite aberratio, non tam à regis contemptu, quàm ex ſuperiorum temporum iniquitate atque conditione proficiſcitur. Nimirum, cùm ciuitas hæc noſtra ſemper fatali quadam ratione variis factionibus & inteſtinis malis laborauerit, paucorum potentum ambitione fit, vt indies nouis ſtudiis, ceu perpetuo quodam incendio, flagret atque incendatur. Qui mutua quadam æmulatione nunquam animis quieti, publicam tranquillitatem mirum in modum conturbant, & hoc vnum agunt, vt quibuſcumque poſſint ſtudiis atque artibus, ſuperatis aduerſariis, Principes in Repub. noſtra euadant. Hoc ſi vllo tempore experti ſumus, certè hac noſtra tem-

Ceuæ Auriæ oratio habita coram regio Præſide.

ſtra tempeſtate habemus quod queramur, & communem Reip. noſtræ ſtatum, illorum inſolentia labefactatum, deploremus. Quod certè eò minus, omnibus rem ipſam diligentiùs expendentibus, videri debet, quòd vix à tantis veteribus malis eluctata, minima quaque occaſione, inſtar vulneris, nondum in iuſtam cicatricem coaliti, ſed tantummodò præſenti faſcia obligati, minimo contactu recrudeſcentis ad noua ſtudia rapiantur, & nulla obſeruata modeſtia, tranquillum Reipub. ſtatum mirum in modum labefactent atq. corrumpant. Cerè rùm, non me latet, Reuerendiſſime Præſul, quin tu pro ea, qua ſemper hactenus præſtitiſti, ac etiamnum præſtas, prudentia atque animi moderatione, facilè intelligas, quantum temporis cõditioni tribuendum ſemper ſit, ac pro illius varietate præſens rerum ſtatus ſit plerumque metiendus. Hæc igitur, cùm tu per te intelligas, & inſignem doctrinam ex multiplici variaque rerum cognitione atque vſu habeas; non exiſtimo valdè eſſe neceſſarium, vt hac periculoſiſſima tempeſtate, idem facias, ſubinde te admoneam, præſertim cùm tuis oculis ipſe videas, quàm in periculoſo cardine rerum noſtrarum ſtatus coniectus ſit. Commoueat igitur te huius noſtræ calamitoſiſſimæ patriæ imago, quæ, quantum ſibi de te polliceatur, facilè intelliges, ſi, ratione in conſilium adhibita, dignitatem tuam non aliunde, quàm ex illa perſona, quam ſuſtines, metitus fueris, & penitiùs introſpexeris. Nec eſt, meo equidem iudicio, quòd popularis multitudinis petulantia te aliqua ex parte commoueat, vel moleſta ſit. Nam quis eſt, per Deũ immortalem, vſque adeò corrupti iudicij, vel malè de rebus humanis ſentiens, vt nunquàm cogitationes ſuas ad tranquillitatem publicam adiiciat, niſi populari applauſu, vel gratia multitudinis in cõtrariam ſententiam impellatur? Proinde cùm tu pro ea grauitate ac rectitudine iudicij, quæ in te ſemper eximia & ſingularis extitit, magis amoris magnitudini, quo nos omnes inde ſtatim ab initio, ex quo huc veniſti, proſequutus es, quàm priuato tuo quæſtui, vel peculiari cuiuſquam gratię tribueris, nunc reliquum eſt, vt pari conſtantia periclitantem ciuitatem conſilio adiuues, præſentia tua fulcias, & ſalutaribus commonefactionibus, quæ tibi pro ea qua præſtas dignitate, propriæ ſunt, in debito officio retineas: ita demum fiet, vt Reſpub. tuo beneficio tot tantiſque procellis erepta, in poſterum ſuæ ſalutis te vindicem apud omnes ingenuè profiteatur & agnoſcat. Quocirca in ſpem adducor maximam, te non commiſſurum, quin aliquem populari licentiæ relinquas locum, ne ſcilicet, hi, qui prorſus culpa vacant, immerentes, in pœnam trahantur. Hoc quippe diſcrimine bene inſtitutæ ciuitates ſtant, & retinentur: quod proculdubiò ſi tollatur, non video, quomodo diu conſeruari, nedum florere poſſint. Qua certè re, niſi ſenſus tuos haberem exploratos, eſſem omninò pro rei magnitudine prolixior, potiſſimum quòd vniuerſa ciuitas multorum iudicio non ſemel in reprehenſionem venerit, quòd videlicet, in tam miſero ac perplexo rerum ſtatu ſubinde lapſa, alienati animi ſui erga regem veſtrũ, regum omnium (abſit aſſentatio) præſtantiſſimum, argumentum dediſſe poſſe ex rerum occaſione videatur. Sed rogo plus apud te valeat, prout ſemper plurimum valuit, recta ratio, & paucorum, ſed eorundem quidem optimorum ciuiũ, auctoritas, & indefeſſa atque incorrupta fides, quàm ſtulta vulgi opinio, quæ, inſtar arundinis, huc illuc, leuiſſima etiam aura, facilè impellitur, ita profectò fiet, vt quicquid hactenus in ciuitate ſub tua adminiſtratione delictum ſit, magis ſtultitiæ populari, quàm alij cuiuis occaſioni acceptum referri debeat. Nec enim es tam iniquus rerum æſtimator, quin facilè per te intelligas, quomodo Reſpub. noſtra erga regem veſtrum fuerit animata, & quàm præclara dubiis temporibus

& acciſis iam rebus, ſæpius veri ſui ſtudij teſtimonia exhibuerit, ſic profectò, vt ſi ad iuſtam trutinam rerum momenta reuocentur, nemini dubitandum ſit, quin plus gratiæ, quàm inuidiæ apud reges Galliæ meritò ſemper promeruerit.

Regij Præſidis reſponſio.

Vbi hæc Auria peroraſſet, Præſes in hunc modum reſpondit. Non tam, inquit, fortunæ viciſſitudo, omnia, mira, ſed ſolita tamen quadam inconſtantia immutantis, me in ſummam admirationem rapit, quàm nonnullorum ciuium peruerſitas & improbitas, publico bono atque communi tranquillitati refractis animis perpetuò aduerſantium: quorum ſanè cæcitas, dicam, an veſania, adeò magna & intolerabilis eſt, vt eam nequaquã ferre poſſim, vel debeam; cùm illi, neſcio qua pœnitentina atque prorſus inaudita animi leuitate, nulla præbita offenſionis vel indignationis anſa, ſtudium & obſequium hactenus Chriſtianiſſimo Regi deferri ſolitum, illi prorſus abrogarint, & quod non ſemel in propugnanda cùm illius dignitate, tum ſalute emicuit atque eluxit, nunc prorſus refrixerit. Quod ſanè cur fecerint, per me equidẽ iuſtam inueſtigare cauſam nequeo. Satis etenim conſtat, ipſum Regẽ non alio quàm vobis omnibus gratificandi animo, huius Reip. veſtræ adminiſtrationẽ ſibi deſumpſiſſe. Si igitur boni medici inſtar, partes eius infectas & morbidas, ne amplius in poſterum contagione læderent, ſedulò paucorum perditiſſimorum ciuium animaduerſione & ſupplicio curauerit, non eſt medius fidius, quòd aliquo modo crudelitatem eius accuſetis; imò, eo vel maximè nomine ingentes illi à vobis & immortales gratiæ meritò debentur, quòd labantem Reip. veſtræ, & non obſcurè ad interitum properantis paucorum improborum vitio ſtatum, ſaluberrimis conſiliis, & inſigni legum ſeueritate, ceu firmiſſimis fulcris, ac præſentiſſimis amuletis retinuerit, & planè, ne prorſus corrueret, obſtiterit. Proinde omnes illi qui publico bono cõmouentur, & qui tranquillitatem, atq. adeò ſalutem huius vrbis amant & amplexantur, cuiuſcumque illi ordinis vel factionis fuerint, omni ope adniti decet, ne popularis audacia impunitate alatur, atque ſubinde aliquot temerariorum nobiliorum exemplo confirmetur. Quandoquidem eò nunc deuentum eſſe, palàm & manifeſtè animaduertitis, vt niſi optimates & primores huius vrbis, inſanæ multitudini fortiter ſeſe oppoſuerint, nullis humanis conſiliis, vbi ſemper illorum animi, audacia & impunitate cõſtabiliti, ima ſummis miſcere perrexerint, incolumitatem bonorũ conſeruari poſſe. Qua ſanè in re quantum ſubſit difficultatis, facilè per memet conijcio, cùm intelligam, aliquot patricios adeò refractarios, & in peruerſa ſententia pertinaces, vt nullis amicorum precibus, nullis denique præmiis, vel pœnis à propoſito deduci, & ad ſaniorem mentem inflecti queant. Nam, vt cætera mala, quibus inundat turbulentiſſima hæc ciuitas veſtra, taceam; plures ſeſe vſque adeò ſuperbè & crudeliter gerunt, vt antiquata, atque prorſus ſpreta Regis omni priſtina ac debita obedientia, arma nullatenus deponant: turres, aliaque loca munitionibus opportuna, præſidiis aliiſque neceſſariis communiant: & tanta petulantia & deteſtanda temeritate nequaquam cõtenti, plebe in partes deducta, ciuitatem ipſam inuicem partiantur. & nõ ſecus ac rerũ potiẽtes, huiuſceq. Reip. noui Tyranni, oppreſſis vel in fugam verſis bonis omnibus, atq; Reipublicę ſalutis amantibus ad vnum profligatis, in palatium publicum inuaſere, quod cõtra fas atque omnem æquitatem, diſtrictis gladiis, atque micantibus armis, contra omnium bonorum voluntatem turpiter occupant, & latrocinantiũ more, vi atque crudelitate propugnant. Quid, quæſo per Deum immortalem, reliquum eſt, quid dico, in tam ancipiti ac planè deplorato rerum ſtatu, nobis vix vmbram vllam antiquæ dignitatis retinentibus, dicendum vel ſperandum eſt? Eorúmne fidem

fidem sequar, qui publico bono commouentur, vel econtrariò potius desperatis rebus omnibus, pessimos istos grassatores ac salutis Reip. publicos hostes, & sub nomine libertatis Reip. oppressores & euersores, tanquam feroces & efferatas belluas nulla ratione vtentes, in longinquas terras fugiam? Hęc dum cogito, animus in incerto est, & hinc metus & certi periculi imago, illinc verò summa & perpetua optimi regis mei in hanc vrbẽ voluntas, me mirum in modum angunt. Vincit tamen generosi pectoris constantia, nihil non in gratiam regis audentis, quæ vsque adeò magna est, vt animum huc illuc diuersimodè fluctuantem atq. impulsum, ad meliora consilia reuocet, & quid me nũc maximè deceat, ostendat. Proinde vt fidem vobis faciam, qua sinceritate atq. animi propensione Rex hanc Rempub. hactenus administrauerit, Deum obtestor, atq. per huius vrbis vestræ genium atque amplitudinem audacter & sacrosanctè deierare libet, me libenter in omnium præteritarum iniuriarum obliuionem deuenturum, modò aliqui vestrũm ita erga Regem Christianissimum, optimè de vobis semper meritum, atque adeò erga patriam suam ita sint affecti & animati, vt cõmunicatis mecum deinceps laboribus, & periculis, de tollendis & consopiendis istis præsentibus motibus aliquando tandem animũ adiiciant, ac ne in posterum cum certa Reip. pernicie peccari aliquo modo possit, pro viribus consulant atque prouideant. Quod sanè meo quidem iudicio assequemur, si, comprehensis pręcipuis factionũ ducibus, atq. ipsis seditionis auctoribus refrenatis, reliqui omnes seueritatis exemplis ab incepto deterreantur. In hanc sententiã locutus, cũ omnia armorũ crepitu perstreperent, atque variis vocibus & clamoribus omnia personarẽt & complerentur, sese euestigiò subduxit; paruoque temporis spatio interposito, cùm videret, nullum seditioni & tumultibus finem neque modum constitui, desperatis vrbanis rebus, ac non parum de se suorumque salute sollicitus, xv. Kal. Aug. (hic dies olim Romanis infaustus Cremerensi, Alienisque cladibus) Sauonam per dispositam scapham clanculùm contendit, atq; illinc terrestri itinere in Galliam perrexit. Post regij Legati discessum, qualis fuerit Reip. status, atque habitus animorum, quiuis haud imperitus humanarum rerum æstimator, facilè per se omninò intelliget. Hac enim, suo rectore destituta, ob maiorem licentiam & peccandi impunitatem, partium studia multò acriorem vim, quàm prius, resumpserant, & exitiabile virus, quod dudum in eorum pectoribus latebat, eo tempore latiùs serpere ac diffundi cœpit, longeq. maior clades vniuersæ vrbi inflicta. In hac extrema rerum omnium confusione, Gibellini nominis fautores, naualium turres occuparunt, earumque præsidio haud magna difficultate portum sui iuris fecerunt, adeò vt Guelfis intra suos vicos & plateas quodammodò inclusis, summaque rei frumentariæ & commeatus inopia laborantibus, ipsi per vrbem liberiùs vagati, grauissimis incommodis ac detrimentis hostes afficerent: simulque ferociter iactabant, se illos eò tandem redegisse, vt extra sua septa & munitiones nullo modo egredi, ac prodire auderent. Sed contrà, ipsi plurimum sibi tribuere, suamque virtutem non parum efferre, quòd minimè è suis stationibus, vti æmuli, se facturos gloriabantur, propelli ac dimoueri potuerint; & vtraque factione externis præsidiis aucta & confirmata, hac quidem, vt sese ab instanti calamitate atque infortunio eximeret, altera verò, vt hostem quoquomodò opprimeret, circiter vndecim armatorum millia, quorum quidem octo Gibellinorum erant, in promptu atque ad manus habuêre; quarum virium accessione, nisi per idem tempus, Antonij Montaldi, alterius factionis Principis, peste, siue alio morbi genere, octauo Cal. Augusti, è viuis subtracti obitus, illius flagrantissimi

Antonij Montaldi obitus.

ſtudij & mutuæ contentionis furorem aliqua ex parte remiſiſſet; proculdubio, mutuis animis ad hoc ſupramodum accenſis & inflammatis, ſæuiſſimo atque aſperrimo prœlio inuicem cõgreſſi eſſent. At Gibellinorum inter ſe diſſidentium cunctatio effecit, vt ardores vtrinque haud leuiter mitigarentur, cùm præſertim inter ipſos de pace, opera Gaſparis Coſſæ Neapolitani, tertio Cal. Maij Roma Genuam cum tribus triremibus, vt inde Legatũ Pontificiũ in Galliam deduceret, profecti, ſedulò ageretur. Hic enim, tam præclaræ vrbis vicem grauiter cõmiſeratus, enixè dabat operam, vt aliqua pacificationis formula inter ipſos iniretur; qua demum conſtituta, de mutuo aſſenſu conceſſum eſt, vt, præter ceteras conditiones, Gibellini duabus ſuffragationibus, ſicuti poſtularant, in ſenatu & comitiis aduerſam partem anteirent, vt nempe in numero duodeuiginti ſenatorij ordinis, decem, qui eſſent Gibellini nominis, octo alterius partis, deſignarentur: ſimulq; in eorum gratiam exciſum eſt quidquid inchoatum fuerat pro turre Caſtelleti erigenda. Verùm, paucis pòſt diebus, ab oratoris diſceſſu, in vrbe iterum ſuperiores motus recruduerunt. Cùm enim Prætor, qui ibi remanſerat, Guelfis in haud mediocrem ſuſpitionem deueniret, ne palatium ſuis æmulis traderet, veſana quadam rabie ac furore illum comprehenderunt, & de ipſo atroci quæſtione habita, totius rei negotium ſolicitè exquirebant: quod ſanè illorum animos tantoperè offendit, vt repentè armis correptis, nudatiſq. gladiis, cum ipſis circa prætorium conflixerint: in eaque varia & ancipiti pugna, complures vtrinque vulnerati ac interfecti, & pleraque ædificia, vt hoc pacto mutua & internecina odia explerent, incenſa. dumque in his feralibus diſſenſionibus indies pertinaciùs inhærent, in variis plateis, & ciuitatis regionibus manus atrociſſimè conſeruerunt, in quibus ſanè multo plures, quàm antea, obtruncati, & plurima quoque palatia ſubito incendio perierunt, adeò vt vniuerſæ vrbis facies, quàm maximè tetra & miſerabilis cõſpiceretur, & ab Idibus Auguſti vſq. ad initiũ Septembris; licet per id tẽpus aliquæ pacis cõdiciones mutuò tranſigerẽtur, quinquies, aut ſexies, platearũ & vicorum repagulis atq. aggeribus vndiq. effractis, acerrimè inter ſe decertarunt. eoque factum eſt, vt, præter turres, ac publica ædificia exuſta, triginta palatia longè pulcherrima, quæ ad nobiliſſimos quoſque ſpectabant, ſæuo & crudeli igne conflagrarint. Cùm verò Septembri menſe, Gibellini concubia nocte hoſtium munitiones inuaſiſſent, forum Lercarium vnà cum turri, egregiè communita, & ab ea familia eo tempore ſtrenuè defenſa, expugnarunt: quod aduerſariorum animos tantoperè percelluit, vt quàm primùm ſeſe in ſuis compitis ac viis munitione firmantes, totam illam vrbis regionem in illorum prædam relinquerent, ita vt infra vnius diei ſpatium amplius duo ac viginti ædificia illius fori vnà cum templo D. Petri exuſta, atque incendiis vaſtata fuerint. Hac rabie pauliſper ſedata, (fit enim interdum, vt laſſatis vtriuſque partis animis atque corporibus, arma aliquantiſper deponantur) denuò inter ipſos de mutua conciliatione actum eſt, & tandem pridie Nonas Sept. certis quibuſdam conditionibus pepigêre; in quo quidem, perpeſſæ clades & calamitates multò clariùs conſpectæ ſiquidem vltra ædificiorum incendia, pleroſque nobiliſſimos ac præſtantiſſimos ciues miſerrimè confoſſos adinuenerunt; inter quos, ex ſuprema nobilitate Ceuas Auria, cuius ſuperiùs mentionem habuimus, & Gottifredus eiuſdem familiæ, Conradus & Anſaldus Grimaldi, Anſaldus Valdebella, Nicolaus Gallamanus, Antonius Maſtrucius, Honoratus Raſperus, Vincentius & Nicolaus Catanei, Ianottus Grillus, & Lucas Saluagus deſiderati. Ex popularibus verò, innumeri, quos breuitatis cauſa in præſens omitto. Inuenio apud non incelebres auctores, in hoc

Pax inter Guelfos & Gibellinos.

in hoc ciuili bello, anni spatio terminato, ciuitatem, subducta ratione, amplius terdecies centenorum millium aureorum iacturam fecisse. Suprà ostendimus, regium Præsidem, futuri anxium, relicta vrbe, in Galliam concessisse. At rex vbi primum de his vrbanis motibus edoctus fuit, vt ciues in fide atque officio continerent, in eius locum Collardum Calleuillam, vtriusque iuris peritia insignem, nec non equestri dignitate, atque ipsi regi à consiliis & secretiori cubiculo, Genuã misit, qui sub finem Septembris, à plerisque supremi ordinis viris, qui honoris ergô illi obuiam profecti fuerant, concomitatus, in vrbem ingressus est: cuius aduentu Resp. pristinum otium & quietẽ maiori ex parte recuperasse videbatur. Quippè ciues, statim obseptis viis reclusis, ac iterum conciliatis animis, in mutuam charitatem & concordiam redierunt, moxque priora commercia & negotiationes, per plurimos iam dies intermissæ, denuò in vsum reuocatæ. At breui pòst, Conrado Auria, viro animi prorsus inquieti ac turbidi, auctore, noui motus concitati. Hic enim Guelforum ope subnixus, Varaginem adortus, facili negotio furiuris fecit: quod quidem, præter reliquos, nouum Præsidem, & plerosq. etiam Auriæ familiæ, ad summam indignationem commouit, adeò vt nulla mora interposita, præter duas triremes, mari expeditas, hongenti milites terrestri itinere contra ipsum ablegati fuerint, breuique, hostili triremi in transuersum acta, ipsum Auriam eò tandem compulere, vt oppidum certa quadam pactione restitueret. Interim Senatus, quatuor longas naues, omni nautico instrumento ac bellico apparatu instructas, Georgij Granelli auspiciis, in partes Orientales pro eorũ locorum, quæ adhuc Ligustico nomini parebant, tutela ac securitate, amandauit. Ex quibus, cùm fortè vna earum, aquatum, & ad ceteras res opportunas profecta, à reliquis paululum abstraheretur, reliquæ, duabus triremibus, & totidem liburnicis regis Tunetani, Sicula præda onustis, occurrerunt, cum quibus statim conserto prœlio, initio ab ipsis Mauritanis exorto, aduersariorum nauigia à Liguſticis, virtute in primis Genuensis Præfecti & Pauli Montaldi, superata, & cõplures Siculi, qui paucis antè diebus, in ea insula capti fuerant, pristinæ libertati restituti. Id verò vt primum ipsi innotuit, tam grauiter succensuit, vt omnes Liguſticæ ditionis, qui tunc temporis in eo regno negotiabantur, vinculis mandari iusserit, tametsi haud multò pòst, redintegratis animis, placidè & clementer dimitterentur; eaque de causa veteri amicitia renouata, & commercia vltrò citroq., cum maximo vtriusque gentis beneficio resumpta.

Hic annus & bellis ciuilibus, & dira pestilentia fuit quàm maximè insignitus, adeò, vt meritò inter nefastos & luctuosos annumerari debeat. Hac sanè, etiam præcedenti anno laboratum. Sed licet pro portione & ex multitudine multa funera extiterint, plures tamen hoc tempore patricij ordinis, & præstantiores, quàm priori, sublati sunt: nec vis morbi vllis humanis consiliis aut ope humana leuari poterat, donec tandem cælestis iræ placamine sedata. Illud iam pænè excideratat, videlicet principio anni, quo hæc gesta sunt, Patrum decreto ad coërcendam virorum iuxtà & feminarum in nimio corporis cultu ac vestitu luxuriam & immodicos sumptus, lex sancita est, qua in his rebus modus præscribebatur. Nã, sicut olim apud Romanos, quò lætior indies fortuna Reip., atque imperium crescebat, eò magis splendor & magnificentia cum in ceteris rebus, tum in his, quæ ad corporis ornamentum spectabant, excreuit, ita vt Q. Fabio & T. Sempronio Coss. lex Oppia lata fuerit, qua prohibebatur, ne qua mulier plus semuncia auri haberet; neu vestimẽto versicolori vteretur; neu iuncto vehiculo in vrbe oppidóque, aut propius inde mille passus, nisi sacrorũ publicorũ causa veheretur:

Lex aduersus immodicos sumptus.

ita

ita quoque Genuæ florẽtibus rebus, diuerſiſq. duobus vitiis, auaritia, & luxuria, ciuitate laborante, quæ peſtes omnia magna imperia euerterunt, inter bellorum magnorum, aut vixdum finitorum, aut imminẽtium curas, Senatus ſumma prudentia ſummaque iudicij rectitudine cauit, ne viri pariter ac mulieres vel domi, vel cùm in publicum procederent, in habitu ornatuq. corporis ac ceteris rebus modum excederent, & maiores ſumptus facerent, quàm decus & honeſtatis ratio
1399. pateretur. Hoc ſtatu rerum, ſecutus eſt annus eiuſdem ſæculi vndecenteſimus, quo, eodem Præſide, ac Raynerio Zacio Piſanæ nobilitatis viro præturam gerente, in vrbe iterum ciuiles diſcordiæ ac ſimultates, quarum cauſa & origo ab imperita & incondita multitudine prouenit, repullularunt. Hæ namq. iuxta veterem morem, dum eſſet, in quo, ſeu in priuatis, ſiue in communibus & publicis factionibus alerentur, à ſuo naturali curſu deficiebant: ſed priori ac ſolito alimento deſtitutæ, neceſſariò aduerſus patricios reuoluebantur. Proinde cùm ea tempeſtate quamplurimi ex vulgo in ædem Auguſtino ſacram, ſimul confluerent, hoc vnum in primis anxiè contenderunt, vt patricij quamprimùm ab ordine ſenatorio, atque omnibus publicis muneribus abdicarẽtur. Præſes, ea re cognita, extemplò quendam ex præcipuis eius ſeditionis auctorem, vt ſe coram tribunali ad dicendam cauſam ſiſteret, accerſiri iuſſit; & tantùm abeſt, vt dicto audiens fuerit, vt etiam ipſe, ac reliqui complices, pridie Non. Maij turrim, & portam, vulgò D. Thomæ, expugnarent: ac per omnes vias vrbis & compita, regis ac populi nomen ſublatis clamoribus ingeminabant. Quamuis autem regius legatus, ſingulari quadam clementia & lenitate illis veniam offerret, ac delicti gratiam faceret, modò ſaniora conſilia amplexi, ab incepta ſeditione recederent; nihilominus tanta fuit illorum vis ac pertinacia, vt poſtero die, qui fuit Non. Maij, amplius mille ex eorum numero in vnum coëuntes, raptis repentè armis, ſtrictoque ferro, curiam inuaſerint, eamque, Præſide clam inde digreſſo, occupatam, diripuerint. Hæc plebis inſolentia omnes ciues promiſcuè ad ſummam iracundiam concitauit, adeò vt circiter mille & quingenti ex eis in vnum conglobati, ipſum Præfectum, ſui valdè anxium, ac ſalutis pauidum, in prætorium reduxerint; atque orauerint, vt in ſua adminiſtratione conſtanter perſeueraret, polliciti, ſeſe vnà cum cetera nobilitate illi perpetuò affuturos. Præſes, horum verbis & variis cohortationibus confirmatus, nihil tum habuit antiquius, quàm vt ſtatim exorti tumultus aliqua ratione componerentur: & cùm plebs adhuc in armis eſſet, ſimulque ad Spinularum ædes iuxta templum D. Lucæ ſitas, expugnandum properaret, quò tandem illius animum deliniret, aſſenſus eſt, vt nobiles ab omni publica functione ſummouerẽtur; atque ita pauliſper conquieuêre. Ceterùm paucorum dierum interuallo, iterum plerique illorum ſine vllo ſtrepitu ac ſeditione in vnum coacti, Senatui nuntiari iuſſerunt, ab his, qui rebus gerendis præeſſent, plurima indies fieri, quæ in maximum Reip. dedecus ac perniciem cederent, ideoque in poſterum, citra vllam tamen regij dominatus commutationem, ſe velle illius curam & gubernationem ſuſcipere, ita vt ipſimet, regio legato, ad hoc, maioris periculi euitandi cauſa, conniuente, nouum Magiſtratum, in quo erant quatuor Priores, vt vocabant, & duodecim conſiliarij, omnes ex promiſcua multitudine ſelecti, conſtituerint, quorum arbitrio & auctoritate omnia domi foriſque regerentur. Priorum quidem nomina hæc fuerunt, nempè Raphaël vnctor, in regione vulgò D. Petri Arenatij, Baptiſta Clauarus lanificus, Carabottus venditor caſei, & Antonius Palauania lanio. Igitur Reſpub. qua, poſt Carthaginenſium & Romanorum imperium, nulla clarior

Genuæ nouus popularis tumultus.

rior atque illustrior fuit, per id tempus, admirabili quadam humanarum rerum viciſſitudine, horum conſilio & adminiſtrationi ſubijciebatur, vtque ſeſe in eo Magiſtratu, cui dumtaxat quatuor menſium ſpatium præfixerant, indies magis atque magis conſtabilirent, vniuerſam plebem ſibi iureiurando obſtrinxêre, vt ſi qua neceſſitas ferret, ſtatim omnes in Prætorium, in quo ipſi Priores ſibi locum delegerant, armati, ad opem ac ſuppetias ferendum accurrerent. Inter hæc, indigenæ vtriuſque oræ maritimæ in ſummam viuendi licentiam & corruptelam prolapſi erant, ſimulque à nonnullis Guelfarum partium profugis, qui piraticam exercebant, cum duobus myoparonibus grauiſſima damna inferebantur, quorum alter, ab vna Liguſtica triremi à Senatu inſtructa, cui Auguſtinus Spinula & Baptiſta Iuſtinianus cum æquali dignitate præerant, eo potiſſimùm nomine, vt loca maritima tuerentur, ac etiam publicos redditus exigerent, intercepta fuit, ac Genuam perducta, & mox illius nauarchus & ſcriba, ambo plebeij, & cum ipſis, quidam miles Placentinus, ad turrim molis ignominioſa morte affecti, ac poſtero die ſexdecim, qui fuerant in eodem nauigio, ad Phariæ turris promontorium pari ſupplicio multati: quo exemplo externa inſolentia maiori ex parte fuit repreſſa. Iiſdem fermè diebus, in vrbe complures vtriuſque ſexus, alba veſte induti, per omnes ferè plateas, & viarum anfractus alta voce canebant hymnum, cuius initium eſt, Stabat mater dolorosa, iuxta crucem lacrymoſa, dum pendebat filius. Quo ſanè ſpectaculo reliqui commoti, omnes promiſcuè, cuiuſcumque ſexus, ordinis ac ætatis forent, lineo panno albi coloris amicti incedebant: eoque factum eſt, vt pleræque familiæ, mitigatis animis, in mutuam gratiam ac benevolentiam redirent, adeò, vt poſtmodum id tempus fermè in prouerbium ceſſerit. Interea, nouus Magiſtratus indies maiorem auctoritatem ſibi conciliabat, & proculdubiò aliquam diuturnitatem ſibi polliceri poterat, ſi in eo maiorem curam & ſtudium adhibuiſſent. Verùm plebs, præteritis honoribus acquieſcens, vbi iam præfixus terminus effluxiſſet, nihil vlterius attentauit, ideoque breui vniuerſus concidit, & denuò Ancianorum ciuium inter nobiles ac populares ex æquo inter ſe diſtributorum, ordo atque adminiſtratio repetita. His rebus domi ita ſeſe habentibus, hoſtes Chriſtiani nominis ſuum imperium in partibus Aſiæ atque Orientis, indies latius proferre, ita vt Reſp. plurimũ anxia & ſollicita, ne quid detrimenti in his locis quæ adhuc ſuæ ditioni parebãt, acciperet, de Senatus atq. Ordinum decreto, quatuor roſtratas naues egregiè præparatas, ductu Friderici Promontorij, viri prudentis iuxtà ac ſtrenui, & militaris, in eas regiones tranſmiſerit: quo quidem tempore, duæ itidem triremes Gallicæ, omnibus rebus ad bellum neceſſariis inſtructæ, contra eoſdem aduerſarios ſub Bonciarti, qui poſtmodum Genuæ, nomine regis Galliarum præfuit, imperio deſtinatæ fuerunt. Ceterùm, anno ſupra milleſimum quadringenteſimo, populus Genuenſis, ſingulare quoddam ſuę leuitatis & inconſtantiæ, circa Reip. adminiſtrationem, ſpecimen ac documentum præbuit. Huic enim haud ſanè amplius cum iiſdem ciuibus fuit contentio, ſed contra regium dominium omnia ſua conſilia & actiones direxit, initio à Coſma Caſtilione, Raphaële Carpeneto, & pleriſque aliis popularibus viris exorto, qui turbidi miſcendis ſeditionibus, quamplurimis ſibi aſſociatis, aduerſus ipſum Præſidem coniurarunt. Hi namque, vel ſuomet inſtinctu, ſiue ab aliis primoribus ciuitatis inducti, illius vitæ ſummoperè inſidiati ſunt, quorum quidem prior captus, & in vincula coniectus fuit: alter verò factionum dux, in valle Pulcifera, occultè ſeſe in eam ſubduxit, breuique pòſt, magno clientum & amicorum agmine ſtipatus, in vrbem,

Genuæ omnes alba indumenta ſibi aſſumunt.

1400.

quò

quò ſuum ſocium liberaret, ſimulque inceptum proſequeretur, reuerſus eſt. & cùm portam, vulgò D. Thomæ, ſemicuſtoditam inueniſſet, illam protinus incendit, moxque populi nomine crebris vocibus inclamato, ipſum ad arma excituit, adeò vt Præſes, quòd tenui præſidio communiretur, de ſua ſalute non parum ſollicitus, relicto prætorio, in turres S. Andreæ profugerit; eaque occaſione qui in carcere captiuus aſſeruabatur, celeri fuga ſibi conſuluit. Inter hæc, cùm propter inſultantium vires nemo in gratiam regij Præſidis arma ſuſcipere auderet, neque illi vlterius procederent, ciuitas quatriduum ſine vlla ſeditione ac rectore permanſit, donec tandem ipſo abdicato, noua Reip. forma introduceretur. Aſperæ, circa hæc tempora, Adurniæ ac Montaldæ factiones, earum præcipuis auctoribus fato extinctis, aliquâdiu conſopitæ erant, & Antonio Guarco adhuc ſuperſtite, ipſius ſtudia ceteris, opibus & auctoritate præſtabant, ita me herclè, vt propter vetus odium in Adurnios, hæ duæ factiones in his popularibus diſſidiis, quaſi poſtliminiò redirent: & quicumque Montaldi partes fouebant, Guarco adhæſerunt, eoque Reſpub. iterum in maximas tempeſtates ac miſerias deoluta. Nullus enim fermè erat in ciuitate, qui non ad arma concurreret, & claris maioribus orti, eò deuenerant, vt nec etiam hiſcere, nedum ſuam auctoritatem interponere auderent: nullaque ratione à regio Præfecto impetrari poterat, vt animum colligens, in palatium rediret, & circa Reipub. adminiſtrationem variis omninò ſententiis decertabatur, cùm vulgus à regio imperio ac obedientia penitus abhorreret; nobiles contrà, id in primis quàm maximè expetere viderentur, exq. popularibus, quamplurimi Ducalem dignitatem ſub factionum Principibus approbare, ac medium, vt vocant, ſtatum præferre, ac profectò vt ex tanta animorum diſcrepantia & varietate, ingens rerum omnium confuſio ac perturbatio exoriretur, donec tandem plerique ciues, nullis partibus contaminati, & patriæ charitatem priuatis commodis anteferentes, in prætorium conuenirent; exque communi conſenſu, vt aliq ua ex parte ipſi populo mos gereretur, decimo ſexto Cal. Febr. Collardo Caleuilla regio dominatu abrogato, in eius locum Baptiſtam Buccanigram ſub titulo Præfecti prætoriarum cohortium regis Galliæ, ſuffecerunt: & hoc Senatus conſultum ab ipſo rege approbatum iri arbitrantes, confeſtim Oratores ad eum miſêre, per quos id ratum firmumque haberetur. At rex, ea re cognita, grauiſſimè indignatus eſt, ita vt mox Caleuillæ, quem Sauonam conceſſiſſe diximus, iniunxerit, vt ſuo nomine Principis Mediolanenſis, & Carreti reguli opem atque auxilium, quoad maiores apparatus inſtituerentur, imploraret. Huic electioni Buccanigræ Antonius Guarcus, præ ceteris omnibus, fauerat, in haud ambiguam ſpem erectus, fore, vt hoc pacto deinceps multò facilius ſub eo, quàm ſub quouis alio, ſuum ambitum & animi impotentiam expleret: ſimulque veritus, ne ſui æmuli ſeſe illi opponerent, ſummo ſtudio allaborauit, vt ipſi Caſtelleti arci recèns ædificatæ, ac pleriſque aliis turribus ciuitatis, præcipui ponderis ac mométi, Gallorum nomine, præficeretur; eaque de cauſa ipſius æmuli in haud mediocrem ſuſpicionem deuenientes, continuò ædes, fano D. Agnetæ proximas, pro ſui præſidio ac ſecuritate communiuerũt, adeò vt ingens odium & ſuſpicio inter ipſos oriretur: nouuſque Præfectus ad maiores turbas euitandas, de conſenſu Senatus circiter mille præſidiarios pro curiæ defenſione ſuique corporis incolumitate ac ſatellitio adhibuit. Verùm nihil ea ratione profectum. Cùm enim Adurniæ factionis Principes, ſummis propinquitatibus, & clientelis conſtipati, longè viribus ac potentia ceteris præirent, opeque Pauli Montaldi, viri, præter ſanguinis coniunctionem, opibus & auctoritate florentis

rentis, qui se horum studiosum & fautorem præbuerat, subniterentur, omni cunctatione abiecta, prætorium, aduersariis multò imbecillioribus cedere coactis, acri impetu inuaserunt: eoque haud magna difficultate expugnato, cùm Buccanigram prorsus lateret, cuius potissimum fidei sese crederet, spontè Magistratum, Guarco huic rei, vt videbatur, inuito minimeque assentiente, deposuit, seque iterum ad priuati ciuis rationem & statum recepit. Adurniis, præter ipsum Montaldum, Orolandus Campofulgosius, vnà cum suis fratribus sese aggregarat: quo sanè effectum fuit, vt ea pars longè superior esset. Ceterùm, in tanta animorum distractione, singuli factionum auctores ac principes mutua suspicione laborabant, in eoque cardine ciuitatis habitus versabatur, vt qui hactenus multis studiis implicati fuerant, prorsus nescirent, quídnam in tanta gubernationis diuersitate, Reip. potissimùm expediret, quídue sibi deinceps pro eius salute ac dignitate agendum foret, cùm præsertim regis indignationem valdè metuerent, quem intelligebant, maximum exercitum describere, vt armata manu Ligusticæ ditionis imperium recuperaret. Proinde in hac rerum omniũ perplexitate coactis Patribus, habitisq. de more comitiis, illorũ decreto duodecim ciues populares, partim Guelfi, partim Gibellini nominis, renũtiati, qui vnà cum indigenis trium Vallium, ex ipsis, quos vocant, Ancianis, vsq. ad noui Prefecti Gallici regis aduentũ, Reip. cum supremo iure ac potestate præessent, rati, illam, intra hoc spatium à ciuilibus iurgiis & altercationibus conquieturam. Sed hoc ipsorum decretum Orolandus Fulgosius, Adurniæ factionis summus fautor ac promotor, præter omnium spem penitus interrupit & labefactauit. Quippe qui cum ducentis armatis occupato prætorio, id præcipuè studebat, vt rebus gerendis admoueretur. cuius conatibus cum Guarci maioribus viribus innixi, sese opponerent, illum, quamplurimis vtrimque vulneratis, ac interfectis, Thomaque Orolandi fratre cum pleriſque aliis eiusdem factionis in captiuitatem abductis, è curia expulerunt, eaque potiti, ne grauiores turbæ coorirentur, eam nullo præsidio, Reipub. administratione Decurionibus relicta, communiuerunt, adeò vt statim captiui pristinæ libertati restituti fuerint, ac publico Senatus consulto, quatuor Oratores ad Principem Mediolanensem ablegati, eo quidem consilio, vt is apud regem intercederet, auctorque esset, vt Reipub. imperium tranquillè atque pacificè resumeret. Ne verò interim, Resp., duce & gubernatore destituta, grauioribus periculis esset obnoxia, septimo Cal. Aprilis, de communi consensu illi Baptista Francus Lusardus, vir præstanti virtute, nullisq. partibus addictus, qui regis Galliarum nomine illius regimen ad tempus susciperet, præpositus fuit. At Genuẽsium Oratores, vbi publico nomine suam legationem apud Insubrem exposuissent, ac peractis negotijs, domum redirent, in suo comitatu quendam ex consiliariis ipsius Principis, & Montis-Clari Dominum, qui apud Senatum de componendis rebus transigeret, habuêre; isque in palatium exponendæ legationis gratia profectus, ab hominibus vtriusq. factionis inde fuit exclusus, ita vt præ metu ac trepidatione sese haud incunctanter in hospitium subduceret. Huic contumaciæ cùm nouus rector, Insubris reuerentia commotus, obuiam ire statuisset, enixè operam dedit, vt ciuibus neutri parti adhærentibus, ac ceteris primoribus conuocatis, eorumque gratia & auctoritate seditione repressa, legatus denuò prætorium adiret, ac Senatui, quid potissimùm in mandatis adferret, coràm declararet, aut saltem per literas exponeret. Verùm, cùm plebs ac ceteri, nullum finem tumultuandi facerent, Francus, ne in regem ipse etiam contumax videretur, spontè de præfectura exiuit, licet postmodum ipsi Patres, oratore amanter in colloquium admisso, Insubris studium erga Remp. & regis

ſententiam non obſcuris verbis intelligerent: ipſaque ciuitas per aliquot dies rectore caruit: donec tandem illuc appulit nouus Præſes, nempe Rinaldus Oliuarius, qui vſque ad Bonciarti aduentum Reip. Gallici regis nomine præſideret. In huius aduentu plebeij tumultus, inſtinctu eorum qui erāt primarij factionum duces, denuò recruduerunt. Namque indigenæ trium Vallium, duce Antonio Guarco, cum ingenti clamore ac ſtrepitu vrbem ingreſſi, ſeſe plebi adiunxêre, quò aſſociatis viribus, regium Legatum ſuo munere deturbarent: ipſeque ſtatim palatio digreſſus, totuſque pauidus, in Caſtelleti turres, iam magna ex parte communitas, perfugit. At Senatui, ad hos motus reprimendos, & coërcendam ſeditionem, plurimum expedire viſum fuit, vt iterum Baptiſta Francus vnà cum regio legato vrbis adminiſtrationi præficeretur. Ceterum, plebe huic rei omninò refragante, poſtquam in Senatu variis ſententiis decertatum eſſet, tandem in hoc vnanimiter Patres conuenêre, vt ipſe Francus, regio Præſide penitus excluſo, rerū potiretur. Id verò, licet nobilium ceterorumque ciuium, qui in neutras partes tranſierāt, animos, propter hanc tam frequentem à rege defectionē, ſupramodum commouiſſet, nihilominus tamen ſumma neceſſitate impulſi, cùm factionum capita & duces maximis clientelis & affinitatibus innixos viderent, illorū cœptis atque conatibus minimè aduerſari audebant. Poſtero anno, ſcilicet ſupra milleſimum quadringenteſimo primo, Senatus cōſulto Vgolinus de Presbyteris, ciuis 1401.
Bononienſis, & inſignis iuriſperitus, ac etiam equeſtris ordinis, & dignitatis, Prætor deſignatus fuit, ſub quo Francus, cùm plurimorum ſtudia in ſe conuerſa, non ambiguis ſignis ac teſtimoniis intelligeret, vt in quoſdam publicæ tranquillitatis perturbatores animaduerteret, Orolandum Campofulgoſium & Gabrielem Recanellum, quòd immodici lingua, & obſequij inſolentes, minimè à contumelioſis & probroſis verbis aduerſus præſentem Reip. ſtatum & adminiſtrationem temperaſſent, in vincula coniici iuſſit: quod ſanè ob ſolutam vitæ, morumque diſciplinam, & propter ſummam auctoritatem, qua ipſi apud plebem pollebant, non modicas contentiones ac turbas dedit, ita ſanè, vt Francus, ſuorum amicorum precibus inflexus, operæ pretium fore duxerit, vt illos tandem, ad grauiores motus ac ſeditiones euitandum, liberaret: eoque factum eſt, vt ſenſim propter animi puſillanimitatem priori exiſtimatione excideret, ac ſubinde ipſius dignitas maiori neglectui ac ludibrio eſſet, ſimulq. improborum & ſceleratorum hominum effreni licentia domi foriſque ſupramodum adaucta, complures turbæ, & crebræ defectiones tam in ora maritima, quàm etiam in ipſa vrbe indies fiebant, ſic profectò, vt etiam apud externos de illa veteri Reip. dignitate atque amplitudine multum omninò publicè ac priuatim decederet. Ne verò multis exemplis meipſum & lectorē pariter defatigem, hoc dumtaxat in præſens obiter adiiciam. Cùm Gerardus Appianus, Plumbini regulus, cū Senatu nonnullas controuerſias haberet, ac fortè Andreas Lomelinus Napolio illuc appuliſſet, illum ſtatim comprehendi iuſſit; eoque demum adegit, vt ſeſe ingenti pecuniarum ſumma redimere cogeretur. Verùm ille, haud multò poſt, Genuam reuerſus, nihil prius atq. antiquius habuit, quàm vt illatam iniuriam vlciſceretur; ideoque nulla mora interpoſita, fratrum & amicorum ope quatuor roſtratis nauibus egregiè inſtructis, cum illis ad Elbam inſulā adnauigauit, vt eam in ſuam poteſtatē redigeret, illamque omninò expugnaſſet, niſi Appianus, traditis prius viginti nummum aureorum millibus, quò ab incepta expeditione recederet, vehementer inſtitiſſet. Itaque Patribus ad impendentes motus euitandos, nec non Præfecti imbecillitatem ſubleuandam, octo ciues, partim Guelfi, partim etiam Gibellini nominis, creari placuit: à queîs breui pòſt, cùm Vallium indigenis ci-

uili-

uitatem denuò ingressis, noui motus exardescerent, Francus, ne grauioribus periculis Resp. implicaretur, præfectura, ad quam paulò ante miro quodam vniuersi Senatus atque ordinum consensu & applausu euectus fuerat, exutus est, in eiusque locum Antonius Iustinianus & Georgius Adurnius, qui sub Priorum titulo, vsque ad noui præsidis aduentum summæ rei præessent, substituti. Et quia vetus mos & consuetudo inualuerat, vt, quoties in Repub. noua regiminis forma introducebatur, commissa, non sine maximo Reip. detrimento, propter quàm plurima, quæ inde subsequebantur, scelera & flagitia, condonarētur; hic mos, inter cetera, correctus ac emendatus fuit, & publico edicto sancitum, vt parricidis ad multos annos aqua & igni interdiceretur. verùm enimuerò ita omnia ad extremam corruptelam inclinarant, vt breui hæc lex, ac reliqua statuta, ab ipsis Prioribus in publicam vtilitatem ac beneficium sancita, penitus abolerentur, atque concideren. Quippe tanta creuerat cuiuslibet licentia, improbitas, peccandi libido, atque impunitas, vt magistratui nulla prorsus reuerentia exhiberetur, & omnia subinde in deterius vergerent, eaque ciuitas, quæ retroactis sæculis ob rerum gestarum gloriam & magnitudinem, omnibus externis populis & principibus terrori iuxtà & admirationi extiterat, nullam omninò rationem & modum inueniebat, quo seipsam vlterius sustineret, nec ad tam grauia vulnera sananda vllum aliud remedium atque amuletum magis opportunum ac necessarium erat, quàm Ioannis Lemenerghi, siue, vt aliis placet, Lemenigri, cognomento Bonciarti, cuius superius meminimus, rigida & seuera gubernatio. Hic porrò, cùm sese in iis expeditionibus, quas Christiani Principes aduersus communem fidei hostem collatis viribus, susceperant, tam egregiè ac fortiter gessisset, vt ex præclaris facinoribus & ingentibus ausis, haud mediocrem sibi laudem & gloriam cõparasset, in patriam postliminiò reuersus, non multò post equitum Præfectus, & legatus in Gallia Cisalpina creatus fuit. Proinde cùm Galliarum rex nunquam animum à Genuens. dominio atque imperio abduxisset, hunc ceteris omnibus aptiorem esse iudicauit, cui Reip. supremã administrationem committeret. Nam cùm esset procera statura, magnisque artubus, & animi prorsus intrepidi ac inexorabilis, necnon sublimes spiritus gereret, ad ciuiles seditiones sedandas, & populum Genuens. in fide atque obsequio retinendũ, apprimè aptus atque idoneus fore censebatur. Quocirca, vt primum sibi ea prouincia demandata fuit, cum mille armatis equitibus ac totidem manipulariis pænultima die Octobris Genuam ingressus est, ibique à Senatu ac ceteris Ordinibus, summis & quæsitissimis honoribus exceptus fuit. Huius aduentu ciuitas, tanquam omnis Respub. in eius gremium ac sinum cessisset, horribili quadam tempestate liberata esse videbatur, omnesque, propter iectum timorem, depositis rixis & contentionibus, sese ad publicam quietem atque otium componere summis studiis annitebantur. Ceterum, is, simul atque rebus gerendis admotus est, sibi pro maiori dominatus regij securitate, omnes arces tam vrbanas, quàm Ligusticæ ditionis, dari iussit, seque, vltra militares cohortes, trecentorum equitum præsidio communiuit; néue seueritatis de se conceptæ opinionem vlla ex parte imminueret, paucis pòst diebus, videlicet, quarto Non. Nouemb., Baptistam Buccanigram & Baptistam Francum, ceu maiestatis reos, in carcerem condi, eosque securi percuti imperauit. Quod sanè propter eximiam gratiam & auctoritatem, qua vterque apud omnes promiscuè pollebat, vniuersorum animos mirum in modum percelluit. Et si verò ipsi latam sententiam, vt iniquissimam, incusarent & criminarentur, nec parum spei in populari motu ac seditione reponerent, nihilominus tamen occulto noctis in publicum forum perducti sunt, quò de ipsis

capitale ſupplicium ſumeretur; & Buccanigra quidem, quē ſors primū deſtinarat, indicta cauſa capite plexus eſt. At Francus, dū inter lictores & circumfuſam multitudinem ingēs rumor exoritur, eoq. cuſtodes nō parū exterriti, & obſtupefacti, magis ad excitā commotionē ac tumultū, quàm ad ſui muneris ſedulitatē intendunt, curia, vinctis ponè tergū manibus, elapſus, in ædem Dominico ſacrā profugit; indeque furtim, propinquorum ope, vrbe ſaluus atq. incolumis exceſſit. Verùm Præſes ira percitus, in rei & captiui cuſtodem eius loco animaduerti iuſſit. Hæc exempla in præcipuos edita, incredibilem omniū animis metū ac terrorem incuſſere, adeò vt totus ager Liguſticus breui in ſumma quiete atq. otio conſiſteret; omniaque oppida & munimenta, quæ Reſp. in his ſæuis ciuilium bellorum procellis ac tempeſtatibus amiſerat, exiguo temporis ſpatio recepta. Adhæc ſumma vigilantia & induſtria procuratum eſt, vt pro regia potentia confirmandā Caſtelleti arx, nondum planè abſoluta, perficeretur. Præterea, pro nauigiorum, quæ ibi exædificabantur, tutela & munitione, in naualium faucibus duæ turres erectæ, & pleraque publica ædificia inchoata. Poſtremò, ad omnia tam externa, quàm domeſtica diſſidia reprimenda, publico edicto iniunctum fuit, vt trium Vallium indigenæ, ac etiam ipſi ciues & oppidani, omnia armorum genera quę apud ſe haberent, quorū quidem diligētiſſima facta fuit conquiſitio, excepto enſe ac baliſtis, in palatium deferrent, ea quidem ſpecie, ac prætextu, vt diceret, minimè opus fore, vt pro Reipub. ſalute ac defenſione magnus numerus externorum militum deſcriberetur; ita ſanè, vt, nonnullis oppidis & caſtellis, quę paulò antè, Georgius ac eius frater, Finarij Marchiones, ſibi vſurparant, recuperatis, nec non ſumma ipſius Præſidis ſollertia Monœco tranſactione quadam è manibus Ludouici Grimaldi recepto, ac pace vbique firmata, Reſp. in priſtino ſuo decore ac dignitate conſpiceretur. Id verò haud ſanè caret admiratione, ipſam ſcilicet in tantis conuerſionibus, & ciuilibus diſcordiis, plurimorum locorum, quæ ſita erant in partibus Orientalibus, ditionem atque imperium continenter retinuiſſe: nā inter cetera quidē, Famaguſtam Cypri vrbem longè nobiliſſimam, licet ab eo rege in his domeſticis ſimultatibus ac inteſtinis bellis ſæpius diuexatā, perpetuò in ſua poteſtate retinuit & conſeruauit. Ceterùm anno eiuſdem æui ſecundo, Ianus Luſinianus Cypri rex, cum expedita manu ad eius expugnationem
1402. perrexit, primoque in eam rem potiſſimùm incubuit, vt clandeſtinis conſiliis occultiſque artibus quadam porta eius ciuitatis potiretur. Verùm his per quendam præſidiarium Genuenſ. illic excubias agentem, retectis ac patefactis, complures, Antonij Guarci, eius loci præfecti, iuſſu, in crucem acti, ac ſuſpendio necati fuerunt. At rex, cùm ſubinde maxima animi pertinacia obſidionem vrgeret, ita vt, ſicut quorundam annales teſtantur, nunquam ſe inde receſſurum diceret, quoad ſibi, adhuc impubi, primaque lanugine, tempora caneſcerent, faciesq; rugis deformaretur, Guarcus, quò illius animum à ſuſcepta expeditione abduceret, nactus locum inſidiis vacuum, cum ipſo rege in colloquium venit, & præter cetera, illi, ſermone in longum protracto, Reipub. beneficia in eum Genuæ collata, cùm ipſe, ac eius parens priſtinæ libertati reſtituti, & in regni ſucceſſionem adiuti ac promoti fuerunt, in memoriam reuocauit. Sed prout natura pleriſque mortalibus inſitum videmus, vt, præſertim Principes viri, illatarum iniuriarum fermè ſemper, acceptorum verò beneficiorum nunquam, aut ſanè perrarò, ſint memores, ipſius verbis nullo pacto à priori ſententia inflecti potuit: eaque de cauſa Prætor, omnibus animi cogitationibus ad eius vrbis propugnationem conuerſis, Senatum per fidos internuncios ac miniſtros de vrbis obſidione, quantoque in diſcrimine verſaretur, pleniſſimè commonefecit. Id

poſt-

postquam Genuæ cognitum, rectoris imperio ac Senatus decreto, tres triremes egregiè instructæ, ac virtute & auspiciis Antonij Grimaldi, viri equestris, tituli D. Ioannis, & consilio ac militia florentis, illuc, donec maius supplementum fieret, destinatæ. in eaque re, ac reliquis omnibus ad Reip. salutem ac dignitatem spectantibus, regius Præses omninò singulare studiũ, eximiamque animi promptitudinem declarauit. Post quæ, cùm pleraque ibi esse animaduerteret, quæ necessariò emendationem postularent, ad eius statum ordinandum, omnem operam & studium transtulit, cunctosque Vicarios, Connestabiles, vt appellant, vexilliferos, & opificiorum cõsules aboleuit, vt ea ratione plebeios cœtus & cõuenticula prorsus amoueret. Et quia nonnulli ex vulgo, huic postremæ sanctioni aduersabantur, contumaces haud parua pecuniæ summa multauit: quo sanè factũ est, vt ab ea Consulum electione aliquandiu abstinuerint. Conuentus quoque Disciplinatorum, vt vocant, & reliquos cœtus clãculariosdiuini cultus specie introductos, conciliaque & secretas consultationes, vnde rebus publicis persæpe maxima detrimenta & pericula inferri consueuerunt, penitus è medio auferri imperauit; nihilque ab eo prætermissum est, quod ad Reipub. tranquillitatem, atque amplitudinem, quoquo modo pertinere intelligeret. illudque in primis enixè dabat operam, vt ciuitatem, adeoque omnem agrum Ligusticum in regia fide atque officio contineret: quóue seipsum in imperio indies magis magisque constabiliret, præter cetera, turrim Castelleti haud mediocriter ampliari, & in arcis formam disponi, ac validis mœnibus vndiquaque præcingi, necnon in medio, turrim prægrandẽ, & duas alias in murorum extremitate constrúi ac erigi iussit, simulq. D. Honorati fanũ, arci conterminũ, excindi ac solo æquari, & in arce nouum templum in eius honorem extrui. Arx verò, præcedẽti anno inchoata fuit, vt apparet ex his carminibus Ioannis Stellæ illorum temporum scriptoris:

Francorum Regis titulos, & iura reseruans,
Arx excelsa loco tibi Ianua præsidet isto,
Mille quadringentis vno currentibus annis
Condita magnanimo nunc sub Lemenigle Ioanne,
Regius hic Marescalcus tua sceptra gubernat,
Trans hominem sollers, & pacis cultor, & æqui:
Ergo diu gaude sub tanto Rege beata.

Et quoniam propter superiorum temporum perpessas calamitates, publicum ærarium suprà modum imminutum ac exhaustum erat, noua portoria & vectigalia imposita: ex quibus deinde magna subsidia Reipublicæ administrata fuerunt. Per hæc interualla & spiramenta temporum, in Syriæ partibus atque Asiæ, Tamerlani, quem patrio idiomate Themirasach vocabant, vires atque potentia longè lateque excreuerant, sic sanè, vt iam omnibus Christiani orbis Dynastis atque Principibus meritò suspecta & formidabilis redderetur. Proinde Senatus, ne quid detrimenti in his locis, quibus nondum Respub. exuta erat, pateretur, duas naues eximiæ magnitudinis, quarum altera dicta est Interiana, altera verò Squarciafica, multo bellico apparatu instructas emisit. Postquam verò in earum mentionem incidimus, illud breuiter hîc adijciendum putaui, has videlicet, teste Theodoro Spadagnino Constantinopolitano, diuersis vicibus ad quadraginta millia Turcarum ex Asia in Græciam pro Ioanne Palæologo aduersus Cæsarem Cantacusinum transfretasse. Quod verò à quibusdam externis scriptoribus in literas relatum est, nempè hãc traiectionem propter bella inter ipsos Turcas & Christianos Principes facta esse, id sanè

id sanè huiusmodi est, vt facili negotio refelli possit. Nam vsque ad Mahometis Amurathis filij, qui Byzantium occupauit, successionem, ea prœlia nondum planè contigerant, ipsique Ligures, qui ea tempestate Peram incolebant, licet aliquo harum duarum nauium præsidio subleuarentur, nihilominus tamē ob immensam Tamerlanis potentiam, ipsius vexilla erigere cogebantur. Cùm enim victor in Græciam penetrasset, iure merito sibi ab eo metuebant, adeò quidem, vt nisi ipse in medio rerum bene gerendarum cursu, capto Baiazete Turcarum Imperatore, ac ingēti clade affecto, è viuis subtractus esset, haud dubiè vniuersam illam ditionem suo imperio adiecisset. Quippe qui, cùm præter cetera loca, vtramque Phocæam, Ligustico nomini parentem, quæ Ioniæ vrbes, Foliæ nouæ ac veteres vulgò appellantur, occupasset, pari infortunio Respub. Chium insulam, & quicquid in Græcia possidebat, amisisset. Res poscere videtur, quia in mentionem incidimus viri memorandi, vt vitam studiaque eius, & quali fortuna sit vsus, paucis repetamus. Hunc Tamerlanē, quem Græci scriptores Temyren nominātq; tradunt Samarcandæ vrbis, quę metropolis est Zagataiorum Tartarorū ad Iaxartem amnem, Sogdianæ regioni finitimū, infimæ sortis ciuem fuisse, & ex humili loco belli successibus ad summū imperium ascendisse: finitimis Sogdianis, Aracosiis, Bactrianis, & Hircanis, quos vno nomine omnes hodiè Tartaros Zagataios nominant, edomitis ac subactis, ad Persiam vsque. In eius exercitu duodecies centena millia hominum fuisse traduntur, Xerxe ac Dario maior, quorum copiis siccata flumina veteres scripserunt. Sub idem tempus, Baiazetes quartus Turcorum rex, Amurathis filius, & Solimanni frater, Othomannico imperio præerat, qui post multas prouincias subactas, & Christianis ademptas, ad Constantinopolitanam obsidionem rediit, pænè non dubia spe expugnandæ vrbis, omniaque suburbia dirutis ædificiis euastauit. Nec resistere diutius tam feroci & valido hosti attritæ Græcorum vires potuissent, nisi interpellata obsidione, in Asiam eum procul abstraxisset Tamerlanes Scytha, cum centum myriadibus equitum & peditum, torrentis instar è Scythia effusus, eodem itinere, quo Hielon & Absaga, Christianis de Hierosolymitano regno cum Ægyptiis certantibus, centum fermè annis ante aduentum Tamerlanis in Syriam penetrarunt. Bellum autem cum Baiazete, quo euentu gesserit, paucis referam. In aditu Asiæ anterioris aliquot Armeniæ vrbibus captis, & Sultania Persarum olim regia, quæ veteribus est Tigranocerta, direpta atque incensa, dextrorsum iter flexit: Euphrateque ad Arsengām superato, in Cappadociam transijt. Ibi expugnata Sebastia, quæ hodiè Suias appellatur, Othobulen Baiazetis filium cepit, & paulò pòst interemit. Ibidem moranti obuiam factus Baiazetes, cum ingentibus copiis castrametatus est in Galatiæ ac Bithyniæ confinio ad Stellam montem, memorabili Pompeij Magni victoria, & Mithridatis calamitate celebrē, cui ab Antitauri radicibus exporrecta planities ampla subiacet, campis ad acies commodè struendas ac disponendas vndique latè patentibus, qui Turcarum lingua Cassouasi, id est, anserum campi nominantur, inde quòd id genus volucrum statis anni temporibus eò conueniat, vt totis agminibus in Europam commigret. Dimicatum est inter hos, anno Christi millesimo, trecentesimo, nonagesimo septimo, secundo post Nicopolitanam cladem anno, eo exitu, vt circiter centū quadraginta millia hominum ceciderint, & Baiazetes equo plurimis sagittis confixo captus, atque ad Tamerlanem perductus, miserabile fortunæ ludentis spectaculum toti Asiæ præbuerit. Nam catenis vinctus aureis, inque cauea ferrea cancellata per Asiam circumductus, & passim ostentatus, victori equum ascendenti dorso subdito scabelli vsum

De Tamerlane.

Tamerlanis victoria aduersus Baiazetem.

vsum præstitit, exemplo fortassis Saporis Persarum regis, qui Valerianum Romanum Imperatorem similibus iniuriis insolenter exagitatum, ad mortem adegit. Sed & inter conuiuandum, acerbissimè insultantem exprobrantemque venationis studium, barbarico truculentoque fastu, assiduè audiuit, & coniugem Lazari Despotæ filiam, quam vnicè dilexerat, pocillatricis loco ad mensam famulantem spectauit. Aiunt Tamerlanem, cuidam pro Baiazete deprecanti, & claritatem nominis ex tot præclaris victoriis commemorăti, respondisse, se non regem rebus gestis clarum, sed hominem improbum, & nefarium, fratris nătu maioris parricidam punire. Post victoriam, Tamerlanes Taurum montem transgressus, in Mesopotamiam peruasit, tanto illato incolis terrore, vt ad maris Syriaci oram vsque signa protulerit, & Sulthani Memphitici copias non procul à Pelusio per duces suos profligarit, nulla nec in Mesopotamia, nec in Comagena, nec in Syria, ciuitate impetum eius sustinente, Damasco excepto, quam tamen vi tandem cepit. Tentoriis vsum ferunt in conspectu vrbium, primo die candidis, altero rubentibus, tertio atris. Horum colorum candidus, mox dedentibus sese clementiam, ruber cunctabundis gladium, ater repugnantibus flammam & cineres denuntiauit. Ad Ægyptum arenosis solitudinibus detentus, victoriis suis finem imposuit; cumque exercitum sæua pestilentia depopularetur, diues spoliis rediit Samarcandam, vbi fato functus est anno millesimo, quadringentesimo secundo. Arsit ante mortem eius per dies aliquot cometa ingens, lurida, & funebri oblongaque cauda, versus eam cæli plagam, quæ in Corum ventum vergit. Hoc minacis flammæ vibratu denuntiatæ sunt orbi terrarum nouæ clades, quæ paulò pòst ex ingentibus motibus passim extiterunt. Nam & Bohemia, irritata Hussitico supplicio, vicinos grauibus cladibus affecit: & contentionibus inter se Pontificum non leuiter quassata est Italia, & infeliciter cum Turcis dimicauit exercitus Christianorum. Sunt qui asserant, ipsum fuisse claudum, & lingua Tartarorum Temir ferrum significare, lang verò, curuum atque claudum, ex quibus Temirlang ipsorum lingua, & nostra Tamerlanes, siue, vt aliis placet, Temir Cuthlum, quæ vox Tartaris fortunatum ferrum sonat. Illud pænè exciderat, cùm Genuensis quidam, (nomen in incerto est) Scythicæ linguæ gnarus, qui eius familiaritate annis iam pluribus longa cõsuetudine vtebatur, eum blandè rogaret, cur victoria, quod munus cælestis numinis foret, multiplici de hominibus parta, ipse etiam homo, humanius non vteretur; atroci vultu respondit: Ecquid te fallit, in hac dextra diras pestemque terrarum versari? sed procul abi in malam tuam tuorumque rem: ne cum hac insana percunctatione tua, quas promerita est pœnas, tu mihi luas. Pro immortali beneficio fuit Genuensi licere sibi incolumi è furentis potestate facessere; nec amplius in eius conspectu visus est. Et profectò talis fuit, qualem se prædicabat, nempe ira & flagellũ Dei, sicut de Totila historici cõmemorant. Porrò tanta fuit eius sæuitia & immanitas, vt cùm secunda die ab obsidione cuiusdam vrbis populosæ, virgines puerique cum velamentis insignibusq. supplicum, alioq. miserabili habitu, & cũ ramis oliuarum, ad deprecãdum patriæ interitum, aut saltem sibi veniam petẽdam, prodiissent, & ad eius genua procumbere conarentur, statim eius iussu in eos immisso equitatu, conculcati obtritiq. fuerint. Emporia frequenti mercatorum conuentu celebria, & pecuniis opulenta, quæ aurum, metu impendente, defoderant, ne auaro tetroq. hosti expositum ad diripiendũ foret, nouo & inaudito ad eam diem astu circumuenit. Nam priusquam eius aduentum longinquæ integræque adhuc vrbes formidarent, in eas misit, qui specie commerciorum partas direptione

copioſiſſimarum vrbium magni pretij merces ingenti mole camelis inueherent, viliq́ue, ſed præſenti pecunia diuenderent, quæ tenebris occuli, telluréue obrui æquè non poterant: ita iam plenus auro, vetere rurſus præda repentè opprimens potiebatur. Ea ratione ditiſſimæ ciuitates ludibrio, direptioni, ac cædi fuêre; & inter ceteras, etiam Capha, olim Theodoſia, Genuenſium, vt dictum eſt, colonia, in Taurica Cherſoneſo ſita, non procul à Boſphoro Cimmerio. Cùm enim hanc vrbem inuadere ſtatuiſſet, Scythas negotiatores præmiſit, qui pretioſiſſimas animalium pelles minoris venundarent ſolito, ſciens, vt dictum eſt, aurum abſcondi poſſe, pelles minimè. Vrbe potitus, & aurum, & pelles reperit, ac diripuit. Caſtra eius, in vrbis modum fuerant ordinata, definito cuique artificio loco proprio, in partes ſuas diſtributis exercitiis, vt omnia vitæ vſuiq́ue neceſſaria in promptu eſſent; rerumq́ue omnium tanta ſemper copia in his inueniebatur, vt nullus eſſet latrociniis locus, tutoq́ue omnia afferri poſſent. Mortuo, duo ſucceſsêre filij, diſpari fortuna & indole, ac inter ſe parum cõcordes, adeò vt mutuis illorum diſſenſionibus ampliſſimi regni opes tanta arte conquiſitæ, breui diſſipatæ ſint: & de ipſo iure dici poſſit, quod veteres de Epaminonda ſtrenuiſſimo ac celeberrimo Thebanorum duce, poſteris ac memoriæ prodiderũt, ſcilicet, patriæ gloriam cum eo enatam, & extinctam fuiſſe. Nam ſicuti telo, ſi primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi ſuſtuleris; ſic illo velut mucrone teli ablato duce, Thebanæ Reip. vires hebetatæ ſunt, vt non tam illum amiſiſſe, quàm cum illo interiiſſe omnes viderentur. Nec dubium eſt, quin ſi nactus fuiſſet idoneum ſuarum rerum geſtarum ſcriptorem, inter clariſſimos duces ac imperatores numeraretur. Hinc non immeritò Alexander ob magnitudinem rerum geſtarum, Magnus appellatus, poſt patris obitum, rebus Græciæ compoſitis, emenſoq́ue Helleſponto, cùm in Sigæo ad Achillis tumulum, in quem genus ſuum ex materna linea referebat, adſtitiſſet, O fortunate, inquit, adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconẽ inueneris. & verè: nam niſi Ilias extitiſſet, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruiſſet. equidẽ illud mihi facilè perſuadeo, ipſum Tamerlanem ingentibus victoriis inclytum, & qui cum virtute fortunam adæquauit, etſi natione barbarum, gloriæ tamen ſtudio incenſum, perſæpè optaſſe, vt ſua fortia facta ſuaq́ue inclyta trophæa, & Martis, vt ita dixerim, manubiæ, doctorum virorum monumentis conſecrarentur; ſiquidem trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque gloria ducitur. Illi ipſi philoſophi etiam in his libellis quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt; in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemq́ue deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari voluêre. Themiſtoclem illum, ſummum Athenis virum, dixiſſe aiunt, cùm ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocem libentiſſimè audiret: eius, à quo ſua virtus optimè prędicaretur. Et ſanè ſi verum fateri volumus, nullã virtus (non loquor in præſentia de verè pio & Chriſtiano homine, qui omnes ſuas actiones perpetuò ad ſolius Dei gloriam, tanquã ad certiſſimum ſcopum, dirigit atque intendit) aliam mercedem laborum periculorumq́ue deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ; qua quidem detracta, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, homines, excellenti ingenio prædit, ſeipſos tantis in laboribus exercerent? Certè, ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi, quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminarent ſuas, nec tantis ſe laboribus frangerent, neque tot curis, vigiliiſq́ue angerentur, nec toties de vita ipſa dimicarent: nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis

concitat, atque admonet; non cum vitæ tempore esse dimetiendam commemorationē nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam. Verùm omninò plurimi refert, in quæ quisque tempora inciderit, & quos habuerit rerum à se gestarum præcones, quibus neq. voluntas, neque facultas, ea quæ animo concepit, pro dignitate explicandi defuerit. Hoc quidem in confesso est, eminentissima cuiusque professionis ingenia in eandem formam, & in idem artati temporis quodammodò spatium, & quemadmodum clausa capsa, alioque septo diuersi generis animalia, nihilominùs separata alienis, in vnum quoque corpus congregantur; ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudinem & temporum & profectuum semetipsa ab aliis separauisse. Vna namque multorum annorum spatio diuisa ætas, perdiuini spiritus viros, tam apud Græcos & Romanos, quàm apud ceteras nationes illustrauit: & interdum complures simul vel ingenio, vel imperio, nobiles insigneque in diuersis regionibus floruêre: quod sanè multorum exemplorum enumeratione planius redderem, nisi instituto suscepti operis admonerer, vt, his omissis, ad ea quæ dicenda superstant, stylum atque orationem conuerterem.

LIBER DECIMVS.

TAMERLANE humanis rebus subtracto, Respub. magno pauore liberata est, ne scilicet eorum locorum, quæ adhuc in partibus Asiæ, vti diximus, retinebat, grauiorem iacturam faceret. Intereà Senatus, cùm Bonciarti administrationem, propter illius eximiam prudentiam & integritatem, indies toti vrbi, adeoque vniuerso Ligustico imperio, maiori vsui & ornamento esse conspiceret, Dominicum Imperialem & Cosmum Turigum ad regem legatos misit, qui publico nomine ab eo postularent, vt ipse deinceps in ea Præfectura confirmaretur: quod & facilè impetratum est, adeò vt breui pòst, etiam illius coniunx ac soror, Genuam venerint, vbi à Senatu, ceterisque ordinibus perhonorificè exceptæ fuerunt. Paucorum dierum interiectu, Emanuel Græcorum Imperator, qui paulò antè, superatis Alpibus, ad varios Christiani orbis 1403.
Principes ac Dynastas perrexerat, vt illos ad expeditionem contra publicum fidei hostem, à quo mirum in modum diuexabatur, sua præsentia & variis cohortationibus solicitaret, in vrbem profectus est, quem Patres summis, vti par erat, amplissimisque honoribus prosecuti sunt; & abeunti tria millia nummûm aureorum dono dedêre, simulque tres triremes instrui curarunt, partim vt eum comitarentur, partim etiam vt præsidio firmarent ea loca quæ in partibus Orientis, atq. Asiæ, nondum à Ligustico imperio desciuerant. Superius demonstrauimus, Famagustam à Cyprio rege grauissima obsidione pressam, eaque de causa, cùm periculum esset in mora, statim ad obsessos subleuandos aliquod subsidium fuisse ablegatum, donec maiora auxilia præstò essent. Igitur, nouem triremes, septem onerariæ, & duæ maiores naues, omnibus rebus ad bellum necessariis instructæ, ac regij Præsidis, qui Reipub. curam atque administrationem Villeueteri demandarat, ductu & auspiciis Non. Aprilis emissæ. Etsi verò Lusinianus hoc bellico apparatu haud mediocriter commotus, paulò antè Genuam Oratores ablegarat, qui suo nomine de pace cum Senatu transigeret; Bonciartus tamen summa gloriæ cupiditate flagrans, & Rempub. aliquo insigni

facino-

facinore ac beneficio sibi promereri studens, pridie Non. April. rectà in Cyprum enauigauit, eoque prosperis ventis delatus, cùm Rex iterum per suos internuntios æquas pacis conditiones offerret, sibi expedire visum fuit, vt illas tandem admitteret. Nam, præter cetera, se confestim exercitum ab ea oppugnatione abducturum, simulque pro omnibus sumptibus, quos Ligures in ea nauali expeditione impenderant, satisfacturum esse pollicebatur. Quibus rebus ex animi sententia peractis, & Famagusta omni hostili metu liberata, validoque ad eius tutelam præsidio imposito, in Syriam contendit, primoque appulsu quamplurima Sarracenorum nauigia, in portu, cui nomen Candelorum, anchoris inhærentia, igne incendit, & mox Baruthum præteruectus, omnem illius regionis tractum ferro atque incendio depopulatus est, paribusque fortunæ auspiciis, Alexandriam inuadere ac diripere statuerat. Sed dira & atroci tempestate iactatus, in illis stationibus aliquandiu subsistere coactus fuit, ita vt classiariis ac remigibus, cæli commutatione variis morborum generibus correptis, Genuam cogitaret, duabusque triremibus, altera quidem Rhodiensi, altera ex Chio insula sibi associatis atque coniunctis, eò nauigationis cursum intendit. Circa idem tempus, Carolus Zenus cum XI. triremibus & duabus Venetis nauibus maioris formæ, quas tunc Taridas vocabant, nunc Galeatias appellamus, circum ea maria vagabatur. Et quamuis inter ipsos Venetos, ac Ligures, ea tempestate, nullum bellum intercederet, Zenus tamen in haud exiguam fiduciam erectus, se, classem Liguſticam, propter incommoda hactenus perpessa, aliqua insigni clade posse afficere, illam iuxta Eubœam, Ægæi maris insulam, iuxta portum, ab incolis Iuncum appellatum, summo impetu adortus est, eo quidem successu, vt tres Liguſticas occuparet, quas deinde vnà cum captiuis Methonem, tunc Venetorum vrbem, perduxit. At nauarchus cum reliqua classe incolumis elapsus, & susceptum iter prosecutus, inter nauigandum, vt acceptum incommodum aliqua ex parte resarciret, nauim Venetam haud minori magnitudine quàm reliquæ erant, intercepit, atque ita demum Genuam reuersus est. Senatus, vbi primum de his rebus quæ acciderant, commonefactus fuit, Venetias syndicũ & scribam ablegauit, qui suo nomine apud Michaëlem Stenũ, tunc Principem eius ciuitatis, & Remp., de pace, temerè ac perfidè violata, expostularent, simulque captiuos repeterent. Ceterum, cùm Venetus Senatus de his nihil omninò decerneret, Ligures, ac regius Præses, in grauissimam iram exarserunt, isque, cùm præter publicam iniuriam, sui quoque nominis existimationem & dignitatem haud parum ea contumelia imminui & labefactari animaduerteret, paucis pòst diebus, vt nobilis, & Baro Gallici regni, ad eum Principem literas misit, quibus, ipsum Carolum Zenum, ceu perfidum, & publicæ tranquillitatis perturbatorem, ad singulare certamen, siue mari, siue terra illud gerendum esset, prouocabat. Hoc tractu temporum, in Rep., cùm plerorumque ciuium animi nondum planè omni ex parte sanati essent, noui motus in Liguſtico agro exorti sunt, quorum quidem præcipui auctores, Baptista Lusardus, Orlandus Fulgosius, Baptista Francus, & Casanus Auria, tunc extorres ac procul à sedibus patriis, extiterunt. Hi sanè Cal. Iunij regio Præsidi per literas bellum indixêre, ac breui pòst, cum expedita manu in finitimis locis collecta, Arentianum vsq. perrexerunt. Cuius rei fama simul ac Genuam perlata est, nulla mora interposita, Bartholomæus Grimaldus, cum vrbano milite ad illorum conatus inhibendum ablegatus fuit; ad cuius aduentum, ipsi, relicta statione, statim sese aliò proripuerunt. Ceterum, ne hostis seipsum iuxta sacellum, & proxima loca, maiori

Tres Liguſticæ pacis tempore à Venetis intercepta.

iori exercitus robore communiret, Idibus Iulij suum legatum cum circiter sex millibus armatorum eôdem destinauit, qui per auia & asperrima itinera profectus, multa locorum intercapedine ab infesto agmine præuentus est, adeò vt cùm sese in illis locis valida munitione firmasset, ipse tandem, rebus infectis, domum redierit. Francus interim Insubriam versus perrexerat, vt à Facino Cane, (hoc nomine Tartarorum lingua, Imperator exprimitur) Veronæ regulo, simulque à Marchione Montisferrati, Gallorum regi longè infensissimis, opem atque auxilium postularet: de cuius cõsiliis & profectione Bonciartus per suos speculatores certior factus, illum in itinere comprehendi iussit, & Derthonam, Galliæ Cisalpinæ vrbem, deduci; quò illinc Genuam captiuus transmitteretur. Ceterùm Antistitis illius vrbis, ac plerorũq. ciuium illi fauentium, singulari opera & patrocinio, haud minori prosperæ sortis beneficio, quàm antea, elapsus, vitæ periculo subtractus est. Interea temporis, cùm profugi ac perduelles tandem conspicerent, se, citra alicuius præpotentis Principis opem atque subsidium, ægrè admodum & difficulter Gallicis viribus atque armis posse resistere, multum de priori studio & animorum alacritate remittentes, sensim distrahi cœperunt, & in primis quidem Casanus Auria, cum suo fratre, qui amicorum cohortationibus inflexus, mense Augusto cum regio Præside transegit: & inter ceteras conditiones, hæc sanè fuit præcipua, vt Auria, ipsi Præsidi arcem Saxelli à se erectam & communitam, traderet. quo quidem peracto, mox cum Rep., lenitis animis, in gratiam rediit, licet postmodum iuxta mutuas conuentiones, solo tenus deiecta, funditus excinderetur. Superius à nobis ostensum est, pacem inter Ligures ac Venetos, anno supra millesimum trecentesimum octogesimo primo initam, hoc tẽpore, contra omnia æquitatis iura, præterque omnium spem, à Carolo Zeno, captis tribus Ligusticis triremibus, fœdè ac turpiter violatam temeratamq. fuisse, adeò vt quàm primum, alienatis animis, multæ vtrimque, cum haud mediocri vtriusque gentis detrimento excursiones fierent, & nonnulla nauigia vltrò citroque ca- 1404.
perentur. At postero anno, qui fuit millesimus quadringentesimus quartus, eodem Præfecto, ac Leuroto Ferreto ciue Anconitano Præturam gerente, pax iterum, captiuis vtrimque redditis, confirmata. & nihil aliud planè obstabat, quo minus Resp. hoc tempore summo otio ac tranquillitate floreret, præter quorundam seditiosorum hominum ambitionem, & in primis Antonium Guarcũ, qui recèns Famagusta, vbi Prætorem egerat, in patriam remigrarat. Hic sanè animi inquies, ac turbidus miscendis seditionibus, omnibus studiis atque artibus nouas turbas & commotiones subindè excitare annitebatur, ita vt Præses, cùm de illo, propter hominis auctoritatem, publicum supplicium sumere non auderet, exilio multaret. Cùm verò ipse Ticinum profectus, nihil non aduersus præsentẽ Reip. statum indies moliretur, amplissimum præmium obtulit, qui illum aut interficeret, aut viuum ad se perduceret: eaque de causa sex trium Vallium indigenæ, inuicem in eius vitam & caput conspirantes, locumque ac tempus idoneũ præstolati, eum tandem multis vulneribus confodêre. Hoc sublato, ciuitas aliquandiu ab externis & domesticis simultatibus conquieuit. At breui pòst, ne 1405.
semper aliquid deesset, quod non aliqua ex parte illius quietẽ diuexaret, sequenti anno schisma Ecclesiæ Romanæ haud mediocriter ciuium animos inter se commisit, cùm plerique patricij ac Senatorij ordinis, in gratiam Ludouici purpurati, ex illustri ac veteri Fliscorum prosapia oriundi, Benedicto tertiodecimo natione Catalano, cui genus fuit è splendidissima Lunensium familia, tunc Auenionem commoranti, adhærerent, isque decimo Sept. Cal. Iunij cum sex triremibus Ge-

Pax inter Ligures ac Venetos instaurata.

nuam

nuam appulit. Huic Præſes, ac Senatus, cuncta Principibus ſolita exhibuerunt, ac etiam illi, pro eius maiori tutela & ſecuritate, Caſtelleti arcem tradidère. Quanuis autem eo animo Genuam profectus eſſet, vt ibi aliquandiu ſubſiſteret, cùm tamen peſtis in vrbe mirum in modum ſæuire incœpiſſet, ipſe paucorum dierum interiectu, illinc Sauonam, inde Maſſiliam enauigauit. Hæc autem indies latiùs ſerpere, adeò vt ſingulis hebdomadibus amplius viginti ac ducenti, ea labe infecti, conciderent: ideoque ſupplicationes ad deorũ puluinaria decretæ, ac paſſim vota preceſq. habitæ. Cùm verò nulla ex parte vis morbi leniretur, quàm plurimi ciues vtriuſq. ordinis, ac etiã pleriq. ex promiſcua multitudine illinc ceſſerant, adeò vt ibi magna vaſtitas & ſolitudo ſubſequeretur, donec tandem ira diuini numinis placata, remitteret, & quiſque, amoto periculo, ſuos penates repeteret. In hoc rerum curſu, Piſani, à Gabriele Vicecomite, Galeacij Mediolanenſium Principis filio, deſciuerunt, ita vt præter nonnullas munitiones atque arces, nihil amplius illi, in ea quidem ditione, reliqui foret. Quoniam verò Galliarum rex ea tempeſtate Inſubriæ Principibus ſingularem beneuolentiam præ ſe ferebat, Bonciartus eius iuſſu, Gilberto Faieto ex Galliis oriundo, Reip. cura demandata, Piſas contendit; vt videret, num aliqua ratio iniri poſſet, qua, conciliatis animis, in mutuam pacem & concordiam redirent. Verùm, cùm propter Piſanorum peruicaciam nihil omninò impetrari poſſet, ipſe in Vicecomitis gratiam ad noua conſilia & artes animum adiecit; omniq. ope annixus eſt, vt cum nauigiis ſecum aduectis vrbem ex ora maritima, & Florentini illorum æmuli, ex continenti, re frumentaria omnique commeatu arcerent, atque ita intercluſis vitæ alimentis ac præſidiis, ad officium redirent. Ceterùm, ea expeditio hunc euentum habuit, quòd nempè vna ex ſuis triremibus Arnum verſus, nimis vltrà prætergreſſa, propter aquarum exilitatem in hoſtium poteſtatem, vnà cum pleriſque Genuenſibus patricij nominis, ac etiam ipſius Præſidis nepote, deuenerit. In hoc tamen Piſani erga Ligures, mirum clementiæ ac moderationis ſpecimen dederunt. Quandoquidem omnes captiuos, excepto Præſidis nepote, exigua temporis mora, ſaluos atque incolumes dimiſère. Gallus interim, cùm ſe hac ratione nihil omninò proficere animaduerteret, dolo graſſandũ ratus, Vicecomiti auctor fuit, vt, certa quadã pecuniæ ſumma oblata, Ligurni arcem ſibi traderet; ſimulq. omni iure, quod ipſi cum Piſanorũ Rep. eſſet, quamprimum Florentinis cederet, adeò vt Inſuber eius perſuaſionibus inflexus, arcem Piſanam Florentinis, non citra maximã Piſanorum, ob innatum odium vtriuſq. gentis, indignationem, tradiderit. eoque tantoperè commoti ſunt, vt extemplò cum expedita manu illam ſummo impetu adorti, ſexto die ab obſidione receperint: quod ſanè Florentinos ad manifeſtum bellum contra eos inflammauit, ita vt mox cum Genuenſibus percuſſo fœdere, ac delectu habito, terreſtribus copiis Lucam Fliſcum, & maritimis Coſmum Grimanum præfecerint: hoſtemq. à duobus lateribus aggreſſi, modico temporis interſtitio, Piſas, omniaq. Piſanorum propugnacula & munitiones, præter Ligurni arcem, quæ Bonciarto, vti diximus, tradita fuerat, occupauerint. Vicecomes interim, Sereſano excepto, quæ vrbs ſola Florentinorum imperium detrectarat, nihil ſibi, quod ſui iuris foret, retinuerat. At Præſes, cùm nihil magis haberet in votis, quàm vt Rempub., adeoque vniuerſam Liguſticam ditionem opibus ac potentia florere conſpiceret, inſigni quadam ſollertia atque induſtria effecit, vt etiam is haud certè minimi momenti locus per idem tempus, Genuenſibus cederet: nec multò poſt, illuc Franciſcum Iuſtinianum, cum quo ea tranſactio fieret, ac deinde Gulielmum Medulium, Gallicæ nationis oraque mariti-

Genua peſte diuexata.

1406.

1407.

maritimæ Præfectum, & Carolum Lomelinum, qui vnà cum Iustiniano, eius oppidi, & quorundam aliorum possessionẽ, publico nomine acciperent, ablegauit. Nam Resp. eiusdem Bonciarti opera, præter Seresanum, plerorumq. etiã locorum, huic finitimorum, ditionem assecuta est, ac etiam paucis pòst diebus, ne quid in eò penitus desiderari posset, Ligurni castrum, numeratis prius ipsi Præsidi quinque ac viginti aureorum millibus, suo imperio adiecit, adeò me herclè, vt etiam in eius emolumẽtum ac dignitatem, nouis quibusdam statutis ac legibus promulgatis, Resp. innumeras perpessas calamitates præsentis temporis cõditione maiori ex parte subleuaret ac resarciret. Verùm, vt reliqua instituta & ordines, probè his temporibus cum maximo illius beneficio excogitati, ac in eam introducti, in præsentiarũ omittam; hoc anno, scilicet, eiusdem æui sexto & quadragesimo, institutus est Georgianus Magistratus: de quò in calce operis, Deo duce atq. auspice, luculẽter disseretur. Hoc rerum tractu, Genuæ circa finem Octobris eiusdem anni, porta, cui nomen Fons amatorius, subita inundatione disiecta, pars mœnium euersa, Susilius aquęductus, ac ceteri, qui erant in platea, vulgò S. Fidei, corrupti, necnon pleraque ædificia collapsa, & stagnantibus aquis, maxima clades inflicta, donec tandem, remittentibus ventis, in suum alueum remearint. Idem annus ingẽti caritate ac pænuria vini insignitus fuit, adeò vt pàruula mensura quinque ac septuaginta solidis eius monetæ diuenderetur.

Georgianus Magistratus.

Inundatio.

Initio proximi veris, tres Corsicæ triremes, Barchinonem versus nauigatione 1408.
susceptа, Tarraconensibus, quorum plerique prædabundi cum myoparone optimè instructo, proxima loca infestabant, haud leuia damna intulerunt. Præcedenti quidem anno, Petrus Auria, sua triremi quatuor insignes piratas iuxta Sardiniam ceperat, qui deinde Genuam perducti, omnes teterrimo necis genere affecti fuerant. Consimili euentu, Baptista Montanus, vnius triremis Præfectus, hac æstate è Sardinia rediens, cùm fortè in quoddam nauigium, quo, præter ceteros, septem, partim Catalani, partim aliarum nationum, deuehebãtur, qui inter piratas magnum nomen sibi compararant, incidisset; illos adortus, post acrem conflictũ, tandem expugnauit, & Genuã delati, vniuersi, mense Iunio, eodem supplicio multati sunt. Circa idem fermè tempus, Galeacius Auria, cùm in Ægæo, siue Ionio mari, Cypriam triremim, cui præerat Rinaldus Monlusardus, conspicatus esset, illam summo impetu inuasit, eo quidem successu, vt, post prœlium magnum atq. difficile, fortuna, præter ceteros, ipso etiam Præfecto confuso cidato, ad Auriam inclinarit. Inter hæc, Gabriel Vicecomes, Pisano dominio exutus, Genuam perrexerat: vbi cùm Præses diuulgasset, ipsum occulta & clandestina consilia cum quibusdam præcipui nominis viris aduersus regium dominatum inire, ipsius iussu comprehensus fuit, & postmodum, assentiente rege, nõ sine maximo instabilis fortunæ, summa imis miscentis documento, quæ illum, viuente patre Galeacio, ad summum dignitatis fastigium euexerat, capitis damnatus. Habeo celebres scriptores, qui literis consignarint, ipsum Vicecomitem eo consilio Genuam profectum, vt sibi à Præside octoginta millia nummûm aureorum, quam pecuniam promiserat se ipsi soluturum pro Florentinis, quibus Pisas diuendiderat, persoluerentur, eoque factum esse, vt coniurationis prætextu è medio sublatus fuerit, quò sese hac ratione ære alieno eximeret. Indignum sanè facinus, & bonis omnibus detestabile, quod sanè, præter cetera, vt illum, cõpluribus terribilem ac formidabilem, ita etiam successu temporis, plerisque mirum in modum inuisum ac exosum reddidit. Dum hæc domi fierent, in Chio vrbe mense Decembri, ingens seditio ac tumultus aduersus regium Præsidem excita-

Gabriel Vicecomes Genuæ capitis damnatus.

Tumultus in vrbe Chio.

tus, initio à quibusdã è Iustiniana familia, & nonnullis primoribus popularibus exorto, qui sublatis clamoribus, per omnia cõpita & ciuitatis regiones D. Georgij nomen ingeminarant, ac publicè testabantur, se in posterum illius dictis minimè audientes futuros, adeò vt statim Prætore, ac præsidiario milite subrogato, nouum præfectum & ministros substituerent. Et quò sibi maiores belli, si quod fortè ingrueret, neruos compararent, mutuationis nomine à diuersis negotiatoribus tot merces acceperunt, vt supra quindecim aureorum millia æstimarentur. Hæc vbi Genuæ cognita, euestigiò ipsius Præsidis ac Senatus decretis, omnes Chiorum adfines, qui Genuæ mercimonia exercebant, comprehensi sunt, & in Castelleti arce captiui asseruati; moxque tres grandiores naues, ac totidem triremes egregiè instructæ, aduersus perduelles & contumaces, duce Conrado Auria
1409. Petri filio, emissæ, qui decimo quarto Cal. Iulij ad eam insulam appulsus, & descensione facta, prolatisq. bellicis tormentis, suburbana tecta quatuor dierũ spatio expugnauit. Ceterùm, oppidani metu instantis periculi cõmoti, req. penitius introspecta, cùm animaduerterẽt, hoc bellum inter mutuos ciues, ac propinquos geri, ad saniora consilia inflexi, cum Auria de pacis conditionibus agere inceperunt; breuique effectum est, vt eius maturo iudicio atque singulari industria res vtrimque composita sit, & ad pristinam fidem atque officium redirent, sic tamen, vt nonnulli, qui fuerant primarij seditionis concitores, aqua & igni arcerentur, ipseque nauarchus, vbi omnia in vrbe, adeoque vniuersa insula ritè disposuisset, onustus gloria, & suorum maiorum virtutem feliciter æmulatus, Genuam reuersus est. Mense Iulio eiusdem anni, Ludouicus Andegauensis secundus, Apuliæ, Siciliæ, ac Hierosolymorum rex, ex Gallia Narbonensi cum quinque triremibus Genuam venit, vbi splendido ac regio apparatu exceptus fuit; nec multò post, Ligustico nauigio adauctus, Pisas, vbi inter purpuratos Synodus celebrabatur, adnauigauit, vbi ab Alexandro v. Pont. recèns creato, prædictorum regnorum, in se prius collatorum, iura & confirmationem suscepit; eique Ecclesiæ Romanæ vexillo tradito, imperatum, vt infestis signis Ladislaum, Pannoniæ regem, acerrimum ipsius Ecclesiæ atque concilij hostem, impeteret, atque armis subigeret. Bonciartus interim, prosperæ fortunæ indulgentia indies elatus ac ferocior factus, & Ligustici imperij præfecturam quodammodò fastidiens, ad Mediolanensem, fretus potissimum iis controuersiis & altercationibus, quæ inter Vicecomitum successores vigebant, magno quodam animi studio atque ardore incendebatur, eique toto pectore imminebat. Proinde Hugoni Auernienſi Genuæ suo delegato ac vicario substituto, & à Senatu haud modica pecuniæ summa mutuò accepta, nonnullas militares cohortes ac turmas coëgit, adeò vt nonnulli asserant, ipsum circiter sex peditum, equitum verò vltra quinque millia, in promptu atque in armis habuisse: circa finem Iulij recto itinere Mediolanum contendit, eo quidem consilio, ac spe, vt ibi regis nomine, cuius imperio sese Vicecomites tradiderant, præsideret. Mediolanum profectus, licet intra ipsa mœnia reciperetur, arcis tamen ingressu penitus excluſus fuit. At cùm ipse miro eius potiundæ studio & cupiditate flagraret, enixè operam dedit, vt illius Præfectum amplis promissis, atque ingentibus donis in suas partes deduceret. cumq. id neutiquam ex animi sententia succederet, edictis propositis, & percussa sub suo nomine moneta, ita impotentis animi libidinem nudauit, vt non solùm Ioanni Mariæ Mediolanensium Principi, sed etiam præcipuis vtriusque factionis auctoribus, simulque in vniuersum omnibus patriciis, in minimè obscuram affectati Principatus suspicionem deueniret; ita vt dum Mediolani hac inani spe immodicos spiri-

spiritus alit, ingensque sibi promiscuè apud omnes odium parat, vtraque Præfectura eodem fermè tempore penitus excideret. Nam Ligures, quorum animos iam plurimis de causis non parum à se abalienarat, facilè ex eius discessu occasione arreptâ, excusso Gallici nominis iugo, sese, post nouenariam seruitutem, in pristinam libertatem asseruerunt. Quanquam verò, exigua mora interposita, cum quatuor promptissimorum virorũ millibus versus Vallem, vulgò Teiciam, iter flecteret, eo animi decreto, vt illinc, Genuensis oræ tractum à parte maritima variis velitationibus infestaret, cùm tamen illorum locorum fauces atq. aditum, præter omnem expectationem, vndiquaque firmissimis præsidiis teneri & custodiri animaduerteret; illicò retrogressus est, adeò vt, desperatis rebus, deinceps nihil amplius contra Ligures moliretur. Ea tempestate, Facinus Canis, Veronæ regulus, cuius paulò antè mentionem habuimus, rei bellicæ gloria, simulq. Theodori Marchionis Montisferrati singulari studio ac fauore, summam nominis celebritatem atque potentiam sibi in Insubria compararat, sic sanè, vt præter cetera loca, etiam vrbem Alexandriam in suam potestatem redegisset. Proinde Ligures minimè de hac re soliciti, quòd nempè, Gallicum imperium detrectando, sese principibus, auctoritate, atque potentia, multis parasangis inferioribus, submitterent, horum gratiam & patrocinium aduersus regium Præsidem sibi modis omnibus implorandum statuêre: ad eamq. rem à Baptista Franco, tunc temporis, in Montisferratensi ditione exulante, mirum in modum coadiuti fuerunt. Hic enim de Bonciarti discessu fideliter edoctus, vtrumque ad hanc expeditionem, rei gerendæ facilitate, iuxtaque insigni emolumento ac fructu, qui ex Ligustici imperij dominatus accessione ad eos perueniret, ostenso, vehementissimè adhortabatur: nec sanè multa persuasione opus fuit, cùm propter conceptam spem, tum etiam immensum odium, quo in ipsum ferebantur. Igitur ambo summa celeritate militares copias expediuerunt. Marchio quidem, circiter mille ac trecentos equites, ac tria peditũ millia; alter verò mille & octingentos cataphractos, & duo millia pedestrium virorum, ijsque, vrbis mœnibus admotis, prior à parte Orientali, alter Occidua, quàm arctissimè illam obsederunt, eorumque improuiso aduentu vniuersa ciuitas summoperè attonita & consternata fuit. Nam, licet Auernienſis, quem Bonciartus suum legatum, vti retulimus, in vrbe reliquerat, suo muneri neutiquam deesset, cùm tamen haud satis virium ad arcendum hostem haberet, maiorq. pars ipsum Præsidem implacabili odio prosequeretur, quisque valdè expaueſcebat, ne Respũb. magnum aliquod discrimen adiret. Etsi verò in vrbe ad duo lectissimorum virorum millia in procinctu essent; in his tamen ciues atque oppidani perexiguam defensionis spem collocabant, ita vt complures pauidi ac metu adacti, quò sibi maturè prospicerent, relictis penatibus, sua bona & fortunas in oram maritimam deferrent, alij ad naues properarent, plerique vias sepirent, nec pauci essent, qui etiam turres varia munitione obfirmarẽt. Huc accessit ipsius Præfecti ingens trepidatio & fuga, qui, occultè relicto prætorio, sese vnà cum aliquot primæ nobilitatis viris, quorum fidei atque amicitiæ non parum tribuebat, in Castelleti arcem recipere statuerat. sed in ipso itinere à quodam trium Vallium pagano, cuius fratrem paulò antè ad supplicium duci iusserat, fortè agnitus, ab ipso, vt ea ratione demortui manibus parentaret, vesana quadam rabie ac furore interemptus est. Ciuitas interim horribili seditione ac tumultu immiscebatur, omnesque Gallicæ nationis, per plateas & vicos adinuenti, à furenti plebe & insana agrestium multitudine, vario mortis genere obtruncati sunt, ita me herclè, vt pa-

Bonciarti legatus Genuæ interficitur.

rum abfuerit, quin propter iſtorum effrenem libidinem ac inſolentiam, & quia etiam capite ac duce deſtituebatur, eo die in ſummum diſcrimen inciderit, ne ſcilicet, ab oppidanis, vel ab ipſis qui erant extra vrbem, diriperetur. Igitur inſequenti die coactis Patribus, habitiſque de more comitiis, quò impendentibus malis & calamitatibus obuiam iretur, duodecim vrbis regionũ Præfecti, quos patrio idiomate Ancianos appellari diximus, deſignati fuerunt, qui ſummo ſtudio atque ſollertia vrbanis tumultibus maiori ex parte ſedatis, haud minori ſollicitudine procurarunt, vt etiam externi componerentur, ſimulque de communi Patrum conſenſu ad Montisferrati regulum oratores miſſi, qui illi publico nomine, Reipub. atque adeò totius Liguſticæ ditionis imperium deferrent. eodemque tempore ad Facinum Canem habita fuit legatio, qua apud eum ſedulò inſtabant, vt ad euitanda maiora pericula, cum ſuis manipularibus agro Liguſtico excederet: quod quidem ab eo ſtatim impetrarunt; exiguoque ſpatio interiecto, ipſemet Marchio, cum aliqua ſuarum copiarum parte, Genuam ingreſſus eſt, eique admirabili quadam omnium ordinum conſenſione atque ſuffragiis, cum conſuetis priuilegiis & conditionibus ſeſe annuali obſequio, adhibito etiam iuriſiurandi ſacramento, obſtrinxerunt. Marchio ex Dominicano cœnobio, in quod prius diuerterat, in prætorium deductus, confeſtim publico edicto cauit, vt populus, abiectis armis, ad fidem atque officium rediret, ſibique præcipuas vrbis munitiones atque arces tradi iuſſit: eoque factum eſt, vt Reſpub. à ciuilibus controuerſiis ac diſſenſionibus penitus conquieſceret, ſibique maiorem indies tranquillitatem polliceri poſſet. Bonciartus interim, de his omnibus quæ poſt ſuam abitionem Genuæ contigerant, occultis nuntiis commonefactus, in grauiſſimum mærorem atq. iram prorupit, & ſtatim cum iuſto exercitu ciuitatem inuadere conſtituit. Ceterùm, ad ipſa vſque montium iuga progreſſus, cùm ibi per fideles ſpeculatores de ciuium in tuendo nouo Principe cõſtantia, ſimulque de hoſtili potentia quampleniſſimè edoceretur, commutata ſententia, à ſuſcepta expeditione non ſine acerbiſſimo animi dolore ſuperſedit, quòd ſcilicet ſua potiſſimùm culpa eueniſſet, vt Reipub. dominium, in quo ipſe omnes ſuas ſpes tamdiu collocaſſet, & pro cuius beneficio ac dignitate tot labores moleſtiaſque exantlarat, tam repentè ac infeliciter, non ſine magno fortunæ ludibrio, & humanarum rerum viciſſitudine, amiſiſſet, ſeque protinus in Taurinorum regionem, vno eodemque tempore, vtraque, vti diximus, Præfectura exutus, recepit, & de Senatus conſulto Conradus Carretus Georgij filius, in vrbe Prætoram obtinuit. Verùm enimuerò paucis diebus interiectis, ſub hoc nouo Principatu noua iurgia & contentiones repullularunt. Cùm enim Patrum decreto quatuor legati, ſeu procuratores, omnes Gibellinarum partium, quorum præcipua & potiſſima cura circa res bellicas verſaretur, deſignati eſſent, Guelfi, quibus Gallici dominij abdicatio mirum in modum diſplicuerat, id quàm ægerrimè tulerunt, eaq. de cauſa populum ad defectionem excibant. Et quia Caſtelleti arx adhuc Gallico præſidio firmabatur, Montisferratẽſis, quò ſeſe in principatu longè tutius communiret, nihil antiquius habuit, quàm vt illam, admotis tormentis & militaribus machinis, omnibus viribus atque artibus oppugnaret. At præſidiarius miles, cùm ſeſe, præſertim vnà ex turribus ab hoſte diſiecta, altera verò in ſummum diſcrimen adducta, pænè ad extrema redactum animaduerteret, cum illo tandẽ his conditionibus tranſegit, ſe videlicet, niſi ex Gallia tranſalpina infra octiduum præſidio ſubleuaretur, deditionem facturum, eoque termino iam effluxo, cùm ſe nequicquam, vnde in primis ſperabat, opem expectare

Genua ſub Marchionis Montiſferratenſis imperio.

ctare conſpiceret, arce, prout conuenerat, quarto Cal. Octob. digreſſus eſt. Hac in poteſtatem recepta, licet Marchio ſeſe in ea gubernatione multò magis conſtabiliuiſſet; nihilominus tamen Guelfi exules illi indies negotium faceſſere, nouaſque turbas concitare non deſinebant: Cùm verò præter ceteros, quidam iuuenis primæ nobilitatis, & aduerſæ partis ſtudioſus, cum pleriſque in ſuis municipiis & coloniis degentibus, clàm cõmunicatis conſiliis, aduerſus Rempub. conſpiraſſet, haud multò pòſt, illis retectis & patefactis, iuſſu Montis ferratenſis, capite pœnas luit: quod quidem profugorum animos, quorum præcipui ea tempeſtate Ludouicus Purpuratus, & Lucas Fliſcus extitêre, ad ſummã iracundiam accendit, adeò vt correptis armis, portum Delphinum occuparent, ſeque in his locis indies magis atque magis communirent. Hæc vbi ad Senatum perlata eſſent, haud incunctanter ad eorum conatus reprimendos, Vbertus Spinula & Raphaël Montaldus, claris natalibus orti, & longo rerum vſu domi foriſque conſpicui, cum ſat valida & inſtructa claſſe ablegati fuerunt: hique, milite in continentem expoſito, breuiq. hoſte in fugam verſo, amiſſum oppidũ recuperarunt, pariſque fortunæ aura & benignitate, Recchum, paulò antè ab ijſdem occupatum, receperunt. Quoniam autem Portus Veneris, quem & Lunarem vocant, adhuc in Gallorum poteſtate erat, illicò, Senatus ſuffragiis Conradus Auria, vir ſingulari prudentia & virtute, cum tribus roſtratis nauibus, & aliqua pedeſtri manu ad eius expugnationẽ perrexit. Et quia is locus valido Gallorum præſidio ſuffulciebatur, nauali expeditione omiſſa, ad quorundam locorum, quæ erant in ora Luniana, recuperationem, ſuas copias direxit. Menſe Maio, anni eiuſdem æui decimo, Ladiſlaus rex Neapolis, Gibellinarum partium ſingularis fautor & patronus, ipſique Marchioni longè amiciſſimus, Genuæ quinque maiores naues aduerſus Ludouicum Andegauẽſem, ſuum æmulum & aduerſarium, mercede ſuaque pecunia conduxit; quarum ope cum hoſte haud ſemel proſpero ac felici marte dimicauit, & præter ceteras clades variis temporibus inflictas, Liguſticarum nauium beneficio, cum ſeptem Andegauenſibus optimè inſtructis congreſſus, quinque illarum ſui iuris fecit, vnaque ſubmerſa eſt, & ſeptima incolumis euaſit. His verò præda onuſtis, vnà cum nouem triremibus, quæ ad ipſum regem Ladiſlaum pertinebant, Genuam reductis, Marchio, ac Senatus, præſentem occaſionem ſibi minimè negligendam putarunt, quo minus ipſi vicißim, Principis ſocij ac fœderati opera in ſuis rebus vterentur. Cùm enim vltra Lunenſem portum, Albintimilium quoque Liguriæ municipium, adhuc eſſet ſub Gallorum imperio, flagrantiſſimè cupiebant, vt, ea expeditione ſuſcepta, illud primo quoque tempore recuperaretur. Proinde vltra hæc nauigia, ſex etiam triremes egregiè præparatæ atque inſtructæ fuerunt, & claſſis præfectura Othobono Iuſtiniano, viro, præter generis amplitudinem, ciuilibus ac bellicis operibus claro demandata, ſimulque Dominicus & Bartholomæus Auria, ipſi etiam vt maiorum imaginibus clari, ita quoque ſtrenui ac rei militaris gloria celebres, cum haud ſpernendis viribus per continentem ablegati, vt is locus terra & aquis arctiſſima obſidione premeretur. Quanuis autem ſtrenuiſſimos propugnatores haberet, nihilominus tamen acri impreſſione facta, & duplicatis oppugnationibus, tandẽ cũ maximo eius ciuitatis diſpendio, & iactura, cùm propter defenſorũ pertinaciã, tum etiã, quòd indigenæ ſuas fortunas & facultates nuſquã gentium illinc aſportaſſent, quinto Id. Iunij vi expugnata & direpta fuit: ſic tamẽ vt Præfectorũ opera & ſingulari moderatione, nulla cõtumelia muliebri honeſtati ac pudicitiæ inferretur. Arcis præſidiarij poſt octo dierũ interuallũ, deditionẽ fecerunt,

1410.

Albintimilium à Genuenſ. direptum.

eamq. Dominicus Auria publico nomine recepit, & valido præsidio firmauit. Post quę, Othobonus cum quindecim triremibus ad portus Lunensis expugnationē perrexit. Verùm, partim ob temporum subsecutorū iniquitatem, ac maris sæuitiam, partim etiam quòd regiæ classis nauarchus ob instantem hiemē, discessum vrgeret, illinc tandē infecto negotio recessit. Cùm verò Florētini, ac Senenses, Ladislao regi infensissimi, sese mutuo iuris fœdere obstrinxissent, & aduersus ipsum quæq. hostilia molirentur, Iustinianus cum octo Ligusticis triremibus, & aliquot Calabris, Telamonem, portum, Gallorum clade olim insignitū, Polybio teste, memorabili pugna à Romanis, L. Æmilio Lepido, C. Attilio Regulo Coss. cęsorū, post acres oppugnationes bidui spatio expugnauit, & pręda inter ipsos Ligures, & Calabros distributa. Huius temporis tractu, iuxta Valentiā, nobilem ac vetustā citerioris Hispanię vrbē, quidā insignis pirata, Barasia nomine, Pauli Interiani nauem adortus fuit, eo tandem successu, vt post longam atque acrem dimicationem, fortuna, ipso Barasia in acie grauiter sauciato, ad Interianum inclinaret. Priusquam verò Genuenses, deiectis cæsisque propugnatoribus, in hostile nauigium armati transcenderent, aduersarij, ipsum, quò minus constaret, illud ad eum pertinere, à quo persæpè multis & maximis detrimentis affecti fuerant, magno lapidum aceruo ad collum congesto, in mare proiecerunt. Ligur in eius superficie circiter nouēdecim, variis vulneribus extinctos adinuenit, & sex ac triginta propter iustas & grauissimas causas, simulque vt hoc exemplo à delictis ac sceleribus ceteros deterreret, suspendio necari, & nouem pristina libertate donari iussit. Id sanè, vbi primùm Genuam perlatum est, vrbem immenso gaudio perfudit, adeò, vt Resp., quò erga Interianum de se bene meritum, aliquod grati ac memoris animi testimonium exhiberet, ipsum ab omnibus portoriis & vectigalibus prorsus liberum atque immunem esse voluerit. Hoc equidem eò libentius recensui, quò memoriam renouauit doctissimi viri Pauli Interiani, quem ipse vnà cum clarissimo Genuensiū Annalium historico, Augustino Iustiniano, Nebiensi Episcopo, & plerisque aliis haud obscuri nominis scriptoribus, qui hactenus de hac præstantissima Repub. aliquid insigne ac notabile posteris tradidêre, in hoc volumine sum potissimè imitatus: at quàm feliciter, aliorum esto iudicium. Illud planè affirmare possum, me, vt inde ab exordio sum testatus, nihil magis habuisse in votis, nihilque maiori opera & studio procurasse, quàm vt, quod veri historici proprium ac peculiare semper fuit, veritatem pro viribus indagarem, & inuentam, citra vllam assentationem, spem, odium, metum, aut ambitum, cùm præcipuè animum ab omnibus his, & consimilibus affectibus planè vacuum ac liberum geram, incorrupta fide in medium proferrem. Opus quidem aggressus sum plenum variis casibus, atrox prœliis, discors seditionibus, & interdum ipsa etiam pace, vt Taciti verbis vtar, sæuum, in quo plurimæ conuersiones, & multiplex humanarum rerum vicissitudo, nempe, interdum læta, modò tristia & luctuosa conspiciantur; sed tamen eiusmodi, vt ex eo, qualisnam fuerit per multa sæculorum volumina huius præstantissimæ Reipub. status, quantaque illius maiestas, potentia, & rerum domi foriseque gestarum gloria, plenissimè intelligatur. Ceterùm, præter veterum ac recentium scriptorum monumenta, vnde, tanquam ex purissimo fonte, hausi quicquid insigne ac memorabile in ea hucusque gestum est, nonnulla etiam super iisdem, paulò antequam in Belgium venirem, contuli, cùm postremò agerem Coloniæ Agrippinæ, cum generoso ac eximio viro Ioanne Carolo, vulgò ab Eijsenbarde, qui post aliquandiu egregiè nauatam militiam, cum in sua longinqua peregrinatione terra mariq. susceptą, vnde

Telamonis portus à Genuens. expugnatus.

vnde instar polytropi Vlixis, multorum hominum mores atque vrbes videns, sibi multiplicem rerum cognitionem, & linguarum peritiam comparauit, Genuam quoque profectus, ibi aliquandiu substitisset, vt est sollerti ingenio, & ad res præclaras nato, pleraque sedulò ac diligenter obseruauit, quæ mihi in domestico & familiari congressu amanter communicauit: eaque cùm essent huiusmodi, vt nihil à probatis auctoribus discreparent, me sanè multò magis in eadem sententia confirmabant. De huius autem perrara & omnigena eruditione, cum in reliquis disciplinis, tum etiam in his, quæ ad ius ciuile spectant, deque singulari eloquentia, probitate, ceterisque animi & corporis eximiis dotibus, equidem longius dissererem, si tẽpus, & instituti argumẽti ratio id concederet. Patrem habuit, vt hoc etiã obiter dicatur, eiusdem nominis, qui per omnes honoris gradus ad summam tandem dignitatem euectus, strenuissimus fuit dux, & in eo prœlio, quod anno, ni fallor, 44., ad Sittart in expeditione illa, quam Cæsar Carolus v. contra Iuliacensem Ducem Wilhelmum fecit, cùm ordines duceret, ac D. Balduini à Molembais, qui reginæ Mariæ cataphractorum equitum præfectus fuit, vexillifer equitũ suorum esset, multis egregiè fortiterq. defunctis laboribus ac muneribus, tam fortiter ac strenuè in hostem cominus & eminus pugnauit, vt cæsis sibi tribus eo prœlio subtus equis, vexillum nunquam dimiserit, sed ea alacritate & animi robore, quo in prœlium venerat, victor, cum multorum fausta congratulatione, profligatis hostibus, discesserit, adeò sanè, vt Comes Hoochstratanus, & Molembaisius ipse, Imperatori fuerint auctores, vt in ordinẽ equestrem cooptaretur, & quàmprimum, in omnium ferè nobilium conspectu, aureo ense, & calcaribus, ceu virtutis præmio, donaretur. Postea, eam dignitatem auxit regina, cùm illum, Archiuenatorẽ Comitatus Alcstain in Flandria faceret, quod munus etiam in vltimam vitã retinuit. Ad hæc, in Præfectura Baronatus de Schoorisse, quam 25. annis obtinuit, magna cũ sua laude versatus est, ac mortuus; vir certè, de quo dubitari liceat, vtrum bello, vel pace (absit assentatio) fuerit præstantior, sic omnibus artibus militiæ excultus, in toga etiam valebat, vt sæpenumerò in magnis deliberationibus ab ipsa regina, aliisque Belgij proceribus, necnon Ferdinando Gonzaga, cuius summa gratia florebat, adhiberetur. Et hæc quidem à grauissimis viris, & fide dignissimis accepi, eoque minus vereor, ne in hoc breui elogio, à quoquam, vllius vanitatis ac mendacij coarguar. Vt verò ad incœptum redeam, Genuæ, cùm Fliscí, inter quos Lucas ea tempestate principem locum tenebat, indies magis atque magis in sua contumacia & rebellione persisterent, ac publicam quietem pluribus modis diuexarent, sic, vt mense Nouembri Lucas ipse, eò fiduciæ, dicam, an temeritatis deuenerit, vt cum sexaginta equitibus & aliqua pedestri manu tumultuariò collecta, quò Reipub. tranquillitatem perturbaret, vsq. ad cœnobium, vulgò D. Spiritus, accesserit, de Montferratensis ac Senatus communi consensu & voluntate sancitum fuit, vt protinus illorum ditio inuaderetur. Proinde sat iusto exercitu coacto, Othobonus Spinula, vir, vltra familiæ splendorem, bellica virtute insignis, contra ipsos ablegatus, & paucis pòst diebus, ipsemet Marchio cum maiori exercitus robore eôdem contendit, adeò vt nisi quorundam optimorum ciuium, quorum animos nulla partium cura premebat, sed tantummodò publicis malis commouebantur, auctoritas interceßisset, omninò summum discrimen adituri viderentur. Sed tandem horum opera, conciliatis animis, cum Rep. in gratiam redierunt. His rebus feliciter peractis, ac egesto quidquid turbidum, Reip. status videbatur aliquandiu in tranquillo positus, nisi fatalis vrbis genius, & Di-

uûm, vt ita dixerim, indignatio, illi diuturnum otium & quietem inuidissent, nec illius membra tam longa externorum domesticorumque armorum serie
1411. lacerata, coalescere paterentur. Etenim anno eiusdem æui XI. Montisferrati regulo in suam ditionem, vt ibi sponsalibus sui filij interesset, reuerso, summaque rerum Conrado Carretino Finarij regulo, permissa, Genuæ haud multo post illius discessum, consuetarum partium studia cum maximo ciuitatis detrimento recrudescere inceperunt. Quippe Orlandus Fulgosius, qui Romæ aliquandiu substiterat, vir immodicus gloriæ, inquies animi, ac præferoci ingenio, cognita illius abitione, nihil penitus in mora habuit, quo minus ad vrbem nouo prætextu accederet: ibique cum plerisque patriciis ac senatorij ordinis grauissimè expostulauit, quòd videlicet ipse, ac sui fratres tam iniquè à Senatu acciperentur. deinde modico interiecto tempore, sub certorum negotiorum specie, profectione Romam versus simulata, vrbeque digressus, rectà Clauarum, vbi quamplurimos socios & clientes habebat, concessit, vt indigenis ad defectionem solicitatis, nouos motus in Rep. excitaret: eaque de causa summa festinatione circiter quadringentorum militum delectu habito, cum illis denuò circa finem Aprilis ad vrbem venit, seque intra mœnia cœnobij Michaëli sacri communiens, vniuersam vrbem ad arma exciuit. Carretus, quem, vti diximus, Marchio suum vicarium in vrbe reliquerat, aduersus has belli concurrentis minas prætorium firmabat, & plerique vtriusque ordinis ciues, quibus molestissimum erat, Remp. iterum prioribus calamitatibus inuolui, ad illi suppetias ferendum accurrerunt. At Fulgosius suum inceptum audacter ac intrepidè prosecutus, postera luce vnà cum Thoma suo fratre palatium circumsedit, eo tamen successu, vt propugnatoribus sese fortiter ac strenuè gerentibus, ipse, infectis rebus, in prædictũ cœnobium redierit, quem Carretinus cum valida manu insecutus, illum facilè oppressisset, nisi aliquot ciues, queîs nec amor, nec studium in partes, suam auctoritatem in eorum gratiam interposuissent, & impetrassent, vt seditionis auctor, & concitator, vnà cum suis saluus atq. incolumis vrbe excederet, Fratribus, vsque ad ipsius Marchionis reditum, abeundi, vel manendi data potestate. Fulgosius ex parte maritima digressus, atroci tempestate repentè coorta, quò sese ab instanti periculo subtraheret, nauigium littori haud procul Sauona applicuit: & dum ibi descensionem parat, ab indigenis, qui illum, ceu publicæ tranquillitatis perturbatorem, extremè oderant, magno impetu ac furore interfectus fuit. Vrbana dissidia populo Albintimilij ansam atq. occasionẽ præbuêre, vt per idé fermè tempus, etiam ipse res nouas moliretur. Nam circiter quinquaginta exules oppidanis coadiutoribus vrbem ingressi, omnes promiscuè, correptis armis, Prætorem, ac nonnullos Genuenses, qui paulò antè illuc propter pestem, tunc temporis in vrbe grassantem, secesserant, statim captiuos fecerunt, eosque vt se oblato pretio redimerent, coëgerunt. Id vbi primùm Genuę intellectum est, nulla mora interposita, Senatus consulto Brascus Francus, vir ea tempestate non obscuri nominis, cum duobus promptissimorum millibus contra ipsos amandatus fuit; simulque nonnulla nauigia egregiè instructa, eôdem transmissa. Ceterùm, rebelles de his apparatibus commonefacti, licet noui militis robore firmati, clàm vrbe egressi sunt, oppidanis summoperè veritis, ne iterum ciuitas militari sæuitiæ ac direptioni exponeretur, & idcircò sese Genuensi Præfecto quamprimùm dedidêre, inque Reip. verba iurarunt, atque ita mox in gratiam recepti. Francus interim, rebus prosperè gestis, & in vrbe sat valido præsidio relicto, atq. aliis rebus ritè dispositis & cõstitutis, necnon milite exauctorato, Genuam plenus gloria &

Albintimilij noua defectio.

fama

fama reuersus est. Iisdem diebus, cùm Galli, vt antea commemorauimus, omnem spem recuperandæ Genuæ, non sine acerbissimo animi dolore, abiecissent, varia municipia & arces Ligusticæ ditionis, quæ adhuc ipsorum præsidio firmabantur, Facino Cani Veronensium regulo, & Florentinis diuendiderunt: priori quidem, Montaldum, Gauium, ac Palodium, pro quindecim aureorū millibus; & Florentinis, Ilicensem turrim, Lunensem portum, Sarzanellum, & Falcinellū; pro haud mediocri pecuniarum summa, rege ipso in primis adstipulante & assentiente, tradiderunt. Hoc tractu temporum, nauale bellum in Tarraconenses propter mutua odia redintegratum, & initium quidem ab ipsis exortum. Hi enim duas onerarias Ligusticas, multis atque opulentis mercibus onustas, interceperunt, & indies nihil nō hostiliter ausi, grauiora damna Genuensibus inferebant, adeò vt postremò cum quinq. maioribus nauibus, additis duabus Ligusticis, omni nautico instrumēto, omniq́ue bellico apparatu instructis, ad hoc egregiorum bellatorum copia refertis, Chium insulam continēter à Liguribus possessam, inuaserint, arbitrati, se, illam propter ciuiles simultates atque discordias nullo, vel saltem tenui præsidio firmatam inuenturos. Proinde illuc admota classe, militeq́ue, ac æneis machinis in terram expositis, ad eius expugnationem totis animis & viribus incubuerunt. Ceterùm, insulares non modò ipsorum conatibus obuiam processēre, sed etiam, vt illos ab incœpto repellerent, euestigiò quinque naues, & vnam triremim, ad Mitylenæ regulum spectantem, exornarunt. Sub idem fermè tempus, fortè Baptista Francus, Lusardus, cuius suprà haud raro mentionem fecimus, & Paulus Lercarus, in eam insulā appulerant, eo animi consilio, vt illinc Theodosiam, ceu designati consules ac procuratores, adnauigarent. Et cùm ambo singulari prudentia & auctoritate, belliq. gloria præstarēt, illis imperium rei naualis, alternatim concessēre; eoq́ue factum est, vt aduersarij, ea oppugnatione relicta, in Syriam cursum nauigationis flecterēt, quos Ligustici præfecti in Alexandriam vsque insecuti, cum illis asperrimo & cruentissimo prœlio concurrerunt. Et quia fermè pari nauigiorum numero ac robore certabatur, multum diuq́ue incerto ac dubio euentu dimicatum est, donec tandem victoria, tribus Aragoniis in potestatem redactis, quorum quidem duo erant Genuenses, ab ipsis paulò antè, vti diximus, intercepta, ad Ligures inclinaret. Huius prosperi successus fama, non multò post, Genuam perlata, cùm propter rem feliciter gestam, tum etiam ob naues immēsi pretij recuperatas, vniuersam vrbem haud mediocri gaudio & voluptate perfudit. Tali statu, cùm anno eiusdem seculi duodecimo, adhuc Respub. sub Montisferrati dominio & administratione esset, de mutuo ipsius, ac Patrum consensu decretum fuit, vt classis aduersus Tarraconenses instrueretur. Quippe qui, recèns, captis tribus Ligusticis nauibus, quæ prorsus vacuæ, in Siciliam, pro comportando frumento, cuius tunc temporis in vrbe summa erat caritas & inopia, soluerant, populum Genuensem nouis iniuriis mirum in modum ad iracundiam prouocarant. Et quoniam ea tempestate triremes non ita præstò & ad manus erant, summa industria & celeritate septem onerariæ expeditæ, nec Senatus alium repellendis tantis hostibus magis idoneum Imperatorem, quàm Antonium Auriam, Philippi filium, est ratus. In has verò, vltra remiges & nauticos socios, supra mille ac quingenti lectissimi bellatores conscenderunt. Nauarchus interim, quarto Non. Aprilis, secundo ventorum flatu è sinu Ligustico soluens, primò, Pisanum mare præteruectus, Carpenam, oppidum Ligurno proximum, quod se paulò ante Genuensibus dediderat, ac postmodum ab ijsdem defeciuerat, omnibus viribus,

Loca Ligusticæ ditionis à Gallis diuenditæ

Naualis cōflictus inter Ligures ac Tarracon.

1412.

vt re-

vt reciperet, allaborauit. Cùm autem oppidanos transegisse cum Florentinis, seq. nec cohortationibus, nec etiã promissis, licet amplissimis, quicquã omninò proficere animaduerteret, ad vim animum conuertit; & mox, milite in continentem exposito, magno clamore atq. impetu oppugnationem aggressus est. Oppidani, licet hostiles conatus aliquandiu fortiter ac strenuè repulissent, Præfectus tamen, amplius quingentis ex aduersa parte interfectis, victoria potitus est; & duobus ac viginti, quò huiusmodi exemplo ceteris pauorem incuteret, patibulo affixis, validoque præsidio ad eius loci tutelam & defensionem relicto, & turribus portus Pisani nequicquam tentatis, in Orientem, quò etiam Aragonios cum pleriſque nauigiis profectos intellexerat, nauigationem instituit. Verùm ipsi de hostis aduentu certiores facti, commutato nauigationis cursu, Barchinonem versus suam profectionem direxerunt; quorum itinere, Auria, qui iam Methonem vsque peruenerat, per myoparonẽ cognito, eos celerrimè insecutus est; tametsi nunquam assequi potuerit. At in reditu, cùm in portu Syracusano duas naues Aragonias, ad anchoras sub sistentes, fortè inuenisset, illas statim incendit, moxq. in Sardiniam delatus, & Calari, quem locum paulò antè sui iuris ac potestatis fecerant, classiariis in continentem expositis, ibi etiam pleraque hostilia nauigia cõbussit, & plurima eius insulæ oppida ac municipia, quæ ipsi, Genuensibus domestico & ciuili bello implicitis, ademerant, recuperauit. Deinde Barchinonem vsque præteruectus, cùm illos suas naues præ metu in terram subduxisse, ac sibi nullam dimicandi facultatem dari conspiceret, Genuam victor, multis spoliis onustus, partaque ingenti gloria, remigrauit. Cui Respub., quòd de patria tam bene meritus esset, vtque ceteri hoc exemplo ad præclara facinora indies magis magisque incitarentur, multa priuilegia & immunitates concessit. Paucorum dierum interiectu, Martino Tarraconensium rege, è viuis excedente, indutiæ inter Ligures, ac Ferdinandum, Ioannis regis Castellæ filium, necnon regis Henrici fratrem, qui Martino in regno Siciliæ & Aragonio successit, de mutua vtriusque partis voluntate ad quinquennium transactæ, moxque arma ad eorum locorum, quæ in manus populi Florentini deuenerant, conuersa, primoque portus Lunaris mari terraque circumsessus: sed propter acrem defensorum vim, infectis rebus, illinc discesserunt; hisque aduersus oppidanos Ericis, directis, eius arx opera cuiusdam præsidiarij militis, breui spatio recepta. Suprà enarrauimus, Ligurnum oppidum vnà cum ipso portu eiusdem nominis, haud procul ab Arni ostio situm, & à nonnullis antiquitus Labronem dictum, Bonciarti opera & industria Genuensibus cessisse. Porrò huius defensioni Baptista Montaldus cum sat valida præsidiariorũ manu præerat, è quibus quidam Genuensis miles plebeius, ac Gibellini nominis, cùm fortè arcana & infida consilia cum Florentinis iniuisse deprehenderetur, his patefactis, captus fuit, & iussu Montaldi laqueo suspensus. Per idem æui spatium, Thomas de Comitibus, Nouio oriundus, qui Capriatũ per multos annos iam possederat, opera quorundam municipalium vnà cum oppido in Genuensium manus ac potestatem deuenit. Coruarum itidem, quod à Rep. desciuerat, & in Florentinos mirum in modum propendere videbatur, pridie Non. Augusti, ad pristinam fidem atq. obsequium rediit. Et mense Octobri proximo, quidam Comes Siculus, Altales Peralta nomine, Patribus suffragantibus, Genuensis Prætura honore insignitus fuit. At sub initium anni eius sæculi tertij decimi, ne in vrbe nouus annus absque nouis rebus inchoaretur, Montisferrati regulo adhuc absente, nouarum seditionum semina exorta, & in primis quidem Sauonæ, vbi, sicuti etiam in plerisque locis

Antonius Auria victor Genuã reuertitur.

1413.

oræ maritimæ, Auriarum ac Spinularum ſtudia indies magis atque magis repullularunt. quibus ſanè vt quamprimùm obuiam iretur, illuc, Senatus decreto, Georgius Adurnius cum ducentis armatis, Genua miſſus fuit: à cuius diſceſſu Fulgoſij nominis præcipui auctores, nullarum occaſionum ſegnes, magnas turbas in vrbe dederunt: ad quas quidem reprimendas, Carretus, tunc, vti diximus, Genuæ Præfectus, centum ex ſuis præſidiariis negotium dedit, qui Thomam Fulgoſium, earum partium ea tempeſtate facilè principem, in palatium deducerent. quod cùm ipſe omninò detrectaret, ac milites vim adhiberent, vt vel inuitum eò protraherent; populus in eius gratiam ſublato clamore, ſtatim ad arma cucurrit, adeò vt per varia vrbis loca ingenti rumore ac ſtrepitu excitato, ipſi Fulgoſium in ſuis ædibus intactum reliquerint. Præſes futuri ambiguus, & magis quid vitaret, quàm cui fideret, certus, quamprimùm curia digreſſus eſt, eaq. mox ab effreni & inſana vulgi multitudine, ipſo Fulgoſio nequicquam reclamante, expugnata atque direpta: Mæſta ciuitate ac multiplici pauore circumfuſa, & in arma ciuilia ruente; Patres ceteriq́ue ordines nihil magis conducere arbitrati ſunt, quàm vt excuſſo externi Principis iugo, patriam in veterem libertatem aſſererent, ſimulq́ue ſtatum Reipub. corrigerent ac emendarent. Proinde coacto Senatu, habitiſq́ue de more ſuffragiis, poſt varias multorum diſceptationes atque ſententias, tandem ea pars vicit, vt nempè octo ciues in nullas partes tranſgreſſi, qui nouam reipublicæ formam conſtitueret, deſignarentur. Et quia non parum ſibi propter hanc defectionem à Principe Montisferrati, qui Sauonam conceſſerat, vt ibi ſua auctoritate exortas ſeditiones compeſceret, metuebant, vltra iſtos, quos diximus, quatuor inſuper, inter quos fuit etiam Thomas Fulgoſius, cuius proximè mentionem habuimus, renuntiati: quorum præcipua & potiſſima cura eſſet, quæ ad belli gerendi, ſi quod fortè ingrueret, adminiſtrationem pertinerent, ſedulò ac diligenter proſpicere. Hoc Senatus conſulto publicato, cùm exorti motus maiori ex parte ſedarentur, circiter trecentorum ciuium Senatus, quorum calculis integra & abſoluta Reip. ratio & forma conſtitueretur, in vnum coaluit, à quo tandem iterum conſueta Principatus & Decurionum electio de veteri more in vſum reuocata: eaq́ue ſancitum eſt, vt nobiles à ſupremo Magiſtratu excluſi, tantummodò publica munia & dignitates cum illis ex æquo partirentur. Præterea, cùm ad externorum Principum ſeruitia euitanda, tum etiam vt nouis rectoribus omnis anſa & occaſio præcideretur, ne ſibi in poſterum vllam tyrannidem aſtruerent; de cõmuni omnium Patrum atque ordinum ſuffragatione decretum fuit, vt arx Caſtelleti, quæ Genuenſibus ceſſerat, funditus excideretur. His rebus ita peractis & conſtitutis, nihil iam planè aliud ſupererat, niſi vt pro Reipub. quiete ac ſecuritate nouus Princeps crearetur: in quo ſanè ob multorum competitorum ambitum & æmulationem, licet maior & potior pars in Georgium Adurnium, nondum Sauona reuerſum, mirificè inclinaret, diuerſis ſententiis decertabatur. Vbi verò is primùm ad vrbẽ rediit, tantus, propter ipſius egregia merita, & præclaras animi corporiſq́ue dotes, omnium ordinum, & vrbanæ multitudinis concurſus extitit, vt cùm octo, quos diximus, ciuitatis rectores inuiſeret, ipſi eodem temporis articulo amplius mille quadringenti homines armati ſeſe comites adiungerent, & ſinguli, ſublatis vocibus, maximoq́ue applauſu, ſupremam dignitatem in eum deferendam eſſe concorditer dicebant: eoq́ue Senatus magis magiſq́ue commotus, illum ſexto Cal. April. Ducem ac Principem renuntiauit, & deinde ſolitis cærimonijs in hoc ampliſſimi honoris titulo ac faſtigio confirmauit. Porrò huius noui Principis creatio-

Genuæ popularis tumultus.

Prætorium à plebe direptum.

Genua deficit à Marchione Montisferratenſi.

Georgius Adurnius magno applauſu Princeps renuntiatur.

creatione vniuersa ciuitas summa & incredibili quadam lætitia & congratulatione perfusa est, & in eius rei memoriam, illius electionis dies annuo & sacro anniuersario sollemniter recoli ac celebrari placuit. Verùm enimuerò neminem ferè latet, qui vel mediocriter de optimo administrationis statu instructus, omnes illas ciuitates plerumque in summum discrimen adduci, quæ nullum certum gubernationis genus secutæ, modò in hanc, modò in illam administrationis formam nullis certis consiliis delapsæ, præcipitantur. Fit enim, vt dum nullam firmam Reipub. formam amplectuntur, non secus ac destitutæ duce & rectore, modò in libertatem, modò in tetram seruitutẽ incertis casibus prouoluantur, adeò vt postquam semel libertate exciderint, & seruitutis iugo obnoxiæ factæ fuerint, ægrè sese, licet recognitis erroribus, & adhibitis sanioribus ac salutaribus consiliis, à tam graui lapsu & labyrintho extricare, vel expedire possint. Genuæ ob easdem causas, vbi omnia administrationis genera, cum externa, tum propria & domestica non semel experti essent, iterum in eam, sicuti proximè demonstratum est, Principatus introductus. Proinde Montisferrati regulo, qui iam fermè ad quadriennium Ligustico imperio potitus fuerat, Reipub. gubernatione, vti diximus, abdicato, simulque Georgio Adurnio, admirabili omnium consensu, præcipuo auctoritatis gradu insignito, ciuitas suam pristinam dignitatem atq. otium, maiori ex parte recuperasse videbatur: summoq. studio atq. animi ardore, qui sub alicuius noui regiminis initiũ plerumq. adhiberi consueuit, vnanimiter allaboratum est, vt Marchioni deinceps nihil omnino iuris in Ligustica ditione relinqueretur, ita vt cùm is non obscurè intelligeret, arces ac munitiones, quæ adhuc penes se erant, non citra maximas difficultates atque impensas retineri posse, vltrò illis, prius sibi ex mutuo fœdere & conuentione quinque ac viginti nummûm aureorum millibus in expedita ac præsenti pecunia connumeratis, cesserit. Iam verò soli Florentini supererant, quibus cum tandem mitigatis placatisque animis, in mutuam gratiam & concordiam rediretur. Hi namq., Pisis nuper suæ ditioni adiunctis, Etruscum imperium in Liguslicos fines proferre modis omnibus annitebantur, & compluribus municipiis atque oppidis, in ora Luniana occupatis, enixè dabant operam, vt etiam Ligurnum reciperent. Quapropter, ipsius Principis ac Senatus consulto, Genua Baptista Montaldus, vir domi militiæq. clarus, Petrasanctam orator missus, qui de rebus componendis sedulò cum illis ageret, ibique Pacificationis negotium ad multos dies fuit extractum, donec tandem, Lucæ, in quam vrbem de mutua consensione legati & procuratores vtrimque conuenerant, certis quibusdam conditionibus inter se pepigere, & in primis quidem, vt Florentini, nulla per id tempus, sicuti quorundam Annales perhibent, Ligurni mentione facta, portum Lunensem, Ericis turrim, Falcinellum, & Sarzanellam, oppidum non procul à ciuitate Sarzana, in alto colle situm, & à Castrucio Lucensium regulo ædificatum, deinde à Petro Fulgosio Genuensium Principe quàm egregiè munitũ, Liguribus restituerent. His rebus feliciter absolutis, Patrum decreto ad Sigismundum, Caroli quarti filium, Venceslai fratrem, recèns à septẽuiris Germanis Cæsarem designatum, Benedictus Buecanigra Albintimilij Antistes, Thomas Pancianus vir equestri dignitate, Nicolaus Spinula ciuilis Pontificiique iurisperitus, & Franciscus Iustinianus, oratores amandati, qui ab eo humanissimè simul ac honorificè excepti, quæcumque publico nomine petierant, firma rataque habuerunt: atque ita breui pòst, voti compotes domum reuersi. Inter cetera verò, ab ipso Cæsare impetrarunt, vt Resp. ab omni obligatione ac iure, quod sibi cum

Gallia-

Galliarum rege hactenus intercederet, absoluta, penitus libera & immunis remaneret. Iisdem fermè diebus, de mutua Senatus suffragatione, duodecim, quos vocãt, Reformatores, partim ex Aristocratia, partim etiam ex Democratia, omnes Gibellinæ factionis, renuntiati; quorum consilio & auctoritate, omnia Reip. instituta, & veteres constitutiones, in antiquum morem atque vsum reuocarentur. Horum autem nomina fuêre; Leonardus Cataneus, iuris peritia insignis, Lucianus Spinula, Elianus Centurio, Blaseus Saluagus, Franciscus Auria, Perciuales Viualdus, Ioannes Francus Lusardus, Benedictus Valditarus, Iacobus Iustinianus, Antonius Rebufius, Antonius Mulasana, & Martinus Bandinus. Hi, vltra pleraque alia, sanxêre, vt deinceps, antiquatis veteribus statutis, nouo quodam electionis genere is tantùm Princeps renuntiaretur, qui Gibellina, simulque popularia studia profiteretur atque protegeret. In vrbe interim, pro labore desidia, pro continentia & æquitate, libido atque superbia inuaserant; eoq. factum est, vt nobilium adolescentum animi, segni otio, socordiæ & inanibus ac perniciosis voluptatibus dediti, omne rei militaris studium & gloriam exuerent. Proinde summa industria à Patribus procuratum est, vt, quò in illis iam pristinus bellicæ disciplinæ ordo ac splendor excitaretur, sagittis iaculisque, ac ceteris missilibus instrumentis, quibus in bello vti mortales consueuerunt, amplis etiam præmiis victori propositis, continuè exercerentur, adeò vt Respub. in nonnulla prioris formæ suique veteris decoris vestigia iam postliminiò rediisse videretur. Inter hæc, decimoseptimo Cal. Nouemb. Resp. à Ludouico Cane, Veronensium regulo, Gauium, Ligusticæ oræ municipium, pro decem aureorum millibus coëmit, vel potius redemit. Sub idem fermè tempus, cùm Sigismũdus Cæsar, cuius proximè meminimus, emensis Alpibus, in Galliam Cisalpinam profectus esset, Genuenses ad eum, tunc Laudæ Pompeiæ subsistentem, oratores miserunt, nempe Baptistam Cicadã, clarissimũ ea ætate legum interpretẽ, Ribellam Grimaldũ, Franciscũ Auriam, Iacobum Adurnium Principis filium, Nicolaũ Iudicẽ, Petrũ Francũ, & Baptistam Montaldum. Quæ sanè legatio, vti fuit grauis ac splendida, ita etiam ipsi Cæsari supra modum grata & iucunda extitit. Subsecutus annus, eodem Principe, ac Felicino Alamano, Perusia oriundo, Prætore, ob innouatas simultates & ciuilia bella, grauibus vulneribus Remp. afflixit, multaque clade insignitus fuit, initio à Guarcis, inter quos Isnardus ea tempestate facilè principem locum obtinebat, exorto. Hic enim propter insitum odium in Adurniam familiam, ipsum Adurnium supremo Magistratu potiri iniquissimo animo ferebat. Proinde in oppido Casaregio, ceterisque locis adiacentibus, mense Iunio, non temnenda manu collecta, de-improuisò armatus in vrbem introiuit, eo tamen successu, vt breui pòst, ab Adurnio milite repulsus, terga verteret, & suscepta expeditionem turpiter deserere coactus fuerit. Hæc subita & inopinata commotio, cùm Reip. status nondum plenè emendatus atque ordinatus esset, turbidis miscendis seditionibus ad nouas res moliendas aditum atque occasionem præbuit, vnde postea mense Decembri eiusdem anni, pernicioßissimum illud ac exitiabile bellum, vulgò Medium appellatum, non minùs patriæ miserum & luctuosum, quàm reliqua superiora extitissent, Baptista Montaldo & Brasco Franco illius præcipuis auctoribus, fluxit ac dimanauit: Hi namque haud minori odio, quàm Isnardus, ac reliqui eius familiæ, in Adurnium flagrantes, & propter huius, qui nonnullorum ciuium interuentu cum ipso Principe in gratiam redierat, sic tamen vt sese per aliquot menses in Etruria contineret, absentiam, in haud mediocrem potiundi principatus spem ac fiduciam erecti, mense De-

1414.

Bellum quod vocant Medium, Genuæ exitiosum.

cembri multo iam noctis compluribus sociis atque clientibus stipati, populi nomen, per vias & compita, sublato clamore sæpius ingeminarunt. Ad eam vocem vniuersis, causa eius seditionis, penitus ignorata, mirum in modum exterritis, atque animo consternatis, Adurnij familiaribus ac studiosis quàm maximè expedire visum fuit, vt statim plebs ad sonitum campani æris D. Syri exciretur, adeò, vt non modò Adurnij nominis fautores, verum etiam complures ex primoribus ipsius populi, nec non plerique è Iustiniana familia, Clemens Promontorius, Thomas Fulgosius, vnà cum suis fratribus & plerisque aliis patricij ac Senatorij ordinis, quos Guelfa studia implicitos tenebant, ibi armati ad opem ac suppetias ferendum, præstò adfuerint. At ex Spinulis plerique in priorum studia transierunt, ita vt inter ipsos, & aduersarios, qui ex æde sancti Syri eruperant, in foro D. Lucæ, inuicem, dubio atque ancipiti prælio, & ad multas horas producto, manus consererent, donec tandem illud nox diiimeret. At proximo die, obscuro adhuc certæ lucis, multo sæuius atque atrocius certamen instauratum, veteraque odia & mutuæ contentiones ac dissidia recruduerunt, sic vt non modò aduersus Adurnios, verùm etiam promiscuè inter omnes ciues ob priuatas simultates summo impetu & vociferatione ad arma concursum fuerit. Et Spinulis quidem ac Montaldis, Viualdi, Grilli, Negrones, Imperiales, Marij, & complures popularium studiorum fautores, sese aggregarunt. Auriæ verò, & Buccanigræ, tunc temporis in nullas partes transgressi. Quare, animis in mutua & internecina odia supramodum exasperatis, iuxtaq. in propria & domestica viscera ruentibus, subinde in multis semitis & ciuitatis regionibus, balistis, saxis, ignitis missilibus, æneis tormentis, aliisque militaribus machinis, inter se acerrimè dimicabant, & per vrbem nihil planè aliud exaudiebatur, præter armorum crepitum, eiulatus & miserabiles gemitus: omniaq. ciuili cruore ac cæde immiscebantur. Spinulæ sese in turri Antonij Spinulæ D. Lucæ fano contigua, præmuniuerant, in eaque pontem, vnde ad alias ædes in plateæ frontispicio sitas, transitus dabatur, construxerant, multisque vicis & angiportis ibi conterminis, præoccupatis, singulis propemodum horis, cum hoste, qui etiam sese in iisdem confiniis circumsepiuerat, armis contendebant, omnique magistratus metu depositio, simulq. vniuerso pietatis & cognationis iure perfracto, vesana quadam rabie ac furore perciti, parens (horrescit animus referre) in filium, frater in fratrem, & amicissimus quisque in alium, antea sibi arctissimo amicitiæ vinculo coniunctum, desæuiebat. Celeberrimos auctores habeo, qui asserant, prœlio, quo apud Ianiculum aduersum Cinnam pugnatum est, Pompeianum militem, fratre suum, dein cognito errore, seipsum interfeciisse; tanto acrior apud maiores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis pœnitentia fuit: sed hîc præcipuis quibusque & carissimis interemptis, hoc sibi potius laudi ascribebant: quod sanè eò detestabilius, quò sinceriorem diuini Numinis cultum professi, nihil omninò præter vacuum atque inane nomen illius retinebant. Et si verò plerique ciues, nullis studiis cõtaminati, enixè dabant operam, vt tandem, redintegratis animis, mutuam vnionem & charitatem induerent; numquam tamen fieri potuit, vt, licet interdum aliquæ indutiæ transigerentur, vlla pax & concordia, per id quidem tempus, coalesceret, adeò vt quamplurimis opificibus varij generis eo potissimum nomine simul in vnum confluentibus, Adurnio assentiente, octo ex illorum numero designati fuerint, quibus ea cura impenderet. Hi ergo, vt Montaldi ac Thomæ Fulgosij effrenæ ambitioni animique impotentiæ aliqua ex parte satisfacerent, consentientibus æmulis, in hanc sententiam cõuenêre, vt nimirum

ipsi

ipsi duo, Adurnio suprema dignitate abdicato, Rempub. capesserent. Huic decreto, Princeps, quò publicæ tranquillitati consuleret, facilè acquieuisset, nisi statim ipsius liberi ac nepotes, auidi potentiæ ac iuuenili ætate feruidi, summis viribus reclamassent, ita sanè, vt iterum districtis mucronibus, omnia fœdo cruore miscerentur: & proximo die, qui incidit in Cal. Ian., quamplurima ædificia subito incendio perierũt. Igitur ciuitate ad priores calamitates reuersa, nullus sanioribus consiliis locus relinquebatur, & gliscente certamine, omnia rapinis, cædibus, ac domorum euersionibus patebant; donec tandem anno eiusdem sæculi quintodecimo, indutiæ inter ipsos ad aliquot dies pactæ. quo quidem tempore nihil aliud vtrimque procuratum est, quàm vt externa auxilia ex variis regionibus accerserentur, breuique ex Insubria amplius trecenti equites pro Adurnio, & pro aduersariis ex Montisferrati ditione haud exigua manus ad vrbem venit. quarum virium accessione se quisque ad nouas clades inferendas præparabant. Interim Adurnius, quò seipsum ab hostili metu ac periculo eximeret; peractis indutiis, inermibus iniunxit, vt singuli sese in suis laribus continerent, & confestim ad ictum campani æris, suas vires in hostem, qui totam molem ac robur suæ aciei in domibus Nicolai Spinulæ iuxta mare positis, collocarant, eduxit, ibique ad integrum diem multo mutuoque certatum est sanguine, eo tandem exitu, vt Adurnij, improspera fortuna vsi, illinc recedere cogerentur. In hoc tristissimo, & planè luctuoso Reip. statu, complures ciues neutrarum partium, & inter ipsos, etiam Flisci, qui per id tempus, in hoc interno & plusquam ciuili bello, nullis studiis sese immiscuerãt, sua auctoritate interposita, omni ope annixi sunt, vt tam acribus dissidiis ac simultatibus è medio sublatis, tandem aliqua ratio componendarum rerum iniretur. atque idem ab his qui erant sacri Pontificijque iuris, studiosè procuratum, eaque de causa passim supplicationes ad Deorum puluinaria decretæ, ac publica ieiunia indicta. Verùm, hæc omnia nihil prorsus ad pacem conficiendam, ponderis ac momenti attulerunt, ita vt breui spatio interiecto, ad consueta iurgia, exque his continuò ad arma recursum fuerit. eoq. progressa est furiosorum hominum seditio atque insania, vt Non. Febr. in foro, vulgò Piccapetra, quinque palatia cum publico vestibulo atque atrio immaniter conflagrarint. & cùm postmodum sæpius in variis partibus ciuitatis publicum ferrum distringeretur, multo maiora incẽdia & strages subsecutæ, adeò mediusfidius, vt cùm fermè nihil iam aliud, præter omnia extrema impenderent, tres præcipui ordinis viri, nempè Barnabas Guanus, iuris prudentia clarus, Iacobus Iustinianus, & Antonius Auria, omnes, præter generis amplitudinem, singulari prudentia, & consilij grauitate præstantes, quos hactenus nulla studia implicitos tenuerant, patriæ vicem commiserati, cunctas rationes secum iniuerunt, quibus tantum incendium extinguerent, aut saltem aliqua ex parte mitigarent. Cùm igitur ipsi in ædem Dominico sacrum, magna itidem vulgi & diuersi ordinis frequentia subsequente, conuenirent, vniuersi ac singuli propter eximiam auctoritatem, qua promiscuè apud omnes pollebant, auidissimè illorum cõsilium & sententiam præstolabantur: hique de vnanimi eorum qui aderant, consensu, nouem ciues præcipuæ integritatis ac nominis designarunt, quorum arbitrio mutuæ lites & controuersiæ deciderentur, tantoque studio & industria ab ipsis elaboratum fuit, vt, singulis horum decreto adstipulantibus, tandem vtrimque pepigerint; & mox, turribus, ac etiam Castelleti arce nunquam hactenus euersa, in manus trium ciuium neutri parti addictorum, traditis, ciuitas tot malis conflictata, emergere ac respirare incepit. Quippè obseptis viis reclusis, ad mutua & consueta

1413.

consueta cõmercia iamdudum intermissa, redierunt. Et quoniam Adurnio, ex horum statuto promulgato, per vnius mẽsis spatium adhuc in Principatu remanendi facultas permittebatur, de nouo Principe substituendo nihil tunc tẽporis peractum. Vbi verò id tempus effluxit, cùm ipse, vtpotè mitis ingenio & natura, horum decretis haud grauatè morem gereret, Senatus vicissim ad testificandum animi gratitudinem ac beneuolentiã, illum, prẽter quàm quòd ab omnibus publicis portoriis & vectigalibus in posterũ perpetuò immunem ac liberũ pronuntiarit, annuo trecentorũ aureorum stipendio donauit, simulq. annum Cõsulari dignitate, vt fungeretur, concessit. Adurnio, suprema potestate vltrò cedente, S. C. sancitum fuit, vt Campofulgosius & Iacobus Iustinianus trimestri spatio Reip. sub Priorum titulo præessent. Ad hæc, partim ob prædictarum conuentionum obseruationem, partim ad seditiosorum ac turbidorum hominum insolentiam reprimendam, ducenti milites præsidiarij sub Iacobi Suprani præfectura constituti: atque ita demum exorti motus suppressi & consopiti. Longum autem foret, commemorare, quanta malorũ ilias ex hoc atroci & pernicios issimo bello Reip. prouenerit, & quantum ciuilis sanguinis effusum, ita vt præter innumeros, vario mortis genere contrucidatos, amplius vndeviginti ac centum ex suprema nobilitate, ac inter ipsos, etiam complures senatorij ordinis, ex quorum quidem numero Melchior Gentilis, Nicolaus Auria, Ioannes Spinula, Carolus Adurnius, Hugo Iustinianus, & Marcus Strata, extitêre, desiderati fuerunt. At palatia, vt diuersa priuatorum hominum ædificia domosque omittam, diuersis vicibus exusta, atq. incensa, supra centũ quadraginta sex annumerata. Hanc funestissimam cladẽ præcessit mense Octobri maxima inundatio, & horribilis tempestas; qua sanè factum est, vt quatuor grandiores naues portu in ipso perierint. In hoc rerum tractu, Fulgosius, & Iacobus Iustinianus, rebus gerendis admoti, magna clientum & amicorum frequentia subnixi, prætorium adiêre, vt Reip. gubernationem ad tempus capesserent, tertiaque hora eiusdem diei à Meridie, Adurnius, palatio digressus, & cum Ducalibus insignibus atq. ornamentis sollemni pompa per vrbem, prætoriarum cohortium manipulis constipatus, & decurionibus, ac plerisque aliis supremi ordinis ciuibus eum concomitantibus, obequitãs, cùm ad suas ædes peruenisset, in earum ingressu Principali dignitate sese abdicauit. Paucis pòst diebus, per duos illos, quos diximus, Priores, Senatus octingentorum ciuiũ tàm Guelfi ac Gibellini nominis, quàm nobilium ac popularium virorum, coactus, vt, habitis de more comitiis, nouus Princeps designaretur. Etsi verò ad hoc supremi honoris fastigium complures cùm opibus, tum natalibus florentes, flagrantissimis votis inhiarent, nihilominus Thomas Fulgosius, vir laudis gloriæque cupientissimus, eam præ ceteris ambiebat, eoque magis se illam adepturum sperabat, quòd vulgi studia in se conuersa, ipsumq. Adurniũ viribus, & potentia sibi longè imparem ac inferiorem esse, haud sanè obscurè intelligebat, & propterea hoc vnum in primis anxiè contenderat, vt nempè ciuiles altercationes atque odia indies magis magisque alerentur, quò deinde Reipub. status crebriori emendatione indigeret, perque ipsos suffragatores occultè dabat operam, vt aliquis tenuis fortunæ, ac exiguæ auctoritatis, ad principatum proueheretur, sicuti planè contigit. Quippe Senatus publica suffragatione Barnabas Guanus, vir, cui nulla partium cura, sed patriæ dumtaxat amantissimus, iuxta nouas sanctiones ac instituta, VIII. Cal. Apr. Princeps renũtiatus fuit: quod sanè vniuersam vrbem propter ipsius egregias dotes haud mediocri lætitia & voluptate perfudit. Hic, vt præclarum aliquod suæ existimationis de se passim conceptæ, specimen ac testi-

Quanta clades Reip. illata propter ciuiles simultates.

Barnabas Guanus ad principatum proiectus.

ac testimonium publicè ederet, suamque auctoritatem in posterum magis confirmaret, sub initium sui principatus, quendam ex Proceribus Ducis Sabaudiæ, qui in speciem aliorum negotiorum bis ad vrbem profectus, cum pleriſque supremi ordinis ac nobilitatis viris clandestina consilia iniuerat, quò illam Cęsaris, aut sui Principis imperio subijceret, ea potissimum spe inductus, vt ipsemet, hoc impetrato, Reipub. administrationi præficeretur, capitis damnauit. Præterea, in singulis suis actionibus singularem quandam pietatem, vitæque sanctimoniã præ se ferebat, & nihil omnino prius atque antiquius habere videbatur, quàm vt Liguſticam ditionem tranquillè ac pacificè gubernaret ac moderaretur. Verùm, haud sanè in longum quies data. Siquidem exiguo temporis spatio interiecto, nonnulli, conterminarum vallium indigenæ, res nouas moliri, reliquos subinde ad defectionem trahebant. Hæc vbi Genuæ cognita, euestigio ad illorum conatus inhibendum, Gregorius Guanus, præsidiariarum cohortium præfectus, contra eos amandatus, qui paucis pòst diebus, infecto negotio, ac tribus ex suis amiſſis, domum rediit. At Princeps veritus, ne Respub. horum turbidis motibus aliquod insigne detrimentum acciperet, Thomam Fulgosium, virum longè maiori auctoritate præstantem, cum expedita manu aduersus rebelles misit. Huius discessu, quidam ciues seditiosi, ac ipsius Fulgosij æmuli, falsis calumniis & delationibus illum Principi quàm maximè suspectum reddidêre, ne scilicet in eũ conspirasset: isque horum verbis magis credulus, quàm par fuit, statim sese, licet inuitus id facere videretur, pro sua tutela & securitate nouo præsidio firmauit: eoque factum est, vt breui Principatu excideret, & Fulgosius, quòd præcipuè in optatis habuerat, obtineret. Hinc enim ansam atque occasionem arripuit, vt postquam externis motibus repressis, ad vrbem rediisset, cum suis amicis & clientibus præter cætera non parum conquereretur, quòd Princeps sese maiori potentia & viribus communiuisset, & mox, Principi nulla relatione facta eorum quæ foris gessisset, quin etiam ipso penitus insalutato, vrbe digressus, Georgium Adurnium, eo tempore in villa, vulgò Cariniana, priuatam vitam degentem, adiuit, & secum in colloquium veniens, multis verbis, licet in animis praue affectis, & nouandarum rerum percupidis, haud magna & multa persuasione opus sit, in Guanum inuectus, variis rationibus ostendit, neutiquam Reipub. expedire, vt ipse diutius in principatu persisteret. Hinc enim fieri, vt ambo omni sua auctoritate & nominis existimatione prorsus exciderẽt, ideoque maturandum, priusquam is deinceps suum Principatum maioribus munimentis constiparet. Quocirca initis consiliis, ambo de vnanimi voluntate illum armis opprimere decreuerunt, summaque celeritate vnà cum his qui à suis partibus stabant, vrbem tertio Cal. Iulij ingressi, & compluribus eius locis occupatis, quinto Non. eiusdem mensis cum Guanis militibus congressi sunt, eo sanè euentu, vt cùm ipsi bellatorum numero ac robore minus valerent, prætorium fœderatis reliquerint, & Princeps per secretam eius portam occultè aufugiens, statim supremo magistratu abierit. Hæc subita & inopinata rerum commutatio istorum æmulos, ac reliquos ciues publicæ tranquillitatis amantes, nullisq. studiis addictos, mirum in modũ offendit, cùm præsertim summoperè vereretur, ne Resp. in pristina odia & calamitates relaberetur. At Baptista Montaldus & Isnardus Guarcus, præcipui partium duces, sibi non parum ab his quos diximus, metuentes, confestim vrbe excesserunt, & alter quidem Vernatiam, alter verò in vallem Scriuiam se recepit. Fulgosius interim, curia potitus, nihil prius habuit, quàm vt Principatum assequeretur. in quo sanè cùm propter mitem ac

facilem ipsius Adurnij naturam atque ingenium, tum etiam ob vulgi semper nouis rebus studentis, leuitatem & inconstantiam, haud magnam difficultatem adinuenit. Quippè statim ab vniuersa plebe, Fulgosij nomine, sublatis multis vocibus, subinde inclamato, ipse, licet huic rei præ modestia obnitens, repugnasset, sustinentium humeris vibratus, in Ducale solium delatus fuit, ac proximo die trecentorum ciuium suffragatione, ad æris sonitum, ceteriscque publicis lætitiæ signis, & faustis acclamationibus, Princeps renuntiatus, eique, propter immensas opes atque potentiam, qua florebat, nulla prorsus conditio, vti reliquis Ducibus fieri consueuerat, præscripta. Fulgosio ad principatum prouecto, à suis fratribus & clientibus, pleraque per vrbem ludicra oblectamenta exhibita, variisque musices instrumentis atque concentibus vexilla Fulgosiæ stirpis erecta, eiusque familiæ nomen per compita & plateas ciuitatis cum maximo applausu & gaudio sæpius ingeminatum fuit. Post hæc, de more creati sunt octo regionum Præfecti, (vulgò Ancianos vocant) tam ex Patriciorũ & popularium, quàm Gibellini & Guelfi nominis ordine ac cœtu, ex æquo distributi, & Baptista Fulgosius Principis frater, vtrique oræ maritimæ cum imperio præpositus, adeò vt Resp. post tam multas conuersiones, iterum ad pristinam quietem atque otium, tanquam postliminiò rediisse videretur. Ceterùm Fulgosius, quò sese in suprema dignitate, à se tantoperè expetita, indies magis atq. magis constabiliret, vtq. sibi in primis plebem aliquo beneficio deuinciret, illam pluribus oneribus & immunitatibus leuauit, ac pleraq. alia in publicũ emolumentũ & vtilitatem peregit, vrbemq. innumeris calamitatum procellis ac fluctibus vix eluctantem, publicis variisq. oblectamentis exhilarare studuit. Cùm enim sub initium proximi anni, nempe eiusdem æui sextidecimi, Odo Lusinianus, Cyprij regis frater, Genuam appulisset, præter hastiludia, & reliqua huius generis spectacula, illum octauo Idus Febr. in maiori atrio, splendidissimo, vereque regio conuiuio excepit, cui amplius octingentæ matronæ ac virgines patricij generis, ditissimo cultu habituque ornatæ, interfuerunt. Ad hæc, nonnulla Marchionum Malaspinæ oppida sub varia specie Ligustico imperio adiecit. Et quia publicum ærarium ob perpessas clades maiori ex parte exhaustum erat, ipsaque Resp. ob immanes ac multiplices sumptus quos fecerat, multum æris alieni contraxerat, vt salis coëmptionem impediret, supra sexaginta nummûm aureorum millia, quæ argenti summa partim ex suis priuatis facultatibus, partim verò à Senatu suppeditatis, cõflata est, in præsenti ac expedita pecunia deprompsit: quod sanè illi maximam laudem & gratiam promiscuè apud omnes conciliauit. Postquam verò sese domi satis communitum animaduerteret, nihil reliqui ad summam diligentiam fecit, quò seipsum, quoad eius fieri posset, externis præsidiis fulciret, atque firmaret. Cùm enim probè exploratum haberet, sibi à suis æmulis & aduersariis tunc profugis, incertisque sedibus huc illuc vagantibus, continuas insidias strui & machinari, enixè dabat operam, vt, illorum consiliis præuentis, Respub. cum Carolo VI. Galliarum rege, cum quo illi iamdudum graues simultates intercesserant, lenitis animis, in mutuam gratiam rediret: quod quidem eò facilius impetratum est, quò Rex iam multa experientia cognouerat, se hactenus pro Ligustici imperij recuperatione incassum & frustrà laborasse. Huc accedebat grauissimum bellum, quod ea tempestate inter ipsum, & Henricum quintum, Britanniæ regem, terra marique gerebatur. Proinde cùm sciret, Genuensium opem sibi, ad illud feliciter absoluendum, maximi ponderis futuram, breui pòst, missis Genuam oratoribus, de mutua atque vnanimi voluntate decennales indutias

Thomas Cũ pofulgosius Princeps declaratur.

1416.

Resp. cum Galliarum rege in gratiam redit.

trans-

transegêre, ac vniuersi Senatus decreto statutum fuit, vt pro ipso rege octo maiores naues, ac totidem triremes sub Ioannis Grimaldi, viri prudentis, & militiæ assueti, præfectura, omnibus bellicis apparatibus instruerentur, in eaque nauali expeditione in mari Oceano habita, Ligures quamplurima egregiæ virtutis testimonia ediderunt. Cùm etenim ambæ classes, quarum singulæ vltrà centum nauigiorum numerũ expleuisse dicũtur, decimooctauo Cal. Sept. inuicem summis conatibus ac viribus concurrissent, & fortuna, post longũ atq. anceps prœliũ, ad Anglos inclinaret, Ligusticæ naues, nullo triremium adminiculo stipatæ, diuturnum & cruẽtissimum certamen contra hostem victorem ingenti atq. incredibili animorum alacritate ac robore sustinuerunt. Quod verò prisci & incorrupti antiquorũ Annales de Laurentio Folieta posteris ac memoriæ tradiderunt, cùm illud sit omninò huiusmodi, vt admirabilis cuiusdam fortitudinis inuictiq. animi perquàm clarũ ac memorabile specimen exhibuerit, hîc profectò nulla ratione à me silentio prætereũdum videtur. Is enim vnius nauis Præfectus, cùm in classem septẽ Anglicarum nauium, quã ducebat Dux Veruichius, regio genere, ac summa virtute armorumque gloria conspicuus, incidisset, in qua mille & quingentos bellatores fuisse constat, cùm Laurentiũ, non plus duos & sexaginta, siue, vt aliis placet, septuaginta habuisse, ex iisdem veterum monumentis manifestum sit: cumque Angli Genuensem nauem circumstitissent, Folieta, nihil tanta in se incumbente mole animo infractus, sed suos cohortatus, vt, aut egregia victoria, aut memorabili morte, tetram seruitutẽ, morte ipsa duriorem, à se depellerẽt, atrocissimum prœlium in multas horas protraxit. Tandem cùm Ligures lassitudine confectos, vulneribusque exangues, octo ex ipsis interfectis, quinquaginta vulneratis, vires magis, quàm animus deficerent, iamque Angli, ponte iniecto, ascensum tentarent, Folieta, qui in prœlio sustinendo omnes & boni ducis, & strenui militis partes implesset, tum quoque in extrema spe se ipse non deserens, omniaque circumspectans, vnum ex sociis, cuius virtus in primis conspecta fuerat, graui vulnere in iugulo accepto, pugna excessisse conspicatus, Ita ne verò, inquit, macte virtute, nunc, cùm maximè audacia & opera tua opus est, in medio pugnæ ardore, nos, ac te ipse deseris? vulnusque hominis, illo inuente, cùm præ vi effluentis sanguinis loqui non posset, linamentis, vtcumque potuit, clausit. Ille verò, securi arrepta, asserem, quo pons innitebatur, magna vi præcidit, ponsque corruens, haud exiguum superstantium hostium numerum vnà secum traxit, qui omnes vndis hausti sunt. Cuius spectaculi stupore Angli defixi, cùm animis obtorpuissent, nullum operæpretium rati, homines, quorum nullo aut labore corpus fatigari, aut terrore animus vinci posset, ipsaque desperatione in rabiem versos vlterius tentare, pugna dirempta, Genuensem nauem liberam reliquerunt. Hoc exemplum eò equidem lubentius adieci, quò Folietæ familiæ, vnde Vbertus Folieta, vir multiplici eruditione, singularique facundia præditus, & de optimarum artium studiis, hac nostra ætate, in quã etiam illum adhuc superstitem audio, & Romæ, propter eximias animi dotes, apud proceres ac principes viros, summa nominis gloria florẽre, quàm optimè meritum, tam illustre ac memorabile facinus recenset. Hic enim Laurentius, huius Vberti proauus fuit, sicuti ipsemet in clarorum virorum elogiis testatur. Iisdem fermè diebus, eodem Principe, ac Francisco Panciatico, ciue Pistorienſi, præclarissimo viro, Præturam gerente, in Corsica, auctore Vincetello ex Istria oriundo, viro multis clientelis, atq. opibus innixo, noui motus exarserunt. Hic enim, Insulatium animis subinde ad defectionem solicitatis, pleraq. loca eius prouinciæ, in- *Noui motus in Corsica.*

ter quæ etiam fuit castrum Ginercanum, in suam potestatem redegit, duabusque triremibus, & vna liburnica Ligusticæ oræ tractum variis excursionibus inquietabat. Quapropter ad eius audaciam & conatus reprimendos, Genua Habraam Fulgosius, Principis frater, cum aliquot nauigiis bellico apparatu ac militari præsidio instructis amandatus. eaque expeditio hunc tandem exitum sortita est, vt ipse à Corsis, quorum studia in Vincetellum supra modum conuersa erant, proditus, illinc sese non sine aliqua clade subduxerit, eaque de causa, Senatus, facto supplemento, Ioannem, alterum ipsius Fulgosij fratrem, cum noua manu destinauit: qui prospero ventorum flatu in insulam peruenit. Hac virium accessione factum est, vt exiguo pòst tempore hostis in turpem fugam coniectus sit, & Ginercum vnà cum plerisque aliis locis, quæ à Repub. defciuerant, felicibus auspiciis receptum. atque ita per id tempus Corsici tumultus repressi. Ceterùm Resp. paucorum dierum interiectu, nouis ciuilium bellorum tempe-
1417. statibus atrociter iactata. Quippe initio subsequentis anni, cùm extorres ac profugi indies aliquid noui molirentur, nouas artes atque consilia, quibus præsentem ciuitatis statum diuexarent, excogitabant, adeò vt Raphaël Montaldus, qui apud Lucenses tunc extorris agebat, inde Mediolanum eo consilio pertexerit, vt illius Principis opem ac patrocinium imploraret, bellumque patriæ inferret. Hac tempestate, Philippus Mediolanensium Princeps, mortuo patre, ac Ioanne Maria propter nimiam tyrannidem domesticorum suorum insidiis peremptо, Insubriæ principatum assecutus, dulci dominandi veneno inescatus, vniuersam Liguriam animo inuaserat. Proinde cùm has mutuas Genuensium simultates ac intestina odia non parum momenti habitura animaduerteret, quò tandem voti compos euaderet, occasionem diuinitus sibi oblatam amplexus, profugorum conatus sibi omnibus rationibus tuendos ac promouendos statuit, eiusdemque belli socios Montisferrati & Carreti, necnon Malaspinæ regulos, Fulgosio infensissimos, inito fœdere, sibi asciuit, vt simul coniunctis viribus, ea expeditio tantò facilius ad optatum exitum perduceretur. Dum hæc foris aguntur, Thomas Malaspina Cremorini dominus, Genuam profectus, occulta & clandestina consilia aduersus Fulgosium iniuerat, quibus patefactis, statim comprehensus, carceri illigatus fuit, moxque Baptista, Principis frater, vrbanarum, vt diximus, cohortium Præfectus, & Spineta eidem nexu fraterno cõiunctus, cum quatuor promptissimorum virorum millibus ad illius reguli, simulque Carreti ditionem occupandam ablegati. nec sanè aliud quicquã hoc anno, qui tam multa Reipub. minari videbatur, hostilibus consiliis maturè à Fulgosio præcisis, vl-
1418. terius gestum vel attentatum fuit. Verùm, anno eius sæculi octauodecimo, Ilnardus Guarcus, Raphaël & Baptista Montaldi, ac Theramus Adurnius, eorundem Principum armis ac viribus innixi, necnon plerisque finitimarum Vallium indigenis coadiutoribus, cum mille quingentis equitibus & duobus peditum millibus natali seruatoris nostri, ad Petri Arenarij fanũ, quod mari alluitur, profecti, sua castra ibi collocarunt, atque inde variis excursionibus vrbem supra modum infestabant. At Fulgosius, vt erat excelsi animi, & in aduersis intrepidi, sese quammaturrimè illorum conatibus opponens, sedulò ac diligenter omnia prospicere quæ ad vrbis tutelam & incolumitatem pertinere intelligebat. Cumque in ipsa ciuitate plerorumque ciuium animos haud mediocriter suspectos haberet, publico edicto cauit, ne quispiam, iniussus, arma indueret. Ceterùm, hostes cùm suos conatus in irritum cadere animaduerterent, rebus infectis, sese vltra Apennini iuga receperunt, & in itinere Gauio occupato, illius possessionem

Insubriæ

Insubriæ Principi, prius Præfecto arcis octo aureorum millibus enumeratis, tradidêre. At Genuæ omnes Spinulæ familiæ in custodiam coniecti sunt, propterea quòd reliqui eiusdem cognationis ac stirpis, qui erant in suis municipiis, perduelles in hac expeditione adiuuarant: omniaque absentium bona fisco adiudicata. Hostes interim, Gauio, vti diximus, in suam potestatem redacto, ad Capriatæ expugnationem sua castra produxerunt. Quod vbi primùm per fideles nuntios Principi innotuit, confestim de illius auctoritate, ac Senatus consensu, Baptista Fulgosius cum sexcentis equestribus viris, ac nonnullis cohortibus, illuc subsidio missus. Verùm, cùm is locus durissima obsidione premeretur, tantum abest, vt obsessis vllam opem afferret, vt contrà ipse dum Genuam versus, infecto negotio, reditum pararet, ab infesto agmine, ac etiam à Spinulis non parum incõmodi ac detrimenti acciperet: eaq. de causa plerique ex præciputis eius familiæ iterum in vincula coniecti. Paucis pòst diebus, aduersarij secundis rebus sublati, denuò vrbem inuadere statuerũt; & quò plebem facilius in sua studia pertraherent, de mutuo consensu Non. Martijs Teramum Adurnium ciuitatis Principem declararunt: breuique spatio interposito, suum exercitum mœnibus admouerunt; & turri Pharij Promontorij expugnata, liberiùs huc illuc vagabantur, adeò vt etiam Castelleti arce, sita in montium vertice, se potituros sperarent: sed Baptista Fulgosius, continuò eruptione facta, illos, captis duobus ciuibus, altero quidem nobili, altero verò populari, qui haud multo pòst Principis iussu capite plexi sunt, in celerem ac præcipitem fugam vertit. eoque prospero successu Fulgosius fortunæ indulgentiam alacriter prosecutus, rectà cum suis copiis fines hostium ingressus, ad eorum locorum quæ vltra montium iuga posita erant, excidium perrexit, & præter cetera detrimenta aduersariis illata, Buzallam, igne iniecto, cremauit. Cumque vlterius ad amissorum oppidorum recuperationem progredi statueret, veritus, ne ab Insubri Ducis, sibi iam iam imminentis, exercitu intercluderetur, mutata sententia, retrogressus est. Quippè confœderati Principes, cognita suorum clade in montibus accepta, eueſtigiò ad eandem expeditionem prosequendum nouas copias instruxerunt, quibus infra paucos dies, Serauallis vi expugnata, eiusque Præfectus Lanzalottus Beccaria cum suo nepote Philippi iussu capite multatus. Indè castris promotis, Burgum, vulgò de Fornaris, Liguriæ municipium, & Ouada, eiusque arx, paribus fortunæ auspiciis occupata. Eodem temporis tractu, in mari quoque acre bellum gerebatur, & præter alios conflictus vtrimque habitos, tres Fulgosiæ naues in Galliam Narbonensem contra classem Adurniam emissæ, trium hostilium nauigiorũ prędam fecêre. Inter hęc, hostilis exercitus indies validior factus, adeò vt Insubres, profugis ac exulibus admixti, octo millium peditum, equitum verò trium millium numerũ æquarent, & circa finem Augusti in vallem Pociferam descendit. Ceterùm, Fulgosius incredibili vigore animi nulla ex parte his bellicis apparatibus exterritus, vnà cum suis fratribus, viris strenuis, ac singulari virtute, summo studio atque industria quæcumque ad vrbis securitatem æstu & consilio prouideri poterant, diligentissimè prouidit: simulque veritus, ne aduersarij, vti reuera factum est, vrbem ex parte Bisamnis, eo tempore periculis magis obnoxiam, inuaderent; illam diuersis munitionibus, quæ totum suburbium S. Vincentij præcingebant, firmauit, eo tamen successu, vt hostes finitimorum indigenarum ope, illas breui pòst disijcerent, & statim ad portam, vulgò D. Stephani, sibi aditum pararent, vbi multo vtriusque partis sanguine ac cæde dimicatum fuit; donec tandem Insubres, potiundæ vrbis spe excidentes, protinus ab

ea ex-

ea expeditione, reluctantibus profugis, recederent, secum satis præclarè actum, eo quidem tempore, arbitrati, quòd Genuensibus omnia fermè oppida vltra Apenninũ sita ademissent: quibus inter seſe, tanquam inimicis spoliis atque manubiis distributis, quædam ipsis rebellibus, alia verò Mediolanensium Principi & Fœderatis obtigêre. Horum locorum iactura, & multiplices maximique sumptus, quos Resp. hactenus fecerat, illius ærarium ita planè exinanitum ac exhaustum reddiderant, vt citra opem alicuius præpotentis Principis, aut Reip., bellum ægrè vlterius ab ea sustineri posset: eoque factum est, vt Fulgosius, habita sæpius ad Florentinos legatione, illos maximoperè orauerit, vt in suas partes transirent, quò maioribus viribus innixus, tanto facilius atque commodius Mediolanensium Principi, ac ceteris æmulis resisteret. Verùm, cùm ipsi nullas persuasiones admitterent, Princeps, propter expediendæ pecuniæ difficultatem, Ligurnum, tam ardentibus votis ab eis efflagitatum, non citra maximum Reipub. detrimentum, illis, centum & viginti millibus nummûm aureorum diuendidit, atq. ita Genuenses loco maximi põderis ac momenti ob intestina odia & mutua dissidia exuti. sub idem tempus Theodorus Montisferrati regulus, qui Genuæ rerum potitus erat, vitam cum morte commutauit. Posterus annus, qui fuit eius æui nonusdecimus, nulla re memorabili insignitus fuit. At circa initium subsequentis, eodem Fulgosio rectore, ac Principe, cùm Ludouicus tertius Andegauẽsis, Ladislao, Neapolis ac Pannoniæ rege, vitali aura subtracto, immensa regni Neapolitani recuperandi cupiditate flagraret, iuxtaq. haud ignoraret, quanto sibi ad eam expeditionem prosperè perficiendam, Liguſtica nauigia præsidio esse possent, ipsumque Fulgosium, Guelfi nominis summum fautorem ac promotorem esse intelligeret, sibi quàm maximè expedire visum fuit, si, quemadmodum sui maiores factitarant, ea in re Genuensium ope atque armis adiuuaretur. quod quidem haud difficulter ab eo impetratum est, adeò vt de ipsius Principis ac Senatus vnanimi consensu, Baptista Fulgosius, vir eximiis togæ bellique artibus conspicuus, tredecim triremibus, quarum maior pars Genuæ instructa fuit, cum imperio præponeretur; qui deinceps aliquamdiu insigne regij nauarchi nomen ac titulum summa cum sui nominis laude retinuit. Verùm enimuerò, hæc auxilia Gallis à Genuensibus suppeditata, Alfonsi Aragonij, qui mortuo Ferdinando, rege laudatissimo ac præstantissimo, recèns in paternũ solium prouectus erat, animũ aduersus Remp. supramodum irritarũt, eaq. haud multò pòst, atrocissimi belli vtrimq. subsecuti, vel præcipua causa & origo extitêre: Quippe qui nondũ ex ephebis egressus, incredibili quodã gloriæ proferendiq. imperij studio accensus & inflãmatus, tredecim, siue, vt aliis placet, triginta triremium, & quatuordecim nauium classem summa celeritate atque industria comparauit, quartoque ferè postquam regnare cœperat anno, vix dum compositis regni negotiis, Sardiniam, ac deinde Corsicam traiecit, ratus, se hinc facilius belli initia susceperum, quòd antea Corsorum naturam inconstantem, rerumque nouarum cupidam esse, haud semel intellexerat, primaque accessione Caluum, celebre illius insulæ oppidum, & Genuensibus parum fidele, modico labore ac difficultate occupauit. eoq. successu alacrior factus, ad Bonifacij castelli expugnationem perrexit. Cùm verò illud & loci natura, & opere, vtpotè validis mœnibus, fossis, densisque ac præaltis turribus præcinctum, vndique communitum animaduerteret, in oppugnatione parum quidem spei, at plurimum in obsidione reposuit, cùm præsertim nõ esset ignarus, oppidanis, propter ieiunum ac sterilem agrum, haud sanè tantam commeatus reique frumentariæ copiam super-

Ligurnum diuenditur Florentinis centum & viginti millibus aureorum.

1419.
1420.

supereſſe, vt diuturnum obſidium tolerarent. Proinde mari terraque oppidum arctiſſima obſidione premere incepit; vtque aliquid moliri videretur, catapultis ac æneis machinis, vrbis muros quatere, ſimulque vt clauſi populi inconſtantiam experiretur, repentino ad ipſa mœnia impetu armatum militem admouêre. Ceterùm, oppidani, poſt aliquot dierum ſtrenuam propugnationem, cũ ægrè in paucos menſes annona, & reliqua humano victui neceſſaria ſufficerent, tandem pacti ſunt cum rege, armis vtrimque ſuſpenſis, vt illis Genuam pro ſuppetiis mittere liceret, quæ, niſi intra certum tempus præſtò adeſſent, ſe Calend. Ianuar. oppidũ tradituros, eaque de cauſa obſides viginti adoleſcentes, præcipuis familiis natos, dederũt. His peractis, continuò biremim expediunt, & in ea quendam ex eorum nota, cuius fidei ac prudentiæ plurimum fidebant, Genuam deſtinarunt, qui Senatum, in quo ſtatu verſarentur, commonefaceret. Iſque commoda nauigatione in vrbem appulſus, coram Principe ac Senatu ſuam legationem expoſuit, multiſque rationibus oſtendit, quanti eius Reip. intereſſet, eum populum tueri, qui, ne ab ipſis deficeret, aduerſus Piſanos, Aragonios, ac Venetos, variis temporibus fortiſſimè dimicauerit, nec vllis promiſſis ac periculis à fide illis ſemel præſtita dimoueri potuerit. Et nunc etiam ſi quæratur, cur Rex adeò ſibi infenſus eſſet, hanc eandem fidem, iræ ac belli cauſam exiſtere, haud dubiè inuenietur. Proinde omni ſtudio ac celeritate opem ferre deberent infelici coloniæ propter ipſos pereunti, aduerſus eum regem, qui, cùm illius fidem laudare debuiſſet, eam velut ſcelus vlciſceretur. Ad hæc, illos hortabatur, vt cogitarent, huius dimicationis euentum eum fore, qui apud exteras gentes de ipſis iudicium laturus eſſet. Nam ſi eorum culpa accideret, vt ea colonia & illorum ſoboles in ipſorum propè oculis interiret, quam ſpem repoſituræ eſſent nobiliſſimæ vrbes, quibus trans maria imperárent? Quòd ſi eum ex potentiſſimi regis faucibus ereptum conſeruarent, non fortitudinis modò laudem, ſed & pietatis quoque immortalem gloriam conſecuturi eſſent. Hæc, & pleraque alia in hanc ſententiam cùm dixiſſet, legato bonum ac fortem animum habere iuſſo, reſpõſum eſt, ea eſſe Bonifaciorum merita, vt, pro eorum magnitudine, dignè ſatis laudari nequeant. Curæ ſibi fore, vt extemplò obſidione ſoluantur, & amplum fidei ſuæ fructum percipiant. Præterea, ſe obnixè daturos operam, vt regem alieni cupidũ, iniquè ſuſcepti belli citò pœniteat. Mox itaque Senatu habito, ſeptem eximiæ magnitudinis onerariæ, ac etiam vna minoris notæ ſumma diligentia inſtructæ. Sed quia propter peſtem, eo tempore in vrbe mirum in modum graſſantem, plerique ciues, periculi euitandi ſtudio ſeſe aliò contulerant, obque publicum ærarium, vti antea demonſtrauimus, mirificè exhauſtum, nulla pecuniæ expediendæ ratio inueniri poterat; Fulgoſius, vir ſingularis prudentiæ ac expediti conſilij, gemmas, aurea argenteaque vaſa quæ domi habebat, contraxit, quibus Lucam ſecretò miſſis, ac fœnori oppoſitis, tantum æris mutuò ſumpſit, quantum ſatis eſſe in vſum claſſis putabatur, eique ſumma feſtinatione rebus omnibus opportunis ac neceſſariis præparatæ, Ioannes Fulgoſius, Principis frater natu minor, qui nondum vigeſimum ætatis annum exceſſerat, præpoſitus, & quatuor ciues, viri egregia virtute, ac longo rerum vſu edocti, nempè Thomas Auignonus, Paulus Italicus, Chriſtophorus Caluus, & Ioannes Andreas, qui iuueni, ætate, ac rerum experientia vix tantæ moli pari, perpetuò, ceu fidiſſimi conſiliarij, aſſiſterent, in maiorem partem curarum additi fuerunt. Ceterùm, cùm iam omnia in procinctu eſſent, dumtaxat flatus ventorum contrarius nauigationem remorabatur, ita ſanè, vt, dimidia parte Septembris iam effluxa, ſummoperè addubitarent, ne

Oratio legati Bonifacij coram Principe ac Senatu.

Reſponſum.

termi-

terminus limitato præsidio constitutus, præteriret: ideoque pro secunda & felici nauigatione passim supplicationes indictæ, ac cælestis fauor imploratus: donec tandem, haud sine diuini Numinis prouidentia & bonitate, Auster, qui per aliquot dies supra modum sæuierat, septentrioni cederet; quo afflante, classis, velociſſimo, simul ac prosperrimo cursu, in conspectum Bonifacij delata. Alphonsus interim, de Ligusticis apparatibus certior factus, vt hostiles naues portu arceret, illius ostium & fauces immanibus trabibus in vnum colligatis, & prægrandi ferrea cathena obstruxerat. moxque conspecta Genuensium classe, naues quinque immensæ altitudinis ita disponi & collocari iussit, vt proras in hostem verterent; inter se autem ita cohærerent, vt, consuto latere lateri, ex alia in alias facilis decursus esset. Quæ ex his terræ propior erat, ponte in eam iniecto, terrestre subsidium nullo labore accipiebat, adeò vt è continenti in primam, & ex ea in reliquas, percommodè transiliretur. Ponè has, minores naues sistit, distributis laborum muneribus, vt quæque sciret, quid à se bello curandum foret, quaque commodius visum est, maiora minoraque tormenta aduersus venturos hostes disponit, vt si perrumpere plaustra tentassent, vno eodemque tempore aduersus multas simul, vixque superabiles difficultates, iis eluctandum esset. Postremò delectos quoque milites monet, vt cùm ad nauale prœlium omnium animi oculique conuersi fuerint, muros repentè aggrediantur: idque eo consilio iusserat, vt si populus temerè suppetias venienti classi attulisset, neglecta mœnia miles irrumperet: sin tuendis muris accingeretur, nihil auxilij pugnantibus suis suppeditaret. At Bonifaciani, aduentu classis cognito, clam noctu nuncium ad naues nantem mittunt. Neque enim per obsessum ab hostibus mare, alia fallendi spes erat. Is, quo in statu res essent, cùm edocuisset, laudata fide & constantia Bonifacianorum, hæc referre mandata iussus est: Mœnia à fraude & insidiis summa cura tuerentur: Quod superesset iuuentutis, securibus armarent, monerentque, vt cùm perrumpere claustra naues molirentur, ipsi ad mare decurrerent, funesque & reliqua cathenarum vincula, cautibus religata, præciderent, id satis ad victoriã putari. Et iam primus ac vicesimus annus eiusdem sæculi initium sui aperuerat. Sexto enim Calendas Ianuarias aduenisse classem obsessores, obsessique
1421. iuxtà didicerant. Nec si postera die fuissent venti; dilatum prœlium fuisset. Naues tamen qualicunque vento delatæ ad conspectum vrbis, haud procul in anchoris stetêre. Quarum vna, cui Babilanus Nigri præerat, dum terræ propinquat, ingenti saxo tormentis excusso, alueum icta, cùm irrumpentibus aquis vix obsisti posset, quà iugum vrbi subiectum præruptis cautibus imperuium est, cursum deflexit, vt illic acceptum vulnus vtcumque reficeret. Ibi ab oppidanis edocti, posse, si anniti velint, per arduas rupes in iugum, atque inde in vrbem euadere, tantus tamque pertinax fuit ardor animi, vt quò vix quisquam expeditus aditum tentasset, illuc per inuia saxa miles armatus peruenerit. Atq. ita aliis alios erigentibus, Bartholomæus Pinelus ad hoc ipsum delectus, cũ præsidio & portiuncula exigua commeatus intra oppidum acceptus est. Nocte insequenti, cùm Zephyri flare cœpissent, luce prima Ioannes cuncta expediri ad pugnam iubet; suosque militariter allocutus, hortatur, vt se, ac Genuensi nomine dignos animos induat, aduenisse diem precibus ac votis expetitam, qua fidissimam coloniam obsidione liberent, violenti regis iniurias vlciscantur, quæque præclaram ac prioribus parem victoriam allatura sit, ipsum Deum, se exercituũ Deum nominari voluisse, vt sciant homines, bellorum exitus non aliunde esse, quàm à Deo. Hunc, humanarum actionum æquissimum iudicem, qui classem intra paucas horas præcipiti cursu

cursu eousque incolumem detulerit, qui Zephyros optantibus, Zephyros emiserit. Hunc, inquam, Deum, & iustiori causæ, cunctis videntibus, fauisse, & pro ea aduersus hostium confidentiam esse pugnaturum. His, & eiusmodi cohortationibus, accensis suorum animis; pugnæ signum proposuit, quæ cuique nauium agenda essent, antè constitutis. Nec minus apud regias naues omnia summa cura & studio gerebantur. Quæ cùm essent eo numero, quo recensuimus, verumtamen & inexpugnabile robur nauis erat, quam Capitis rotundi vocabant, quæ omnium ætatis suæ maxima, delectis militibus referta, duabusque ab vtroque latere nauibus septa, ipsa inter quinas media, sublimi prora, admiranda mali proceritate, arx verius quàm nauis videbatur. Prima omnium plenis velis in hostes fertur nauis, cui præerat Iacobus Benissia, vastoque impetu obstantia quæque perrumpit. trabes, funes, catenæ, omnia demum comminuta sunt, reliquisq. sequentibus, patefacta via est. Hæc in Capitis rotundi proram inuecta, cùm sub ictu eius posita, hinc à nauibus, illinc à terra saxis ingentibus peteretur, sagittisq. ac iaculis more imbris obrueretur, ægrè hostes sustinebat. Proxima secuta est Otoboni Nigri, & ipsa ingens nauis, quæ illi quoque monstruosæ occurrens, cùm latus lateri conseruisset, haud sanè parum decrescere visa fuit. Nec tertia Babilla segniùs prœlio sese inferens, cùm Ducem lectissimosque milites veheret, magnos suis animos addidit. Quarta Nigroni Nigri, dū improuidè regitur, in Benissiam temerè illata, deiecto castello, quod puppi supereminebat, haud parum suis, nihil hostibus nocuit. Mox introrsum elapsa, prœlio subtracta est. Huius vel errorem, vel consilium, secutæ sunt naues Benedicti Equitis, Iuliani Catanei, Iacobi Lecauelli, & omnium minor Leonini Grafioni, quæ, cum maxima commeatus parte, arma ferebat. Pugnabatur vtrinque pertinacissimis animis. Et quemadmodum apud regios, integri fessis succedebant, ita tribus his, quæ omne dimicationis pondus sustinebant, quinque reliquæ tela viroque suggerebant. Aderat illinc rex bellicosissimus, virtutis cuiusque spectator ac testis. Hinc Bonifacianus populus editiora loca tectaque domorum compleuerat, coniuges paruosque liberos ostentans, & ne infestis hostibus proderentur, supplices manus tendens. Erat in Genuensi classe vir, Andreas nomine, quem à frequentatione aquarum Mergum nominabant. Huic profundum maris petere, & si quid pessum cecidisset, sursum referre, ludus ac iocus erat. Quin, quod longè admirabilius fuit, tam diu sub aquis versabatur, vt eum ibi sæpè respirare necessarium foret. Hic in medio pugnæ sæuientis ardore, galea tectus, & breui cultro accinctus, clam se in mare præcipitem dedit, & ima petens, illius maximæ regiarum nauium funes anchoratios, nullo negotio præcîdit. At vasta illa moles, quam duæ hostiles naues ita vrgebant, vt vix sisti anchoris posset, vbi omni retinaculo soluta est, fluitare primùm, deinde aliò proram vertere, postremò semel mota, alias quoque naues secum trahere. Iniecerat admirationem simul ac trepidationem, vt assolet, causa incognita. Neque enim absurdè dictum est, natura homines ignota horrere. Tum regia classe sensim cedente, creuerunt Genuensibus animi. Et velut ex integro renouatum prœlium, cùm, præter paucos egregij facinoris gnaros, ceteri metu hostes cessisse haud planè dubitarent. Pugnatum est, & quidem acerrimè, ab hora diei tertia vsque ad vesperam. Multi vtrinque cæsi, plures vulnerati. Genuensibus grauem intulerunt stragem tormenta, quæ in terra arte disposita, & naues frequenter quassabant, & si quando in pugnantium globos immania saxa inciderant, multos simul exanimabant, omnesq. formidine afficiebant. Regios maximè strauit maiorum scorpionum multitudo, quibus ea die Ligures præclarè

Acerrimus cōflictus inter Ligures & Tarracon.

Andreas Mergus.

vsi sunt. Rex neque consilio, neq. fortitudine suis defuit, sublimi equo vectus, omnia magnanimi ducis, ac strenuissimi bellatoris munia executus est, adeò vt etiam aliquandò sagittis impeteretur. Neque Ioannem, aut hostilium nauium multitudo, aut suarum pars maior pugnæ subtracta, aut tormenta vndique circumtonantia, vnquam exterruerunt; quin potius decorum se promptumque in armis gerens, vbique adfuit, omnesque variis cohortationibus ad bellum incendit, ac suo exemplo confirmauit, ita vt tandem, nullo contranitente, tutus Genuensibus in vrbem aditus patêret, atque ita obsessi commeatu ac præsidio subleuati. Interea hostilis classis haud paruo detrimento affecta, sese aliquantulum à portu, sui reficiendi causa subduxit. Ceterùm, Alfonsus hoc improspero successu haudquaquam exterritus, prout erat animo excelso, & qui rebus aduersis haud facilè succumberet, hanc labem & ignominiam se optimè aboliturum existimauit, si aduersariis reditum intercluderet. Proinde, sua classe summa celeritate instaurata, illam bipartitò distribuit, quò sese Genuensi, quæ per medios hostes transire cogebatur, opponeret. Ligur, hostilibus consiliis maturè ac diligenter exploratis, vt illis singulari sollertia & astu obuiam iret, vetus quoddam nauigium sulfure ac pice obductum, additis tot remigibus quot planè ad illius ministerium ac regimen sufficerent, ante suas naues præmisit: vtque ad inimicam classem deuentum est, nautæ, prout in mandatis habuerant, iniecto igne, statim nauigium deseruerunt. Quo spectaculo Tarraconenses mirum in modum attoniti, cùm illud flammis vndiq. refertũ, rectà versus suas naues aduentare conspicerẽt, militarem ac præscriptũ ordinem disiecerunt; adeò vt Ligusticis nauibus, plenis velis subsequentibus viã pandere cogerentur; tantaq. fuit bellicorũ tormentorũ, & sagittarum vis, vno eodemque tempore à Genuensibus emissarum, vt plerique infesti agminis subito pauore consternati, sese in mare proijcientes, in proximas ripas adnatarent; atque ita Ligures, periculis hostium deuitatis, postquam paucos dies apud Bonifacium morati essent, ibique omnia ritè dispositissent, in patriam, re admodum insigni ac memorabili gesta, læti ouanteque redierunt. At Rex, componendis Corsicanis rebus aliquanto tẽporis absumpto, vniuersam classem in Siciliam traiecit, Bonifacianos obsides secum adducẽs, obiectans populo, quòd percussum fœdus nõ satis sincera fide custodiuissent; & Siciliam præteruectus, multos, qui acceptis vulneribus graues, mari tamen se commiserant, hiberna iactatione exanimatos, sepulturæ dedit. In quîs, Odo Lusinianus, Iacobi quondam Cyprij regis filius, & iam frater, ampli funeris honore non caruit. Post Alfonsi discessum ex Cyrno insula, cùm Calui indigenæ Tarraconensium insolentiam diutius ferre nequirent, regio præsidio expulso, ad veterem Genuensium fidem atque obsequium reuersi: & hoc pacto insulares motus suppressi atque compositi fuerunt. Et quoniam hîc Andreæ cognomento Mergi, insignis vrinatoris, qui Genuensibus ad consequendam victoriam, summo præsidio extitit, mentionem habuimus, rem sanè haud ingratam lectori me facturum existimaui, si breuiter de nonnullis, quos antiquitas, vt propter pedum pernicitatem & cursum maximoperè admirata est; sic etiam posterior ætas, ob singularem nandi peritiam, quique plus in mari quàm in terris degebant, maximaque æquora velocissimè tranarunt, haud minori admiratione prosecuta fuit.

Bonifaciani subsidio sublenati.

Qui siderũ motus, statusque & interualla ac certos cõstitutosq. cursus & recursus, illorumq. vires & qualitates, mensurasq. solis ac terrę animo metati sunt; inter quos, apud Chaldęos Berosus; apud Grȩcos Eudoxus Gnidius, Aratus, Aristoteles

teles & Empedocles: apud Ægyptios, Claudius Ptolemæus: apud nostros, Iulius Firmicus, M. Manilius, & plerique alij, clari sapientiæ auctores, quos fama vulgauit, periti cælestium, qui diuinas prædictiones, decreta stellarum, ac vim fati, potestatemque subtili inquisitione collegêre, hoc inter cetera adnotarunt, illos, qui sub Delphini sidere in lucem editi fuissent, petaminarios esse; hoc est, præcipua pedũ pernicitate valere: prorsus vt admirabile videatur, quàm pernici cursu, & quàm volucri meatu magna spatia terrarum breui interuallo emensi fuerint: quamuis plerique Physici rerum non ignari, quòd his splen deficiat, propterea cursu valere contendant. Constat enim, quanto minor in corporibus splen foret, tanto perniciores homines esse. Hinc Ladas ille cursu apud auctores tantoperè celebratus, memoria dignus fuit: qui longum itineris spatium cursu tam veloci emensus est, vt nulla pedum vestigia extarent, adeò vt sæpè visum falleret. Quod verum falsúmne fuerit, nonnullis ambiguum est. Philonides quoque, Alexandri Magni cursor, qui ἡμερόδρομος dictus est, pernici cursu valuisse fertur; cui adnumeratus est Lasthenes Thebanus pernicitatis eximiæ, ita vt ab Choromo Thebas vsque cum equo cursore contenderit, & victor fuerit. Inter quæ nimirum maiori miraculo visum est, quod Plin. notauit, annos nouem genitum puerum, à meridie, ad vesperam, quinque & septuaginta passuum millia præcipiti celeritate confeciisse. Quod pænè à fide deuium, & dictu mirabile, quantum vix credi dictiqúe possit, plerisque visum est. Inter ceteros producuntur Marsi populi, singulari sidere, seu fato geniti, vt præcipua pedum leuitate ceteris præstent, ingentiaque spatia vix credibili celeritate peragerent. Tradunt quoque Troglodytas, & extimos Æthiopes natiua quadam pernicitate tantum valuisse, vt fugacissimas feras rapido cursu assequi non dubitarent. Eos quoque, qui sub Piscis astro, certo cursu stationibusque sideribus constitutis, editi essent; nando plurimum valuisse, & præcipuos natatu nonnulli tradunt. In his quoque lienis defectus multum profuisse creditur. Nam quibus deesset lien, natatu plurimum valere contendut. Horum præcipui sunt Ichthyophagi Troglodytis proximi, ceu maris beluæ, immensos tractus natatu peragrantes. Inter quos Scillis quidam Sicyonius proditur apud Græcos, omnium ea tempestate maximus vrinator, qui ex Aphetis Artemisium vsque, octoginta ferè stadia natatu breui spatio peregit. Alexander ab Alexandro, vir multiplicis eruditionis, & insignis iurisperitus, narrat, se nouisse quendam extremæ sortis hominẽ, qui nauticam operam exigua stipe locare solitus, sæpissimè piscatu vitam quæritabat, qui ab Enaria (quæ inter Pithecusas è conspectu Neapolis insula sita est,) Prochytam vsque, quod intermedij pelagi est stadiorum fermè quinquaginta, naufrago nonnunquam & fluctuante pelago, ac tempore anni difficillimo, eadem die nando measse, & nonnunquam remeasse, inuentus sit. Quod cùm vix credibile videretur, eundem pluribus ad spectaculum effusis, quò res testatior esset, promptissimum sui periculum feciisse: & cùm in Enaria se præcipitem in mare dedisset, lembum post sequentem longiùs ipsum nantem obseruasse, donec terræ appulsus, ad Prochytam incolumis elapsus esset. Sed super omnia quæ post hominum memoriam, vnquam audita, quæq. ab auctoribus prodita sunt, quod se à Iouiano Pontano accepisse commemorat, dictu mirabile, & supra omne miraculum fuit. Siquidem patrum nostrorum, inquit, memoria, Catanæ Siciliæ oppido, ad radicem Ætnæ montis sito, homo fuisse traditur, cui nomen Colan inditum ferunt, cognomento Piscis, singulari fato seu fortuna genitus, qui plus in aquis degere, quàm in terris victitare solebat; eumq. diebus singulis mare &

Nati sub Delphino.

Nati sub Piscibus.

aquas petere necessum habuisse, ibique naturæ vi & necessitate coactum, diutius degere consuesse; alioqui dicebat, fore, vt si ab aquis abesset diu, quasi respirare, & ducere vitã nequiret, idque sui exitij mox causam fore asseueraret. Quod illi, quo fato, aut sidere euenerit, in ambiguo plerique omnes reliquêre, eumque tantum nando profeciſſe, vt haud secus quàm marina bellua, maxima pelagi interualla, spatiaque immensa, quingentorum & vltrà stadiorum, fœda tempestate, & reluctantibus aquis, excellenti vi & velocitate, natatu peragraret. Notumque & illud est, dictu mirabile, cùm medio cursu naues plenis velis per æquora ferrẽtur, violentissimis interdum tempestatibus, per vastum & apertum mare, interque agitationes fluctuum & turbines, huic natanti obuiam fuisse, ipsumque nantem, ab vndis nautas suis nominibus aduocare solitum: & quia omnibus notus erat, nautas subitæ rei miraculo percitos, lætissimis animis illum in naui excipientes, vnde veniret, quóue iter intenderet, & quantum pelagi nando emensus foret, quantasque tempestates tulerit, scisciatari cõsuesse, ipsumque Colan singulis omnia significasse: mox cum sociis in naui pransum aut potum, postquam acquieuisset, mandata ad suos, quid illis dici referrique vellent, & quid faciendum arbitrarentur, à singulis accepisse: nudumque, vt erat, è naui medio iam pelago cursum tenente, se præcipitem in mare dedisse: mox Caietam, modò in Salentina, Brutia & Lucana littora, modò in Siculos fines, & natale solum, ad quod frequens ventitabat, incolumem nando peruenisse: mandata, quæ à nautis acceperat, singulis necessariis & affinibus significasse. Idque non semel facere consuesse, donec festo annuo sollenniq. die in Siculo freto effusa multitudine ad spectaculum, in portu Messanæ, vt aiunt, experiri, credo, volens, quantum præ ceteris vrinando valeret, dum pateram auream, munus natantibus tunc à rege in mare deiectam, ab imo eripere conatur, cùm se in mare mersisset, dum illius studio profunda exquirit vada, diu expectatus, ab imo maris fundo, in quod se deiecerat, nunquam emersit, neque postea inuentus apparuit. Creditur in concauas illius pelagi cauernas, quibus totus ille sinus refertus est, incidisse: ipsumque in imas voragines vorticibus rapidis semel delapsum, cùm se recipere vellet, & ad superiora niti, reuerti nequisse: cumq. diutius reluctatus, respirare nequiret, inter occursantes scopulos vndique inundantibus aquis oppressum, interiisse.

LIBER VNDECIMVS.

1421. INTEREA temporis, Philippus Mediolanẽsium Princeps, cuius in præcedenti libro mentionem fecimus, mira quadam imperij proferendi cupiditate incensus, Liguriæ imminebat, eaque de causa instructo valido exercitu, & assiduè exulibus eum ad maturandam illam expeditionem impellẽtibus, in eam vallem, quà Porcifer amnis modico fluxu in mare delabitur, descendit. Huc cùm veniſſet, nihil intentatum reliquit, quod ad rem bene gerendam pertinere videretur. Cùm verò, singulari Thomę Fulgosij vigilia atque industria, nihil, aut certè parum proficeret, nihilque citra classis maritimæ præsidium ibi se aliquid posse agere intelligeret, omnes animi cogitationes atque curas contulit, vt, parata classe, voti aliquando compos euaderet. Proinde, mercede conductis ex classe Aragonia octo triremibus, ac duabus aliis, quibus Raimundus Coruarianus, Montesianæ militiæ magister, multarum rerum experiẽtia clarus, præerat, illisq. ad

ad omnem cursum egregiè adornatis, atque Ligusticam oram obuersantibus, circa finem æstatis delectas equitum ac peditum copias, ductu Guidonis Taurelli, nobilis Mantuani, & domi militiæque illustris, per Feritoris vallem emisit. Est autem Feritor haud magnus, sed rapidus admodum amnis, quem Bisamnem vulgò nominant, qui ex montibus Bargaliæ præcipitatus, Orientale vrbis latus pænè verberat. His copiis Thomas Fulgosius, qua erat animi celsitudine, haudquaquam animo consternatus, quàm strenuissimè restitit, maiorique rerum maritimarum, quàm terrestrium ratione habita, octo triremes egregiè instructas, sub Baptistæ sui fratris, cuius singulari virtute atque industriæ plurimum confidebat, imperio aduersus hostem ablegauit. Hic ergo Finarium versus, vbi classem Philippicam simul coniungendam pro certo intellexerat, nauigationem eo consilio direxit, vt protinus cum hoste congrederetur. Verùm is, vt primùm inimicam classem sibi imminere prospexit, & nondum illas duas triremes, quarum proximè meminimus, in promptu haberet; ibi neutiquam præstolatus, non ausus fuit æquali nauigiorum numero confligere; prorisque retrò actis, sese quàm celerrimè in altum proripuit, adeò vt in ea festinatione, vna ex triremi, continenti propinquior, capta sit, & deinde incensa. Reliquæ nactæ opportunitatem, qua sese illis duabus associarent, versus portum Pisanum contenderunt: nec procul ab Arni fluminis ostio in vnum omnes conuenêre. Interea, Fulgosius ibi tandem infestam classem assecutus, nõ ita procul à portu cum hoste congressus est, eo quidem successu, vt, inito certamine, quod sanè per aliquod temporis spatium fuit atrox, atque ambiguum, ipse, amissis quinq. triremibus, cum plerisque aliis in aduersariorum potestatem deuenerit. Reliquæ autem remigum celeritate ac beneficio incolumes euaserunt. Hæc clades, simulac Genuæ cognita est, non solummodò Principis, verùm etiam omnium ordinum animos mirum in modum commouit. Proinde cùm se viribus imparem, & vrbem assiduis bellis grauissimè afflictam, simulque ob rem infeliciter gestam, plerorumque ciuium studia in aduersam factionem sensim inclinare animaduerteret, omnes cogitationes & pristinum illud animi robur, quo dubiis sæpè rebus aduersariorum suorum conatus superarat, & represserat; maluit ad quietem ac otium priuatum transferre atque conuertere, quàm Rempub., cui iam sexenniò, cum maxima sui nominis laude, nec minori totius Reipub. beneficio, præfuerat, in manifestum discrimen ac planè vltimum exitium adducere. Fratrum igitur, atque aliorum, quorum potissimùm consilio in rebus arduis atque perplexis vtplurimum vtebatur, persuasionibus inflexus, vrbis imperium Mediolanensium Principi vltrò cedere constituit: missisque ea de causa ad ipsum, & passim ad castra, quæ iam vrbi imminebant, oratoribus, cum eo iisdem conditionibus transegit, quibus olim, anno supra millesimum trecentesimum nonagesimo sexto, Antonius Adurnius, Carolo Galliarum regi, eiusdem Reip. administrationem, vti antea memoraui, tradiderat. Hoc pacto florentissima Respub. quæ toties sub hoc tanto Principe in periculum adducta, vacillauerat, & ab aduersariorum violentis manibus egregiè tutata, & conseruata fuerat, paulatim Ducali potentia mutuisque dissensionibus ita labefactata est, vt externo imperio subiecta, vix aliquam pristinam formæ imaginem vel vestigium vllum retineret. Cetetùm, Fulgosium Resp. publicæ gratitudinis testimonio est prosecuta. Nam eidem, quòd bene illam administrasset, iussu Senatus aliorumque Ordinum consensu, ex ærario publico, triginta aureorum millia, in subsidium rerum domesticarum deprompta sunt: nec tanta munificentia Resp. contenta, octauo Cal.

Feritor amnis.

Conflictus nauālis cum clade Genuensium.

Genua sub Philippi Mediolanensium Principis imperio.

Decemb. Sereſanam, cum aliquot aliis circumuicinis locis, inſuper illi ad tempus fruendam conceſſit, & Spinetæ ipſius fratri, pro vrbe Sauona quindecim aureorum millia Senatus iuſſu annumerata. Hac incredibili liberalitate & publico ciuitatis iudicio cùm mirificè ipſi Fulgoſio ſatisfactum eſſet, vrbe exceſſit, quem Guido Taurellus, & plerique patricij ordinis viri, honoris cauſa ad mare vſque comitabantur, ſtatimque pars Inſubrici exercitus in vrbem intromiſſa fuit, & Ducis Mediolanenſium nomine Reip. adminiſtrationi Franciſcus Carmaniola eius legatus, vir bellica virtute, rebuſque geſtis, ea tempeſtate, celeberrimus, præpoſitus, cui etiam Caſtelleti arx, & reliqua loca Liguſtici imperij, prout ex pactis tenebantur, eodem tempore conſignata. Verumenimuerò, quia Inſuber nequaquam ignorabat, ægrè ac difficulter Rempub., propter ſubſecutas conuerſiones, retineri poſſe, niſi abſolutam quandam & plenam in eam ſibi poteſtatem vſurparet; nihil habuit antiquius, quàm vt ad reſcindendum omnes futuras moleſtias atque ciuiles contentiones, Senatum per ſuos internuntios & adminiſtros aſſiduè ſolicitare, vt totius Reipub. imperium citra aliquam exceptionem, vel poteſtatis reſeruationem, ſibi permitteretur: multiſque largitionibus & beneficiis præſtantiſſimum & optimum quemque ex Patribus, aliiſque primoribus, ſibi promereri ac deuincire ſtudebat. Hæc eius munificentia & miſſica liberalitas, vſque adeò Senatum, alioſque patricij generis viros inflexit, vt, neglecta Reipub. priſtina dignitate, poſthabitoque publico bono, quæſtui priuato inſeruientes, Rempub., ipſo Carmaniola in hoc plurimum allaborante, eius arbitrio ac voluntati omni ex parte ſubijcerent. Primo itaque ſub eius Principatu, ac Petri Barbiſoncini prætura, anno eiuſdem æui ſecundo ac vigeſimo, Genuæ, auſpiciis Franciſci Spinulæ Othoboni, qui, præter natalium ſplendorem, ac eximias animi corporiſque dotes, iure obſequij plurimum ſibi gratiæ & fauoris apud eum conciliarat, ſeptem naues contra totidem Aragonias inſtructæ ac emiſſæ fuerunt. Sed quia Tarraconenſes, immutato curſu, nihil vlterius auſi ſunt, infectis vtrimq. rebus diſceſſum. At claſſis Liguſtica, priuſquam Genuam rediret, in Sardiniam præteruecta, oppidum, cui nomen Longoſardum, vi expugnauit. Proximo anno, Philippus cum Ioanna ſecunda Neapolis regina, aduerſus Alfonſum, quem paulò antè in filium adoptarat, moxque ipſo abdicato, Ludouicum Andegauenſem in eius locum ſubſtituerat, ſocietatem ac fœdus iniuit, ideoque Genuæ in Senatu, eiuſdem Principis iuſſu, pro Neapolitani regni, ab Alfonſo occupati, recuperatione de cogenda claſſe deliberatum fuit. Et licet his temporibus publicum ærarium valdè attenuatũ ac propemodum exhauſtum eſſet, nihilominus tanta fuit omnium ordinum promptitudo, & ciuitatis ſuo Principi gratificandi ſtudium atq. alacritas, vt, ſolicitante in primis eodem Carmaniola, vrbis Præfecto, in eius vſum ſupra ducenta millia florenorum ex ærario publico permiſſu Senatus deprompta ſint, & inſuper valida & præpotens claſſis præparata; quæ ſanè paucis diebus interiectis, omnibus rebus ad bellum neceſſariis egregiè inſtructa, tredecim magnarũ nauium, ac totidem triremium, numerum æquabat: eique expeditioni ab Inſubro Guido Taurellus Imperator renuntiatus, qui menſe Decembri, vbi primùm ſacris de more operatus eſſet, è ſinu Liguſtico ſoluens, proſpero ventorum afflatu, Caietam, quæ Alfonſi præſidio tenebatur, peruenit. Ad tantæ claſſis conſpectum vniuerſa ciuitas, ceterique præſidiarij milites ſummoperè conterriti, & omnibus rebus ad defenſionem neceſſariis malè inſtructi, ſumma neceſſitate adacti, non expectata aliqua hoſtili vi, deditionem fecerunt, ea in primis conditione, vt ſalui atque incolumes dimitte-

1422.

1423.

mitterentur. Quo impetrato, nulla mora interposita, vrbe excesserunt, & illa, reginæ Ioannæ nomine recepta. Caietanorum exemplum quamplurima loca maritima secuta, se pari modo Genuensibus dediderunt. Inde Neapolim classis admota. Alphonsus, paucis antè diebus, de his tantis apparatibus per suos nuntios ac exploratores cõmonefactus, minimè sibi expedire videbatur, vt ibi hostẽ opperiretur. Quocirca, Neapolitanæ vrbis custodia Iacobo Cadoræ, viro, ea ætate, rei bellicæ gloria insigni, demandata, postquam Neapolitanis, adhibito etiam iureiurando, promisisset, se breui cum magna militari manu ad vrbis præsidium redituru esse, cum quatuordecim, siue, vt aliis placet, quindecim longis nauibus, in Hispanias enauigauit, & in itinere Massiliam, percelebrem Galliæ Narbonensis vrbem maritimam, atq. olim sedem ac magistram studiorum, locum Græca comitate, & prouinciali parcimonia mistum ac bene compositum, cùm tenui præsidio firmatam intellexisset, prima luce de improuisò adortus, vi expugnatam diripuit, & maiori ex parte incendit; moxque cum ingenti præda, sacris ossibus, siue, vt hodiè vocant, reliquiis D. Ludouici Andegauensis, quondã Tholosatium Episcopi, secum asportatis, Valentiam, vnde primũ soluerat, ouanti similis inuectus est. Cadora interim, cùm se militum numero ac viribus longè imparem esse animaduerteret, desperatis auxiliis, ne belli extrema experiri cogeretur, de primorum ciuium consensu, cum Præfectis Ligusticæ classis de deditione agere incepit; & in primis quidem petebat, vt sibi certa quædam pecuniarum summa, vnde etiam suo militi debita stipẽdia darentur, persolueretur. Huic rei cùm à Philippo breui prospectum esset, vrbem, prout conuenerat, tradidit; eaque nomine reginæ recuperata, & classis victrix, electis prius Neapoli omnibus Hispanicis præsidiis cum illorum ducibus ac Præfectis, quinto, ex quo soluerant, mense, nempe sexto Cal. Iunij, Genuam incolumis reducta est. Cetera, aliquot iurgia & altercationes recèns inter trierarchos, & nauium, vt ipsi vocant, patronos, effecerunt planè, vt longè infra hominum existimationem atque propria merita, à Rep. reduces exciperentur. Non parum etiam impediebat ouationem & publicum gaudium dolor & indignatio propter conturbatam vexilli Georgiani solitam, & longo vsu receptam cærimoniam, exorta. Quandoquidem, Insubrici Præfecti, vt omnem pristinæ libertatis imaginem penitus extinguerent, huic veteri sollemni consuetudini sese fortiter opponebant, rati, hoc modo Principis sui dignitatem longè cum maiori existimatione in Rep. conseruari, atque ab omnibus suspici debere. Hæc tamen tanta illorum aduersatio impedire non potuit, quò minus magna ciuium frequẽtia vexillum implicitum in ædem vsque Georgianam de more comitaretur, & populari applausu propter rem feliciter gestam, Reipub. congratularetur. Quod quidem Mediolanensium Principis animum adeò exacerbauit, vt statim, re intellecta, non sine maxima totius fermè ciuitatis indignatione ac fremitu, vexillum ipsum ad se perduci iuberet: siquidem ita natura comparatum esse videmus, vt ea ciuitas, quæ diu aliquam libertatis speciem atque imaginem apud se retinuit, maiori inuidia & contumelia affici nequeat, quàm si, oppressa libertate, penitus vniuersis suis veteribus institutis atque immunitatibus spolietur. Quocirca, populus Genuensis grauissimis de causis commotus, licet sese vltrò, sub certis conditionibus, vti diximus, Mediolanensium Principi subiecisset, nihilominus tamen, cùm adhuc certa quædam præteritarum victoriarum memoria subinde omnium animis ingereretur, planè fieri nõ poterat, quin dudum compressa indignatio & dolor erumperet: quæ sanè temporis decursu, sensim accedentibus nouis iniuriis, maximas

Massilia à rege Alfonso direpta & incensa.

Deditio vrbis Neapolis.

1424.

turbas in eundem Principem excitarunt, nec modicam defectionis ansam, vt mox enarrabimus, præbuerunt. Hoc statu rerũ, Iulius Alfonsi frater, ex citeriori Hispania cum quatuor ac viginti triremibus, valido milite aliisq. bellicis apparatibus quàm opportunè instructis, soluens, classem aduersus Ligures quinto Non. Sextilis eduxit, & rectà in Corsicam adnauigauit; primaque luce, milite in continentem exposito, Bonifacium adortus est, eo quidem exitu, vt, quamuis maiori ex parte oppido potiretur, tamen oppidani, resumptis animis, summa alacritate & robore hostilem vim repressérint, ita vt hostes quãprimùm sese non citra cladem in classem recipere, atq. adeò ea insula excedere cogerentur. Quoniam verò indies magis atque magis inter Alfonsum & Philippũ bella recrudescebant, Philippo expedire visum fuit, vt Carmaniola, relicta rerum vrbanarum administratione, bellicis rebus denuò vacaret. Priusquam verò vrbe excederet, illi, ex Senatus consulto, annuum stipendium, nempe octo millium librarum, sicuti Genuensibus Ducibus quotannis, de more, longo vsu recepto, tradi consueuerat; & mox in eius locum Iacobus Isolanus, titulo D. Eustachij purpuratus, Bononia oriundus, communibus Patrũ suffragiis substitutus est, cui ex eiusdem Senatus decreto, annuum stipendium duodecim millium librarum attributum fuit. Hoc nouo Præside vniuersa ciuitas alacrior facta, multo maiori studio, quàm antea, vrbana commercia, & externas negotiationes resumpsit. Nam etsi Respublica innumeris fortunæ casibus, & planè periculosis conuersionibus hactenus agitata foret, incredibili tamen ipsius beneficio acciderat, vt his tantis procellis non obstantibus, plerorumque locorum, quæ in partibus Orientalibus habuerat, possessionem atque imperium semper retinuerit: inter quæ sanè Famagusta, Chius, Pera, Samastra ad pontum Euxinum, sita in Taurica Chersoneso, iuxta flumen Parthemium, antiquitus Amistris vocata, Soldaia, Gembalũ, & Tanais in Męotica palude, qui diuidit Asiam ab Europa, adhuc ipsius imperio subijciebantur; necnon in vrbe Sauastopoli, ac etiam Bosphoro, cum dominis etiam Synopæ ac Trapezuntis, mutua fœdera & conuentiones habebant: quorum deinde locorum ditionem progressu temporis cùm ob Turcicam tyrannidem, tum verò ob mutuas simultates ac intestina odia, sensim amisit. Chium tamen diutius quàm reliqua loca, sub suo imperio ac ditione habuit. Vt verò ad propositum reuertar, Philippi opes tam domi, quàm foris, ad tantum potentiæ atque imperij culmen deuenerant, vt eo potissimùm nomine iam plurimis Italiæ Principibus, ac populis valde suspectus & formidabilis redderetur; præsertim verò Florentinis, qui propter summum discrimen, in quod, paucis retroactis temporibus, viuente scilicet Ioanne Galeatio ipsius parente, inciderant, Ligustici imperij accessione illius potentiam haud exiguo robore ac præsidio firmari & constabiliri intelligebant. Proinde, anno eius sæculi quinto ac vigesimo, cum Alfonso, arctissimo fœderis iure sese obstringentes, huius ope & patrocinio trium ac viginti triremium classem expediuerunt, qua, omni militari apparatu instructa, oram Liguscam longè lateque depopularentur ac diuexarent. Et quò sibi ea expeditio felicius magisque ex animi sententia succederet, Thomam Campofulgosium, eo tempore Serazanæ priuatam vitam agentem, per suos internũtios crebrò adhortati sunt, vt patriam, ex dira Philippi tyrannide ereptam, in pristinam libertatem asseereret: in quo sanè illi omnem suam operam ac studium pollicebantur. Fulgosius, hęc Florentinorum cõsilia nequaquam aspernatus, occasionem, etiam tam obuiam, minimè sibi prętermittendã vel negligendã statuit, ea potissimũ spe ac planè fiducia illectus, quòd minimè ignoraret, sibi in ciuitate nõ defutura plurimorũ præstantissimo-

Genuenses quàm latè olim dominabantur.

1425.

tissimorũ ciuiũ studia, qui Insubricũ imperiũ, dicam, an iugũ, aspernati & exosi, votis omnibus optabant, in veterem libertatem quacunque ratione reponi, inter quos præsertim illi erant, qui Guelficæ factioni adhærebant, nimirum cũ Philippus Gibellinam profiteretur. Quapropter, nulla cunctatione admissa, cuin Nicolao, & Ioanne Aloysio, nobilissimiæ familiæ Fliscorum tunc præciputs, qui sese ea tempestate in suis arcibus & municipiis continebant, communicatis consiliis, classem conscendere, seque apertum Reip. hostem declarare constituit. Igitur quarto Idus Aprilis, intempesta nocte, in conspectu ciuitatis haud longè à portu aliquandiu substitit, & aliquam seditionem in vrbe excitatum ir arbitratus, classem propiùs admouit, vt Fulgosium nomen, alta voce, dedita opera, à classiariis sæpius ingeminatum, ab oppidanis exaudiretur. Postquam verò, nihil non quietum, suisque locis valida præsidia disposita animaduertit, in Orientalem oram, vbi ipse tunc temporis magnas clientelas, & fidos amicos habebat, conuersus, oppidum atque arces portus Delfini subita accessione occupauit, vicinorumque animis ad defectionem solicitatis, complures indigenas in partes suas deduxit, ita vt, modico spatio interiecto, Monilia & Sextrum ad eum transirent, vbi Florentini suas copias dispofuêre, quò illinc multò facilius per vniuersam illius sinus oram excurrerent, ac subinde vrbi haud parua detrimenta inferrent. Ligusticum etiam mare adeò infestum & impacatum sua classe reddiderant, vt nullus temerè vel commodè ex ora Ligustica nauigare auderet, vel posset. Hi bellici apparatus, simul atque Philippo innotuêre, ne inde aliquid maioris damni acciperet, omni studio sibi aduersariorum conatibus maturè obuiam eundum statuit. Itaque collecto exercitu, tametsi illius duces aduersus Florentinorum copias res aliquando prosperè gessissent, contractis postremò vtrinque viribus, magno discrimine pugnatum est: sed tandem pars maxima hostilis equitatus capta & armis exuta, cum ipso etiam illius duce Carolo Malatesta, viro insigni ac memorabili, vt qui ea tempestate, neque generis claritudine, neque rerum gestarum gloria, vlli regulo Italiæ cederet. Huic, cùm Mediolanum captiuus perduceretur, Philippus, honoris ergò, extra vrbem obuiam prodiisse dicitur, ac eum non secus ac parentem, omnibus tẽporibus coluisse. Iisdem diebus, Insuber classem quoq. instrui atq. armari iussit, quæ duodeuiginti triremiũ, & aliquot prægrandium nauium erat, inq. remigum supplementum, accolas Padi fluminis eò transmisit, ac tertiã propè totius sumptus portionẽ deprompsit. Classi autẽ, Antonium Auria, cuius virtus domi militiæq. haud sanè parum inclaruerat, præesse voluit. Ad hæc, vt terrestribus copiis, quæ denuò ab hoste instauratæ fuerãt, resisteret, illasq. profligaret, quinq. pedestriũ virorum, equestriũ verò tria millia describi imperauit, qui omnes aduersus Thomam, eiusq. fratres, duce Nicolao Tertio, cognomento Bellatore, versus fines Placẽtinos profecti, Segestam, priusquam classis adornata esset, peruenerunt, & in patenti campo, acie vtrinq. disposita, cõmissum est prælium, equestre primùm, duce Baptista Fulgosio, & egregiè, ac fortiter vtrisque pugnantibus, incerta victoria discessum est. At cùm postera die Tertius suas copias iterum in aciem educeret, Insubres milites haud obscura, tanquã Panici pauoris, signa edidêre, vixque conspecto hoste, loco dimoueri poterant. Vbi verò diuulgatum est, Ioannem Ludouicum Fliscum, à Pontremulo, Taroque, cum lecta iuuentutis manu descendere, tum demum ante teli iactum disiectis ordinibus, & in fugam versi, per inuia & inaccessa præcipites ferebãtur, adeò vt hostes, immo dicam sine vlla graui causa trepidationem dolos suspicati, aliquandiu presso gradu subsisterent. Postquàm verò insidias longè abesse intellexerunt, non modò

Insubrum clades.

modò equitatus, sed etiam pedites ac socij nauales (nam Antonius Auria initio huius belli, cùm nondum classis in procinctu extitisset, correptis aliquot onerariis, & pro angustia temporis raptim instructis, Segestam profectus fuerat, vt, collatis vtrinque viribus, terra Tertius, ipse mari hostes vrgeret) fugientes insecuti, tela, scuta, magnamque armorum vim passim abiectorum inculcates, haud multis cæsis, quàm plurimos ex hostibus cepêre, in quibus etiam Iacobus Illius Brixianus, & plerique alij principes viri, capti sunt. Quos nisi Clauarum oppidum fugientes excepisset, vix eorum quisquam hostiles manus effugisset. Hac clade intellecta, cùm classis Philippica iam parata atque instructa, neutiquam vlterius progrederetur; non dubium est, quin Fulgosius, si præsenti occasione ac fortunæ beneficio vti sciuisset, voti compos, integra victoria potitus esset. Cetcrùm, ipsi hoc tempore non secus euenit, quàm quod Annibal sibi accidisse aiebat, nempè potiundæ sibi vrbis Romæ modò mentem non dari, modò fortunam. Philippus interim, quòd magna suspicione duceretur, optimatibus ciuitatis cum ipsis Florentinis, atque adeò cum exulibus & Reipub. hostibus tacita consensione conuenire, plerosque eorum Mediolanum exciuit, eosque, indicta causa, per anni integri spatium, non citra magnam inhumanitatis notam, & incredibilem totius Reip. mœrorē atq. varias querimonias, in libera custodia retinuit. Horum nomina fuerunt, Baptista Cicada insignis Iurisconsultus, Stephanus Cataneus & ipse iuris peritia clarus, Franciscus Auria, Bartholomæus Spinula, Valeranus Lomelinus, Gregorius Marinus, Nicolaus Fliscus, Raphaël Adurnius, Thomas Promontorius, Oliuarius Marruffus, Bricius Adurnius, Nicolaus Iudex, Baptista Leonardus, & Paulus Onelius. Verumenimuerò cùm belli diuturnitate ac periculi magnitudine vrgeretur, neglecta rerum politicarum cura, operæ pretium fore duxit, tempore tam necessario optimum quemque ex omni ordine in ea ciuitate sibi recentibus beneficiis, vel præmiorum spe promereri ac deuincire. Intelligebat siquidem sagacissimus Princeps, nihil tutò, vel præclarè geri posse, nisi qui maximè in vrbe opibus & auctoritate florerent, quàm coniunctissimos sibi haberet. Proinde inusitatis artibus progressus, circa initium anni eius æui sexti ac
1426. vigesimi, Francisco Spinulæ municipium, vulgò Pieue dictum, & vallem Arrociam dono dedit, eo quidem prætextu, quòd ipsi Resp. octo millia librarum persoluere teneretur. Isnardum verò Guarcum, Ouada Liguriæ oppido haud ignobili, quod quidem nescio qua iuris specie sibi vendicabat, præter multorum expectationem donauit. Reliquos etiam ex præcipuis, inter quos fuit Carolus Lomelinus, vir equestri ordine ac dignitate, qui de illius consensu Albintimilium vnà cum arce, tribus aureorum millibus ipsi prius mutuò traditis, occupauit, magna ostensa animi benignitate atque insolita clementia in nouam spem erexit. Circa hæc tempora, vel paucis antè mensibus, cùm Rex Tunetanus, nonnullos Ligustici nominis apud se in vinculis haberet, Mediolanēsium Princeps pro eorum redemptione Cambium Bononiensem, & Vrbanum titulo S. Aloysij, cum duabus Liguslicis nauibus, nimirum Viualda & Squarciafica, ad eum ablegauit, quibus etiam Senatus Ambrosium Spinulam adiunxit; hique secundis ventis in Africam delati, ac Tunetum appulsi, vbi ipsi regi suam legationem exposuissent, comiter atque amanter excepti fuerunt; & peractis rebus, Genuam, voti compotes rediere. Dum res ita geruntur, subsecuta est pax inter ipsum, & Alfonsum, mense Aprili inita, qua Insuber, inter cetera, se recepit, Aragonio Caluum & Bonifacium, præcipuas Insulæ Corsicæ arces & munimenta, daturum; ad cuius promissi maiorem securitatē, ipsi arces portus Lunēsis & Ilicensis, quoad illę tra-

Loca euulsa à Rep. sub externo dominio.

deren-

derentur, fruendas concessit. Hæc sanè tantarum partium à Repub. auulsio, præsertim ipsis omninò inconsultis atque insciis, facta, protinus tantam in omnium animis indignationem & abalienationem concitauit, vt nemo in ciuitate esset, qui non stoliditatem Senatorum aliorumque Procerum damnaret, quorum consilio & auctoritate euenisset, vt, præfocata libertate publica, Reipub. administratio externo Principi, non sine grauissimo ac planè perpetuo Ligustici nominis dedecore, nec minori dispendio, commissa esset. Bellum tamen aduersus Remp. à Florentinis motum, nondum erat restinctum. Sed Florentini, quò faciliùs Philippicam potentiam defatigarent, subinde Ligusticam oram, ducibus Andrea Marino, Iuliano Torpiano, & Petro Verro, maritimis excursionibus ac prædationibus infestabant. Quorum conatibus vt obuiam procederetur, ductu Bartholomæi Iustiniani, quatuor triremes paratæ ac emissæ fuerunt, breuique tempore interiecto, tres hostiles triremes eiusdem Iustiniani præfectura, non ita procul à D. Mauritij portu, duodecimo Kal. Iulij, consertis manibus, captæ, atque Genuam perductæ. Quo rerum successu non parum conterriti Etrusci, denuò Fulgosium in suas partes ac studia deduxêre. Hic igitur aduersus patriam arma ferre minimè grauatus, proximo vere Antonio Fliſco ac Florentinorum legato sese comites præbentibus, cum quadringentis equitibus, & octingentis peditibus, oram maritimam ingressus, vsque ad vrbem, prius indigenis trium Vallium ad defectionem sollicitatis, produxit, popularique nomine, sublato clamore, identidem ingeminato, vrbis mœnia, quà Feritor amnis decurrit, summo impetu adortus est. Ceterùm, tanta fuit præsidiarij militis in repellendis hostibus fortitudo ac robur, vt ipsi, relictis scalis, aliisque machinis bellicis ad deturbandum defensores admotis, inde confestim cum summa sua ignominia, nec minori detrimento, re nequicquam tentata, recedere coacti sint; præsertim cùm constans fama passim obtinuisset, Liguri ex Gallia Cisalpina subsidiarium militem breui aduenturum. Fulgosius igitur præter spem & expectationem hoc modo repulsus, summa celeritate, in municipium, vulgò Villa de quarta dictum, se cum suis recepit, ac Ligusticum agrum, non modicis incommodis, quoad eius fieri potuit, affecit. Quandoquidem reparata in Fascio monte illa munitione, quæ paulo antè ab hoste ibidem erecta fuit, facilè, citra aliquod suum, suorumque periculum, illinc subiectum agrum variis excursionibus inquietabat. Qua sanè in re haud parum adiuuabatur duarum triremium Florentinarum, & vnius Monœci auxiliis, quarum opportunitate ita vtebatur, vt facili negotio absq. vllo discrimine in variis, ac planè in quibus vellet locis, militem suum in continentem exponeret. Quocirca Genuenses præsentis periculi, tamque infensi hostis vicinitate commoti, omnia consilia & rationes inibant, vt eius conatus reprimerent, & quàm longissimè à ceruicibus suis impendentem gladium repellerent, instructisque quatuor validis nauigiis, strenuo milite atque omnibus armamentis necessariis peropportunè armatis, auspiciis Arami Saluagij cõtra hostes eduxerunt. Verùm, cùm illi se subducerent, atque inferi maris oram euadere conarentur. Saluagius eos tanta celeritate insecutus est, vt ad montem Rubrum eos consequeretur. Monœca triremis, cuius præfectus erat Ioannes Grimaldus, eius loci tum Dominus, præsens periculum conspicata, repentè sociis derelictis, se præcipiti cursu in altum proripuit, ita vt duæ Etruscæ, huius adminiculo destitutæ, paruo negotio in Genuensium potestatem deuenirent, licet aliqui tradant, vnius triremis trierarchum lembo in continentem cum aliquot suis sociis incolumem euasisse. De altero, qui erat Antonius Falconus, ciuis Sauonensis, nõ dubitatur,

1427.

Genua à Thoma Cãpofulgoſio ac Fœderatis nequicquam tentata.

quin

quin Genuam viuus cum reliquis omnibus captiuus perductus sit, & ibi postmodum cum suis ignominiosa morte interemptus. Hic naualis prœlij successus effecit, vt terrestres illæ copiæ supramodum deterritæ, præfatum munimentum desererent, atque Reccam se reciperent: sed nihilo secius quietiores facti, quam primùm ibi nouas turbas & seditiones concitarunt. Siquidem Fulgosius, cùm sperasset, Genuæ, cum propter Philippi tyrannidem, tum suam in recuperanda libertate constantiam, nequaquam plurimos defuturos defectionis auctores, & qui arma expedirent, ibi paulisper subsistebat, & interdum ex parte Occidua in eas Valles descendens, periculum faciebat, num qua seditio exoriretur; ac etiam denuò illinc ex plurimis locis, vrbem, licet fruſtrà, adortus est, adeò vt cùm subinde incœpto pertinaciùs inhæreret, ea expeditio prorsus infelicem exitum sortiretur. Nam oppidani, nouarum virium accessione, hostiumque imbecillitate intellecta, de vnanimi sententia illos inuadere constituerunt. Proinde cùm ipsi iterum ex ora Orientali castris motis, sese in Vallem Feritoris, vulgò Bisamnem, recepissent; hostis, de improuisò eruptione facta, & illos magno impetu aggressus, eo successu dimicauit, vt quàmplurimos eorum contrucidarit, & potiorem cataphractorum ac peditum partem ceperit; inter quos, ex præcipuis Frescobaldus Florentinorum legatus, & Comes Bartholomæus Ferrariensis, ipsorum præfectus, in Ligurum potestatem deuenerunt. Fulgosius, ea clade haud parum perculsus, aliquandiu ab incœpta expeditione destitit, & Seresanam reuersus, commodiorem bene gerendæ rei opportunitatem præstolabatur. Antequam verò vlterius progrediar, id etiam obiter annotare licuit, nempè hoc anno hiemem omnis & glaciei & frigoris expertem fuisse, quodque non caret admiratione, mense Decembri passim arbores floruisse, quin & fructum protulisse adijciunt: quę sanè aëris virulenta excretio mox etiam terras & maria peruagata est. Interim subsecutus est annus duodetrigesimus, cuius initio Mediolanensium Princeps, in locum Iacobi Isolani, domum reuocati, Bartholomæum Capram Cremonensem, eundemque Mediolani Antistitem, virum insignem, atque ab omni virtutum genere commendatum, suffecit; sub quo neutiquam defuerunt noui Reip. perturbatores, ac, præter ceteros, Barnabas Adurnius, eius factionis facilè princeps, qui ea tempestate incertis sedibus vagabatur. Is sanè cùm propter Ducalem potentiam aperto Marte confligere non auderet, opera cuiusdam sacrifici, cuius fidei atque amicitiæ plurimùm confidebat, vrbis arcem, in quam ipse liberum accessum habebat, occultis atque clandestinis consiliis occupare studuit. Quapropter summo silentio in Pociferam vallem profectus, circiter quingentos ex suis clientibus & amicis ad arcem, eius rei perficiendæ gratia, ablegauit. Verùm, cùm ea proditio per exploratores Ducali præfecto innotuisset, omnes magna quadam calliditate ac stratagemate comprehensi, & maior pars in crucem acti, laqueo vitam finiuerunt. Adurnius, ea re intellecta, se statim vnà cum suis asseclis & familiaribus, Vultubium recepit, eo quidem consilio, vt nouas turbas daret. Vbi verò id Genuæ perlatum est, Præses confestim Isnardum Guarcum, virum consilio manuque promptum, cum haud pœnitenda manu contra eum destinauit; ad cuius aduentũ Adurnius exterritus, inchoatam expeditionem, nec sine aliqua clade, parique euentu, quo paulò antè Fulgosius, relinquere coactus fuit. Iisdem fermè diebus, cùm Insuber, Florẽtino, ac Veneto bello implicitus, denuò Brixia, excidisset, resq. Ligusticæ supramodum fluctuarent, Philippus, Mariam Amedei Sabaudiani Ducis filiam, sibi matrimonio iunxit, simulque interim Alfonsum ad Neapolitani regni recuperationem summoperè adhortatus, ad eam promouendam

Mitissima hiems.

1428.

Proditio patefacta.

uendam ipsi omnem suam operam & studium pollicebatur, confisus fore, vt ab vtroq. aduersus hostes in bello iuuaretur. Cùm verò Alfonsus eam expeditionem noctes dieſque meditaretur, simulque ad eam rem perficiendam Genuensium opes, ac maritimam potentiam, sibi maximo vsui & adiumento futuram, prospiceret, vbi primùm Philippo gratias egisset, vt eos sibi arcta benevolentia obstringeret, splendidam atque honorificam legationem ad Senatum habuit. Oratores fuerũt Bernardus Coruarianus, & Andreas Bibrius, illustres equites, ac singulari prudentia multoque rerum vsu exercitati; quibus etiam Berengarium Clauellum, insignem iurisperitum, & præclaris dotibus ornatum adiungere placuit. Hi omnes Genuam appulsi, moxq. in Senatum intromissi, & causa suæ legationis exposita, breui pòst, eiusdem, aliorumque Ordinum decreto, inscio & inconsulto Præside, quatuor viri creati sunt, quibus renouãdæ cum rege pacis arbitrium committeretur, nempe, Barnabas Godaneus, vtriusque iuris clarissimus interpres, Clemens Squarciaficus, Thomas Iudex, & Gaspar Lercarius, qui mense Maio cum regiis legatis pacem nomine populi Genuensis, nulla habita Philippi mentione, iunxerunt. Genuenses etenim, licet Insubrico imperio maiori ex parte subijcerentur, tamen enixè dabant operam, vt per occasionem in plerisque rebus veterem libertatis imaginem, in administranda Rep., quoad eius fieri posset, veluti etiam superius ostendimus, retinerent. Quæ sanè vsurpata licentia, quanuis Philippi animum, suapte natura magnum & excelsum, haud parum offenderet; ipse tamen ingeniosus simulandi atque dissimulandi artifex, æquo animo, vt præsenti temporis conditioni commodiùs inseruiret, ferre videbatur. Proximè narrauimus, præcedentis hiemis incredibilem intemperiem, atque clementiam. Ceterùm æstate insequenti, ingens & insolita Italiæ siccitas inter prodigiosa certè haberi posset, ab iis præcipuè, qui assiduitatem imbrium, inundationes fluminum, & quicquid modum excessit, inter prodigia numerãt. Nam cùm ab exitu Iunij vsq. ad septimum Idus Decembres, nullus, ne minimus quidem, imber terras perfudisset, non torrentes modò, sed vberrimi quoque fontes prorsus exaruerũt. Intra vrbem certè, Fonte amatorio, Fonte riui turbidi, & quem Puterellum vulgò nominant, sponte exiccatis, dantibus operam præfectis portus ac molis, purgati omnes sunt, quod viuentium nemini antea vidisse contigerat. Plus tamen metus, quàm calamitatis ea res attulit. Nam neq. agrorum sterilitas vlla, neque annonæ caritas ob id secuta est. De sicco autem, seu siccitate, ac cæteris qualitatibus elemẽtorum, videre est apud Stagiritã, libro De ortu, & interitu, itemque lib. 2. De partibus animalium cap. 3. vbi multa, vt pleraque alia, eruditè differit. Porrò, vt hoc in præsentia breuiter dicatur, hæc diuturni squalloris causa conuenienter referri potest in illam ineluctabilem naturalis vicissitudinis legem, quòd, alternata contrariorum permutatione, rerum æternitas constet. Sic enim & in homine diuturnas febres, natiui caloris dissipatione, sequitur hydrops; sæpè & hydropem, intercedente putredine, febris; vnde & magnam siccitatem magni imbres insequi solent. Sic & à pluuiis diuturnis, calores immensi redeunt, & aperta serena, quod vti per continuas pluuias densata tellus, tum vaporibus, tum attrahenti calido viâ intercludit: sic inter squallores assiduos, aliunde per æstuantes venas attracta vaporum atq. exhalationum copia perennis pluuiæ circuitum præstet. Ceterùm de his hactenus dictũ sit. Philippo, rerum gubernaculis adhuc Genuæ admoto, Barnabas Adurnius, cuius suprà mentionem fecimus, iterum anno eiusdem sæculi vndetrigesimo, cùm sponte sua, tum etiam crebra illorum, qui Philippo aduersabantur, cohortatione incitatus, in proximas Valles cum

Siccitas prodigiosa.

Vnde nascatur siccitas.

1429. *Mediolani Antistite, vrbis præfecturam gerente.*

ſtrenua bellatorum manu deſcendit; & quò ſeſe tutiùs communiret, vrbemque faciliùs diuexaret, nõnulla propugnacula, & munitiones, circumiacentibus atq; conterminis montibus erexit, ibique, poſtquam ad aliquot dies commoratus eſſet, Nicolai Picinini, Peruſini, cognomento Paruuli ſeu Picinini, viri cũ ingentis animi, tum militariũ rerum peritia, cum perpetua quadam felicitate admirabilis, quem Inſuber menſe Martio cum valido exercitu contra eum miſerat, repentino aduentu deterritus, non expectato hoſte, ſe protinus in tutiora loca recepit, præſertim, quòd vltra vim hoſtilem, etiam indigenarum fidem valdè ſuſpectam haberet. Picininus interim, poſt Adurnij diſceſſum, quò ſeſe illorũ agreſtiũ virorũ, quorũ pleriq. de veteri more & cõſuetudine, proſcriptorũ partes ac ſtudia diuerſimodè foue bãt, metu ac moleſtiis liberaret, illos ferro & igne ad internecionem vſque delere conſtituerat; ſed quorundam ciuium precibus inflexus, à propoſito deſtitit, & dumtaxat, ne in poſterum campani æris ſonitu ſimul conuenientes, ad arma, vti plerumq. facere conſueuerant, deuenirent, nouaſque defectiones molirentur, ſtatim omnes campanas ex earum Vallium templis amoueri iuſſit, adeò vt per aliquod tempus in haud mediocri metu ac trepidatione verſarentur. Eodem temporum tractu, bellum inter Philippum & Florentinos nondum ſuppreſſum erat. Hi enim Lucam, Pauli Guiniſij tyrannide oppreſſam, fortiter obſidebant. Lucenſes egregiè ſeſe contra hoſtilem exercitum defendentes, ipſum Guiniſium, tacitè Florentinis fauentem, captiuum fecerunt; & ad parandam ſibi Philippi gratiam, conciliandumque fauorem, quòd ipſum, illius capitalem hoſtem ſcirent, Mediolanum vinctum miſêre, atque ab eo per ſuos internuntios anxiè contenderunt, vt ſibi contra Florentinos, pro ſua libertate tuenda, tempore tam neceſſario, ſuppetias ferre non grauaretur. ſimulque Genuam fœderis paciſcendi, pecuniæque mutuò accipiendæ gratia, legatos miſerunt, & impetrata pecunia, nempe aureorum quindecim millibus, pro eiuſdem cautione & ſecuritate, arces Motronis, & Petræſanctæ, pignoris loco tradiderũt. His fœderibus initis, & Picinini opera Liguſtica ditione maiori ex parte pacata atque compoſita, cùm Fliſci, & Marchiones Malaſpini, in gratiam Florẽtinorum, noua obſidione Lucenſes prementium, correptis armis, haud mediocribus incommodis ac detrimentis, oram Lunianam afficerent, Picininus proximo vere cum omnibus ſuis copiis aduerſus illos exercitum produxit. Ad vſum huius nouæ expeditionis, præter veteranum ſuum militem, ſagittariorum, ex Genuenſium iuuentute delectorum, ad duo ferè millia in promptu habebat, quibus ad illorũ montium, quos occupauerant, defenſionem relictis, ipſe cum reliquo ſuo exercitu ad Anſerim fluuium cum hoſte cõgreſſus, ipſum fudit, fugauitque, atque caſtris omnibus exuit. Hæc Picinini victoria effecit, vt Florentini, ſoluta obſidione, Lucenſes omni metu atque periculo liberarent. Ceterùm, ſuperatis Reipub. hoſtibus, & Luca in priſtinam libertatem repoſita, Mediolanenſium Princeps, quòd Ligures, Lucenſibus, vti diximus, in ſummo periculo verſantibus, maturo ſubſidio affuiſſent, inſtituit, vt ipſi deinceps, in tanti beneficij memoriam, quotannis ſibi Prætorem ex Genuenſi populo deſignarent; cuius apud eos tanta eſſet auctoritas, vt, citra eius voluntatem & conſenſum, nulla alicuius populi legatio audiri poſſet, vel aliquò legationem mitti liceret. Hic proſper rerum Liguſticarum ſucceſſus etiam effecit, vt Iacobus Apianus, Plumbini regulus, tunc temporis acerrimus Florentinorum hoſtis, ſe, ſuaque omnia Genuenſium fidei committeret, reciperetque, ſeſe omnes eos pro amicis vel hoſtibus habiturum, quos Reſpub. Genuenſ. pro talibus haberet & recognoſceret. Nec multò pòſt, Senenſes quo-

1430.

Picinini victoria aduerſus Florentinos.

ſes quoque opera Franciſci Spinulæ, tum apud ſe legati munere fungentis, cum eadem Repub. tam contra Venetos, qui ſe recèns Florentinis cõiunxerant, quàm reliquos Philippi & Reipub. hoſtes, fœdus ac ſocietatem icerunt. Poſtero anno, 1431.
Ligures, inſtinctu, atque in gratiam Philippi, Mediolanenſium Principis, aduerſus Venetos, fœderis iure cum Florentinis aſſociatos, dirum atque atrox bellum inſtaurarunt: de cuius ſucceſſibus, ſuo loco ſigillatim explicabitur. Inſequenti verò, Philippus, Bartholomæo Capra, qui, vti antea memoraui, Iacobo 1432.
Iſolano Cardinali ſucceſſerat, reuocato, Olradum Lampugnaneum ciuem Mediolanenſ. Genuæ præfecit, ſub quo, menſe Aprili Torilium oppidum, à Nicolao Fliſco occupatum, modico negotio receptum fuit, & Fliſcus Genuam perductus, vbi in arce ad aliquot menſes captiuus detentus eſt. Bellum quoque in Venetos, duce Petro Spinula, Cypriani filio, ea æſtate feliciſſimè geſtum ac terminatum. Exitu anni, Ianus Cypri Rex, natus Genuæ, fato deceſſit. At poſtero anno, eodem vrbis moderatore, cùm pacis iungendæ arbitrium ad Nico- 1433.
laum Eſtenſem, & Ludouicum Salutianum, ambos Marchiones, delatum fuiſſet, menſe Maio pax renouata eſt, & captiui vltrò citroque dimiſſi. Per eadem *Pax inter Ligures ac Venetos.*
ferè tempora, Genuæ cognitum eſt, duas Venetas triremes, quæ negotiationis gratia, Tanaim Trapezuntemque, plenæ mercibus, petebant, fœda tempeſtate correptas, apud Soltaiam naufragio periiſſe. Verùm, cùm illarum Præfectus, ac plerique primarij ciues, actuariis nauigiis, euitato periculo, ad littus incolumes peruenissent, ibi ſtatim à Genuenſ. capti, & mox Theodoſiam perducti, vt ea ratione Franciſcus Spinula, ac ceteri Ligures, quos adhuc Venetiis in libera cuſtodia, (nondum enim quicquam de illorum liberatione reſciuerant) detineri arbitrabantur, ſedibus patriis redderentur. Quod tamen vbi primum fama ad illos pertulit, continuò dimiſſi fuerunt. Paucis pòſt diebus, Reſpub. arcem, cui nomen Rocataliata, ſex millibus librarum à Fliſca familia coëmit. Eodem tempore, Anna, Ioannis Cyprij regis ſoror, quæ Ludouico Sabaudiæ Ducis, natu maiori, deſponſa fuerat, Genuam præteruecta eſt, ibique à Senatu, ac ceteris ordinibus perhonorificè excepta. Tali ſtatu rerum, in ponto Euxino, vbi Ligures adhuc pleraque oppida & vrbes non obſcuri nominis poſſidebant, haud ſanè varij motus ac tempeſtates defuerunt. Siquidem, quorundam Græcorum, Genuenſi nomini & gloriæ aduerſantium leuitate atque perfidia, præter cetera loca, Cembalum oppidum, ſitum in Taurica Cherſoneſo, ea tempeſtate haud ſanè ignobile, ab illorum fide atque obſequio ad Alexium Theodori (is locus Cembalo haud procul diſtat) dominum, expulſis inde omnibus Genuenſ., deſciuit. At Ligures, ad tantam refrenandam licentiam, & commiſſam perfidiam caſtigandam, appetente vere, ſumma celeritate decem inſignes naues, ac totidem tri- 1434.
remes, omni bellico apparatu inſtructas, cũ ſex ferè millibus lectiſſimæ iuuentutis ac præclaræ nobilitatis, virtute & auſpicio Caroli Lomellini, viri equeſtris dignitatis, ac togæ belliqúe artibus haud inglorij, expediuerunt. Ipſe igitur menſe Martio, vbi de more ſacris operatus eſſet, ſecundis ventorum flatibus è ſinu Liguſtico ſoluens, & pontum Euxinum cum ſua claſſe ingreſſus, Cembalum breui peruenit, eamque vrbem, poſt aliquot oppugnationes, tandem armis recepit. Hoc felici rerum ſucceſſu animoſior factus, vlterius progreſſus eſt, eo conſilio, vt Soltaiam vrbem, in eadem Cherſoneſo poſitam, expugnaret. ſed in hac expeditione imparem fortunæ ſucceſſum expertus, in ſummum ſe ſuoſq. omnes periculum adduxit. Nam decimo Cal. Iulij, milite in continentem expoſito, confeſtim præter ſpem & opinionem, ingens Scytharum, aliorumque

barbarorum multitudo, inexpectatæ grandinis instar, superuenit; statimque Ligures aggressi, parum abfuit, quin, cæsis præcipuis, eos ad internecionem delerent. Tanta siquidem & tam formidabilis fuit hæc barbarica in nostros exundatio, vt ægrè ipse Lomelinus præfectus cum aliquot suis incolumē se in suam classem receperit. Et hoc modo à fortuna præclari ducis conatus destituti. Ipse Genuam cum copiarum suarum reliquiis rediit; vbi sanè propter acceptam cladem, tanta fuit omnium mæstitia, vt nulla esset alicuius aduersi præsij memoria, quæ magis omnes ordines exacerbaret. Non deerant etiam qui tacitis dicteriis falsisque delationibus ipsum Lomelinum criminarentur, quasi eius imprudentia, vel temeritate, tam altum Reipub. vulnus inflictum esset. Proinde aliqui erant in ea sententia, vt existimarent, ex vsu Reipub. esse, vt deinceps bella cum Barbaris tanto terrarum & marium tractu, ac planè diuerso cælo à Repub. diuinctis, non gererentur, & hoc modo progressu temporis quàm plurima loca ad pontum Euxinum, aliisque in partibus Orientalibus, Ligustico imperio parentia, partim Genuens. incuria atque desidia, partim etiam & multo magis immanium gentium ferocitate ac tyrannide, cum maximo Reipub. detrimento, amissa sunt. Huius temporis tractu, Cyrnus insula nouis motibus ac tumultibus iactabatur. Erat ibi ea tempestate, Vincetellus de Istria, cuius suprà mētionem habuimus, vir præpotens, ac nouandarum rerum insignis atque impiger artifex, qui dira ambitionis cupiditate incensus, modis artibusque omnibus grassabatur, vt celebratissimam illam prouinciam per vim, siue per dolum sibi subijceret, adeoque singulari quadam calliditate omnium Insulanorum, præcipuè verò primorum atque optimatum, gratiam & fauorem sibi conciliarat, vt, ipsis consentientibus, vniuersam insulam, exceptis Caluo & Bonifacio, in suam potestatem redigeret. Nec tanto scelere contentus, eò temeritatis simul & ambitionis prospero rerū successu deuenerat, vt in Ligustici imperij contemptum, subinde vniuersam insulam, præparatis ad hoc duabus triremibus egregiè instructis, variis excursionibus inquietaret. Nam licet Senatus ad reprimendum eius conatus non semel aliquot nauigia aduersus ipsum eduxisset, ipse tamen suorum celeritate confisus, omnem aduersariorum potentiam facilè floccifaciebat: quæ sanè eius temeritas illi postmodum exitium peperit. Cùm enim Zacharias Spinula, vir non minùs maiorum imaginibus clarus, quàm propria virtute suspiciendus, ad explorandum eius consilia & progressus, à Repub. cum vna triremi validè instructa, in Corsicam mense Aprili enauigaret; Vincetellus hanc conspicatus, celeriter, numero ac militum multitudine fretus, in eum inuectus est, & cum sua prætoria, qua ipse vehebatur, cum Spinula eo successu conflixit, vt, priusquam ab altera sua triremi iuuari posset, ipse ab eo superatus & captus sit: moxque pari felicitate altera triremi potitus est; atque ita Spinula cum ingenti sua laude, nec mediocri Reipub. beneficio, scelestissimum piratam, ac perniciosissimum Reipub. hostem, Genuam cum incredibili totius ciuitatis gaudio perduxit, ibique mense Aprili, in theatro publico securi percussus est. Sublato itaque tantæ defectionis auctore, motus in Corsica concitati, pedetentim sedati atque compositi sunt; prouinciaque ad pristinam Reipub. fidem reducta. Illud pænè exciderat, nempe decimoquinto Cal. Iulij huius anni, fuisse maximam Eclipsim, seu defectum Solis, stellis toto cælo conspicuis, quem & quadrupedes quodammodò pauisse ferunt. Hæc autem iuxta Arist. tribus modis definitur: Videlicet, vt sit oppositio Lunæ in capite vel cauda Draconis existentis: Solis obscuratio supra terram, siue Solis obscuratio, cùm Luna opponitur. Liuius Dec. v. lib. 4. auctor est, C. Sulpi-

Genuensium clades à Scythis inflicta.

Vincetellus de Istria à Zacharia Spinula deiectus.

Eclipsis.

cium

cium Gallum, tribunum militum secundæ legionis, qui Prætor superiori anno fuerat, L. Æmilij Pauli Consulis aduersus Perseum Macedoniæ regis dimicantis permissu, vbi castra permunita essent, ad concionem militibus vocatis pronuntiasse: nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda vsque ad quartam horam noctis Lunam defecturam esse. Id, quia naturali ordine statis temporibus fiat, & sciri antè, & prædici posse. Itaque, quemadmodum, quia certi Solis, Lunæque, & ortus, & occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente exiguo cornu fulgere Lunam, non mirarentur: ita ne obscurari quidem, cùm cõdatur vmbra terræ, trahere in prodigium debere. Nocte, quam pridie Nonas Septemb. insecuta est dies, edita hora Luna cùm defeciſſet, Romanis militibus Galli sapientiam propè diuinam cõspectam: Macedonas, vt triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens, mouisse: nec aliter, inquit vates, clamor vlulatusque in castris Macedonum fuit, donec Luna in suam lucem emersit. Quæ autem Lunæ, quatenus ad Eclipsim pertinet, eadem Solis ratio. Sed ne in præsentia diutiùs quàm par sit, philosophari videar, iuxtaque lectorem expetitæ lectionis fructu defraudem, me quàm citissimè ad destinata recipio. Insequenti anno, graues curæ, atq. haud exiguæ molestiæ Philippũ, Mediolanensium Prin- 1435.
cipem, propter Ludouici Andegauensis, & Ioannæ Neapolis reginæ insecutum obitũ excepêre. Alfonsus siquidem Aragonius, cùm suapte natura laudis & gloriæ cupidissimus, tum etiam aliquot Neapolitanorum procerum consensu, ad regni Neapolitani recuperationem totum animum intendit. Et quãquam inter ipsum, & Philippum occultæ essent simultates & odia, adeò vt nemo dubitaret, quin noua præbita ansa, ad noua studia decurrerent, nihilominus tamen, quò Insuber Venetorum animos dubios, atque sub ambigua spe suspensos teneret, dedita opera cum Aragonio amicitiam simulabat, quæ, etsi miro artificio occultaretur, fieri tamen non potuit, quin haud multò pòst, erumperet, atque in apertum bellum euaderet. Siquidem Caietani ab Aragonio obsessi, ac rerum omnium difficultatem & extrema sibi metuentes, Ligurum & Insubri auxilium imploraue- *Caieta obsidetur ab Aragonio.*
rant. Et quò faciliùs ab ipsis subsidium impetrarent, asserebant, se, vrbem suam pro legitimo Neapolitani regni successore propugnare ac retinere velle, amboq. veteri odio in Aragonios flagrantes, promptissimis animis auxilium obtulerunt. Et Ligures quidem eò libentiùs, quò aliquot suas naues variis & pretiosis mercibus onustas, in Caietano portu ab Aragoniis obsessas liberarent. Proinde ex parte Senatus Franciscus Spinula, Insubri verò, Otolinus Zoppus eius legatus, vna triremi & oneraria cum trecentorum militum præsidio illuc missi sunt, qui commoda nauigatione vsi, Caietam incolumes peruenerunt. Quo quidem nouo subsidio, vt defensorum animi incredibiliter confirmati fuerunt, sic è contra, regis animus longè maiora præsidia veritus, ad vrbis expugnationem festinabat, & admoto mœnibus exercitu, crebris oppugnationibus atque assiduis machinarum bellicarũ ictibus oppidanos ipsos premebat & defatigabat. Proinde cùm sese summis periculis expositos animaduerterent, crebris internuntiis Insubres, atq. ipsos Ligures ad opem ferendam solicitarunt, eoq. factum est, vt Philippi & Senatus decreto, summa cum celeritate classis ad illorum subsidium instrueretur: nec minores regis nomine apparatus variis in locis fiebant. Quod cùm Genuæ nuntiatum esset, cùm prius quinque naues auxiliarias destinassent, aucta fuit eo nomine classis, ita vt duodecim maiores naues, & vnam minorẽ complecteretur. Cui Blasius Axeretus, vir quidem humili genere ac loco natus, ceterùm præclara virtute, ac excelso animo præditus, rerumq. maritimarum peritissimus,

non sine graui Senatus iudicio, quòd paucis antè diebus, pulchram victoriam de Petruccio Verro, insigni atque claro, ea tempestate pirata, retulerat, præfectus fuit, cui etiam Leonardus Sauinionus, Antonius Saluagus, Lucas Facius, & Thadæus Zoalius, viri, à prudentia, & rerum gerendarum vsu commendati, tanquam socij, & omnium consiliorum participes coniuncti fuerunt. Erant in tota classe non amplius duo millia & quadringenti strenuissimi bellatores; itaque præparatis omnibus ad bellū necessarijs, nauarchus circa finem Iulij, Caietam versus suā nauigationem instituit. Alfonsus interim, vbi de his apparatibus certior factus est, atque hostilem classem è sinu Ligustino iam soluisse cognosceret, ex omnibus suis nauigiis quæ coëgerat, quatuordecim onerarias, siue, vt aliis placet, vndeuiginti, quæ reliquis magnitudine præstarēt, delegit, inter quas erat Magnana, qua ipse deuehebatur, cuius quidem tanta fuit magnitudo & capacitas, vt omnes illius temporis naues longo spatio post se relinqueret. Habebat ipse, præter maximam illustrium procerum & nobilissimorum virorum frequentiam, duos germanos fratres, nempè, Nauarræ regem, & Henricum, S. Iacobi Magnū, vt vocant, magistrum. Numerus verò militum ex variis regionibus & populis conscriptus, ad sex millia porrigebatur. Hac classe rex Cal. Augusti Caietæ soluens, ad insulam Pontiam vna velificatione peruenit, vt ibi hostem opperiretur, qui postridiè, scilicet, pridiè Non. Augusti, cùm vnam dumtaxat noctem ibi stationem habuisset, Liguſticam classem sub auroram à parte Occidua detexit. Rex de suorum consilio planè decreuerat, ventorum flatu & opportunitate vsus, hostilem classem inuadere; ideoque relicta Pontia, Meridiem versus in altum pelagus classem suam abduxit. Qua quidem re cognita Ligurum Præfectus, tribus onerariis retrò in nouissimo agmine constitutis, acieque ordinata, hostem præstolabatur, adeò vt, iam sole ad occasum vergente, ambæ classes ad quinque millia passuum inuicem distarent. Proxima luce, triremes Aragoniæ, quæ naues antecedebant, classem Liguſticam vndique cinxerunt, & hostilium nauigiorum numero diligenter explorato, quietis similes stabant. Interim Axeretus tibicinem ad Alfonsum misit, partim vt ei significaret, se illuc non alio animo iussu Senatus applicuisse, quàm vt aliquot ciues suos, Caietæ cum mercibus obsessos, liberaret; partim etiam, vt eius animum, & erga suam Rempub. voluntatem intelligeret. Alfonsus tibicinem toto eo die apud se retinuisse dicitur, donec, quid responsi daturus esset, adhibita consultatione decerneret, moxque per eundem, & Franciscum Pandonem Campanum, ei significari iussit, ni ipsi viam sibi armis aperirent, se non permissurum esse, vt Caietam appellerent; & ita quidem à nonnullis scribitur. alij verò in literas retulerunt, regem, prius legatum ipsum Pandonem, virum singulari prudentia, & longo rerum vsu exercitatum, tanquam legatum, ad Genuensium Præfectum misisse, eo animi decreto, vt non tam cum illo pacisceretur, quàm vt inter colloquendum, omnia oculis colluſtrans, exploraret, quæ nauium magnitudo, quantæ copiæ, quæ postremò animorum fiducia hosti esset. Qui vbi primùm in colloquium admissus est, regem mirari dixit, quid sibi vellet tantus apparatus. Cui cùm responderetur, naues Caietam petere, vt amicum populum indignè obsessum & oppugnatum, liberarent: non esse aliquid causæ, cur se Rex profectioni suæ opponeret. Ad quæ legatus: Caietam ergo, quam rex fame perdomitam, propè iam habet in potestate, ex ipsius manibus erepturi estis, & hanc illum iniuriam, & æternam gloriæ suæ notam æquo animo laturum putatis? Cuius verbis subiunxit Axeretus, certum sibi consilium, inceptum cursum nequaquam, modò per regem liceat, interrumpere. interim se ab

omni

omni vi atque armis temperaturum, nimirum, quòd si rex nihil hostile moliatur, ipsi esse classes, quibus pro sua voluntate atque arbitrio, vt illi integrum esset, vti posset. Cuius humanam oblationem cùm ipse legatus valde indignaretur, cum multo stomacho respondisse fertur, esse regi vires, quibus hostium minas contemnat: velle, ac posse iter eorum introuertere. Quocirca nisi saniore consilio vsus, vltrò cursum deflecteret, sensurum mox non sine clade, cuius dementiæ fuerit, regem potentissimum temerè irritare, atque ad arma prouocare. Tum Blasium, iusta ira commotum, dixisse ferunt, vt regi liberè renuntiaret, quotcunque videret onerarias, auro & pretiosis mercibus refertas esse; quas si in potestatem suam redigeret, se proculdubiò, suosque omnes ingenti præda ditatum iri. Nec vlterius sermonem protractum esse dicunt, sed confestim Legatum ad regem rediisse, eique totius aduersariæ classis statum, atque animorum alacritatē, non citra illius magnam admirationem retulisse, ita vt rex, intellecto toto negotio, confestim arma expediri, & prima luce omnes in armis ad prœlium ineundum præstò esse iusserit, tanta me hercle cum vultus atque animi præsentia, vt nulla alicuius perturbationis indicia dederit; sed de victoria quodammodò securus, incredibilem omnibus suis prosperi successus fiduciam inijceret. Proinde cùm res vtrimque in eo statu essent, vt nemini dubium foret, quin ad manus veniretur, Præfecti, alijque Duces, singuli per se omnia diligenter quæ ad pugnam necessaria essent, expendebant, & præparabāt, adeò vt cùm postridiè vtraq. classis propius accessisset, atque in mutuum conspectum deuenisset, tanta fuerit maris tranquillitas & malacia, vt, leniissimo vento spirante, vtraque classis ad mutuum certamen prodierit: & primò quidem, vbi vtriusque classis Imperatores, ac ceteri trierarchi suos graui & diserta oratione ad prœlium cohortati essent, cum militaribus tormentis, mox cum missilibus ac sagittis pugnam inchoarunt, vt summa animorum contentione, ita varia & ancipiti fortuna, donec tandem Ligures, post longum atque atrox prœlium, beneficio potissimum illarum trium nauiū, quarum suprà mentionem habuimus, à tergo, tanquam in vltimo agmine præsidij loco miro stratagemate relictarum, victoria potirentur. Hæ siquidem in altum euectæ, ac speciem fugæ simulantes, moxque secundis ventis in Alfonsi aciem inuectæ, tanto impetu irruerunt, vt vna earum vsque adeò regiam prætoriam in latus adegerit, vt ea in dexterum recidens, & pondere sexcentorum grauis armaturæ hominum, qui hoc in latus incubuerant, grauata, fermè vniuersam sponda alterius partis submersam haberet: cumque illi nullis tectis protegerentur, hostilibus telis vndiquaque, instar scopi, exponebantur: quod sanè maiori ex parte effecit, vt Ligures demum integram victoriam obtinerent. Quippè cùm Rex, qui omnia fortissimi Ducis ac strenui militis officia obierat, & summa in puppi, nulla pericula veritus, semper steterat, suorū precibus descendere coactus, sub primum tabulatum, velut sub tectum, haud procul à clauo secessisset: alij subinde pugnam remittebant, sic vt hostibus in regiam nauim transiliendi facultas præberetur: qui felici rerum successu vlterius pergentes, cùm nescirent de Alfonso, qui erat vnà cum aliquot ex suis iuxta nauis gubernaculum, incautè ab eo comprehensi, singuli statim in vincula coniiciebantur, donec tandem Ligures, quorum numerus subinde maior in eius nauim influebat, dolum animaduerterent: & cùm interim antemnæ chordas ab iis qui erant in specula, minis abscindi curarent, rex tandem illius casu haud parum exterritus, sed multo magis telo cuiusdam balistæ, illuc magna vi deiecto, quod sanè penetratis omnibus quæ obstare posse viderentur, ante ipsius regis pedes naui infixum est, ita vt cùm eum

sui ad deditionem faciendam summoperè adhortarentur, ac rogarent, ne ibi miserè trucidaretur, semper consuetum animum regium præ se ferens, se tandem dedere constituerit, sicuti etiam fecerat Ioannes ipsius frater, qui se, suosque, Galeoto Lomellino dedidit: cuius exemplum secuti, qui hactenus restiterat, omnes in victoris potestatem deuenerunt. Cùm enim propter aliarum duarum nauium, quæ erant ex præsidiariis, concursum, antemnæ nauis Figarettæ, qua Nauarrus deuehebatur, iam fractæ essent, ipse quoque se victori tradiderat, & reliqua nauigia penitus cessêre. Sunt qui asserant, regem, statim vbi post factã deditionem, in Spinulam prætoriam vnà cum omnibus, quos secum habebat, reciperetur, cũ multi eorum essent qui regem sibi dedi contenderent, & in primis Blasius, vt inde gloriam reportarent, illum de cuiusque nominibus, fortunis, vitæque conditione diligenter scisciatum fuisse: & cùm intelligeret, inter ceteros Duces, ibi etiam Iacobum Iustinianum, Chij ea tempestate Præsidem, adesse, illũ reliquis digniorem iudicasse, cui se dederet. Sunt etiam qui literis ac monumentis prodiderint, ipsum maluisse Insubro, quàm Genuensibus, quos sibi semper infensissimos expertus fuerat, salutem suam committere, & propterea Philippo, quam quam absenti, dedere se dixisse. Pugnatum est Nonis Augusti cruento atque acerrimo prœlio, haud procul à Pontia insula, horas propè decem. Nam cùm tertia diei hora classes concurrissent, paulò ante vesperam regis deditio facta est. Sunt verò alij, qui literis consignarint, ab hora tertia certamen inchoatũ, & vsq; ad solis occasum continenter productum. Satis in confesso est, & in hoc omnium scripta consentiunt, quàm plurimos eo prœlio sagittis, quas maioribus scorpionibus contortas vix vllum armorum genus repellebat, fuisse vulneratos. Pauciores pro numero cæsi, ex victrici classe circiter nonaginta, ex Aragonia verò sexcentis desideratis. Magna tamen captiuorum frequentia fuit, inter quos facilè principes fuêre Nauarrus rex, Henricus infans Aragoniæ, & amplius centum, siue, vt aliis placet, trecenti viri illustres, ac splendidis natalibus orti, inter quos nominantur Ioannes Antonius Vrsinus Tarenti Princeps, Io. Antonius Marianus Suessæ Dux, Nicolaus Specialis Prorex in Sicilia, Antonius Rogerij Fundorum Comitis f. Iosias Aquauiuensis, Didacus in vlteriore Hispania Comes Castri, Ioannes, quem in hac eadem Hispania Magistrum Cantharæ vocant, & præter hos, alij quàm plurimi, titulis atque prosapia insignes. Petrus Infans, regis frater, se per funem in vnam ex triremibus demisit, atque ita effugit in Siciliam, nec vlla ex nauibus deuictis, præter vnam, quæ vsa venti beneficio incolumis euasit, ab eo nauali certamine seruata est. Præda autẽ, & spolia omnis generis ornamentorum, & diuitiarum, qua hostis potitus est, quanta extiterit, ei sanè cogitandum relinquitur, qui tanti regis opes, & maximi illius excercitus apparatum, secum animi cogitatione potest comprehendere. Hæc omninò tanta extitisse dicitur, vt cõplures Genuensium, qui ante id tempus in summa inopia & egestate vixerant, spoliis hostium clàm locupletati, ingentia suis patrimonia & hereditatem morientes reliquerint. Ex tãto autem captiuorum numero nauarchus sibi haud mediocriter metuens, mitiore consilio vsus, ad quinque propè millia eorum qui obscurioris fortunę videbantur, in continentem exponi iussit, inter quos, vt postea cognitum est, multi celebres viri, cũ nullo cultu differrent, delituêre. Exercitus qui Caietam obsidebat, hoc nuntio accepto, cùm oppidani, ac præsidiarius miles, eruptione facta, eos adorirentur, breui dissipatus, & Blasius cum omnibus nauibus, & captiuis, portum, non sine Caietanorum ingenti admiratione atq. applausu, ingressus est: vbi per aliquot dies commoratus, vt classem reficeret, illinc

Inclyta Genuens. victoria aduersus regem Alfonsum.

illinc postea cum tam illustri ac memorabili victoria Genuam versus nauigationem instituit: in qua quidem vrbe, cùm ante classis aduentum de totius negotij successu nihil planè certi ac explorati haberetur, in maxima cura & sollicitudine viuebatur. Et quanquam huius rei tam feliciter gestæ fama, per omnia circumuicina loca diuulgaretur, nihilominus tamen, vt in huiusmodi rebus plerumq. fieri consueuit, animis non parum suspensis, certiora præstolabantur. Tandem vbi de classis aduentu, & regem in ea vnà cum reliquis proceribus captiuum perduci, penitius cognitum est, innumera publicæ lętitiæ, & mutuæ cōgratulationis signa passim edita fuerunt, moxque in vrbe S. C. per totum triduum supplicia decreta: & sancitum est, vt dies victoriæ, inter fastos relatus, anniuersaria memoria ab ipso Senatu celebraretur. Ceterùm, mirum in modum fefellit omnium ordinum expectationem rei euentus. Siquidem, reuersa Genuam classe, vbi Philippi Insubriæ Ducis iussu atque mandato regem atque alios proceres, captiuos Sauonam abductos fuisse cognitum est; tanta inuasit vrbem totam indignatio, vt molestissimis animis ferrent, hunc iustum de tam magnis ac potentibus hostibus triumphum sibi eripi atque inuideri. Effusa enim vrbana multitudo, cum ceteris ordinibus, auidè expectabat regium appulsum, & tot illustrium virorum præsentiam, simulque Reipub. gloriam valdè auctum iri existimabant, si tam celebri triumpho vti permissum fuisset. Sed Philippus, vti diximus, victoriæ summam sibi tribuens, Sauona Mediolanū captiuos ipsos perduci procurarat, id etiā Alfonso in primis rogante, qui enixè apud regem per Marcum Barbauarum legatum suum apud supremum eius nauarchum contenderat, vt rectà Mediolanum cum suis perduceretur. Insuber interim, eo nuncio accepto, magna sibi ominò polliceri, & præter alias expeditiones, quas secum animo voluebat, ad Siciliæ, adeoque iam totius Italiæ dominium atque imperium aspirabat, sed inter cetera, mirum in modum angebat Patres, quòd ipse, nulla prorsus Ligustici nominis, dignitatis, laborum, & sumptuum ratione habita, omnem laudis palmam sibi soli vendicaret. Accedebat etiam, quòd Præses publico edicto cauerat, ne Senatui integrum esset, alicui Principi, vel populo, per literas, siue internuntios, hac de causa congratulari; quæ sanè iniuria cum graui contumelia coniuncta, tam altas in animis Patrum atq. omnium Ordinū radices egit, vt ipsi potissimum hoc nomine ab eo, vti mox dicetur, penitus deficerēt. Verū enimuerò, vt ad Alfonsum redeam, is, vt primùm cum ceteris Principibus ac proceribus viris Mediolanum perductus est, ibi tantum abest, vt tanquam captiuus detineretur, vt etiam veluti victor exciperetur. Et cùm non minus eximia prudentia & ingenio, quàm singulari eloquentia excelleret, simulac in Philippi colloquium, quod tamen paucis pòst diebus impetrauit, admissus est, illius animum facili negotio à priori sententia abduxit, pleneque edocuit, quantoperè in eo deciperetur, quòd, scilicet, Renatum Andegauensem, (hunc enim defuncto Ludouico tertio eius fratre, Ioanna, Neapolitani regni hæredem testamento reliquerat) sibi in beneuolentia præferret. Quandoquidem, inter cetera, sibi haud dubiè persuadere poterat, illum, regni Neapolis possessionem adeptum, continuò daturum operam, vt Galliarū regi aditus in Italiam patēret. Ioanni Galeacio suo patri, Duci sapientissimo, semper fuisse vehementer suspectos Gallicos spiritus: & pleraque alia in hanc sententiam luculenter coram eo disseruit, adeò vt Insuber grauissima & disertissima eius oratione inductus, mutata sententia, Alfonsum liberare constitueret; & idcircò, postquam illum vnà cum reliquis honorificentissimè excepisset, omniaque ad amissi regni recuperationem pollicitus esset, ac insuper ampliss imis

Genuensium gloria oppressa sub imperio Ducis Mediolanensis.

muneribus

muneribus donatum dimisisset, continuò sex prægrandes onerarias Genuæ instrui curauit, quibus & regia persona, & militare præsidium in regnum Neapolitanum adueherentur. Dum hæc fierent, Caietani, accepti beneficij memores, quatuor præcipuos oratores, quorum præcipuus fuit Ioannes Manganella, Genuam contestãdę gratitudinis causa miserunt. Qui cũ ab ipso Senatu benignè ac peramanter excepti, & in colloquium admissi essent, Manganella in hunc fere modum verba habuit.

Caietani legati oratio in Senatu.

Si in nostra potestate esset, amplissimi Patres, orationem prosequi, atque complecti, quantis beneficiis nos vestra humanitas atque liberalitas afficerit, profectò nemini vestrũm dubium esset, quin cum qua gente vobis negotium sit, probè intelligeretis. Nam quid est quod homini hominem debere fas sit, quod non vobis omnes debeamus? Percurram non tam singula, quàm summatim omnia, ne ingrati atque immemores aliqua ex parte videamur. Primum omnium, priusquàm Caietani populi discrimẽ certum esset, inter ipsas procul absentis regis minas, literis nostris commoti, tanta rebus nostris festinatione succurristis, vt vestrum ante subire portus nostros præsidium cerneremus, quàm literas ad vos nostras peruenisse didicerimus. Quale deinde præsidium? lectissimos in primis iuuenes, quos non assiduæ in mœnibus stationes, non labores, nulla demum pericula, non postremò fames ipsa subigere potuerit, cum fide quoque & constantia, non pro aliena salute, sed pro patria potius pugnare viderentur. Præsidij verò Prefectum, eum ad nos missum vidimus, quo vir nemo fuit tota ciuitate præstantior, Franciscum Spinulam, rarum Reipub. vestræ ornamentum. Cuius ea fuit apud nos cum innocentia, tum in tuenda vrbe diligentia, vt ne ipsi quidem maiorem optare potuerimus. Qui domestici splendoris, ac planè rerum familiarium affluentiæ oblitus, parco & vili cibo, vt res nobis angustas obsidium fecerat, contentus, sæpè etiam mensa abstinuit, vt aliorum fame exemplo solaretur. In laboribus verò, & omni militiæ munere, adeò impiger, & vitæ contemptor, vt à gregario milite præiri propè indignaretur. At vbi superueniisse regem, nosque terra ac mari circumseptos in discrimine versari accepistis, non secus periculo nostro anxij, ac si hostis mœnibus vestris immineret, pulcherrima classe, graui sumptu, nec minori difficultate comparata, defessos iam, & extrema malorum cogitantes, tanta velocitate ex hostium faucibus eripuistis, vt instructam, solutam, aduentantem, procul conspectã classem esse, ac mox deuicto captoque rege, secundo prœlio conflixisse, vno fermè eodemq; tempore acceperimus. Opes igitur, coniuges, liberi, templa, patria, nos denique nobis cum beneficio vestro restituti sumus. Pro his, quibus certè maiora nullus vnquam populus præstitit, nullus vnquã accepit, gratias actum ad vos missi sumus, iuxtaque gratulatum, quòd ea vobis victoria contigit, quæ, vt immortalem Genuensi nomini gloriam attulit, ita qua fide amicos populos tueri soleatis, æterno documento erit. Reliquum est orare, quandoquidem per vos conseruati sumus, annuos posthac Præsides ex vobis habeamus, qui Caietano populo iusdicant, inque secundis & aduersis rebus saluti nostræ consulant. Nulli nobis vtilius præfuturi sunt, nulli nos ad parendum promptiores habituri, quàm qui incolumitatem ac libertatem nostram suis periculis redemerunt. Neque indecorum Genuensibus fuerit, legitimum, cùm è Galliis aduenerit, regem ciuitatem ope vestra seruatam, auctamque, non ab alio quàm vobis tradentibus, recepisse. Legatis responsum est, magnum Caietanos fidei & constantiæ in regem suum edidisse documentum. Quippe qui extrema obsidionis mala perpessi, nunquam animis succubuerint. Genuenses, eò minus suscepti aduersus Alfonsum belli

belli pœnitere, quò veriùs sciunt, amicissimam ciuitatem non facilè immemorem fore, ideoque arma induisse. Mittendi Caietam Præsidis consultatio dilata, vt interim Philippi animus exploraretur. At Philippus, cognita Caietanorum petitione, haud secus infensus, quàm si plurimùm dignitati suæ detractum fuisset, corripi statim legatos iussit, & Mediolanum euocatos, ita habuit, vt vix quicquam à captiuis differrent, donec Genua missi sunt, qui ius gentium, & sanctam etiam inter exteras gentes legatorum auctoritatem, ipsi Philippo in memoriam redigerent. His autem & eiusmodi iniuriis irritatis Genuensium animis, inita tandem aduersus eum consilia sunt, orto à primoribus ciuitatis initio, qui se liberandæ vltrò patriæ auctores offerebant. At Insuber de his rebus per suos familiares certior factus, seipsum, nouis copiis sub varia specie collectis, indies magis atque magis in Repub. communire satagebat, ac, præter ceteras artes, quibus ea in re vsus est, Senatui persuadere studuit, se, in eius Reip. dignitatem ac emolumentum, cum Aragonio egisse, vt insulæ Sardiniæ possessione cederet, atque hoc prætextu sibi commodam occasionem dari existimabat, qua, pro huiusmodi expeditione suscipienda, subinde Genuam nouas copias citra vllam suspicionem ablegaret. Ceterùm, in vrbe, nonnulli ex Optimatibus, ac præcipuæ nobilitatis viris, quo tempore Caietanorum legati Mediolanum, tamquam captiui perducti fuerant, clandestina consilia inter se iniuerant, vt quibuscumque possent modis ac rationibus, populum ad defectionem excitarent: quæ sanè, audita regis Alfonsi liberatione, vlterius differri nequiuerunt. Erat tunc temporis in Repub., præter alios præstantes viros, Franciscus Spinula, Othobonus, cuius suprà mentionem habuimus, vir non modò familiæ splendore atq. opibus & auctoritate, sed etiam præstantissimis animi, corporisque dotibus insignis: qui cùm Mediolanensium Principis tyrannidem indies maiorem fieri animaduerteret, ac etiam videret se haud parum ex pristina illa gratia, qua prius apud eum floruerat, excidisse, primus, defectionis, & qui patriam ex dira seruitute in veterem libertatem assereret, auctor extitit. Insuber autem, vt eius viri amplitudinem ac dignitatem deprimeret ac eleuaret, præter ceteras causas, ea potissimùm impellebatur, quòd cùm sciret, illum fuisse præcipuum qui Rempub. Genuens. suo imperio subiecisset, adduci non poterat, vt crederet, ipsum, magis priuati commodi, quàm patriæ amore incensum, partibus suis fauêre, adeò vt cùm sinistrè de illo suspicari, & subinde malè mereri pergeret, hunc magis atque magis in suscepta consilij ratione confirmaret; præsertim cùm vsu nonnumquam venire soleat, vt homines, probè à natura instituti, vbi semel impegerint, recognitis erroribus, enixè dent operam, vt ad pristinæ dignitatis recuperationem inde remedium & salutem enasci procurent, vnde antea vulnus inflixerint. Vt verò, suorum animos vehementiùs inflammaret, ita inter eos, quibus res tanta (octo fuisse narrant) ab initio credita est, verba fecisse dicitur.

Francisci Spinulæ oratio pro libertãda patria.

Mirum vobis videri possit, Ciues fortissimi, quid sit, quòd cùm de Philippi Ducis potentia optimè meritus sim, (vestro etenim cõsilio & opera fretus, huius Reip. dominatum, si verum fateri liceat, detuli, Italiæ, & ceterarum gẽtium, sum aßtruere conatus) nunc eò venerim, vt post exilium spõtè susceptum, post ignominiosam Caietæ latebram, domum reuersus, à crudelissimo Opicino exagitatus, vnus omnium maximè ad pœnam & supplicium deposcat, vt aut diro sanguine telliti sit omninò sanguis dandus, aut vita vi & armis ab iniuria vindicanda. Is carnifex veriùs quàm præfectus, huic vrbi datus, assuetus ciuium suppliciis, vt immanis quædam bellua, iam & nostrum sanguinem sitire incepit. Sed cur hæc

memini

memini, cùm Philippi Ducis inconstantia in amicos omnibus nota sit, ingrati animi vitium in industrios & fidos, odium in bonos: ac eum huiusmodi esse ingenio, vt nullis plus tribuat, quàm nefariis; & nullis magis credat, quàm delatoribus, quibus vsque adeò est addictus, vt ex primoribus amicis quosdam temerè afflixerit; alios atroci calumnia deterritos, ex amicissimis, sibi inimicissimos fecerit. Sic Carmaniola, vir in bellicis rebus hac ætate nulli secundus, hostis ex duce fidelissimo factus est. sic Sfortia, etsi gener dictus. sic Tolentinas, ab eo alienatus. sic innumeri alij, quos omni tempore tam strenuos, quàm fidos fuit expertus, aut diuersis iniuriis ab eo affecti sunt, aut miserabiliter afflicti. Ceterùm, non semper suis sit infestus, Blasij Agareti hominis perditissimi calumniam, leuem quidem, sed mihi pernicioſam secutus, me, nescias magis stultè, an ingratè, (nam & perpetuum studium meum, & fides satis omnibus perspecta est) ex amicissimo hostem iudicauit, in exilium egit acerbum & luctuosum: in quo non tam Caieta ab Aragoniis armis defensa, mihi solatio fuit, quàm tristitiæ ac dolori, quòd in meam vnius inuidiam, Agaretum, infimæ conditionis hominem, obscuroque loco natum, ad classis Præfecturam euexit; ad quem vnum trahit omnem partæ victoriæ gloriam: non Genuensium apparatum celebrat, non virtutem in prœlio, sed Agareti nomẽ semper in eius ore est. Hunc, Caietani, Principis studium secuti, miris laudibus extollunt, fuissentque inter Deos relaturi, nisi Vicecomitis nouissent ingenium, qui, ne in amicis quidem successum ferre possit, probè exploratum haberẽt. Fuit id mihi pergraue & molestum: alebar tamen non parua spe melioris fortunæ. Videbar enim mihi satis ei probatæ meam fidem, Caieta in grauissima obsidione defensa. sed tantum abfuit, vt in me sit pacatior factus, vt in patriam reuersus, coactus sim ab illius magistratu, haud secus quàm ab immaniſſimo hoste, salutem meam armis tueri. Sed vos, præstantissimi ciues, quousque tandem huius superbissimi Insubris dominatum laturi estis? Quamdiu vrbem clarissimam, rerum gestarum gloria florentem, sub tyranni pedibus iacere, turpiterque seruire patiemini? An ea conditione Genua est illi adiuncta, vt populus terra marique victor, quique fama sui nominis totum orbem hactenus impleuit, non modò sua libertate exueret, sed turpissimo etiam cuique seruiret? Nam, vt alia in præsens omittam, quo animo id ferendum est, quòd nempe circiter quadringenti ciues, alij, alia calumnia, & in his nobilissimi quidam, ceterùm, omnes crudeliter ac iniustè sunt ipsius iussu interfecti? Complures supremi ordinis viri in exilium acti, & dumtaxat ad honores & dignitates euehuntur, qui minus & generis claritudine, & virtutis commendatione reliquis antecellunt. Sed quid magis seruile, quídue turpius, videre, aut audire, patiue potuimus, magisque alienum ab huius celeberrimæ vrbis dignitate, ac veteri gloria, quàm, quòd insignem atque inclytam victoriam, nostro sanguine & virtute partam, sibi vsurariam fecit? Duos reges, totque illustres viros, vno prœlio captos, tanquam non libera ciuitas, sed seruilis quædam manus id præclarissimum opus peregisset, è nostris manibus extorsit, ac Mediolanum perductos, non solùm liberos, sed nulla publicarum inimicitiarum cum ea gente, nullaque periculorum, quę nostræ ciuitati in posterum ab ipsis regibus tali ignominia affectis imminebunt, ratione habita, etiã plurimis & maximis à se donatos muneribus dimisit. Quin credibile est, ipsum voluisse captos hostes ob id potissimùm incolumes esse, vt non tam Italiæ imperium, de quo semper cogitauit, per eos sibi astrueret, quàm vt his iuuantibus, imò hortantibus, Genuæ libertatem, siquid adhuc ex ea supereſt, funditus tolleret. Et nunc, quia præsentem con-

tume-

tumeliam paulò liberiùs doluimus, quid aliud arbitramini ipsum cogitare, quàm vt nostræ Reipub. statum ita frangat, debilitet, affligat, vt posthàc nemo non solùm reclamare, sed ne suspirare quidem audeat ad ea quæ per scelus & libidinem in hanc miseram ciuitatem patraturus est? Nam quid, per Deum immortalem, sibi vult longior hæc regum ad portum Veneris cunctatio? Quid subitus ad hæc loca turmarum accessus? Quid classis ex Sicilia tanto studio accersita? Imminet, mihi credite, imminet huic vrbi extremum exitium, nisi sæuissimi tyranni conatibus maturè obuiam eatur. Sed quid vos, viri fortissimi, in tam aperto patriæ discrimine facturi sitis, parum equidem compertum habeo. Ego, quod patriæ & ciuibus omnibus Dij bene vertant, certus sum armis libertatem à tyranno repetere, patriamque in antiquum statum pro virili restituere, ad quod pulchrum facinus non deerunt nobis cùm aliarum gentium, tum Venetorum, Florentinorumque auxilia, qui, vel Philippi odio, vel quia pulchrum ducunt libertatem vbique tueri, præstò erunt nobis subsidio. Sunt & principum ciuitatis nobis studia conciliata, & in primis Thomæ Fulgosij, cum quo nuper in gratiam redij. Ite igitur viri fortes, & si publica libertas, si ciuium, si vestra, si coniugum liberorumque vestrorum salus vobis curæ est, turpissimæ seruitutis iugum è patriæ ceruicibus excutite, tyranni dominatum tollite; Opicinum carnificem cum suo præsidio subita vi opprimite, oppressum laniate; victoria haud dubiè nostra est, si ad primum clamorem consensus & clamor ciuium sequetur; quo si proditi & destituti simus, honesta mors potius expetenda est, quàm turpis vita in posterum agenda. Hæc Spinula. quibus sanè verbis mirum dictu est, quantoperè omnium animi ad studium amoremque libertatis inflammarentur. At in ea re perficienda plurimæ summæque difficultates ostendebantur, & inter reliquas, quòd omnes arces tam vrbis, quàm totius agri Ligustici, Ducali præsidio tenerentur, & quòd indies nouæ militum copiæ ad vrbem ipsam confluerent. Accedebat huc, quòd Rex Alfonsus, iam pristinæ libertati restitutus, pro sua maiori securitate ab Insubro arcem portus Lunaris obtinuerat, omnesque verebantur, ne etiam Ilicensem arcem in suam potestatem redigeret. Quæ obstacula, licet essent magna, tamen summa iniuriarum impotentia, & flagrantissimum libertatis studium hæc omnia superabat. Et quia conficiendo negotio commoda temporis ratio requirebatur, plerisque expedire visum fuit, vt quartus ac vicesimus dies Decembris valdè opportunus occidendo Opicino Alsati, qui Lampuniano in vrbis Præfectura successerat, videretur; nimirum, cùm longo vsu in ea vrbe receptum sit, vt sub vesperam Præses, aliique complures vtriusque ordinis ciues, in curiam eo die conueniant, eo potissimùm nomine, vt Præfectis Reipub. sollemni quadam cærimonia honorem exhibeant. Spinula, has sibi partes desumpserat, vt domi tantisper se contineret, donec Præses, ac reliqui in prætorium conuenirent, & mox cum suis clientibus & fœderatis, sublato clamore, populum ad libertatem vocaret. Interea per fidelem ministrum Thomæ Campofulgosio, tunc Seresanæ degenti, clàm significarunt, vt liberandæ patriæ conatus & ipse pro sua virili adiuuaret ac promoueret. Verùm, res ea tempestate illum successum habuit, vt multis rationibus impediti, destinatum negotium, prout constituerant, ad exitum perduci nequiuerit: sed necessitate quadam adducti, rem ipsam ad sextum Cal. Ianuar. distulerunt; rati, tunc maiorem opportunitatem sibi oblatum iri, quòd eo tempore nouus vrbis Præfectus sollemni cum pompa in vrbem primùm recipi soleat. Ceterùm, quia Philippus multis rationibus adductus, in magnam nouorum studiorum suspicionē venerat, Erasmum

Triuultium, inter Mediolanenſ. opibus, familiæ amplitudine, ac rerũ geſtarum fama inſignem, Opicino ſucceſſorem dederat, eo cõſilio, vt clandeſtinos motus, ſi qui eſſent, ſolita ſua prudẽtia ſuperaret & extingueret. Huic ad vrbem venienti, cũ magna ciuiũ frequentia, honoris cauſa, obuiã de more proceſſiſſet, ſtatim ſub eius in vrbem ingreſſum, coniurati, portam, quę vulgò D. Thomæ vocatur, occuparunt, ita vt cùm ipſi duo Præſides ad curiam rectà contenderent, Spinula extemplò armatus, domo, vbi ſeſe cum aliquot ſuis aſſeclis & clientibus continuerat, proripuerit, atq. ſublatis ſignis vrbis, & ingeminato ſępius libertatis nomine, obuios quoſq. ſingulos nominatim appellãdo, ad libertatẽ priſtinam recuperandam, & crudelem tyrãnidem deponendam adhortabatur, cõmonefaciens ſingulos, meminiſſe vellent, qua in ciuitate geniti eſſent, & quàm prędarã recuperandę patriæ occaſionẽ præ manibus haberent. Ad cuius amabilem, & omniũ auribus acceptam libertatis vocẽ, vix dici queat, quantus totius populi fuerit concurſus, præſertim cum tàm magnũ, & tam eximiæ auctoritatis, libertatis auctorẽ & vindicem nacti eſſent, adeò vt præ nimio plebis ardore atq. concurſu, nouo Præſidi vix tẽpus concederetur, vt ſe in Caſtelleti arcẽ ſubduceret. Opicinus verò, tametſi ſumma velocitate & ſtudio ſeſe præſentibus periculis eripere conaretur, efficere tamen non potuit, vt concitatæ plebis manus, quæ illum ingenti odio perſequebatur, aliquo modo effugeret. Sed ſtatim ante D. Syri templum crudeliſſimè trucidatus, haud longè à puteo occubuit: eiuſq. cadauer ibi longo tempore ſeminudum & lacerũ per ludibriũ & contumeliam in cœno volutatum, & non antea ab furenti multitudine derelictum, quàm propter fœtorem, cruoremq. ac ſordes intractabile eſſet. Præſidiarij milites, cognita Opicini morte, ac intellecta noui Præſidis animi cõſternatione & fuga, intra horas tres abiectis armis, paucis admodũ obſiſtere auſis, propè omnes exautorati, ac citra aliquã cædem, vel cuiuſquam iniuriam, dimiſſi. Itaq. Mediolanenſiũ Princeps, poſtquã circiter vndecim annorũ ſpatio Remp. Genuenſ. magna cũ ſua gloria & dignitate in poteſtate habuiſſet, propter ſuam, ſuorumq. adminiſtrorũ crudelitatem & tyrannidem, eius ditione atq. imperio excidit, præſertim cùm liber populus, contumeliarũ & iniuriarum intolerantiſſimus, ferre non poſſet, vt ſuam Remp. priſtinis honoribus & immunitatibus ſpoliatã atq. orbatam videret. Excuſſo igitur Inſubrico iugo, atq. altero Prędide, vti diximus, ſublato, noua Reip. gubernatio inſtituta fuit, & Senatus conſulto confirmata, ſcilicet, vt ſex ciues, tanquã recuperatæ libertatis defenſores, Præſidis nomine crearentur. Quos adſcribere non piget. Primi igitur fuerunt Franciſcus Spinula, Andreas Auria, Matthæus Lomelinus, Nicolaus Iuſtinianus, Petrus Bondenarus, & Petrus Caſſinus, quibus haud multo pòſt Andreas Marinus, & Ioannes Nauonus adiuncti. Horum adminiſtratio ita ſe habebat, vt ſumma quidem rerum penes eos eſſet, ceterum, duodecim Senatorum magiſtratui, ac reliquis Reipub. ſtatutis nihil prorſus interim derogaretur. Atquia Senatus ſummoperè verebatur, ne Inſuber, alioquin in vindictam pronus, armis prætenſam iniuriam quàm primum vlciſceretur, ſummis ſtudiis allaboratum fuit, vt tres illæ arces, in aditu vallis Pociferæ ſitæ & collocatæ, in poteſtatem ſuam redigeret, ne ſcilicet, hoſtis earum præſidio, vrbem ipſam omni commeatu reliquiſque rebus neceſſariis intercluderet. Factum igitur fuit, vt lectiſſimæ vrbanę iuuentutis, aliorumque indigenarum robore & alacritate, omnes tres occuparentur, quæ poſt magnam deliberationem omnium iudicio atque ſententiis dirutæ ac exciſæ fuerunt. In hoc ſtatu rerum, ciuitas, ingenti quadam ac ferè extrema annonæ caritate, frumentique inopia laborabat, ita vt ciuitati extrema

quæque

Genuenſ. duce Franciſco Spinula, ſeſe in priſtinam libertatem vendicant.

Opicini, Mediolanẽſium Ducis præfecti, miſerabilis interitus.

Noua Reip. forma.

Arces vallis Pociferæ S. C. euerſæ.

quæque metuerent. Proinde ad eam subleuandam Senatus pari prudentia Iacobum Baracellum ad Pont. Eugenium quartum, & ad Florentinos legatum misit; partim vt ab vtrisque frumentaria te iuuaretur, partim etiam, vt eorum subsidiũ ad recuperatam libertatem retinendam imploraret. Sauonenses interim, & qui oram littoralem incolebant, Genuensium defectione intellecta, illorum exemplum secuti, paucis ab hinc interiectis diebus, Insubri Magistratum ac præsidia eiecerunt. At Philippus, cognito nouo Reipub. Genuensis statu, grauissimè offensus est. Verùm, cùm speraret, se adhuc, Castelleti arcis præsidio vrbis dominium recuperare posse, magna celeritate sub initium proximi anni, qui fuit eius ætui trigesimus sextus, Nicolaum Piciniñ, virum ea tempestate, vti diximus, in bellicis rebus longè clarissimum, cum omnibus suis copiis expediuit, & Genuã misit, existimãs, omnem bene gerendæ rei euentum in festinatione esse positum. Quod sanè Ligures summa cum prudentia præsentientes, tanta sollertia & industria in illius arcis expugnatione vsi sunt, vt, vno eodemque die illius propugnatores exteriorem arcis murum, quà ad Africum vergit, non citra maximam ignominiam & detrimentum relinquere cogerentur. At veriti ne ad tantam belli molem sustinendam essent impares, quatuor legatos, scilicet Damianum Palauicinum, iuris peritia clarum, Simonem Maciam, Ioannem Iustinianum & Lucianum Grimaldum, tam ad Venetos, quàm ad Florentinos misêre, vt cum illis fœdus ac societatem inirent, quò in posterum aduersus nouum hostem nouis auxiliis firmarentur: tantumque valuit missa legatio, vt ab eis ampla subsidia facili cum negotio obtinerent. Inter hæc, Picininus cum suo exercitu, in quo, præter aliquot equitum turmas, amplius quindecim millium virorum expeditissimorum erant, vrbi appropinquabat: de cuius aduentu oppidani certiores facti, vt illum aditu, quà arx iacebat, intercluderent, ac planè prohiberent, fossam extra vrbem valdè latam, quæ nimirum arcis longitudinem æquaret, perduxerunt. Quo quidem opere perfecto, cùm ante hostium aduentum, arcem vndiquaque denuò inuadere constituissent, tota vrbs cum omni genere bellici apparatus die constituto ibi præsto fuit. Id verò vbi primùm præsidiariis innotuit, licet valido præsidio communirentur, valdè tamen exterriti sunt, adeò vt pleriq. illorum de deditione facienda cogitarent. At nouus Præses, qui, postquam in arcem sese fuga, vti ostendimus, recepisset, nunquam ea excesserat, eiusque præfectus, cùm ob sui nominis dignitatem, tum etiam ob insignem cladem, quam inde Philippus acceptarus esset, huic rei summoperè aduersabantur. Vicit tamen potior pars, quorum arbitrio statutum fuit, vt cum Senatu ea conditione paciscerentur, vt, nisi intra præscriptã diem succurreretur obsessis, arcis deditio fieret. Et quò pacti aliquam securitatem exhiberent, vna turris, obsidis quodammodò loco, in potestatem oppidanorum cessit. Nihilominus tamen, cùm iam exercitus in vrbis conspectu esset, populus moræ impatiens, & nullas conditiones admittens, præsidio turris traditæ admirabili quodam impetu arcem inuasit, & illam, frustrà eius Præfecto, ac ceteris, violatam fidem inclamantibus, expugnauit, præfectis, ac præsidiariis militibus, quos ibi adinuenerant, publicæ custodiæ traditis, vt eorum permutatione, Genuensium legati, ac reliqui Ligustici nominis, qui eodem tempore per Insubriam captiui detinebãtur, priori libertati restituerentur: arxq., quòd omnium iudicio exitiosa crederetur, de cõmuni Senatus, ac Patrum, & totius ciuitatis consensu, breui diruta, ac solo tenus deiecta. Interim Ducalis exercitus in Vallem Pociferam descendens, obuia quæque ferro & igne depopulabatur, & quædam militares copiæ in vrbe descriptæ, & ad illorum co-

1436.

Arx Castelleti funditus excisa.

natus inhibendos, in viarum anguſtiis atque anfractibus collocatæ, cùm viribus & numero longè eſſent inferiores, breui temporis ſpatio fuſæ ac profligatæ ſunt.

Cladis illatæ in agro Liguſtico per Nicolaum Piciniuum.

Quo felici rerum ſucceſſu, Picininus vlterius progreſſus, & ad vrbis vſque mœnia excurſione facta, fermè omnia priuatorum ciuium municipia & villas diripuit & deuaſtauit, naueſque, recèns in Petri Arenatij littore fabricatas, concremauit, arbitratus, his terriculamentis pertinacium oppidanorum animos facilius inflecti poſſe. Ceterùm, cùm neque id prodeſſe animaduerteret, neque vllam Caſtelleti recuperandi ſpem amplius haberet, illinc, re infecta, diſcedens, ad occupanda Liguſtici agri oppida, in quibus ſanè minus difficultatis ineſſe exiſtimarat, ſuas cogitationes adiecit, primoque ſuũ exercitum, in quo etiam aderat Galeotus Finarij regulus, Inſubricas partes ſecutus, ad Vulturij obſidionem, omnia interim longè lateque depopulatus, traduxit. Ligures interim, vt Mediolanenſium Principi faciliùs atque commodiùs reſiſteret, paulò antè, vt memoraui, ſuos oratores ad Venetos ac Florentinos, fœderis iciendi gratia, ablegarant. Et quanuis ea legatio nondum abſoluta eſſet, nihilominus tamen Florentini haud pœnitendam militum manum Genuenſibus auxilio miſerunt, ex quibus, circiter quadringentos milites ad Albingauni, quò aduerſariorum copiæ venturæ dicebantur, defenſionem præmiſerunt. Huic verò, ea tempeſtate, Thomas Auria, Conradi filius, vir animi bellique fortiſſimus, cum imperio præerat, qui & horum præſidio, & aliquot militaribus cohortibus à ſe contractis, primos Picinini impetus alacriter ac ſtrenuè repreſſit, ita ſanè, vt ipſe haud multò pòſt, re nequicquam tentata, obſidionem ſoluerit. Fuit profectò res ſumma & incredibili admiratione digna, populum Genuenſem, cùm in hac expeditione, tum pleriſq. aliis in locis, tam valido exercitui, tamque ſtrenuo & magnanimo duci, ſub tanti Principis fortuna, tam ſæpè, non citra iugem ac perpetuam Liguſtici nominis gloriam, inuictis atque intrepidis animis reſtitiſſe, cùm præſertim ab initio res longè aliter caſura videretur. in quo quidem animorum robore atque conſtantia li Reſpub. in eodem tenore perſeueraſſet, non dubium, quin priſtinus ſplendor ac dignitas omni ex parte recuperata eſſet. Verùm, inſtantis periculi liberatione rebus ſubinde intepeſcentibus, haud multò pòſt, ne quãdo à metu ac periculis vacaret, néue quid vnquam malis publicis deeſſet, ſoliti tumultus & conuerſiones, cum maximo totius ciuitatis, atque adeò Liguſticæ ditionis incommodo ac detrimento, ſicuti proximo libro enarrabimus, repullularunt.

LIBER DVODECIMVS.

1436. RESPVBLICA Genuenſis in tam vario gubernationis genere, tam graui & diutina ſeruitute erepta, omninò diutius quàm vllo vnquam tempore, veterem ſuam libertatem retinuiſſet, niſi fatales illæ factiones in pleriſque familiis ſubinde in eius perniciem atque exitium recrudeſcentes, variis multiplicibuſque modis obſtitiſſent. Vigebat quippè ea in vrbe Guarcorum factio, quæ in omnium animis tam altas radices egerat, vt Iſnardus, eiuſdem Princeps, licet iam ſenio confectus, & excitandis turbis, vel conciliandis hominum animis inidoneus, quòd tamen ſemper popularis extitiſſet, in magno honore & exiſtimatione palàm haberetur. Et quamuis in ea ciuitate multæ eſſent familiæ antiquæ & illuſtres, quę ſibi inuicem optimo iure cõparari poterant; nihilominus tamen

tamen longè ceteris dignitate,& opibus, armorumque gloria, Fulgosia gens ea tempestate præstabat. In qua quidem familia, Thomas, qui Philippo Mediolanensium Duci, eius vrbis principatum reliquerat, & paulò antè Seresana, vbi spontaneum exilium egerat, in vrbem postliminiò redierat, præcipua nominis celebritate, propter recentem rerum gestarum memoriam, facilè excellebat: eoq; res deuenerat, vt, vniuersorum animis sensim in tuenda libertate languêre incipientibus, singulos, qui modò alicuius nominis, vel auctoritatis essent, dominandi libido magis magisque indies excitaret, & in nouam spem erigeret, licet Guarca factione, pedetetim, vt inferius dicemus, extincta, dumtaxat inter Fulgosiam, & Adurniam, præcipua æmulatio extaret. Cùm igitur octo illi Præsides libertatis, quorum suprà mentionem fecimus, dum suam quisque factionem fouere ac tueri studet, prioris concordiæ neruum incidissent, vel saltem maiori ex parte relaxassent, siue quòd ita à natura ipsa sit comparatum, vt plures, vnum idemque imperium diu ac feliciter administrare nequeant, nimirum cùm multitudo imperantium confusionem inferre soleat, siue quòd paucorum ambitione supremam Ducatus dignitatem sibi despondentium, clandestina consilia variis artibus sæpius eludi consuerint; Primates veriti, ne illorum altercationes atque dissidia, Reip. aliquod graue detrimentum afferrent, plebe in templum D. Syri conuocata, omnium suffragatione, Isnardum Guarcum, cuius patruus Nicolaus difficillimo tempore Rempub. rexerat, Ducem creant. Qui etsi legitimè Dux renuntiatus foret, priuato tamen similis, citra aliquem tumultum, vel armorum strepitum, in palatium per suffragatores, subsequenti populari turba, deductus fuit. Præsides, in curia de more habitantes, re tantùm audita, nequicquam vltrà scisciatati, quòd popularem rabiem, vti existimo, metuerent, se magistratu sponte abdicarunt, & in suas quisque domos redierunt. Verùm, septimo vix die postea exacto, necdum rebus ipsis ad Principis statum fulciendum pertinentibus compositis, Thomas Campofulgosius Petri filius, qui paulò antè cum summo totius ciuitatis applausu, incredibilique plebis lætitia in vrbem acceptus erat, prætorium, magna armatorum vi stipatus, oppugnare cœpit, eo sanè successu, vt deturbato præsidio, conuocataque statim ad concionem plebe, partim popularibus suffragiis, partim vi & metu, Principatu obtinuerit. Imminebat rursum ea tempestate agro Ligustico Philippus Mediolanensium Dux, vir impiger, & proferêdi imperij supra modum auidus, qui occasionem talium ciuilium discordiarum & assiduarum commotionum nactus, omnia se feliciter gesturum non addubitabat. Proinde Genuenses, tametsi rerum vrbanarum status nondum esset compositus, multaque forent huiusmodi, quæ, nisi cum summa difficultate & tempore superari possent, nihilominus tamen, reiecta in præsens omnium rerum vrbanarum cura, nihil habuêre prius, quàm extemplò pecuniam ad conscribendum in Etruria militem, quem Philippi conatibus opponerent, expedire. Delectu itaque primùm in ipsa ciuitate habito, ex tota vrbana plebe aliquot in sagittariorum turmas conscripti, quibus Angelus Dentatus, vir militia clarus, præficitur. Huic, inter cetera suæ militiæ munera, seriò iniunctum est, vt enixè daret operam, omnibusq. viribus & artibus cõtenderet, vt Albingaunos, eo tempore à Mediolanensium Principe oppressos, & valdè defatigatos, maturo præsidio subleuaret, atque extremis propemodum laborantes periculis, eximeret. Non carebat siquidem ea res summa difficultate, nimirum, quòd hostiles copiæ omnem propè ferendi auxilij aditum ac commoditatem intercluisissent. Proinde cùm maximè Reip. interesset, illum populum quàm citissimè in libertatem

Isnardus Guarcus Princeps renunciatur, eique breui post succedit Thomas Campofulgosius.

reponi, post longas deliberationes super hac re habitas, consultum videbatur, vt Dentatus cum sua manu mari Albingaunensi littori allaberetur. Is igitur prouinciam susceptam diligentissimè ac dexterrimè iuxta executus, incredibile aduentu suo obsessis gaudium attulit, ipseque confestim, ea ingressus ipsis etiam oppidanis strenuè allaborantibus, armatus è naui in continentem desiliens, nullis hostium conatibus vel viribus prohiberi potuit, quin intra mœnia cum suis acciperetur, magna me herculè cum omnium ciuium lætitia & congratulatione, qui sublatis in cælum manibus, Deo Opt. Max. pro tam opportuno auxilio ingentes gratias agebant, atque faustis acclamationibus singulos compellando, vsqueadeò animis confirmabantur, vt longè minoris, quàm antea, hostem facerent, ac tanti Ducis virtutem ad cælum tollere, mutuisque cohortationibus fortiores & alacriores fieri, ac crescente indies sensim fiducia, saepius in ipsum hostem erumpere, fortunaque aspirante, magnam stragem facere, pauciscque acceptis detrimentis, iterum ad pristinum officium redire. Quibus sanè successibus, obsessorum animi adeò sunt accensi, vt, licet absumpta iam magna ex parte annona, aliisque ad vitam necessariis alimentis, nihilominus tamen cum magna animi constantia omnes impetus iniuriasque hostiles fortiter ferrent, & cōstantissimè deuorarent. Tam magnas quippè in omnium animis maiorum suorum gloria radices egerat, tamque præclara egregiæ virtutis exempla recèns edita, ob omnium oculos versabantur, vt satiùs pro Reipub. fide atq. constantia cum omnibus fortunis euerti ac mori ducerent, quàm deditione facta, libertateque amissa, in alienam deuenire potestatem. His certè tam honestis salutaribusque consiliis, annuentibus Superis, arrisit fortunæ successus: Quando-quidem cùm iam extrema ferè rerum omnium inopia & egestate frangerentur, vnicaque salus in dextris & propitiis armis relinqueretur, Deorum omnium beneficio accidit, vt Ioannis Perdicis nauis, quæ ex prouincia Narbonensi triticō onusta Genuam repetebat, fortè fortuna in illum scopulum qui Albingauno ex diametro opponitur, impingeret. Eodem etiam breui pòst, pari fortuna tres onerariæ, quæ Bartholomæo Auria duce, in superiori expeditione contra Tarraconenses Reipub. militauerant, postquam diuersa maria longo tractu & ambitu peruagatæ essent, delatæ sunt. Proinde intellecta obsessæ ciuitatis inopia, ne aliquo officio ciuitati laboranti defuisse existimarentur, summis viribus annisi sunt, vt expeditis aliquot minoribus machinis bellicis, hostem omnia latè praeoccupantem, submouerent, ac ita aditum in vrbem sibi sternerent. Quod simulatque ab obsessis fuit animaduersum, ne in re tam opportuna occasionem aliquam negligerent, eruptione repentè facta, tantum tritici & commeatus in ciuitatem importatum fuit, quantum scaphæ illarum onerariarum nauium capere potuerunt. Hoc modo annonæ caritas, quæ ad desperationem vsque obsessos premebat, Deorum immortalium munere mirificè cum omnium commodo ac incredibili lætitia subleuata. Multi namque ex ipsa promiscua plebe erant ita fame exhausti, vt, si diutius in illa anxietate resistendum fuisset, verendum summoperè esset, ne misera ciuitas, potius inopia & fame, quàm ferro interiisset. Itaque tanti commeatus beneficio, tantique ducis præsidio, ab imminente ac præsenti periculo magna ex parte erepta, & liberata fuit. Superiori libro diximus, Rempub. Genuens., legatos Venetiis atque Florentiæ habuisse, eo consilio, vt vtramque Remp. in belli societatem, atque in rerum communionem aduersus Philippum Insubriæ Principem attraheret. Quo etiam nomine, Matthæus Lomellinus fuit ablegatus, & haud ita multò post, aliquot mercenariæ copiæ,

Albingauni à Genuensibus maturo præsidio subleuati.

copiæ, scilicet, duorum ferè peditum millium, in Etrusco agro coactæ, atq. in Liguriam perductæ sunt, quibus adiuncta fuerunt sex sagittariorum millia, ex diuersis regionibus & locis in militiam transcripta. His copiis freti, quæ iusti exercitus speciem præ se ferebant, Nicolaum Picininum, strenuũ alioquin virum, & veteranum ducem, à partibus Mediolanensium stantem, & Albingaunum, illius nomine arctissima obsidione prementẽ, apertè inuadere statuerunt, eo consilio, vt hac ratione vrbem ipsam obsidione liberarent. Præparatis itaque omnibus ad tantum repellendum hostem necessariis, omniumque animis ad hanc expeditionem valdè intentis, Picininus, ad tanti apparatus rumorem, relicta ad præsens Albingauni oppugnatione, Finarium rectà contendit, ita vt ad ipsum solum apparatus bellici rumorem, obsidio, præsertim quòd exercitus Imperator abesset, statim per obsessores ipsos soluta fuerit. Albingaunenses, obsidione liberati, missis Genuam oratoribus, rerum suarum statum, ac perpessarum calamitatum imaginem, ob oculos Senatui exponebant, & accisis rebus, subsidium orabant. Quapropter, Senatus, pro veteri suo instituto ac beneficentia, collaudata prius illorum fide atque constantia, in præteritarum calamitatum solamen amplissimis donis eos prosecutus est, & inter cetera, veræ liberalitatis argumenta, illis vectigalium immunitas, atque militiæ vacatio ad quatuor & viginti annorum spatium cum magno omnium consensu & applausu indulta fuit. Interim, Ligures his molestiis liberati, cùm intelligerent, Lunense oppidum, atque arcem Ilicensem, cum suo magno detrimento ac euidenti incommodo sub aliena potestate detineri, nihil habuêre antiquius, quàm omnes inire rationes, vt eas quibuscumque possent modis, recuperarent, potissimùm cùm scirent, quamdiu in potestate Alfonsi Aragoniorum regis essent, Ligustici nominis dignitatem non solum modò offendi, atque lædi, verùm etiam Reip. ipsi frenos, & lupatos, vt dicitur, quodammodò inijci. Proinde occasionem ex regis profectione Neapolim versus metientes, nihil reliqui ad summam diligentiam fecêre, quin expeditione facta, illas summis viribus adorirentur ac expugnarent, adiuuantibus illorum conatus summoperè incolis, quorum opera arx ipsa Lunensis capta, & tandem expugnata fuit. Ilicensis verò, cùm paribus viribus & animis esset adorti, illius Præfectus pecuniæ auidus, cùm maiorem quæstus, quàm fidei rationem haberet, hoc vnum in primis agebat, vt magna nummorum vi potius, quàm telis & machinis bellicis expugnaretur. Verùm, cùm neminem reperiret, qui fidem suam venalem mercaretur, mira calliditate intempesta nocte per insidias ab ipsis obsidentibus in colloquium euocatus, in vincula quamprimùm conijcitur, ac citra aliquam armorum vim, vel impetum, in potestatem Genuensium arx ipsa redacta est. His rebus per Liguriæ oram gestis, vix anno elapso, ex quo Fulgosius postliminiò Principatum assecutus fuerat, Baptista eius frater, dira dominandi cupiditate incensus, contra omnia humanitatis atque affectus naturalis iura, in fratrem conspirare non fuit veritus, ea nimirum spe, vt, cùm ipse propter præclaras ac magnas animi corporisque dotes, haberet multos suarum partium studiosos, prima oblata occasione, Principatum, abrogato fratre, inuaderet. Itaque cùm Thomas grauissimorum publicorum negotiorum causa peregrè profectus esset, & aliquamdiu ad illa constituenda vrbe abesse cogeretur, tanta bene gerendæ rei occasione ostensa, cum multis armatis in curiam ipsam illapsus, quamprimùm illam occupauit, ac repentè multorum suorum clientum concursu facto, suffragiis repentinis ac fausta acclamatione Princeps designatus & saluratus est. Sed, vt est in prouerbio, vt malè parta citò dilabuntur, sic etiam huic

Arces à Genuensibus receptæ.

1437.

vsu venit, qui, neglecto fratre, cum malis artibus ad tantum honoris fastigium peruenisset, tanta dignitate indignus, assequi non potuit, vt malè partum imperium vltra decem horas retineret. Thomas enim frater, vt erat vir summo ingenio, magnæque, propter spectatam probitatem ac prudentiam, auctoritatis, subitò excitis intimis quibusque, paratisque iustis auxiliis, nouum Principem, rerum summæ cum imperio in palatio præsidentem, fortiter obsidere cœpit, & post aliquot horarum spatium, supremam atque pristinam dignitatem, magno cum omnium bonorum applausu & lætitia, fratre gloriæ suæ æmulo, turpiter in ergastulis coniecto, recuperauit. Et quamuis multos viros graues, & in rebus politicis non mediocriter versatos, auctores haberet, qui multis validissimis rationibus adducti, illi suaderent, vt de scelestissimo fratre, nihil non in eius perniciem ausо, debitas pœnas ad posteritatis exemplum sumeret; tamen pro ea, qua præstabat humanitate, & vera fraterna charitate, nunquam adduci potuit, vt castas & intemeratas manus fraterno sanguine pollueret: arbitratus id quod res erat, se potiùs mansuetudine & clementia, immortalitatis gloriam, quàm nouis & inauditis exemplis sæuitiæ acquisiturum. Iisdem fermè temporibus, Renatus, Ludouici tertij Andiouini frater, anteà Lornæ Barisijque Dux appellatus, & anno supra millesimum quadringentesimum trigesimo primo, ætatis verò suæ vndeuigesimo, grauissimo illo bello, quod Carolo septimo Galliæ, cũ Henrico Angliæ rege intercessit, iuxta Barum in Gallia Belgica, à Valdemontio Comite, & Burgundiæ Marischalcho regis hostibus, captus, postquam ad Philippum Burgundiæ Ducem perductus, atque in custodia ab eo habitus fuit, tandem Valle Casleti suæ ditionis oppido, illi tradita, Flandriæque contributa, sese redemit, & ita datæ fidei religione ac prẽstiti iurisiurandi sacramẽto liberatus, rebus domi compositis, bellũ Neapolitanum diu conceptũ, gerere constituit. Verùm, priusquam ipsemet in illam expeditionem proficisceretur, vt primum se à Ioanna secunda testamentariis tabellis hæredem constitutum, & Alfonsum à Genuensibus in nauali prœlio captum esse, pro certo intellexit, Isabellam suam coniugem, heroinam, ac planè virilis animi mulierem, vnà cum duobus filiolis, Ludouico, & Ioanne, quinque triremibus raptim paratis, & impositis, Neapolim præmisit. Quæ illuc prospera nauigatione circumuecta, magna cum omnium procerum, nec minori plebis congratulatione, benignissimè atque honorificentissimè excepta fuit, eiq. regni habenæ, cum summo omnium fermè Principum consensu & suffragatione, tantisper permissæ fuerunt, donec suus coniux Neapolim veniret: quas sanè tanta cum moderatione & æquitate rexit, vt nullum querendi locum alicui relinqueret. Inter hæc, Renatus, domi rebus compositis, in Galliam Narbonensem venit, & Massiliæ summa celeritate quinque triremes instrui atque adornari curauit: quibus præparatis, Georgiũ, Pulcini Comitem, oratorẽ suum, ad Senatum Genuensem ablegauit, qui nomine suo peteret, vt pari modo ibi etiam aliquot nauium numerus expediretur. Hoc facilè in gratiam regis à Senatu impetratum est, ac triremes septem in Genuensi portu fabricatæ, omnibusq. rebus nauticis instructæ. Quibus rebus constitutis, rex ipse proximo anno, qui fuit eius æui duodequadragesimus, Idibus Aprilis, quinque triremibus, duabusque speculatoriis tantummodò nauibus concomitatus, Genuam appulit, summoque cum omnium ordinum applausu exceptus est, atque de more sollemni per Senatores in curiam deductus, splendideque ac regaliter, quamdiu Genuæ substitit, cum magna sui satisfactione habitus. Quandoquidem Senatus nullum splendoris & veri regij apparatus genus prætermittebat, quod pro veteri hospita-

Exemplum singularis humanitatis atque clementiæ.

Renatus Andegauensis Genuensiũ ope regno Neapolu potitur.

1438.

hoſpitalitatis iure, ac antiqua cum iis regibus neceſſitudine & amicitia non exhiberet. Poſt decimum quintum ab aduentu ſuo ferè diem, omnibus ad profectionem ſuam adornatis, coacta duodecim triremium claſſe, ad prætoriam triremim ſumma cum pompa vnà cum tota ſua aula deductus eſt, & poſt longos atq. honorificos ſermones cum Patribus habitos, inter cetera, cum ingenti gratiarum actione perpetuæ atque conſtantiſſimæ voluntatis propenſionem pollicebatur, ita vt ipſos admodum lætos atque hilares dimitteret, & non parum ab eis deſideraretur. Tantum etenim poteſt in animis hominum, Principum manſuetudo, ac veræ heroicæ naturæ conditio, vt non ſolummodò ſubditos & clientes in debito officio retineat, verùm etiam & ignotiſſimum quemque, atque, quod magis eſt, interdum ipſos hoſtes ad amorem ſui pelliceat, & ceu reluctantes impellat. Rex itaque, dimiſſis Patribus, cum ſua claſſe omnem ferè Liguſticam oram, illius amœnitate captus, legit, exſatiatiſque oculis, tandem in Lunenſem portum deuectus eſt. Conſtans rumor totã ferè Italiã occuparat, Alfonſum Aragoniæ regẽ, potẽtibus armis validaq; claſſe in Italiam, tum temporis, propter diuturnã tranquillitatẽ, ſummoperè rebus omnibus florentẽ, ad Renatũ regẽ ab ea repellendũ, ac planè profligandũ, breui venturum. Ea fama commotus Andegauenſis, nihil habuit antiquius, quàm ſumma diligentia & ſtudio claſſem ſuã indies augere, ac vndique contractis præſidiis, vires ſuas accreſcere, ideoque duas triremes, nuper à Iano Campofulgoſio, qui poſtea Genuæ principatum obtinuit, in Corſica fabricatas, ſuæ claſſi addidit. Proinde acceſſione indies noua facta, cùm ſe iuſto nauium numero auctum & inſtructum intelligeret, tandem menſe Maio Neapolim verſus curſum inſtituit, quem citra aliquam difficultatem, vel impedimentum, ſecunda nauigatione abſoluit, ibique magnis cum Procerum, ac totius nobilitatis Campanæ ac populorum ſtudiis, regali pompa, vt maximè ipſum decebat, exceptus fuit. Poſt exigui tamen temporis interuallum, quòd tot, tamque magnis tolerandis ſumptibus foret impar, neque ea tempeſtate haberet ita ærarium inſtructum, vt pro innata ſua liberalitate regium ſplendorem tueri, ſimulque militaria ſtipendia, quæ in immenſum excurrebant, commodè perſoluere poſſet, dimiſſa claſſe, maiorem etiam militum ſuorum partem exauctorauit. Ceterùm, Alfonſus Rex, vt compertit, Renati claſſem eſſe exarmatam, Genuẽſiumq. triremes domum reuertiſſe, collectis vndique, quas poterat, viribus, omnibuſque triremibus ad iuſtam claſſem inſtruendam euocatis, additis iis in ſupplementum aliquot onerariis nauibus, in hoc præparatis, excurſionibus vndique factis, non ſolùm mare valdè inquietabat, verùm etiam expoſitis in continentem militibus, omnem ferè Tyrrheni maris tractum cum maxima omnium incolarum calamitate infeſtabat, adeò vt dum ipſum Renatum hoſtiliter inſequitur, nullus propemodum maritimus Italiæ tractus foret à tantis moleſtiis liber. Habebat enim ad quindecim lectiſſimorum virorum millia, quo tanto numero confiſus, & non parum ſpei in quibuſdam Campaniæ proceribus, ſui ſtudioſis, reponens, facili negotio putabat, ſe, eiectis Gallis, regnum recuperaturum, & Aragoniorum ſtudia introducturum. Hic annus Genuæ graui peſtilentia, Piſis, vti deprehenſum eſt, aduecta, inſignitus fuit. Nam cùm miles quidam inde profectus, clam Genuam veniſſet, ac ſeruam cui aſſueuerat, contactu infeciſſet, illa, in muliercularum grege obuerſata, quarum pleræque lactantes, ſinu geſtabant infantes, morbum in proximas vulgauit, ac ſubitò nutrices, infanteſque latente malo correpti, eam labem in domeſticos præſertim diffuderũt. Eoq. velociùs, quòd cùm omnis eo tempore ſuſpicio eiuſmodi mali procul abeſſet, ægrotantiũ curationem refu-

Genuã peſtis diuexata.

giebat

giebat nemo. Ita cùm more repentini incendij, domos aliquot ea tabes pertaſſet, pluresque vim morbi indies contraherent, pauor primùm, dein fuga fieri cœpta. Nec antè in vicina vrbi loca reditum est, quàm autumni frigora salubritatem reuexêre. Huius temporis tractu, cùm Tarraconenses, armatis aliquot onerariis, prædantium magis, quàm belligerantium more, cædibus ac rapinis sæuirent, quatuor, easque ingentes, parari naues placuit. Legendi Præfecti cura paucos in dies dilata, quòd Dux ac Senatus, qui duodenario tantùm numero costaret, inuidiosum sibi fore arbitrati, si soli Præfectum ipsi creassent, ius & arbitriũ eiusmodi maluerunt cum aliis cõmunicare. Vocatus est igitur is Magistratus, quem, quia trãsmarinarum curam gerit, Romaniæ vulgò nominant. Isq. item, qui rem pecuniariam curat. Postremò & is quoque, quẽ D. Georgij protectores dicunt. Additi sunt his & ciues quidã primarij, vt sexagenarium numerũ omnes implerent. Ibi non manifesto suffragio vocum, sed calculorũ occulto, creatus est Pelegrus Promontorius: & classis intra paucos dies soluta: quæ ad inquirẽdos hostes, Gallicum, Balearicũ, ac Sardoum mare circumuecta, cùm Neapolim versus iter intenderet, orta seditio est, quòd propinquo iam fine stipendij, nulla certa mercede nauigare videbãtur, si Neapolim vsq. naues ducerentur. Quam ob rem cùm nemo esset cui de noua solutione satis crederetur, ante percepti etiam stipendij exitum, inuito & nequicquam clamante Præfecto, Genuam repetunt. Cùm res tam fœdi exempli, optimatum præsertim animos offendisset: nec seditionis auctores cautiùs agentes, sese, nisi paucis admodum, crederent, dissimulari facinus placuit, donec illi, nihil seuerius contra se statui videntes, securiùs ac negligentiùs vagarentur. Ita paucos intra dies, iniectæ sunt in eos manus. Et tribus eorum supplicio affectis, reliquos metus ipse coërcuit. Circumagebatur iam ter-

1439. tius nouæ libertatis annus, erantque omnia domi foriſque tranquilla, ita vt non absurdè interpretari viderentur, qui dixerant, Ambrosiani templi summitatem nullius damno fulmine deiectam, dominatum Philippi portendisse, à ceruicibus populi Genuens. nullius clade excutiendum. Peraptè enim Mediolanenses per diuum Ambrosium, cui vrbs illa dicata est, & per fastigium dominatus sublimitatem designari. Verùm, ea temporum otia interrupit Renatus Rex, qui magnis primùm populorũ studiis in regno acceptus, sensim minui, & cadere haud cunctanter visus est; seu quòd Alfonso, Siciliam, Sardiniamque, & alia prædita regna obtinẽti, impar opibus erat: seu quòd cum Italorum moribus parum Gallis conuenire soleat: seu quòd ita à natura comparatum est, vt minoris opus laboris sit, regna parare quàm tueri. Cumque parum tutum videretur; quatuor, quas suprà memorauimus, onerarias, Alfonsianæ classi obijcere, adiunctæ sunt illi & tres aliæ, quæ iam, pretiosis mercibus onustæ, Galliam, Britanniamque petituræ erant. Ita, duce Pelegro, soluta septem nauium classe, nullo obuio, Neapolim ventum est. Patefacto mari, cùm quatuor priores aduersus sparsos iam tunc hostes satis esse crederentur, eas Renatus, doctior factus, quantum sibi in maritimo exercitu momenti esset, non magna mercede cõducit. Et Genuam redeunte Pelegro, missus statim Nicolaus Campofulgosius, Spinetæ filius, qui admodum adolescens cum imperio præfectus est. Tres negotiatoriæ post paucos inde dies littus tenuêre. Nicolaus in ipso ætatis flore, mira quadam & incredibili proferendi nominis cupiditate flagrans, cõsilium per se valdè quidem temerarium, & præceps, licet exitu admodum felix, & glorioſum, oppugnandæ arcis Neapolitanæ, quã vulgò Nouam vocant, iniuit. Hæc nimirum, adhuc Alfonsi validis præsidiis fouebatur, adeò vt ipse hoc nomine haudquaquã videretur omninò Neapolita-

politano imperio excidisse; cùm non parum esset, tanti momenti propugnaculum in ipsius Neapolitanæ vrbis portus aditu positum, in potestate sua habere. Constat, eam, opus esse primi Caroli, qui Berengarij gener, Ludouici regis Francorum frater, aduersus Manfredum à Romano Pont. in Italiam quondam accitus fuerat. Namque is, deuicto equestri pugna Manfredo, regno Apuliæ potitus, arcem, quam Capuanam nominant, à Friderico, Henrici & Constantiæ filio, Romanorum Imperatore, paulò antè constructam, velut opus Germanorum contemnens, hanc nouam ædificandam curauerat; spatij multum amplexus, vt non arcis modò, sed regiarum quoque ædium vsum præberet. At Fulgosius, suis rebus intentus, omniaque sua consilia & actiones ad bene rem gerendam iugiter explicans, vna difficultate cum magno suo dolore laborabat, quòd militem, tantæ oppugnationi parem, & sufficientem non haberet. Verùm, excelso animo impedimenta omnia aspernatus, ab illius oppugnatione nullis consiliis abduci poterat; sed suos adhortatus, bonoque animo esse iussos, eam strenuè aggressus est, omniaque fortis ducis, ac strenui bellatoris officia præstitit; & partis suis militibus, sagittarios, ceteroque eius classis viros, turri illi quæ inter scopulos posita D. Vincentij nomen retinet, destinauit, eo consilio, vt eam crebris eiaculationibus defatigarent, atque euerterent. Sed cùm illa fortiter à præsidiariis regiisque propugnaretur, primi iuuenis ducis conatus fuerunt irriti, & cùm magno obsessorum irriso & cachinno excepti. Ipse tamen, nihilò secius commotus, cum suis sagittariis fortiter oppugnationi instabat, ac crebro sagittarum nimbo hoc effecit, vt, plerisque præsidiariis, vel interfectis, vel sauciis, iam aditum ad admouendas scalas sibi præpararet: quibus admotis, & viriliter conscensis, cùm citra aliquam intermissionem, omnem vim intentarent, præsidiarij, tantis viribus impares, summa necessitate adducti, deditionē fecerunt. Hoc successu, Fulgosius præclaræ virtutis, ac eximiæ iuxtà fortitudinis iuuenis, mirum in modū inflamatus & exhilaratus, reliquam oppugnationē arcis non vltrà differendā arbitratus, cohortem vnam quadringentorū ferè Gallici nominis militū suis classiariis militibus adiunxit, fossaq. prealta, & valdè præcipiti arcem vndique cinxit; frequentibusque munimentis ac propugnaculis ad defensores lacessendum mirabili artificio inuentis atque extructis, hostem eò necessitatis & angustiæ redegit, vt, occupato & intercluso omnis importandi commeatus aditu, multisque aggeribus, instar magnarum molium excitatis, facultatem & commoditatem haberet machinas bellicas, quarum magnā copiam in nauibus habebat, in continentem exponendi. Quocirca, præparatis omnibus ad nouam oppugnationem necessariis, primùm sagittis minoribusque tormentis arcem ipsam defatigare cœpit, & magna cum pertinacia citra aliquam intermissionē, excepta ea quæ corporibus curādis dabatur, obsessos defatigabat, magnisq. cladibus afficiebat, adeò vt multis præsidiariis occisis & vulneratis, sensim vsq. adeò in tantā angustiam redigeretur, vt in paucorum defensorum robore ac virtute arcis tutamen consisteret. Naues etiam ipsis arcis munimentis propiùs admotæ, haud segniùs, vel minori cum alacritate rem gerebant: quarum propugnacula ita in mali summitate erant locata, vt altitudinem turrium propè adæquarent. De his tantis, tamq. repentinis bellicis apparatibus, Alfonsus primùm fama ipsa, deinde certis nuntiis, certior factus, omnibus suis copiis in vnum contractis, continua profectione in Campaniam ad obsidionem soluendam contendit. Sed Fulgosius, deprehensis atque perspectis ipsius regis conatibus, ne aliqua negligentia peccaret, iugi cura omnibus iis dat operam, celerrimeque prospicit, quæ regi aduenienti atque subsi-

Arx nouæ Neapolis à Fulgosio obsessa & tandem deditione occupatur.

1440.

dium

dium ſuis adducenti, obijci atque aduerſari poſſent. Pari diligentia & ſtudio Renatus Andiouinus, de aduentu Aragonij prę̃monitus, rebus ſuis peropportunè adfuit: frequenter etenim Neopolitana nobilitate ſtipatus, armis, paludamento, ceteriſque regiis ornamentis conſpicuus, operas, aggeres, aliaſque munitiones inuiſebat, milites humaniter atque blandè alloquebatur, nec aliquid prætermittebat huiuſmodi, quod ad inflammandos, ſimulq. deuinciendos militum animos aliqua ratione conducere exiſtimabat. Ingerebat ſiquidem ſæpius, vt, neglectis contemptiſque omnibus vitæ periculis, fortiter ac ſtrenuè ſeſe exhiberent, futurum aliquandò, vt, ſuperatis tantis laboribus, hoſtibuſque, victricibus armis repulſis, ſingulis, prout vniuſcuiuſque virtus promeruiſſet, præmia atque ampla ſtipendia liberaliſſimè perſoluerentur. Hac comitate ac pollicitationis ſpe accenſis, erectiſque mirum in modum militum animis, nemo ferè in tanta hominum multitudine, ingeniorumque diuerſitate, erat, qui non magna cum animoſitate munus ſuum obiret, ac diligentiſſimè ſtationem ſibi commiſſam defenderet, adeò vt arx ipſa eò enixiùs atque alacriùs oppugnaretur, quò certius, Alfonſum breui ſuis præſidio adfuturum nuntiaretur. eoque iam erat in ipſis hoſtium præſidiis deuentum, vt pleriſque eorum fauciis, ac vulneratis, rarus in ipſis turribus atque muris miles conſpiceretur, vel aliquis caput efferre auderet. Nam, vltra quòd diutina oppugnatione defatigati, & multis laboribus fracti erant, etiam annonæ caritate laborare inceperant, adeò vt, deſperatis quodammodò rebus, quamprimum, vti exiſtimatur, deditionem feciſſent, niſi magnam fiduciam in Alfonſo, ſuo rege, quem, cum magnis peditum atque equitum turmis non ita longè abeſſe conſtans fama diuulgarat, collocaſſent. Proinde hac noua ſpe confirmati, atque animum reſumentes, tantiſper oppugnationem tolerandam putabant, donec numero, & omnibus rebus neceſſariis aucti, ab ipſo rege vltimis periculis eximerentur. Ceterùm, Aragonius Neapolim cum valido præſidio appulſus, hoc enixè dabat operam, vt armis ſibi per Andegauenſium munimenta, & aggeres, ſtrata, atque adaperta via, arci ſubſidium nouumque præſidium inferret. Sed cùm ferè ad teli iactum hoc cõſilio propiùs acceſſiſſet, vbi ſaxis ſagittiſque illum cuneum, quem in prima acie conſtituerat, fortiter ab hoſte repelli, & cum magna ſtrage fundi videt, paulatim pedem retrò tulit, mox pudore ac metu ſtimulatus, veritus, ne obſeſſi, deſperatis ſubſidiis, arcis deditionem facerent, ſummis viribus ſemel atque iterum irruptione nequicquam tentata, rebuſque infeliciter ſuccedentibus, contra ſpem & opinionem cum ſummo ſuo dolore ſub occaſum quodammodò ſolis, in caſtra redire coactus eſt; ibique inſtructis omnibus ad hoſtilem vim reprimendam neceſſariis, poſtridiè ferè ſub auroram educto exercitu, omnibuſque ſuis copiis in acie, & per ordines collocatis, ne qua ſcilicet ſpes obſeſſis deeſſet, eam diem ad ſolam oſtentationem citra aliquem fructum trãſegit; cuius inſtituti ordinem cum aliquot diebus continuis ſeſe ſubindè cum acie ſua oſtentando, ſecutus fuiſſet, rurſus impetũ in hoſtem facere inſtituit, magnoque robore & alacritate in obſidentium munimenta inuectus, cùm omnia imperuia ac obſepta reperiret, vt omnibus in locis aditu arceretur, deſperatis quodammodò rebus, atque omni ferendi auxilij ſpe ſublata, receptui canere iuſſit, & in interiora Campaniæ loca, vnde vltimò mouerat, cum ſuis reuerſus eſt. Verùm enimuerò, Rinaldus Sanctius, ex Cathalanis oriundus, vir alioquin acer, ac rei militaris peritiſſimus, ab Aragonio defenſioni arcis cum imperio impoſitus, intellecto ſui regis, in cuius maturo ſubſidio omnem vitæ ſpem cum ſuis repoſuerat, diſceſſu, in deſperationem quandam prolapſus, nimirũ quòd

omnibus

omnibus rebus non solùm ad obsidionem tolerandam, sed etiam ad vitæ alimoniam & sustentationem necessariis, esset destitutus, omnesque eius milites diutina fame languidi, vix ægra corpora commodè circumferrent, de deditione cogitare cum maximo suo dolore cœpit, eaque de causa, cùm Andegauenses, per crebros internuncios, atque adeò per fecialem regium, ad colloquium sollicitasset, tandem inter eos, ea conditione pactum & transactum est, vt ipse Sanctius Præfectus vnà cum suis militibus incolumis, præsidiis excederet. Arce, ea conditione tradita, ipse cum suis commilitonibus longa inedia squalidis & macilentis, non sine multorum militum dolore, & planè tristi miserandoque spectaculo, egressus est. Huius tantæ arcis expugnatæ, ac deditæ, fama, per vniuersam Italiam diuulgata, etiam reliquas Christiani orbis prouincias & regiones diuagata est, ita vt hoc nomine, Renati potentia mirum in modum cùm celebraretur, tùm formidaretur, quòd hac ratione regnum eius non parum fulciri atque firmari videretur. Genuenses etiam, quòd regi tam fidelem atque strenuam operam nauassent, passim per omnes gentes & nationes bene audire, ac magno virtutis præconio efferri, virtutemque bellicam vnicè in eis admirari, industriam fideique constantiam erga veteres reges summoperè laudare, & ad cælum vsque deuehere. nec minor Fulgosio propter spectatam virtutem bellicam, aliaque fortissimi ducis ac militis munera, laus & gloria, omnium ore atque consensu tribuebatur, sic sanè, vt in tato iuuene, qui vix bene posito militiæ suæ tyrocinio, egregiis factis, peritissimi cuiusque ducis gesta æquantibus, per omnia ora meritò volitaret. Verùm, quantum ex arcis nobilissimæ deditione, contra omnium spem, breui tempore subsecuta, Renato gloriæ accesserat, tantum, propter suam inopiam ac rerum necessariarum angustiam, indies magis atque magis decedebat. Satis quippè constabat, & subindè constanti fama percrebuerat, nullum à Carolo Gallorum rege, alióue Gallici nominis Principe, neque militis, neque pecuniæ auxilium tam citò expectandum esse, ita certè, vt nisi eo, & duobus proximè insecutis annis, Ligures, suis propemodum impẽsis rem naualem administrassent, & Iacobus Candola, inter Campaniæ Proceres opibus atque latifundiis admodũ potens, Renati partes priuatis suis fortunis & facultatibus, licet ægrè magnóque cum labore sustẽtasset, & auito patrimonio, quoad eius fieri poterat, subleuasset, verendum proculdubiò erat, ne totius regni sui, recèns parti, iacturam feciſſet. Proinde mortuo Candola, qui anno supra millesimum quadringentesimum quadragesimo obiit, Renati res indies in deterius ferri ac delabi sensim cœperũt. Erat tunc temporis Eugenius summus Pont., Alfonso regi, adeoque toti nomini Aragonio supra modum infensus. Hic igitur ad deprimendum Aragonium omni studio & cura iugiter annitebatur, vt Renati statum in Campania, ac plerisque Italiæ partibus nutantem, & inclinantem, præsenti fulcimẽto confirmaret. Quocirca enixè dedit operam, vt noui fœderis iure, Galliæ reges Romanæ sedi denuò obligaret: quo sanè inter alia, de mutuo consensu sancitum atque pactum est, vt Pontifex, equestri exercitu, Genuenses verò, in maritimis expeditionibus nauali classe arma aduersus Alfonsum & Aragonij nominis socios expedirent. Et ne pecuniæ pænuria bellicos apparatus aliqua ex parte remoraretur, imperatum fuit passim nouum vectigal, scilicet, mercimoniorum centesima. Naualis etiam classis summa habebatur ratio, præsertim cũ prima in Alfonsum expeditio mari susciperenda esset. Quandoquidem, quàm plurimæ triremes fabricatæ sunt, & illæ quæ nimia vetustate aliqua ex parte videbantur inutiles, summa cum diligentia refectæ, ita vt addito multarum onerariarum supplemento, insignis naualis classis

Summa laus Ligustici Præfecti, & populi Genuens.

1441.

expedita & præparata fuerit: cui cum imperio Ioannes Fulgosius, omnium fratrum minimus, non citra suorum, multorumque aliorum manifestam inuidiam, & æmulationem, præfectus fuit. Non deerant etenim in vrbe, qui cùm superiorum temporum concessas dignitates, & munera Reip. memoria repeterent, & exactiùs secum expenderent, facilè, comparatione facta, statuebant, quænam officia nobilitate commendatos, quænam denique populares homines decerent, nimirum cùm Senatus semper summum conferendorum Reip. munerum delectum ac rationem habere solitus esset. Quare, licet Fulgosia gens multis nominibus esset conspicua & insignis, eiúsque in patriam præclara merita extarent; nihilominus tamen complures patricij ordinis contendebant, etiã sibi ad honores capessendos viam non debere esse præclusam, ideoque existimabant, hac assidua honorum continuatione, nobiles negligi atque defraudari, paulatimque contra vetus Reip. institutum ac morem, solis popularibus, ceteris præteritis, dignitates & munera conferri: eaque de causa peracres contentiones ac dissidia in ipsa vrbe oriebantur. Sed omnium grauissimè, vt res docuit, offendebatur Ioannes Antonius Fliscus, Nicolai filius, qui id muneris ita sibi animo destinauerat, vt iniuriam vocaret, si quis in eo se illi præferre auderet. Fremens igitur, & minabundus, vrbe excedens, Turriculam, (id Castelli nomen est, viginti fermè millibus passuum ab vrbe positi,) petiit, ac vniuersa sua consilia & conatus in Thomæ perniciem ac exitium vertere paratus, cum Philippo, Mediolanensium Principe, societatem ac fœdus iniit, & quidem Montanos primò, deinde vicinarum villarum incolas, spe largitionibusq. corruptos, ad arma corripiendũ concitauit: & mox, contracta haud pœnitenda manu, quandoque ad vrbis vsque conspectũ excursiones facere, nũc prędatorijs lembis excursando, mare infestũ reddere, nihil demũ maris, aut terrarũ pacatũ relinquere, quod inter quartum ab vrbe lapidem, Clarumq. oppidũ interiacet. Quibus rebus summoperè perturbatus atq. anxius Thomas, nulla mora interposita, mercenario milite cõducto, naues actuarias, quę mare tuerẽtur, instruxit, & loca vrbis editiora, valido præsidio cõmuniuit. Verum interea Alfonsus, intellecto, Pontificẽ, nouis ictis fœderibus, cõtra se conspirasse, atque eò esse deuentũ, vt Genuæ instructa noua classe, arma vndique aduersus se conquirerentur & expedirentur, summa cum diligentia rebus suis ita prospexit, vt, ad omnem euentum paratus, belli aleam subire non vereretur. Nam, quanuis Aragonij nominis potentia multum in Italia, propter diuersas procerum factiones, ac studia, esset attrita, & labefactata, tamen cùm ipse latè patentem ditionem, magnosque ac potentes socios & confœderatos haberet, nulla ratione se aduersariis suis inferiorem existimabat, ita vt non addubitaret, præmissis aliquot triremibus, & minoribus nauibus, totius Ligusticæ oræ tractum grauissimè infestare. Quo sanè factum est, vt Ligures, haud parum perterriti, ac sibi mirum in modum metuentes, annonæ caritatem, aliarumque venalium rerum pretia ita augerent, vt postmodum omnium rerum necessariarum inopia passim in vrbe laboraretur. Non deerant enim in ipsa Italia, qui clam & apertè Alfonsi partibus, adeoque Aragonio nomini fauerent, & inter ceteros quidem Galeotus Carretinus, Finarij Marchio, Ligustici status & nominis exules, alioque à Repub. quacunque de causa proscriptos, ostenso asylo, ad se recipere, classem regiam portu, & commeatibus iuuare, aliaque subsidia ostendere, quæ à vero amico & subdito, necessitatis tempore, expectari & exhiberi solent. Hisce conatibus cùm non nisi maximis sumptibus variisque modis iri obuiam posset, omnis pecunia ex fœdere coacta, & parata, partim in extruenda classe, partim in reprimendis terra marique

Genuæ nouitorus ab Antonio Fliſco excitati.

mariq́ue enascentibus motibus absumpta est. Quod cùm Eugenius, qui supra quatuor equitum millia aduersus Alfonsum iam præmiserat, resciret, graui indignatione accensus, se à Genuensibus elusum dictitans, ita exarsit, vt nulla postmodum ratione satis placari potuerit, veteriq́ue beneuolentia, qua semper ipsos hactenus prosecutus fuerat, penitus abrogata, multis argumentis persæpè testatus sit, acceptæ iniuriæ memoriam altas in animo radices egisse. Ceterum, Alfonsus enixè dabat operam, ne quicquam ad bene feliciterq́; bellum conficiendum, parteſque suas tuendas prætermitteret, & occupatis Vintimilio, Cerra, Auersa, Beneuento, & Opizio, nec non Caprea insula, & Gulielma arce, inedia, omniumq́. rerum vitæ necessariarū pęnuria ad deditionem compulsis, inde rectà cum toto suo exercitu mirabiliter instructo, ad nouam Neapolis obsidionē cum summa celeritate contendit: quam cùm vndique arctissimè obsedisset, multisq́. diebus citra aliquam oppugnationem ibi constitisset, tandem à transfuga quodā obscura & intępesta nocte vrbem ipsam ingresso, edoctus fuit, per cloacam subter muros patēre ingressum. eamq́ue occasionem præter spem adeptus, furtim, oppidanis omnibus insciis, sensim tantum militem per ostensum specum immisit, quantum ad reserandas armis atque ferro vrbis portas sibi sufficere videbatur. Et hoc modo aditum in vrbem nactus, ea potitus est octauo Idus Iunij, siue, vt aliis placet, pridie Non. Sextilis, anno salutis supra millesimum quadringentesimum quadragesimo secūdo, exacto ferè annorum viginti spatio, ex quo assiduè in illo regno bellum aduersus Andegauenses alioſque Aragonij nominis hostes, acriter gesserat. Simili ferè ratione, & eodem propè fato hanc vrbem etiam ante annos quinque & nongentos, Belisarius à Gothis recuperauerat. Renatus interea sese ad vrbis defensionem omnibus conatibus & viribus præparans, vbi hostium multitudinem atque armatorum frequentiam in ipsis ciuitatis mœnibus conspexit, ad tantum spectaculum valdè conterritus, se statim cum aliquot primatibus Gallis, & primoribus Genuensibus in arcem nouam subduxit; &, quòd viribus longè esset inferior, abiecta ad præsens omni recuperandæ ciuitatis spe, discedere statuit. Priusquàm tamen abitionem pararet, arcem ipsam omni commeatu rebusq́ue necessariis instruxit, eamq́ue Antonio Caluo, patricio Genuensi, cui magnam pecuniæ summam debebat, custodiendam tradidit, ea conditione, vt, nisi infra præstitutum tempus, eum nouis præsidiis & auxiliis iuuaret, tunc ipsi esset integrum, cum Alfonso, vel ipsis Aragoniis, quibuscumq. posset modis, paciſci & transigere. His ita constitutis, ipse conscensa naui, quæ ea de causa aliquamdiu ibi ad anchoram steterat, in portum Pisanum, comitatibus illum altera naui Othino Caracciolo, & Ioanne Cossa, traiecit, atque illinc se Florentiam, ad Eugenium Pont. Romanum, tunc temporis ibi agentem, properauit: cum quo postquam varias rationes tuendi regni recuperandæq. vrbis nequicquam iniuisset, vbi nulla auxilia ostēdi vidit, sciretq́ue, præfatam arcem non sine magnis sumptibus tueri ac retineri posse, elapso præfixo tempore, iniunxit Ioanni Cossæ, vt Antonius Caluus, ipsius Præfectus, deditionem faceret: ipseq́ue diuersa fortuna in Italia vsus, & sexennio ferè Neapolitano regno potitus, abiecta omni vlteriori rerum Italicarum spe, Massiliam, vnde antea venerat, mari reuersus est. Cossa interim, impetrata sibi, Othino, & aliis quibusdā Neapolitanis Proceribus, ab Aragonio venia, vnà cum Antonio Caluo de arcis deditione cum Aragoniis agere cœpit; acceptaq́ue tanta ab Alfonso pecunia quantam illi Renatus debuerat, arcem illi liberam tradidit. Ceterum, Alfonsus recuperato regno, Neapolim curru triumphali, regio apparatu & splendore instructo, cum magno

Neapolis ab Alfonso recepta.

1442.

Renati ex regno Neapolitano discessus.

omnium procerum atque ordinum consensu & applausu, faustaque plebis ex clamatione triumphans ingressus est. Quò autem illius diei æternitati consecrata memoria celebrior atque illustrior foret, Neapolitani, opibus, magnificentia, & rerum apparatu cum omnibus Italiæ populis certantes, ne aliquid prætermitti viderentur quod ad splendorem, magnificentiam, & laudem tanti regis augendam pertinere existimarent, Romanorum antiquo more, insignem, ac planè artificiosum arcum marmoreum, & porphyrio lapide conspicuum, variis emblematis, atque Aragoniæ gentis, de variis subactis populis reportatis triumphis atque victoriis, incisum, ante arcis portam, cum summa regis gloria, & perpetuæ laudis testimonio construxerunt. Hæc, spatio trium, vel quatuor annorum gesta coniunxi, ne diuisa, haud perinde ad memoriam sui valerent. Nunc ad temporum ordinem redeo. Dum res Neapoli summa cum omnium lætitia geruntur, ac regis præsentia omnium oculi distinentur, inter Philippum Insubriæ Princi-

Pax inter Philippum, Venetos, Florentinos.

pem, Venetos, ac Florentinos, pax, grauissimis de causis renouata est, annitente potissimum Francisco Sfortia, ad quem, belli ac pacis arbitrium, velut ad communem amicum, vnanimi illorum populorum consensu delatum fuit. Pollebat etenim ipse summa apud eos auctoritate, magnaque passim apud omnes erat in existimatione, non modò quòd Philippi exercitus supremus dux esset designatus, verum etiam multum sibi potentiæ accreuerat, quòd Philippus, elocata filia vnica, quam habebat, filia, Blanca Maria nomine, socer eius recèns esset factus. Ea pax, Reip. Christianæ cum primis necessaria, plerisque Italiæ populis, diuturnis bellis defatigatis, summam quietem, otiumque paritura sperabatur, ita vt passim propè ab omnibus, summis votis atque integris animis exoptaretur. Non deerant tamen, quibus eius conditiones mirum in modum displicerent, inter quos Thomas Fulgosius in primis censebatur, cuius opes, quibus florebat maximis, vehementer ea præcipuè de causa postea fuerunt labefactatæ, nimirum cùm eius potentia illorum confœderatorum populorum auxiliis ac præsidiis potissimum subnixa, constituta pace, cùm singuli certis pactis illigarentur, factū fuit, vt ipse Fulgosius priuatis tantummodò opibus staret, ac niteretur, adeò vt, illo inciso neruo, ægrè se contra aduersariorū suorū vires priuatis opibus tueri posset. Itaque cùm indies magis atq. magis incitatis hominum studiis, multæ contra illum, vt plerumq. fieri solet, orirentur factiones, & nouos inimicos subindè experiretur, accisis iam rebus suis, tantæ aduersariorum multitudini ægrè atque difficulter reluctari poterat. Nam, vt eius minoris notæ aduersarios taceam, Alfonsus Aragonius nauali classe ipsum miserè diuexabat. Pari odio Philippus ipse magnis equitum ac peditum copiis, eius statum populabatur, atque iugiter inquietabat, & complures alij, tantorum Principum exemplum imitati, planè in eius vltimum exitium conspirabant. Néue vno dumtaxat calamitatum genere videretur oppugnari atque premi, noua atque magna doloris, illi, ex fratris sui Baptistæ morte, recèns è viuis sublati, accessio facta est, quem vnicè, propter eius virtutes ac

Baptistæ Fulgosij interitus.

singularē industriā diligebat, sic vt in tanti fratris fide non parū auxilij ac solaminis in vtraque fortuna reponere semper cōsueisset. Tametsi enim antea ipsis, vt superius dictū est, malè cōueniisset, nihilominus tamē post secutā reconciliationē, omniū præteritarū iniuriarum obliuio ita abolita fuit, vt nunquam ex eo tēpore mutuam charitatem fraternam, vel fidem, aliqua in re desiderarint, sed potius optima fide mutuis officiis inter se certarint. Proinde fratris mortem ac funus summis lacrymis prosecutus, ei sollemni cum pompa parentauit, tanta me herculè cum ciuium admiratione, vt ex tam insignis pietatis testimonio, ciuitas ipsa haud

haud exiguum Christianæ charitatis exemplum didicerit. Ceterùm, domesticis curis familiaribusque rebus implicitum, sic aduersariorum odia persequebantur, vt multi extarent qui ipsi interitum variis artibus & consiliis struerent ac molirentur: tandemque inter eius cædis auctores conuentum, vt ad scelus commodius perpetrandum, Ioannes Antonius Fliscus, comparatis aliquot lembis piscatoriis, concubia nocte magna cum taciturnitate vrbem clàm ingrederetur, & interea coniurati, correptis armis, sicariorum manu in publicum palatium impetũ facerent. Verùm, licet omnia summo silentio & calliditate exequerẽtur, res tamen ita clanculum geri non potuit, quin ad ipsius cognitionem perueniret. Habebat siquidem in tanta insidiatorum caterua nonnullos fidos amicos, qui de coniuratione, atq. adeò de totius negotij serie edocti, ipsum sedulò commonefaciebant, vt summa cum diligentia, ac præsentibus remediis, sese tantis periculis eximeret; & patefacta coniuratione, diem, horam, locum, & tam atrocis sceleris auctores non ignorabat, licet semper hactenus parum fidei delatoribus præstitisset; nimirum quòd semper elusis suis aduersariis, eorum conatus perpetuò inanes atque irritos fecisset, ita vt, spretis vulgi rumoribus, magna cum animi securitate in tanta hostium suorum frequẽtia viueret. Verùm enimuerò, cùm à pluribus magnę auctoritatis ac fidei viris ei nuntiaretur, Ioannẽ Antonium, decimosexto Cal. Ianuar. noctu ea parte quæ D. Nazarij templo proxima est, eruptorum, facilè impetrarunt, vt ibi ea nocte ad omnem euentum custodes ac vigiles disponerentur. Hi cùm ad sextam ferè noctis horam excubias egissent, vbi viderunt Africum flare ad vrbem nauigantibus prorsus contrarium, simulque noctem valdè immitem frigore esse, derelicta statione, quisque domum suam concessêre. Interea Fliscus, lemborum commoditatem nactus, & patrandæ cædis auidus, summa cum diligentia, pertinax, atque prauum animi sui decretum prosequendum ratus, mutato vento, tribus horis Camulio Genuam peruenit, pauciſque, præter coniuratos, de illius aduentu certiores factis, clàm cum suis in vrbem irrepsit: mox excitato strepitu, passim ad arma, in tanta ciuitatis trepidatione, decursum. Detecta tamen re, neminem propè latebat, Fliscum eo consilio in vrbem venisse, vt aduersus ipsum Fulgosium, Reip. Principem, impia arma sumeret. Itaque luce orta, cùm armatorum globi omnia compita atque vrbis regiones peruagarentur, ciuium multitudo mirum in modum perterrita, & ad tantum inopinatum casum consternata, anceps inopsque consilij passim decurrebat. Quapropter primates ac pleriq. patricij ordinis viri, qui tum potissimùm consilio & auctoritate reliquis antecellebant; in D. Mariæ templum, quod vulgò Vinearum vocant, conueniunt, ac de statu publico, & de patriæ suæ salute, anxiè inter se consultant. Videbant enim rerum præteritarũ statum ita esse perplexum, & impeditum, vt vix vllis consiliis, tantis malis obuiam iri commodè posset. Nam, vltra intestina illa & domestica mala, Philippus Mediolanensium Princeps, nullo tum bello implicitus, sed in maximo otio constitutus, haud paruum ciuitati metum iniecerat, quòd multis indiciis ostenderet, se de recuperanda Rep. prorsus seriò cogitare; sic planè, vt non dubitarent, quin aliquam opportunam bene gerendæ rei occasionem ex domesticis dissidiis nactus, summis viribus quamprimùm adesset. Proinde, de communi omnium sententia statutum fuit, vt ipsum Fulgosium aliqui publico nomine adirent, qui illi ostenderent, concitato iam ad arma populo, non posse sibi citra magnam patriæ perniciem, & priuatarum fortunarum euersionem, victoriam contingere, simulque ipsum inflecterent, vt sponte Principatum ciuraret. Ipse tamen magna cum animi con-

Coniuratio aduersus Thomam Fulgosium detecta.

ſtantia & fortitudine adduci minimè potuit, vt, licet dubiis rebus, ſeſe tam demiſsè gereret; ſed tam prudenter eis reſpondit, vt reſponſione in nouam conſultationem adhibita, nō parum haberet temporis, rebus ſuis proſpiciendi, & commodandi, adeò vt dum conſultando, eundo, redeundo, tempus incaſſum extrahitur, totus dies abſumeretur. Inter hæc, Ioannes Antonius magno animi ardore, ac militari manu conſtipatus, pleriſque in locis armatus diſcurrebat, tanta cum audacia, & inſolentia, vt paruo interiecto tempore, curiam adoriretur, eo quidem euentu, vt illam, cùm nemo eſſet qui defendere aut propugnare auderet, citra magnam aliquam difficultatem, vel ſanguinis effuſionem, occuparet. Thomas etenim, cùm demùm ſe tantis viribus imparem & inferiorem videret, ſe in turrim, vulgò Horariam dictam, ſubduxerat, ac tantiſper in ea delituit, donec ſub fide publica ſalutem ſuam Raphaëli Adurnio cōcrederet. Poſtridiè, Primates ciuitatis, de ſalute & tranquillitate Reip. valdè ſoliciti, iterum in ædem D. Luciæ ſacram, conueniunt, ibiq́ue coacto Senatu, variiſq́ue ſententiarum rogationibus factis, tandem inter cetera, conſtitutum & ordinatum, vt ſex illi viri, qui recèns Plebiſcito denominati & deſignati fuerant, poteſtatem haberent vt ſex alios ſibi allegerent: deinde vt præter Senatum, qui pari quoque duodenario numero conſtabat, octouiratus inſtitueretur, cuius munus & præcipuum officium eſſet, libertatis publicæ curam & tutelam habere, ea tamen conditione, vt, retenta iſonomia & æquabilitate, huius noui collegij media pars patricia, media verò popularis eſſet, & vnoquoque bimeſtri finiretur. Nulla igitur mora interpoſita, ne ſcilicet in tanta Reipub. perturbatione, aliqua negligentia peccaretur, magna cum omnium ſuffragatione atque conſenſu creati ſunt Raphaël Adurnius, vir miti ingenio, & ciuilis Pontificiiq́. iuris cognitione clarus, Ioannes Antonius Fliſcus equeſtris ordinis, Paulus Albarianus, Andalus Malrufus, Lambas Auria, Baptiſta Spinula, Meliadux Saluagus, & Dominicus Ricius Bargalius. Hic Magiſtratus, quòd parum inter eos conueniret, parum durauit. nam vix vltra quintum Calendarum Febr. diem proximi anni, nempe ſupra milleſimum quadringenteſimum quadrageſimi tertij, prorogatus eſt: quo quidem die non citra magnam altercationem & iurgia, Raphaël Adurnius Reipub. Princeps renuntiatus eſt, eo certè nomine celebrior, atque paſſim carior, quò eius patruus Antoniottus & Georgius pater, aliàs Remp. cum pari dignitate non infeliciter adminiſtrarant; ille quidem diuturnitate Principatus illuſtrior; hic verò ciuilitate & moderatione memorabilior: magnumq́ue ſui deſiderium & glorioſam memoriam reliquerant. Thomas interim, poſt abrogatum imperium, priuatam vitam cogitans, ad domeſticum otium ſeſe tranſtulit; & cùm ſibi commodum ſeceſſum quæreret, Sereſanam præ ceteris locis ſibi elegit; quò ſummo cum ſilentio & inſciis ciuibus poſteà profectus eſt, eo in primis omnium iudicio nomine clarus, quòd licet Principatum, quem antea bis cum ſumma nominis ſui gloria & laude adminiſtrauerat, ac in eodem poſtremùm fermè quinquēnium fuerat, per vim & minas deſerere coactus ſit, tamen cum magna animi moderatione hanc iniuriam & contumeliam deuorarit; cùm ſatis conſtet, illum, nunquam, poſt exactum Principatum, aliquod, vel minimi doloris, vel alioquin conturbati animi ſignum, alicui præbuiſſe. In vrbe verò interea, fatales atque veteres ſimultates & factiones, quibus continua ſerie inde ſtatim ab initio Reſpub. miſerè laborauit, & periclitata eſt, iterum recruduerunt. Siquidem, poſtquam Fulgoſius abdicato magiſtratu, ciuitatem reliquerat, Petrus, alij Perinum vocant, eius nepos, excitatis nouis turbis, Patrum decreto perduellionis nota inuſtus eſt. Verùm

1443.

Raphaël Adurnius Princeps renuntiatus.

rùm, cùm ipse esset iuuenis excelsi atque elati animi, & manu promptus, vt aliqua in parte tantam ignominiam vlciscereturr, ad Mediolanensium Principem, Genuensium imperio auidè, vti mõstrauimus, inhiantem, profectus est, eo animo, vt illi strenuam operam in omnibus rebus nauaret; à quo, eò facilius in gratiam & clientelam receptus est, quò certius existimaret, se, illius opera in multis negotiis, præsertim bellicis, vti posse: & idcircò, vt illum sibi arctius deuinciret, Nouium, Ligusticæ ditionis oppidum, dono dedit, quò inde assiduis excursionibus, Genuam, atque Ligusticum agrum diuexaret. Itaque Fulgosius, suapte natura magnanimus, & quietis impatiens, citra aliquam temporis intermissionem, Genuensibus, vltrò citroq. proficiscentibus, quoad eius fieri potuit, variis modis incõmodabat. Pari modo Ioannes Antonius, cuius superius mentionem fecimus, magnas turbas excitabat, & grauiores adhuc secum meditabatur. Nam, cùm videret rerum successum longè aliter quàm existimarat, euenisse, cùm magna ambitione torqueretur, parem, vel superiorem ferre non poterat, adeò vt hac de causa derelicta vrbe, contractisque nouis viribus, & coacta circumforanei & vagabundi militis, ac exulum non parua manu, Recam, & portum Delphinum, Orientalis littoris loca, quæ tunc Genuensium præsidiis tenebantur, expugnauerit, & in huius vniuersæ maritimæ oræ tractu ingentes motus excitauerit: & proculdubiò longè grauiores & maiores coorti fuissent, nisi Adurnius summa cum prudentia atq. studio huic malo remediũ quamprimùm attulisset, tametsi Resp. tam domi, quàm foris, multis & grauissimis dissensionibus & bellis vexaretur. Quippè, hinc Philippi ducis insidiis; illinc Alfonsi classe & armis non parum consternabatur, adeò vt compositione ea potissimùm de causa cum Ioanne Antonio sequenti anno facta, legatisque ad Alfonsum prò constituenda pace missis, ea tandem non tam honestis, quàm necessitate expressis conditionibus inter eos constituta & transacta fuerit. Nam præter alia, cautum fuit, vt propter illa, quæ iure belli ablata essent, vel in alienam deuenissent potestatem, nemo repetundarum posceretur. Præterea, vt Ligures, nec regis, & Aragonij nominis hostes, nec itidem rex ipse, Ligurum inimicos reciperent, vel commeatu vllo iuuarent. Postremum ad omnium preteritarum iniuriarum memoriam abrogandam, atque regis animum, quòd ab ipsis deuictus captusque aliquandò fuerat, deliniendum, statutum fuit, vt honorarij muneris nomine, & in perpetuæ obseruantiæ argumentum, quotannis ipsi, peluis aurea dono à Genuens. mitteretur. Verùm, cùm Alfonsus ad Ligustici nominis contumeliam & contemptum, hoc munus, nisi cum sollemni pompa, ac inusitatis cærimoniis admittere, vel recipere vellet, pax non diu inter eos firma stetit. Indignabantur siquidem summoperè Genuens., quòd Rex, conuocatis omnibus suis proceribus atque nobilibus aulicis, populoque inspectante, eorum munus non ea animi integritate, qua offerebatur, reciperet. Sed non secus ac si deuictarum gentium spoliis & manubiis ad speciem perlatum fuisset, ipse, triumphãti similis, paludatus in sublimi solio, regio splendore atque apparatu conspicuus, tantæ Reip. dignitatem eleuaret, adeò vt deinceps inter eos, permanente tamen pacis nomine, omnia hostiliter vtrimque agerentur. Repub. hoc modo cum Alfonso in gratiam reuersa, quia multum eius intererat, Fliscum, cuius proximè meminimus, tranquillum & pacificum continere; Senatus, quò illum sibi arctiùs obligaret, non absque summa iudicij grauitate ipsum magna liberalitate atque insolitis immunitatibus prosecutus est. Fuit proculdubiò huius pacis cõstitutio vniuersæ Reipub. cùm maximè necessaria, tum etiam summoperè proficua & salu-

1444. *Pax & conuentiones inter Alfonsum ac Genuens.*

taris; quandoquidem, propter præterita bella, intermissæ mercimoniorum atq; mercaturæ exercitationes, & necessitudines, magno cum omniũ gentium beneficio, iterum ad pristinum statum reuocatæ sunt, ita vt ex nouis & mutuis negotiationibus, ærarium publicũ, & loca Georgiani muneris, mirum in modũ etiam crescerent & augerentur. Quod sanè effecit, vt illi octo libertatis Præsides, quos suprà commemorauimus, cùm tantis curis essent impares, & suam prouinciam ob paucitatem ægrè adimplere possent, necessariũ fuerit, paucis exactis mẽsibus, octo alios cum aliquãtò minori auctoritate in idem collegium transcribere. Qui sanè Magistratus, multorum annorum decursu in hunc vsque diem singulari ordine & industria retinetur & cõseruatur, adeò vt meritò censeri possit, sub Adurnij Principatu Rempub. in longè maiori, quàm antea, quiete & tranquillitate vsque ad annum, scilicet eiusdem æui, quadragesimum septimum viguisse: magnumque haud dubiè domestici otij ac priuatæ vtilitatis fructum retulisset, nisi subinde ab Alfonso rege, noua Neapolitani regni accessione insolescente, & acceptæ cladis memoria exacerbato, multis ac diuersis molestiis affecti fuissent. Conquirebat enim ipse anxiè nouarum controuersiarum occasiones & ansam, & annuo suo honorario munere minimè contẽtus, Genuens. populum frequenter armis infestabat, & subinde grauiores subminabatur. His rebus indignati Ligures, omnibus studiis atque viribus contendebant Aragonios, & Aragonij nominis socios, quamplurimis incommodis ac detrimentis afficere. Ceterùm, rebus foris non vsqueadeò sese feliciter habentibus, anno septimo & quadragesimo eius sæculi, (nam duobus superioribus res domi in eodem statu constiterant) in Repub. graues seditiones ac dissidia more veteri, & iam longo vsu nimis recepto, exortæ sunt, initio tumultus ex eo ferè orto, quòd illi, quibus Adurnij administratio minus arridebat, & nescio quas ob causas prætẽsas displicebat, ipsi Adurnio, aliisque eius fautoribus auctores esse vellent, vt sese, ad maiorem Reipub. quietem & securitatem, Principatu abdicaret; existimantes, vt, postquam supremo Magistratu abiisset, libertati pristinæ, cuius se assertores dicebant, hoc modo locus constitueretur. Adurnius igitur, cùm ex mera & innata sibi virtute ac bonitate, ita esset erga patriam, atque suos conciues animatus, vt publicæ tranquillitatis causa, etiam cum summo rerum priuatarum dispendio nihil non agere, vel subire esset paratus, magna cum animi fortitudine, & veræ charitatis argumento, libens atque sponte se tanto honore, & suprema, qua potiebatur, dignitate priuari passus est, ac circa initium eiusdem anni, quem diximus, pridie Non. Ianuar. sollemni more insignibus Ducalibus depositis, se iterum ad priuati ciuis rationem & statum recepit, & à plurimis ciuibus, cum, honoris causa, comitantibus, ad priuatas suas ædes reductus fuit, & statim abrogato illi imperio, duodecim ciues, centuriatis comitiis celebratis, ex cunctis ordinibus summo cum delectu designati, quibus libertatis constituendæ cura demandata est. Verùm, ea res nullum omninò progressum habuit. Quandoquidem ipsi eodem die Barnabam Adurnium, superiori Duci affinitate coniunctum, & eiusdem factionis virum, in Principem communibus suffragiis, non sine sui prædecessoris graui indignatione, quòd se ab amicis stulta & inani persuasione delusum animaduerteret, elegerunt atque substituerunt. Sed quoniam ita ab ipsa natura comparatum est, vt quæ prauis initiis atque malis artibus conquirantur, non diu subsistant, vel saltem, pleraque infelices ac tragicos exitus habeant, euênit, vt Barnabas, qui ad tantæ dignitatis fastigium, præter merita, atque etiam spem & opinionem suam, populari magis inconstantia, quàm maturitate iudicij euectus erat, momen-

Institutio Magistratus ab huius anni cursu denominatus.

1445. 1446. 1447.

Barnabas Adurnius Princeps designatus, cui mox succedit Ianus Campofulgosius.

momento ferè temporis à suprema dignitate in imum præcipitatus fuerit, nimirum vix mense in Principatu transacto, à Fulgosiæ factionis Principibus magna cum sua clade deturbatus est. Conspirarant enim ex ea familia, præter Petrum, quem ad Insubriæ Principis partes transiuisse diximus, etiam Ianus, & Ludouicus fratres, ambo nepotes Thomæ Fulgosij, quem, eximia cum animi moderatione priuatam vitam summo imperio prætulisse ostendimus. Hi inextinguibilibus odiis aduersam factionem prosequentes, summa sua nobilitate atque opibus confisi, ad supremum ciuitatis honorem totis animis & studiis aspirabãt, & in primis quidem Ianus maior natu, licet eo tempore absens, per suæ factionis studiosos, aliosque Fulgosij nominis fautores, hoc vnum enixè contendebat, vt quibuscumque posset artibus & studiis, Principatum assequeretur. Alfonsus interea, quem Genuensis populi studia atque dissensiones neutiquam latebant, operæpretium se facturum existimans, si contentiones atque tumultus ciuiles in vrbe aleret, Barnabam, qui recèns, vti diximus, Principatu exciderat, omnibus pecuniis, ac milite, iuuandum, & fouendum statuit, adeò vt ipse tanti regis beneficio atque auxiliis confirmatus, omnibus suis hostibus, quantumlibet potentibus, facilè reniti atque resistere posset. Proinde Ianus, de improuiso ac præter omniũ expectationem, nocte quadam, vnica tantummodò triremi, in qua paucos, sed cogniti roboris & manu promptos milites, nimirum nongentos, impositos fuerat, in portum Genuensem deuectus, militibusque in continentem expositis, repentino motu prætorium alacriter inuasit. cumque Adurnius cum parua, quam habebat, militari manu illi cum maximo animi ardore occurreret, per multas horas vtrimque acriter dimicatum fuit, ita vt maior pars militum, qui pro partibus Iani stabant, multis vulneribus saucij, extremo vitæ periculo exponerentur: sed magna animi fortitudine sese Adurniis opponentes, tandem curia expugnata, profligatisque aduersariis, Fulgosius victoria potitus est, & mox Principatum vi atque armis occupauit. Et quò seipsum in eo firmius stabiliret, tertio Non. Febr. Petrum in Insubria tum agentẽ, tanquam suæ familiæ & factionis socium, quamprimum ad se euocauit: quem vt fideliorem haberet, vrbanarum cohortium præfectum constituit, his artibus atque studiis ratus, se in nouo acquisito imperio tutum fore. Ac ne popularem fauorem negligere, néue tyrannicè dominari velle videretur, nulla mora quodãmodò interposita, ad Finarium, mille ferè passibus à mari distans, atque in faucibus Vallis oppidum positum, expugnandum animum adiecit, propterea quòd Genuensibus crebrò multa damna ab illius loci regulo, Ligustico nomini infestissimo, inferebantur. Siquidem, præter alia, paucis antè diebus, Galeotus Carretinus, eiusdem loci Marchio, nauim quandam, Caluam dictam, pretiosis mercibus onustam, interceperat, & nonnulla oppida Ligustici nominis occuparat: quod sanè omnium animos ita irritarat, vt ad vlciscendam iniuriam, conscribendumque militem, certatim magnam pecuniæ vim, nempe centum millia librarum, cõferrent. Habito itaque quamprimum per totam Liguriam militum delectu, breuique temporis tractu, vltra septem virorum millia in militiam transcriptis, quorum maior pars ex sagittariis constabat, expeditio in ipsum Marchionem suscepta est. Et quò ea celebrior & famosior fieret, renuntiati sunt, non citra magnum delectum, quatuor lectissimi ciues, vt veteri prosapia, sic etiam morum integritate & innocentia vitæ conspicui, videlicet Andreas Imperialis, Lucas Grimaldus, Paris Iustinianus, & Petrus Montenigrius, vt cum imperio huic militiæ præessent. Et ne aliqua ex parte Resp. hostium iniuriis patèret, non solùm terra, verum etiam

Iani Fulgosij victoria, & ad Principatum promotio.

Expeditio aduersus Galeotum Carretinũ

mari

mari omnia procurare visum fuit, quæ ad omnem hostilem vim propulsandam facere viderentur. Itaque instructæ duæ onerariæ naues, quæ omni genere bellico, aliisque instrumentis militaribus instructæ, magnum oculis oblectamentum & admirationem inijciebant. Nam, quamuis ad ea tempora multæ fuissent cum magnis sumptibus atque artificio extructæ in Ligustica ora naues, tamen illæ duæ carinarum magnitudine, vel potius mole, aliisque rebus necessariis, longè alias superabant. Circa hæc tempora, Philippus Mediolanensium Princeps, cuius hactenus tam crebram mentionem habuimus, pridiè Idus Augusti, nondum sexagenarius, ex atroci febre, & in multâ bilem soluta repentè aluo, è viuis subtractus est, de cuius natura & moribus ita, præter ceteros, Pius secundus in Europæ descriptione scriptum reliquit. Fuit, inquit, Philippus ingenti corpore, in iuuentute macer, in senectute pinguissimus, deformi facie ac terribili, instabilibus ac prægrandibus oculis, ingenio peracri & callido, in largiendo profusus, in parcendo facilis, in audiendo difficilis, at vbi in colloquium venisset, mitis ac placidus; cultus corporis ac munditiarum omnisque lenocinij negligens, venandi cupidus, equorum studiosus. Ceterum, quietis impatiens, atque imperitandi auidus, in pace bellum, in bello pacem quæsiuit, simulandi atque dissimulandi egregius artifex, in milites, quàm in ciues indulgentior, rarò in publicum prodiit, delatoribus facilè credidit, in suspiciones adeò pronus, vt sæpè fidissimos à se amicos leuissimis de causis alienauerit. Pulchris indutum vestibus ægrè ad se venire permisit. Sermonem de morte audiuit inuitus. Tonitrua ac fulmina mirum in modum expauit. Tabifica lue percussos ex vrbibus migrare in agros iussit, eorumque domos incendio tolli. qua cura innumerabilem illum Mediolani populum multis annis intactum quodammodò ab ea peste seruauit. Huic, cùm vita decessisset, funus nec tanto Principe dignum nec suis maioribus ductum est, nec sepulchri decus additum. Hæc Pius. Paucis antè diebus, Astenses, & Carreti, ac Ceuæ Marchiones, qui non semel magnum argumentum sui hostilis animi Reip. præbuerant, cum Philippo principe icto fœdere, longè asperioribus odiis, quàm antea, contra Reip. subditos atque socios grassabantur, ac subinde eos ex rerum occasione diuexabant. Proinde ex communi Patrum consensu, portiones, quas ipsi in emptionibus & vectigalibus Magistratus Georgiani habebant, sequestratæ sunt. Et licet hoc illius Magistratus priuilegiis & dignitati mirum in modum repugnaret, attamen quia maior tunc temporis ratio perduellionis & hostilis animi habebatur, quàm iuris ciuilis, putabant, hac de causa apud omnes gentes facilè excusari posse. Dum verò S. C. naualis expeditio in eos paratur, iamque nihil omninò superesset, quàm vt in hostem mouerent, accidit, vt Fulgosius Princeps, post trium mensium ægrotationem, mense Decemb. fatis concederet, adeò vt propter illius obitum, res ipsa nonnihil differretur. Est siquidem in ea Repub. longo vsu receptum, vt illis qui supremum magistratum gesserunt, summis cum cærimoniis & sollemni pompa parentetur: ideoque omnes ordines iustis persoluendis intenti, curam rerum bellicarum nonnihil remittebant. Breui tamen interiecto spatio, nempe 17. Cal. Ian., crebris suffragiis Ludouicus, recèns defuncti Ducis frater, qui paulò ante in vrbem venerat, Reipub. Princeps resignatus est. Hic igitur tantam dignitatem assecutus, ne aliquid, quod ad Reip. tranquillitatem continendum pertineret, negligere videretur, initio proximi anni, duce Petro Fulgosio Finariũ oppidum arctissima obsidione pressit, eodemque facili negotio, propter controuersias & graues dissensiones tùm temporis inter Marcum, & Galeotum Carretinos, diuersus

Philippi Mediolanēs. Principis interitus.

Ludouicus Fulgosius Princeps renuntiatur.

1448.

uersis studiis inter se contendentes, ortas, potitus est. Marcus etenim, Genuensiũ partium studiosus, tantùm apud oppidanos, apud quos plurimum auctoritate & gratia valebat, effecit, vt citra magnam difficultatem deditionem facerent, potissimùm cùm Galeotus eius frater, apud eos in tanta existimatione non esset. At Genuens., oppido, atque arce in potestatem redacta, consilij ancipites, in diuersas sententias ferebantur, ita vt longa disputatione multæ horæ in ipso Senatu consumerentur, antequam statui, vel decerni cum omnium consensu & satisfactione posset, vtrum oppidum ipsum, vnà cum arce, solo æquari deberet, vel tantummodò reseruata arce, oppidum esset excindendum. Vicit tandem eorum sententia, qui solam arcem, ceu factiosorum hominum receptaculum, & asylum, euertendam dicerent: ac Senatus consulto lato, arx ipsa diruta & euersa est. Carretinus igitur ditione sua expulsus, variis in locis circumuagabatur, & exulabat. At Finarij populus, Genuensium armis recèns oppressus, septimo idus Maij Reipub. consuetis cærimoniis fidem obstrinxit, ac deinceps in tutelã à Patribus receptus est. Ceterùm, externis bellis magna cum Reip. laude atque imperij incremento confectis, iterum ciuitas intestinis malis atque nouis vulneribus confossa fuit. Quandoquidem multi rursus, solito & inueterato more ciuilia arma resumebãt, & multis inter se odiis certabant, auctore potissimùm Petro Fulgosio, qui longè in maiori, quàm Ludouicus, existimatione atque auctoritate in vrbe erat. Popularis namque multitudo, suapte natura leuis & inconstans, planè efficiebat, vt istis parum inter se conueniret. Siquidem Petri dignitatem omnibus viribus & pertinaci contentione tuebatur. Ludouicus, talibus popularibus studiis vehementer exacerbatus, cùm videret, se ægrè Principatum, reluctante plebe, retinere posse, vix anno decurso, vltrò seipsum supremo honore abdicauit. Ceterùm, antequam Petrus cum magna omnium procerum atque optimatium indignatione in alterius locum assumeretur, non deerant viri, auctoritate, & opibus florentes, qui Thomæ, illorum patrui, retroactæ vitæ, ac in gerendo supremo magistratu constantiæ memores, illum, ea de causa tunc Seresanæ in tranquillo otio commorantem, literis quamprimum euocandum censerent, occasione nimirum recuperandi imperij ex horum duorum fratrum suorũ nepotum dissensionibus oblata. Fit enim non rarò, vt viri cordati in bene morata Repub. egregiorum virorum facta & notent, & imitentur, adeò certè, vt hi, qui magna propensione Thomę partibus fauebant, magis illius virtutis æmuli & imitatores essent, quàm aliquid ad gratiam & quæstum facerent. Quapropter non temerè hanc occasionem optimi ac iustiss. Principis recuperandi omittendam esse ducebant. Verùm, quia ipse longo iam senio fessus, magnisque honoribus defunctus, magis otio & quiete in suo secessu, quàm in perturbata, & tumultuosa vrbe supremis rebus præesse, delectabatur, inter cetera rescripsit, sibi in primis quidem illorum studia & voluntatem, iucundam, & pergratam esse; sed cùm magni & præclari in illa Repub. viri essent, qui tanto muneri pares forent, se immensas gratias pro tanto oblato honore agere, atque hoc vnum obnixè obtestari, vt, ad retinendam Reipub. tranquillitatem, aliquid multitudinis fauori hac in parte concederent. Proinde Petrum, popularibus studiis ad Principatum euectum, cùm sæpius antea magnæ prudentiæ & exacti iudicij specimen dedisset, in ea dignitate retinerent & conseruarent. Hoc si facerent, se non dubitare, quin controuersiæ, & odia, ex multis factionibus subindè repullulantia, mirum in modum rescinderentur, atque penitus, coalescentibus tandem omnium animis, abolerentur. Qua sanè in re, tanti viri iudicium, affectione, vel errore lapsum, nulla ratione existimari

Finarium oppidum deditione à Genuens. occupatum.

Arx Finarij à Genuens. euersa.

Finarum in Genuens. potestate.

1449.

1450.

potest;

potest, quoniam Petrus ipse sexto idus Decemb. rerum gubernaculis admotus, tanta cum prudentia & animi moderatione Reipub. clauum rexit & gubernauit, vt non solummodò cum totius Reipub. satisfactione, verum etiam ad exterorũ Principum inuidiam vsque, suas partes impleuerit. Quippè Alfonsus Aragonius, Ligustici nominis atque imperij acerrimus hostis, ægrè ferebat, supremum rerũ fastigium ad tantum virum delatum esse: suspicabatur nimirum illius prudentiã, atque singulari in Reip. administratione peritia, fieri non posse, vt nouis diffidiis locus aliquis daretur. Quocirca non desinebat ipsum omnibus quibus posset iniuriis proscindere, ac Ligusticas opes & ditionem diuexare, multosque profugos, exules ac rebelles subinde emittere, vt Reipub. statum, vtcumque pro temporum conditione quietum atque pacatum, palàm & occultè omnibus artibus & dolis inquietarent: atque adeò Reip. incommodare studebat, vt omnes Ligustici nominis hostes præsenti pecunia, atque necessariis auxiliis, ea de causa iuuaret atq. instrueret. Verum enimuerò, cum rerum humanarum status ita sit comparatus, vt diu aliquid in eodem tenore existere, vel retineri nequeat, non mirum herculè mirum, si in supremis honoribus, atque rerum omnium affluentia sit aliquid huiusmodi, quod etiam bene constituta ingenia ab honesto inflectere, & à bene instituto cursu deducere facilè queat. Fulgosius siquidem, per se quidem bonus & prudens, statim post adeptum imperium, contra multorum hominum opinionem, seueriorem, quàm par esset, sese ostendit atque præbuit. Seueritas etenim in Principe, animi moderatione ducta, magnam profectò laudem promeretur; vbi tamen impotentia quadam animi, tyrannidi proximior, quàm constantiæ & fortitudini esse notatur, magnam labem Principibus ipsis haud dubiè aspergit, ita vt sæpius magni viri, magnas virtutes, præclarasque laudes nimia seueritate obscurarint. Hoc vitiũ, in hoc nostro, de quo loquimur, Principe, statim post adeptum, vti diximus, imperium, irrepsit. Nam, vt alia cõtumacis animi argumenta silentio præteream, satis fuerit, vnum instar omnium, in medium protulisse. Cùm enim circa initium proximi anni, in magna Procerum frequentia, & vtriusque ordinis multitudine, Galeotus Vsusmarius, vir probè sibi conscius, non dubitaret, vt homo liber erat, etiam liberam vocem in libera Rep. emittere, pauca in præsentem Reip. administrationem locutus, quam primum per calumniam ad ipsum Principem, quasi rerum nouarum auctor, ac nouas turbas excitare volens, delatus est. Dux, delatori fidem habens, ac ira exæstuans, ipsum cuestigiò in area Franciscana cum insigni dedecoris nota sic togatum, vt erat, indicta causa, & indemnatum, publicè laqueo suspendi iussit. Exemplum medius fidius commiseratione dignum, & ad omnem posteritatem demandandum, eo potissimum nomine, quòd, licet heroica ingenia multis virtutibus sæpenumerò polleant, in multis tamen turpiter cæcutiant, & sub specie auctoritatis atrocia facinora, tyrannica vi potius, quàm vera Principis æquitate, ac moderatione, cum summo Reipub. detrimento, committere soleant. Hoc tam crudele facinus multorum animos haud dubiè mirum in modum offendit: attamen in præsens potius metu, quàm negligentia suppressum & dissimulatũ. Dum res eo ferè, quo diximus, modo Genuæ, & in aliis plerisque Italiæ locis geruntur, Fridericus tertius, Cæsar Augustus, vnà cum coniuge sua Eleonora, Eduardi Lusitani regis filia, magnaque Principum virorum stipatus caterua, transmissis Alpibus, ex Germania in Italiam contendit, eo animo & consilio, vt designato sibi Maximiliano filio successore, Romam proficisceretur. Præerat tunc rebus sacris cum suprema dignitate Nicolaus quintus, qui cum summo apparatu atq. magna

Petrus Fulgosius Princeps substituitur.

Seueritas in Principe quatenus commendari debeat.

1451.

Petri Fulgosij indignũ facinus.

cum

cum animi expectatione & desiderio Cæsarem ipsum cum tanta Procerum frequentia ad se venientem, excipere auebat, adeò vt cùm de Cæsaris aduentu per literas præmoneretur, conuocata totius propemodum Italiæ nobilitate, pristinã illam antiquæ Romę potentiam, ex rerum omnium præparatarum splendore declarare, & omnium oculis conspiciendam obijcere contendebat. Pontifex itaq. Nonis Martiis ad Cæsarem, qui cum suo gynæceo non procul ab vrbe aberat, honorificam legationem præmisit, quæ eum benignissimis verbis eius nomine salutatũ, ad suburbia vrbis vsq; deduceret, & de ipsius ad vrbẽ appulsu edoctus, quamprimum ex Vaticano Purpuratorũ suorum agmine, aliorumq. Antistitum frequentia concomitatus, feriante tota vrbe, ac festa fronde redimitis omnibus compitis atque postibus, sub vmbella aurea ad Vaticani portam, aulæis, ac variis tapetis auro argentoque intertextis, ornatam, quam S. Petri vocant, perrexit; & in ipsius vrbis conspectu, in Cæsaris, ac eius coniugis amplexum placido gressu irruit. Cæsar, suapte natura benignus, placidus & clemens, ad tanti Præsulis præsentiam non mediocriter affectus, solito atque longo vsu recepto more, illũ dignatus ac prosecutus est, ita vt post mutuos amplexus, variasque omnium ordinum congratulationes, populares que acclamationes, Pontifex inter Cæsarem, eiusque coniugem medius, subsequentibus longa serie omnibus Patribus atque Ordinibus, recta in Vaticanum ipsum contenderit: pauciscque interiectis diebus, de more sollemni diademate sacro capiti impositio, Cæsar ab ipso renuntiatus & confirmatus fuit. Postquam Italiæ Principibus Cæsaris aduentus innotuit, plerique eorum splendidas legationes ad illum habuêre, quorum exemplo Genuenses commonefacti, pernobilem legationem quamprimum ad ipsum destinarunt; cuius, Nolæ Episcopus, & Nicolaus Fulgosius præcipui extitêre. Namque ipsi arbitrantes, tanti Principis gratiam comparari, vel promereri leuiter non posse, ex dignitate tum sua, tum eius, esse existimarunt, vt viri graues, auctoritate ac nominis splendore florentes, publico nomine ad eum mitterentur: quorum certè legatio eò Cæsari carior fuit, quò splendidior & magnificentior. Interea, Galli à Carretinis regulis solicitati, pro eorum defensione arma expediuerant. cumque omnia, quæ bello vsui, in procinctu haberent; Petram, ac Finarium inuadere statuebant; &, sicut nonnullis placet, occuparant: sed Ligures ea de re per crebros internuntios certiores facti, ad illorum, & reliquorum locorum propugnationem & defensionem, eueſtigiò septingentos delectos & veteranos milites ablegarunt, rati hoc modo, recèns exortum impetum validis armis reprimi atque obteri posse. Iisdem ferè temporibus, res in Asia nõ parum innouari atque immutari cœperũt. Mahumetus enim secundus, Amurathis Turcorum regis secundi filius, maximo exercitu collecto, Græciæ imperium adoriri statuerat, adeò vt innumerabili variarum nationum multitudine, per totam Græciam diffusa, mirum in modum iam omnibus summum terrorem inferret. Proinde cùm tanti tyranni efferatam barbariem vniuersa Europa summoperè cùm detestaretur, tum mirificè timeret, Genuenses, de rebus suis solliciti, vrbem Peram, è regione Constantinopolis in Asiatico litore sitam, tunc suæ ditioni parentem, valido præsidio, aliisque bello necessariis & opportunis tempestiuè communiuerunt, & instruxerunt. Hac tamen summa diligentia, quam in rebus omnibus prospiciendis adiungebant, efficere non potuêre, quin fatali quadam vi rebus omnibus ibi excuterentur. Siquidem poste- 1453.
ro anno, qui fuit eiusdem sæculi tertius & quinquagesimus, populo Genuensi, atque adeò vniuersæ Christianæ Reipub. quammaximè insigni, Mahometes dira im-

Mahumetus Turcorum Imperator.

ra imperij prorogandi cupiditate accensus, & Christiani nominis capitalis hostis ac depopulator, ex Asia in Europam infesto atque validissimo exercitu mouens, tam immaniter longè lateque grassatus est, vt plerisque in locis magnam vastitatem & tristem solitudinem afferret, eò certè cum maiori totius Reipub. Christianæ pernicie ac dedecore, quò Christiani Principes tanti hostis potentia nihilosecius admoniti, quàm si nullum periculũ ad se deriuari posset, arma, quæ pro Christiani nominis defensione, in tam barbarum, & potentem hostem expediri & contorqueri debebant, mutuis contentionibus attriuerint, & ciuili sanguine respersérint, ita vt non sine summo animi tædio, atque dolore huius tristissimæ ac pernicioſissimæ expeditionis succeſſum declarare queam. Oboriuntur ſiquidem, vt verum eloquar, mihi lacrymæ, quotiescumque mentis oculos in calamitates publicas circumfero; quotiescumque, dico, præteritorum temporum iacturas, atque ærumnas animo repeto, & recordor. Nam, vt nihil grauius hac tempestate querar, quid miserius est, quid denique calamitosius, quàm florentissimam Christiani nominis Remp., diu multisque annis florentem, nostrorum Principum segnitie, vel potius torpore, atque veterno, maiori ex parte corruisse atque prolapsam esse, videre? Longa enim temporum serie, res Christiana magnum imperium in Asia obtinuit, atque illud, singulari quadam industria & diligentia conseruauit, sic sanè, vt olim vel ad vnius oppiduli solam amissionem, totus Christianus orbis summoperè doleret ac ingemisceret. At nunc, proh pudor atque nefas, licet Respub. ipsa, iam accisis rebus, in valdè angustum atque arctum locum deducta sit, tamen nullus est angulus, imò vix aliquod est illius membrum, quod multis vulneribus non sit saucium atq. confossum; neque aliqua exigua particula, quæ turpi cõtagione non sit infecta. Hoc eò prolixiùs referro, quò exactiùs temporum decursus examino. Nam Mahometes, vti diximus, cum validissima classe, ac trecentis hominũ armatorum millibus, Constantinopolim, veterem omnium Græcorum imperatorum sedem, & olim præstantissimarum artium columen, atque honestarum disciplinarũ omnium domicilium, cum magno Christiani nominis dedecore atque iactura obsedit. De cuius quidem expugnationis funestissimo successu, antequam aliquid referam, operæpretium mihi facturus videor, si tantæ vrbis, quæ tot sęculis, & tam multis temporum voluminibus magno in honore, atque rerum omnium florẽtissimo statu stetit & permansit, primordia, & quasi incunabula recensuero. Multi scriptores de huius inclytæ ciuitatis primis conditoribus inter se variant, & multis rationibus adducti, planè inter se discrepant. Grauissimos tamen habeo auctores, qui putant, Byzantium ea præcipuè de causa esse appellatum, quòd inter ceteros eius conditores, Byzanta longè reliquis auctoritate, atque nominis claritudine antecelluerit. Sed doctorum constans opinio est, Byzantium à Carthaginiensibus conditum esse, quos valdè nauibus fuisse instructos, & procul merces transuexisse, multæ historiæ testantur & prodiderunt; ac mihi quidem, licet parum in historiæ cognitione versato, videtur, nominis origo ex lingua Phœnicum fluxisse, conueniens scilicet, nouo emporio, in loco voluptatibus & illecebris opportuno. Nam Beth-zona, Phœnicum lingua, cauponæ domum sonat, & mores vetusti appellationem congruere ostenderunt. Scribit enim Philarchus, Byzantinos solitos in cauponis & diuersoriis dies noctesque conuersari. & portus alter ex opposito collocatus, nominatus est Mulierum portus. Deinde Megalensium colonia eò deducta est, ita vt vnà cum ipsis colonis Græca lingua & leges etiam eò illatæ sint. Hanc vrbem arctissimo, inter Europam Asiamque djuortio

Byzantij descriptio.

in ex-

In extrema Europa posuêre Græci, quibus Pythium Apollinem consulentibus vbi conderent vrbem, redditum oraculum est, quærerent sedem cæcorum terris aduersam. Ea ambage Chalcedonij monstrabantur, quòd priores illuc aduecti, præuisa locorum vtilitate, peiora legissent. Quippè Byzantium fertili solo fecundoque mari, quia vis piscium in Pontum erumpens, & obliquis subter vndas saxis exterrita, omisso alterius littoris flexu, hos ad portus defertur. Byzantini, Xerxe rerum apud Græcos potiunte, grauissimis bellis diu cum tota Græcia diuexati fuerunt, adeò vt finitis bellis, interdum Lacedæmoniorũ, interdum verò Athenienſium socia extiterit. Deinde, enascentibus nouis motibus, Macedonibusque toti terrarum orbi magnum terrorem inferentibus, Philippus Alexandri Magni pater, eam diuturna obsidione ad deditionem coëgit, sub cuius imperio diu permansit. Romanis verò temporibus, cùm de imperio inter se certarent Pescenius & Seuerus, & ille Byzantium prior occupasset, hic, ne tantæ vrbis iacturam faceret, totum triennium & semestre, eam obsidione cinxit, ac cùm magna hominum multitudo variis ibi casibus periisset, fame tãdem ad deditionem coëgit, magnaque ex parte muris dirutis, deleuit, quos, teste Herodiano, grauissimo scriptore, tanta arte factos fuisse inuenimus, vt mirum fuerit, destrui, & solo æquari potuisse. A Seuero, vsq. ad Constantinũ anni sunt ferè centum. Interea nec vrbs restituta, nec muri instaurati sunt. Verùm, Constantinus ad summum imperij fastigium euectus, loci opportunitate cõmotus, vrbem ipsam non solùm restituit, verùm etiam splendidissimis operibus & dignitate ornauit, ita vt cum vrbe ipsa Roma splendore & magnificentia certaret. Hæc ferè sunt quæ de huius præclarissimæ vrbis initio in medium ferri possunt. Si aliqui existant, qui aliis opinionibus regantur, hoc, me non refragante, liberè facere possunt. Satis est, me, ex tantorum auctorum scriptis, hæc in medium, ceu veritati consentanea, attulisse. Sed nunc admonet me temporis ratio, vt huius splendidissimæ vrbis tristissimam obsidionem & expugnationem, non absque summo dolore atque lacrymis, historiæ breuibus intexam. Satis cõpertum habemus, Constantinopolis obsidionem Nonis Aprilis à Mahometo ipso inchoatam fuisse. Et neminem mediocriter in historia versatum latet, tum temporis intra mœnia, præter vrbanam multitudinem, tantùm sex millium Græcorum militum, & auxiliariorum Venetorum, & Genuensium trium millium fuisse. Contrà, Mahumetus ad trecenta hominum millia, vti diximus, infesto agmine secum per longa locorum & temporum interualla adduxerat, quæ multitudo maximè collecta fuit ex vicinis gentibus, quæ adhuc sub Christiani nominis titulo diram seruitutem seruiebant, vel saltem, desertis Christianæ religionis sacris, turpiter ad barbarum hostem defecerant. Constabat nimirum, ex Græcis, Illyricis, Valachris, Dardanis, Thracibus, Bulgaris, & Triballis: Turci pauci fuerunt, & eorum pars fuit ex Asia, Bithyni, Galatæ, Lydi, & Cilices, adeò me herculè, vt valdè deplorandum sit, eò esse deuentum, vt Turcici tyranni sic nobiscum bella gerant, vt gentes nobis cognatas & affines, nobiscũ dimicare cogant. Turca igitur, tanta hominum frequentia fretus, sic distribuit copias, vt tribus locis terra muros concuteret & disijceret, ac per ruinas tentaret irruptiones. Sed oppidani valdè animati erant, & magna atque egregia virtus in ipsis defensoribus conspiciebatur, quorum dux Iustinianus Genuensis fuit, qui, inter cetera præclara ornamenta, etiam à virtute bellica & naualis rei peritia plurimum commendabatur, adeò sanè, vt eius consiliis ac summa prudentia res Constantinopolitanæ valdè inniterentur. Habebat ipse dux penes se Ioannem Grandem Almanum,

Constantinopolis à Mahumete Turcorum rege obsessa & expugnata.

passim in historiis notum, cuius opera & rei bellicæ peritia fortiter irrumpentes Turcas repellebat. Sed, quanquam multi Turcici nominis milites passim globis & sagittis interficerentur, tamen exiguæ hæ copiæ, quæ ad defensionem vrbis relictæ erant, tribus locis, contra tãtam multitudinem impares erant, & diu sufficere non poterant, præsertim cùm vtrimque cuniculi agerentur, in quibus Turcicorum fossorum conatus prorsus irriti fuerunt, ita vt in ipso portu assidua prœlia postmodum committerentur. Adduxerat enim Turcicus tyrannus, ex diuersis maris Ægęi & Euxini littoribus, ducẽta & quinquaginta nauigia, vt portum Byzantinum arcta obsidione premeret, & littora nauibus, tanquam natiuo ponte, iungeret. Ceterùm, stabant aduersus Turcicas naues in ipso portu septem Genuensium, tria verò Cretensium nauigia, & paucæ ex Chio insula naues accesserant, quæ omnibus necessariis instructæ, ad vrbis tutelam sese composuerant, & portus ipse ferrea cathena clausus erat, ne in eum, scilicet, Turcicæ naues penetrare atque inuadere possent. Tandem ad omnem occasionem opportunitate monstrata, defensores eruptionem cum nauibus suis fecêre, & fortiter cum Turcis prœliati sunt, eo certè euentu, vt primis illorum cœptis fortuna annueret, & victoriæ spem non exiguam ostenderet. Incensis namque Turcicis nauibus, tota naualis classis aliquot diebus sine vsu stetit. Verùm cùm nihil reliqui ad summam diligentiam ab ipso Turca, longæ obsidionis tædio valdè furente, & ira accẽso, prætermitteretur, tandem ars excogitata est, qua in ipsum portum penetrarent: eoque successu, vndique terra & mari vrbis mœnia quatiebantur. Tyrannus ea de causa bene sperare cœpit, se vrbe potiturum. cumque multis locis deiecti essent muri, & ex portu facilis esset irruptio, sexto Cal. Iunij Barbari, admotis ad mœnia scalis, & ex portu, aliisque locis ingenti clamore in vrbem irrumpere conantur. Stat interea in vicino colle spectator tyrannus, hortatur suos, & horribili voce inflammat, & accendit, vt fortiter ascendant muros, vociferatur horribiliter, sicubi videt suos repelli ac interfici, & confirmat trepidos. Fuit enim tanta virtus defensorum, vt pars Turcici exercitus, cùm multi passim pluribus in locis interfecti essent, cederet, adeò sanè, vt victoriæ spes, virisfortibus vrbem propugnantibus, animum & robur addiderit, & tyrannum periculi magnitudo mouerit, vt horribili vlulatu cedentibus minitaretur, necnon cohortes, quas velut triarias apud se retinuerat, iuberet, cedentes, vel segnes, citra aliquam moram interficere. At contrà Græcus Imperator, è sua specula iam bene sperans, pari numero hortatur suos, vt non desperatis rebus, cùm clarè Dei optimi maximi auxilium ob oculos videant, bona cum spe, maioribus tamen cum animis, prœlientur. Quibus dictis, & vocibus incensi milites, ibi rursus conuersa est prœlij fortuna, vulnerato Genuensi Iustiniano Duce, cuius casum miseratus Imperator, iubet & hortatur, bono esse animo, néue stationem sibi demandatam aliquo modo derelinquat, præsertim cùm ipsum vulnus non esset lethale. Verùm Iustinianus, fatali puto casu, potius animo fractus, quàm vulnere debilitatus, nullo sibi in ea specula substituto, qui ceteros confirmaret & regeret, aufugit, adeò me herculè, vt milites, animaduersa sui Ducis fuga, illius exemplum secuti, quia ibi in vrbem aditus patebat, pari modo stationem reliquerint. Turci videntes eum locum à defensoribus desertum esse, magno agmine ibi intra vrbem infunduntur. Iustinianus verò, in vicinam Chalcedonem, quę nunc Pera, vernaculo verò idiomate Galata nuncupatur, se, vt fama est, medendi vulneris gratia recepit, vnde postea in Chium nauigans, seu vulnere, seu mœrore animi, inglorius periit, magna profectò cum nominis sui, retroactæque vitæ iactura

ctura, nimirum cùm, derelicta vrbis propugnatione, haud parũ sibi suisque rebus antea præclarè gestis derogauerit: quòd, omnium iudicio, ipsius, tanquam summi Ducis absentia, maiori ex parte factum fuerit, vt tam præclara vrbs, tot tantisque alacribus & promptis militibus, ac defensoribus subnixa, in crudelis & barbari hostis potestatem cederet. Quanto satius fuisset, si multorum præstantissimorum virorũ, atque adeò in primis suæ nobilissimæ laudatissimæq; familiæ exempla imitatus, ex tam præsenti atque obuia occasione, etiam cũ extremo vitæ periculo, immortalis laudis sibi gloriam quæsiuisset? Quid enim in rerum natura homini, præsertim nobili, optatius, & laudabilius contingere potest, quàm ex præclaris suis actionibus innocentiæ, ac probitatis famam assequi? quid deinde glorioſius, quàm pro patriæ salute, pro aris, pro focis, fortiter dimicare? Quid postremùm sanctius, & Christiano viro dignius, quàm pro Christiani nominis dignitate ac propagatione contra tam barbarum hostem, Christiani sanguinis sitientem, & nunquam exsatiatum, fortiter in statione sibi demandata occumbere, & animam ipsam sub piis armis in beneficium Christianæ pietatis indutis, exhalare? Quod cùm intelligerent omnibus ferè ætatibus magni viri, semper extitêre qui hoc nomine clari euaderent. Ac ne ab ipsa antiquitate exempla petamus, quis ignorat, nostrorum patrum memoria, Marcum Antonium Columnam, vt natalium splendore celebrem, sic bellica virtute, atque in suum Principem fidei constantia glorioſum, dum Veronam pro Cæsare Maximiliano aduersus Gallicum exercitum, Lautrechio duce, lõgè lateque grassante, defenderet, fortiter sese gessisse, & maiorum suorum vestigiis inhærendo, auitam illam gloriam & splendorẽ egregiis factis accumulasse & illustrasse? Is enim, præter cætera egregia sua facta cùm pro ea qua pollebat authoritate, & magnanimi ducis ac strenui militis explere vult munera, aciem ipsam contra hostilem impetum instruit, dum magno animi robore, despectis omnibus periculis, imprudentius inter armatorum cuneos versatur, & subinde obequitando circumuagatur, hostes, tanti Ducis maiestatem diligentissimis oculis obseruantes, vbi primùm occasionem sibi dari cernunt, tentata fortuna, maioris bombardæ ictu emisso, ictus est, adeò vt licet plumbea pila per brachium adacta, per scapulas emergeret, & quatuor receptis vulneribus saucius esset, nihilominus tamen, vt vir erat singulari fortitudine, ne alios suo dolore animis disijceret, magno cum vitæ suæ periculo acerbissimum dolorem dissimulauit, & non anteà aliquod specimen iusti doloris dedit, quàm murus ille, pro cuius dissectione instabatur, omninò esset dirutus atque conuulsus: quo demum prolapso, & tot hostibus eius ruina oppressis, veluti expiato vulneris dolore, in tabernaculum concessit; tantaque mox lethalis plagæ fuit secuta acerbitas, vt diu pertinaci morbo conflictatus, summum, imò verò extremum vitæ periculum ab omnibus medicis incurrisse crederetur. Interea Imperator Constantinus Palæologus, ac plerique alij proceres, cũ nullũ vitæ subsidium, vel spes, nisi in sola fuga relinqueretur, vitæ retinendæ studio, dum vrbem egredi vellent, in ipsa porta vel trucidati sunt, vel collisione interempti. Erant in ipso Constantino heroicæ virtutes multæ, & quæ tantam dignitatem atque potentiam mirum in modum augerent atque attollerent, ita certè, vt ipse tanto imperio par, magnam laudem promeruisset, si meliori fortuna in imperij sui administratione vsus fuisset. Sed cùm multorum grauissimorum virorum auctoritate & iudicio imperia ipsa etiam habeant suas periodos, vltra quas non progrediantur; fatali quadam ratione factum fuisse existimandum est, vt, quemadmodum sub Constantino Magno, Helena progenito, hæc præclarissima

rissima vrbs restaurata, & imperij Orientis sedes electa fuit, sic etiam sub hoc Constantino Palęologo, primi eiusdem vrbis restauratoris cognomine, & Helena etiam matre genito, vrbs ipsa vnà cum imperio, in alienam potestatem deueniret. Multi incertum esse putant, quo in loco Imperator ipse ceciderit: equidem tamen multis coniecturis adducor vt credam, ipsum ad portæ exitum contrucidatum fuisse. Nam satis liquet, in ipsa porta vltra octingenta cadauera collisorum & vulneratorum reperta. Itaque Turci victores facti, per totam vrbem horrendis atque stupendis vultibus atrocibusque oculis vagantur, & obuios ac in ædibus senes abditos, matronas, virgines, puberes & impuberes, nullo habito discrimine, confodiunt. Rapiuntur præterea multæ nobiles matronæ, & præclaræ ac pudicæ virgines, ad stupra. Quæritur in omnium ædibus & templis præda, & omnia scelera toto triduo liberè fiunt, quæ gens barbarica, impia, libidinosa, auara, & crudelis, in capta vrbe regia facere & perpetrare cum magna Christiani nominis contumelia, audet & gloriatur. Narrant enim, in conuiuiis Turcicis matronas & virgines pudicitia & nobilitate ceteris antecellentes, post varias & longas contumelias, quasi per ludum discerptas fuisse, adeò profecto, vt nesciam, an horribiliora exempla legantur in vllius vrbis excidio. Quorum certè cogitatio mouere nos debet, vt viuamus modestiùs, & Deus nos à tanta laniena cõseruare dignetur. Post triduum ingressus vrbem Mahometus, tumultus sedari imperat, & inquisitos proceres aliquos, qui adhuc reliqui erant, pari crudelitate dissecari iubet. Sic, cùm omniũ vrbium regina, in toto genere humano, postquam hoc vetustissimũ Græciæ imperium supra mille, centũ & nonaginta annos floruisset, capta & direpta sit, & omnem obsceniſſimorum latronum fæuitiam experta, quid impendeat aliis gentibus, & vrbibus, crebrò & seriò nobis cogitandum esse existimo. Nec frustrà nobis proponi tam horrendas tragœdias securi imaginemur, &, vt antiquitatis exempla, scilicet diluuium, interitum Sodomorum, Romæ, Byzantij, Athenarum, & aliarum innumerabilium vrbium euersiones taceam, quid rogo hisce nostris temporibus non accidit in Gallia, & proximè in Belgio, quod cum ipsius antiquitatis horribilibus exemplis iure conferri & comparari nequeat? adeò vt exclamare libeat, O duriora omnibus scopulis pectora, quæ talibus iræ diuinæ exemplis nõ mouemini, quæ ne ipsum quidé humani generis capitalem & indefatigabilem hostem satanam, sine tremore, ac venturi iudicij metu, spectare vix posse existimo!

Clades Cõstantinopolitana, & Turcorum sæuitia.

Quamdiu steterit Græcorũ imperium.

Pera à Turcis deditione occupata.

Perenses, cognita Byzantinorum clade, cùm tam immanem & barbarum hostem viribus, ac recenti victoria exultantem, & ob oculos versantem videret, veriti, ne idem periculum adirent, & maioribus, vel saltem paribus ludibriis reseruarentur, citra aliquam longam deliberationem, deditionem spontè fecerũt: sed quamuis ipsa deditio sub certa transactionis formula subsecuta sit, tamẽ crudelis hostis pactorum & fœderum immemor, muros Perensium diruit, bona diripuit, feminæ ac viri iuxtà per omne ludibrij & contumeliarum genus habiti atque distracti, non secùs ac si viribus expugnati, & ad deditionem coacti fuissent, parem fortunam cum Constantinopolitanis victis subiêre. Et quoniam huius vrbis crebram mentionem habuimus, haud, meo quidem iudicio, ab re fuerit, si ea quæ doctissimus vir Petrus Gillius in topographia Cõstantinopoleos de ipsa memoriæ prodidit, hîc breuiter subiecero. Sycena regio, inquit, iá vulgò nominata Galata, siue Pera, rectius nominãda Peræa, vt Iosephus Iudæá trãs-Iordanam nominat Peræam. Cur autem appelletur Galata, Constantinopolitani omnes iam prædicant, ex eo, quòd illic olim lac venderetur, aut mulgeretur, decepti

Descriptio Galatæ, siue Peræ, olim Genuens. colonia.

cepti nominis alluſione; nec dubito, ſi ſcirent, Galatam appellatam olim Sycã, quin etiam auderent eam dicere, à ficuum lacte ita appellatam eſſe, ſuamque tum aberrationem à vero tueri poſſent auctoritate Dionyſij Byzantij, ſcribentis, Sycã appellatam à multitudine, & pulchritudine arborum ficuum ibi prouenientium. Quanto rectiùs coniectaſſent, ſi à Galatis populis eam Galatam nominatam fuiſſe arbitrati eſſent, adducti Ioannis Tzetzæ ciuis Conſtantinopolitani, & diligentis Grammatici varia hiſtoria, ab hinc ferè quadringentos annos conſcripta, quæ tradit, Brennum Gallum, Ducem Gallorum, quos Græci Galatas appellant, profectum Byzantium, illinc traieciſſe: indeque Byzantij locum appellatũ fuiſſe Peram ex traiectione Galatarum, à quibus poſteà arbitror etiam Galatam appellatam. Hæc autem ſita eſt partim in colle, partim in planitie ſubiecta ſub ipſum collem, quem duæ valles efficiunt, vna ob Oriente, altera ab Occidente, vtraq. longa circiter vnum miliare. Collis dorſum procedit à Septẽtrione ad Meridiem, latum vbiq. non minus ducẽtis paſſibus, tam longũ, quàm valles, quibus vtrimq. clauditur: deinde coniungitur cum reliqua continentis planitie, collis meridianum latus, & planitiem ſub ipſum ſubiectam continentes Galatam, circumſcribit ſinus Ceratinus, Iſthmumque, & pæninſulam ferè ſemicircularem efficit: vt ſi lineam duceres ab ore & faucibus ſinus ad medium receſſum, quem ſinus Ceratinus inſinuat in vallem, quæ collem Galatinum ab occaſu claudit, incluſum videres intra ſemicirculum, quem deſignaret ducta linea Galatam accedentem ad figuram arcus intenti, niſi eius cornu vergens ad occaſum, dimidio largius quàm Orientale eſſet, & minus longum. Galatæ circuitus muro circundatus patet quater mille & quadringentos paſſus, latitudo varia: nam media eſt ſexcentorum paſſuum, quorum viginti intercedunt inter ſinum & muros. Iam verò planities procurrens inter ſinum & collem, dilatatur in centum octoginta paſſus, cliuus verò in quadringentos. Latus Galatæ Orientale patet in latitudinem primò quadringentorum paſſuum, deinde contrahitur in ducentos ſexaginta paſſus. Latus pertinens ad occaſum extra veterem Galatam ſitum, habet mollem cliuum, & ferè totum ad Meridiem tendentem, præter exiguam procliuitatem ſubſidentem ad ſolis occaſum iuxta muros veteris Galatæ ſitam: cliui enim collis Galatini duplici deuexitate inclinantur, vna in valles, altera in ſinum. Vnde fit, vt vrbs ſit prona triplici procliuitate, vna à Septentrionibus ad Meridiem, altera ad ortum ſolis, tertia ad occaſum. Decliuitas per mediam Galatæ latitudinem decurrens, tendit à Septentrionibus ad Meridiem, ita prona, vt in multis locis cliui gradibus molliantur, vt domus ex parte infera ſcalis aſcendantur, ex ſupera adeantur plano pede vſque ad primam contignationem. Latus verò tam vergens ad ſolis ortũ, quàm ad occaſum, duplicem deuexitatem habet, vnam à ſeptentrionibus ad meridianum cardinem, alteram ad Orientem, aut occidentem: vt non modò viæ rectæ, ſed etiam tranſuerſæ procliuitatem habeant, ſed Orientale latus procliuius in vtramque deuexitatem, occidẽtale molles cliuos habet tam rectos, quàm tranſuerſos. denique Galata ſic prona eſt, vt ſi eadem altitudine omnes domus eſſent, ſuperiores contignationes aſpectu maris fruerentur, ex eiſque, velut ex theatris, naues vltra citraque traijcientes ſpectarentur: neque modò Galata, ſed tota ferè Conſtantinopolis maris aſpectu frueretur, ſi lex à Zenone conſtituta, & à Iuſtiniano ſancita ſeruaretur, iubens intra centum paſſus neminem poſſe Conſtantinopoli impedire maris aſpectum, neque rectum, neque obliquum. Plana vrbis pars diſcurrens inter imos collis cliuos, & ſinum, nuſquam minus ſtricta ducentis paſſibus, in cornibus largior eſt, & quidẽ alicubi patet in longitudinem

quadringentorum passuum, oppidum triplo longius, quàm latius: latitudo tendit à Septentrionibus ad Meridiem, longitudo ab Oriente ad occasum, latus occidentale latius quàm orientale, & ferè eadem latitudine, qua media vrbs: nam per longitudinem quingentorum passuum nusquam minus lata quingentis passibus Orientale latus contrahitur molliter, quoad eius extremitas in formam cunei reducitur, vbi lata est ducentos sexaginta passus. Totum littus, quod circuit Galatam, portuosum est, naues admittens vsque dum contingant oram maritimam. Inter mœnia, & sinum, intermissum est spatium, vbi tabernæ, & officinæ mercatorum, & cauponæ frequentes, & vacua interualla ad exonerandas naues. Portas habet maritimas sex, quarum tres traiectum frequentem habent ad Constantinopolim. Ita enim contra Constantinopolim iacet Galata à septentrionibus, vt primo, secundo, tertio collibus, & valli primæ & secundæ Constantinopolitanis sit aduersa, præ se habens sinum & Constantinopolim, à tergo suburbana ædificia. Nam supra Galatam multæ domus suburbanæ partim in collis Galatini dorso, partim in eius lateribus triplicibus. Nam Galata non attingit summum verticem collis, imò ex summa vrbe, vbi est excelsissima turris, adhuc restat extra vrbem ascensus trecentorum circiter passuum, plenum ædificiis, inde iugum planum tendens à Meridie ad Aquilonem, largum circiter ducentos passus, longum duo millia passuũ, per quod medium discurrit via lata vtrimque ædificiis cincta hortorum, & vinetorum, neque est vlla pars amœnior: ex qua, eiusque lateribus, videtur sinus Ceratinus, & Bosporus, & Propontis, & septem colles Constantinopolis, & Bithynia, & semper niuosus Olympus. Denique ædificia non modò in colle Galatino, sed etiam in collibus & vallibus circumuicinis sitis in littore Galatino posito contra Constantinopolim, tot colles & valles habente, quot Constantinopolis, vt iam longè dimidio maiorem, quàm sit Galata, vrbem efficere possent, ac si centum annos felicitas imperij Byzantini durauerit, altera Constantinopolis futura est Galata. Hucusque Gyllius. De ipsorum autem moribus & institutis, Strabo, genere Cappadox, eruditione Græcus, iudicio priscus, conuersatione incolatuque Romanus, terrarum multarum peragrator, vt ex Geographia eius patet, libro quarto de Gallis loquens, ita inquit: Vniuersa natio eorum hominum, qui Galli nunc & Galatæ appellantur, Martis studio flagrans, animo est strenuo & celeri ad conserenda prœlia, alioqui mente candida & simplici; & ab improbis moribus abhorrente. Itaq. iniuria lacessiti, conferti coëunt in certamina apertè & nullo periculi adeundi respectu, eam ob rem tractabiles se moderatu que faciles præbent primo cuique ducem se eorum imperatoremque profesio. Idem paulò inferius: præter vim & præsentiam animi, nihil ad certamina adhibentes; quòd si quid temerè susceperint, facilè vtilitati cedunt, ob quod & doctrinæ institutionem & literarum studia capessunt, &c. Rursus de gymnasio Massilienſi, Hæc autem, inquit, Massilienſium institutio, Romanorum hodie nobilissimum quemque pellexit, adeò vt pro peregrinatione, quam studiorum causa Athenas pridem suscipiebant disciplinarum cupidi, nunc illuc se conferant: quorum æmulatio Gallos quoque excitauit, vt, pace per Galliam composita, ipsi otium à rebus bellicis amplectentes, ad discendi institutum animum appellerent, non viritim modò, sed etiam vniuersim per vrbes: quippe qui dicendi magistros, quos Sophistas appellant, priuato publicoque impendio, oppidatim suscipiant, salarium illis statuentes perinde ac medicis. Hæc autem eò libentiùs adieci, quò magis constet, Gallis, à quibus Perenses, vti diximus, ortum traxêre, nec animum

mum ſtudiis liberalibus aptum promptumque deeſſe, etiamſi idem auctor eis ad prœlia animos geſtientes tribuat. Ceterùm, ne vrbium deſcriptionibus, ac rebus Turcicis, crudeliſſimiſq. ab eis bellis geſtis, & cum magna Chriſtianæ Reip. iactura & pernicie confectis, diutius immorari, quàm par eſt, videar; ad Genuenſium res geſtas, ad quos præcipuè ac peculiariter huius hiſtoriæ contextus pertinet, reuertendum mihi eſſe ſtatuo: ſed tamen hoc prius dumtaxat adijciam, nempè Conſtãtinopolitanum excidium, & hanc ingentẽ calamitatem toti Reip. Chriſtianæ inflictam; euidentiſſimis notis ac ſignis diuinitus præmonſtratam fuiſſe. Siquidem compertum eſt, apud Comum, citerioris Galliæ vrbem; vergente ad occaſum die, ingentem canum multitudinem per aëra ferri, poſtque diuerſorum pecorum armenta; ſpecies peditum primò leuis armaturæ, deinde haſtatos ſcutatoſque ſubſequi, equiteſque in turmas diuiſos, ingenti inſtructa acie proſecutos, horis fermè tribus imaginem aduentantis exercitus præbuiſſe. Demum corpore procero immanem & formidabilem hominem, ſuprà quàm dici poſſit, veluti exercitus ductorem, terribili equo inſidentem, proceſſiſſe, aliaque ludibria oculorum per inane apparuiſſe, ingentium malorum prænuncia, donec nocte appetente, viſio omnis illa dilapſa eſt. Quæ oſtenta futurum excidium, cædem, & calamitatem, quæ poſtea vrgentibus fatis, ſecuta ſunt, præſignaſſe, nemo dubitauit. Et de his quidem hactenus in præſentia dictum ſit. Vt verò ad inceptum redeam, cùm Reſpub., propter aſſidua bella, quæ inter ipſam, & Alfonſum gerebantur, maxima publici ærarij anguſtia premeretur, Patribus operæ pretium viſum fuit, vt Theodoſiæ, aliorumque locorum, quæ adhuc in mari Euxino in ſua poteſtate ad illam diem retinebãtur, cenſus & vectigalia, in Georgiani Magiſtratus ærarium transferrentur, ſicuti etiam paulo antè idem de Corſicis vectigalibus factum fuerat. Nam Senatus, haud mediocri neceſſitate adductus, non ſemel ab eo Magiſtratu pecuniam mutuò acceperat. Menſe Maio ſubſequentis anni, licet pax inter Mediolanenſium Principem, Venetos, Florentinos, ac Genuenſes, certis conditionibus tranſigeretur, inter hos tamen, & Alfonſum, nulla compoſitionis ratio iniri potuit. Quin imò exacerbatis animis, indies vtrimque atrociora bella gerebantur, & ipſe quidem Alfonſus Liguſticam ditionem, ac prouincias ſubinde infeſtis armis diuexabat, & in primis quidem Corſicam, eo tamen euentu, vt Petri Fulgoſij ſupremum Genuæ Magiſtratum gerentis, prudentia atque conſiliis, eius vires paribus armis atque potentia, non ſine magna ſua laude, fortiter ac ſtrenuè retunderentur. Verum enimuerò, poſt fermè quintum in ſuprema dignitate exactum annum, Alfonſus, eius infenſiſſimus hoſtis, anno eius æui quinquageſimo quinto, Villamarinum ſuum Præfectum, ea tempeſtate in militari diſciplina politiciſque rebus celebrem, cùm valida atque potenti claſſe ad Sinum Liguſticum depopulandum & diuexandum ablegauit, eo conſilio, & ſpe, vt Fulgoſium Principatu deturbaret ac exueret. Quibus naualibus copiis non contentus, etiã terra exercitũ, duce Palermo Neapolitano, in Liguſticum agrum immiſit, ſolicitatus, vti exiſtimatur, vltrà naturale odium, quo ipſum Fulgoſium perſequebatur, à Raphaële, & Barnaba Adurniis, & Ioanne Antonio Fliſco, qui tum à patria exulantes, ad Aragoniorum partes tranſierant, eorumque fidem ſecuti, in propriam patriam, non ſecus ac in propria viſcera, impias dexteras & arma expedire nõ detrectabant. At Fulgoſius, pro priſtino animi ſui robore atque virtute, aduigilans, ne aliqua ex parte impãratus inuadi poſſet, ad tentandos periclitandoſq; ciuium ſuorum animos, nouas conſilij rationes iniit: Simulabat nimirum, animi recreandi gratia, extra vrbẽ ſibi

Prodigia ante cladem Conſtantinopolitanã.

1454.

1455.

egre-

egrediendum esse. Verùm eo stratagemate omninò statuebat, hostem nihil minus expectantem, per occasionem aggredi atque circumuenire. Proinde citra aliquem strepitum, ac summo cum silentio, in Castelleti arcem, à se peropportunè communitam, cum nonnullis sibi fidis & amicis se recepit. Nec sanè inania Fulgosij animus sibi præsagierat. Siquidem, eius aduersarij, intellecta ipsius ab vrbe absentia, protinus Adurnium & Aragonium nomen inclamantes, iuxta palatium cum illius sociis atque clientibus acrem pugnam commisêre. Cetera, is, noctu ex arce cum multis armatis prodiens, & altissimis vociferationibus Fulgosium nomen ingeminans, aduersam factionem ita exterruit, vt se statim in fugam coniicientes, quàmplurimi eorum obtruncarentur, & non pauci in manus hostium deuenirent; qui postea vario mortis genere, vitæ finem clauserunt. Huiusmodi astu atque sollertia, ita seipsum interni vrbaniq. hostis metu ac periculo exemit, vt etiam ab externo parum sibi omninò metuere videretur. Nam, cùm classis Præfecti, aliarumque copiarum Duces, incredibili studio & diligentia, qua Fulgosius in suis rebus magis magisque indies vtebatur, sua consilia & conatus vanos atque irritos esse animaduerterent, ab ea expeditione, adulta iam æstate, relictis tamen nonnullis ex suis triremibus, quę subinde oram maritimam, & alia loca eius ditionis infestarent, recesserunt. Annales quidam referunt, à Taraconensibus, priusquam hæc postrema contigissent, nauem quandam Ligusticam, variis mercibus onustam, ex Chio, Genuam versus transfretãtem, fuisse captam; ideoque Genuenses tantopere fuisse indignatos, vt Ioannem Philippum Fliscum, quatuor maximis nauibus instructum, ad mare tutandum, & omnem hostilem vim coërcendam, euestigiò miserint; eumque tam procul fuisse progressum, vt in Baianum sinum euectus, breui pòst, in Neapolitanum portum delatus sit, eo animi decreto, vt regiam classem, ibi eo tempore in anchoris subsistentem, inuaderet, atque si potis esset, incẽdio absumeret: sed repulsum æneis tormentis, maleque exceptum, spe illusa, inglorium abiisse. Pari modo referunt, classem regiam, paucis diebus interiectis, sex Ligusticas naues ad montem Cyrcæum, hodiè Syrcellum vocatum, fortuito casu delatas, magno cum studio & ardore insecutam fuisse. Verùm, cùm naues Liguſtinæ, ad tantæ classis conspectũ valdè essent exterritæ, quotquot in iis erant, derelictis nauibus, sese per auia & inuia montium recepisse, ita vt Aragonij, cùm naues ipsas vacuas, & omni præsidio destitutas offenderent, diuiti præda, & opimis spoliis, demersis nauibus, potiti sint. eoque factum est, vt, quanquam per totam ferè Italiam pax esset constituta; nunquam tamen, propter recentem cladem, atq. iniuriarum memoriam, inter illum regem, & hanc gentem, bellum consopiri potuerit. Interea temporis, exules, & quibus à Repub. variis de causis, aqua & igni interdictum erat, fidem Aragoniorum secuti, à rege ipso classe instructi, totam oram Ligusticam adeò infestam reddidêre, vt nulla prorsus mercimonia, vel tutæ nauigationes ijs in locis, cum maximo totius Reipub. incommodo, fieri possent: quæ sanè diuexationes tantisper durarunt, donec scilicet, ab Aragoniis, longè maiori, quàm antea, apparatu, & contentione in Fulgosium, atque adeò in vniuersam
1456. Rempublicam, bellum renouatum est; quod sanè contigit anno eiusdem æui quinquagesimo quinto. Aragonij namque, tametsi viderent, fieri non posse, vt Fulgosius, abalienatis tam multorum suorum animis, diu principem locum in Repub. retineret, moræ tamen impatientes, omnibus viribus illum terra marique adoriri atque opprimere conabantur. Priusquam verò vlterius progrediar, minimè alienum fore existimaui, si ad posteritatis memoriam, ipsius Alfonsi epistolo-

epistolam hoc anno ad Principem ac Senatum Genuens. scriptam, eiusdemque ad eum responsum, hîc obiter inseruero.

REX ARAGONVM VTRIVSQVE SICILIAE, &c.

Epistola regis Aragonũ ad Ducem, Baliæq; Præsides Reip. Genuens.

QVI vos fortasse non norunt, ô Dux, Baliæque Præsides (si modò aliqui in terra vitam agunt, qui vos non norint) poterunt hi quidem ex literis vestris metu aut admiratione aliqua affici. Ego verò, qui toties iactantiam vestrã, toties leuitatem atq. perfidiam expertus sum, non solùm quod scribitis, neq. magnifacio, neq. formido, sed is potius sum, cui facere videamini quod impudica mulier solet, quæ si semel ex animo pudorẽ abiecerit, in castas probasq. obiectare adulteria non desinat. Etsi vobiscum verbis contendere cõsilium non sit, respondebo tamen abundè satis pro tempore literis vestris, quò mortales, atq. immortales omnes intelligãt, me, nequaquam bellum contra nationẽ Genuensium in præsentia suscitasse, cũ qua & amicè & beneuolè viuere perpetuò, nisi nobis publicè fiat iniuria, decreuimus. Immò verò, pro ciuitate Genuensi, id est, pro optimatibus, summisque viris, ac ciuitatis flore, qui vestra vi atq. opera extorres degunt, nos, cõtra fœdifragos, triremes nostras immisisse, pro, inquã, quos, multis antehac experimẽtis inspectos, sciremus, firmos & constantes, publicè, & priuatim in proposito perstitisse, humanitatẽ atq. iustitiam colere consuetos, quosque haud dubiè speremus, si nostris auspiciis, nostraque ope in vrbem restituti, Remp. capessant, melius fidem, gratitudinem, fœdus, pacem, & decus omne nobiscum seruaturos. Ac primum omnium, si qua vobis rerum præteritarum memoria extat, primam, atque secundam inter nos pacem vestra auaritia, atque perfidia violatam inuenietis. Sed vt nimis vetera omittamus, & ad hæc recentiora, de quibus querela & controuersia est, veniamus, precibus vestris demum factum est, vt Calistus Pontifex nos ad indutias, seu, vt vulgò dicitur, treguam, vobiscum ineundam compulerit. Quæ res, tametsi parum duratura pro vestris moribus mihi videbatur, tamen Pontifici, Domino nostro potius parere volui, quàm de fide vestra parum confisus videri. Sed neq. illud, præsertim Gotardo dictante, iactare debuistis, pacem scilicet, inter nos factam consilio & precibus Pontificis mei. Aderat quidem Gotardus ipse tunc legatus vester, cùm Episcopus Atrebatensis, communi omnium legatorum nomine, diserta quidem oratione me oraret, vt Genuenses quoque in vniuersalem pacem susciperem; cumq. ego responderem, Genuenses, pro sua perfidia, pœna potius, quàm pace dignos videri, exclamasse Gotardum, (quis non viderit genibus prouolutum?) tua nos saltem clementia, ô Rex humanissime, communi hac pace dignos efficiat. Factæ igitur precibus Gotardi, sed interuentu Pontificis, indutiæ, fœdus ictum, cùm id Pontificis saltem auctoritate aliquandiu sustentari posse existimarem, præsidium, quod in terra Corsica habebam, reuocaui. Vos interim, occasione oblata, oppida, quæ illic Regia domus nostra possederat, vt erant propugnatorum vacua, occupastis, præfectos & populares nostros fœdissimè trucidastis, pacem de Pontificis sinu adhuc calentem, extinxistis, fœdera, iusiurandum, fidem, pietatem, religionem pro nihilo existimãtes: inter hæc etiam, naues nonnullas subditorum nostrorum, nihil hostile metuentiũ, cepistis, diripuistis, abduxistis. Quibus de rebus cùm ego per Franciscum Castelletum legatum nostrum, & item per Bernardum præfectũ classis nostræ, apud vos sæpius quererer, necnon apud Pontificem, per Solerium nobilem theologum, ita vbiq.

ſuper ea re negligentes extitiſtis, vt lætari atque exultare potius malo, quàm illud velle corrigere videremini. Nam quas friuolas & ineptas excuſationes, aut rectius præſtigias affertis, magiſtratum, quem vos diui Georgij cognomento appellatis, huiuſmodi facinus patraſſe, non vos, quaſi caput ad ventrem, culpam reijciat, venter ad caput: facitis ſanè, vt ſacerdos ille Herculis, apud Diuum Auguſtinum, qui ſolus vtraque manu alternante, dextra quidem pro ſe, læua, velut pro aduerſario teſſeris ludebat. Num itaque nos temerè, aut repentè (vt dicitis) contra vos triremes immiſerimus, qui toties per Solerium, toties per præfectum noſtrum, toties per legatum noſtrum, qui apud vos adhuc agit, damna illata à vobis fruſtrà repetiuerimus, ſtudentes, quantum in nobis eſſet, amicitiam cum improbis etiam ſeruare, ſi modò compilationum, aut errorum, illos aliquandò pigeret, pœniteretque? Illud autem admirari ſatis non poſſumus, quomodo Turcarum pericula nominare vos non pudeat, quippe qui probè ſcire debeatis, quo de genere Chriſtianorum ſint, qui prius ex Aſia in Europam onerariis nauibus pretio & ſingulari auaritia ducti, deuexerunt, quámue vbique terrarum conatus omnes Regum Ducumque Chriſtianorum pro virili ſubuerterint, ſubuertantque quotidie; Mahumetanis arma, tela, tormenta, commeatum contra ius, fasq. ſubminiſtrando. Rurſum & hos noſſe debetis, qui nunc cum Turca contra Chriſtum perpetuò ferè coniurantes, expeditionem noſtram, quantum in ipſis eſt, impedire conentur. Nam, per immortalem Deum, quid aliud eſt, pacem inter nos initam frangere, quàm Turcarum cauſam agere, quàm Chriſtum abiurare, quàm Chriſtianorum omnium exitum optare? Viderit Chriſtus ipſe, cuius causa agitur, nos ſemel atque iterum pacem Italiæ ſumma diligentia procuraſſe atq. firmaſſe, cum ob alias cauſas, tum vel maximè, quòd Chriſtianorũ in Turcas facliores eſſent conatus, atque animi alacriores. Quod, quoniã per vos nunc, ô Dux, octoque viri Genuenſes, diſturbatum iri palam eſt, in vos igitur conatus noſtri, veluti in Turcas exortos, in Italiam cõuertantur oportebit, nec prius ab incœpto deſtituri ſumus, quàm vos, Chriſto ipſo bene adiuuante, ſupplices nobis reddamus. Nec minus (Chriſto Duce) in Turcas Aſiaticos expeditionem, quam ſemel ſuſcepimus, vobis inuitis executuri ſumus, palamque facturi, nos, ea tantum cupere, quæ aſſequi, aut capere facilè valemus. Poſtremò nos haud quaquam præterit, victoriam, alternam rem eſſe, nec hominum potentia, ſed Dei optimi maximi arbitrio conſtare: idcircò accidiſſe aliquandò, vt ab inualidis fortiores vincerentur, plures à paucioribus. vos contrà, latêre non debet, fortiores vt plurimum victores euadere ſolere, ſi iuſtam præſertim, Deoq. acceptam cauſam ſuſtineant. Quòd ſi victoriæ alicuius recordatio vos ſubiit, memineritis ſimul & in ea foederis violati, vt quantum ex victoria lætitiæ, tantum ex perfidia mæſtitiæ contrahatis. Poſthac verò vobis perſuaſum ſit, non dolo, aut perfidia amplius, ſed armis, ac iuſtitia vincendum eſſe. Data in caſtello nouo noſtro Neapoli die x. Auguſti. M. CCCC. LVI. *Antonius Panormita.*

Huic epiſtolæ ita reſponſum fuit à Principe Genuenſ.

DVX GENVENSIS REGI ARAGONVM. &c.

Epiſtola Ducis Baliæſq; Præſidum Reſpub. Genuenſ. ad regem Aragonum, & vtriuſque Siciliæ.

INFINITAS propè à te, præclariſſime Rex, pacis belliq; temporibus accepiſſe literas meminimus, eam quidem verborum moderationem habentes, vt liquidò appareret, eas & à rege & à moderatiſſimo rege profectas eſſe. hæ verò, quas decimo Auguſti die datas nuper legimus, adeò ab illis omnibus degenerant, vt ſi tuum nomẽ tollas, aſſeue-

asseuerandum sit, eas, neque tuæ maiestatis esse, nec ciuilis alicuius viri: tanto enim studio hic eius operis architectus vecordis in maledicendo facundiæ gloriam affectasse videtur, vt quid, quomodoque loqui regem deceat, oblitus sit. Nos verò, quos falsas admodum obiectiones diluere cogis, ita causam nostram agemus, vt, quemadmodum veritate, ac iustitia, ita sermonis quoque modestia maledicentem superemus. Obiicitur ante omnia, priorem, secundamque pacem à nobis fuisse violatam. Cuius criminis, quoniam neque rationes, neque argumenta vlla in medium afferuntur, hoc dixisse sit satis, nos assiduas temporibus illis ad excellētiam tuam querelas detulisse, cùm triremes tuæ in spoliandis amicis, & hostibus, nullum discrimen haberent; & orasse, ad alicuius communis amici arbitrium controuersias mutuas deferri, idque nunquam à te impetrari potuisse. Transis post hæc, ad has indutias, opera Pontificis Romani contractas, quas vter nostrum religiosiùs custodierit, testes sunt cælum ac mare, & tot infelices ex nostris mortales, quot triremibus tuis vincti attinentur, qui fiducia renouati fœderis, securi capti ac spoliati, remoque addicti, crudeliùs à tuis, quàm à Barbaris habentur. verùm, quoniam direptionum & prædarum facinus in tuis credibilius est, ad res Corsicanas statim conuerteris, obijciens, cùm ea, quæ Corsicæ habueras, præsidia, inde abduxisses, nos, in oppida defensoribus vacua, fecisse impetum, iisque captis, quosdam à superioribus quondam regibus Aragonum possessos, fœdè trucidasse. Nolumus hoc loco, præcellentissime Princeps, durius aliquid eloqui, ne, quam spopondimus modestiam, abiecisse videamur: hoc tantum dicimus, sublimitatem tuam in ordine rerum gestarum maximè falli. Nam discessisse tunc Corsica vllum præsidij tui, quem ibi tenuisses, fieri nequit, & longè ante contractas indutias miserat illuc Magistratus sancti Georgij copias ad prædomandos rebelles, qui imperium exuerant. sed, ne videamur ex hac verborum breuitate nolle intelligi, Ranucius Leocanus, longo iam antè tempore, seq. ac filios, & terras suas tutelæ nostræ commiserat; in qua fide adeò constanter perseuerauit, vt pro Repub. pugnans, armatus in acie cæsus sit. Quum succedentes filij vellent & ipsi fidei suæ pignus aliquod dare, Genuam venêre, seque iureiurando obstrinxere ad fidelitatem & obedientiam magistratus S. Georgij. Nec his contentus, Raphaël è fratribus se in Auriam familiam adsciscì petiit, & impetrauit. Hic, quieta consilia perosus, cùm sententiam mutasset, & paterni, proprijque promissi immemor, seque, ac suos, in rebellionem precipitasset, misso exercitu, captus est, & quas meruerat perfidiæ pœnas, luit. Hunc si tua maiestas virum in suos transferre velit, exnunc palàm conuenta franguntur. Cautum est enim ex secunda pace, neutri partium licêre, vrbes, terras, ac subditos partis alterius, se etiam spōtè dedentes, admittere. Ex quo fateare oportet, aut licuisse nobis, in eum, & suos animaduertere, aut, si illos à te receptos non diffiteris, contra pacem, fidemque, ac iusiurandum, receptos, fateare necesse est. Fabulam autem illam, quæ affertur, nos in excusationem causæ nostræ adducere solitos, magistratum S. Georgij, non nos, hæc iussisse, velut ex eodem corpore membrum, in membrum aliud culpam regerat, quicumq. confinxit, vanè, non solùm astutè, vt creditur, confinxit. Nos profectò, nihil vnquam tale, vel scripsimus, vel diximus. Quòd si quid tale loquuntur literæ nostræ, proferantur in lucem, sintque testimonio contra nos: id, nisi fiat, palàm fiet, epistolam tuam, cùm vera in nos crimina congeri non possent, vanitate & commentis fuisse refertam, neque religionem, Christique vicarium, ipsumque fœderis testem, & vltorem Deum, te veritum fallere. Nos quidem, quę magistratus ille, nobilissimum Reipub. nostræ

membrum, vel decreuit aliquandò, vel gessit, laudamus omnia, & veluti à nobis iussa, in nos referri facilè passi sumus. Sed respondeat, si potest, sublimitas tua, si prohibebant indutiæ, animaduertere nos in Corsos contumaces nostros, cur non saltem ad Pontificem Romanum, earum auctorem, ita querelas detulisti, vt vocaremur, & admissi nostri rationem redderemus? cur semestris interualli, quod fœderi adiectum est, moram proferre nequiuisti? Nimirum fecit nimia felicitas, vt fœdere ac religione, Deique vicario contemptis, omnia tibi licêre arbitrareris. Sed iam ad Turcarum pericula veniendum est, quorum nos causam agere prædicas; nec pudet Christianum populum, cuius tu beneficio imperas, Italicos Turcas appellare. Nam, vt omittamus, quantas quamque præclaras res Genuensis populus in Palæstina gesserit, cùm vi & armis Hierosolymitanum regnum Christo restitutum est, quantas deinde, quamq. magnificas, cùm partim tueri, & postremò amissum recuperari oportuit, vt prætereamus etiam decennè bellum, quod pro defensione Orientalium Christianorum contra Baisitam, huius Mahumeti proauum, suscepit, & strenuissimè administrauit. Dertusa certè nobilis ciuitas, multaque egregia oppida in ripa Iberi fluminis posita, classibus nostris expugnata, cæsis infidelibus, vero cultui colla submiserunt. Atque ita in regnis tuis nondum pietatis nostræ vestigia deleta sunt. Nam, quod in nos referre conatur sublimitas tua, primùm Turcarum ex Asia in Europam transitum, apud doctos eius historiæ ridiculum est. Liquet enim, cùm duo Græcorum Principes de imperio contenderent, alterum Constantinopoli eiectum, ad Turcarum opem confugisse, pactaque mercede, Calipolim, arcemque eius, conuentorum pignus Turcæ tradidisse, atque ita multa eorum millia ex Bithynia in Thraciam fuisse traiecta. Sed mauult, scimus, excellentia tua de ea expeditione, quam in Turcas moliri tamdiu prædicasti, sermonem haberi. Quocirca non nos fugit, iam propè triennio circumacto, pollicitam esse sublimitatē tuam, classes, exercitusque, quibus eorum ferociæ occurreres, perfacile id ita fore, nobis persuasum est. Nam, quis est Christianorum regum, quem propter vicinitatem ea magis pericula mouere debuerint? Classem ab Hydrunte mane soluentem, excipiunt vespere Turcarum littora, clamoribus resonantia: astruebat promissæ expeditionis fidem, quòd videbamus, Siciliam, & Sardiniam, exactionibus assiduis exhauriri, reliquos populos insolitis tributis oppressos, in sacerdotes adeò acerbè sæuiri, vt in comparationem reliquarum extorsionum, leuis videretur decimarum præstatio, famaque fuerit, tantum pecuniarum vndique corrasum esse, quantum ipsam Charybdim explere potuisset. Nos interim, certa spe tuæ classis confirmati, singulis annis naues, viros, arma, triticum Christianis Orientalibus suppeditare, vtque forti animo calamitates suas ferrent, litteris ac legationibus exhortari, breui affuturas vires opulentissimi regis, quæ Turcas trans Caucasum trepidos fugent. Sed lenta fuit adeò hæc toties iactata expeditio, vt nisi nos, non vna, sed pluribus classibus discrimini eorum subuenissemus, deserti ac perditi, Turcarum fauces non effugissent. Circumspiciat omnia nunc prudentia tua, ac iudicet, vter nostrum Turcas foueat; nos ne, per quos multæ insulæ, multi adhuc populi, Christum colunt, an is, qui tot florentibus regnis subnixus, collecto auro, quod in multas expeditiones satis esset, eos sæuissimis hostibus prodit, pro quorum salute collatum est. De ciuibus nostris, quorum te charitate moueri dignitas, hoc sibi persuadeat Maiestas tua: illi quidem, cùm sanam mentem resumpserint, redibunt in patriam, non suis viribus, sed mansuetudine nostra: præoptabuntque æquo iure cum suis agere, quàm fidem tuā rursum experiri. Bellum autem,

autem, & minas tuas, eo accepimus animo, quo & reliqua gessimus tecum bella, eoque maiore in Deum fiducia, quòd is nouit, vter nostrum ius, fas, religionem, iusiurandum, Christi vicarium, ipsumque Deum, emissa in nos classe, superbè contempserit. Reliqua epistolarum tuarum prætermittere, & modus epistolæ monet, & illud simul, ne quod diluendi criminis facere necessitas iussit, maledicendi animo feciſse videremur. Genuæ M. CCCC. LVI. die XV. Septemb. Petrus de campo Fregoso Dei gratia Dux Genuens. &c. Et officium octo Baliæ communis Genuæ. *Iacobus Bracelleus.*

Proximo anno, Genuæ, Principis, ac Senatus decreto, valida classis aduersus Aragonios parata atque instructa fuit, eique Thomas Fulgosius cum imperio præpositus, qui haud multo pòst, è sinu Ligustico soluens, hostilem nauim, ex his quas vulgò Galeatias vocant, occupauit, eiusque prædæ partitioni Eduardus Auria, Franciscus Camilius, & Dominicus Promontorius attributi. Et quia Romanus Pontifex, fidei, ac religionis studio incensus, maximoperè auebat, simulque omnem suam auctoritatem interponebat, vt tandem inter Ligures, atq. Alfonsum, lenitis animis, in mutuam gratiam rediretur, de communi Patrum sententia, duo supremæ nobilitatis viri, consilio, ac virtute præstantes, Romam ablegati. Ceterùm, haud multò pòst, infectis vtrimque rebus, illinc discessum. 1457.

LIBER XIII.

DVM hæc ita geruntur, Fulgosius, suæ tyrannicæ administrationis probè sibi conscius, & non modò se, in aduersariorum, verùm etiam eorum qui sibi anteà summoperè fauerant, odium incurrisse animaduertens, animum prorsus despondit, se, in tãta virium imbecillitate, Principatum diutiùs, cõtra tam multos potentes inimicos tueri posse. Proinde temporibus, ac fortunæ cedendum ratus, Principatum potius externorum Principum potentiæ atq. voluntati subijcere voluit, quàm suorum æmulorum atq. hostium libidini, sicuti plerique ante eum fecerant, permittere. Et cùm non ignoraret, Aragonio grauissimas simultates & nõ obscura odia cum Carolo septimo Galliarum rege, ob regni Neapolitani disceptationem, longa æmulatione intercedere, ad hunc, anno eius æui duodesexagesimo, ac mẽse Martio, quatuor legatos, sibi fidos, & in aliis arduis negotiis exploratos, nempè, Marcum Grillum, Ioannẽ Ambrosium Marinum, Gotardum Stellam, & Baptistam Guanum, destinauit, vt cum rege de Repub. tradenda agerent. Rex verò, pronis atque auidis auribus eius legationem suscipiendo, protinus data acceptaque fide, Fulgosium vnà cum ipsa Repub. in clientelam recepit. Et, vt de publico bono, & trãquillitate solicitum se palàm testaretur, illuc quinto Idus Maij, Ioannem Andegauiensem, Renati filium, suum consanguineum, ablegauit, ea potissimùm de causa, vt ibi cum supremo munere & auctoritate præesset. Gaudebat Rex, & in summam lætitiam profusus, animo gestiebat, hanc opportunitatem cum Aragonijs gerendi belli diuinitus sibi offerri, cùm perbellè compertum haberet, Genuam, adeoq. totum tractum Ligusticum, gerendis aduersus Aragonios terra marique bellis, in primis esse commodum, & ferè necessarium. Magnus erat ipse Andegauius iungendarum atque retinendarum amicitiarum artifex: quippè, vltra amœnitatem ingenij atque sollertiam, & calliditatem, etiam Italicos mores probè ab ipsa adolescentia addidicerat. 1458.

Genua sub Carolo septimo Galliarum rege.

cerat. Quibus artibus fretus, non dubitabat, quin facilè illam gentem in officio atque obsequio retineret. Igitur Massilia soluens, prospero nauigationis cursu, quinto Idus Maij Genuam appulit, ibique amplissimis honoribus exceptus, & coacto Senatu, nuncupatisque de more pro Reipub. salute votis, ei nomine Gallici regis, Fulgosio ipso Ducalem dignitatem resumente, publicè à Senatu, aliisque ordinibus, iureiurando fides atque obsequium præstita fuerunt; ea cautione, vt nullatenus tam Reipublicæ, quàm Georgiani Magistratus priuilegiis derogaret: sed omnia in eo statu ac honore consisterent, prout ad illam vsque horam ab aliis Principibus relicta & conseruata fuerunt. His omnibus Andegauensis libenter conceptis verbis astipulatus est, eique breui pòst, ad maiorem securitatem, & mutuam cautelam, arx Castelleti, ceteræque munitiones Ligustico imperio subiectæ, traditæ. His rebus ad Alfonsum perlatis, cùm magno dolore, tùm acerbissimis stimulis exagitatus fertur, quòd videret, se non tantummodò palàm spe frustratum, verum etiam, quòd minimè ignoraret, quàm potètem ibi hostem in viciniam, ambitione sua, & dira alieni imperij cupiditate attraxisset, ideoque magna indignatione erga Remp. commotus, iram supprimere, vel dissimulare nullo modo poterat. quippè, vt erat excelso animo, vltra impotentiam quandam animi, quæ in omnibus eius actionibus elucebat, vindictæ studio supra modũ tenebatur. Proinde, summa celeritate validam classem, præter multa varij generis nauigia, quæ in promptu habebat, viginti scilicet nauium, & decem triremium comparauit, cui Villamarinum, cuius suprà mentionem fecimus, præposuit, vt eam vrbem totis viribus oppugnaret: simulque effecit, vt Petrus Spinula, Ioannes Philippus Fliscus, necnon Raphael & Barnabas Adurnij, qui adhuc patria electi, incertis sedibus vagabantur, cum nouis copiis ex continente eandem arctissima obsidione premerent: & hoc pacto Genuenses multo acrius solito hostilibus armis vndiquaque infestabantur. Ceterum hostilis classis, cum eo tempore longè Ligustica numero & viribus superior esset, tanta temeritate dicam, an fiducia, vsa est, vt portum ipsum Genuensem subire, & anchoras ibidem iacere non vereretur. quod sanè vt primum à Ioanne Andegauio animaduersum est, intra portum se communiuit, illumque transuersis cathenis, magnisque trabibus, & contignationibus præcluſit, vt hoc modo hostem aditu arceret: vrbisque mœnia vndiquaq. Gallico præsidio firmauit. quibus sanè in rebus, Petrus Fulgosius, singulari sua in bellicis rebus peritia, & virtute, fidelem illi operam & consilium præstabat, adeò vt nihil ab eo prætermitteretur, quod quidem ad vrbis custodiam & tuitionem pertinere existimaret, eoq; tempore fortunam suis optatis atque conatibus quàm maximè secundam & fauentẽ nactus est, quoniam, dum Alfonso certa victoriæ spes affulgeret, mors, vltima rerum humanarum linea, illum rebus humanis cum magno Liguſtici populi beneficio exemit. Statim enim, ab huius suæ expeditionis initio, quæ incidit sub finem mensis Iunij, tentabatur lenta febri, mox, post obsidionem, dum variis de causis animus excruciatur, tandem molestiis & tædio in acriorem & atrocentiorem incidit, quæ cùm artus & viscera magno cum calore adureret, atque absumeret, calendis Iulij naturali calore absumptus, extinctus est. Sunt qui existiment, præter animi molestias, aucupia & venationes, quibus vnicè delectabatur, non paruam morbi causam præbuisse, præsertim cùm in agro Nolano, Sarnensium paludibus, & insalubri auræ expositò, assiduè sese cum magna corporis agitatione, & frequenti vectitatione exercuisset. Vtcumque res sese habet, satis constat, illum, nunquam, propter morbi violentiam, animi cogitationes ab hac expe-

Ioannes Andegauens. Genuã profectus, nõmine Gallici regis, illius imperium suscipit.

Genua ab Alfonso terra & aquis oppugnata.

Alfonsi regis obitus.

expeditione abduxisse. Sed de die interitus, multi inter se authores variant. Aliqui enim putant, ipsum, quarto die ante Cal. obiisse; aliqui verò postea. Ego, cũ res non sit vsque adeò magni momenti, parum de die sum solicitus: satis est, mihi constare, illum obiisse circa mensem Iunium, ætatis verò suæ anno sexagesimo sexto, & administrationis regni Neapolitani vigesimo secundo. Comperio multos viros claros & egregios, de huius præstantissimi regis natura, moribus, studiis, rebusq; gestis multa scripsisse, ac totius eius vitæ cursum in literas esse relatum: propterea non immorabor ipsius vitam longioribus verbis describere. Si qui tamen fuerint, qui curiositate quadam inquirendæ eius vitę, & gestorum, studio teneantur, habent quos consulant; in primis verò, Æneam Pium, Antonium Panormitanum, Ioannem Iouianum Pontanum, Pandulphum Collenutium, aliosque huius classis viros. Ceterùm, cùm Alfonsus legitimam nullam haberet prolem, successorem in Aragoniæ Sicilięque regnis Ioannem fratrem reliquit, in Neapolitano verò, Ferdinandum suum filium, quem ex Valentina pellice, generis nobilitate, & formæ venustate, conspicua, extra ordinem susceperat, paulò antea, regni hæredem à se declaratum. Genuenses interim, propter Alfonsi regis obitum, externis motibus magna ex parte liberati, domi aliquandiu pacatis rebus, pacificè vixerunt. Quandoquidẽ Adurnij vnà cũ Flisci, ac ceteris fœderatis, in partes deducta classe, oppugnationem non solùm remiserant, verùm etiam ex continenti planè discesserant, eo certè successu, vt statim soluta obsidione, ipsi Adurnij fratres, siue dolore, propter regis mortem, siue propter assiduos labores, & immensas deuoratas molestias, è vita emigrauerint, quorum morte Genuæ nuntiata, incredibili lætitia omnes illi, qui tranquillitatis publicæ erant amantes, affecti proculdubiò sunt. Vltra siquidem graue bellum, quo tota ipsa ciuitas iugiter afflicta erat, accesserat etiam pestis, & tabifica lues, quæ mirum in modum per totam ipsam vrbem variis contagionibus grassabatur, adeò vt magno cum omnium dolore indies multa funera in vrbe viderentur, & ita ciuitas esset omnibus rebus exhausta, vt magna solitudo in eam introducta videretur. Præterea, ob magnos sumptus necessariò factos, non solùm publicum ærarium, verùm etiam priuatorum quoque hominum facultates defecerant: summaque necessitate adducti, non exiguam pecuniæ summam, à Francisco Sfortia, qui recèns Philippo in Insubriæ Principatu successerat, mutuò sumpserunt, siue, vt aliis placet, dono acceperunt, auctoritate potissimùm Andegauij, qui plurimum apud ipsum multis nominibus valebat. Sfortia enim, etsi Gallorum vicinitatem variis de causis habebat suspectam, & inuisam; cùm tamen recèns ad Principatum esset euectus, quò sese tutiùs in eo communiret, cum Genuensi populo non vulgarem amicitiam præ se ferebat. Ceterùm, Andegauius, cùm omni contentione ac viribus suas partes tueretur, & diligenter procuraret, postquam se obsidione & bello Aragonio liberatum esse videt, vt in alta securitate plerumque fieri solet, à Fulgosio, aliisque patricii ordinis viris, sensim abalienari ac deficere cœpit, ita vt ipsum Fulgosium, suapte natura laudis auidum, & quietis atque otij impatientem, haud mediocriter haberet suspectum, ideoque eius consuetudinem palàm & apertè deuitaret & auersaretur: quod cùm ipse olfaceret, idque veris argumentis deprehenderet, se, in Nouium Ligusticæ ditionis oppidum, vnà cum Voltagio, suæ tutelæ ac fidei commissum, recepit. Porrò cùm Andegauius certam pecunię summam, illi ex pacto & conuentione debitam, minimè ad statutam diem persolueret, & ipse Fulgosius acriùs instaret atque vrgeret; talem Andegauius occasionem nactus, ipsum ex illo die pro hoste habuit,

& Genuę ea de cauſa, eius fratres, & cõſanguinei in exilium acti ſunt: quod maximas deinde turbas, grauiſſimoſque motus in ipſa vrbe dedit. Nam Fulgoſij, cùm plurimum auctoritate, clientelis, atque opibus valerent, non deerant, qui illorũ partes, contra Gallici nominis ſtudioſos, defenderent ac tuerentur. Fulgoſius tamen, cùm ſciret, ſe Gallicæ potentiæ imparem, ac longè inferiorem, & niſi aliis viribus ſubniteretur, ſuos conatus irritos euaſuros, literis ac internunciis Franciſci Sfortiæ animum ad ſe allicere anxiè ſtuduit, eò certè enixiùs, quòd minimè ignoraret, Mediolanenſes Principes, ſemper nomẽ Gallicum in ipſa Italia odiſſe. Quãtò igitur magis Gallus, in vicinia, & in tanta vrbe, illi debebat eſſe ſuſpectus & inuiſus, tantò ſibi non parum de illius animo atque auxiliis pollicebatur. Proinde Sfortiam non ſemel, vti diximus, per literas adhortatus, vt ſibi in ea, quam præparabat, expeditione, auxiliaribus copiis adeſſe vellet, magnam bene gerendæ rei facilitatem ipſi oſtendebat, præſertim cùm ipſe Genuæ adhuc innumeros ſui nominis clientes, & fautores haberet. Quarè modis omnibus ſuadebat, daret operam, ne, tãta opportunitate oblata, anſam proferendi imperij Inſubrij, aliqua ratione prætermitteret, potiſſimùm cùm ſciret, Gallorum nomen adeò omnibus eſſe inuiſum, vt nullus fermè in tota vrbe eſſet ciuis, cui Gallica leuitas & inconſtantia non ſummoperè diſplicêret, & non libenter Gallicum iugum cum Mediolanenſi commutaret. Hæc ſanè quanquam Sfortiam non latêret, tamen ipſe, prudens alioquin princeps, & longo vſu, ac rerum experientia, & bello, & pace, exercitatus, ne tam potentem hoſtem temerè prouocaret, vel, ſi aliquid in eum moliretur, aperto Marte contra ſe irritaret, Fulgoſij poſtulatis neutiquam aſſentiendum eſſe ſtatuit: attamen, ne videretur ipſum omninò deſerere velle, conſiliis (quod vnum tum temporis poterat) ipſum iuuit. Oſtendebat enim, Ferdinãdum Aragonium, qui recèns in paternum regnũ ſucceſſerat, propter antiquam cum regibus Galliæ de regno Neapolitano diſceptationem & æmulationem, facilè adduci poſſe, vt ipſe expellendi Gallici nominis, atque iugi de Genuenſium ceruice, prouinciam ſuſciperet. Quapropter ipſe Sfortia operæpretium ſe facturum exiſtimabat, ſi ſuam propriam atque priuatam authoritatem apud Ferdinandum, Fulgoſij nomine interponeret, ideoque certis fidelibus internuntiis ad illum hoc nomine miſſis, per literas, oſtenſis multis rationibus eam expeditionem in Gallum commodè ſuſcipi poſſe ſolicitauit, atq. adhortatus eſt, vt regni ſui primordia ab aliquo claro & memorabili facinore auſpicaretur. Quanquam enim Aragonij, longa ſerie retroactis temporibus prorogãdi imperij, & nominis cupidi, diuerſo Marte, & ancipiti fortuna variis in bellis cum Galliarum regibus decertaſſent; nunquam tamen maiorem, vel iuſtiorem occaſionem eſſe oblatam, quàm eam, quæ hac tempeſtate in Liguria oſtenderetur. Genuenſes enim, ſeruitutis Gallicæ pertæſi, hoc vnum expectare, vt ab Aragoniis, vel aliis Gallici nominis hoſtibus, opportuno tempore liberentur. Quapropter cùm hæc ita ſeſe habeant, admonet Ferdinandum, ne ſibi deeſſe velit; ſed Fulgoſium, Genuæ nobilitate, auctoritate, clientibus & opibus florentem, virum induſtrium, & in toga & caliga verſatum, in omnibus ſuis negotiis, ceu fidelem Achatem, adhibeat: ſe non videre, quin, ſi tanti viri auctoritate & conſiliis vtatur, voti compos, cum ſumma eius gloria deuictis Gallis, nomen & imperium proferat. Ferdinandus his commotus, & tanti Principis conſiliis & auctoritate inflexus, haud longa deliberatione vſus, hanc occaſionem auidiſſimè arripuit, & præparatis omnibus ad bellum neceſſariis, eò maiori cum diligentia inſtruxit claſſem, quò certius ſibi conſtabat, Genuæ pari modo ad regni Neapolitani recuperationem belli rationes

iniri, & classem ea de causa adornari. Itaque Fulgosio in amicitiam recepto, confestim ipsum pecuniis, aliisque rebus opportunis adiuuit. Fulgosius, vt sæpè diximus, vir acerrimi iudicij, & fortissimi animi, propulsandæ iniuriæ, & asserendæ libertatis occasionem nactus, se minimè segnem, vel lentum exhibuit. Sed cum Ioanne Philippo Fliſco, qui naturali & infensissimo odio Gallos prosequebatur, consiliis communicatis, & fœdere simul inito, quantas potuit copias, in vnum contraxit, & sub initium anni eius sæculi vndesexagesimi, exercitũ vrbi Genuensi admouit, eo ordine, vt castra in Orientali plaga, in villa vulgò Albari, poneret, ex qua, sæpius excursione facta, ipse, oppidanos, & defensores, crebris oppugnationibus inuadebat, & defatigabat. Verũ, oppidani sese suis mœnibus & munitionibus continentes, prœliandi ansam detrectabant; veriti, ne, si ipsi cum obsidentibus velitarent, aliqua interea in ipsa vrbe commotio oriretur, ita vt non absque summo consilio nullam eruptionem admittendam esse iudicarent. At Fulgosius, multum sibi præsidij in intestinis bellis atque ciuilibus dissensionibus ponẽs, hoc vnum agebat, vt, quibus posset artibus, defensores ad prœlium euocaret, omnibusque irritamentis eos excitabat, potissimùm cùm etiam intelligeret, non sine graui suo, suorumque periculo, oppugnationem tentari, vel fieri posse, eò quòd ciuitas esset adeò milite, præsertim sagittariis, & scorpionibus instructa, vt oppugnatores densa telorum nube facilè propellerent atque reijcerent. Accedebat huc, quòd præter alias oppugnationis difficultates, Fulgosio, aliisque illius expeditionis ducibus, satis constabat, in Gallia Narbonensi, ceterisq. Gallici regni partibus, delectum in subsidium obsidionis Genuensis haberi, magnamque militum multitudinem, tam à Renato Andegauio, quàm ab ipso Carolo Gallorũ rege, esse conscriptam, & indefessis itineribus in Liguriam properare. Quibus commotus, & supra modum consternatus Fulgosius, cùm rei bene gerendæ ansam, & belli feliciter conficiendi spem, & exitum, in summa diligentia poneret, oppidanorum auxilia festinatione præuertenda esse censebat. Proinde conuocatis primoribus totius exercitus, magna cum grauitate demonstrat, quantũ periculi, si mora aliqua in expugnanda vrbe interponatur, se, illosque maneat. Adnitendum igitur omnibus viribus & conatibus esse, vt nullo euocandorũ auxiliorum obsessis concesso tempore, dubiis, & incertis adhuc in ipsa ciuitate rebus & animis, ipsos adoriantur. Non dubium futurum, quin oppidanos multis de causis, huc illuc, incertis consiliis fluctuantes, vel facilè superent, vel si minus, saltem æquis conditionibus ad deditionem compellant. His consiliis cùm post exiguam deliberationem, ab omnibus esset assensum, Fulgosius sibi primas oppugnandæ vrbis partes deposcit atque adsumit, præmissisq; nonnullis ex suis qui ad primũ vrbis accessum Fulgosiæ familiæ nomen inclamarent, ipse ad cetera paratus, magna stipatus militum caterua, omnem euentum auidè expectabat. Putabat enim, cùm in ipsa ciuitate multos haberet clientes, & suæ factionis studiosos, futurum, vt ad primum impetum seditione per suos in vrbe orta, reliqui, illorum studia secuti, vel defensionem detrectarent, aut conuersis in Gallici nominis studiosos telis & armis, bellum ciuile enasceretur. Ceterùm, cùm Fulgosij nomen, propter summam eius ambitionem, atque in administranda Republica tyrannicum animum, longè plus plerisque omnibus, quàm ipse existimaret, esset inuisum, licet subinde multoties ad excitandas turbas eius nomen inclamaretur; tamen nemo fuit, qui alienati animi, vel factionis Fulgosię studij, aliquod Genuæ præberet argumentum. Ipse nihilominus, cum suis oppugnationi insistebat, tanta certè cum alacritate, quanta à viris fortibus & militaribus expectari potest.

1459. *Genua à Petro Fulgosio, ac Fœderatis grauissimè obsessa.*

Ioannis Fliſci obitus.

Ioannes etiam Fliſcus, magni & excelſi vir animi, pari ardore atq. alacritate cum Fulgoſio aliiſque anteſignanis ſe gerens, dum incautiùs defenſorum oculis in ipſo ciuitatis conſpectu obuerſatur, albeſcente cælo, magna temeritate ad mœnia vſque prouectus, graui vulnere, ex bombardulæ tormentaria glande accepto, in terram concidit, ita vt cùm poplitibus ſubniti nequiret, à ſuis in tabernaculum ſuum delatus ſit; & poſteaquam diu languidum ſpiritum cum magna pectoris fortitudine atque conſtantia traxiſſet, tandem doloris magnitudine victus, non ſine multis ſuorum lachrymis animam exhalauit. Cuius morte, & acerbo caſu, exterriti paſſim milites, ardorem & alacritatem ſolitam remittere, & ſenſim animis languêre cœperunt, ita vt tractim oppugnationem & aciem declinantes, cũ viderent, oppidanos Gallico præſidio fulciri & inniti, in caſtra ſua pedem referrent. Adurnij etiam fratres; nempè, Rolandus, & Vbertus, cũ Iacobo ſuo nepote, cùm ſub Fulgoſij auſpiciis rem in ipſo primo limine infeliciter geri animaduerterent, & fortunam ſæuiorem, ſi cœptis inſtarent, vererentur, cum ſuis copiis in ſuas arces, atque munimenta, quæ paſſim per illa municipia habebant, ſeſe recepperunt, ſic vt ipſe Fulgoſius cum trecentis cataphractis, qui, ſub principium oppugnationis, magna vi & robore, abruptis impedimentis omnibus, iam in vrbem ipſam inuaſerant, receptui canere, & breui pòſt, in caſtra ſua redire coactus fuerit. Verùm, ob aduerſum caſum, illuſamq. ſpem nihilo ſecius cõſternatus, ac ſi res ipſa bene ſucceſſiſſet, magna animi fortitudine de totius belli ſumma non deſperans, operæpretium ſe facturum exiſtimauit, ſi, redintegratis viribus, coactiſq. nouis copiis, fortunam bellique aleam commmodiori tempore & benigniori ſidere experiretur. Qua de cauſa mutatis caſtris, omnes quas habebat copias, Sextrim Orientalẽ traduxit. Arbitrabatur enim, multũ intereſſe, quonam quiſq. loco & tempore fortunã belli pertentaret. Nam, præter longũ rerũ gerendarũ vſum, nõ mediocrẽ hiſtoriæ cognitionẽ habebat; probeq. meminerat, maximos, ſtrenuiſſimoſque duces, non ex vnius prœlij euentu æſtimari, ſed bellicæ artis peritiam ac felicitatem ex ſanis conſiliis, & multorum bellorum felicibus ſucceſſibus, metiri; magna mediusfidius cum prudentia, & iudicij grauitate: quippe ſi antiquitatis duces ob oculos ponamus, plurimi erunt qui poſt multas & graues clades, nouis victoriis earum obliuionẽ introduxerint, ita vt, rerum geſtarum ſucceſſibus ad trutinam reuocatis, ſtatera proſperitatis bellicæ apud eos cõſiſteret. Hoc igitur conſilio fretus, cùm intelligeret, hanc inſulam negligentiùs cuſtodiri, illam adoriri ſtatuit, & poſt modicam obſidionem, cùm magnis viribus eam vndique oppugnaret, factum fuit, vt oppidani, ſuis viribus diffiſi, languidiùs pugnarẽt, adeò vt ipſe, expugnato oppido, breui etiam pari fortuna, & modo, ipſius arce potiretur. Quo ſucceſſu animoſior factus, Clauarum tentauit. Oppidani, ad caſum Sextrenſium exterriti, deditionem, blandis verbis, & largis pollicitationibus prius ab ipſo ſollicitati, quamprimùm fecerunt, vbi etiam nonnihil temporis ſubſtitit. Id verò, ſimulac Genuæ, gliſcente rumore, delatum eſt, Adegauius, de Liguſtico agro valdè ſollicitus, veritus, ne hoſtis gerendo bello ſedem ſibi deligeret, præmiſſo actutum equitatu, breui decem triremes, duaſque onerarias, ad apparatum bellicum, & murales machinas deportandum neceſſarias inſtruxit, eo certè conſilio, vt arcem, atque inſulam Sextri recuperaret, priuquàm claſſis Villamarini ad Liguſticam oram populandam & inuadendam deſtinata, illuc appelleret. Intellexerat quippe Neapoli eam breui diſceſſurã, ideoq. Ioannem Coſſam, qui recèns Maſſilia Genuam adnauigarat, illis nauigiis præpoſuit, qui ex eius præcepto, verſus ea loca curſu nauigationis directo, primò arcem

cem portus Delphinij, itidem à Fulgosiis paulò antè occupatam, & mox alia oppida præteritis bellis amissa, cùm illa maritimis viribus ab hoste difficulter defendi possent, modico ac minimo negotio recepit. At cùm Fulgosius, qui se ibi cum suis præmuniuerat, metueret, ne vndique ab aduersariis circumuenire-tur, ab incepto desistere, seque in Insubriam ad Nouium oppidum quamprimùm recipere coactus est. Genua interim, nonnihil à Fulgosiis armis liberata, & respirans, multis adhuc difficultatibus & malis implicabatur, sic profectò, vt se veræ quieti, ac domestico otio componere nequiret; quippe cùm eodem ferè tempore, necessarium haberet, cogitationes ad Naulij recuperationem serias adijcere, qui locus paulò antè, inde statim ab initio huius belli, à Ioanne Carrettino, Aragonij nominis studioso, & Fulgosię gentis fautore, ereptus fuerat. Senatus valdè de huius loci recuperatione erat sollicitus, potissimùm cùm & natura, & artibus ita esset communitus, vt illius expugnatio plena difficultatis & periculi censeretur. Ceterùm, præter omnium spem & expectationem, his molestiis breui pòst, mira ratione liberatus fuit. Cùm enim Villamarinus, Tarraconensis classis Præfectus, cum duodecim triremibus ad oram Ligusticam appulisset, annonæ caritate, atque commeatus inopia valdè laboraris, sese Naulium recepit. Proinde Genuæ summis consiliis ab omnibus primoribus, præsertim verò à Senatu, allaboratum fuit, vt per talem occasionē Naulium recuperaretur, & in pristinam libertatem assereretur. Sed cùm negotium ipsum esset plenum difficultatis, & nullam moram admitteret, statutū & conuentū inter eos fuit, vt quamprimùm tota classis, quæ paulò antè domum reuersa, in portu maiori ex parte exarmata & sine vsu in anchoris stabat, summo silentio & sedulitate omnibus necessariis instrueretur: qua in re tam diligentem operam adhibuêre, vt cùm neminī interea temporis, scilicet, inter adornandam classem, nisi exploratæ fidei, vrbe excedere integrum esset, Valdemarinus in ipso portu Naulensi in alta securitate ad anchoram subsistens, imparatus, & nihil minus cogitans, planè oppressus fuisset, nisi incisis rudentibus, atque abruptis impedimentis omnibus, summa cum festinatione suam classem in altum mare eduxisset. Genuenses enim, nocte media portum suum egressi, tam alto silentio, & tam valido remige vsi fuerant, vt parum abfuerit, quin Aragoniorū classem, vti diximus, in ipso portu supprimerent, adeò vt Valdemarinus ad strepitum hostilis classis excitatus, mirum in modum tam nouo spectaculo & inopinato casu consternaretur. Itaq. cùm fuga sibi consuluisset, & nulla celeritate assequi potuisset, Ligures inflexo cursu in portum Naulianum delati sunt; & cùm valdè exigua, & quasi nulla à præsidiariis militibus defensio fieret, facili negotio occupato oppido, etiam illius arce potiti sunt, præsertim cùm defensoribus, propter temporis angustiam, nulla spes auxilij in Finarij reguli, Aragoniis socij, viribus relinqueretur. His rebus ad Naulium feliciter & ex voto gestis, cùm Genuæ maiori ex parte pleręque difficultates, quæ illam Rempub. diu torserant, superatæ ita viderentur, vt ad otium & quietem publicam redire possent, tamen Andegauius, Aragonij nominis æmulus, dira & auita proferendi imperij cupiditate accensus, Neapolitanum regnum, quod dudum antea, vt memoraui, animo inuaserat, adoriri, & quibuscumq. posset viribus occupare destinauit, eò maiori certè cum fiducia, quò ipse, vltra amplissimas & regias, quibus præstabat, opes, etiam multum præsidij in Genuensium potentia & fortunis reponeret. Effecerat enim longa consuetudine, vt ordines illius ciuitatis miris odiis inter se pernicioſa æmulatione flagrantes, dum quisq. ambitioni & honoribus inseruit, sibi non tam ex animi integritate, quàm

ex stul-

Genuenſes adiuuant Renatũ pro recuperanda Neapoli.

ex ſtulta quadam ambitione eſſent deuincti. Proinde, quò Senatus, Gallici nominis ſtudium & propenſionem manifeſtius declararet, habitis prius de more comitiis centuriatis, Senatus conſulto decretum fuit, vt Andegauius in hac ſua expeditione publicis pecuniis, aliiſq. neceſſariis, quantum in illis eſſet, commodè iuuaretur, ipſeque, his auxiliis auctus, & de rerum ſucceſſu ac proſperitate confiſus, profectionem ſumma cum diligentia adornauit. Habebat enim, vltra claſſem, quæ, vti demonſtrauimus, duce Coſſa, à Renato patre Maſſilia miſſa fuerat, etiam decẽ triremes, & tres onerarias, omnibus apparatibus bellicis, Genuenſium ſumptibus ac pecunia inſtructas, quibus per totum trimeſtre in vſum huius belli ſtipendia facere in Senatu ſancitum & conſtitutum erat. Et ne ſolùm patres Andegauio fauere viderentur, certatim à pleriſque ordinibus illi ad hanc expeditionem pecuniæ collatæ ſunt, adeò vt priuata illa ciuium ſubſidia immenſum excurrerent. Quibus non contenti, ex ærario Georgiani Magiſtratus, conſentientibus eius præſidibus, ad ſexaginta aureorum millia deprompta & conſignata fuerunt. Ceterùm, cùm Andegauius, milite, pecunia, & claſſe ita eſſet inſtructus & præparatus, vt de victoria ſibi non parum polliceretur, Ioannem Coſſam, genere Neapolitanũ, qui, paucis antè annis, Gallorum regum ſtudia ſecutus, ab Aragoniis ad ipſum defecerat, toti ſuæ claſſi cum ſummæ præfecturæ titulo impoſuit, ſubſtituto in eius locum Ludouico Valla, ex Galliis oriundo, qui Genuæ Præſidem per eius abſentiam ageret. Verùm interea, conſtitutis omnibus, & ventorum tantummodò commoditatem expectanti, nuntiatum fuit, Petrum Fulgoſium, inquieti animi virum, & nihil non in nominis Aragonij gratiam molientem & audentem, omnem lapidem mouere, quò hanc in Aragonios ſuſceptam expeditionem, remorari, vel interrumpere poſſet. Ferdinandus enim recèns, vti demõſtrauimus, in patris locum in regno Neapolitano ſuffectus, nullis rationibus melius arma Gallica auertere poterat, quàm ſi in agro Liguſtico crebris excitatis commotionibus, tumultuaretur, præſertim cùm illa Reſpub. ſe Gallico imperio permiſiſſet. Quare Andegauius, contra ſpem, & voluntatem ſumma neceſſitate coactus, Genuæ diutiùs quàm decreuerat, hæſit, cùm videret, omninò ex vſu tam Gallici nominis, quàm Reipub. eſſe, non ante vrbe excedere, quàm opportunis remediis Fulgoſij conatibus itum obuiam fuiſſet. Conturbarat enim, vt oſtendimus, ipſe Fulgoſius omnem ferè Liguriam, tantumq; ſpei in armis habebat, vt iam cum acri validaque manu in Vallem Pulciferam deſcendere non vereretur, ſeſe ſubinde oſtentans, ac Genuenſium animos multoties variis excurſionibus pertentans, ita vt poſtea, quarto à Pulcifera lapide, caſtra metaretur: quibus, contra ſuum morem, aliquantò quietiùs quàm antea, militem ſuum ad omnem occaſionem paratum continebat, & reſeruabat. Interea hæc, licet Andegauius nondum finem rebus ſuis Genuæ impoſuiſſet, ne tamen aliquam occaſionem inuadendi hoſtis negligere putaretur, claſſem ſuam contra naues Aragonias, quas non longè à portu Piſano conſpectas intellexerat, præmiſit, eo conſilio, vt eas, ſi ita ducibus expedire videretur, inuaderet. Cuius conſiliis Fulgoſius, cognito Andegauij animo, mirum in modum illuſit. Nam cùm vereretur, ne diutius vbi locum caſtris deſignauerat, tum propter anni tempus, cùm etiam propter fluminum, ſubinde excreſcentium, inundationem, ſubſiſtere poſſet, intellecta claſſis Gallicæ abitione, bene gerendæ rei occaſionem ſperans, fortunam ſuam periclitari voluit, præſertim cùm non obſcurè ſibi conſtaret, Genuam, potiſſimis præſidiis deductis, valdè eſſe imbecillem. Itaque Idibus Septembris, intempeſta nocte cum ſummo ſilentio omnem ſuum exercitum magna di-

gna diligentia Genuam versus traduxit, & tanta dexteritate, ac silentio proficiscebatur, vt superato monte, vulgò Petra minuta dicto, parum ab ipsius vrbis mœnibus abesset. Et ne imprudentia aliqua impingeret, exercitum suum, obequitans, & fidissimis blandissimisque verbis singulos compellans, hortatur, vt pristinæ libertatis & decoris memores, tam opportunam recuperandæ patriæ, & in pristinam libertatem asserendæ occasionem non prætermitterent. Ipse interim de se illa pollicetur, quibus etiam ignauissimus quisque ad fortitudinem erigi & excitari possit. His dictis, ipse omnem totius vrbis tractum diligenter speculatus, tandem eam partem segniter custodiri animaduertit, quæ suo exercitui magis exponebatur. Vigiles enim ad præsidium vrbis relicti, multò segnius quàm antea, vt plerumque ducum absentia seueritatē militaris disciplinę relaxare consueuit, munus suum adimplebant, & stationem sibi demandatam, magna cum ignauia & torpore, vt res ipsa docuit, tuebantur. Quocirca Fulgosius, exploratis omnibus rebus, vbi ciuitatem somno, quieteque consopitam videt, confestim signo dato, cum summa diligentia & alacritate scalas mœnibus admoueri iubet, tanta me herclè cum dexteritate ac fortuna, vt prius ciuitatem ipsam inuaserit, quàm adesse ab ipsis oppidanis cognosceretur. Hoc casu tam repentino atque inopinato cùm tota ciuitas valdè percelleretur, nemo in tota vrbe ipsa fuit, quin variis coniecturis distractus, proditionem vrbis suspicaretur, adeò certè vt Andegauius ad tantum strepitum non mediocriter consternatus, valdè institutum suum, quòd classem præmisisset, damnaret. At, cùm vnica spes repellendi hostis in ciuium fide potius, quàm armis esset, Andegauius summo studio atque ope suarum copiarum, quas reliquas adhuc habebat, annitebatur, vt hostem noua victoria insolescentem, cohiberet atque vrbe exigeret. Constiterat enim Fulgosius in fastigio collis Petræminutæ armatus, eo animi decreto, vt ibi postremum sui exercitus agmen expectaret, & ex ea temporis ratione & interuallo, de suæ factionis studiosis periculum faceret, num ad illam datam & ostensam recuperandæ libertatis opportunitatem, aliquid contra Gallici nominis auctoritatem moliri & tentare auderent. Verùm Andiouinus, minimè tutum ratus in obscuræ noctis tenebris cum collem aggredi, suis in area D. Marthæ, quà hosti transeundum erat, in acie dispositis, vbi diluxisset, eius militibus ad collis radicem quodammodò progressis, non defuêre vtrimque, cùm res magnis animis gereretur, conflictus, Fulgosiis interim magna cum pertinacia munitionē suam defendentibus, quā ita disposuerant, vt facili negotio, & citra magnū dispēdium in eam sese recipere possent, ita vt non exigua pars diei, fortuna in neutrā partem inclinātę, nec hoste vlterius progredi audente, absumeretur. Sed Fulgosij nonnihil sensim superiores facti, Gallos eò redegêre, vt eandem aream repetere cogerēt, quæ tunc ab arce Castelleti propugnabatur. Et cùm status vrbis ita esset cōparatus, vt non citra graue periculum & longā temporis rationē id negotij posset cōfici & consopiri, fuerunt, qui Andegauio fauentes, illi consulerēt, vt ad maiorem sui securitatem, se in arcem Castelleti reciperet, & ibi tantisper consisteret, quoad nouis copiis confirmaretur. Quorum consiliis assentiri, cùm parum regij & excelsi animi esse existimaret, magna alacritate sese hostiū conatibus opposuit, præsertim cùm multum præsidij sibi in Adurnij nominis factione & auctoritate collocaret, eaque de causa, paulò antè, Paulum Adurnium, istius familiæ facilè tunc tēporis in ea ciuitate principem, iusserat vnà cum triremi portū subire, & dispositis in ciuitate militibus, nomē Adurniæ factionis inclamare; arbitratus, ea ratione aduersæ factionis auctores, ac studiosos, faciliùs cohiberi & refrenari posse. Sed longè aliter quàm

Conflictus Genuæ.

ter quàm rebatur, res ipsa cecidit. Tantum enim abfuit, vt hoc pacto Fulgosij impetus reprimerentur, vt etiam hoc quasi irritamento, Fulgosiæ gentis, & factionis animos incenderet atque inflammaret. Tot quippè inter ipsos factiones, simultates & discordiæ regnabant, vt Fulgosius veritus, ne Adurnij Principatum assecuti, malè ipsum multarent; ipse protinus ex eo colle, in quo sese antea communiuerat, magno impetu in hostem ruere constitueret. Quam sanè consilij rationem vrgentibus fatis, illi in mentem veniisse existimandum est, nimirum cùm adeò firmam & stabilem stationem in illo loco esset nactus, vt inde, nullis quodammodò viribus, alioquin deturbari ac expelli posset, cùm illi esset liberum, per aliquam earum portarum, quæ suis præsidiis tenebatur, citra aliquod vitæ discrimen egressum habere. Ceterùm, derelicta statione, cùm ad loca plana deuenissent, non temerè sibi vlterius progrediendum arbitratus, ne, si hostem à tergo relinqueret, repentino aliquo incursu imparatus & impar, opprimeretur, portam D. Thomæ dictam, quæ Gallicis præsidiis tenebatur, aggredi atque inuadere statuit. Verùm ibi, valido præsidio adinuento, cùm propter assiduos labores, & corporis defatigationem, equitare necessum haberet, magna animositate suos præibat, quò illos suo exemplo ad maiorem alacritatem prouocaret, eo quidem successu, vt ipse magno decertandi cum hoste studio atque ardore incitatus, in portam, vulgò Campi dictam, hostilibus præsidiis firmatam, penetraret. At cùm ibi portæ ostium, vnde in vrbem aditus dabatur, apertum inueniret, se sollita audacia & temeritate, quæ illi postmodum, exitium atque interitum attulit, nouis periculis exposuit. Quãdoquidem, nulla inimicorum habita ratione, quorum maior pars in area D. Marthæ sacra, illi à tergo imminebat, duobus tantùm equitibus comitatus, per omnia compita, omnesque quodammodò ciuitatis regiones temerè euagabatur, fratre Thoma cum præsidiis ad custodiam portæ quam occuparat, relicto; eò maiori cum fiducia, quò certiùs sibi suos milites confestim subsecuturos, & sibi maturas suppetias allaturos, polliceretur: sed cùm Gallici nominis milites mira celeritate in præoccupanda porta Fulgosios anteuerterent, coactus fuit Thomas, magno sagittariorum ac scorpionum nimbo vndique impetitus, portam ipsam deserere, adeò vt Fulgosiis adempta sequendi sui ducis facultate, Petrus omnibus suis destitutus, in meditullio ipsius quodammodò ciuitatis, in potestate suorum inimicorum relictus sit; qui inops consilij, rerumque successu anxius ac trepidus, variis sententiis, vt fieri solet, dum animus in dubio est, huc illuc fluctuabat & impellebatur, desperatisque rebus, omnem salutis spem vel in fuga, vel, si illa denegaretur, in aliqua latebra reponebat. At Fulgosium anxium, & cum extrema sua fortuna luctantem, Cossa Neapolitanus, quem Andegauensis classis supremum Præfectum designatum fuisse diximus, & propter nouas à Fulgosio excitatas turbas, Andegauius omniũ consiliorum participem & supremum consiliarium apud se retinuerat, equo conspicuus, minitabundo vultu, & non parua manu stipatus, persequebatur: & tandem ad portam D. Stephani, per quã sibi aditum sperabat, ab ipso Cossa deprehensus est. Verùm enimuerò cùm videret sibi exeundi, occlusa porta, aditũ interceptum, fortiter ac intrepidè in persecutores conuersus, non secus ac si viribus, & numero illis fuisset par, se opposuit: sed Cossa magno animi furore cõciratus, cum magno impetu Fulgosij caput ita vulnerauit, vt ipse attonitus, & consternatus, versus portam D. Andreæ fugiens, eamque densa armatorum manu teneri conspicatus, inflexo cursu, effugium miserè quæreret. & cùm multis gyris huc illuc incerto cursu discurreret, tandem crebris lapidum ictibus, quos ex sublimibus tectis, in-

ctis, instar densissimæ grandinis, in eum oppidani immittebant, haud procul ab area publici palatij equo delapsus, hominum multitudine pressus atque protritus, interijt. Hunc crudelem, & funestum vitæ tragicæ exitum, ad præclarum rerum humanarum exemplar, sortitus est Fulgosius, vel eo certè nomine magnus, & ad posteritatis memoriam transmittendus, quòd vix reperire liceat, in tam multis veterum scriptorum annalibus, quem, cum ipsa fortitudine, tum pertinacis animi constantia, iure comparare liceat. Ipse enim, licet à fortuna destitutus, & in extremo vitæ periculo versans, vndique inimicorum suorum telis exponeretur, & circumseptus esset; nihilominus tamen, infracto animo, magnanimi leonis, vel vrsi in rabiem versi, instar, ita strenua manu & inuicto robore sese propugnabat, vt, nisi turba potiùs, quàm iustis viribus superatus fuisset, haud dubiè salua vita euasisset: sed à promiscua multitudine per ludibrium malè acceptus, cùm crebris suspiriis moribundum spiritum & languida oculorum nictatione traheret, multis vulneribus confossus est. Cuius atrocis casus nuntio perculsi & valdè consternati eius milites, cùm nulla salutis ratio, vel via, nisi in fuga & latebris ostenderetur, dum quisque sibi, eo, quo potest, modo consulit, atque sese subtrahere periculo conantur, maiori ex parte vel interfecti, vel certè extremis periculis reseruati, in custodiam, vel vincula abducti sunt: inter quos, Thomas, & Rolandus, Fulgosij, huius belli ab ipso duce primi, in potestatem Gallorum deuenêre, & Andegauij mandato, in theatro publico capitis damnati, publicè plexi sunt; rati, se, supplicij seueritate factionem Fulgosiam radicitus exstirpaturum, & ita sensim semel finem huic funesto bello, quod Rempub. diris calamitatibus indies magis atque magis inuoluebat, impositurum. Ceterùm Andegauius, vtcumque in præsentiarum rebus compositis, sublatisque Fulgosiæ factionis principibus & auctoribus, haud mediocribus molestiis & curis liberatus, animum ad institutum contra Aragonios bellum conficiendum adiecit; ideoque Genuæ sufficienti præsidio relicto, cum duabus & viginti rostratis nauibus & onerariis quatuor, mense Octob. Neapolim celerrima nauigatione contendit, ac ingenti prœlio ad Sarnum cum Aragoniis commisso, victor factus, vniuerso regno potitus videbatur, si vnam Neapolim, regiam sedem, in potestatem suam redigeret. Proinde cùm hæc sola regia, regni totius diadema illi impediret, statuit illam obsidione arctissima cingere. Verùm hoc eius institutum cùm in deliberatione inter suos consiliarios vocaretur, diu variis sententiis inter eos fuit certatum; tandemque eorum vicit sententia, qui non antea Neapolim obsidendam dicerent, quàm circumuicina oppida recepta, & dedita forent; addita ratione, non prorsus absurda & veri absimili, nempe, quòd si ipse, illorum oppidorum potiretur, fieri non posse, quin Neapolis, quæ his vnis oppidis alebatur, & sustentabatur, diu eius imperium detrectaret. Quocirca iudicabant, regem non antea de Neapoli solicitum esse debere, quàm circumuicinorum locorum factus esset dominus, ne magis obsessis, quàm obsidentibus similiores existimari vellent. His consiliis Rex assensus, bellum diutiùs quàm par erat, cum magno eius detrimento in Campania protractum, & Ferdinando, eiusque sociis, tempus sese communiendi hac potissimùm ratione datum. Interea temporis, Andegauius de subijciendo sibi Campano regno mirum in modum solicitus, variis, vti fit, curis, pro rei tantæ magnitudine torquebatur, adeò, vt citra intermissionem vllam diligentissimi principis, & ducis, obiret atque præstaret officia. Verùm, dum in Campania hæret, Genuæ ita per eius absentiam tumultuatum est, vt ciues, commutatis studiis, & fœda quadam volubilitate à Gal-

Petri Fulgosii exercitus.

Fuga & clades Fulgosii exercitus.

Andegauij victoria ad Sarnum.

Genuæ, absente Andegauio, tumultuatur.

licis partibus deficerent, solaque arce, in Gallorum potestate relicta, magna ibi conuersio rerum exorta, sicuti inferius planius à nobis fiet. Quomodo autem hoc bellum in Campania inter Ferdinandum, & Andegauium, gestum sit, & qua vicissitudine fortunæ vterq. vsus fuerit, apud Pontanum in libro, quem De bello Neapolitano inscripsit, videre licet. Porrò, vt lectorem aliqua in parte molestiæ leuem, paucula eius verba subijciam. Loquitur enim vltimo libro, in quo Andegauij luculentam facit mentionem, in hanc ferè sententiam. Atque haud multò pòst, inquit, Ioannes, Tarentino iam mortuo, desperatis rebus suis, in prouinciam Narbonensem inde nauigat, relinquens in regni Neapolitani populis, atq. apud nobilitatem præcipuè, permagnum sui desiderium, cùm esset maximè compositis moribus, integra fide, incredibili continentia, summa constantia, magno in Deum metu, in homines liberalitate ac gratitudine, iusti honestiáque apprimè colens, ac supra Gallorum hominum ingenia, grauis, seuerus, circumspectus. Huius etiam belli, præter alios, meminit Pandulphus Collenutius, sub finem libri historiæ Neapolitanæ. Sed quia Andegauiensium sæpius mentionem habuimus, id obiter adiecisse mihi operæ pretium fuerit, Renatum, & hunc Ioannem, Nicolaum, Calabriæ Ducem, eorumque propinquum Prouinciæ Comitem, Andegauiensis familiæ in linea directa fuisse postremos Principes, ita vt in hoc Comite, familia ipsa desierit, & penitus extincta fuerit. Ne verò & illud à me silentio inuoluatur, circa hoc tẽpus, Bartholomæus Pernix, ciuis, ac negotiator Genuensis, vbi in Syria aliquandiu, mercium vltrò citroq. commutandarum gratia, cõmoratus esset, atque in patriam rediisset, breui pòst, in Insulam Enariam, sitam in mari Tyrrheno, & antiquitus Pythacusam, nunc è vulgari Græco Iscla, siue Ischia, nuncupatã, enauigauit, & cùm esset sollertis ingenij, rerumq. naturalium diligentissimus inuestigator, obseruauit iuxta illius oræ tractum, complures scopulos aptissimos ad conficiendum alumen, adeò vt, parte illorum desumpta, & in fornace decocta, optimum, ac præstantissimum alumen inde cõflauerit: fuitque primus, qui hanc artem diu in Italia & plerisq. aliis regionibus intermissam, ac fermè extinctam, cum incredibili multorum beneficio, in vsum, tãquam postliminiò reduxerit, dignus profectò, cuius nomen ab omni interitu vindicetur.

Quinã fuerint postremi Andegauẽsis familiæ.

Bartholomæus Pernix artem fabricandi aluminis in Italia instauravit.

De alumine.

Tria verò huius enumerantur genera; liquidum, rotundum & scissile. Liquidi natura primum est: nam ex eo duæ reliquæ species concrescunt. verùm hoc rarissimum est, quemadmodum & scissile. inuenitur tamen in Ægypto, lacti persimile. Alumen rotundum, & globosum est, non tamen absolutè sphæricum (habet enim plurimos angulos) sed ad rotundam figuram nonnihil accedens. Huius hodiè maxima ad nos aduehitur copia. Tertium genus aluminis est, quod scissile vocant, eò quòd molle sit, & friabile in minimas partes. hoc quoque rarissimum est. Nam quod seplasiarij pro eo supponunt, quodque hodie Galli sua lingua vocant Alumen plumeum, Amiantus lapis est, friabilis in modum lanæ, alumini scissili adeò similis, vt pro eo ab ipsis supponatur. Ex hoc lapide tenuiores conficiunt ellychnia, propterea quòd ab igne non consumatur. Texitur quoque in vestes & mappas; quæ sordidatæ, igni purgantur. Discernitur ab alumine scissili, quòd hoc aquæ innatet: amiantus autem mergatur. Gustu quoque dignoscitur: nam alumen scissile substantiæ tenuitate linguam mordicat, & tandem exulcerat; amiantus verò, acrimoniæ omnis, mordacitatisq. expers est. Ad hæc, amiantus in ignem coniectus, perpetuò durat; alumen autem liquescit, bullasq. excitat. De alumine multa eleganter Plinius lib. 35. cap. 15. Et hæc quidem obiter, & quasi per transennam, dicta sint. Suprà commemorauimus, Andegauio ad bel-

ad bellum Neapolitanum profecto, Genuæ fuisse tumultuatum, nunc restat, vt breuiter dicamus, quibus potissimùm de causis defectio à Gallorum imperio Genuę originẽ sumpserit. Cùm enim Resp., ob graues, & intolerabiles sumptus, quos tam præteritorum bellorum, quàm huius nouę susceptæ expeditionis causa impenderat, in summa egestate, & rerum familiarium inopia versaretur, ægrè ratio expediendæ pecuniæ inueniri & excogitari poterat, qua onus publicum, quo mirum in modum omnes grauabantur, à ceruice repelleretur. Exhaustum erat quippè ærarium publicum, & fides priuatorum ciuium erat aliquantò, quàm antea, facta angustior, præsertim cùm in plerisque regionibus, & ciuitatibus, cum quibus aliqua Genuẽsibus necessitudo, & amicitia intercedebat, satis constaret, Gallorum impotentia mirificè Genuensium imminui atque exhauriri fortunas. Cessabant igitur veteres illæ mercimoniorum permutationes, & tantum vnicuique relinquebatur, quantum in præsenti pecunia, & in numerato habebat, adeò certè, vt exactis Andegauiensibus, Senatus, de consensu omnium ordinum, necessum habuerit, noua vectigalia imperare, atque vetera, præter consuetudinem, non parum augere, non absq. ingenti promiscuæ multitudinis fremitu, & summa indignatione, dictitantis sese ab optimatibus opprimi, & vniuersæ sarcinæ pondus in se potissimum reclinari. Quæ querelæ cùm in publicis locis passim à plebe citra alicuius ordinis reuerentiam, vel auctoritatem, spargerentur, & audirentur, non defuerunt aliqui, rerum nouarum cupidi, qui rem ad legatum regiũ delatam, mirum in modum, multis affictis, exaggerarent, & multifariam exacerbarent, ita vt, nouis excitatis seditionibus, tranquillitas publica valdè perturbaretur, eo tamen successu, vt, præter aliquas leues turbas, nihil noui per id tempus attentaretur; sed Reip. administratio in eodem statu & tenore aliquandiu persisteret. Ceterùm, progressu temporis, anno scilicet, vno ac LX. quies publica iterum nouis de causis perturbata. Regius etenim dominatus, multis nominibus iam omnibus grauis, & planè intolerabilis erat; siquidem vltra animi impotentiam, qua regij administri in procuranda Rep. passim vtebantur, Præses cum primis, cui nomen Ludouicus Valla, cum summa rerum ab Andegauio Genuæ relictus, quòd tenuis fortunæ esset, ac rei familiaris inopia interdum laboraret, ita auctoritate, & gratia apud omnes, pręsertim opulentiores, exciderat, vt etiam vulgò esset inuisus, atque etiam ab eo non mediocriter contemneretur, tam me herculè apertè, vt non pauci forent, qui non solummodò, eius personam flocci penderent, sed etiam eius decretis omnem fidem & reuerentiam abrogarent: & pedetentim studium atque amor, quibus antea in regios propendebant, omninò elanguebant. Certabatur nimirum in tanta hominum frequentia, variis sententiis, atque animi propensionibus. Nam hi, qui ciuitatis principatum vni soli deferendum, & concredendum esse studebant, omnes vias & rationes, quibus à dominio Gallico liberarentur, inibant, sic, vt aliquandò apertè sese regiis diplomatis opponerent, ac non paucis regis postulatis refragarentur. Rex enim, contra Britannos suscepturus bellum, Genuensibus aliquot naues subsidiarias imperauerat. Verùm, cùm huc esset decursum, vt Aristocratiam palàm, & vi quodammodò introducere non obscurè præ se ferrent, prætextu detrimenti, & dispendij publici subsidij, requisita regi denegarunt, quòd quererentur, hoc citra graue ciuium Genuensium, Londini negotiantium, incommodum, & iacturam fieri nõ posse. Accedebat huc, plebis haud occulta & nimium vetus querimonia, administrationẽ nempe regiam, nimis in gratiam nobilium propendere. Proinde enixè instabat, vt non solùm huic rei, verùm etiam aliis grauibus & insolitis

Quibus de causis Genua defecerit à Gallorum imperio.

1460.

1461.

Rixæ ac dissidia inter plebem ac nobilitatem.

exactionibus cum opportuno remedio obuiam iretur. Verùm, cùm Præses, horum postulatis atque precibus nullo pacto assentiri vellet, ingentes motus, sicut sæpius antea, subsecuti sunt, qui promiscuam multitudinem supramodum concitarunt. & cùm in sententia pertinaces essent, subinde conciliabula clanculum habebant, in quibus non solùm contra regios conspirabatur, verùm etiam in nobilitatis perniciem cõiurationes fiebant, tanta certè cum audacia, vt de media plebis fece iuuenis quidam, stulta ambitione sibi placens, in suæ factionis consessu assurgeret, & alta voce, instar præconis, proclamaret, nulla deinceps consultatione opus esse, vel rem amplius extrahendam, sed armis atque ferro decernendam. Hic etiam, vt sibi gratiam & auctoritatem apud seditiosum populum pararet & aucuparetur, statim ex consilio egressus, ingeminata sæpius populari libertate, vrbanam multitudinem ad rebellionem & defectionem solicitabat, cui glisceti tumultui, & seditioni, si regius Præfectus statim ab initio, vt omninò debebat, obuiam iuisset, paruo cum negotio extingui atque consopiri potuisset. At cùm serpentem tumultum mora atque licentia confirmaret, minimè postea cohiberi potuit. Paruo siquidem tempore interiecto, maxima pars eorum qui D. Stephani suburbana tecta incolebant, nouas turbas ciebant; vnde tantus tumultus exortus est, vt in Præsidis potestate non esset, illum coërcere, & ad officium reuocare: quin potius metu exterritus, rebusque vrbanis, in vulgi, ac multitudinis arbitrio derelictis, continuò se vnà cum suis præsidiariis in Castelli arcem subduxit; quod sanè vniuersam vrbem ingenti metu & consternatione repleuit, ita vt per totam ciuitatem ingens seditio oriretur, omniaque sacra profanis miscerentur, & instar iugalium ferocientium, excussis iam habenis, sine duce & freno, vniuersa proruerent; ac boni omnes valdè metuerent, ne, ex his nouis motibus excitatis, grauiores postmodum calamitates subsequerentur, atque irrepe-rent: quandoquidem omnia, tanta cum licentia & impunitate fiebant, vt nulla vrbis esset regio, in qua feruidè non tumultuaretur: nemoque erat sani consilij, qui ferocienti multitudini ad eam compescendam, obuiam progredi auderet. Verebãtur enim, quod accidit, ne, perturbata ciuitate, diuersarum partium principes, qui similem occasionem & ansam auidè expectauerãt, in vrbem venirent, quò illam maioribus calamitatibus inuoluerent. Licet enim præteritis temporibus & bellis, multi factionum duces, variis in locis, & diuerso mortis genere, interiissent; tamen instar hydræ, multorum capitum, subinde noui subnascebantur, qui priorum loco succederent; inter quos facilè principem locum obtinuêre, Paulus Fulgosius Petri frater, atque vrbis Antistes, & Prosper Adurnius, qui magna clientum & sicariorum multitudine stipati, hac occasione ostensa, ingenti festinatione in vrbem properabant. Qui verò neutri parti fauebant, summoperè metuerunt, ne aduentus harum duarum præcipuarum factionum principum, incentiua nouis seditionibus atque turbis subministraret. Deorum tamen immortalium beneficio, atque bono vrbis genio, accidit, vt hi duo duces inter se discordes, etiam popularium studia scinderent, & in diuersas partes raperent: quod sanè saluti patriciorum valde profuit. Quoniam cùm harum duarum factionum studio variis in locis ad arma decurreretur, summis viribus atq; acerrima contentione vterque illorum, non secus ac in iusta acie, & contra patriæ hostem decertaturus, operam dabat, vt quibus posset mediis & modis, superior & victor euaderet, eo quidem euentu, vt popularium animis magis in Adurnii, quàm in Fulgosium propendentibus, hoc vnum enixè ageret, vt Adurnium Gallis firmiùs atque arctiùs obstringerent. Auersabantur nimirum Fulgosium, ob innatam

Furiosa temeritas cuiusdam iuuenis plebeij.

Genuæ noui tumultus.

innatam sibi animi ambitionẽ & impotentiam, quæ vsque adeò erat magna, vt propè in omnibus eius actionibus eluceret. Proinde summoperè verebantur, ne, si ipse rerum potiretur, fratris ignominiosam mortem cum multorum strage vlciscereturr. His de rebus Fulgosius certior factus, popularium inconstantiam considerans, subitam aliquam vim & repentinam impressionem verebatur, quã vt euitaret, & præcaueret, magna prudentia sese clanculum ex vrbe in latifundia sua subduxit; vt ibi securus, totius tragici spectaculi exitum prospiceret. Vbi de eius discessu ciuitas penitiùs cognouit, popularis ille ardor, qui citra aliquam remissionem ad id temporis exarserat, quam primùm ita refrixit, vt concitatæ illæ turbæ nonnihil de medio tollerentur. Ceterùm, populus veritus, ne, introductis & reuersis Adurniis, Gallica potentia factionum diuersitate valdè labefactata & imminuta, iterum eorum opera, vires, & dignitatem resumeret, & ita nobilitati ad honores capessendos, & præoccupandos, longè maior atque facilior, quàm prius, patêret aditus, iterum armis resumptis, Adurnios adorti sunt. Satius enim longeque vtilius esse ducebant, quoduis dominium, licet tyrannicum & ferum, quàm regium iugum subire, sub quo neglecta præteritaque plebe, nobilitati, & ordini patricio magis faueri solitum esset. Proinde cũ prædictarum factionum principes, huius consilij & decreti rationem, cognitam atque probè perspectam haberent, longoque iam vsu didicissent, in amplis ciuitatibus, præsertim verò Genuæ, nihil magis popularium animos, atque potentiam, frangere atque imminuere, quàm externorum Principum, & in primis quidem Gallorum, stultam ambitionem, animique impotentiam, quò se illorum conatibus fortiùs, atque commodiùs opponere possent, cum plebe ipsa in gratiam redierũt, firmandæque societatis, amicitiæque causa, extra vrbem locus est designatus, vbi in mutuum colloquium conuenirent. Ibi tandem, post longas altercationes, & sententiarum varietates, concluſum, & statutum fuit, vt, abrogata maiori ex parte veteri Aristocratia, in plebis gratiam Democratia instituetur; conuocatisque ea de causa in prætorium popularibus Decuriis, & Centuriis, de communi omnium consensu & voluntate, octo Præfecti plebeij, ex manuariis opificibus, creati, quorum potissimùm consiliis, & auctoritate, Resp. tantisper regeretur, donec, communibus omnium suffragiis, nouus Dux cum summa potestate esset designatus. Multa in illa tempora inciderant, quæ nouam reformationem necessariò requirebant. verùm cùm pleraque ita essent difficilia & intricata, vt citra longam deliberationem constitui nequirent, in meliorem temporis commoditatem pleraque reiecta sunt. Hoc vnum dumtaxat fuit plebiscito sancitum, vt Fulgosius & Adurnius, tranquillitatis publicæ non mediocres alioquin perturbatores, postero die, liberè in vrbem redire possent, magna profectò cũ totius nobilitatis formidine, nec minori dolore, veriti, ne tam magnis & tam potẽtibus duarum præcipuarum factionũ principibus, in vrbem postliminiò receptis, nobilium status miriſicè eleuaretur, & ab eorũ iudicio & arbitrio prorsus pẽdêret. Fulgosius & Adurnius, quòd sibi vehementer metuerent, & populari auræ parum fiderẽt, magna clientum atque armatorum manu comitati, in vrbem reuersi sunt, & vix vno die quieti dato, Senatum in curiam grauissimis de rebus, potissimùm verò de Castelleti expugnatione, & noui Principis creatione consultaturi, euocarunt. Vbi cùm Patres conscripti conuenirent, grauiter multa de salutis tranquillitatisque publicæ constituendæ rationibus dixerunt, & post multarum sententiarum rogationem, disseruerunt, vt, ad consopiendas & extinguendas tantas faces, incendio publico præparatas, ex vtilitate publica foret, Adurnio vrbis Principatum

Noua Reip. forma introducta.

ijsdem ferè conditionibus, quibus Georgius & Raphaël eius prædeceſſores, Principes renunciati fuerant, tradere. Huic Patrum decreto Fulgoſius, licet eius acerrimus æmulus, ſubſcripſit. Quod ſanè ſenatuſconſultum, pleriſque etiam Gallici nominis aduerſariis, & in primis Franciſco Sfortiæ, Mediolanenſium Principi, ſummoperè placuit, præſertim quòd Gallorum potentia per vniuerſam Italiam vſque adeò eſſet ſuſpecta, vt omnes Principes eam valde reformidarent. Sed nemo erat, qui illam maiori & iuſtiori odio perſequeretur, quàm Sfortia, cui meritò Gallorum potentia, & cognita regnandi cupido, eò magis diſplicebat, quò viciniores eſſent. Proinde ſperabat vehementer, ſi Adurnius Principatum conlequeretur, Gallicum nomen non ſolùm à Liguſtico agro, verum etiam à tota Italia proſcriptum iri. Quamobrem anxiè dabat operam, nullamque occaſionem prætermittebat, vt ipſi Duci, aliiſque, rerum gubernaculis admotis, omnibus modis gratificaretur; tantaque conſtantia ſe ad omnem Reip. neceſſitatem paratum aſſeuerabat, vt Senatus, eius verbis fidem habens, ac non parum eius auxiliis confiſus, Caſtelletum ipſum omnibus viribus atque artibus obſideret, ac expugnare non addubitaret. Cæterum, arx ipſa vſque adeò erat loci natura, atque opere firma, & communita, ac tam valido militari præſidio defendebatur, vt nō ita facile eſſet, licet omnes ſuas vires explicarent, eam expugnare. Quamobrem, miſſis ad Sfortiam oratoribus rogatum ſuppetias, ipſe, citra aliquam temporis moram, Thomam Raitinum ſuum oratorem, virum manu promptum, atque tam in caliga, quàm in toga verſatum, cum mille ſubſidiariis militibus Genuam miſit. Huius tanti viri auctoritas atque conſilium effecit, vt Adurnius & Fulgoſius, depoſitis omnibus ſimultatibus, in mutuam gratiam & firmam amicitiam redirent; Senatuique etiam auctor extitit, vt non pauca circa ſtatum politicum emendaret, & multò acrius quàm antea, arx ipſa vndique oppugnaretur. Eius namque conſilio, præter murales machinas, quibus hactenus arcis munimenta impetebantur, erecti ſunt aliquot aggeres intra ciuitatis mœnia, vt hoſti omnem ad vrbem aditum intercluderent. Præterea, ad omnem motum ac repentinum caſum, templum atque cœnobium D. Franciſco ſacrum, omnibus neceſſariis bellicis ita communiuerunt, vt, ibi trecentis lectiſſimis viris in ſtatione derelictis, ciuitati nihil ab arce periculi immineret. Præparatis itaque omnibus opportunis, diſpoſitiſque maioribus tormentis, aliiſque machinis, arcis expugnatio eo ſucceſſu inchoata eſt, vt eius defenſores ingentibus tormentis, vel, vt vulgò loquimur, bombardis, magnaque ſagittariorum & ſcorpionum copia, oppidanorum munitiones atque aggeres ita infeſtarent, vt magnam hominum ſtragem, nec non minorem ædificiorum ruinam, paſſim in vrbe facerent, tam manifeſto mediusfidius cum totius ciuitatis incommodo & damno, vt oppidanis, de arcis expugnatione planè diffiſis, aliæ conſilij rationes ineundæ eſſent. Proinde, intercepta omni importandi commeatus, aliarumque rerum ad vitam neceſſariarum facultate, obſidionem vndique premendam ſtatuerunt. Et Senatui expedire videbatur, vt Sauona, quæ adhuc in Gallorum fide atq. obſequio perſeuerabat, ne obſeſſos aliqua ex parte commeatu iuuaret, armis redigeretur. Illud tamen oppidum egregiè communitum, & in regia obedientia, præter omnem ſpem & opinionem perſeuerans, Genuenſ. conatus eluſit, ita vt infecto negotio, Genuam reuerſi ſint. Cæterum, huius Reipub. tragicæ conuerſionis rumor, non modò totam Italiam peruagatus eſt, verumetiam pleraſque Europæ partes, præcipuè verò Galliam, penetrauit, tanta cum omnium admiratione, vt Galliæ proceres, de Andegauij prudentia, & ſingulari virtute multa ſibi hactenus polliciti, propter

Proſper Adurnius Princeps deſignatus.

Arx Caſtelleti oppugnatur à Genuenſ.

propter hanc nouam, & inauditam defectionem, non parum illius auctoritati detraherent, & in primis quidem Carolus, cui, hæc aduersa fama, haud dubiè maximam molestiam adferebat. Excruciabatur etiam summoperè Renatus, Ioannis Andegauij pater, quòd non solùm hoc nomine, suo filio multum auctoritatis apud Regem, & proceres decessisse animaduerteret, sed etiam videret, hac noua Genuensium defectione, sublatam sibi Neapolitani regni recuperandi ansam. Multum etenim præsidij, sibi in Genuensium armis atque industria semper collocauerat, anxiéq. allaborauerat, vt hanc Remp., quibuscumque posset artibus & mediis, sibi coniungeret, & deuinciret; authoréque fuerat, vt statim hac Rep. in obsequium Gallici nominis recepta, prius quàm aliquid apertè in Aragonios moliretur, Arx Castelleti, reliquaq. circũuicina loca, valido milite, aliisque necessariis firmarẽtur, quò scilicet, populus hac ratione melius in officio contineri posset. Cùm itaque iam Gallicum imperium, propter diuersa ciuium studia, ita foret coarctatum, & accisum, vt etiam de Castelleti arce valdè periclitarentur, operæ pretium visum fuit non solùm ipsi Renato, qui nulla interposita mora, decem triremes bene instructas, cum mille expeditis militibus Massilia Genuam miserat, sed etiam ipsi Regi, habito passim per totam Galliam delectu, nutantibus rebus, & suis passim in Liguria laborantibus, opportuno tempore succurrere. Proinde conscriptis multis equitum peditumque cohortibus, quæ vltra sex hominum millia constituere dicebantur, eas in Delphinatu recensuit, & summa cum celeritate Sauonam transmisit; quibus postmodum, magna nobilium, aliorum agri Sauonensis, voluntariorum militum accessio facta est, adeò vt Genuenses, cùm propter tam magnos apparatus bellicos, tum, ob insignem virtutis Gallicæ & militaris peritiæ opinionem, essent haud parum exterriti, præsertim quòd valdè, horum, quos diximus, præcipuarum factionũ Principum vnionem, & concordiam suspectam haberent: Sfortia etiam, cùm summam belli aleam, illiusque Reipub. salutem, in horum amicitia, atque firma societate potissimum poneret, vtrumque, Mediolanum ad se accersiuit, & vtriq. seorsum plurimis rationibus ostendit, fieri non posse, si vlterius simultates ac dissidia exercêre pergerent, vt diu ciuitatis status incolumis contra tam magnam Gallorum potentiam stare posset; nimirum cùm nemini foret dubium, quin ex ciuilibus contentionibus, aduersariorum vires magna sumerent indies incrementa. Viderent igitur, ne suis inimicis, atque capitalibus hostibus, Reip. recuperandæ ansam ex priuatis odiis præberent, quòd si præstarent, non videre se quare Gallorum potentiam vereri debeant, cùm Genuenses, eorumq. socij, ac fœderati, ita essent per se validi, atque rebus omnibus necessariis instructi, vt facilè hostiles conatus impedire, ac prorsus atterere possent. Hoc, vt fieret commodiùs, ipse suum patrociniũ atq. extremam opem in gratiam publicæ salutis offerebat, & iureiurando confirmabat, sese in omnibus nunquam defuturum. His verbis, atque aliis, in hanc ferè sententiam dictis, ipsi mirificè confirmati, vbi primùm Genuam reuerterunt, multò maiori animorum alacritate ac studio, quàm antea, se ad expugnationem arcis, eaque omnia, quæ ad hostium conatus reprimendos facerent, compararũt; tametsi subindè quorundã patriciorum opera, immitterentur vitilitigatores, qui falsis delationibus & calumniis, rixas & contentiones inter illos frequenter serebant, vt ea ratione ipsorum animi in diuersum raperentur. Vterque tamen summa cum diligentia & fidei constantia, pro Reip. salute ac dignitate laborabat, & indefessis studiis inuigilabat, adeò vt nihil prorsus, quod ex illius vsu esset, omitterent. Sfortia, cùm iam bene sperare de Genuensium concordia cœpisset,

Gallici apparatus prò Genua recuperanda.

Marcum Pium Carpi Principem, virum, præter familiæ ſplendorem, ſtrenuum, & domi foriſque clarum, cum lectiſſimorum equitum ala, quòd ad celeritet bellum conficiendum, inter cætera, equitatu valde indigerent, præmiſit. Sed, quia ærarium publicum erat, vt ſuperius docuimus, exhauſtum, Senatus coactus eſt, pecuniam, à Sfortia, aliiſque Liguſtici nominis ſociis, mutuò ſumere: quæ cùm tantis ſumptibus bellicis non ſufficerent, neceſſarium habuit, collectione ex priuatorum ciuium pecuniis, atq. fortunis facta, ærarium ipſum inſtruere. Verùm, cùm magna ea de cauſa paſſim in ipſa ciuitate ſeditio oriretur, huiuſmodi ſubſidium detrectantibus in primis nobilibus, Adurnius, vt aliis metum iniiceret, aliquot in cuſtodiam publicam coniici iuſſit. Reluctabantur enim, edicto publico de colligenda pecunia facto, cum tanta animi pertinacia, vt tranquillitatis publicæ amantes, ſummoperè vererentur, ne hiſce de cauſis ciuitas, multis incommodis, atque planè hoſtium faucibus expoſita, hoc nouo & inteſtino malo in maius diſcrimen & periculum deueniret. Igitur, quò meliùs omnium ordinum animi in officio atque debito obſequio continerentur, prudenti Patrum conſilio ſtatutum fuit, vt munia bellica inter ciues citra aliquam prærogatiuam diſtribuerentur. Fulgoſius quippè, tanquam eximiæ virtutis dux & veteranus miles, cum ferè totius iuuentutis flore, ac Sfortianis ſubſidiariis, in quibus omnis victoriæ ſpes non temerè collocabatur, ſibi locum extra vrbem planè accliuem & montoſum delegit. Adurnius verò, cum ceteris militibus, reliquaq. plebeia multitudine, intra muros ſe eo conſilio continebat, vt ſeditiones, ſi quæ fortè per interualla orirentur, ſua prudentia, & auctoritate reprimeret, ſimulque commeatum, & annonam his qui foris eſſent, ſuppeditaret. Interea temporis, Renatus Andegauius, cum valida claſſe, ac multis aliis ſtrenuis ducibus, atq. magnatibus, iam non longè à portu Genuẽſium aberat. maritimam etenim oram, ſolo adiuti remige, dudum legerant, ac portum, niſi exploratò, ſubire non audebãt, adeò vt in littore, quod vulgò D. Petri in arena vocant, omnem claſſem subducerent, & anchoris iactis, pedeſtres copias in villam Cornelianam exponerent. At Fulgoſius de claſſis hoſtilis aduentu certior factus, incredibili cum alacritate, & animi promptitudine, non ſecus, ac ſi per totam vitam militiæ vacaſſet, & armis potiùs, quàm infulis ſplendidior, lorica indutus, ſeſe vnà cum Carpenſium regulo ad excipiendum hoſtem expediuit; & lectiſſimo equitatu, ac promptiſſimorum iuuenum manu concomitatus, pugnãdi auidus, hoſtem expectabat. At tamen quòd Gallorum acies longè aliter, quàm exiſtimarant, inſtructas viderent, neutiquam eo tempore prœliari auſi ſunt; ſed illorum potentiam admirati, nullo ſubſequente hoſte, in vrbem redierunt. Sunt qui tradant, non dubium fuiſſe, quin, ſi eodem tempore, ad primum ſcilicet Genuenſium conſpectum, Galli, prẽmiſſis omnibus ſuis copiis, Fulgoſium cum ſuis inuaſiſſent, & triremes, eodem temporis momento, vrbis portum ſubire tentaſſent, irruptione atque impetu duabus ex partibus in vrbem facta, illa potiti fuiſſent. At nobiles nonnulli Genuenſes, qui, Gallici nominis ſtudia ſecuti, ad hanc expeditionem venerant, quò patriæ excidium auerterent, auctores fuerunt Gallo, maiorem, meliorem, bene gerẽdæ rei occaſionem expectaret, nimirum, quòd dicerent, fieri non poſſe, quin ciuitas, tantis diſſidiis, & factionibus diſtracta, diu in concordia permaneret. Proinde citra aliquam ſanguinis effuſionem, eam victoriam & vrbis direptionem ex ciuilibus diſſenſionibus futuram. Galli hac ſententia commoti, derelicta ad præſens, prœlij, & oppugnationis occaſione, vlterius nõnihil progreſſi, cœnobium D. Benigni, alioſque circumuicinos montes, caſtris ponendis delegerunt.

runt. Qua mora oppidani confirmati, &, vt sæpè vsu venire solet, audaciores facti, lacessere hostem, equitem leuioris armaturæ extra vrbem ducere, & crebras cum aduersariis velitationes habere, non sunt veriti: initisque postmodum, de totius belli summa, consiliis, decretum fuit, vt omnibus viribus hostem, prima quaque data opportunitate, inuaderent. Galli verò contrà, hoc vnum contendebant, vt, relicta planitie, per aduersos colles, suis, in arce Castelleti multifariam laborantibus, præsidium inferrent, atque omnibus necessariis communirent, nimirum, quòd intelligerent, totius belli molem, atque aleam, in huius potissimùm castri defensione, & incolumitate consistere. Quamobrem, postero die, vniuerso exercitu in tria agmina diuiso, ac, quasi per tria cornua constituto, ita aciem disposuerant, vt milites, quos in arcem mittere volebant, vndique ab reliquis exercitus cuneis circumsepti essent, ita vt, citra aliquod periculum, liberum in arcem iter haberent. In prima siquidem fronte, sagittarios, alioque leuis armaturæ milites, velitationibus idoneos; in secunda, machinas bellicas, aliaque curulia tormenta cum præcipuo totius exercitus robore, & in postrema, carpenta, atque alia impedimenta collocauerant. Atqui Genuenses, de patriæ libertate atque salute mirum in modum soliciti, omnem occasionem inuadendi hostis expectare, nihil, quod ad victoriam reportandam pertinere posset, omittere, ac indefessis studiis, & vigiliis, ciuitatem summa cum fide & diligentia custodire, deque Gallorum consiliis commonefacti, suam quoque aciem, magna cum militaris scientiæ peritia instruere, eo certè ordine, vt velites, ac sagittarios, à fronte, quò hostem ascensu montium prohiberent, obijcerent. Fulgosius etiam, cum delecta oppidanorum manu, ac Sfortiano milite, in collium vertice ad omnem casum paratus, constiterat; reliqua verò multitudo sese vndiquaq. per omnem istorum locorum tractum, ad hostem impediendum, & exterrēdum effuderat. Nec Adurnius, segniùs suas partes interim tuebatur. Nam, cùm illam vrbis partem sibi defendendam desumpsisset quæ mari obijcitur, veritus, ne à classe Gallica vrbs aliquod damnum, vel impressionem pateretur, in ea parte vrbis, quæ ex opposito, ceu ex diametro, arcis situi respondet, magnam propugnatorum manum dispositerat, tam ordinatè, vt vno eodemque tempore, ipse tractum maritimum, ac etiam palatium publicum, cum suis tueri atque propugnare posset. Tanta quippè cura & solicitudine, ab ipsis ducibus, rebus omnibus prospiciebatur, vt difficulter aliquid incommodi, ciuitati ab hoste infligi posset. Ceterùm, cùm Galli, eductis aliquot copiis, vellent, suis in arce laborantibus opitulari, nouumque præsidium inferre, Genuenses, hanc occasionem sibi oblatam non prætermittendam rati, cum magno ac valido militum robore, vti demonstrauimus, egressi, illos fortiter, in iis quos occupauerant, collibus adorti sunt, eo euentu, vt, cùm hostes leuioris armaturæ equitatu prævalerent, perruptis primis ipsorum ordinibus, ac superato aduerso monte, vsque ad secundum eorum agmen peruenerint. Verùm tamen excelsiorem locum hoc modo nacti, facilè propter loci iniquitatem, Gallos, aduersus se conscendere conantes, deturbabant, ac eos strenuè repellebant, & ad vltimum, multis confossis atque protritis, nec paucioribus per abrupta collium præcipitatis, ipsi, fortunæ benignitate accensi, vndique Gallos prouocare, atq. inuadere, adeò vt tandem, ipsius iniquitate loci sensim superati, cùm summa contentione altero monte potiri adniterētur, in eam partem deflexerint, vbi Fulgosius cum Sfortianis sua castra communiuerat, existimātes, faciliorem per eum tractum eruptionem fieri posse: sed nimio æstu corporisque defatigatione, atque armorum pondere præpediti, cùm omnes ferè ingenti siti vrerentur, collem, suapte na-

Conflictus iuxta Genuam inter Gallos ac Genuens.

pte natura aſcenſu difficilem, in tantis periculis, ac difficultatibus conſcendere nequiuerunt: & iam non ſolùm imbecilles, ſed prorſus imbelles facti videbantur. Accedebat huc, quòd ſagittariorum crebris eiaculationibus à celeriori grellu ita prohiberentur, vt, qui editioribus locis conſiſterent, citra magnam difficultatem inferiores protruderent, ac deturbarent. Verumenimuerò, quò Galli maioribus difficultatibus, & incommodis implicabantur, eò ardentiùs, atque anumoſiùs rem gerere, atque omnia ſtrenuorum militum officia adimplere, ita ſanè, vt, niſi Genuẽſes, nouo ſtratagemate vſi fuiſſent, cùm iamdiu ancipiti Marte, ſed impari locorum conditione, vtrimq. eſſet dimicatum, non dubito, multorum ſcriptorum annales ſecutus, quin, vel victoria penes Gallos omninò ſteriſſet, vel ſaltem à Genuenſibus, multorum clade atque ſanguine redempta fuiſſet. Sed quòd tandem integra victoria hi potiti ſint, hoc ferè quod ſequitur, in cauſa fuit. Constantiſſima fama obtinuerat, Franciſcum Sfortiam magnas copias conſcripſiſſe, quas Liguribus ſociis & vicinis, ac ſumma neceſſitate laborantibus, ſubſidio quamprimùm mitteret. Hic rumor tam latè ſeſe diffuderat, vt Galli, hoc nuntio non parùm commouerentur, præſertim, quòd in medio ipſius pugnæ ardore, ties magni nominis atque auctoritatis copiarum Præfectos, in aciem aduerſariorum adueniſſe compererant, nempè, Carolum Cadamuſtum, Georgium Matinum, & Nicolaum Epirotam; famaque ſparſerat, mox magnum ſupplementum illis ad futurum. Fulgoſius etiam, quò Gallis maiorem metum incuteret, his Sfortianis ducibus auctor fuit, vt ipſi, montis ſummitate potiti, manibus extenſis, ceu intento digito, Sfortianis, reliquiſq. Genuenſium militibus, quoddam agmen ruſticorum & agreſtium oſtẽderent, qui, quòd procul ab eorum conſpectu remoti erant, non poterat dignoſci, milites, vel incondita ruſticorum colluuies eſſet, ita vt à pleriſque, pro veris, ac expeditis militibus haberentur: quo ſanè factum fuit, vt Galli, noua illa, vt ipſi putabant, militum acceſſione facta, cùm in procinctu eſſe crederentur, ita animum remitterent, vt ſenſim langueſcentibus omnibus, in fugam ſeſe, perturbatis iam ordinibus, conijcerent. Genuenſes, potenti hoſte, viribus & armis longè ſuperiore, non ſolùm ab inferendis in arcem præliis, prohibito, ſed magna cum ignominia in fugam conuerſo, ſic, vt pleriq. conſeruandæ vitæ anxij, ad triremes, & naues, vti demonſtrauimus, dilaberentur, incredibili quadam lætitia perfundebantur. Sedenim Renatus, qui in prætoria triremi ad naualis claſſis cuſtodiam tantiſper permanſerat, donec certaminis finem & ſucceſſum intelligeret, cùm videret, tantam militum multitudinem eò eſſe redactam, vt ſeſe in triremibus, ceu in latebris, magna cum properatione abdere cogerẽtur, magna cum ſeueritate, ſub capitali comminatione, omnibus ſuis trierarchis edixit, ne quis militum, qui prœlium detrectaſſet, aliquo modo in triremem, ad nauim ſuſciperetur, indignum exiſtimans, talibus effugium præberi, qui non ſolùm fortiter non pugnauerant, ſed magna ignominia notati, maiorum ſuorum laudem turpi fuga contaminauerant: ideoque totam claſſem à priſtina ſtatione in alium locum ſubmoueri, atque ſubduci iuſſit, adeò vt cùm nullus effugij locus relinqueretur, multi, qui natandi peritia nauim adnatare conabantur, vel ſubmergebantur, vel à ſuis propriis confodiebantur; quorum exemplo perterriti, & vagabundi, per auia atque inuia collium effugia quærentes, paſſim per valles miſerè vltra duo millia & quingenti contrucidati ſunt. Reliqui, in miſeram ſeruitutem abducti, victorum præda extitêre, exceptis iis, qui ſub nobilitatis nomine paſſim in municipiis, ab indigenis, variis in locis ſalui atq. incolumes præſeruati ſunt. Renatus, poſtquam tam infelicem ac funeſtum in hac poſtrema

Gallorum fuga & cædes.

strema contra Ligures expeditione, belli exitum præter spem & voluntatem habuisset, magno cum suo dolore patriam cogitans, cum tota sua classe Massiliam repetiit. Verùm, priusquam ex Liguria discederet, Ludouicum Vallam, virum spectatæ fidei, & incredibilis fortitudinis, Sauonam, quę adhuc in Gallorum potestate atque fide persistebat, cum valido præsidio legati nomine reliquit. Hac noua felicitate, & victoria elati Genuenses, rati, omnium rerum difficultates esse superatas, non aliter ac si in otiosa ciuitate, & pacata Repub. viuerent, variis simultatibus, & nouis dissidiis mutuò decertabant, sic, vt ipsi præcipuarum factionum Principes, ab iisdem non abstinerent. Quandoquidem Fulgosius, cuius ambitioni & dominandi cupiditati nullus modus constitui poterat, vt se primùm à Gallicis molestiis liberatum animaduertit, huc omnes animi sui cogitationes conuertit, vt quibuscumque posset artibus vel modis, Adurnium Principatu de turbaret. Vigebat enim in ipso Fulgosio, vltra naturalem animi impotentiam, atque fastum, tyrannica quædam animi natura, ita quidem, vt licet sacris initiatus esset, parum tamen iis partibus & muneribus præditus esset, quæ illam personam, quam ipse sustinebat, cùm primis decerent, planè fratri suo Petro indole atque moribus par, qui consimilibus simultatibus, atque insolentia, sæpius antea in illa ciuitate grassatus fuerat. Proinde Fulgosius, inuidia ardens, & honoris stiens, maximam vndique, sub summa silentij fide, manum, tam intra, quàm extra vrbem parare atque conquirere, quò ipsum Adurnium ex occasione adoriretur. Non ignorabat Adurnius, iuratum suum, ac inueteratum hostem, omnia sibi extrema moliri, & propterea, cùm principem locum teneret, eoque longè maiori auctoritate, & potentia ipsi antecelleret, eius consilia anteuertere statuit, & magno cum silentio curiam, in qua habitabat, valido præsidio ad omnem ingruentem impetum, & vim repellendam, communiuit. Porrò Fulgosio, post adeptam victoriam, in suburbano vrbis loco remanenti, significari iussit, ad conseruandam publicam tranquillitatem, vrbisque quietem, minimè sibi consultum videri, vt ipse, cum tam magno armatorum numero in vrbem veniret: sed potiùs sese tantisper in municipiis suis contineret, donec externus miles exautoratus, Liguricum agrum excessisset. Fulgosius, intellecta ducis sententia, ac, quorsum tenderet, non obscurè olfaciens, integrum sibi visum fuit, vt ad res suas cõmodiùs constituendum, suisque consiliis locum relinquendum, ibi aliquandiu rusticaretur. Quapropter, ne aliqua de causa instituti sui ratio perturbari posset, vnum familiarium suorum, sibi in primis fidum & amicũ, ad Bartholomæum Auriam, duarum triremium Præfectum, misit, qui suo nomine ipsum maiorẽ in modum rogaret, vt in præsenti sua expeditione sibi auxiliari vellet. Ac ne aliquo modo rem suam in aliquod discrimen adduceret, operæpretium se facturum existimabat, si ipsemet Genuam clanculum veniret. Igitur consceńsa scapha, quòd neutiquam eum latêret, se ab externo milite, suæque factionis studiosis, auidè expectari, Genuam appulit, eodem ferè tempore, quo ipse Auria cum sex nauigiis, multis nobilibus cõcomitatus, venit, qui omnes vnicam suæ salutis spem in populi dissensionibus reponebant. Ad illorum inopinatum ingressum, non solùm tota ciuitas valdè commota, & attonita fuit, sed etiam Adurnius Princeps ita animo fuit consternatus, vt confestim, cùm periculi magnitudo nullam moram admitteret, Carolum fratrem suum cum aliquot subitariis copiis præmiserit, quò aduersariorum conatus, antequam omnes in continentem essent expositi, in ipso littore opprimeret, vel, si hoc assequi nequiret, ibi sisteret, ac remoraretur. Inter Fulgosios, & ipsum Auriam, aliosque earundem factionum socios, conuentum

Pauli Fulgosij inexplebilis ambitio.

& pa-

& pactum fuit, vt, excitatis in vrbe turbis atque nouis tumultibus, reliqui cum summa festinatione ad palatium præoccupandum, quam primùm, vbi expositi essent, properarent. Verùm, Carolus hostium numerum & multitudinem conspicatus, cùm se longè inferiorem sciret, nihil in fratris subsidium attentare audebat: Adurniusque, extrema sibi metuens, derelicta curia, & vrbe, in suburbanum secessit, vt ibi rerum exitum expectaret. Sfortiani enim milites, Genuæ, & in aliis pleriſque suburbanis locis pro præsidiis dispositi, cùm viderent subinde in ipsa ciuitate magnas factiones foueri, easque, magnos & graues duces & auctores habere, magna prudentia neutrius partis studia secuti, sese in stationibus & domiciliis suis quietè & citra aliquam immutationem continebant, ita profectò, vt Fulgosij, de Principis fuga certiores facti, & militum exterorum animos subodorati, cùm iam omnia ex animi quodammodò sententia fluere viderentur, hoc vnum solicitè agerent, vt, abrogato Adurnio imperio, in eius locum aliquis sine factionis studiosus sufficeretur. Et quia videbant, illam dignitatem non sine ignominiæ nota in ipsum Præsulem Fulgosium deriuari posse, quòd ipse scilicet sacris initiatus, longè aliam personam à ciuili administratione diuersam & remotam sustineret, visum fuit ex vtilitate & dignitate Fulgosiæ gentis, eiusque sociorum esse, Spinettam Fulgosium, Principem omnium suffragiis renuntiari, vt qui, præter animi voluntatisque propensionem & studia, etiam consanguinitatem afferret. Quocirca, malo vrbis locique genio factum fuit, vt fortuna, publicæ quieti semper aduersa, non diu in hac familia concordiam & quietem tuleric. Iisdem enim ferè diebus, Ludouicus Fulgosius, qui, deposito supremi magistratus honore, Sarazanæ, vt superiùs meminimus, in otio degebat, intellecta iterum vrbis rerumque omnium perturbatione; ac ægrè ferens, paucorum dominio & libidini in tanta ciuitate, quæ omnibus temporibus grauissimos viros tulerat, omnia permitti & subijci, in vrbem excitus, eo animo venit, vt illam quocumq. posset modo, à tyrannico Antistitis iugo liberatam, in pristinam tranquillitatem, vel certè in meliorem & tolerabiliorē statum reponeret, & vendicaret. Ad cuius sanè aduentū, magna metamorphosis, & confusio in ipsa ciuitate orta fuit. Nam, vrbis membris, anatomica quadam imitatione, fœdè ab ipso corpore recisis & amputatis, bustum ipsum, conspectu horribile, atque turpe erat, nimirum, cùm, vltra turbas & fœdas vrbanas commotiones totius ciuitatis, adeoque ipsius Liguſtici nominis, hostis in arce Castelleti, tantarum contentionum auidus spectator relictus esset, qui non aliud iam omnium saniorum iudiciis expectare crederetur, nisi, vt de totius ciuitatis voluntate iterum postliminiò reuocaretur, potissimùm quòd satis iam omnibus constaret, Renatum Andegauium, nondum suam, quam in expeditione vltima Genuensi habuerat, classem exarmasse, vel militem exauctorasse, ita certè, vt extrema omnia vrbi, adeoque toti agro Ligustico, non immeritò metuerentur. Verùm, Deorum omnium beneficio, contumaci vrbi plus felicitatis contigit, quàm sperabatur. Præsidiarij namque milites, arcis defensioni relicti, variis de causis illam ægrè defendi posse animaduertentes, de consensu ipsius Renati, & Ludouici Vallæ, primò, vt iam diximus, vrbis regimini admoti, & tunc arcis tutelæ cum summo imperio impositi, ipsum Ludouicum Fulgosium, virum non minùs fortem, & strenuum, quàm consilij grauitate & iudicij rectitudine in rebus arduis & perplexis egregium, arcis præfecturæ & defensioni præposuerunt. Hoc profectò effecit, vt Præsul Fulgosius, rebus suis diffisus, cùm se, non citra magnas difficultates, & inuidiam, nec minus vitæ suæ, suorumque periculum, tam multorum sententiis, & voluntatibus reluctari posse vide-

Spinetta Fulgosius, Princeps renuntiatus, & mox Ludouicus eiusdem familia.

videret, cùm iam non obscurè pleroſque ſuæ factionis in ipſum Ludouicum inclinare intelligeret, Spinettæ auctor fuit, vt, ad declinandam omnem inuidiam, conſtituendamque publicam quietem ſpontè Magiſtratu eiuraret. Qui ſanè libenti animo, & nulla interpoſita mora, contra multorum expectationem eius conſiliis obſecutus eſt, & in huius locum ex vnanimi omnium conſenſu ac citra vllam ciuilem diſcordiam vel tumultum, nono Cal. Auguſt. prædictus Ludouicus Fulgoſius arcis Præſes, Princeps renuntiatus ſit. His rebus eo, quo diximus, modo, Genuæ conſtitutis, ea ferè tempeſtate Renatus Andegauius, relicto Sauonæ ſub Ludouici Vallæ præfectura valido præſidio, Maſſiliam cũ ſua claſſe profectus eſt. Genuenſes etiam, poſt tot tantoſque exantlatos labores, & difficultates, metu liberati, nonnihil reſpirarunt, ac tantiſper in otio & quiete vixerunt, donec Paulus Fulgoſius impotenti animo exæſtuans, & intolerabili ambitione flagrans, omnem ciuilem ſtatum miris diſſidiis & tumultibus conturbauit. Anno ſiquidem eius æui ſexageſimo ſecundo, cùm in ciuitate nullum ſupra ſe, vel ſaltem parem ferre poſſet, iterum cum ſociis atque confœderatis agere, omniaq. conſilia inire cœpit, quò Ludouicum ipſum, recèns ad Principatum de communi omnium conſenſione euectum, dignitate illa exueret: cumque multum auctoritate & opibus valeret, multos in ſuam ſententiam pertraxit, ita vt facile fuerit, Ludouicum, non aliter quàm fide publica nixum, per dolum & clandeſtinas artes inuadere, & de gradu deturbare, prout, cùm plures haberet ſui nefarij conſilij ſocios & adminiſtros, quorum miniſterio graſſabatur, breui pòſt effecit. Itaque fatali quadam vi ſuprema Reipub. dignitas in ipſum Fulgoſium Antiſtitem pridie Idus Maij collata, qui dulcedinem dominatus expertus, omnia ſacra profanis commiſcuit, ac nihil in vrbe erat, in quo non ſibi ius vendicare poſſe arbitraretur. Tandem permittentibus Diis, concitata plebs nihilo ſecius à ſua inconſtantia diſcedens, ipſum de ſupremo illo dignitatis faſtigio ea leuitate diſiecit, qua illum ad hoc inconſultè prouexerat. Eò namque ciuilibus bellis deuentum erat, vt publica adminiſtratio & omnium ordinum dignitates, in plebis ſolius arbitrio eſſent, atque conſiſterent. Proinde abrogato infra vnius menſis ſpatium Fulgoſio, quò plebs ipſa democratiam intelligere, & exercere velle crederetur, néue in poſterum ciuitas, propter nobilium diuerſas factiones & ſtudia, in vlteriora diſcrimina, vt ipſi rebantur, delaberetur, ex tota plebeia multitudine quatuor oppidani opifices, nempè Simon Cantalopus, Chriſtophorus Vagnus, Dominicus Trabucus, & Conradus Bozomus, cum ſummæ Præfecturæ titulo rebus præpoſiti fuerunt; quorum regimen ne vacillaret, vel in tranſuerſum raperetur, omnium artium mechanicarum ſupremos Decuriones ſubſtitui placuit, quorum conſiliis, ſi quid perplexius & intricatius occurreret, ipſi plebeij præfecti vterentur. Sed hæc plebeia auctoritas poſt exiguum temporis ſpatiũ ita concidit, vt ad priſtinũ ſtatum & receptum inſtitutũ rediretur. Nam Ludouicus Fulgoſius magna cum plebis inconſtantia, aliorumq. ordinum conniuentia, vel ſtupore potiùs, tertiùm Dux creatus eſt. Nec ſanè in tam multis antiquorum ſcriptorum Annalibus vllum tempus extitiſſe deprehendi poteſt, quo tanta varietate & inconſtantia paſſim in vna eademque vrbe ſubinde lapſum & certatum fuerit; quandoquidem, vt hîc multarum rerum mutationes ſileam, & ſolùm Senatorium ordinem referam, huius Ludouici adminiſtratio ſemeſtris tantùm fuit. Poſtquam enim ſub medium anni eiuſdem æui ſexageſimi ſecundi ſupremum Magiſtratum iniuerat, ſtatim ſub initium ſexageſimi tertij ordine pulſus fuit: qua quidem tempeſtate cùm Galli, rege Carolo ſeptimo humanis

Renatus Andegauius rẽdit Maſſiliã.

Pauli Fulgoſij ambitio, & ad Principatũ promotio.

1462.

rebus subtracto, & Ludouico XI. in eius locũ hæreditario iure subrogato, animaduerterent, nullum se alium Sauouensis præsidij fructum, quàm assiduas molestias & grauissimos sumptus reportare, Sauonam, quam ad eam vsque diem in potestate habebant, Francisco Sfortiæ Mediolanensium Duci donare constituerunt. Intelligebant siquidem non obscurè, se, multis de causis, Gallici nominis dignitatẽ difficulter in ipsa Liguria tueri ac propugnare posse, præsertim cùm nouis seditionibus atque factionibus Reip. status adeò esset implicatus & inuolutus, vt in officio ciuiũ animi nulla æquitate vel legibus retineri possent. Quare proceribus Galliæ expedire ad præsens videbatur, multò satius atque vtilius suis regibus fore, si Sfortiæ armis atque opibus omnium Italiæ Principum facilè primario, Liguriam obtinendam permitterẽt, non ignorantes, hoc ipsum, Sfortiam in primis expetere, & ordinem patricium idem summoperè auere; inter quos, Ludouicus Fulgosius, nuper Princeps, maximè Sfortiani nominis studiosus, deprehendebatur. Itaque de ipsius regis Ludouici voluntate, omnia iura, quæ regibus Gallorum in Liguria competebant, in Sfortiam translata. Rex enim Ludouicus nullam sibi in Italia expeditionem temerè suscipiendam esse statuit, licet haberet magnos auctores, qui, multis demonstratis consiliis, & rationibus, ipsum ad hoc agendum summoperè impellerent & concitarent, inter quos præcipuus fermè erat Robertus Seuerinus, ex veteri sancti Seuerini familia oriundus. Hic enim, occiso Galeacio Mediolanensium Duce à Lamponiano, sicuti posteà enarrabitur, cùm Insubriæ status eius morte valde esset ambiguus & intricatus, relicto filio admodum adhuc puero, in Galliam ad regem contenderat, vt abeo rerum suarum status pacificationem impetraret. Erat quippe Seuerina familia affinitate Sfortianæ coniuncta, adeò vt tumultuantibus inter se Proceribus, ipse ea de causa domo exactus esset, & à rege subsidium implorare cogeretur. Rex, & si per talem occasionem non semel ab ipso Sanseuerino ad Italiam bello lacessendam solicitaretur, tamen cùm suapte natura esset pacis amans, & facilè ab aliorũ Principum iniuriis abstineret, nunquam adduci potuit, vt, quauis etiam grauissima de causa ad aliquod Italiæ mouendum bellum incitaretur, dicens, se iam longo vsu compertum habere, Italiam quidem Gallicis armis subigi atque edomari posse, retineri autem & conseruari, in Gallorum potestate minimè esse. Iam qua etiam sententia, Rodolphum Cæsarem, Austriacæ familiæ Principem atque conditorem, multi historici fuisse prodiderunt. Hic enim, quamquam esset Princeps ingenio sagaci, & maximè militari, multaque egregia veri Principis facinora per vniuersam ferè Europam, præsertim verò per totam Germaniam, edidisset, (nam in quatuordecim conflictibus & hostilibus congressibus ita semper victor euaserat, vt illi non immeritò cognomen Inuicti attributũ sit) nunquam tamen adduci potuit, vt in Italiam profectionem suscipere, vel arma expedire voluerit, adeò vt coronam Imperialem, quæ de veteri more Romæ ab ipso Pont. Cæsaribus imponi consueuit, Cæsar designatus, ea de causa recipere noluerit. Quippè, vt erat natura comis, & ita facetus, vt omnes familiares suos sermones mirisq candidissimisque salibus condiret, quotiescumque Italiæ in familiarium suorum congressibus mentio fiebat, & contra eam subinde à suis concitaretur, solebat apologum Æsopicum de vulpecula ægrum leonem inuisere detrectante, Horatianis versibus eleganter & graphicè descriptũ instillare. Aiebat enim, maiorum suorum in Italiam expeditiones, initiò quidem fuisse lætas & prosperas; finem tamen, variis acceptis cladibus, fuisse plerumque funestum & calamitosum: itaque se non immeritò ab Italico bello deterreri. Vt verò ad institutum reuertar, Sfortia, in-

tia, intellecto Gallici regis animo & voluntate, cum summa gratiarum actione illam exosculatus est, & deinceps perpetuum illi studium atq. fidei constantiam, iure iurando interposito, præstiturum pollicitus. Ad Liguriam tamen in tanta animorum distractione assequendam, nec nō in tam diuersis ciuium studiis obedientiam & fidum obsequium obtinendum, multa illi adhuc obstabant. Quapropter ipse summa prudentia atque cautela opus esse videns, factionum Principes omnibus artibus ad nouam dissensionem deuocare studebat; qua certè in re egregiam operam ipsa nobilitas præstabat, cùm omnem suam salutem ac fortunarum suarum omnium conseruationem in sola factiosorum Principum discordia consistere crederet. Sfortia itaque, per crebros internuntios Paulum Fulgosium, recèns Magistratu abdicatum, solicitabat, vt Ludouicū Fulgosium, tertiùm Ducem, principatu deturbaret. arbitrabatur enim, Paulum id enixiùs effecturum, quo bonæ spei plenus, se pristinam dignitatem recuperaturum existimaret. ita Sfortia solicitatis multorū ad diuersa studia animis, statuebat, populū ipsum ambigui & varij dominatus pertęsum, in tanta omnium trepidatione sese illi deditum. Fulgosius, consueta imperandi cupiditate accensus, eam occasionem nequaquam neglexit. Verùm, per clientes suos ac socios, tam nobiles, quàm populares, effecit, vt, Ludouico iterū Ducali honore spoliato, ipsemet quartùm in eius locum sufficeretur; sperans, se diuturnitatem Imperij, auctoritate Pontificia subnixum, deinceps consecuturum; & propterea in nouo suo statu, adiecto diplomate Pontificio, confirmari voluit, sicuti ex Pij secundi Pont. epistola, ad eum conscripta, liquidò apparet. cuius quidem exemplar hîc subiicere haud equidem grauatus sum. 1463.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

Pij Pont. epistola ad Paulū Fulgosium Archiepis. Genuens.

VENERABILI fratri Paulo Archiepiscopo & Duci Genuæ, salutem & apostolicam benedictionem. Ducatum patriæ tuæ ex libero ciuium decreto te assecutum scribis, eumque per nostram benedictionem fraternitati tuæ flagitas confirmari. Admirati sumus consilium tuum, qui eius ciuitatis temporale regimen acceperis, quæ super omnes Italos nouitate gaudens, semper nutat, semper in motu est, nec vllum diu rectorem ducémue patitur; & tu anno superiore, quanta sit tuorum ciuium constantia, in te ipso didicisti, qui cùm ab eis ad hunc ipsum Principatum fuisses assumptus, non tam citò magistratus iniuisti, quàm deponere coactus fuisti. Nobis quidem eodem ferè tempore & assumptio tua, & depositio nuntiata fuit. quid nunc futurum sit, ignoramus. Huc accedit rei nouitas: nam etsi potest idem homo & Ducis, & Archiepiscopi personam gerere, sanguinis modò absit effusio, nescimus tamen, an Archiepiscopus Genuēsis ante te alius Ducatum inierit, maximam esse causam oportet, quæ hanc nouitatem induxerit: forsitan experti Genuens. iniusta esse regimina secularia, atque inde tot mutationes oriri putantes, ad te confugerunt, & fastidio quodam secularis imperij experiri aliquandò sacerdotale decreuerunt, si forsitan iustiùs ac mitiùs gubernentur. Magna est tibi bene agendi necessitas imposita: nisi vim prohibueris, nisi paci & otio consulueris, modum prauis cupidinibus imposueris, nisi te ipsum, & tuos stipatores, in honestatis frena redegeris; non stabit potestas tua, breui dominaberis, citò regnum amittes, eiicieris non sine tuo, & Sacerdotalis eminentiæ magno dedecore; si tamen eiiciaris, & non peiora, tibi accidant, vt sunt ante oculos exempla domestica: vide quid agas. Non enim eadem est Sacerdotalis &

lis & imperij norma, paternam & omni clementia plenam esse Pontificalem administrationem oportet, non tyrannicam. Multa in sæculari Principe ferunt homines, quæ abhorrent in Ecclesiastico. quæ in laico pusilla & leuia æstimantur delicta, in clerico maxima & grauissima iudicantur. Sacerdotes, quorum vita, veluti speculum inferioribus est, non solùm à malis operibus abstinere, sed omnia declinare cõuenit, quæ quoquomodo speciem mali præ se ferunt. Vide quem gradum ascenderis. Si potis es piè ac iustè imperare, ac non subditos solùm, sed te ipsum coërcere, si vales virtute irrumpere iniquitatem, si pro communi vtilitate quærenda, non pro tua libidine explenda Ducatum accepisti, si ad tuendam religionem Christianam aduersus impios Turcas animum geris, & in eam rem corpus tuum deuouere proponis, & iniuriam proximi non quæris; confidenter rectè & secundum leges tuæ ciuitatis Principatum hũc ad te delatum esse, & quòd, vt polliceris, vtiliter populo tuo præeris, illum tibi, & tuis ciuibus, & vniuersæ Reip. Christianæ in nomine sanctæ Trinitatis benedicimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, pridie Cal. Februarias M. CCCC. LXIII. Pontificatus nostri anno quinto.

LIBER XIIII.

1464. SFORTIA, in veteri suo consilio & sententia persistens, initio subsecuti anni, scilicet, eiusdem æui quarti ac sexagesimi, Savonam, illiusque arcem adeptus, Genuensibus multis magnisque dissensionibus implicatis, breui pòst, opera potissimùm Marchionis Carretini, & Lamberti Grimaldi, Monœcum possidetis, Albingaunum, & mox totius oræ maritimæ dominium assecutus est: quod sanè ob Fulgosiorum intolerabilem insolentiam, plerisque ciuibus, præsertim patriciis, neutiquam omninò displicuit. Quippè Fulgosius Antistes, principem locum in vrbe consecutus, ac se in eo quammaximè stabilitum existimans, sensim variis exemplis tyrannicum animum declarauit, ac ea de causa insidias veritus, Obiectum Fliscum, suæ familiæ tunc temporis facilè principem, magnisque clientelis ac municipiis florentem, sibi coniunxit: cuius amicitia auctus, longè intemperantiùs ac immodestiùs quàm anteà, passim vbique grassabatur, eousque, me hercle, vt effractis sensim omnibus pudoris atque honestatis repagulis, vniuersa pro suo arbitrio & intolerabili quadam libidine moderaretur, adeò vt, neglectis honestis disciplinis, atque omni legum reuerentia è medio sublata, bonisque suppressis, vel præteritis, solis scelestis, & seditiosis ad honores capessendos locus & aditus relinqueretur. Et, vt paucis verbis ciuitatis statum describam, pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, ambitio, auaritia & libido vigebant: tantumque vnicuiq. licebat, quantùm armis & viribus pollebat. Bonis igitur moribus exulantibus, omnia summis ærumnis ac miseriis replebantur, & non pauci ciues, relicta patria, vltrò sibi exilium & secessum delegerunt: eoque Respub. iam deuenerat, vt pretium portionum, & Magistratus Georgiani loca, non vltra viginti tres, aut quatuor libras ad summum extenderentur, vel quotannis constituerent. Tantis igitur calamitatibus & diutinis ærumnis per integrum decennium districta Rep., nemo in ea erat tam insani iudicij, tamque perditi consilij, quin vtriusque factionis studia iam vehemẽter pertæsus, Sfortiæ imperio subijci auidè non exoptaret. Is quoque ciuium animis pènitùs explo-

exploratis, totius Ligusticæ oræ dominium eo animo recèns acceperat, vt ad primam quamque potiundæ Genuæ ostensam occasionem, illam non omitteret. Quocirca, per Georgium Annonem, suum legatum, arcem à Paulo Fulgosio, qui etiam illam in sua potestate retinebat, sibi dedi, variis rationibus additis, postulauit; existimans, se, illa impetrata, cetera quam facillimè confecturum. Et quò illum ad hoc faciliùs inflecteret, atque in suas partes deduceret, multis & amplis pollicitationibus illius animum non semel solicitauit; simulque obiectum Fliscum, Spinettam Fulgosium, & Prosperum Adurnium ad se accersiuit, & multis sermonibus benignè atq. amanter cum eis habitis, operæpretium esse duxit, tales viros Reip. primarios, sibi quibuscumq. artibus & modis deuincire atq. coniungere, prout facilè solita sua benignitate & comitate assecutus est. Quò etiã Adurnium sibi arctiùs obligaret, Ouadum oppidum ei dono dedit: sic humanissimus simul & liberalissimus Princeps optimates ciuitatis sibi potiùs deuinciẽdos existimabat, quàm dolo & fraudibus in vanam & incertam spem erigere. Fulgosius tamen, nullis bonis artibus vel humanitate Principis vlla adduci potuit, vt in eius partes veniret, arcemque illi traderet. Sfortia igitur, illius pertinaciam ægerrimè ferens, horũ procerum potissimùm consilio fretus, aperto Marte cum illo agendum statuit. Proinde præmisso qui illi suo nomine extrema denuntiaret, nisi arcis deditionem citra vlteriorem moram faceret: illoq. in pristina sentẽtia remanente, Gasparũ Vimercatũ, gratia & auctoritate apud se florentẽ, quòd, vltra spectatam eius fidem, summamq. industriã, ipsius opera Mediolanensis Principatus pacificam possessionẽ assecutus erat, cum acri & valida manu in Pociferã vallem descendere iussit: isq. in suburbiis Cornelianis aliquãdiu subsistẽs, reliquas copias ex Sauonẽsi agro præstolabatur, inter quas erant nõnulli Genuenses ex præcipua nobilitate, nimirũ inter alios, Hieronymus Spinula, & Paulus Auria, qui militares ordines ducebant. His apparatibus Fulgosius deterritus, fidemq. indigenarũ sibi vehementer suspectam habens, vbi se ab Obiecto, cuius fidei antea plurimũ semper tribuerat, desertum, ac omnem maritimæ oræ tractum defecisse animaduertit, temporum conditioni cedere constituit, sperans, in posterum non defuturas sibi occasiones, quibus amissum Principatum recuperaret. Pandulpho igitur fratri, & Bartholomææ, defuncti Petri Fulgosij viduæ, mulieri, vt excelso & virili animo, sic etiam summa virtute præstanti, arcis custodia cum quingentorum militum præsidio demandata, occupatisque quatuor nauibus ad priuatos ciues pertinentibus, ex vrbe, eo quidem consilio, discedit, vt per opportunitatem, Genuam, atque reliquam Ligusticæ oræ ditionem armis infestaret, hoc pacto se bellum aliquandiu extrahere posse arbitratus. Ne curam tamen Reipub. penitus abiecisse videretur, ad vrbis custodiam & tutelam Ioannem Galeacium Fulgosium, fide atque viribus eorum qui in arce erant, subnixum, reliquit. Ceterùm, etsi omnes Sfortianæ copiæ iam in vnum conuenerant; nihilominus tamen Vimercatus, qui iam longo vsu calliditatem bellicam non ignorabat, veritus, ne, propter occultos locorum istorum recessus & latebras, per insidias circumueniretur, diu cunctabundus, vrbis obsidionem differebat, eò magis, quòd in non vulgarem suspicionem veniisset, illam non citra fraudem & dolum à Fulgosio derelinqui. Interea Obiectus Fliscus, qui tantã diligentia ac prosperitate cum suis clientibus & sociis rem gesserat, vbi portam, D. Stephano sacram, orientem Solem spectantem, occupasset; Vimercatum, vti pergeret, per crebros internuntios mirum in modum hortabatur. Ipse tamen, huius suasu atque instinctu, nonnihil progressus, non audebat ciuitatem ex aduersa parte, scilicet Occidẽti expositam

inuadere, quòd vehementer ſuſpicaretur, hanc vrbis partem, ruſticorum, ex circumuicinis vallibus, in ciuitatem illapſorum, manu eſſe firmatam, adeò vt operæpretium duceret, ſeſe, ſuperatis aduerſis collibus, cum Obiecti copiis coniungere; à quo quidem in Cariniano, qui collis intra vrbem eſt, auidè expectabatur, eo ordine, vt Donatum Inſubrem, virum impigrum, & re bellica præſtantem, cum aliquot cohortibus, & ſubſidiariis alis, in alteram ciuitatis partem relinqueret, vt ibi aditum, & irruptionem pertentaret. Donatus, in tanta omnium oppidanorum trepidatione, parum obſtaculi & impedimenti reperit, ac pari facilitate, qua D. Thomæ porta occupata, paulò antè fuerat, decimoſexto Cal. Maij, aliam, vulgò Campi portam, in ſuam poteſtatem redegit; qua potiti, maiori cum commoditate, & longè minori cum periculo, pedem proferre potuerũt, relictiſque ad vtriuſq. portæ cuſtodiam aliquot præſidiariis, ipſi cum reliquis copiis, quæ maiori ex parte ad Carinianum collem ſubſtiterant, inde rectà verſus palatium publicum, à Ioanne Galeatio derelictum, quamprimùm contenderunt: magniſque vociferationibus, Franciſci Sfortiæ ducis, ac libertatis nomen, ſubinde ingeminantes, cũ ingenti plauſu à promiſcua turba ſunt excepti, & hoc modo occupata tota ciuitate, votique compotes facti, confeſtim curiam ipſam, atq. aliquot alia ſana, & loca ſibi opportuna, ad maiorem tum vrbis, tum ſui ſecuritatem, præſidiis firmarunt. Reſtabat ſola arx, quæ, quòd multis quotidiè effugium præberet, expugnari neceſſariò debebat. In eam etenim, præter externũ militem, multi aduerſarum factionum ſtudioſi, ſeſe, tanquam ad tutum aſylum, receperant, ea ſpe, vt ab vrbana & plebeia rabie liberati, ibi extra periculum, & telorum (quod aiunt) iactum, eſſe poſſent. Verùm, Sfortianis ciuitate potitis, facilè deprehendere licuit, quàm leuibus conſiliis populus ſæpenumerò nitatur, & quàm magna volubilitate huc illuc temporis momento impellatur. Tam magna nimirum cum frequentia promiſcua plebs in curiam irrepſit, noui Præſidis conſalutandi gratia, vt ſe inuicem quaſi opprimerent. Qui verò propter multitudinem impediebantur, fauſtis congratulationibus, & manuum geſtuumque applauſu, nõ obſcura propenſiſſimæ voluntatis atque effuſi gaudij argumenta dabant: nec his contenti, ipſum humeris ſuccollantes, Pontificum Romanorum inſtar, ſede curuli in atrium Palatinum detulêre; ibique de communi omnium conſenſu, ſolemni de more, adhibitis ſcilicet veteris inſtituti cærimoniis, illi ſceptrum, nomine Reipub., tanquam Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium principis vicario, tradidêre. His, eo, quo diximus, modo peractis, quia non videbatur integrum, neque carere periculo, communem patriæ hoſtem in conſpectu habere, Vimercatus, magna cum conſilij grauitate, adhortantibus pleriſque omnibus, & offerente ſe vrbana multitudine, ſerias de obſidenda expugnandaque arce cogitationes adiecit; præſertim quòd totius ciuitatis ſalus atque tranquillitas eo in cardine coniecta eſſet, vt ſumma diligentia, cùm res nullam moram admitteret, opus eſſet. Verebantur ſiquidem, ne Fulgoſij nomine, excitatis nouis turbis, arcis expugnatio, vrbi tam neceſſaria, impediretur. Satis enim conſtabat, eius defenſores ſubinde in officio largis pollicitationibus à Fulgoſio, eiuſque factionis ſtudioſis, confirmari, ita vt ea ſpe ſubnixi, tantiſper deditionem protrahendam omni contentione ducerent, donec nouis præſidiis augerentur. Quocirca Vimercatus, vt hæc illorum conſilia quamcitiſſimè anteuerteret, nihil habuit antiquius, quàm omnibus viribus atque conſiliis anniti, vt Bartholomæam, cuius ſuperius meminimus, Nouio, atque Votagio oppidis, quæ in ſua poteſtate habebat, quamprimùm ſpoliaret; arbitratus, ſi illa iis arcibus multaretur, defenſores Caſtelleti aliquan-

Genuà ſub Franciſci Sfortiæ Mediolanenſ. Principis dominatu atq; imperio.

aliquantulò remissius deinceps acturos. Cuius sanè sui consilij fructum retulit vberrimum. Cùm enim impotens, & imbecillis feminæ animus, tantis obuersantibus periculis, mirum in modum deterreretur; facilè accidit, vt ipsa, inops consilij, ac variis sententiis distracta, priùs metu, quàm viribus expugnaretur. Ficta siquidem consilia, pro veris ducens, nimiaque præsidij cunctatione ad desperationem quodammodò conuersa, clàm cum ipsis Sfortianis de castri deditione paciſci cœpit, ac tandem quadragesimo die, ex quo oppugnari cœperat, ea conditione inter vtrasque partes transactum est, vt Bartholomææ relictis oppidis, & quatuordecim aureorum millibus, quos in vsus bellicos sese absumpsisse asseuerabat, in parata pecunia traditis, ipsa deinceps pro socia & amica Liguſtici nominis, & Insubriæ Principis haberetur. Qua transactione facta, actutum, nocte media, insciis Fulgosiis, aliisque Gallici nominis centurionibus, Sfortianum præsidium Vimercatus in arcem immittere non dubitauit; eoque fidentius, quòd sciret, Fulgosium militem, non modò numero ac viribus longè inferiorem, sed etiam à præteritorum bellorum, præsertim verò ciuilium, vulneribus, ægrè respirantem, solicitè atque anxiè hoc vnum agere, vt nouum adsumptum Principem in Reipub. imperio confirmarent. In cuius postmodum rei gratiam, habitis de more comitiis centuriatis, decretum fuit, vt Mediolanũ, ad ipsum Franciscum Sfortiam Principem honorifica Reipub. nomine legatio haberetur. Prætereà, vt deinceps pro veteri ac recepto ciuitatis vsu, in muneribus publicis obeundis, æquabilitate & isonomia vterentur. Placuit igitur, vt ex præcipua nobilitate viginti quatuor, auctoritate, ac rerum gerendarum vsu celebres, cum ducentis & amplius ciuibus, ex omnibus ordinibus delectis, ad Sfortiam Mediolanum mitterentur. Ipse, de tam præclara, & honorifica, ac planè inusitata legatione præmonitus, vbi Mediolano appropinquassent, suos liberos, ac Senatum, vnà cum frequenti procerum, & illustrium virorum caterua, illis obuiam prodire iussit, vt eò honorificentiùs exciperentur. Res erat, me herclè, spectatu digna, intueri ciuium Genuensium togatorum grauitatem, & Insubrium apparatum & splendorem; quorum maior pars, vestibus, multo auro atque argento intertextis, enitebant, & quisque illorum, Ioanne Galeacio Sfortiæ primogenito, cum eo qui inter ipsos, ætatis gradu ceteris collegis antecellebat, præcedente, vnum ex legatis sibi à latere assumpsit, atque ita cum omnium ordinum congratulatione, & effusæ plebis applausu, faustisq; acclamationibus, vrbem ingressi sunt; ibiq. in palatio Franciſci Carmagnolę Comitis magnificentissimè excepti, ac triduò summis honoribus, omniq. munificentiæ atq. officij genere cohonestati. Quarto die conueniendi Principis, exponendæque legationis gratia, in Ducale prætorium admissi atq. introducti sunt, vbi duo theatra præ ceteris, sublimitate, atq. aulæorum & sericorum ornatu conspicua, ad excipiendã tam magnificam & splendidam legationem, erecta erant; in quorum altero, editiori scilicet, Princeps vnà cum coniuge, & liberis consistebat, & paruo loci interuallo, Magistratus ipse Mediolanensis considebat; alter verò, procerum, & præcipuorum Palatinorum confessui designatus erat: in reliquis atrij partibus, magna nobilium, ac præstantium virorum frequentia, agminatim conspiciebatur, ita vt inuicem protruderẽt, & vix loci amplitudo tantam augustam multitudinem caperet. Oratores itaque intromissi, cùm debita reuerentia Principem, aliosq. ordines de more salutassent, ab ipso Principe, planeque ab vniuersa Procerum corona, singulari quodam animi studio, & voluntatis propensione, excepti sunt; exiguaque interposita mora, Baptista Guanus, clari nominis iurisconsultus, ac in foro iudiciali versatissi-

Castelleti arx à Sfortianis deditione occupata.

Splendidiss. Genuens. legatio missa ad Franciscũ Sfortiam.

mus, cui nomine totius Reipub. coram Principe verba faciendi onus incumbebat, veniam silentiumque præfatus, in hanc ferè sententiam orationem habuit.

Genuensium legatorum, oratio coram Principe Mediolan.

QVANTOPERE. Respub. nostra, magnanime atque laudatissime Princeps, hodierna die sibi meritò gratulari debeat, quòd post multorum externorũ bellorum vulnera, quibus miserè ac periculosè cõfossa, ac post grauissimas & diutinas ciuiles tẽpestates & procellas, quibus hactenus incerto cursu, nullo bono fidoq. nauclero ad clauum & gubernacula Reip. sedente, fluctuauit, tandem, Deorum omnium beneficio, nobis datus & designatus sis; ad cuius gremium, ceu tutissimum asylum, & saluberrimum portum, ipsa Respub. fessa & languida, confugeret & conquiesceret, nullis verbis, pro rei dignitate, exprimere possumus. Nam, quis est, rogo, non solùm, in vniuersa Italia dico, verùm in omni Europa Princeps, (absit adulationis suspicio) cuius virtutes & laudes, si ad trutinam & amussim deuocentur, iure cum tuis comparare liceat? Non loquor hîc ad gratiam, neque ex verborum purpurisso & orationis lenocinio, tuum patrocinium Reipub. nostræ quærimus. Satis est omnibus constare, splendorem nominis tui, egregiis factis, & imperij moderatione ita omnium oculis affulgêre, vt nemini dubium sit, quin, si veræ clementiæ, moderationis & magnanimitatis petatur imitamentum, non aliunde, quàm ab heroico tuo animo, quotidianisque egregiis tuis factis, mutuari queat, adeò sanè, vt felices illæ prouinciæ omnium saniorum iudicio existimari meritò possint, & debeant, quarum administratio & regimen à tuis sanis consiliis & iudicij rectitudine dependet, & petitur. Quarũ certè in numerũ, cùm Respub. nostra, post varias calamitates & diuersos exantlatos labores, fatali quadã, vti puto, vi, hoc tempore deuenerit, tãtum abest, vt hoc nomine tibi inuideamus, vt etiã iustissimis de causis gratias agamus, ac nobis nõ mediocriter congratulemur, quibus, post tot dissensiones, ac simultates, &, vt verũ fateamur, post tam magnũ rerum omnium naufragium, tabulæ relictę fuerint, quibus ad te, ceu optatissimum portum, confugeremus. Nec est tamẽ, magnanime Princeps, vt rerum nostrarum statum ex præsenti rerum conditione, verùm potius ex retroacti tẽporis Reip. maiestate & fortuna metiaris; præsertim cùm neminẽ, vel mediocriter tãtùm in historia, vel in cõmuni rerum cognitione versatum, lateat, Remp. nostram & quàm diutissimè stetisse, &, quod maximum est, rerum omnium affluentia & vbertate, quàm longissimo tempore floruisse, ita profectò, vt nisi in nostra ciuitate factionum Principibus inter cetera mala, etiam turbãdæ Reipub., distractione quadam animorum, relicta fuisset occasio, qua solum Reipublicæ perturbatores didicerant, ciuitatem nostram populumque, alioquin inuictum, frangi & debilitari posse, sicut apes fumo facto dissipantur, quæ alioquin alueolis exturbari nequeunt; proculdubiò res nostra longè alia hac tempestate conditione esset: si, inquam, Primates, aliique vrbis Proceres, intra metas legibus circumdatas, coërceri harum reuerentia potuissent; ceteri, me herculè, ciues, concinnè geometrica proportione per certos ordines inter se diuisi, & harmonia quadam inter se copulati & coagmentati, nullis domi seditiosis motibus, nullo foris impetu violentiæ laborassent. Quamdiu enim in Repub. nostra valuit Magistratus authoritas, & bonæ rectæque disciplinæ ac mores floruerunt, viguit citra vllam controuersiam ciuitas nostra opibus, viribus, admiratione sapientiæ & virtutis, iudiciis, aliisque veris & solidis Reipub. ornamentis. sed postquàm ciuilis nostra & domestica disciplina paucorum libidini cessit, supremorũ ordinum reuerẽtia labefactata est, & vnà cum omnibus vitiis & morum corruptelis summa licentia & peccandi impunitas in ciuitatem nostram sensim irrepserunt, adeò vt

inde, ceu ex perpetua quadam vitiorum scaturigine, feralia præcipuarum familiarum dissidia emerserint, & odiis implacabilibus grauissimas inimicitias exercuerint, eo medius fidius successu, vt auita nostra gloria tantis victoriis, & de tam magnis capitalibusque Reipub. nostræ hostibus, reportatis triumphis, nõ solùm obscurata sit; sed, quod magis est (horresco referens) maiori ex parte præsenti rerum nostrarum conditione penitus concidisse & quasi extincta esse videatur. Quis enim ex omni huius augustissimi cœtus consessu non valdè commoueatur & indoleat, si me, de Reipub. nostræ statu, & repentina fatali ipsius conuersione verba facientem, attentiùs auscultauerit & audiuerit? Quis est, dico, qui rerum humanarum fragilitatem, & lubricum fortunæ cursum, si penitiùs res nostras introspexerit, non facilè deprehenderit? Quæ certè Reipub. nostræ fortuna atq. immutatio, ab omnibus sani consilij eò fortiùs & moderatiùs ferenda esset, quò remotiores ab omni culpa abessemus: sed cùm magis propriis consiliis atque variis deliberationibus hæc metamorphosis procurata sit, nullos alios, quàm nosmetipsos, quos incusemus, habemus. Quare cùm omnis nostra miseria ex propriis nostris erroribus, & domesticis dissensionibus (quod quidem confiteri & agnoscere graue ac molestum est) fluxerit, iusta Deorum omnium ira in nos concitata, has à nobis pœnas exigit, vt, veteri Ligustici nominis & imperij auctoritate abrogata, ad nouos & exteros Principes confugere, summa rerum necessitas nos adigat atque compellat, de tua clementia, moderatissime atque optime Princeps, eò cum maiori fiducia omnia moderata, atque Reipub. nostræ, si qua est, fausta & salutaria sperantes, quò præteritis temporibus clariora tuæ benignitatis & veræ heroicæ naturæ in omnibus tuis actionibus ediderís argumenta. Nam, cùm ego, nomine Reipub. nostræ, apud Mediolanensem Principem, & potissimùm Franciscum Sfortiã, orationem habeam, quis est, quæso, qui ad suauissimam tanti Principis nominis harmoniam, licet alioquin attonitus, & stupidus, tametsi, dico, aduersarum rerum procellis multùm proiectus atque demissus, non sesè erigat & attollat? Quandoquidem, cùm in viro Principe nihil excelsius, nihilq. præclarius & antiquius inueniri possit, vel esse debeat, quàm humanarum rerum conditionem & vicissitudinem quotidianis exemplis sese in oculos ingerentem, subinde perpendere atque considerare: magnam certè laudem omnium iudicio mereris, qui humanitatis memor, nobis, ceu ex altã specula, facem tuæ clementiæ ac benignitatis ostendere non sis grauatus. Porrò cùm omnis societas humana, humanitate quadam & officiis contineatur, quid est, quæso, maiori laude dignius, quàm de humano genere ita mereri, vt ob benefacta & pietatis exempla, laudem sibi quis apud homines, & apud Deos gratiam immortalem quærat atq. vendicet? Si igitur humanis miseriis commoueri, veri hominis sit, quantò magis decet Principem, in sublimi rerum fastigio positum, transuersorum casibus ingemiscere atque indolere? Proinde cùm te, inter ceteras eximias, & veri heroici animi, atque indolis proprias virtutes, quibus magna cum laude & gloria eminens, rara quadam & singulari humanitate ac mansuetudine præditum esse iamdudum audiuerimus & cognoscamus, in hanc spem, imò planè fiduciam, adducimur omnes, vt nos, Remque publicam nostram, vel potius tuam, sub vmbra alarum tuæ clementiæ confugientes, & pro quiete atque otio, potentiæ tuæ patrocinium implorantes, eo animo susciperé digneris, quo nos, & nostra omnia, tuæ fidei, tuæq. clementiæ, ac defensioni tradimus atq. permittimus. Cuius quidem voti, si me, collegasque meos compotes domum remiseris, prout hac in re non dubitamus, solabimur præsentem rerum nostrarum statum & cõditionem,

non

non aliis remediis, quàm his quæ à solidis tuis virtutibus nobis promittuntur & ostenduntur.

Genuensium orator, vbi finem dicendi fecit, Sfortia, summa frontis & vultus hilaritate, maximæ beneuolentiæ, & in Liguſticum populum propensionis testimonium dedit. Porrecta namq. ipsi oratori, ceteriſque eius collegis manu, in hunc ferè modum, cùm magna animi præsentia, & ingenij fecunditate præstaret, impræmeditatis verbis statim subiunxit.

Franciſci Sfortiæ Mediolanenſ. Principis, reſponſio ad legatos Genuenſ.

VESTRVM, inquit, ac Reip. vestræ studium, non tam luculẽta oratione, quàm anteà non obscuris argumentis deprehensum, & nunc re ipsa verè præstitum, nobis valdè fuit, estque gratum, eoque nomine vobis perpetuæ nostræ voluntatis & benignitatis cõstantiam pollicemur, eò certè cum maiori animo & studio, quò vos omnes & singulos, maiora & feliciora vobis de me, meisque, promittere animaduertimus. Equidem, vt verum fatear, hactenus semper de vestra salute, ac dignitate summoperè solicitus, omnibus viribus anxiè contendi, vt, consopitis in Republica vestra controuersiis, factionum principes ad mutuam gratiam & reconciliationem, seditiosi verò ciues ad sanam mentem conuerterentur. Sed nescio, quo fatali casu acciderit, vt nullum diligentiæ, vel studij nostri fructum, quàm longæ expectationis tædium, hac quidem in parte, apud vos retulerimus. Excubuit, Deum hominesque testor, semper omnis nostra cura, atq. in eo desudarunt labores nostri omnes, vt Reipub. Christianæ populi, bellis atque armis distracti, per nos, quo ad liceret, depositis veteribus simultatibus, ad concordiam, Christiana pietate & charitate dignam, reuerterentur; & potissimùm, cùm vos iure hospitalitatis & viciniæ, aliisque multis de causis, mihi effectis deuincti, nihil habui antiquius, quàm pristino Liguſtici nominis decori & dignitati, quoad potui, consulere, & idcircò non semel consiliis, opibus, atque omnibus huius mei Principatus viribus vos in vestris extremis calamitatibus iuuare atque opitulari, vt omnibus palàm est, non piguit. Existimabamus siquidem, vestras illas calamitates nobis vobiscum communes esse, & quod magis est, magnam illarum partem in nos deriuari tacitè sentiebamus. Tanta fuit, atq. etiam num est, per Deum immortalem, amoris magnitudo, quo inde vos statim ab initio nostri principatus, sumus prosecuti. Et faxit Deus Opt. Max., vt hanc, quã nobis detulistis, rerum vestrarũ summam, atque clientelam, iis animis ac studiis, nobis permittendam & propugnandam censeatis, quibus nos illam & amplectimur, & exosculamur: ita demum, me herculè, fiet, vt non secus ac si sub pristina Reipub. administratione & inueterata consuetudine viueretis, otio ac tranquillitate per nos, quoad vobis placebit, in posterum fruamini. Nec enim ego ita sum à rerum omnium cognitione prorsus remotus, neque rerum gerendarum vsus ita expers, quin facilè perpendam, quanta Genuensis populi virtus, quanta denique amplitudo & potentia semper extiterit, adeò certè, vt etiam hac de causa magnam accessionem rebus nostris factam esse non ignorem, cùm imperium vltrò vestrum deferatis. Elaborate igitur interim, optimi ciues, atque in hoc vnũ sedulò incumbite, vt animi vestri, multis de causis exacerbati & alienati, iterum in vero amore atque concordia coalescant, & dissensionum præteritarum memoriam sempiterna obliuione delete. Nam, si subinde pro inueterato vrbis vestræ more & instituto, ad rixas & contentiones deueneritis, & nullum impotẽtię animi vestri modum vel finem statuere poteſtis, non video, quid in ea ciuitate prouidus & sapiens rector consequi ac efficere valeat: qui, licet salutares leges honestasque disciplinas proponat, & omnem curam & solicitudinem pro publico bene-

Peroratio.

beneficio adhibeat, tamen à contumaci & effreni populo magno cum risu explodetur & exsibilabitur. Potius subeat animos vestros retroactæ vitæ, ac temporis cum magna vestra pernicie ratio, quæ vos semper ita transuersos egit, vt nihil spei, vel præsidij, & planè nihil reliqui, nisi in ipsa quodammodò desperatione, vt rerum euentus docuit, haberetis. Hæc omnia si oculis vestris atque animis subinde subieceritis; non existimo, vos tam perditæ contumaciæ, vt tot ærumnis edomiti, & tãtis laboribus mitiores facti, cõmittatis, vt sub nouo & externo Principe, nullo ambitu, sed omniũ suffragiis atq. cõsiliis electo, ac excito, noua in vestra Rep. deinceps, quacumq. etiam licet grauissima de causa, designetis. Hæc pauca in præsentiarum, pro ea qua ego vos diligo & complector, beneuolentia, simulque pro ea qua apud vos polleo authoritate, vobis dixisse, necessarium duxi, ne me delato vestro imperio aliquo nomine indignum iudicaretis. Hac tam benigna & salutifera tanti Principis oratione Genuensium legatorum animi mirum in modum, vt par fuit, recreati, & in bonam spem erecti fuerunt, nullaq. interposita mora, in tam multorum, & tam excellentium virorum corona, more sollemni, conceptisque verbis illi, nomine Reip. suæ, fidelitatem, & perpetuum obsequium, iureiurando interposito, præstiterunt; pauciscque diebus, gaudio publico concessis, Mediolani absumptis, & Baptista Guano vnà cum Ludouico Maria Principis filio, ac præstantissimo quoque legatorum, equestri dignitate ornatis, ipsi oratores Genuam cum maxima omnium ordinum satisfactione populique applausu redierunt, rerumque omnium successu in Senatu exposito, incredibili lætitia, propter Principis Sfortiæ in Ligusticum nomen studium & voluntatem, Patres perfusi fuerunt. Ligures itaque tam benigni & felicis Principis beneficio, tantis aduersitatibus, & diuturnis cladibus erepti, otiaque & tranquillitatem, quæ dudum vrbe exulauerant, adepti, iucundam & placidam vitam viuebant, tanta me herclè cum concordia & mutuo pacis studio, vt singulis ordinibus suus ab omnibus seruaretur & tribueretur pristinus honos, & reuerentia: in primis verò Nobilitati tantum deferebatur, quantum vnquam antea in illa vrbe concessum fuerat, adeò certè, vt omnibus, nobilibus familiis genitis, & oriundis, ad capessendos honores aditus patêret amplissimus. Nam magno cum omnium ordinum consensu Magistratus & munera publica ita erant distributa & partita, vt magna isonomia & æquabilitate plebs, tata portione capessendis honoribus succederet & admitteretur. Proinde ex magna ciuium omnium consensione, ciuitas iterum in magna concordia coaluerat, & si aliqui adhuc supererant, quorum peruicaciam, & rerum nouandarum studium vererentur, summa cum inquisitione ex latebris eruti, publicis votis & sententiis à ciuium omnium conspectu & consuetudine, quàm longissimè proscribebantur. Inter quos equidem cùm Paulus Fulgosius, communis quietis capitalis hostis, instar omnium esset, qui Remp. miserè diuexaret, cõmuni prudentiorũ decreto sancitũ & statutũ fuit, vt contra illum, nauibus quas paulò antea, vti enarrauimus, Genua eduxerat, insolescentem & ferocientem, quatuor maiora nauigia sumptibus publicis instruerentur: quarum cura & administratio Francisco Spinulæ, lectissimę nobilitatis viro, commissa est. Fulgosius namque ad omnem occasionem inquietandę Reip. intentus, paucis antea diebus aliquot Ligusticas naues, fortè tunc temporis nõ longè à Villæ Francæ portus (quem à veteribus Herculis Monœci portum appellatum accepimus) conspectu nauigantes, eo successu adortus fuerat, vt integrum diem, neutram in partẽ sese victoria inclinante, æquali marte inter eos cõfligeretur, adeò vt, nisi nox pugnam diremisset, nemini dubiũ sit, quin, cùm vtrimque

que pertinaciter pugnaretur, ad extremum vsque vitæ spiritum certamen pertractum fuisset. sed cùm opacæ noctis tenebrę præliantes seiungerent, Fulgosius non sine magna recepta clade, & damno, ita inferior discessserat, vt præ illarum metu Corsicam enauigauerit: mox & instabili cursu Siciliam præteruectus, actutum cursum in Sardiniam flexit, eo animo & consilio, vt, omnibus, quibus posset, modis & rationibus, Genuensibus, eorumque nauigiis incommodaret; relictaque, ea de causa, Sardinia, Corsicam repetiit, vbi cùm præter opinionem in Spinulam ipsum imprudens incidisset, ita animo consternatus est, vt nullis confligendi facta potestate, anxiè effugium quæreret. Verùm, cùm sese vndique ferè nauibus hostilibus circumseptum videret, ad fugam conuersus, & omnia extrema tentans; tandem in scapham vnà cum aliquot suis desiliens, in continentem delatus, per montosa & incognita loca errabundus saluti suæ consuluit, ita vt Genuenses, facili cum negotio, illius nauibus, omnibus præsidiis & Duce destitutis, potiti sint: quas cum maxima & immensa omnium voluptate Genuæ, ad speciem iusti & veri triumphi, breui pòst reduxerunt. Hoc itaque domestico & perduelli hoste foris deuicto, omnia domi pacata erant, & tanta cum moderatione, & dexteritate Sfortia Reipublicæ præerat, vt Magistratus Georgianus, cuius regimine & arbitrio Corsica, cum plerisque aliis locis, ad illum diem administrabatur, operæ pretium se facturum existimaret, si illius procurationem vltrò ad ipsum deferret. Ceterùm, huius tam felicis status Liguistici cursum interrupit mors Principis, qui anno supra millesimum quadringentesimum sexagesimo sexto, octauo Idus Martij, fatis cum omnium summo dolore concessit. Vrbs siquidem in primis tanti Principis obitu consternata, non aliter ac si vero parente orbata fuisset, lugebat, & contristabatur. Quippe summopere verebantur, ne tanti Principis, atque tam benigni protectoris destituti patrocinio, nouis periculis ac turbis implicarentur. Tamdiu enim, quàm sub illius imperio atque regimine fuerant, in alta pace summum otij sui fructum retulerant; nimirum quòd ipse summa æquitate, & incredibili quadam animi moderatione imperij habenas gubernaret. Iusto igitur dolore commota ciuitas, secum reputabat retroacti temporis sub Insubrico dominio felicitatem; quæ certè eò maior contigerat, quò ipse Sfortia Princeps, opibus, auctoritate, atque populis, nulli Italiæ Principum esset secundus. Accedebat huc, quòd ipse suapte natura generosus, omnibus iis heroicis virtutibus, quæ in Principem virum cadere, vel desiderari possent, præditus esset, adeò certè, (tantum abest, vt aliquis de illius gubernatione iure queri potuerit,) vt etiam vel hoc solo nomine magna illi gloria & laus in perpetuum debeatur, quòd, ne latum quidem, vt aiunt, vnguem, in regendis suis prouincialibus, à iustitia rectique norma vnquam discessisse reperiatur; tamque sese lenem, & mansuetum Genuensibus exhibuerat, vt non ad imitationem multorum Principum, nouis prouincialibus noua tributa & vectigalia imponeret, sed modica pecunia contentus, nihil aliud exegit, quàm vt de ærario publico tantum sibi conferretur, quantum stipendiis vrbis atque arcis præsidiariis, & Legati Genuam procurantis, sufficeret. Reliquos siquidem Reip. census & reditus, vel in ærarium publicum, ad publicos vsus conferri, vel extruendis ædificiis publicis, quibus ciuitatis ornamento impendiò consulebat, insumi placuit, ita mediusfidius, vt omnium iudicio Genuensium status, donec sub hoc Principe fuit, magis omninò floruerit, quàm vllo tempore cùm aristocratiæ, vel democratiæ formulam Resp. retineret. Nec solummodò Genuenses, ob huius Principis obitum, luctu distinebantur, sed hic dolor illis cũ plerisque Italiæ ciuitatibus commu-

Clades Pauli Fulgosij, & fuga.

1465.

1466.

Francisci Sfortiæ interitus, ac eius laudes.

communis erat. Præerant etenim illa tempestate Italiæ magno cum eius beneficio & felicitate optimi ac moderatissimi Principes, qui, cùm tranquillitatis publicæ essent amantissimi, vehementer dolebant, tantum Principem, cuius arbitrio & nutu res bellicæ potissimum administrabantur, è viuis subtractum esse, quẽ interfuerat vniuerso orbi, ad publicum bonum & vtilitatẽ melioribus temporibus reseruari. Sed, cùm in rebus humanis omnia sint fluxa atq. caduca, cum graui omnium dispendio, præsertim verò huius nostræ Reip., præstantissimus atq. optimus Princeps, post exactos in Principatu sexdecim annos, ad cælestem arcem, vti diximus, commigrauit. Verùm enimuerò, Genuenses, ne propter obitũ Principis, studium, vel animũ ab ipsius posteritate alienasse aliqua ratione viderentur, totius Senatus consilio atque consensu, Mediolanum Reip. nomine quatuor legati, nimirum Meliadux Saluagus, Paulus Iustinianus, Lazarus Auria, & Iacobus Axeretus, destinati sunt, partim vt apud Blancam, eius coniugem, feminam lectissimam simul & prudentissimam, & Galeatium filium, recèns ad Principatum euectum, publici luctus atque mæroris testes essent, & tam acerbũ ac tristem casum humanis exemplis solarentur atque emollirent, partim etiam vt nouo Principi nouam fidem atque obedientiam præstarent. Verùm Galeacius multum à patre natura & moribus diuersus, Genuensium legatos ea fronte & vultus serenitate non excepit, qua aliàs ab eius patre placidissimè excepti fuerant, adeò certè, vt hac de causa nonnihil commoti, non leuem postea indignationis ansam inter cetera, hæc animi ferocitas & ambitiosi spiritus, nec obscurum indicium postmodum subministrauerint. Vix Genuensibus in nouam clientelam ab illo receptis, Tarraconenses, cum quibus fœdus atque amicitiam ad certum annorum terminum constitutum esse docuimus, violata fide, fœdus abrupêre, quatuorque instructis nauibus, Genuensibus, quoad eius fieri poterat, incommodabant. Contrà Genuens., ne imparati opprimerentur, néue aliqua ex parte segniores suis hostibus viderentur, summa celeritate sex onerarias omni bellico apparatu necessario instructas, quas hosti opponerent, duce Lazaro Auria eduxerunt. Verùm, cum Aragonij de hostium aduentu præmonerentur, aliò nauigationem direxerunt, ita vt Auria, adempta sibi omnis insequendæ hostilis classis facultate, vasta maris spatia emensus, eo consilio circumuagaretur, vt ab omnibus piratarum & myoparonum incursionibus repurgatis maribus, securè atque tranquillè Genuensibus nauigare liceret. Qua in re non parum temporis absumpsit. Tandem hostili præda onustus, Genuam postliminiò rediit. Ibi verò omnia tantisper tranquillè ac placidè gerebantur, & in officio consistebant, donec Galeacius, nouus Mediolanensium Princeps, barbarica & tyrannica quadam vi grassaretur, & omnia impotenti animo administraret, in tantum, vt in plerisq. locis, nouis tumultibus occasiones præberet. Progressu siquidem temporis, cum Blanca Maria sua matre, iuuenili quodam ardore ac dominãdi libidine accensus, in contentionem deuenerat, eaque, filij pertinacis animi impatiens, Mediolano Cremonam versus egressa, effecerat, vt ipse in summa viuendi licentia constitutus, nihil sibi non permitteret atque indulgeret. Cæterum, cùm anno eiusdem sæculi primo ac septuagesimo (namque ab anno sexagesimo sexto, ad hoc vsq. tempus, nihil insigne, quod equidẽ sciam, aut fermè memoratu dignum in Rep. contigit) se vnà cum coniuge Bona, Philippi Ducis Sabaudiæ filia, & Ludouico Galliarum regi affinitate coniuncta, nec non fratribus, & magna procerum ac nobilium virorum caterua, nuncupati voti persoluendi causa Florentiam conferret, ac in reditu Genuam peteret, multis euidentibus argumentis in plerisque

Genuensium legatio ad Galeacium Sfortiæ filiũ.

Tarraconẽses priores, à fœdere desciscunt.

1467. 1468. 1469. 1470. 1471.

ſuis actionibus patefecit, quo animo erga Remp. eſſet affectus. Quandoquidem cùm Senatus, honoris cauſa, eiuſque excipiendi gratia, aliquot primates vſque ad portum Veneris cum duabus triremibus, quibus præerant Lazarus Spinula, & Lazarus Axeretus, ſplendidè atque regiè inſtructis, præmitteret, omnibuſque debitis officiis in ipſo Genuam deducendo, ad ſuperſtitionem vſque allaboraret, nullum tamen, vel ſaltem perexiguum beneuolentiæ teſtimonium præbuit: quippe triduum tantummodò Genuæ commoratus, vrbis tædio ac ſatietate captus, rerum ſuarum familiarium magnitudinem prætexens, vrbe cum ſuis egreſſus, Mediolanum rediit. Hæc abalienati animi indicia, tametſi eſſent magna, & Senatum, adeoque vniuerſos ordines, valde commouerent, quòd nouam rerum conuerſionem valdè pertimeſcerent; attamen multò clarius poſtea illius animus eluxit. Creſcente namque indies eius ambitione, atque luxu, grauis omnibus ſuis prouincialibus, quòd nec modum ſuis cupiditatibus ſtatueret vllum, nec finem, ſed tyrannico more tantum ſibi licere putaret, quantum poſſet, nouisque ſubinde vectigalibus & oneribus eos defatigaret, eſſe cœperat, nec contentus inter ſuos liberè & impunè graſſari, Genuæ etiam pari ambitione & crudelitate debacchari voluit. Excitis enim ad ſe Genua ſexdecim Senatorij ordinis viris, grauiter illis & ſumma cum celeritate iniunxit, vt ſuo nomine Senatui Genuenſi auctores forent, vt citra vllam moram vel exceptionem, armamentarium quinquaginta triremium capax Genuæ, loco opportuno, ſumptibus publicis fabricaretur. Cuius voluntatem cùm Patres conſcripti ex horum legatorum, nempè Dominici Spinulæ, Lazari Auriæ, Simonis Nigronis, Thobiæ Gentilis, Lucæ Grimaldi, Marci Lomelini, Benedicti Fliſci, Ambroſij Marini, Baptiſtæ Guani, Iacobi Iuſtiniani, Petri Clauari, Franciſci Camulij, Bendelli Sauli, Pauli Franchi, Baptiſtæ Rampalli, & Laurentij Preſendæ relatione intellexiſſent, habitis centuriatis comitiis, diu variis ſententiis in ipſo Senatu fuit variatum atque decertatum; vicitque ſententia eorum qui imperioſi Principis decretum & mandatum haudquaquam reijciendum eſſe dicerent. Quòd tamen per id tempus, ærarium publicum, alijque cenſus vrbani tantis ſumptibus nõ ſufficerent, nihil prorſus ea de re peractum fuit. Is tamen parum ſibi feciſſe viſus, tantum onus ciuitatis ceruici impoſuiſſe, nouis inſuper ædificiis Caſtelleti arcem ampliare, & extendere, nouaque præſidia, cuſtodiendæ & conſeruandę vrbis prætextu, deducere proponebat. At grauitate conſilij & auctoritate Senatus ipſius placitis ita occurſum fuit, vt nihil eo tempore in vrbe innouaretur. Interea temporis, Xiſtus quartus, Cellis, obſcuro Liguſticæ oræ vico, & modicis natalibus ortus, à paruis initiis per omnes honoris gradus ad ſupremum apicem, ſcilicet Pontificiæ dignitatis faſtigium, magno cum Reipub. Genuenſis beneficio euectus fuit: de cuius viri virtutibus cùm plus habeam certi, quàm de familia, anxia diſquiſitione in illam non inquiram. Sunt tamen qui putent, hunc, originem ex Roboreis nobili ac peruetuſta in Salaſſis familia traxiſſe, ac patrem eius, tranſlatis Sauonam penatibus, vxori & liberis ibi operam dediſſe: nam poſtea hoc ipſe non obſcurè ſignificauit, cùm patriæ ſuæ laboranti, non parum auxilij contulerit. Vbi

Xiſtus quartus Pontifex creatur.

1472. Genuæ nuntiatum eſt, ipſum, de Purpuratorum conſenſu in Pontificia ſede collocatum, Senatus conſulto decretum fuit, vt octo Oratores, nempè Baptiſta Guanus clari nominis Iuriſconſultus, Gotardus Stella, Aloiſius Centurio, Iacobus Axeretus, Ambroſius Spinula, Paulus Iuſtinianus, Hieronymus Grimaldus, & Petrus Gentilis, Romam, illi tantam dignitatem cõgratulaturi, Reipub. nomine, mitterentur; quibus tantam gratiam Genuenſi Reip. Pontifex retulit, vt Oratores

res, non antè domum remitteret, quàm Rempub. multis priuilegiis, immunitatibus, aliisque beneficiis & ornamentis affeciſſet, atque auxiſſet, tanta certè cum animi conſtantia & candore, vt ipſo, rerum Romæ potiente, nulla Reſp. in toto orbe Chriſtiano maiori apud eum auctoritate valuerit, quàm illa, ad quam patriam, natales, ac educationem referebat. Hoc effecit prorſus, vt Galeacius summo ſtudio daret operam, tantum Pontificem Liguſtico nomini fauentem, ſibi etiam promereri: quod vt aſſequeretur facilius, ſimulque, ad parandam ſibi boni & Chriſtiani Principis famam & exiſtimationem, operæpretiũ ſe facturum exiſtimabat, ſi claſſem ad Orientis partes, præſertim verò Chium inſulam, variis iniuriis & barbarorum latrociniis obnoxiam, firmandam atque propugnandam inſtrueret. Quapropter anno eiuſdem æui ſeptuageſimo tertio, miſſo diplomate, 1473.
edixit, Genuæ vt partim publicis, partim verò priuatis ſuis ſumptibus, viginti triremes quàm diligẽtiſſimè inſtruerentur. Verùm, cùm ſubinde ad expeditionem Aſiaticam, multa noua imperaret, nec aliquid perficeret: ad eum Senatus decreto Lucas Grimaldus, Ioannes Petrus Viualdus, Pelegrus Monelius, & Franciſcus Burlaſca oratores deſtinati, & paulò poſt, Lazarus Auria, ſolus ciuitatis nomine legationem obiit: & licet cum his omnibus generatim, ac ſeorſum ſeria conſilia communicare, ac ſententias conferre videretur, tamen neſcio quo Reipub. Chriſtianæ malo fato, expeditio tam neceſſaria ſemper dilata fuerit. Hoc anno tanta viguit ſiccitas, & caloris incendium, vt ſiluæ plurimis locis incenſæ, ſiccata flumina, ac Danubius ipſe in Hungaria factus ſit permeabilis. Habeo haud ſanè incelebres ſcriptores, qui litteris conſignarint, anno à Chriſti humano natali die ſeptingenteſimo quinquageſimo nono, regnante Conſtantino Leonis fratre, iconomacho, Byzantij tantam fuiſſe ſiccitatem, vt ne ros quidem de cælo caderet. Illud etiam apud veteres inter prodigia connumeratum, quòd ſcilicet L. Æmilio Paulo & G. Bæbio Pamphilo Conſulibus Romæ ſex menſibus non pluiſſet, ideoque ex Sibyllinis ſupplicatum.

Rarum exemplum ſiccitatis.

AT menſe Februario ineuntis Veris, Benedictus Fliſcus, in Africam ad regem 1474.
Tunetanum miſſus fuit, qui ob res grauiſſimas, & maximi ponderis, publico nomine legationis munere fungeretur. Et quoniam adhuc Ligures in Syria, & Ægypto varias mercaturas exercebant, Senatus itidem, ad regem Memphiticum, quem Sulthanum vocabant, legationem habuit. Iiſdem fermè diebus, eiuſdem Senatus conſulto Ioannes Petrus Viualdus, Pelegrus Monelia, Franciſcus Burlaſca, & Lucas Grimaldus, viri, præter generis claritudinem, à ſingulari prudentia, fide, ac integritate plurimùm commendati, ad Principem Mediolanenſem oratores miſſi, eiq. Reſpub., propter armamentarium quinquaginta triremium, quarum ſuperiùs mentionem fecimus, ſupra vndecim millia nummûm aureorum mutuò dedit, ac exhibuit. Genuæ interim, de noua claſſe pro Aſiatica expeditione deliberatum. Verumenimuerò, dum Inſuber, ceterique Chriſtiani orbis Principes, longis & inanibus conſultationibus tempus trahunt, moraſque nectunt, Reipub. magna clades inflicta. Siquidem anno eiuſdem æui ſeptuageſi- 1475.
mo quinto, Capha, olim, vti diximus, Theodoſia, & nunc ab indigenis Gazaria nuncupata, Liguſticæ ditionis celebertimum emporium, atque colonia, oſcitantibus Chriſtianis Principibus, Othomannico imperio ceſſit. Cuius quidem acceptæ cladis nuntium ſummoperè Genuenſes percelluit: ſimulque verebantur, ne Chius opportuniſſima exercendis mercaturis inſula, pari ardore à victore hoſte inuaderetur. Proinde præparatis menſe Septembri quatuor nauibus, omni bellico apparatu inſtructis, quarum duæ Iuſtiniani, tertia Spinulæ, & quarta Ni-

Theodoſia à Turcis occupata.

grij cognomine vocabantur, eas ad tutandam insulam, & præoccupandos hostiles conatus, præmiserunt. Quod verò Resp. hac præstantissima vrbe, aliisque ad Pontum Euxinum locis exciderit, potissimùm auaritia Consulum, aliorumque publicis muneribus præpositorum causatur. Nam cùm ex horum auctoritate atque arbitrio, quotannis Procuratores, qui partes Orientis nomine Reipub. administrarent, mitterentur, fiebat, vt interdum tales cum Reipub. graui iactura darentur, qui priuatum commodum publico bono præferrẽt, ac turpi quæstui studerent, quo præcipuè nomine, Vbertus Squarciaficus, Theodosiæ vltimus Procurator, malè apud multos audiebat, quasi ipsius auaritia, & culpa factum esset, quòd ea ciuitas à tyrannica potentia citra magnam difficultatem oppressa foret. Vtcumque res sese habet, miserrimus iste dedit vel sordidæ auaritiæ, vel temeritatis, atque imprudentiæ suæ pœnas. Abductus enim cum ingenti captiuorum agmine Constantinopolim, ibi iussu barbari tyranni trucidatus fuit. Hanc vrbem in Cherroneso ad Pontum Euxinum positam, & olim, vti prædiximus, Theodosiam appellatam, Strabo fertili campo præditam, & frumento abundasse scribit, atque ob id Georgiam vocatam, adeò vt Leucon ex ipsa vicies semel cẽtena millia medimnum frumenti Athenienſibus miserit, quæ sanè, subducta ratione amplius octoginta quinque millibus modium nostrorum valent. Idem Strabo adiicit, ibi esse portum vel centum nauibus recipiendis aptum, & agrum à quocumque fossore scissum, trigecuplum reddidisse. Id sanè haud parum censeri debet. Sed multò maius est, quod de memorabili soli fertilitate, præter ceteros, Varro, Columella, & Plinius tradidêre. Prioris quidem hæc verba sunt: Quarè obseruabis, quantum in ea regione consuetudo erit serendi: vt tãtum facias, quantum valet regio, ac genus terræ: vt ex eodem semine alicubi cum decem respondeat, alicubi cum quindecim, vt in Etruria locis aliquot. In Sybaritano dicunt etiam cum centesimo redire solitum; nec mirum id Italiæ tribui, cùm Plin. tradiderit, agrum Babylonium cum quinquagesimo fœnore messes reddere: diligentioribus agricolis etiam cum centesimo. de quo Herod. in primo ita inquit: Ad cerealem frugem vsque adeò bona est regio Babylonia, vt plerumque ducena reddat: vbi autem bonitate sese ipsa vincit, ibi etiam ad tricena. Plinius lib. v. Libyphœnices, inquit, appellantur, qui Byzantium incolunt: ita vocatur regio CCL. millibus passuum per circuitum fertilitatis eximiæ, cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terra. Non temerè igitur Dominus in Euangelio Matth. cap. XIII. fructum summum ad centesimam frugem auxit. Verùm, vt ad rem redeam, Galeacius proferendi nominis cupiditate incensus, simulque vt sese in Ligustico imperio confirmaret, nouas subinde legationes Genua ad se Mediolanum euocabat, quòd populus Genuensis illius leuitatis pertæsus, iniquissimè ferebat, præsertim quòd post tot tamque graues atque diuturnas deliberationes, nihil huiusmodi statueretur, quod ex vsu Reipub. esset. Verùm, ne viderentur temerè eius imperium detrectare, vel pristinam libertatem recuperare velle, anno eiusdem
1476. sæculi septuagesimo sexto, mense Aprili, de Senatus consensu duodecim ciues partim nobiles, partim verò populares, Mediolanum ad ipsum communicandi consilij gratia, cùm aliquid, nescio quid serij, contra Rempub. moliri diceretur, missi sunt. Oratores autem fuerũt Baptista Guanus, Ambrosius Spinula, Paulus Auria, M. Lercarus, Leonardus Viualdus, Ægidius Sacherus, Augustinus Cafarotus, Aloysius Gibertus, Ioannes Bapt. Lomelinus, Manuel Grimaldus Ceba, Petrus Clauarus, & Ioannes Bapt. Adurnius. Hac tanta, & tam honorifica legatione nihilo secius commotus Princeps, ac si cum barbara quapiam gente sibi

negotium fuisset, magnam indignationem in omnium animis excitauit, adeò vt iam non obscurè, sicut priùs, obmurmurarent, sed illius inhumanitatem ac ferociam palàm criminarentur. Quod cùm non ignoraret, & multis rationibus adductus, vehementer vereretur, ne hæc concepta noua ac manifesta indignatio in aliquam grauem rerum conuersionem erumperet; quò sese magis ad omnem casum in Ligustico imperio confirmaret & constabiliret, Castelleti arcem tam excelso loco positam, vt magnum inter illam, & vrbis portum esset interstitium, continua domorum contignatione ac serie sic amplificare constituerat, vt eius ambitus ad mare vsque protenderetur. Intelligebat quippè, nullũ aliàs præsidium necessitatis tempore ipsi arci inferri posse; simulque præuidebat, se facilè vrbi frenos iniecturum, si liberam potiundæ arcis commoditatem nactus, milite præsidiario pro libito ac nemine prohibere valente, quoties vsus ferret, vteretur. Cuius quidem pernicioſi consilij Ioãnes Scipio Palauicinus, ea tempestate vrbis Præses, Galeacio auctor & promotor fuisse perhibetur. Et iam designata erant conficiendo operi delineamenta architectorum. Sed quia nullo modo citra multorum præclarorum ædificiorum ruinam & euersionem locus constitui poterat, passim per vrbem ea de causa tumultuabatur. Quod cùm resciret Galeacius, operæpretium se esse facturum existimauit, si, ad assequendum minori cum negotio quod animo conceperat, de eiusdem Scipionis consilio, aliquot inter patricij ordinis, popularemque multitudinem, dissensiones & rixas concitaret; arbitratus, distractis ciuium animis, paucos futuros, qui pristinæ libertatis memores, suis cœptis & conatibus reluctarentur. Subsequendarum igitur ciuilium contentionum spe subnixus, operam inchoari iussit, adhibitisque architectis, aliisque fabricarum magistris, ad amussim tantùm terræ delineatum & effossum fuit, quantùm arcis pomœria proferre constituerat. Hæc res, quòd in perniciem ciuitatis euasura, manifestò cernebatur, non citra magnam ciuium omnium commotionem & fremitum conspici ac ferri poterat, ita vt Reipub. salutem, priuatis odiis atq. simultatibus, hac quidem in parte, præferentes, reconciliatis, vel saltem mitigatis nonnihil ad præsens animis, hoc vnum agerent, vt communibus viribus, vix dum inchoatum opus, statim sub initio interrumperent, atque rescinderent; inter quos, Lazarus Auria, pristinæ libertatis, & auitæ gloriæ memor, magna cum alacritate & sui fiducia præcipuus erat, ac antesignanus, qui auderet tam impotentis Principis placitis refragari, atque manibus pedibusque, quod dicitur, conniti, nulloq. habito astantium respectu, vel reuerentia, arrepto ferro, delineamenta & regularum dimensiones proscidit atque abrupit. Præses, vbi eius factum à concurrente, & iam concitata plebe approbari conspexit, grauiora veritus, sese in Prætorium actutum subduxit, ac toto eo die ibi delituit, sic vt propter eius absentiam, operarij, derelicto opere, non vlterius progrederentur. Cuius rei aduersus successus, ad aures Principis delatus, vehementer illius animum offendit, & ira exæstuans, de toto negotio per legatos edoceri voluit. Proinde imperauit, vt quamprimùm octo patricij ordinis viri ad se mitterentur: quæ sanè res cùm reuera esset periculi plena, multi erant in ea sententia, vt dicerent, non temerè eius iussis esse tam citò obtemperandum: attamen non defuêre, qui, nulla interposita difficultate, ad hanc obeundam prouinciam sese offerrent; breuique pòst, adornata profectione, octo nomine Reip. Mediolanum ad ipsum Principem profecti; inter quos præcipuus erat Franciscus Marchesius, clari nominis Iurisconsultus, & ciuilium negotiorum scientia supra modum conspicuus atque insignis. Qui in colloquium admissus, factaque dicendi potestate, exhibitaq. & delata prius de-

Lazari Auriæ magnanimitas.

bita reuerentia, in hunc ferè modum constantissimo vultu & pectore verba fecit.

Genuensis legati oratio coram Galeacio Mediolanens. Principe.

PRAESENTIS status nostri conditio, Illustrissime Princeps, planè efficit, vt ego sæpius de rerum humanarum fragilitate seriò cogitans, nondum bene dispicere, & constituere possim, vtrum magis fortunæ nostræ iniquitatem, iam continua quadam annorum serie, magno cum nostro malo perpessam, quàm fatalem vim, omnia occulto arcanoq. influxu ac motu disponentem, accusare debeam, quòd nos, olim tot diuersarumque gentium & regionum domini, post tam diuturnum imperiū, ac tot res domi forisq. præclarè ac cum magna laude gestas, eò tandem mutuis nostris dissensionibus, & ciuilibus factionibus deuenerimus, vt gloriam foris, magno cum labore & industria partam, non solùm turpiter amiserimus, sed, quod longè omnium grauissimum est, domi discordes, & pacis publicæ impatientes, ad hanc necessitatem, perduxerit nos assidua æmulatio, omnium malorum altrix, vt, dum patriis legibus atque ciuili Magistratu viuere detrectamus, exterorum principum imperio & potentiæ, nos vltrò subijcere non recusemus. Quia igitur vel fatum, vel ciuitatis nostræ genius, vel saltem fortuna nostra ita ferebat, vt alicuius externi Principis patrocinium quærendū nobis omninò esset, in cuius sinu, & gremio Resp. nostra anhelans & mirificè defatigata respiraret, & tantisper conquiesceret, donec Deorum beneuolentia, rerum nostrarum status meliori loco & conditione constitueretur, parentem tuum, lectissimum Principem, propter spectatas atque illustres eius virtutes, præcipuè verò ob eximiam quandam clementiam, & in imperio moderationem, omnibus notam & prædicatam, ex tam magno optimorum & præstātissimorum Principum numero nobis delegimus; cuius arbitrio & æquitate cùm Reipub. salus & tranquillitas contineretur, tum priuatæ omnes fortunæ nostræ ab omni iniuria & vi saluæ & incolumes essent. Nec fefellit nos, hac quidem in parte, iudicium nostrum, vel de tanto Principe concepta opinio in seram pœnitentiam coniecit; quippè sub cuius iam imperio, magno cum Reipub. nostrumque omnium beneficio, vitam tranquillissimam, & ab omnibus iniuriis tutam, in summo otio & alta pace transegerimus. Eo tandem è viuis subtracto, & ad meliorem vitam, volentibus fatis, euocato, ne aliquo modo ingrati, vel tantorum receptorum beneficiorum immemores videremur, néue inconstantiæ & volubilitatis penes te, & posteritatis memoriam insimularemur, hoc vnum enixè dedimus operam, vt debitam obseruantiam, & obsequium optimo tuo genitori lubentissimis animis assiduè præstitam, tibi, ceu eius legitimo hæredi, & tanti imperij successori dato, consensione summa totius Reipub. nostræ præstaremus & deferremus. Et quamuis in nostra potestate fuerit, statim defuncto tuo patre, imperij nostri summam, atque (vt ita dicam) habenas, alicui ex nostris, suffragiis popularibus ad tantam dignitatem eligendo, vel saltem alij cuipiam Principi nobis grato & probato deferre, te, præter ceteros, instar omnium, dignum iudicauimus, cuius imperio & regimini subijceremur, ea potissimùm spe, vel potiùs mera fiducia, subnixi, vt, quemadmodū tu, tanti, [illegible]m laudati Principis es filius, tamq. ampli imperij verus hæres, sic etiam paternarū virtutum in omnibus futurus sis studiosus, æmulus & conseruator. Nec in præsentiarum, hæc adeò à me dici, Illustrissime Princeps, putes, quasi tuam clementiam, vel alias heroici tui animi dotes, sugillare, vel aliqua ratione in dubium vocare velim (Dij tantam à me proteruiam auertant) sed eò spectant, quòd superioribus diebus legatus tuus, nobis à tua clementia datus, iam multa haud obscura tuæ in nos immutatæ voluntatis dederit argumenta. Nam, in manifestam perniciem libertatis & dignitatis antiqui Ligustici nominis con-

nis contra Reip. noſtræ inolitum morem & inſtitutum, noua amplificandæ arcis delineatione facta, neſcio quid noui contra nos ciueſque noſtros moliebatur, eaque de cauſa omnium ciuium animi (nec quod verum eſt, diffitebor) valde fuerunt commoti, & exacerbati, ita me hercle, vt parũ abfuerit, quin in noua ſtudia erumperent. Verùm magna prudentia procerum, & Senatus authoritate, à nouis rebus inhibiti & retracti fuerunt, qui omnem culpam huius innouationis ſubſecutæ, potiùs in tuos adminiſtros & officiales, quàm in tuam humanitatem deriuandam iudicabant. Proinde ad remouendam omnem abrogati imperij, vel immutatæ voluntatis ſuſpicionem, nos, publici obſequij, & perpetuæ in te, tuamq; familiam obſeruantiæ, & obedientiæ teſtes, huc nomine ciuitatis noſtræ venimus, eò certè cum maiori fiducia & alacritate, quò innocentiores & remotiores ab omni culpa ſumus: vnum interim tuam celſitudinem rogantes, vt, habita ratione æquitatis & honeſtatis, ſi aliqua forſitan animo tuo proferendæ atque dilatandæ arcis inſederit cupido, hanc in noſtram, ciuiumque omnium noſtrũm, atque adeò in Liguſtici nominis & veteris imperij & dignitatis gratiam, placido animo remittere non graueris, & te ad exemplum & imitationem præſtantiſſimorum Regum & principum componere, qui magna cum ſapiẽtia & rectitudine iudicij nõ tam arces, aggeres, & munimenta, ſolidi & tranquilli imperij ſentiebãt eſſe fundamenta & propugnacula, quàm virę innocentiã, imperij moderationem, & erga inferiores & clientes, veros Principes, hoc eſt, meri patris animum, quibus certè artibus, ceu arctiſſimis vinculis, populi prouinciæque omnes ita ſanè continentur in officio, vt nunquam talibus Principibus de defectione, vel nouis ſtudiis verendum aliquo modo ſit. contrà verò, vbi hæ virtutes in iis qui rerum potiuntur, deſiderantur, nullum vallum, nullæ turres, vel munitiones eſſe tam firmæ poſſunt, vt multis exemplis conſtat, quæ populum in officio inuitum & reluctantem continere queant. Terribilis ſiquidem, vti accepimus, fuit Polycrates Samij tyrannus, Corinthi Periander: nemo tamen hos timuit qui in liberam & populari forma conſtitutam ciuitatem ſeceſſiſſet. Accedit huc, optime Princeps, quòd populi noſtri natura ſit ita comparata, vt, cùm non ſit dura, vel refractaria, magis affabilitate, & benignitate in priſtina fide cõtineatur, quàm terriculamentis & metu. Nec ſanè immeritò, cùm etiam videamus, hoc in pleriſque ſtirpibus & plantis, ac præſertim ozimo, vſuuenire ratione quadam phyſica, vt quædam earum, molliter ac leniter contrectatæ, miram odoris ſui refragrantiam excitent; contrà verò, ſi duriùs premantur vel atterantur, tetrum fœtorem omnium naribus præbere non eſt dubium. Quare cùm hæc ita ſeſe habeant, & noſtræ preces cum honeſtate & æquitatis norma cõiunctæ ſint; iterum ſuppliciter & ſubmiſsè rogamus, vt iuxta fœderis & pacti cum genitore tuo initi formulam, nos pro veteri noſtro inſtituto & more, citra aliquam tamen reuerentiæ ſolitæ & obſequij iacturam, viuere concedas. Hoc ſi, quæ eſt tua clementia, impetrauerimus, nos, noſtroſque omnes, non aliàs magis tibi deuinxeris. Princeps ipſe, alioquin ſuopte naturæ inſtinctu anceps conſilij & inconſtans, grauitate orationis & populi conſtantia commotus, breuiter reſpondit, ſibi integrum eſſe, vt hac in parte Genuenſium poſtulatis atque precibus ſatisfieret, dimiſſaque concione, legati haud mediocri gaudio ac lætitia perfuſi, paucis interiectis diebus, Genuam reuerſi ſunt, ac de totius ſuæ legationis ſucceſſu ad Senatum pro veteri ac vſitato more retulerunt, nihilque deinceps per ipſum Ducem, vel eius adminiſtros vlterius attentatum. Ceterùm, Repub. ea cura & ſolicitudine legatorum dexteritate vix dum bene liberata, vrbani motus inter Patricios & plebem, inſtigante potiſſi-

tissimum vrbis præfecto, repullularunt. Malè namque conueniebat plebi cum nobilitate, quòd in quarundam triremium præparatione inuicem dissentirent; quæ sanè discrepantia & animorum dissensio adeò plebem concitauit, vt postmodum tam effreni impetu debaccharetur, vt, nullo habito Magistratus vel legis respectu aut reuerentia, etiam contra Ducales officiales grassata sit; excitatoque ingenti tumultu atque strepitu, intemperanter ad arma concursum est. Quod vbi primùm Galeacio innotuit, vsque adeò ira exarsit, vt palam & apertè omnia dira Reipub. minaretur, & ad sedandos tantos motus, popularemque licentiam statim ab initio reprimendam, aperta vi atq. validis armis vtendum statuit, eum ad hoc haud parum instigante Angelo Stufa Florentino, qui tunc temporis Reip. Florentinæ nomine apud ipsum, legatum agebat. Hic autem, cùm mirum in modum consuleret Reip. suæ commodo atque vtilitati, nulla habita honesti cõsideratione, hoc vnum agebat, vt, irritato aduersus Genuenses Principes animo, aliquid huiusmodi contra eos perpetraret; cuius postmodum ita pœniteret, vt cum sera pœnitẽtia damnum haberet cõiunctum: arbitratus hoc modo Insubriæ Principum potestatem nouis & inconsultis expeditionibus sensim imminutum iri, & inde non parum emolumenti ad Remp. suam redundaturum. Facile fuit, Galeacium, iniuriarum alioquin vltra modum impatientẽ, tanti viri auctoritate in instituto suo confirmare. Summa itaque diligentia, habito passim delectu, præter veteranum militem, magnas tironum copias conscribi iussit, adeò vt breui temporis interuallo, supra triginta millia lectissimorum virorum sub armis haberet. Verùm, quòd successu temporis, tolerandis tam magnis necessariis sumptibus impar futurus videretur, simulq. multorum ducum & cẽturionum conciliis ab illa expeditione deterreretur, magna cum animi inconstantia & ingenij varietate tantum exercitum repentino motu & magna cum festinatione conscriptum, paucorum dierum spatio dimisit, & exautorauit. At Genuæ interea, vbi primùm de his apparatibus rescitum est, dum quisque vrbis oppressionem & extrema quodammodò sibi metueret, ciuiles simultates, ac intestina odia, prout vrgẽtibus extremis & præsentibus periculis euenire cõsueuit, exiguo tẽpore cõsopita sunt, tanta me herculè cum totius Reip. felicitate, vt magna vrbis cõsensione omnia consilia, vires atq. conatus ad salutẽ publicam conferrentur; ac ne quid à Sfortianis Ligustico nomini durius infligi posset, enixè atq. solicitè citra aliquam intermissionem vnusquisq. pro se dabat operam. Nec sanè in tanta præclarorũ ciuium frequentia quisquam extitit, cui libertatis asserendæ maius fuerit studiũ, vt patuit, quàm Hieronymo Gentili, Andrea patre nato. Hic enim iuuenis, cùm natura esset excelso animo, veræque laudis & gloriæ auidissimo, magna generosæ naturæ testimonia statim ab ipso primo iuuentutis flore ediderat, & propter inclytæ indolis suæ generositatem, magnam sui nominis famam apud omnes suos conciues, præsertim verò æquales, excitauerat. Ad omnem igitur occasionem intentus, vt partam existimationis opinionem aliquo insigni facinore se, suisque maioribus digno, insigniret & constabiliret; hanc occasionem recuperandæ libertatis, vt existimabat, ex nouis istis motibus nactus, multis grauissima oratione persuadere conabatur, vt ansam restituendæ in libertatem patriæ negligere, vel aliquo modo excidere non paterentur. Et ne ipse inani tãtum verborum sono videretur prodesse velle, Scæuolas, atque Horatios imitatus, magno animo graue atque difficile facinus in pectore versabat: quippè paucis, sed fidelibus tamen adhibitis in consilium, totum animi sui decretum illis retexit: Constituerat siquidem miro, ac planè nouo quodam stratagemate, non solummodò se & suos, verùm

Animi generositas & flagrantiss. studiũ publ. libertatis Hieronymi Gentilis.

verum etiam alios nihil minus sperantes in pristinam libertatē reponere. eaq. de causa vrbem ad speciem negotiorum cōficiendorum egressus, in suburbano suo cum armata manu tantisper delituit, donec bene gerendæ rei commoditatem nanciscereturr. Intempesta igitur nocte ipse cum suis armatus, vrbis portam aggressus, cùm, vel negligentia vigilum, vel certè, quod verisimilius est, aliquorum fautorum adminiculo, paruo cum negotio illam reseraſſet, sublatis magnis clamoribus, & ingeminato libertatis nomine, vrbem eo successu & animo intrauit, vt magno coorto tumultu, ipsam planè in veterem statum reposuisset, si, vt prius constituerant, publicum palatium adortus esset. Ceterum, fatali quadam vi, in tanta præsertim rerum conturbatione, instituti sui oblitus, hoc vnum neglexit, à quo totius negotij summa & felix exitus dependebat. Quandoquidem, sicut plerumque in tumultibus vsu venire solet, vt optimo cuique sana consilia eripiantur, ita certè hac tempestate Genuæ accidit, vt, tanta præbita occasione, salutem publicam, & libertatem toties expetitam, nescio quo modo negligerent. Hieronymus tamen nihilosecius cœptis instans, licet paucos haberet qui ei operam nauarent, tantum nihilominus effecit, vt, occupatis præcipuis vrbis portis, ea nocte circa proprias ædes excubias cum suis ageret, ratus, postero die omnia prospero euentu in suam potestatem deuentura. Verùm, sub auroram albescente iam cælo, cùm rem à suis longè oscitantius quàm existimarat, tractari animaduertit, cum paucis reliquis, quos in officio & ardore continebat, euitandi periculi causa, ad D. Thomæ portam sese recepit, eo consilio, vt si nulla maiora nouorum studiorum argumenta à ciuibus sibi exhiberentur, quamprimùm ciuitate excederet, ac meliorem gerendæ rei opportunitatem expectaret. Ceterum, vix illo ab vrbe digresso, commota & trepida tota ciuitate, Guido Vicecomes, Galeacij legatus, vir deuexa ætate, rei nouitate perculsus, & huiusmodi rumoribus parum assuetus, animo ita erat consternatus, vt in curiam magna cum festinatione delatus, demissis verbis, & præsentem animi metū facilè coarguentibus, Senatum rogaret, vt suæ saluti, ac totius Reipub. incolumitati vellent prospicere: subiungebat etiam, inter cęteras grauissimas quas adducebat causas, populum Genuens. nulla ratione commoueri debere, quòd superioribus diebus Sfortia Princeps exercitum habuisset instructum. Illum siquidem, citra aliquam Liguſtici nominis offensam, placidè fuisse dimissum, adeò certè, vt tanti viri oratione commoti Patres, ac non parum de se suisque fortunis pari modo soliciti, communi consilio & consensione statuerent, vt nulla interposita mora, aliqui viri graues ad ipsum Hieronymum, recuperandæ libertatis auctorem, mitterentur, qui nomine & auctoritate Senatus, ipsum ad saniora consilia reuocarent atque inflecterent. Verū Hieronymus, tantum abest, vt illorum verbis cōmoueri potuerit, vt etiam ipsis non admissis in colloquium, infestis armis ad primum illorum conspectum inuaderet ac insequeretur, & ita vim intentaret, vt, nisi velocitate cursus fugæ sibi consuluissent, non dubium foret, quin tam insignes legati in primo legationis suæ munere concidissent. Quia igitur arduum & valde difficile erat, iuuenilem Hieronymi animum, gloriæ cupiditate æstuantem, simulque ira & nouis iniuriis incensum, tam citò ab instituto reuocare; delecti sunt quatuor ac viginti ex ordine plebeio, manuariarum artium scilicet antistites, qui inermes, Senatus ac Reipub. nomine, iuuenis animum mitigarent atque demollirent: hique admissi ab illo in colloquium, tanta cum dexteritate & peritia rem ipsam tractarūt, vt, commōstrato ciuitatis præsenti statu, & rei difficultate, in gratiā tranquillitatis publicæ ab armis discederet. Et ne propter facinoris magnitudinē, aliquam pœnarum

atroci-

atrocitatem metueret, impunitate proposita, atq. fide ea de causa interposita, tan-
tum effecerunt, vt ipse cum suis, illis assentiretur, hac tamen conditione, vt sep-
tingenti aurei, quos quidem in hos vsus absumpsisse se dicebat, sibi restitueren-
tur, prout exiguo tempore postea illi numerati fuerunt. Hoc Senatus decretum
Sfortia ita ratum habuit, vt illi nequaquam fidem vel authoritatem derogandam
esse, licet multi secus suaderet, censeret; malè tamē eum habebat, quòd temerario
iuueni, qui pecuniaria ad minimum pœna multandus erat, tantū prēmiū pro tam
atroci scelere, cum pessimo posteritatis exemplo, tributum esset. Nec dubitandum
est, ipsum Galeacium, rarò aliquid in publicæ vtilitatis gratiam condonantem,
grauiter hanc Genuensium seditionem vlturum fuisse, nisi immatura morte,
magno cum Genuensis Reipub. beneficio, præuentus fuisset. Ceterùm, quia
Galeacij Mediolan. Principis obitus, & natura. huius Principis sæpius nobis facienda fuit mentio, non alienum à nostro institu-
to fuerit, si cursim, & quod dici solet, per transennam, aliqua de ipso hîc subiece-
ro. Is sanè præclaris ac eximiis animi corporisque dotibus insignitus fuit, adeò vt
decore formæ, ingenij præstantia, æquitate, multisque aliis virtutibus, ab omni-
bus passim commendaretur. His artibus cùm boni ac splendidissimi Principis
nomen tueretur, premebant eum, præter cetera vitia, intemperantes vagæque
libidines, in quas cum natura, tum veteri cōsuetudine promptissimus ferebatur:
nec satis habebat, impunè omnem luxus ardorem & prurituin cum honestissimis
quibusq. matronis & puellis restinxisse, nisi etiam arcana amoris sui subinde glo-
riabundus, in corona magnorum virorum proderet atque iaceret, tanta cum om-
nium præstantium virorum indignatione & odio, vt hac potissimùm de causa,
accedentibus etiam nonnullis priuatis iniuriis, & Cola Montano, olim ipsius
Principis præceptore, haud modico instigatore, Ioannes Andreas Lamponianus,
Carolus Vicecomes, & Hieronymus Olgiatus, iuuenes, & generis claritudine &
opibus florentes, nec non Principis cubiculo adscripti, ac ei domestici & familia-
res, in ipsum conspirauerint, eo successu, vt tandem Mediolani in templo D. Ste-
phani, cuius festum eo die de more sollemni celebrabatur, dum sacris interesset,
multis vulneribus confossus, anno ætatis suæ trigesimo, quàm miserrimè interie-
rit. Huius vitæ tenorem & cursum si quis curiosiùs expetat, consulat Iouium,
Merulam, atque alios huius classis viros, qui multorum illustrium virorum res
Exemplum perraræ seueritatis. gestas, vitamque ac mores posteris tradiderunt. Galeacio, eo, quo diximus, modo,
interfecto, Magistratus Mediolanensis, ne erga suos Principes, illorumque po-
steritatem ingratus esse iudicaretur, summa grauitate consilij, luctus publici testi-
monium defuncto Principi dare voluit, sic vt ea de causa Senatus consulto sanci-
tum & declaratum fuerit, vt primùm sumpto de coniuratis debito supplicio, illo-
rum cognati, nulla habita sexus vel ætatis ratione, ad quartum vsque consangui-
nitatis gradum de medio tollerentur; ædificia illorum solo æquarentur; horti
succisis arboribus, & auerruncatis omnibus stirpibus & plantis vastarentur, &
depopularentur. Huius facti atrocitas cùm iuri scripto aliisque bonis legibus
mirum in modum aduersetur, tamen in illa ciuitate eo tempore locum sortiri
potuisse, verisimile ex eo est, quòd Insubres veteri maiorum suorum instituto, &
more lōgo vsu inolito, plurimum semper suis Principibus tribuerint, ita vt Prin-
cipum cædes non secus ac parricidium, vel, si quid maius parricidio sit, vlciscī &
vindicare soleant. Et quoniam idem vnumque ferè tempus cum huius nostri
Principis tragico & funesto exitu, etiam Caroli Burgundi, dicti Bellatoris, mors
coniunxit, prolixitatis tædio neminem me arbitror offensurum, si paulò altius
rebus repetitis, aliquid, licet ad nostram historiam non valdè necessariū, de huius

magna-

magnanimi Ducis vita ac moribus breuiter dixero. Carolus siquidem, heroici & excelsi animi iuuenis, cùm immodica bellorum proferendiq. Imperij cupiditate ita deflagraret, vt eius immensum animum illius regionis angustia, quam tamen possidebat amplissimam, minimè caperet, nouum in Belgio bellum sua temeritate, & audacia excitauerat. Et cùm aliquandiu Ludouici vndecimi Regis Galliarum (cui nihil tam familiare erat, quàm ex vsu & commodis suis, citra aliquod discrimen, vel delectum, quibuscumque, sed præcipuè agnatis Principibus, se dubiũ præbere, quos vt nimium potentes & factiosos, reseque regni & publicarum deliberationum consilia perturbantes, numero viribusque diminutos aut extirpatos mirum in modum cupiebat) insidias & molitiones sustinuisset fortiter, & armis feliciter vindicasset, edito ingenti prœlio ad Allerium montem, Regeque propemodum debellato, pace quodammodò extorta & fœdere, bellũ in Eburones transtulit, Leodioque ipsorum vrbe pro Episcopo, cuius causam tutabatur, sociis agnati Regis armis expugnata ac diruta, Rege à fœdere discedente, cui placato Carolo à reliquis Galliæ Principibus minus periculi erat, ipse sese in Germaniam, inuitatus potissimùm à Bauaro, conuertit. Verùm etsi hæc belli translatio, Ludouico ipsi multis nominibus cara esset, vt cui nil tam expediebat, quàm vt Carolus, ad cuius nomen expauescebat, cum hostibus potentioribus committeretur, adeò vt Ludouicus non desineret, pertinaci quadam contentione, quos posset, in Carolum, Germaniam petentem, callidè incitare; inito etiam ea de causa cum Friderico Imperatore, fœdere. Offenderat nimirum Carolum Imperator ipse, qui petenti diadema, & dignitatem nomenque regium, & munus Vicarij præsidis in Imperio, vtrumque denegarat. Proinde cùm se hoc bello cum terrore Germaniç feliciter expedito, planè confideret, vel extorturum Imperatori priora postulata, vel etiã imperij fastigiũ, Friderico deiecto, consecuturũ, facilior & promptior in Bauaro defendendo fuit. Et quia Caroli potentia & rei bellicæ virtus atque successus, omnibus Christiani orbis Principibus iam cœperat esse formidabilis, posteaquam bellum Germaniæ visceribus dicebatur illaturus, singuli Germaniæ Principes sese ad tanti hostis aduentum omni studio & conatibus præmuniuerant, & in primis Hessus, cui Colonienses adhærebant, & cõfœderatæ his aliquot, atque etiam subditæ ciuitates, inter cõfœderatas præcipua erat Nouesium. Ad hanc igitur obsidendam cùm Carolus validissimum exercitum adduxisset, Fridericus Imperator maturè ei occurrẽdum ratus, imperatis auxiliis, exercitũ coëgit circiter octoginta milliũ hominũ, sequentibus Imperatorem ducẽ Principibus plerisque, quos anteibant Albertus Dux Saxoniæ, & Albertus Marchio Brandeburgensis: vexillum namque Imperij Saxoni erat commendatum. Ad eius verò obsidionem explicatis quodam die aciebus vtrisq. ac ad statoriam pugnam dispositis, cùm conflictus certus expectaretur, & Saxo, qui Friderici aciem instruxerat, moræ impatiens esset, subitò præter expectationem, & spem conuersis rebus, in vtraque acie pax proclamata est, quam conciliarunt nonnulli ex Belgio proceres, clàm ad colloquium mutuum Imperatore & Carolo perductis. Pax itaq. pridie Calend. Iunias anno 75. supra 400. in eam fuit sententiam sancita, vt Caroli vnica filia, Maximiliano Imperatori, cum omnibus Caroli prouinciis desponderetur, si absque hærede masculo ipse discederet. Ita tunc quidem ab armis discessum est. Constituta inter eos pace, Carolus, promotis castris, Lotharingum adortus, magna ditionis parte eum pepulit, debinc rerum felici successu elatus, in Heluetios Lotharingi socios progressus, primò castris ad Granson positis, arceq. expugnata, mox fortuna sese vertente, quarto Nonas Aprilis

De Carolo Duce Burgundiæ, ac eius ingenio.

ab Hel-

ab Heluetiis festinato accessu obrutus, fœdeque fusus, ac stratus, & castris exutus, amissis impedimentis, totiusque exercitus opibus, & sua pretiosa supellectile, ita, vt vix ex insequentium manibus sese eripuerit. Paulò post, iterum ad Mota-

Caroli Burgundi interitus.

tum, in confinio Allobrogum oppidum, decimo Cal. Iulias, acie ab eisdem victus, anno 76. cùm ad Nanseum reduxisset exercitum, in ipsa obsidione pridiè Epiphanias Domini ab Heluetiis circumuentus ac trucidatus interiit, cùm vixisset annos plus minus quadraginta tres. Hunc igitur exitum nimis ferox & effrenis inexpletæ ambitionis Caroli impetus habuit, qui hoc suo casu perbellè testatur, atque confirmat, regulam diuinitus prolatam, quòd infelicia plerumque sint non necessaria bella, superbia & fiducia potentiæ mota. Desertum fuisse constans fama est à suis, insigni perfidia Campobassi Neapolitani, qui aliquando à Carolo colapho cæsus, vindictæ occasionem in id tempus distulerat. Et quis vitam & exitum enarrauimus, adijciam & natales. Erat ipse, Philippo Bono patre natus, Ioanne Burgundo auo, illo scilicet, qui ad Nicopolim temerè in confertorum Turcorum agmen prouolans, cum equitatu suo à barbaris circumuentus, & captus est, cuius pater Philippus Audax concessione & indulgentia patris Ioannis primus è regia Capeti stirpe Burgundiæ hæreditatem adiit. Sed me externorum principum gestis forsitan diutius quàm par est inhærentem, admonet temporis ratio, vt ad historiæ nostræ contextum reuertar. Interim illud annotasse, & his meis scriptis inseruisse, non extra propositum videbitur, in Caroli Burgundi motibus, duos insignes cometas esse visos, quorum alter anno 1472. Idibus Ianuariis sub Libra effulsit, & initio lentè processit, donec peruenit ad Arcturum. inde totum propemodum hemisphærium intra Zodiaci & æquinoctialis polos tanta celeritate percurrit, vt vno die, quadraginta gradus magni circuli, & cùm velocissimus esset, pæne quatuor signa, vt annotatum est, confecerit: tandem vltimis diebus Februarij iuxta 14. gradum Arietis, solis radiis ceu absumptus, euanuit. Alter cometa, anno quinto postea conspectus est cæruleo pallore subniger, quo anno prædictus Carolus cæsus est. Ex cuius equidem occubitu, nouum mox bellum enatum est, Maximiliano vrgente nuptias Mariæ Caroli filiæ, & destinatas doti ex pacto prouincias occupante, Gallis contra Burgundiam Flandriamque euastantibus. Vt verò ad propositum reuertar, vt primum Genuam Ioanni Francisco Palauicino Rempub. eo tempore Insubrici principis nomine procuranti, de Galeacij morte summo cum silentio & celeritate nuntiatum est, fieri non potuit, vt, quamuis res mirum in modum inuolueretur, quin tamen multorum animi in varias suspiciones raperentur: ideoq. auidè atque solicitè, quorsum res euaderent, & quis tandem illarum finis esset, expectabant. Sed Præses magna cum prudentia in tam magno & difficili negotio nihil temerè agendum statuens, nulla interposita mora, conuocato Senatu, ac pleriſque ex præcipuis ciuibus sibi & Insubrico nomini vtcumque fidis, ad se accersitis, rem tanta dexteritate atque ingenio egit, vt, cùm nullam præ se ferret alicuius commotionis vel consternationis speciem, suppresso Principis obitu, tantùm diceret, illum, duorum, vel trium, perditissimorum hominum perfidia & temeritate, leuiter vulneratum, ita lecto decumbere, vt citra vitæ periculum pristinæ valetudini quamprimum restituendus speraretur. Verùm, cùm subiungeret, rerum humanarum statum ita esse comparatum, vt nihil solidi vel firmi de iis nobis polliceri possimus, vel debeamus, Senatui volebat omninò esse auctor, vt, si forte fortuna Principi aliquid humanitus accideret, nullã rerum in illa Repub. immutationem fieri debere, præsertim cùm duos haberet filios iam ferè

ferè adultos, quorũ alteri Ioanni Galeacio, ætatis iure paternũ imperium, ceu legitimo successori deberetur, adeò vt cùm nõ dubitaret de illorũ summa prudentia, atq. animi constantia, nõ esse necessarium, vt lõga & artificiosa oratione illos in officio & pristino obsequio confirmaret, sibi interim operæpretium videri, vt ad præcauendã omnem plebeiam & inconsultorũ hominum seditionẽ, & turbas, quisquis etiam rerum euentus esset, vt in vrbe omnia sic disponerentur, ne nouis studiis aliquis locus relinqui posset. Hæc præsidis oratio, etsi non esset vsque adeò artificiosa, vel cõmota, vt aliquem metum, seu tacitæ conscientiæ scrupulum, vel morsum coargueret, tamẽ cùm illi qui adessent, nõ forent ita infantes ac stupidi, quin id quod erat, nõ obscurè olfacerẽt, atq. animis præsumerẽt, præsertim quòd in Rep. multi existerent, qui Insubrorum potentiã pertæsi, illorum nomen & potentiam supramodum auersarentur, illi qui publico bono fauebãt, auctores Senatui fuêre, vt, ad reprimendũ omnes repẽtinos motus, ac ciuiles tumultus, octo ciues eligerentur, quorum iugi cura fideiq. integritate, ac rerum agendarũ peritia, quies publica & tranquillitas conseruaretur. Et quia Reip. salus & ciuitatis otium ægrè retineri poterat, nisi conscripto præsidiario milite, qui stipẽdiis publicis ad vrbis tutelã aleretur, prima & potissima cura versari videbatur circa pecuniã expediendam, cùm ærarium publicũ ita esset exhaustum & imminutũ, vt nec minimis etiã sumptibus sufficeret. Proinde hi noui præsides tantum pecuniæ procurarunt, quantum alendo militi necessarium esset. Verùm, vbi pro certo cõpertum est, Galeacium suorum parricidialibus manibus miserè concidisse, gliscente nimirum ac peruagante per totam Italiam fama, sensim Genuæ, quamquam summo studio & vigilantia procerum, ne quid nouarum rerum ingrueret, procuraretur, res etiam immutari cœperant, nec aliquo modo seditiosorum hominum animi in officio sisti & contineri potuerunt, quin in noua studia & factiones erumperent. quippe intellecta Principis morte, nulla ratione vel cura de ipsius successore vel posteritate habita, illi qui dudum conquieuerant, & ab vrbe exularant, ostensa noua tumultuandi occasione, agminatim in vrbem ipsam quotidiè confluebant, ac per omnes vrbis regiones & compita, constitutis conciliabulis, res nouas ita moliebantur, vt optimus quisque valdè sibi metueret, & facilè præsentiret, horum studia & vigilias in perniciem publicam aliquandò euasuras. Ceterùm, cùm in tanta ac infinita propemodum omnium multitudine difficile sit, ac etiam superuacaneum, omnes nominatim recensere, qui sese nouis turbis excitandis patronos præbuêre, vnum atque alterum proferam, quos, vt antesignanos, reliquis consilio & auctoritate antecelluisse accepimus. Horum primus omnium iudicio fuisse videtur Ioannes Baptista Guarcus, qui statim nunciata Galeacij morte, ad nouam spem erectus, iugiter aduigilabat, ne aliquam bene gerendæ rei opportunitatem prætermitteret, ideoque cùm intelligeret, aliquot copias Mediolano firmandæ Genuæ gratia à demortui Principis successore transmitti, his confestim magna cum alacritate aliquot agrestium & indigenarum manu constipatus, circa initium anni eiusdem æui septimi ac septuagesimi, obuiam processit, & tanta cum animi corporisq. præsentia ac robore cum illis congressus est, vt multis desideratis, omnes quotquot erant, in fugam coniecerit, & magna cum illorum ignominia dissipauerit. Hoc eius audax facinus licet à nonnullis improbaretur, & meritò reprehenderetur, tamen quãplurimis animos fecit, & ad excitandos nouos motus ita planè concitauit, vt, abrogata omni legum atque ordinum reuerentia, palàm & liberè Prætoris edictis reluctarentur, & illi passim in quotidianis congressibus ac sermonibus obloquerẽtur, eo tamen euen-

Genua nouis motibus inuoluitur.

Ioannes Baptista Guarcus primus nouarum rerum cõcitor, pro libertate recuperãda.

1477.

tu, vt præter verba & voces, vt dicitur, nihil in ipsa ciuitate attentatum fuerit, quod damno ciues afficeret. In bonam interim spem erecta plebe, ardentissimis animis præcipui factionum auctores in vrbe ipsa à plerisque expectabantur. Nec enim erat ignotum, Carolum Adurnium Prosperi fratrem, cum non pœnitenda manu in vallé Pulciferam non procul à ciuitatis cõspectu descendisse, atque omnibus hortationibus & consiliis suos clientes & amicos ad defectionem & pristinæ libertatis recuperationem solicitare. Ipse enim, multò flagrãtiùs reliquis, Reip. conuersionem exoptabat, & eo nomine Sfortiis erat iniquior, quòd frater eius in arce Cremonensi à Galeacio filio captiuus distineretur, potissimùm quòd hic solus, ceteris omnibus statim ab eius patris obitu è vinculis liberatis, & pristinæ libertati restitutis, cum magna Adurniorum indignatione in dura compede retineretur. Fliscorum etiam clientes, ac municipes, mortuo Galeacio, sponte ad Rẽcum oppidum cateruatim conuenerant, vt illius arcem è Mediolanensium potestate eriperent; rati, se hoc modo sibi inflictas iniurias aliqua ex parte vlturos. Cumque Obiectus Fliscus, ad declinandum quotidianas iniurias, aliaque incommoda & detrimenta, quibus subinde ab ipso Sfortia afficiebatur, sese Romam contulisset, ibique, ceu in tranquillissimo secessu, aliquamdiu permaneret, Fliscæ familiæ clientes sibi in ea expeditione ducem studiosè quærẽtes, Ioannem Georgium Fliscum, qui Genuæ remanserat, per crebros internuncios solicitarunt, vt eius opera vti possent, adeò medius-fidius, vt omnia nutarent, & mutationem non obscurè minarentur, breuique post, etiam partibus illorum accedente Matthæo Fliscõ, viro ætate matura, ac multa rerum experientia prædito, contineri non potuerũt, quin quamprimùm cũ iis, quas habebant, copiis rectà Genuam contenderent, eo consilio, vt repentino motu vrbis Prætorem, exiguis viribus tunc temporis instructum, quasi imparatum, & ad resistẽdum imparem, fortiter adorirentur atque inuaderent. Mense itaque Martio, concubia nocte, summo cum silentio Georgius Fliscus suos ad vrbis mœnia ea parte mouit, quà Carinianum versus exporrigitur: & celeriter admotis scalis, magnaque cum dexteritate & corporum agilitate conscensis nauibus, ex suis quadraginta armatos, quos ex toto numero promptiores delegerat, in vrbem posuit, eo quidem animi decreto, vt portam, vulgò Nuntiatam dictam, occuparent, & per hanc reliquum agmen paululùm à tergo relictum, tutò introduceret, néue maiori hostium numero & multitudine circũueniretur, præsertim cùm non ignorarent, Matthæum Fliscum, vnà cum aliis suæ factionis viris, in vrbem receptum, qui tamen ad repentinam & inopinatam Fliscí irruptionem metu ac trepidatione consternatus, eueſtigiò terga cum suis vertit, & sese in curiam, vnde venerat, proripuit. Fliscus attamen insidias veritus, tametsi nullum haberet obuium hostem, qui ipsum remoraretur, progredi vlterius noluit; sed subinde alta voce populum ad libertatem cohortans, & ad defectionem excitans, eam noctem variis gyris atque discursionibus, nulla plebis accessione auctus, insomnem transegit. Hinc videre & notare licet plebis inconstantiam, & præsertim Genuensis miram naturam atq. pertinaciam, quæ nunquam, vel rarò aliquam in Repub. conuersionem fecit, nisi ducem popularem secuta, cuius scilicet auspiciis & arma sumerent, & hæc eadem eiusdẽ arbitrio deponerent: ita vt nõ mirum sit, in tam ampla ciuitate miras inter ipsam nobilitatem, & populares, factiones & controuersias extitisse, cùm rarò in vnis iisdemq. studiis vtriusq. partis animi coaluerint. Ceterùm, Matthæus prima luce vbi sese ab omnibus, exceptis paucis plebeis & clientibus, derelictum animaduertit, periculi magnitudinem veritus, vrbem egredi statuit. At Petrus

Georgij Fliſci ſublimes, at inanes conatus.

Auria,

Auria, Ducali administrationi grauis ac præpotens aduersarius, rerũ præsentium statum penitiùs considerans, se illi adiunxit, multisque demonstratis rationibus, illi persuasit, vt in sententia constanter permaneret: eaque de causa pleriq. ciuium existimabant, Auriorum familiam vnanimi consensione contra Sfortianos conspiraſſe, & iam arma tacitè corripuisse: multique horum auctoritate inflexi, sese Matthæo, eiusque sociis agglomerantes, suum studium atque operam pollicebantur, adeò vt, impetu in publicum palatium facto, ea parte, qua D. Laurentij templo contiguum est, acriter oppugnaretur, tametsi Præfectus vrbis pro suo præsidio ibi mille ferè circumforaneos milites constituisset. Ipse tamẽ parum spei & salutis in hoc præsidio, licet valido, reponens, clanculum cum suis copiis, se, non absque magno vitæ suæ periculo, in arcem subduxit. Vagabantur namque milites agminatim indistinctis ordinibus per totam ciuitatem, &, vt quemque fors vel casus alteri adiunxerat, in societate tantisper perseuerabat, donec aliquod facinus perpetrarent, vel fortiter audendo concidérent. Vrbana etiam multitudo magno animi concitata furore & impetu, pari modo discurrebat, & parum aberat, quin ipsum Prætorem, anxiè & trepidè sese, vti diximus, in arcem recipientem, in itinere lapidibus obrutum, suffocarent. Prætorium ipsum, milite præsidiario pedetentim destitutum, vltimò miserè direptum fuit, nullaq. habita Prætoris, vel aliorum consiliariorum, reuerentia, illorum supellex, & quicquid fuit præsentium fortunarum, direptum: eoque militaris illa & seditiosorum licentia progressa est, vt parum abfuerit, quin eodem fato vniuersa vrbs diriperetur, cùm nullus foret, qui sese tanto furori opponere auderet: tantaque animorum varietate in ipsa vrbe passim dimicabatur, vt nonnulli de conseruanda Repub. ab vltimo exitio rationes inire ausi, mirum in modum periclitati sint: tanta siquidem erat concitatæ plebis rabies, vt nullis consiliis inflecti, vel aliqua necessitate persuaderi potuerit, vt Reipub. administratio alicui patricij generis committeretur. Proinde in summa rerum omnium perturbatione ac metu quàm diutissimè ciuitas vixit. Tandem ad euitandum maiora pericula, quæ manifestè impendére videbantur, ex vnanimi omnium Ordinum voluntate decretum & statutum est, vt Oligarchia, id est, administratio vnicuique communis, tantisper permitteretur, quoad meliori Reipub. fortuna, politica gubernatio ad meliorem formam deuocaretur. Ceterùm Fliſci nondum ab armis decesserant, ideoque facilè impetrarunt, vt, suffragante reliquorum nobilium consensu, Matthæus & Carolus, eadem familia oriundi, vrbis supremum Magistratum, vnà cum Octouiratu popular tantisper gererent & administrarent, quoad Obiectus Fliſcus, qui Roma indies expectabatur, Genuam reuertisset. Et ne reliquæ nobilitati, tantis nobilibus viris præteritis, fraudi esset, si in hanc vnam Fliſcorum gentem præcipuus ciuitatis honor deriuaretur, Ceuam Auriam & Hieronymum Grimaldum allegere iis placuit: quo sanè factum est, vt, post exiguum temporis interuallum, præcipui factionum principes, qui hactenus vrbe abfuerant, postliminiò reuerterentur: inter quos, Obiectus ipse auctoritate ceteris præstabat, qui, Galeacij defuncti vim & potentiam deuitans, diu in diuersis Italiæ locis errabundus delituerat: sed Genuam reuerso tantus honor, & solidi gaudij ab omnibus ordinibus exhibita fuerunt testimonia, vt post multas congratulationes, & amplexus, in locum prædictorum Matthæi & Caroli omnium voluntate subrogatus fuerit. Hic ciuitatis rerumque status & conditio, etiam Fulgosios, & in primis quidem Paulum Archiepiscopum, Thomam, & Ioannẽ Galeacium, in vrbem reduxit, nec ita multo post, Carolus & Ioannes Adurnij, haud procul à D. Benigni cœnobio cum

Noui motus in vrbe.

Prætorium à plebe direptũ, & vniuersa ciuitas grauissimo discrimini obnoxia.

ſuis adfuêre, eo animo, vt rei exitum præſtolarentur. quorum certè præſentia, cùm rerum vrbanarum ſtatus nondum compoſitus eſſet, & etiam arx ipſa validis Sfortianorum præſidiis teneretur, tota ciuitas valdè conturbata fuit, ſic vt res eodem, vel etiam peiori, quàm antea, loco eſſent. Exaggerabant timorem, & ſtultæ ac credulæ plebis periculi opinionem varij & aſſidui nuncij, qui ex Inſubria commeantes, ſeriò aſſeuerabant, Galeacium, nouum Principem, recèns in paterno Principatu ſtabilitum, magnum conſcripſiſſe exercitum, eumque iam in conſpectu eſſe, quò Genuenſ. Reip. dominium, paucorum ſcelere & temeritate in parte amiſſum, recuperaret, atq. armis vindicaret. Et erat omninò veriſimile, tam potentem Principem, ſuapte natura ambitioſum, & iniuriarum impatientem, non commiſſurum, quin acceptam ignominiam armorum vi vlciſceretur. Quod vt etiam cordatiores crederent, efficiebant continui æneorum machinarum ictus ex ipſa arce in ſubiectam vrbem tanta vi & impetu contorti & dimiſſi, vt multas ædes ac ædificia publica, magna cum ruina proſternerent, & nutantibus tectis fatiſcerent; nec abſtinebant arcis defenſores ab excurſionibus, aliiſque velitationibus, quibus ſubinde oppidanos imparatos, vel ſaltem impares, miſerè diuexabant, & magna ſtrage edita, in arcem, ceu in tutiſſimum effugium, ſeſe gestientes recipiebant, adeò me herclè, vt vix in ipſa vrbe relinqueretur locus vllus, qui ab inſidiis, & præſidiariorum iniuriis tutus & ſecurus foret. Proinde ciuibus, tantis difficultatibus laborantibus, totq. incõmodis afflictis, vna ſalutis ſpes in eo potiſſimùm viſa eſt conſiſtere, quòd propter factionum principum paucitatem & abſentiam, rariùs in ciuitate tumultuaretur: nam alioquin in tanta diuerſarum factionum diſtractione & inteſtinis malis, ipſa vrbs aliquã inſignem cladem perpeſſa eſſet. Ceterùm ad declinandum maiores impendentes calamitates, Reipub. Præfecti ſtatuerant, vt Fulgoſij, qui tunc ampliſſimam factionem fouebant, vrbe excederent, ita vt hac tumultuandi anſa ſublata, ciues, Ducalem potentiam veriti, ciuiles & priſtinas contentiones nonnihil remitterent. Cùm verò interea, Galeacius ſerias ad Genuenſ. bellum inferendum cogitationes ſuas contuliſſet, paſſim in variis Galliæ Ciſalpinæ locis militares delectus habebãtur, breuiq́ue exacto tempore, conſcripto & contracto præpotenti exercitu, omnibus cœpit eſſe formidabilis. Et quoniam Robertus Sanſeuerinus, ſuperioribus bellis magnum induſtriæ ſuæ atque militaris diſciplinæ ſpecimen dederat, ita vt hoc etiam nomine, prẹter natalium ſplendorem, ac reliquas animi corporiſque dotes, in magna laude & exiſtimatione apud omnes eſſet, nouus Princeps dignum illum iudicauit, vt ſub eius auſpiciis atque ductu hoc bellum conficeretur. Et quò illa expeditio eſſet ſpecioſior, maioremque ſui apud omnes opinionem excitaret, Ludouicum & Octauianum fratres ſuos, tanquam ſub tanto duce militiæ tyrocinium poſituros, illi coniunxit. Porrò cùm Genuenſis populi natura ita eſſet cognita, vt neminem latêret, eius potentiã nulla ratione magis imminui & labefactari ſolere, quàm mutuis diſſidiis & inteſtinis contentionibus, quærebatur inter eos gladius, quo ſe ipſi iugularent & inuicem conficerent. Quarè, cum magna calliditate in perniciem Liguſtici nominis, Proſperum Adurnium, recèns vinculis extractum & liberatũ, cum Fulgoſiis & Fliſcis magna & perpetua emulatione decertantem, noui Principis nomine, Genuæ Præſidem dare multis de cauſis expedire, Ducis cõſiliariis viſum eſt: qua re peracta, Sanſeuerinus imperator, cum toto ſuo exercitu, citra dilationem ſubſecutus eſt. Quæ noua labefactandæ vrbis excogitata ratio, multum incrementi & ſubſidij Sfortianis attulit. Quippè contrariarum factionum principes & ſequaces, ſummoperè veriti, ne

Galeacius Sfortia Genuenſ. bellum infert.

Adurnij

Adurnij auctoritate ac potentia subnixi, despectis ceteris ordinibus, ipsi suprema cum potestate dominarentur, magna indignatione commoti, nouas in vrbe excitauêre turbas, quæ nisi Senatus consilio & auctoritate, oppressæ & restinctæ fuissent, verendum iterum de excidio vrbis, vel saltem multa sanguinis effusione fuisset. Sed huius diligentia & prudentia factum fuit, vt hostiles conatus omnes anteuerterentur, & imminentis belli periculum à ceruicibus populi coërceretur. Florentissimus exercitus Principis Mediolanēsis iuxta Genuam.

Ceterùm Sfortianus exercitus tam longè processerat, vt non ita procul à ciuitatis cōspectu iam abesset, & magna militari licentia suburbanus ager vastaretur. Erat quippè ipse exercitus Ducum præstantia, copiarum numero, & militum singulari corporis constitutione, & animorum alacritate per se pulcher & formidabilis; siquidem vltra duos, quos diximus, Ducis fratres, multi & magnanimi Duces, Insubriæque proceres huic militiæ in gratiam noui Principis nomen dederant; inter quos, natalium splendore, & fortunarum amplitudine ceteros anteibant Iacobus Triuultius, ex antiqua Comitum Triuultiorum stirpe oriundus, Ioannes Palauicinus, nuper Genuæ Præses, & Donatus de Comitibus, rei bellicę elogio clarus, vtpote qui ordines magna cum sua laude antè sæpiùs duxerat, & præter hos, magna nobilium Mediolanensium frequentia, qui omnes ad promerendam iuuenis Principis gratiam primam eius expeditionem condecorare & nobilitare sua præsentia voluerant. Marchio etiam Montisferrati, & plerique Spinulæ familiæ, qui ad ea ferè tempora ab vrbe exulabant, aliquot subsidiarias alas ex clientibus & municipibus suis conscriptas, in Principis subsidium adduxerant. Interim oppidani, quia superioribus annis non semel in Gallum, subinde Liguriam diuexantem, prosperè militem eduxerant, & arma expediuerant, felicis successus recordatione & memoria illecti, pari cum audacia & animi robore decreuerāt, Sfortianum exercitum, opportunitate locorum confisi, non solùm morari, & transitu prohibere; verùm, per insidias ex montanorum locorum sinuosis anfractibus inuadere. Sed cùm nullo veterano, vel externo milite iuuarentur, negotium illis infeliciter cessit, præsertim cùm & numero & viribus longè inferiores essent. Accedebat huc, quòd à tergo, in ipsa scilicet vrbe, vltra duo millia armatorum ad illius tutamen relicta forent. Et quamuis Genuæ totius beli, & defensionis contra Sfortianos cura, præcipuè Obiecti Fliſci auctoritate & industria niteretur, cuius virtute, & rerum agendarum peritia, ac fide, salus publica tunc potissimùm consistebat, tamen magna cum omnium ciuium consensione constitutum fuit, vt, ad refrenandam Adurniorum potentiam, & factionis studium inhibendum, Paulus Fulgosius, aliique eius ordinis & classis viri in vrbem reciperentur. Intereà tamen, Obiectus Fliſcus, nuntiato hostilis exercitus aduentu, citra aliquam moram ad præoccupandum Castelleti propugnaculum, quod tunc modicis adhuc arcis præsidiis tenebatur, sese transtulit, vt, eo videlicet præoccupato, hostem aditu commodiùs arceret & excluderet: reque illa feliciter attentata, & ex sententia confecta, necnon aliquot aliis leuioris momenti munimentis receptis, magna copiarum parte, quæ partim oppidanis, partim auxiliario milite constabant, in Sfortianos, qui iam, superatis montibus, in vallem Pulciferam descenderant, castra perduxit. E contrà verò, Prosper Adurnius, qui primum hostile agmen ducebat, ex ea valle vsque ad mare varias excursiones fecerat, parique diligentia superioribus noctibus Carolus eius frater, vt arcis præsidiarios tutiores redderet, & maiorem communicandi consilij rationem iniret, in arcem clàm perrexerat, eumque ea de causa, qui eius partes sequebantur, antea secretò conuenerant. Dum hæc eo, quo diximus, modo vtrimque agerentur, Se-

natus ad nouum creatum Pontificem legationem decreuit, in cuius gratiam cùm Benedictus Spinula duas triremes, menstruo stipendio Reipublicæ elocasset, fortè accidit, vt, cùm iam omnibus necessariis ad velificandum ad anchoram extra portum instructæ & paratæ starent, & Præfectus ipsos Oratores præstolaretur, de hostilis Sfortianorum exercitus ad vrbem properantis aduentu certior factus & præmonitus, confestim subductis anchoris validissimo remige petita vrbe, in portum delatus sit, & pari cum diligentia, cum totidem triremibus à Philippo Lomellino allaboratum & occursum est, eo sanè consilio, vt hostes vrbis aditu arceret, & omnem illorum vim, si fieri posset, prohiberet: tantaque temporis opportunitate hostium conatus præuenisse dicitur, vt illius potissimùm opera hostiles cohortes in prima acie consistentes, vsque ad cœnobium D. Andreæ in Sextro, vbi castra habebant, animosè repellerentur, tanta me herculè cum omnium consternatione, vt omnẽ naualem classem contra se instructam & productam crederent. Cùm enim propter ingruentem noctẽ aduersos montes vndiquaque ignibus & armorum fulgore collucêre & coruscare animaduerterent, ad minimam suspicionem trepidi, vsque adeò animis conciderant, vt, mutatis castris, sese intempesta nocte per inuia & abrupta excelsorum montium iuga in tutum subducere statuerent. Sed, propter impedimenta, solùm vallis Pulciferæ traiecto flumine, in ea planitie pernoctarunt. Ligures, intellecta hostium fuga, summa celeritate in Promontorij iugo, qua hostibus transeundum erat, oppositis aliquot præaltis aggeribus, & viarum angustiis, vel præstructis, vel præoccupatis, sua castra collocarunt; ideoque Ioannes Baptista Guarcus, suæ factionis Princeps, qui recèns aliquot indigenarum & agrestium manum collegerat, opportuno tempore accurrit, & omni studio Sfortianos aduersum collem transmittere conatos, ascensu prohibuit. Aduersarij, ne vlla in re sibi deesse viderentur, Carolum Adurnium cum aliis copiis in arcem remisere tant, ea potissimum de causa, vt diligenter & cautè exploraret, num ex aliqua parte aliquid noui in oppidanos moliri posset. Verùm, Obiectus omni diligentia inimicorum studia anteuertens, quò hosti aditum præcluderet, in omnibus locis ita vias præstruxerat & communiuerat, vt illum ad certamen compelleret. Videbat enim, totius belli aleam potissimum in vnius prœlij successu consistere. Itaq; hoste ad prœliandi necessitatem compulso, cõflictus finis is tandem fuit, vt Sfortiani summa vi aduersos montes emensi, & in illorum summitatibus multitudine aucti, illam ciuitatis partem facilè premere & inuadere potuissent, quæ illis collibus ex diametro opposita est: sed Obiecti diligentia & oppidanorũ frequentia factum fuit, vt Sfortianorum conatus reprimerentur, & cum magna festinatione pedem referre coacti sint, relictis ibi, & amissis quadraginta ferè instrumentis bellicis, extruendis aggeribus maximè idoneis, quæ ipsi vernaculo idiomate Targonos vocabant, tanto mediusfidius cum illorum periculo, vt, nisi alacritate Donati de Comitibus pedestrium copiarum strenuissimi Ducis, in officio retenti fuissent, haud dubiè vniuersi, propter lassitudinem & locorum asperitatem in fugam sese vertissent. Nec minori cum ardore & iudicij maturitate illos confirmabat & adiuuabat Sanseuerinus, qui longo vsu didicerat pro temporum locorumq. conditione circumspectè pugnare. Proinde cùm videret suos in magna angustia versari, auctor extitit, vt, ad euitandum maius periculum, omnes cataphracti equis desilirent: Siquidem, licet hoc pacto minus expediti essent, tamen multò melius atque securius sese à maioribus machinis bellicis subducere atque tueri poterant. Et quia ad collis verticem propter loci iniquitatem euadere non

Sfortianorũ clades.

non poterant, recenti Gallorum exemplo, confestim retrocesserunt. Cuius certaminis successum vt primum fama diuulgauit, intellectumque est Obiecti copias à Carolo Adurnio profligatas, & portam, vulgò D. Thomæ, à victrici agmine occupatam esse, Sfortiani, metu ac pauore in audaciã conuerso, ac certamine instaurato, Genuenses trepidos & consternatos eò impulêre, vt actutum sese, relictis primis stationibus, in alios montes reciperent. Ceterùm, præfectis Sfortiani exercitus minimè visum est, licet certus fermè aditus in vrbem patêret, vt eo itinere & vrbis tractu victoriam prosequerentur: quin potius, multò satius esse duxerunt, vt, parte copiarum reficiendis corporibus extra vrbem relicta, Prosper Adurnius cũ clientibus & sociis, quos partim in vrbe, partim foris habebat, prius in ciuitatem periclitandorum ciuium gratia introiret, sicuti strenuè ab eo factum est, Adurnij, & Spinularum nomine sæpius inclamato, seueriter edicto, ne alicuius alterius factionis nomen eo tempore proclamaretur, rati Sfortiacum nomen passim ciuibus inuisum esse. Adurnius itaque ciuitatem ingressus, per omnia compita & regiones circumuagatus, aduersarios, illorumque duces palantes & vagabundos animosè insequebatur, & inquirebat: maior tamen patricij ordinis pars sese ex hostium conspectu subduxerat, inter quos, Fliscus se summa cum celeritate mutato habitu in sua prædia receperat. Adurnius, his rebus prosperè ac feliciter gestis, nullo sese illi opponente, in prætorium rectà cum frequenti totius plebis concomitatu & multitudine contendit, tantoque applausu & concursu à promiscua plebe exceptus fuit, vt parum abfuerit, quin à congratulante turba opprimeretur, ac breui pòst, Principes Mediolanenses, vnà cum Sanseuerinate exercitus Imperatore, aliisq. nobilibus, subsequente toto exercitu, citra aliquam moram vel strepitum, vrbem ingressi sunt, in primisque procuratum, vt, coacto Senatu, aliisque ordinibus in curiam vocatis, noua Reip. forma instituueretur. Interim ipsi Adurnio, Galeacij Principis nomine supremus Magistratus concessus & demandatus fuit, qui eiusdem nomine conscripto edicto, omnibus qui contra suum Principem arma tulerant, veniam & impunitatem pollicebatur. Quibus peractis, antequam Senatum dimitteret, prolixam brationem habuit, qua, inter cætera, multa in laudem noui principis, & aliorum eius administrorum dixit, planeq. ostendit, quàm egregia Galeacius nouus Princeps in Genuenses voluntate esset. Quocirca omnes adhortabatur, vt sub tam benigni atque potentis Principis imperio constanter debitum obsequium atq. fidem præstarent & retinerent. Ita dimisso Senatu, singulari studio aduigilatum fuit, vt, creato Magistratu quem vulgò Baliæ vocabant, militi stipendia soluerentur, quò, iis persolutis, & centurionibus sex millium aureorum congiario donatis, Ligusticus ager à nouo & externo milite tandem liberari posset. Quæ deinceps, post Ligusticæ ditionis recuperationem per Insubriæ Principem factam, subsecuta sint, proximo libro, Deo auspice, quàm fidelissimè enarrabimus.

Princeps Mediolan. Adurnioru opera Genuam recuperat, eiq; Prosper Adurnius præficitur.

LIBER XV.

SVPERIORI libro satis apertè demonstratum esse arbitror, quibus artibus, quibúsue de causis Reipub. Genuensis status in Mediolanensium Ducum potestatẽ deuenerit, & quamobrem ipsi paulò pòst eodem exciderint. Nunc reliquum est, vt enarremus deinceps, quanta cura & diligẽtia ab ipsis Insubriæ Principibus Ligusticum imperium, opera & industria potissimum 1477.

Prosperi Adurnij Patricij ordinis viri, recuperatum, quò illud sartum tectum, vt dicitur, retinerent & tuerentur, aduigilatum sit. Statim igitur post eius recuperationem, quò sese firmius in eo communirent, nihil habuêre antiquius, vel magis in votis, quàm præteriti belli reliquias, hinc inde, nullis ordinibus in Ligustico agro dispersas, & errantes, diligenter inquirere, ac penitus extinguere; præsertim quòd nũtiatum esset, Obiectum Fliscum, cum plerisq. suis amicis & clientibus, atque aliis Ligustico nomini patrocinantibus, circa Sauinionem, oppidum inter Valles Apennini positũ, ita vires reparasse, vt, instar iusti exercitus, supra quinq. armatorum millia coëgisset, & in promptu haberet, eo animo & cõsilio, vt communem patriam externo Principi rursus subiectam, prorsus pristinæ libertati restitueret, vel, si hoc assequi nequiret, saltem illi Reipub. administrationem impediret, satis amplam bene gerendæ rei occasionem ex viarum angustiis, vt ipse existimabat, nactus. De prospero igitur rerum successu non desperans, Insubrum copias in arctis istis Liguriæ, & præfocatis itinerum faucibus præstolabatur, & diligenter obseruabat. Qua certè in re ne aliqua imprudentia peccasse putaretur, quàm plurimos sui nominis studiosos in Pocifera valle reliquerat, vt hostem ipsum, si ita temporis occasio ferret, à tergo inuaderet, ac ita à duabus diuersis partibus aggressum, ad internecionem, cum perpetuæ gloriæ fama, deleret. At, cùm Baptistam Guarcum, antea in Flisci sententiam pellectum, sui instituti ac initi fœderis iam nescio qua instabilitate ingenij pœniteret, ipsumq. in medio rerum bene gerendarum cursu turpiter, ac non citra perfidiæ notam desereret, res longè aliter, quàm Obiectus ipse, ac reliqui Insubrici nominis aduersarij æstimabant, cecidit. Quandoquidem Fliscus cum omnibus suis copiis, ab hostibus rectà aduersus Genuenses atq. Insubres, præter spem & expectationẽ validissimo robore, insperatisque viribus contendentibus, in fugam coniectus est, adeò vt per varios anfractus & calles montium atque vallium sibi salutem parare necessarium habuerit. In quà quidem difficultate, Ligures locorum peritiores, hoc assecuti sunt, vt ab ignoto & externo hoste non ita facilè possent assequi, sed pedum beneficio & velocitate elaberentur, eo quidem successu, vt, postquam palantes & errabũdi per diuersarum viarum tractus in vnum coiuissent, tandem sub vexillis ac sui Ducis imperio, Sauinionem & Montegium incolumes deuenerint. Verùm enimuerò, Sfortiani, benignitate fortunæ, & tam felici rerum euentu insolentiores ac ferociores facti, multò sibi maiora animis præsumentes, ne quid segnitie, vel hæsitatione, aliqua in parte peccarent, progredi statuerunt, ac eò necessitatis, quòd viribus longè essent superiores, Obiectum Fliscum adegerunt, vt ipse summa necessitate adductus, cum eis transegerit, & inter reliquas transactionis conditiones, concederet, ac permitteret, vt Montegium ipsum, maximi alioquin nominis & momenti oppidum, deditione facta, in eorum manus ac potestatem deueniret. Insubres, tametsi tam honesta transactione poterant iure esse contẽti, tamen, vt solet plerumque in rebus secundis fieri, vt spiritus longè excellétiores, quàm humana ingenia deceat, geramus, ad speciẽ maioris securitatis (cùm reuera gloriæ incremẽta quærerentur) voluêre, vt Fliscus ipse Mediolanũ tacito triumpho reseruatus, vnà secum abduceretur, ea tamen interim cautione, & fide data, vt, vbi Mediolanum appulisset, statim illi liberum esset in patriam pro arbitrio suo redire. Ceterùm, huic bello vix dum cum summa difficultate, fine imposito, ac valde exiguo respirandi Reip. tempore concesso, inter Principes Insubriæ, atq. alios lectissimæ nobilitatis viros, grauissimæ exortæ sunt dissensiones: quæ certè Genuensis populi statum magnis periculis & innumeris incommodis inuoluêre: Si-

re: Siquidem cùm Insubriæ Principatus, ob diuersorum Principum factiones & studia in duas quodammodò partes diuideretur, Bona Galeacij Principis mater, cum Cicho Simoneta suo secretario ex Calabria oriundo, ac sollertis ingenij viro, & in politicis rebus apprimè versato, summis viribus annitebatur, vt ipsi soli, exclusis Ludouico, Ascanio, aliisque demortui Principis fratribus, rerum potirentur. Verùm habebant hi qui sibi patrocinarentur; in primis verò Robertum Sanseuerinatem, Donatum de Comitibus, ac alios veteranarum cohortium aliarumq. præsidiariarum copiarum præfectos & centuriones, quibus, præter ceteras legitimas causas, ipsius Cichi amplitudo & dignitas inuisa ac supra modũ intolerabilis erat, ita vt cùm inter eos, propter regni & imperij contentionem, indies maiores suspiciones atque odia erumperent, Donatus ex mandato in vincula cõijceretur. quamobrẽ eius confœderati mirum in modum exterriti, ne ipse scilicet communicata consilia proderet, nulla mora interposita, Mediolano, quòd tantæ Principali potentiæ impares essent, clàm sese subduxêre: in qua fuga Octauianus, vnus ex fratribus Sfortianis, cùm Athesim fluuiũ transmittere vult, fatali casu in amnem delapsus, eiusque vorticibus absorptus interiit. Alij eius comites vnà cum Sanseuerinate diu variis in locis vagabundi, incertis sedibus oberrarunt; quorum quidem fatalis fugæ socius & comes indiuiduus erat Obiectus Fliscus, proximè à nobis nominatus. Ipse nimirum Mediolanum abductus, ibi tantisper hæsit, donec horum studiis addictus, vnà cum ceteris aufugeret. Sed tandem cognitus, & comprehensus, Mediolanum retractus fuit. Huius tanti viri infortunium multos egregios ac præclaros viros torsit, & Ioannem Aloysium eius fratrem, qui in finibus Genuensium remanserat, ingenti mærore affecit, ita vt ipse cum ceteris omnes consilij rationes iniret, quibus illum à præsenti mortis periculo eriperet, ac tantis molestiis liberaret. Quod cùm neutiquam Mediolanensium Principem eiusque consiliarios latêret, necessarium esse existimarunt, vt ad reprimenda noua studia, aliquot peditum & equitum copiæ conscriberentur. Coactis itaque ferè duobus peditum millibus, & vna equitum ala, Ioannem Palauicinum, toti isti expeditioni ex Principis iussu præposuêre, qui confestim Genuam profectus, tantum metum Aloysio eiusque sociis iniecit, vt, consopitis omnibus seditionibus, quòd sese longè imparem esse intelligeret, paciscì cum Insubricis præfectis non abnuerit: & tandem restitutis ijs oppidis & locis, quæ in his suis motibus occupauerat, cum Galeacio in gratiam rediit. Interim Adurnius in haud leuem apud Mediolanensium Principes suspicionem deuenerat, ipsum videlicet clàm Aloysio fauisse, eo consilio, vt ei suam filiam, iam ferè nubilem, in vxorem daret. Proinde illius æmuli tantæ eius prosperitati & felici rerum successui inuidentes, omnes rationes & consilia explicabant, quò illum præfectura cum nouæ dignitatis incremento exuerẽt. Verùm ne hæc sua consilia, & initæ contra ipsum rationes aliquo modo detegerentur, magis opportunam conficiendi negotij occasionem, ex aliarum rerum oblata ansa quærebant, præsertim cùm ipse Aloysius haud multo pòst, Finarij reguli sororem, quæ tamen ex sorore ipsius Adurnij nata fuerat, in matrimonium eloccasset. His ferè temporibus, Thomas Fulgosius, matre Corsa natus, cùm pro veteri familiæ suæ instituto, gloriæ cupiditate, & rerum nouandarum studio deflagraret, enixè operam dabat, vt Corsicam insulam, auctoritate Georgiani Magistratus superioribus annis ab Sfortianorum imperio ad Fulgosiæ gentis protectionem & patrocinium translatam, à pristina obedientia & Reip. Genuensis obsequio abduceret, eo (vt narrant) animo, quò eam priuati sui iuris faceret, magna

Octauiani Sfortiæ miserabilis interitus.

Thomas Fulgosius Corsicam in suam potestatem redigere conatur.

ad hoc

ad hoc bene gerendæ rei spe & opportunitate illectus. Nam vltra animi calliditatem, alias artes, quibus erat à natura instructus, mirus erat ingendorum sibi hominum artifex; habebatque præterea in illa insula magnas clientelas & affinitates, quibus fretus, in oris maritimis validam manum iusti exercitus haud parum dissimilem, recèns conscripserat. Ceterùm Insubrij magnam hac de causa indignationem præ se ferentes, magnumque dolorem, quòd Respub. detrimentum cœpisset, simulantes, actutum Ambrosium Langascum cum duobus lectissimorum virorum millibus Genuam misêre, moxque siue solita inconstantia, siue aliarum rerum occasione commoti, tempus inidoneum gerendi belli causati, ab ea expeditione supersederi iussêre. At quibus ea prouincia demandata fuit, non commiserunt, quin ad refrenandam Fulgosij temeritatẽ, eucstigiò quatuor triremes, aliquotque Liburnicas, milite omnibusque rebus necessariis instructas, in Corsicam mitterent, conniuente mira cum astutia Prospero, qui totius negotij institutum scopum animo perceperat, ac quorsum euaderet, non ignorabat. Ipse tamen inter hæc variis in locis magna indulgentia alebat militum Sfortianorum licentiam, & plus quàm barbaricam inhumanitatem. Nam impunè non solùm totius oræ maritimæ, tam orientalis quàm occidentalis tractum, miserè cum grauissima omnium indignatione atque dispendio depopulabantur, verùm etiam in pleraque Fliscorum prædia atque latifundia, in quibus locum castris sibi delegerant, tam petulanter grassabantur, vt vel hoc nomine magna principibus ipsis apud omnes conflaretur indies indignatio, & immortale odium, eò magis, quòd recèns, nemine prohibẽte, Recum, Fliscorum municipium, diripuissent, & haud secus magnam calamitatem Clauaro & Moneliæ intulissent. In hac tam inusitata atque incredibili grassandi licentia & impunitate sub Sfortianis
1478. vsque ad annum eius sæculi duodeoctogesimum perseueratum est. Ceterùm, erumpente tandem Prosperi animo, ita vt diutius celari vel supprimi nequiret, constanti proposito ac matura deliberatione tandem constituit à Sfortiis Principibus desciscere & palàm illis aduersari. Verùm quòd hoc suum institutum plenum esset præsentis periculi, se operæpretium facturum existimabat, si omnia sua consilia ipsi Ferdinando Aragonio, Neapolitanorum regi, Insubriæ Principibus infensissimo hosti, detegeret, atque referaret. Proinde in huius rei gratiam, conquisita tamen alia occasione, Franciscum Spinulam, cuius fidei plurimum tribuebat, ad eum misit, qui suum animum in ipsum regem, atque adeò in totam Tarraconensium familiam propensionem & fidem declararet: isque multis indiciis ac testimoniis præ se tulit, se ex animo hanc opportunitatem complecti, atq. benignè recipere. Nam, præter eius antiquum & planè veteratum aduersus Mediolanenses odium, omnibus votis atque studiis cupiebat Florentinorum potentiam, qui recèns cum Venetis & Mediolanensibus fœdus contraxerãt, depressum & imminutum iri. Vbi igitur penes animum suum constituisset, Sfortianos Adurnij consiliis atque impulsu Reipub. dominatu deturbare atque excludere, magna cum diligentia ingentem pecuniæ vim, neruum scilicet subsequẽtis belli, expediuit; & paucis diebus interiectis, eam Genuam cum duabus nauibus rostratis transmisit. Ea res, licet sub magna silentij fide, & taciturnitate ageretur, nihilominus tamen, vt est in communi prouerbio, Principes longa brachia & amplas nares habere; totius rei successus Sfortianos minimè latuit. Quapropter, cùm res esset ardua, & eiusmodi, quæ vehementer ad suam existimationem pertineret, statim Antistitem Nouocomensem, Genuam sub priuata persona, atque ementito habitu, ea spe miserunt, vt ipse, ope atque auxilio aliquorum patricij ordinis,

ordinis, Sfortiano nomini fauentium, citra aliquas graues turbas Adurnium suprema dignitate spoliaret. Episcopus vbi primùm Genuam appulit, nulla interposita mora, Senatum, aliosque ordines partibus Mediolanensium addictos, in ædem D. Syri clanculum conuocat: habitaque breui, sed accommodata in commendationem sui Principis oratione, ostendit, Ducale diploma, quo anxiè contendebat, vt ipsi Adurnio communibus votis atq. suffragiis vrbis imperium abrogaretur, ac ipsemet illi succederet. Senatus, ceterique ad huius inexpectati diplomatis exhibitionem, & Principis postulata, non parum attoniti, variis super iisdem sententiis decertarunt. Nam etsi maior pars, præcipuè verò patricius ordo, in gratiam Sfortianorum magis in Antistitem propenderet, tamen cùm non inueniretur ratio, qua id commodè fieri posset, ceteri ab illis ea propter haud mediocriter dissentiebant. Proinde cùm noui motus timerentur, hi, qui pacis & quietis publicæ erant amantiores, & vtilitati Reipub. consulebant, magna iudicij grauitate censebant, vt citra strepitum ad remouendam omnem seditionis occasionem in curiam iretur, ibique Adurnius amanter rogaretur, vt se sua administratione vltrò abdicaret. Econtra nõ deerant, quibus multò satius videbatur, vt, accersitis aliquot ex arce præsidiariis militibus, id negotij Auriæ familiæ, populari auctoritate atque omnium ordinum fauore tum temporis mirificè florenti, exequendum committeretur. Porrò in tanta & tam diuersa animorũ distractione, missis nõnullis patriciis ad plebis animum pertentandum, perpaucos sanè inuenerunt, qui nouarum rerum cupidi non viderentur, ita certè, vt eo tempore valdè periculosum & difficile esset, plebis animos à Ducali administratione abhorrentes, præterito & abrogato Adurnio, ad Pręsulis fauorem inflectere. Inter quæ, Adurnius de præsenti rerum statu edoctus, veritus, ne paucorum factione & fauore, loco ac dignitate submoueretur, confestim quotquot habuit amicos atq. clientes, (quorum non exiguum ex populari factione numerum habebat) in palatium accersiuit, ac grauissimis verbis eis ostendit, Mediolanensium Principem, multorum nobilium suasu atq. instinctu permotum, constituisse, sibi magistratum abrogare, non alia ferè de causa, quàm quòd sese hactenus in Reip. administratione æquiorem popularibus exhibuisset. Quocirca enixè rogabat populum, vt retroactæ suæ vitæ & voluntatis rationem haberet. Quod si præstarent, se deinceps summa animi gratitudine & perpetua propensione tanti beneficij memoriam conseruaturum, adeò vt non dubitandum sit, quin vel hoc nomine eos sibi magis in posterum deuinciret. His ferè in hanc sententiam peroratis, eius oratio in illorum animis tam altas radices egit, vt magno clamore protinus sublato, ad uersus patricios, aliosque Sfortiani nominis studiosos arma expedirent, & variis excursionibus per compita ciuitatis factis, magna conturbatio subsequeretur. Non deerant etiam multi ciues, tam nobiles, quàm populares, qui multitudinis licentiam veriti, in fanum D. Syri conuenirent, ac de sua salute vehementer solliciti, non citra magnum vitæ discrimen tutas latebras & effugia quærerent, & in primis quidem Præsul ipse exspes, & animo valdè consternatus, cum plerisque suis sociis ac consiliariis summa cum celeritate se se in arcem subducebat. Verùm, vbi ille repentinus furor aliquantulum defer buisset, quorundam popularium, neutri parti adhærentium, ope ac studio procuratum est, vt sub noua gubernationis forma quies publica contineretur, designatis ad hoc ex populari factione sex ciuibus, qui sub Pacificatorum titulo administrationis prouinciam sustinerent. Quibus breui pòst, triginta ciuium popularium magistratus adiunctus est, illisque omnibus Adurnius, exclusis penitus Sfortianis, quorum nomine

Genua in varias partes ac studia distrahitur, ibiq; ad arma fit concursus.

prius

prius summæ rei præfuerat, Reip. nomine præpositus. Statutum etiam, vt nobilibus ad certum præstitutum tempus honores capere non liceret: sed eorum munia circa ærarium publicum & rationes expediendæ pecuniæ potissimum versarentur. quod cùm ipsi ægerrimè ferrent, & præsidiarius arcis miles subinde vrbem assiduis excursionibus inquietaret, in ea periculosissimi motus concitabantur, tanto me herclè cum totius ciuitatis tædio atque metu, vt, cùm cõtinuis nunciis indies confirmaretur, in Insubria nouos belli apparatus fieri, quibus oppidanorum tumultus & simultates tandẽ cohiberentur, multi in ciuitate fuerint, qui abitionem præpararent, ita certè, vt cùm laboranti & afflictæ ciuitati extremum periculum & planè excidium metueretur, summa cura & studio ab Adurnio ceterisque Reip. administrationi admotis, aduigilatum fuerit, vt hostilibus conatibus opportuno tempore obuiam iretur. Ac quò id facilius fieret, nouus decemuiralis Magistratus institutus est, qui Præfecti libertatis, ceu eiusdem vindices, propugnatores, & assertores vulgari & communi nomine dicebantur. Horum magna diligentia & cura ad salutem publicam propugnandum emicuit, vt nemini dubium fuerit, quin illorum potissimùm fide ac diligentia Reipub. salus & dignitas ea tempestate retenta sit. Ceterùm, ne interim Resp. aliquod damnũ à Sfortianis, qui iam manifestis armis timeri inceperant, acciperet, curæ ad res bellicas translatæ. Erat eo tempore Roberti Sanseuerinatis, qui Mediolano fuga elapsus, sese Astam, Galliæ Cisalpinæ oppidum, contulerat, in rebus militaribus virtus atque præstantia omnibus ita cognita atque perspecta, vt illum vnanimi voluntate atque consensu in suum Præfectum deposcerent, arbitrati, ipsum eò constantiorem & firmiorem in fide futurum, quò Galeacio Principi, eiusque fratribus tutoribus infensior esset. De huius igitur tanti Ducis fide simulque rerum bellicarum peritia confisi, in magnam spem attollebantur, se aduersariorum conatus ac vires repressuros. Huic itaque in vrbem conuocato, magno cum honore suprema hæc militiæ præfectura ab Adurnio, ceteriséque magistratibus commissa fuit. Ipse interea, ne tanto honore indignus, néue conceptam de se opinionem quoquo modo fallere videretur, statim post susceptam prouinciam, vniuersum populum in decurias pro numero regionum vrbis distributum, sub armis & sub vexillis comparere iussit, quo instructo, D. Syri delubrum adortus, vnà cum pluribus finitimis domibus, in quibus aliquot arcis præsidiarij sese communiuerant, occupauit & expugnauit. Opprimebatur siquidem eo tempore tota ciuitas horum paucorum viribus, qui bene gerendæ rei occasionem nacti, subinde excurrebant. Quocirca ipse necessarium iudicabat, hostem tam magna locorum opportunitate multare. Sed cùm id absque multarum ædium excidio, eiusque templi profanatione fieri nequiret, incredibilem multis, præsertim verò nobilioribus hæc res indignationem attulit. His rebus ita constitutis, ne Aragonius, Genuensium partibus deesse tempore tam necessario videretur, vltra illas duas, quas diximus, rostratas naues, sub eundem propè temporis tractum, ad huius expeditionis necessitatẽ septem triremes subsidio misit, iuxtaque ex regis consilio & hortatu Ludouicus Fulgosius, qui sæpè antea Principatum in vrbe gesserat, appulit ea mente, vt populares factiones sua auctoritate validius contra nobilitatem incitaret, adeò certè, vt statim post eius in ciuitatem aduentum, plerique omnis ordinis ciues variis de causis & suspicionibus, nulla cuiusquam ratione habita, vrbe cederent. Pontifex quoque, iure fœderis Ferdinando coniunctus, vt hac in parte ipsi regi officium suum exactis præstaret, oratorem suum Genuam ideò destinauit, vt ei expeditioni, quæ tunc

Decemuiralis Magistratus.

Robertus Sanseuerinus ab Adurnio vrbanæ militiæ præficitur.

opera

opera atque auctoritate Aragonij potissimùm fiebat, plus nominis & dignitatis conciliaret, & in eius Reipub. gratiam nihil penitùs ab ipso rege Aragonio vel sociis prætermittebatur. Tali statu rerum, Galeacius Princeps, comparato cum summo delectu ac diligentia instructissimo exercitu, ductu atque auspiciis fratris sui illegitimi, hanc in Genuenses expeditionem fieri & suscipi voluit. Habebat siquidem, vltra inconditam agrestium, aliorumque multorũ prædæ inhiantium multitudinem, & complures Genuenses patricij ordinis profugos & extorres, sex millia equitũ, & leuioris armaturę, & quindecim ferè expeditissimorum peditum millia, qui adeò armis, omnibusque necessariis erant instructi, vt magnum virtutis bellicæ specimen præ se ferrent. qui cùm in vnum prope Mediolanum confluxissent, recensis de more ordinibus, stipendioque exoluto, ordinato agmine, eousq. erant progressi, vt non ita procul Genua abesse nuntiarentur. At Genuenses eo tempore in vrbe paucum externum militem habebant. Nam, satis ex annalibus deprehendi potest, ad eius defensionem, vltra mille veteranos, vel saltem in militia exercitatos, non adfuisse, sed magnus finitimorũ concursus in eo conuenerat, qui omnes manu prompti, paratissimis animis ad extremũ vitæ spiritum pro salute Reip. dimicare sese offerebant. Ioannes etiã Aloysius Fliscus vnà cum cognato suo Matthæo, non pœnitendam in littore Orientali manum ad vrbis subsidium & tutamen magna cum festinatione collegerat, nimirum cùm ipsi paucis mensibus antè, cõmutatis studiis, Sfortianorum ambitionem & fastum exosi, se popularis factionis studiosos declarassent, ita vt huius noui præsidij accessione, oppidani omnes valdè animarentur, & in officio confirmarentur. Proinde Sanseuerinus, omnium, vti diximus, suffragiis, huius belli dux & supremus Imperator designatus, ex dignitate sua vel Reipub. non esse statuens, hostem aduentantem intra mœnia expectare, tametsi Castelleti & S. Catharinæ arces infensas ita haberet, vt ægrè sese cum suis expedire, vel tutò erumpere posset; tamen contemptis periculis, superatisque difficultatibus omnibus, hostibus obuiam, infesto agmine, eo potissimùm consilio processit, vt sese illis ad vallem Pulciferam obijceret. Sciebat enim, se magni momenti & non postremæ vtilitatis negotium confecturum, si obsessis angustiarum istarum ostiis; quibus ad obiectos montes peruenitur, quasi obiecto obice, omnem occupãdæ Bisamnis vallis occasionem hosti ipsi adimeret. quod certè consilium, vt fuit magna cum prudentia & astutia à viro militari excogitatum, sic in primis necessarium & salutare fuit. Ideoque quò facilius hostem transitu prohiberet, in illis locis præaltos aggeres erigi, ac vallum mirabile, fossa magnæ altitudinis circumseptum, defodi iussit, & ad illius munitionis defensionem, à tergo copiarum partem callidè disposuit. Pari cum diligentia & astutia, eorum tramitum fauces, per quos ad locũ vulgò Ghiarram Bisamnis peruenitur, altissima scrobe deducta, magnisque aggeribus, instar muri, erectis, obstruxit & præoccupauit, iisdemque tam firmum præsidium imposuit, vt, quamuis per sinuosos anfractus hostilis exercitus eò contenderet, facilè tamen ab vlteriori progressu hoc impedimento arceretur. Deinde occupato monte, quem vulgò Promontorium vocant, in aliis circumuicinis collibus, tanta cum prudentia & ordine copias suas distribuit, vt ad vrbis defensionem sufficienti militum numero relicto, etiam vnam atque alteram cohortem ad arcium eruptiones prohibendas, imposuerit. Ipse cum reliquis interim copiis, hostem in illis, quos diximus, collibus auidè & intrepidè expectabat. Is verò, huiuscemodi apparatibus, & tanti Ducis virtute & sagacitate præcognitis, emenso iugo, inhibitis omnibus excursionibus, cautius progredi cœpit. Ceterùm, vbi eum in val-

Mediolanensis Principis exercitus cõtra Genuenses.

Genuenses Sanseuerinate duce Insubricos cõnatus repellunt.

les descendisse pro certo compertum est, fama, vti fit, exaggerante, & veris falsa affingente, non mediocris animorum consternatio propter tanti exercitus opinionem, in castris Genuensium subsecuta est, adeò certè, vt, cùm semel extra munitiones suas milites excurrissent, parum abfuerit, quin ad primum equitatus hostilis conspectum, permagna omnium ordinum perturbatio & fœda confusio subsequeretur, plerisque eorum qui temerè longiùs à suis propugnaculis & ordinibus palantium more euagati fuerant, oppressis & interemptis. Cuius rei euētum cùm ad malum omen & futuræ cladis præsagium omnes ferè traherent, metus, qui antea multos inuaserat, omnibus hoc nomine cœpit esse communis. Verùm ipsius Imperatoris aliorumque Ducum exhortatione confirmati, ac singulis ad suos ordines redeuntibus, quietiori & paratiori animo deinceps substiterunt. Porrò militum Duces atque Præfecti secum reputantes, hanc concepram formidinem in posterum si perseueraret, valdè nocituram, eam ex omnium animis euellendam esse duxerunt. Proinde excogitato medendi huic malo summo artificio atq. opportuno pharmaco, magna calliditate literas quasdam commenticias & adulterinas publicarunt, quarum summa cum Mediolanensium Principum nomine ad Comēsem Præsulem scriptæ & missæ fingerentur, hæc ferè erat, vt omnes duces ac milites fortiter & magna cū alacritate Genuēsem populum, suapte natura inquietum & seditiosum, semperq. suis Principibus reluctantem, & rebellantem adorirentur, omnibusque viribus opprimerent. Et quò animosiùs res ipsa ageretur, se illis suscepti laboris feliciterque belli administrati ampla præmia, & fructum longè vberrimum proponere atque polliceri, nimirum potiti vrbe, se militi suo illius direptionem concedere, & si hoc non sufficeret, se libenter permissuros, vt in posterum totius Ligusticæ ditionis imperium, liberè ac citra exceptionem vllam penes ipsos foret. Hæc credulis facillimisque auribus à leui multitudine admissa, tantam omnium animis indignationem, pariter & ardorem propter instantis periculi metum attulêre, vt protinus hîc cōtra hostem inflammarentur, & quisque se ad quoduis periculum subeundum promptum & paratum officiosè exhibebat. Cùm igitur Sfortiani duces militum ordines ad aciem & prœlium instruere dicerentur, Sanseuerinas, vbi suorum alacritatem & promptitudinem cognouit, necessarium esse non putauit, vt illos (prout hactenus fecerat) intra munimenta & vallum omninò contineret, sed parte copiarum suarum educta, aliquantò vlteriùs ad aliquarum difficiliorum angustiarum defensionem instituit. Ceterùm hostes hoc minimè ferendum rati, magno variorum missilium & balistarum nimbo eos adorti, eo successu certamen inter ipsos est initum, vt cùm Sanseuerinates hostium impetum & frequentiam commodè sustinere nequirent, summa necessitate adducti, licet se animosè defenderent, coacti sint tum retrocedere, ac pedetentim sese intra vallum & munitiones recipere; ibique dirum atque atrox prœlium instauratum est: in quo sanè Insubres superiores facti, aggeribus potiti fuissent, nisi illi quos in montium summitate & verticibus, à Sanseuerinate ad omnem necessitatem collocatos & relictos demonstrauimus, actutū suis laborantibus validissima manu ita adfuissent, vt hostem tantisper subsistere prorsus cogerent, donec à suis cataphractis, qui ex equis desilierant, adiuti, iterum prœlium tanto vtriusque partis ardore & pertinacia redintegrarent, vt ferè per septem horarum spatium dubia fortuna & ancipiti Marte quàm fortissimè pugnarent. Sed cùm tandē Sfortiani propter suorum lassitudinem & virium imbecillitatem, ægrè prœlium sustinere, vel prorogare possent, statuêre, vt, omnibus signis ordinibusque seruatis, sensim certamen declina-

Conflictus in Ligusticis montibus inter Sfortianos, ac Genuens.

clinarẽt, & citra magnam suorum stragem, versus Alpium iuga se subducerent, eo animo, vt imperfecto bello, in Insubriam, prout factum fuit, redirent. Sed Ligures, hostium discessum, fugæ non ita absimilem, magna cum voluptate & gaudio conspicati, fortunæque fauorem & benignitatem prosequendam rati, eos proculdubiò persecuti fuissent, nisi illos Sanseuerinas quamprimùm ab instituto reuocasset, adeò vt hoc modo Sfortiani milites, nemine tunc impediente, tuti & incolumes inchoatum iter prosequerentur. Verùm enimuerò, cùm ipsi aliquot triremes in vrbis portum appellere animaduerterent, suspicioſi, & ad omnem etiam minimam, vti plerumque fit, occasionem trepidi, cùm nouum subsidium ab Aragonio, Genuensium rebus fautore, missum existimarent, hoc vnum anxiè & studiosè agebant, vt confestim omnibus studiis atque artibus præsens periculum declinarent. Præsidiarij milites, ex suis stationibus & vrbis munimentis illorum trepidationem ex gestu facilè conijcientes, & arbitrantes, illos ad harum triremium aduentum deterreri, & hac potissimùm de causa in celerem fugam præcipites ferri, omnis moræ impatientes, sese nulla ratione continere poterant, quin statim eruptione facta, ex tanta occasione feliciter conficiendi belli hostem fortiter inuaderent. Itaque magno cum ardore tantam in illum impressionem fecêre, vt nemo ferè ex toto Sfortiano exercitu foret, quin terga verteret, & fœdè salutem sibi fuga compararet, ita sanè, vt, cùm pauci existerent, qui decoris honorisque memores, sese persequenti Liguri opponerent, non vltra sexaginta interempti, & desiderati ex eis sint. Reliqui enim ferè omnes, præter paucos centuriones & proceres, qui equorum suorum pernicitate elapsi sunt, maiori ex parte in ignominiosam captiuitatem abducti fuerunt; deinde pro vilissimo pretio trierarchis aliisque nauarchis venditi, & ad transtra triremium pro remige habiti, & ex tanto exercitu non vltra mille equites, & quingẽtos pedites, qui ante inchoatum certamen iam Alpes transcenderant, vix Mediolanum incolumes redierunt. *Sfortianorum clades.*

Hanc tam insignem & gloriosam victoriam Genuenses cum magna sua laude ac lætitia de Sfortiis Mediolanensium Principibus, eo ferè quo descripsimus modo, pridiè feriarum D. Laurentij reportarunt. Paucorum dierum interiectu, Ioannes Aloysius Fliscus, Sauinionem & Mõtegium, gentilitia oppida, paulò antè à Sfortianis sibi adempta, citra magnam difficultatem & discrimen recuperauit, sic vt præter duas arces, quæ Genuæ adhuc Insubrum Principum præsidiis & milite tenebantur, omnia reliqua Liguſticæ ditionis loca victoribus cesserint. Et has quoque haud dubiè in suam potestatem redegissent, si debita cum diligentia & cura illas opportuno quidẽ tempore oppugnassent. Sed quemadmodum Romanis omnium gentium dominis, olim vsu venisse legimus, vt, remoto Carthaginis metu, sublataque imperij æmula, nõ gradu, sed præcipiti cursu à virtute desciuerint, & ad vitia transcurrerint; sic etiam populus Genuensis, præsentibus periculis & molestiis liberatus, veteri illa cura relicta, in somnum ferè à vigiliis, ab armis ad voluptates; deinde, quod pessimum est, à mutua concordia ad nouas simultates conuersus est: quippe præcipuarum factionum Principes dum singuli ad Principatum contẽdunt, ex mutua inter se æmulatione in aperta dissidia paulò pòst deuenerunt. nihilominus tamen, ne viderentur interea oppugnationis curam rerumque bellicarum administrationem remisisse vel abiecisse, ei Magistratui, cui belli summa antea ex populi decreto demandata, quò scilicet maior oppugnandarum arcium ratio & cura haberetur, duodecim popularis factionis ciues allecti, & coniuncti de pari omnium sententia fuêre: qui tamen ita oscitanter & segniter prouinciam sibi impositam exequebantur, vt nobiles pro maiori

parte extra vrbem incertis adhuc sedibus vagantes, ceteris ciuitatis ordinibus mirum in modum inuisi, omnem protrahendæ arcium oppugnationis & obsidionis ansam tacitè & studiosè quærerent, adeò vt noua face plerasq. factiones ad noua iurgia & motus ea propter inflammarent. Et quia Obiectus Fliscus nuperim carcerem à Mediolanensibus coniectus, adhuc in custodia asseruabatur, nobiles ipsi, quia sibi ipsius opera faciliorem in ciuitatem reditum pollicebantur, Galeacio principi magna contentione auctores extitêre, vt ipse in libertatem pristinam restitueretur: quippe qui ostenderent, huius nimirum opera & auctoritate fieri facilè posse, vt arces, obsidione soluta, in Mediolanensium Principum obsequio & tutela in posterum conseruarentur, nimirum cùm ipse Obiectus in vrbe propter rerum bene gestarum memoriam, tanta in auctoritate & reuerentia esset, vt multis, quod dicitur, parasangis aliarum factionum principes superaret. Quorum tandem persuasionibus inflexus & euictus Princeps, illum, custodia, magno suo impendio & damno, eductum, pristina libertate donauit. Is enim, præteritarum acceptarum iniuriarum memor, vix Genuam reuersus, noua odia atque turbas in Sfortianorum perniciem nouis artibus excitauit, ita vt vel hinc facilè intelligi possit, vt, cùm omnium ferè animi sint suapte natura & instinctu ad vlciscendas iniurias & contumelias proni, illi omnium in earum oblivionem ægriùs & difficiliùs deueniant, quorũ ingenia heroicæ naturæ sint proximiora. Tristia igitur & contumeliosa, depulso metu, inter ipsas factiones secuta & gesta sunt dissidia, & recrudescentibus nouis vulneribus, quæ nondũ in iustam cicatricem coaluerant, omnes in diuersa studia fœdè rapiebãtur. Et quò cœptæ simultates cõmodiùs atque diutiùs alerentur, publicæ quietis perturbatores operæpretiũ se facturos existimarunt, si in vrbem Baptistam, Petri Fulgosij filium, tunc temporis Nouij agentem, conuocarent: ideoque magnis perampliſque præmiis propositis, illum subinde per internuncios sollicitabant, vt amicorum & clientum manu constipatus, in vrbem reuerteretur, ea potissimùm spe & consilio, vt ipsius authoritate & opera subnixi, ingentes tumultus & graues seditiones fierent. Sciebant nimirum illi, paternarum suarum virtutum æmulo, multò magis quàm Ludouico fratri suo, tribui & fidi. Tandem igitur horum hortatu, & verborum lenocinio in ciuitate cum non pœnitenda manu pellectus, statim in Castelbeti arcem cum suis introductus est; & confestim, cum ijs, quos omnes armatos habebat, eruptione ex arce facta, in aream D. Francisci, è regione arcis positã, descendit, & sese ibi conspiciendum præbuit, ita vt protinus ad eius aduentum & conspectum quamplurimi, earundem partium & factionum fautores, illuc confluerent: ex quorum certè concursu, tanta in vniuersa vrbe animorum distractio insecuta fuit, vt omnium animi ad noua diuersaq. studia, & rerum cõuersionem propenderent, & ne minima quidẽ occasio prætermitteretur, quin ad eam erectis auribus & animis starent. Proinde plebs ipsa, quæ paulò antè tam fortiter & pertinaciter in Sfortianos pugnauerat, remisso omni ardore, nullam amplius obsidendæ vel oppugnandæ arcis rationem habebat, sed magna cum inconstantiæ labe, nec minori perfidiæ nota, omnis honestatis oblita, ei adhærebat, qui contra publicam salutem & Reipublicæ dignitatem, cum communi omnium hoste fœdus & nouam amicitiam icerat. Ceterùm Fulgosius cùm videret ad se tam magnum populi concursum fieri, & singulis ferè momẽtis numerum adaugeri, graui oratione persuadere conatus est, vt ad maiorem Reip. dignitatem asserendam, & etiam ad altiorem omnium ordinum securitatem, Adurnio principatum abdicarent, & se illius loco surrogarent, magna cum constantia affirmans, sibi à Mediolanensium

Genuæ noui motus propter factiones ac diuersa studia excitati.

lanensium Principibus constanter promissum esse, vt cùm primùm populi suffragiis ad Principatum peruenissent, arces Reipub. restituerentur. Et quò magis sibi popularem multitudinem deuinciret, inter cetera promissa, quibus fœdè illam dignitatem licitabatur, asserebat, se, non secus ac Adurnius fecisset, omnes patricij ordinis excluſurum, & à gerendis officiis & honoribus capessendis coërciturum, vtpote qui iam probè sciret, Obiectum ipsum, & Ioannem Aloysium Fliscum Adurnio fauere, ac planè mutuis officiis coniunctos esse, ita vt cùm vltra consuetudinem & familiaritatem, etiam affinitate istæ duæ familiæ sibi inuicem essent consociatæ, nihil certi, vel boni ab illis sperari debere. Quibus speciosis verbis & persuasionibus cùm inconsultam plebem adeò demulsisset, vt sese illius dicto audientem præberet, omnemque suam operam & studium deinceps polliceretur, antequam in arcem recederet, inter eos statutum & pactum fuit, vt ad ictus ænei tormenti sonum, omnes armati ibi præstò essent. Ipse interim Baptista, rerum suarum successu gestiens, citra aliquam moram, Mediolanensium Principis præcipuis consiliariis & administris, quo in cardine incepti sui instituti status versaretur, transcripsit, paruoque temporis interuallo, vtriusque arcis, prout prius conuentum & pactum erat, possessionem recepit, cùm illi arbitrarentur, se faciliùs hac, quàm vlla alia ratione, Reip. istius dominiũ assecuturos. Quod cùm Adurnio, ac Sanseuerinati, reliquisq. Mediolanensiũ acerrimis hostibus innotuit, immenso simul dolore & ira exarsêre, quandoquidem videbant, se nullum præteritarum molestiarum, & curarũ fructum, vel perpessorum nomine Reip. periculorum prẽmium, vnquam relaturos. Proinde cùm adhuc sufficientem militem ad manus haberent, sese vnà cum suis clientibus & confœderatis diuersis quidem in vrbis locis cõmuniuêre, sic vt inter diuersarũ partium studiosos atrocissimum bellũ renasceretur. At Fulgosius ad omnem occasionem intentus, ne aliquid sibi tẽporis per inertiam vel desidiam efflueret, cum suis copiis & amicis protinus ex arce eruptionem facere, & prætorium inuadere atque occupare statuerat; ideoq. militem, qui clãculum in palatio, sito in D. Thomæ regione, diu à Fulgosiá familia possesso, præsidij nomine relictus erat, ad se conuocauit, eo consilio, vt sub illius militis aduentum, ipse cum suis ex alia parte copias suas è munimẽtis contra hostem educeret; sicuti postea factum est. Nam distributis copiis, intrepidè atque animosè per omnem ciuitatem diu circumuagatus, alta voce Fulgosium nomen vbique intonabat. Adurnius verò, cum magna externorum militum parte sese in curia ipsa præmuniuerat. In foro autem, quod vulgò Fossatellum nominant, Augustinus & Ioannes Adurnius, vnà cum Sanseuerinate, & Ioanne Aloysio Fliſco stationem habebant, & in eo maiorem copiarum partem pro acie instruxerant. Obiectus verò Fliscus in regionem templo D. Stephani contiguam, vires suas transtulerat, vt Fulgosiorum vim repelleret, vel saltem quibuscumque artibus in suam sententiam pertraheret. At Ludouicus Fulgosius, neutrius partis studia secutus, rei euentum opperiens, sese in Iustinianorum ædificia abdiderat. Tandem eò ventum est, vt, instructa vtrimque acie, manus consererent. Primam pugnam à D. Thomæ palatij præsidiariis cum his qui in foro, cuius proximè hîc meminimus, stationem habebant, exorsam accepimus; & tanta erat Præfectorum, qui pro Adurnio stabant, militaris disciplina & ordinum obseruatio, vt Fulgosij, licet numero præualerent, tamen quòd minus militares ordines obseruarent, longè illis inferiores essent, & ab Adurniis superati, plerique illorum interfecti, vel capti sunt; ex quibus nonnulli postea iussu Prosperi Adurnij ad fores palatij laqueo suspensi fuerunt. Baptista verò, qui diuerso itinere ad curiam con-

Cõflictus in vrbe inter factiones.

tenderat, cùm se in ea sistere statuisset, suorum clade intellecta, mutato consilio, actutum sese in Castelleti planitiem recepit: cui certè, præter spem & expectationem, acceptum incommodum pro summo beneficio euasit. Quandoquidem nimius rigor & seueritas, qua Adurnius victor in captiuos recèns vsus erat, tantam illi apud omnes indignationem & odium excitauit, vt hoc potissimùm nomine de communi vtriusque factionis sententia è supremo dignitatis loco dimoueretur. Et quò facilius aliqua animorum reconciliatio inter vtriusque partis auctores iniri posset, Obiectus Fliscus, Ioannis Auriæ auctoritate interposita, Fulgosium non ita procul ab arcis conspectu adiuit: & post longos vltrò citroque habitos sermones, tandem ea cautione transegerunt, vt Principatus in Fulgosium conferretur. Et interim Obiecto, ratione diuersorum sumptuum atque expensarum pro publico bono factarum, sex millia aureorum nummum in parata expeditaque pecunia quamprimùm soluerẽtur. Ad cuius rei securitatem, munimentum ad D. Catharinæ portam erectum, illi sponsionis nomine consignaretur. Interim Adurnius contra expectationem magno cum suo dolore à plurimis derelictus; cùm sese aduersariorum conatibus ægrè resistere posse confideret, de sua suorumque salute valdè trepidus atque solicitus, celeriter è publico palatio sese secretò subduxit. Verùm, cùm eum promiscua & incondita multitudo diligenter obseruaret, & magno cum furore insequeretur, tãdem cùm nullus effugij locus patêret, coactus est, non ita procul à nauali publico armamentario se in mare præcipitem dare, & periculoso natatu vsque ad triremes Neapolitanas, quæ haud procul aberãt, euadere, vt sese hostili periculo tandem hoc modo liberaret. At Fulgosius, lucidis armis conspicuus, magnamque corporis maiestatem & grauitatem præ se ferens, curiam ingressus est, consalutatoque populo, & pauca pro concione locutus, ex vnanimi omnium consensu & voluntate Ducali honore insignitur. Ipse, quò sibi firmiorem & stabiliorem Principatum redderet, contra priora pacta & pollicita, quæ stultæ multitudini fecerat, omnem nobilitatem in vrbem reuocatam, postliminiò in patriam atque penates restituit. Et licet non pauci essent qui huic eius edicto reclamarent, atque inconditis vociferationibus refragarentur, nunquam tamen adduci potuit, vt à nobilium patrocinio animũ auocaret; sed quò illos securiores redderet, Magistratum Baliæ, vt vocant, superioris belli tumultibus intermissum, iterum licet multis refragantibus, & præsertim Bendinello Saulo, viro ea tempestate summi nominis ac existimationis, restituit. Hic, vti enarrauimus, Octouiratus erat, partim ex nobilitate, partim verò ex populari factione commixtus; & Galeotus Centurio, Lazarus Auria, Hieronymus Grimaldus, Accelinus Saluagus, Baptista Garronus, Thomas Presenda, Bartholomęus Canitius, & Baptista Basiadonna, in hoc munere designati fuerũt atq. ita demum post varia certamina, contẽtiones, & rixas, præsentibus periculis & circumstantibus calamitatibus obuiam itum est. Ceterùm, Respub. post exantlatos tam magnos & immensos labores, nihil sibi de quiete publica pollicerì poterat, nimirum quòd neminem latêret, Carolum octauum Galliarum regem, qui Ludouico XI. nuper in regni gubernatione successerat, propter fœdus cum Ferdinando Tarraconensi, Neapolitanorum rege, ipsius æmulo, initum, ei longe infensissimum fore. Proinde Senatus operæ pretium se facturum existimabat, vt ad tantum regem sibi reconciliandum, in Galliam oratores quamprimum, sicuti etiam factum est initio anni eius sæculi vndeoctogesimo, ablegaret. Pari consilio decreuit, vt ad Sixtum quartum Pont. legatio haberetur, quò immunitates & priuilegia, temporum iniuria nonnihil intermissa & labefactata, iterum Reipub.

Paulus Fulgosius necessitate adductus se in mare præcipitat.

Baptistæ Fulgosius Princeps constituitur.

Magistratus Baliæ restituitur.

1479.

pro

pro veteri instituto & more restituerentur. Quod quidem à nouo Pontifice citra magnam aliquam difficultatem gratiosè impetratum est. Et quò magis ipse Rempub. sibi deuinciret, Paulum Fulgosium vrbis Antistitem in purpuratorũ collegium cooptauit. At proximo anno Mahumetes secundus Turcorum Imperator, post duo Christianis adempta imperia, innumerasque alias prouincias bello atque armis in potestatem suam redactas, quàm ægerrimè ferebat, Rhodum, inter tot deuictas gentes, & subiugatas insulas, liberam existere, ideoque ad illam expugnandam quàm maximam classem instituit. Christiani Principes, in primis verò Pontifex, ad tantum auertendum bellum omnes cogitationes seriò contulêre, adeò vt solicitatis omnium ordinum, & primatum Christiani imperij animis, ipse Pontifex necessarium putauerit, etiam ad Rempub. Genuensem oratorem suum hoc potissimum nomine habere. Igitur de communi purpuratorum Patrum collegio, Cardinalis Sabellus, ex antiqua & illustri Sabellorum familia oriundus, Genuam venit, vt ibi inter cetera quæ habebat in mandatis, classem naualem Pontificia pecunia pararet. in cuius etiam expeditionis gratiam Ligures publicis sumptibus quatuor ac viginti triremes instruxerunt, & singulis Prefectis impositis, classis supremus nauarchus ex ipsius Pontificis mandato & iussu, Paulus Fulgosius renunciatus. Rebus igitur omnibus necessariis iam ritè dispositis & præparatis, cùm iam classis nauigationem Rhodum versus, vt insulanos dura passos, præsenti periculo eriperet, instituisset, mox multorum literis & nunciis intellectũ, Rhodum tandem Barbarorum obsidione liberatam esse: ideoq. ab hac destinata expeditione ad præsens discessum; pauloque post, Fulgosius, supremus nauarchus, in Apuliam cursum direxit, eo animo, vt Ferdinando Aragonio pro Hydrunti, paulò antè ab eodem Mahumeto expugnati, recuperatione auxiliaria arma necessario & opportuno tempore ferret. isque locus eò sanè facilius à Christianis receptus fuit, quò, eodem ferè tẽporis articulo Mahumetus ipse, magno cum totius Christiani orbis beneficio & publico bono, fato concessit. Eiusdem temporis tractu, ad recuperationem Lesbos insulæ, quatuor Liburnicæ, suasu atque opera cuiusdam monachi Dominicani, ex Pontia maris Tyrrheni insula oriundi, magna vitæ integritate ac eruditione pollentis, publicis sumptibus adornatæ sunt, ad hanc expeditionem plerisque insignibus matronis, ac etiam nonnullis viris, à vitæ sanctimonia commendatis, sumptus, aliaque necessaria conferentibus. Ceterùm, cùm multa essent quæ iustis de causis hanc expeditionem impedirent, nihil sanè hac in re vlterius attentatum. Insequenti anno, Corsica insula rediit sub tutela & protectione Georgiani Magistratus. At Genuæ interim, licet Baptista Fulgosius, quem proximè ad Principatum euectum fuisse narrauimus, personam, quam sustinebat, mirifica humanitate, iustitia, aliisque pacis ac belli ornamentis mira cum omnium satisfactione tueretur, nihilominus fatali vrbis genio Resp. diutius quietem & otium in tam prospero ac felici rerum cursu ferre nequiuit: sed in perniciem suam prona, & nullis malis, vel aduersitatibus, vt videtur, defatigabilis, iterum ad pristina dissidia, & iurgia, ceu canis ad vomitum, rediit: Anno siquidem eiusdem sæculi octogesimo tertio, noui motus eruperê. Erant etenim in vrbe, Fulgosiæ gentis duo, si præsentem dignitatem & opulentiam spectes, clarissimi viri, ceterùm si ambitionem, pernicioſi ciues, scilicet Paulus, recèns in Senatum purpurei ordinis à Pontifice adscriptus, & Augustinus, ambo Ludouici filij, quorum hic vrbanis cohortibus cum summo honore præerat. Hi tametsi Baptistæ consanguinitate coniuncti forent, & per omnes honoris gradus ad summum dignitatis fastigium euecti, tamen iniquissimo & per-

Rhodus à Turcis nequicquam tentata.

1480.

1481.

Hydruntum à Christianis receptum.

1482.

1483.

uersissimo animo supremam illi dignitatem inuidentes, omnes consilij rationes cum præcipuis suæ familiæ, aliisque suis sociis iniuerunt, vt eum ad primam opportunitatem Ducali honore exuerent. Verùm quia res illa videbatur, vt res erat, periculi & suspicionis plena, variatum de modo perpetrandi facinoris inter eos haud leuiter fuit: quippe vna pars tantum scelus per occultas insidias aggrediendum dicebat: altera verò, aperto Marte ipsum inuadendum esse censebat. Vicit tamen eorum sententia, qui rem secretò & per insidias perpetrandam iudicarent, nimirum quòd plurima inde incommoda ac periculosæ seditiones, si res malè succederet, haud immeritò exoriri possent. Quapropter in publico palatio, in quo ipse de more Principum, longo vsu inolito, agebat, citra rumorem vel cædem militum, facinus exequi placitum. Cardinalis cùm & ipse in publico palatio tunc temporis habitaret, prætextu officij Baptistã in cubiculo suo existentem, dispositis prius per fornices, aliaq. occulta palatij loca, non paucis militibus, adiit; & cùm sui facti conscium & socium fratrem, vrbanæ militiæ, vti diximus, præfectum haberet, sine magna difficultate vel obstaculo ab illo extorsit, vt *ipse* de se solicitus, ac sese suorum perfidia circumuentum animaduertens, vltrò vrbis claues perfido suo consanguineo traderet. Quibus consignatis, illum publicè Principatu, contra omnium gentium mores, atque consuetudinem, & multarum ætatum exempla, hac vna excepta vrbe, spoliauit, tantaque improbitate ac verborum præstigiis grassatus est, vt, etiam consentiente Senatu, cum magna suæ factionis congratulatione & faustis acclamationibus sept. Cal. Decemb. in ipsius locum substitueretur. Baptista interim sua præcedenti felicitate infelix, & præsenti sui status conditione miser, in exilium ablegatus, ad otium & quietem conuersus, tanta cum modestia & animi fortitudine ad omnem posteritatis memoriam & publicum bonum vixit, vt cùm esset vir singulari ingenio ac eximia eruditione præditus, ad imitationem Val. Max. de illustrium virorum dictis & factis elegantem librum conscripserit, in quo cùm ad perfidiæ & ingrati animi caput peruenit, huius purpurati sui patrui, instar omnium, barbaram & crudelem perfidiam summa cum inhumanitate coniunctam deplorat, ac execratur. Nec mirum, me herclè, huius Cardinalis in propriũ nepotem summæ iniuriæ & violentiæ exemplum alicui iure videri debet, cùm non modò in hac ciuitate, sed in multis aliis, siue mobilitate ingenij, siue inscitia vel indulgentia supremorum ordinum, siue fato, diuersis studiis & animorum distractione certatum fuerit, ita vt sæpius neglectis omnium bonarum & honestarum artium disciplinis, postpositaq. omnium bonorum morum reuerẽtia, & sanguinis coniunctione, atq. interdum etiã fraternæ charitatis vinculo disrupto, ad non minus turpia, quàm flagitiosa & detestabilia decursum sit, adeò certè, vt dum ciuilis sanguinis effusio gladiorum impunitate confirmatur, iura & omnes bonæ leges, ceu inciso neruo, opulentiorum potentia obrutæ & oppressæ subinde fuerint, ciuileque commotiones ac turbæ, quæ antea æquis conditionibus sanari consueuerant, sensim ferro diiudicatæ sint, bellaque postremùm non iustis de causis suscepta, vel inita, sed prout earum merces fuit: quod sanè in se minus habet admirationis, quò sæpius hoc modo passim peccatur: satis enim iam longo vsu addidicimus, exempla non ibi consistere vnde cœperint; sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissimè euagandi viam sibi facere: & vbi semel recto deerratum est, in præceps quàm facillimè peruenitur; nec quisquam sibi putat turpe, quod alij fuit fructuosum. Interim, dum hæc Genuæ geruntur, mense Augusto subsecuti anni Xistus quartus supremus Pont. viuis subtractus est, in cuius lo-

Baptista Fulgosius princeps, vi detentus, & principatu exutus à suis ex sanguineis ac eiusdem factionis viris.

1484.

cum

cum, de communi purpurati Senatus voluntate, Cardinalis Malfeta, ex antiqua & nobili Ciborum familia succeſſit, qui pro veteri & recepto Pontificum inſtituto, abrogato priori nomine, Innocentij octaui nomen ſibi aſſumpſit. Ad quem haud multò pòſt, Senatus duodecim oratores ex præcipua nobilitate ſelectos, Romam ablegauit, vt debitum nouo Pontifici obſequium & reuerentiam totius Reip. nomine deferrent, qui certè eò maiori cum ſplendore & apparatu Romam profecti ſunt, quò propter communem patriam arctiùs ſe illi deuinctos eſſe iudicabant. Oratores autem fuerunt, Hector Fliſcus, iuris ciuilis ſcientia, & dicendi facultate non vulgari præditus, Lazarus Auria, Melchior Nigronus, Chriſtophorus Spinula, Franciſcus Lomelinus, Lucas Grimaldus, Thomas Fulgoſius, Paſqualis Saulus, Aloyſius Gibertus, Bartholomæus Canitius, Baptiſta Baſadonna & Ioannes Calderus. Hi ſanè in mandatis habebant, vt ſtatim poſt factam congratulationem, nomine Reip. apud ipſum Pont. de nonnullis priuilegiis & immunitatibus confirmandis agerent: quòd facilè pro ea qua erat ipſe in Genuenſes voluntate impetrarunt, ita vt, confecta legatione, paucis pòſt diebus Genuam redierint, vbi aliquandiu in domeſtica pace atque otio conquietum eſt. Ceterùm, foris ſubinde inter Ligures, & Aragonios, infeſtis armis cõcurſum, & non leuia damna vltro citroq. illata, ſic vt proximis annis, inter cetera, cùm nonnulli eorum piraticam exercentes, Liguſticæ oræ tractũ variis excurſionibus infeſtarent, Genua, ad illorum vim & conatus inhibendum, S.C. quatuor triremes conſtructæ, ac emiſſæ, pauciſque pòſt diebus, duæ illarum, aut præfecti negligentia, vel indigenarum perfidia & proditione, ab hoſte in Antyboli, Galliæ Narbonenſis municipio, portu in ipſo interceptæ, atque illinc abductæ. Verùm hac æſtate, Thomas Bozolus, vir ſtrenuus, & magnis auſis promptus, cum vnica naui pleraque Tarraconenſium nauigia è ſinu Valentiano egreſſa, intrepidè adortus, poſt acrem ac difficilem dimicationem, victoria potitus eſt, & nauis, cui nomen fuit Encadelia, qua, præter reliquos, Matthęus Eſcrinus Valentinus, haud obſcuri nominis, vehebatur, capta, & Genuam perducta fuit. Inter hæc, ne Reſp. aliqua ratione abſoluta quadam tranquillitate & quiete frueretur, magno cum ſuo detrimento, nouum bellum aduerſus Florẽtinos exortum ac ſuſceptum eſt. Hi enim, cùm Auguſtini Fulgoſij armis atque contentione, Sereſanæ dominio excidiſſent, ægerrimè ferebant, à Genuenſibus vicinis, & iam aſſiduis bellis defatigatis & quaſi obtritis, hanc inflictam contumeliam hactenus impunitam, & inultam eſſe. Nam, poſtquam Fulgoſius contra pacta & fœdera cum Florentinis inita, Sereſanam ad Georgiani Magiſtratus collegium tranſtulerat, ipſi, iugi cura & perpetuis deliberationibus allaborauerant, vt illam recuperarent. Sed cùm propter iniquitatem temporum, bellum commodè hac de cauſa moueri nequiret, in hæc ferè tempora recuperationem diſtulerant. Proinde tandem non vlterius expectandum rati, collecto ſic ſatis valido & magno exercitu, eius oppugnationem accelerabant. Ceterùm quia intelligebant, illud oppidum non ita facilè expugnari poſſe, niſi prius alterum, cui Petraſancta nomen, vbi olim fanum Feroniæ extitiſſe commemorant, occupaſſent, prima arma in hoc mota. Genuenſes interim, de Florentinorum expeditione commonefacti, vtrumque locum tueri ſtatuerunt, ideoque impoſito iuſto præſidio, rebuſque ad defenſionem ſuſtinendam præparatis, etiam turrim, Ilicenſem nuncupatam, non ita procul à Sereſana diſtantem, firmis copiis cõmuniuerunt, & reliquas, ad propugnationẽ horum locorum deſtinatas, terreſtri itinere, Dominico Auria duce, verſus Petraſanctam ablegarunt: eodemque tempore ad retundendam Etruſcorum potentiam

Innocentius oct. Pont. Genuenſ.

Nouum bellum aduerſus Florentinos.

tiam & imminentem impressionem, magna cum diligentia decem triremes & quatuor naues instructæ sunt, ac paulò pòst ductu & auspiciis Constantini Auriæ versus Ligurnum eductæ, rati, sese hoc pacto Petrasanctam obsidione liberaturos. Miserant etiam ad omnem casum reiqúe euentum, cum ipsis nauibus aliquot nauigia quæ ipsi patrio idiomate Pontonos vocant, & varias machinas arque instrumenta, quibus defensiones & munimenta commodiùs expugnari possent. Iam Florentini circa locum, quem arctissima obsidione premebant, in excelso monte prælatam munitionem erexerant, eo consilio, vt facilius expugnarent. At Ligures, vbi oppidum ipsum, antea præsidiis & commeatu instruxissent, mirificè de illius propugnatione soliciti, acriter totis viribus & animis incubuêre, vt illud, repulsis hostibus, ab omni periculo & obsidione liberarent. Qua in re non parum iuuabantur classis suæ nauali opportunitate, quæ eo loco consistebat, vt, nemine prohibente, vel repugnante, vndiquaq. excursiones tutò ac liberè faceret. Et quò faciliùs hostilem impetum impedirent & prorsus frangerent, ipsi per medios hostes summa contentione ad oppidum festinantes, vi atq. armis tam latè grassati sunt, vt, adaperta via, aduersarij multa cum ignominia caderent, & ferè ad vnum omnes opprimerentur, eo sanè exitu, vt, relicto in Genuensium potestate oppido, ipsi vltra quartum ab eo lapidem castra mouere coacti sint, præsertim cùm propter adultam iam æstatem, & appropinquantem hiemem, tempus bello gerendo minus esset idoneum; quandoquidem cùm ea expeditio iam in mensem ferè Octobris esset protracta, multò satius & consultius fore existimarũt, si ea in proximum ver differretur. Constantinus Auria huius classis, vti diximus, Præfectus, multis excursionibus factis, cùm iam propter instantis hiemis aduentum, domum festinaret, arcem Wadæ incendit, ac turrim Ligurni in portu positam, magna vi earum, quas diximus, machinarum oppugnare inceperat: sed cùm illa, valida & strenua militum manu propugnaretur, nihil prorsus eo tempore effici potuit. Quin potiùs Florentini magna cum alacritate resumptis animis, vbi primùm Florentiæ intellectum est, Petræsanctæ obsidionem à Genuensibus vi atque armis fuisse propulsatam, Senatus consulto decretum fuit, vt, ad abolendam infeliciter rei gestæ memoriam, simulque acceptam cladem resarciendam, aliaque, quæ hosti cesserant, recuperanda, noui legati, quos ipsi commissarios appellant, designarentur, qui pecunia, nouoque militi, ac ceteris bello opportunis instructi, eo successu & felicitate progressi sunt, vt propter Genuensium Prefectorum socordiam, & torporem, munimentum illud, in vertice illius montis, cuius proximè mentionem fecimus, extructum, fortiter pugnando, tametsi non citra magnam sanguinis effusionem, recuperarent. Multos enim inter eos desideratos esse constat, & inter præcipuos, Antoniũ Marcini Comitẽ, veteranũ militẽ, & inter Florentinæ nobilitatis viros magnæ auctoritatis & existimationis propter rem bellicã centurionẽ, qui vnà cum plerisque aliis in eo conflictu strenuè ac fortiter dimicans, multis vulneribus confossus interiit. Quo detrimento & incommodo accepto, non solum defensorum, sed etiam obsidentium animi tantoperè immutati sunt, vt de paciscendo, & transactione faciendi vtrimque consilia inirentur. & post paruum interuallũ, ea conditione inter eos, intercessione & auctoritate Laurentij Medicei, magnanimi & clarissimi viri, qui recèns in castra venerat, transactum est, vt de vtriusque partis consensu arx atque oppidum in Florentinorum potestate remaneret. Quæ vbi Genuæ innotuêre, statim ex Magistratus Georgiani decreto, quatuor legati, quos ipsi Procuratores vocant, nempè Thomas Iustinianus, Lazarus Lomelinus, Hieronymus Palma-

Ligures Florentinis bellũ inferunt.

Petrasancta deditione à Florentinis occupata.

Palmarus, & Paulus Lercarus, ad eam expeditionem designati sunt; nouusque militaris delectus in belli supplementum habitus, & Ludouico Fulgosio Duce propter Augustini filij sui absentiam, noua expeditio susceptа. Senatus interea Georgianus, quia certò constabat, paucorum perfidia, & militum præsidiariorũ ignauia, Petresanctæ deditionem subsecutam esse, in militum tribunos pro solita sua seueritate animaduertit. Itaque Antonius Montaldus, Lazarus Marius, & Augustinus Rauescherius, quorum fidei & diligentiæ arcis custodia & defensio cõmissa fuerat, publico iudicio damnati, ita vt hic, postremus, paucis interiectis diebus, in Ilicensi arce securi percuteretur: adeò ille Magistratus magis peccandi voluntatem intuebatur, quàm modum factaque ad consiliũ dirigeret, & quid, non inquantum, admissum foret, æstimabat. Nec prætereundum est, quatuor præterea ciues superioribus, quos diximus, ceu collegas, creatos fuisse, quorum cura & administratione susceptum in Etruscos bellum commodius & felicius cõficeretur. Sed Florentinis trahẽtibus potius quàm gerentibus bellum, nihil eo anno memoria dignum agi potuit, ita vt cùm naualis classis citra aliquem fructũ, vel rei feliciter gestę memoriã, domũ reducta esset, magna plebis obloquẽtis subsecuta sit obmurmuratio, nauarchũ hostiũ largitionibus corruptũ fuisse insimulantis. Suspicios a quippe multitudo ęgrè ferebat, & indignabatur, tãtis sumptibus publicis, & priuatis subsidiis, nihil quod ex publica vtilitate vel dignitate foret, fuisse gestũ. Proximo anno nulla res notatu digna Genuę incidit, prętерquã quòd 1485.
Ioannis Antonij Buccanigræ cõiunx, Bartholomæa nomine, septẽdecim liberos, rara quadam, ac ferè inusitata fecunditate, vnico partu enixa sit, qui, licet essent *Genuæ septẽdecim liberi vno partu editi.*
eiusmodi corporis formæque constitutione, vt diuturna vita frui non daretur, tamen omnes viui in lucem editi fuerunt. Hic partus potiùs ad portentum, quàm ad aliquod Reipub. omen tractus, quòd Italia, ac propemodum ceteræ nationes omnes, vulgata iam & constanti opinione huiusmodi partus tanquam monstrosos abominentur. Quanquam haud scio, vtrum illud miraculum naturæ magis raritati & insolentiæ, quàm prodigij alicuius testimonio sit assignandum, potissimùm cùm retroactis temporibus multæ inciderint ætates & tempora, quibus natura talibus varietatibus luserit, atque inscrutabilem sui inuestigationem prodiderit. Legimus enim apud probatissimos auctores, passim multa huiusmodi naturæ occurrisse exempla, & inter cetera quidem, satis constat, in Ægypto mulierem quinque liberos vnico partu enixam esse; cuius etiam meminit Aristoteles, vt grauissimus auctor, sic etiam arcanorum omnium diligentissimus inquisitor, qui de hac re differens, statuit, hunc partum, humanam naturã vix vnquam excedere. Accedit huc sæculi Diui Augusti testimonium, cuius scilicet tempore, vt illi qui eius gesta scriptis comprehenderunt, meminêre, vna ex eius ancillis in agro Laurente quinque pueros saluos & incolumes peperit, qui, paucis pòst interiectis diebus, omnes ad vnum vnà cum matre interiêre, tanta cum totius Italiæ admiratione, vt iussu ipsius Principis monumentum marmoreum ad perpetuam rei memoriam ei collocatum atque dicatum sit. Possunt hæc proculdubiò mira ab omnibus iure videri, & singulari obseruatione ad posteros deriuari, nisi incidissent tempora, quibus longè maiora contigerunt. In literas enim à receptis scriptoribus relatum inue- *Margarita Comitissa Hollandiæ.*
nio, Margaritam, Comitissam Hollandiæ, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis verò suæ anno quadragesimo secundo, ipso die Paraseues, hora nona ante meridiem, vno partu peperisse infantes viuos promiscui sexus numero, quod omnem fidem excedit, sexaginta quinque, omnes vitales

distin-

distinctisque corporis proportionatis membris. sunt qui scribant, singulos pollicis magnitudinem non excessisse. sunt verò alij, qui asserant, etiam pulli magnitudinem adæquasse: quod tamen planè absurdum cordatioribus, & in physica vel mediocriter versatis, videri debet, ex eo, quòd natura humana, corpori tantis oneribus abdendis non habuerit receptaculum. Quis enim non videt, quo modo hæc aliquorum placita, cum ipsius corporis harmonia dissentiant? Vtcumque tamen sit, nihil est, quod hac in parte, præter naturæ raritatem, admiremur, cùm reliqua suo quidem ordine ac serie procedant, licet multarum varietatum & naturalis cursus immutationis causæ ignorentur, quas satius est tacitè, quoad eius fieri liceat, considerare, quàm curiosa indagine prosequi. His etiam, quos proximè enarraui, omnibus ab Episcopo Traiectensi, ipsius Comitissæ auúculo, in multorum procerum atque Ordinum corona post sacri lauacri perceptionem, nomen inditum, & masculis quidem, Ioannis, femellis verò Elisabethæ nomen impositum; qui etiam, vix paucis interpositis diebus, vnà cum fecunda matre ex hac luce in meliorem concessêre, & Hagæ, vico Hollandiæ celebratissimo, ac definiendis litibus constituto domicilio, tumulo ac celeberrimo epitaphio condecorati. Sunt qui huius monstrosi Margaritæ Comitissæ partus causam, ad eius propriam culpam trahant, quasi ipsa siniſtro iudicio aliarum matronarum, præsertim verò pauperiorum, pudicitiam infectata, eam, propter vteri fecunditatem, non semel palàm in suspicionem deuocare ausa esset, adeò vt vna vel de media plebe muliercula, suæ Principissæ conuicium iniquo animo ferens, illi precata sit, vt, ad expiandum insimulati sceleris reatum, simili partu, vel etiam numerosiore, deinceps oneraretur: prout etiam euenisse ostendimus. Ceterùm, vt ad institutam historiæ nostræ seriem redeamus, Genuæ, mense Februario anni eiusdem sæculi octogesimi sexti, auctoritate Innocentij octaui Romani Pontificis,

1486. Ligurum, ac Florentinorum, finitimarum inter se gentium certamina, & longas contentiones molestè & grauiter ferentis, effectum fuit, vt pax inter eos, adstipulante & interueniente Lazaro Auria, tunc apud ipsum Reip. nomine legato, ea conditione sit constituta, vt Florentini, arcè Sarzanelli, armis paulò antè occupatam, Senatui, collegio Georgiano restituerent, omnibusq. iuribus cederét, quibus hactenus Seresanam ad se pertinere pertinaciter contendissent. Genuenses è contra, Petrasanctæ, eiusque prætenso iuri, pari ratione renuntiarent. Cuius quidem pacis conditiones, vt ratæ firmæque in posterum haberétur, néue aliqua de causa in dubium vocarentur, per vnum ex epistolarum magistris quos nouo nomine Cancellarios vocant, subscriptæ fuerunt, ita vt iam nihil aliud, quàm Sarzanelli traditio expectaretur. Verùm enimuerò hæc pax hunc tandem successum habuit, vt Florentini, transacta hieme, nescio quibus rationibus commoti, à præstita atq. interposita fide, nouis conscriptis ad Seresanæ recuperationem copiis, deficerent. Sed propter Laurétij Medicei aduersam valetudinẽ, quæ in id ferè tempus inciderat, à suscepto negotio abstinuerunt, & in proximum subsequétem annum dilulerunt, sic vt Ligures ad reprimendum suorum aduersariorum conatus, decem triremes, impositis lectissimorum virorum tribus millibus, expedire curauerint, quæ, duce Aloysio Fliſco, summa cum celeritate emissæ fuerunt, ac maxima antiquorum alacritate Ilicensis arx obsidione cincta. Iisdem ferè diebus, Augustinus Auria, Franciscus Spinula, Hieronymus Nigrius, & Francus Iustinianus, cives, præter natalium claritudinem, authoritate, fide ac rerum vsu præstantes, ex Senatus decreto partim in prouinciam Narbonensem, partim verò in Transalpinam Galliam, quam hodiè recenti vocabulo Pedemontanam regionem vocant, ad co-

Pax inter Ligures & Florentines.

Florentini præstitæ fidei immemores, bellum instaurant.

1487.

ad cogendum militem ablegati. Quandoquidem Florentini, nihil de veteri pertinacia remittentes, sub Iacobi Guicciardini & Petri Victoris præfectura, multis excursionibus factis, subinde Ligusticum agrum infestabant, & non ita procul à turri Ilicensi exposito exercitu, cui Virginius ex illustri Vrsinorum familia oriundus, virque summi nominis ac rei bellicæ peritissimus, cum imperio præerat, suburbium Seresanelli deimprouisò occuparant, & iam eò vsque progressi erant, vt, cuniculis factis, parum abesset, quin arce potirentur. Verùm à subsidiario milite præuenti, eodem quodammodo temporis puncto, obsessis præsidio missio, coacti fuerunt manus conserere: eoque prœlio cùm Florentini numero militum superiores essent, cum insigni Genuensium clade feliciter pugnarunt. Nam satis liquet, plurimos ex præcipua Ligustica nobilitate & antiquiori stemmate, in hostium potestatem deuenisse, inter quos facilè ceteris antecelluerunt Ioannes Aloysius Fliscus, & Obiectus eius frater, qui se illi comitem militiæ addiderat. Ceterùm, tametsi hæc clades non esset postremi momenti, nihilominus tantum efficere non potuit, vt eos, qui ad Seresani defensionem relicti erant, exterreret, quò minus seipsos quàm strenuissimè ad propugnationem pararent. In turri etiam Ilicensi Senatus Georgiani decreto Constantinus Auria & Pasqualis Saulus, legati constituti fuêre, quorum diligentia, cura & studio, omnia quæ huic bello vtilia & opportuna erant, suppeditabantur. Præterea, vltra legatorum & tribunorum militum iugem diligentiam & alacritatem, duo millia delectorũ militum, quos Hieronymus Nigrius, cuius proximè mentionem habuimus, in prouincia Narbonensi conscripserat, vnà cum Sarmonensium Comite indies expectabãtur. Hi cùm improspera nauigatione vterentur, & omninò seriùs quàm par erat, aduenissent, magnum detrimentum rebus Ligusticis proculdubiò attulêre. Siquidem paulò pòst, Laurẽtio Mediceo pristinæ sanitati restituto, & in castra profecto, oppidum vndique obsidione cinctum fuit. Præerant ei, tanquam legati, Hector Fliscus, Lucas Pinellus, & Luchinus Stella: qui vbi sese aliquandiu crebris victoris exercitus oppugnationibus & insultibus quàm fortissimè oppositissent, omnemque impetum intrepidis animis repressissent, tamen cùm is pertinacissimè insisteret, ac sensim milite præsidiario ipsi destituerentur, non sine ingenti Reipublicæ dispendio, labe atq. ignominia, cùm ipsi Genuens. in hoc bello, præter Florentinos, etiam Romanum Pont. & plerosque Italiæ Dynastas, sibi infensissimos haberent, iniquis sic satis conditionibus deditionem facere coacti sunt. Qua subsecuta, hoc bellum in præsentiarum terminatum est. Circa eadem ferè tempora Reipub. non defuerunt in Cyrno insula noui ac feruentissimi motus, à Thoma Fulgosio inquietissimi animi inconstantisque ingenij viro concitati, cui sese socium excitandis turbis Ioannes Paulus Lecensis, qui superiori anno indigenas ad defectionem solicitauerat, comitem addiderat, adeò vt Seresanico bello extincto, Senatus necessarium habuerit, triremes, quarum suprà meminimus, illuc mittere. Quarum tandem præsidio, ac Francisci Brinalij, & postremò Falconis Gallicæ nationis, quem Magistratus Georgianus stipendio conduxerat, necnon Raphaëlis Grimaldi, qui illam insulam administrabant, fideli studio atque opera Fulgosius captus est, & mandato eorum qui publicæ libertatis præsides & protectores dicebantur, in castrum Ilicense relegatus, atque ibi in vinculis habitus. Hoc quidem Fulgosius Cardinalis, eiusque filius quàm ægerrimè tulerunt. Verùm, cùm aduersus authoritatem Senatus, nihil palam moliri auderent, omnem suam iracundiam & indignationem in Angelum Grimaldum, vnum ex præfectis, quòd apertiùs Thomæ aduersaretur, contorserunt,

Genuensium clades.

Seresanum à Florentinis deditione occupatum.

Pax inter Ligures ac Florentinos.

Noui motus in Corsica Thoma Fulgosio auctore concitati.

ita vt per suos clientes aliośque sicarios, suæ crudelissimę tyrannidis administros, ipsum noctu interfici curauerint, sicuti etiam pari crudelitate ante paucos dies in Thobiam Lomelinum, cum quo vetera & priuata odia sibi intercesserant, sæuierunt. Statim itaque post triremium in Corsicam aduentum, Lecensis arx, quam Ioannes Paulus, cuius paulò antè mentionem fecimus, magna cũ audacia prius occupauerat, recuperata est, pariq́. successu Ginerca recepta. Quibus omnibus ad obsequiũ reuersis, Corsici motus ac seditiones maiori ex parte cõpositę ac sedatæ sunt. At interea, Genuæ consopito Etrusco bello, ac rebus Corsicis pacatis, ad tranquillitatẽ & publicum otium cõuerti ciuitas potuisset, nisi veteres illæ ciuiles simultates nouæq́ue tragœdiæ concitatæ, & quasi à tenebris in lucem reuocatæ fuissent: quoniam cùm Pauli Fulgosij purpurati tyrannis potius quàm principatus ita omnibus esset odio atque inuisus, vt nulli essent in ciuitate ordines, nulluśque tam perditæ ac desperatæ vitæ ciuis, qui eum non summoperè execraretur, & modis omnibus auersaretur; necesse fuit, cùm eius imperium ad vltimam iam periodum peruenisset, nouam rerum conuersionem in ipsa Repub. fieri. Siquidem ipse Cardinalis, dira cupiditate & magno æmulationis atque ambitionis studio incensus, magis optabat Reipub. imperium ad exteros Principes, licet etiam iniustos & iniquos, ac Ligustico nomini hostes, transferri, quàm legitima & veteri ordinum omnium electione aliquem probatæ vitæ ciuem communibus suffragiis ad Principatum designari. Præerat hoc tempore Insubriæ dominio, Ludouicus Sfortia, nomine Ioannis Galeacij sui nepotis, Bona Allobrogum Ducis filia huius matre, & Cicco Simoneta, cuius suprà mentionem fecimus, ab omni regimine & rerum administratione, consiliis Antonij Tassi Ferrariensis, quem alij Telesinum vocant, qui ipsi Bonæ à secretiori cubiculo erat, exclusis. Hic enim, inuidia atque incredibili in Ciccum odio exæstuans, authos ipsi Bonæ extiterat, vt Ludouicum, tunc temporis forte fortuna exulantem, in patriam postliminio reuocaret, ac pristinæ libertati & dignitati restitueret: cuius ipsa monitis obsecuta, restituto Ludouico, magnam ingrati animi notam & crimen in eo experta est. Siquidem ipse, iuuenis atque pupilli Principis administrationi & iuuentuti admotus, nihil prius habuit, quàm vt Bonam vnà cum Cicco Calabro, ab omni regimine excluderet. Persuasit ergo solita sua astutia Cardinalis Senatui, vt octo legati nomine Reipub. ad Ludouicum Principem honorificentissimè mitterentur: quibus omnibus liberaliter & humaniter pro ipsius Principis singulari sollertia exceptis, primò inter eos actum est, vt Fulgosius Cardinalis filius, vnà cum legatis profectus, Claram, ipsius Mediolanensis principis sororem illegitimam, in vxorem duceret; eaq́ue re impetrata, nuptiæ coram oratoribus magna cum pompa & summo splendore celebratæ sunt. Legatis igitur hæc & similia negotia cum ipso Principe tractare intentis, interim Genuæ à Fulgosij purpurati æmulis, præsertim verò ab Obiecto & Ioanne Aloysio Fliscis, recèns à Florentinis in pristinam libertatem restitutis, anno eius sæculi duodenonagesimo, noui tumultus excitati sunt. Hi enim, cùm cernerent, iamq́ue non obscurè præsentirent, suam potentiam & veterem auctoritatem prorsus imminutum & labefactatum iri, si Fulgosius Insubriæ Principum ope in vrbis Principatu constabiliretur, omni studio atque viribus conati sunt sese illius cœptis obijcere atque interponere. Quocirca cum Baptista Fulgosio, cui ipse Cardinalis, sicuti antea demonstrauimus, metu ac minis Principatum extorserat, ac etiam cum Augustino & Ioanne Adurnijs, qui ea tempestate in quodam suæ ditionis oppido, Syluano dicto, rusticabatur, omnes consilij rationes ini-

Lecensis arx & Ginerca in Corsica insula à Genuens. recuperata.

Ludouicus Sfortia Mediolanensiũ Princeps.

1488.

nes iniuêre, vt hunc præpotentem purpuratum, nouis artibus potentiam & imperij sedem sibi confirmare molientem, ab instituto deturbarent. Proinde, quò negotium melius ex sententia succederet, domesticas rationes profectioni suæ prætexentes, vrbem egressi sunt, & confestim missis, qui in circumuicinis locis militem cogerent, in municipijs suis tantisper delitescebant, donec ad præscriptum, & inter eos constitutum tempus, militem præparatum ad hostem inuadendum haberent. Verùm, licet illud negotium magna cum diligentia & silentio tractaretur, fieri tamen non potuit, quin ipse Fulgosius Princeps, sagaciſſimè omnia inuestigans, & subodorans, æmulorum suorum studia deprehenderet. cumque sibi suorum factorum probè conscius ac testis esset, ciuium odium veritus, nihil moliri vel designare ausus fuit: sed potius vsitato Tyrannorum more æmulos per cuniculos aggressus, per dolum & astum varijs artibus eos de medio tollere festinabat. Magna igitur frontis hilaritate ac sermonis lenocinio, Obiecto Flisco persuadere conatur, vt, antiquatis priſtinis vtrimque simultatibus ac odiorum causis, in gratiam secum reuerteretur. Verùm ipse longo temporis vsu multis exemplis edoctus, cum quo, & quanto viro sibi negotium esset, qualemue animum erga se gereret, nunquam adduci largis pollicitationibus & propositis præmijs potuit, vt aliquo modo inflecteretur. Cum verò multum periculi in mora esse iudicaret, maturandum sibi statuens, his paucis, quos secum habebat, quorum numerus centenarium non excedebat, constipatus, in vrbem per portam vulgò D. Stephani, quæ tunc temporis armis suorum custodiebatur, irrupit, ibique in eo cœnobio fratrem cum cæteris copijs præstolaturus, se communiuit. Quo intellecto Fulgosius, eum, priusquam reliqui adueniſſent, adoriri statuebat. sed partim obscuræ noctis tenebris impeditus, partim etiam à consiliarijs suis, Fliscorum factioni tacitè fauentibus, dissuasus, commutata sententia, rem ipsam distulit, sperans, non defuturam occasionem, vt aliquorum intermedio & authoritate de mutua reconciliatione ageretur. Deterrebatur etiam à primo suo instituto, quòd sub idem ferè temporis momentum illi nuntiatum esset, Baptistam Fulgosium, magnæ apud suæ factionis studiosos authoritatis virum, in vrbem veniſſe, adeò vt sibi non mediocriter metueret, & multorum authoritatem interpellaret, quorum consilijs de pace constituenda agi valdè exoptabat, ita vt illius noctis melior pars capiendis consilijs, atque grauibus deliberationibus ineundis transigeretur. Interim ipse consilij anceps, irrequieto animo hinc inde per palatij cubicula circumcursitabat, sic vt ferè ad auroræ ortum ad arma conclamaretur, quia Ioanne Aloysio cum magnis copijs in sua ditione collectis, vrbem ingresso, vniuersi, cõiunctis viribus, rectà in curiam, vt illam inuaderent, contendebant. Ceterùm, Fulgosius magna pœnitentia ductus, consilij sui prioris rationes valdè damnabat, quòd suos aduersarios præterita nocte per occasionẽ non præueniſſet, præsertim quòd sese longè superiorem hostium viribus animaduerteret, ac etiam quòd parum spei in populari præsidio, cùm illius fidem valde haberet suspectam, poneret. Ideo desperatis rebus, celerrimo gressu, perpaucis eum comitantibus, nõ citra graue periculum in arcem profugit. Constituerat enim Baptista Fulgosius incredibili, sed iustiſſimo odio propter patratum scelus in eum flagrans, ipsum per occasionem inuadere: sed Paulus Auria purpurato fauens, Baptistam, quò ipse interim fuga sibi consuleret, serendis sermonibus distinebat. Itaque statim, post Fulgosij purpurati ex prætorio discessum, à Fœderatis illud occupatum fuit: & cùm in illud magnus vrbanæ multitudinis confluxus fieret, varijs & multiplicibus sententijs de noua Reipub.

Genua nouis ciuilium bellorum fluctibus agitatur.

Prætorium à Fœderatis occupatum.

forma constituenda, obstinatissimis animis decertatum est, adeò sanè vt propter summam animorum omnium distractionem & consiliorum discrepantiam, grauia iurgia orirentur, & inuicem populus se conuicijs & probris proscinderet, quandoquidem inter ceteras difficultates, quæ incidebant grauissimæ, illa omnium procul dubiò longè difficillima erat, quòd nulla posset reperiri vel inijri ratio, qua postulatis Augustini & Ioannis Adurniorum, qui recèns in vrbem venerant, satisfieret. Hi enim, licet in Fliscam gentem summum ciuitatis honorem declinari prius non semel consensissent, nihilominus metuebant, Baptistam Fulgosium suum aduersarium, posse aliquorum suffragijs in Principatum restitui. In hac certaminum & ciuilium contentionum palæstra, dum sese mutuò plerique ordines exercent, nec satis sibi conueniret, pro vrbis securitate necessarium visum fuit, vt arcis expugnatio non vlteriùs prorogaretur, ne scilicet, defensoribus ex ciuium contentionibus & negligentia sese firmiùs communiendi tempus concederetur. Quapropter ex communi omnium consensu cum Præfectorum & Censorum titulo duodecim electi & designati ciues, qui rerum summæ præessent, ex quibus præter cæteros fuere Ioannes Franciscus Spinula, Constantius Auria, Franciscus Lomelinus, Petrus Persius & Petrus Murchius. Hi statim ad hunc honoris gradum prouecti, partim, vt gratiam sibi apud nobilitatem pararent, partim etiam vt dignitatis existimationísque famam aucuparentur, omnes Præfectos & præcipuarum factionum duces sibi coniunxêre, licet summa totius belli conficiendi administratio in Ioan. Aloysium Fliscum, tum temporis multò maiori in vrbe gratia, quàm Obiectus eius frater, florentem, translata fuisset. Et veriti, ne Cardinalis, accisis iam suis rebus, & ad extrema confugiens, Mediolanensium Principis subsidium ad omnem auertendum nobilitatis impetum imploraret; néue de arcis deditione cum illo pacisceretur, omnibus viribus annitebantur, vt illam quàm citissimè expugnarent. Fulgosius interim, quò tutiùs hostilem vim repelleret, pro suo præsidio non modò arcem ipsam, verùm etiam omnem tractum arci contiguum communiuerat, atq. variis instrumentis bellicis instruxerat, ita vt quotidiè vario & ancipiti certamine circa arcẽ prœlia cõmitterẽtur, & crebræ velitationes fierent. Sed cùm tandem oppidani sæpius feliciori Marte dimicassent, Fulgosij, relictis istis domiciliis, quæ, vti diximus, antea præsidiis firmauerant, sese omnes in arcem subducere, plerisque ex illis domibus incensis ac solo æquatis, coacti sunt. Expugnatio tamen ita difficilis erat, vt oppidanorum conatus, nullos, vel saltem perexiguos progressus facerent. Vnde magna iterum in ipsa ciuitate confusio orieba-
tur. Nam cùm nulla spes ferè affulgeret, illam commodè breui temporis spatio expugnari, prout necessarium erat, posse, graues calamitates, quæ ceruicibus Reipub. omnium iudicio impendebant, non me hercule sine causa ab omnibus sanioris mentis timebantur. Proinde, conuersis omnium animis, vt plerumque in extrema necessitate fieri consueuit, ad illorum potẽtiam, de quorũ patrocinio & ope sibi multũ pollicebantur, confugiendũ statuêre, ac Senatus decreto sancitũ est, vt ad subleuandã Remp. in tãtis angustiis coniectã, ad diuersos Christiani orbis Principes, Ligustici nominis socios, & Reip. dignitatis amãtes, in primis verò Pontificẽ, & Galliarũ regem, legati mitterentur. Quamobrẽ honorificentissima legatio ad ipsum Pontificẽ habita fuit, cuius summa in hoc potissimũ versabatur, vt ipse Pontifex per omnia sacra, ac per cõmunis patriæ salutem, adeóque penates & larem, quibus ipse huic Reipub. coniunctus erat, suam authoritatem ita interponeret, vt afflictæ ac nutanti Reipub. succurreretur. Sed nescio quibus rationibus

Genuæ 12. ciues tanquam Censores designantur.

Ciuiles conflictus.

Legatio ad summum Pont.

nibus ille commotus, surdis, vt aiunt, auribus, huius suæ patriæ demississimas preces tam necessario tempore neglexit. Pari diligentia & festinatione ad Carolum octauum Galliarum regem oratores ablegati, qui Reip. nomine illi vrbem offerrent, simúlque rogarent, vt ad castri expugnationem se saltem pecuniis iuuaret. Ille astuta & callida humanitate singulis ferè diebus, oratoribus diem constituendo, hoc effecit, vt citra aliquem fructum totum illud temporis, quo ipsi ibi egerunt, effluueret, adeò vt post longam moram illius voluntate nequicquam tentata, domum non sine stomacho redierint. Vnus restabat Princeps, vicinus quidem ille, sed multis nominibus suspectus, in cuius gremium si Reipub. imperium iterum deponeretur, nemo erat tam rationis expers, & humanarum rerum imperitus, qui indignitatem rei non vehementer deploraret, vel saltem hoc nomine magnam Reipub. labem recasuram non animaduerteret. Quare cùm huiusmodi ostenderentur difficultates, vt nec salua dignitate Reip., Insubriæ potentiæ Ligusticum imperium subiici posset, nec citra illius auxilium quietè & pacificè, propter factionum diuersitatem, in vrbe ipsa commodè viui, qui Reip. admoti erant, rerum perplexitate ambigui, huc illuc, dum in incerto est animus, impellebantur, & incertis consiliis fluctuabant: vicit tamen fatalis illius necessitas, vt post, longas atque maximas disceptationes, decretum fuerit, vt ad Ludouicum Sfortiam, rerum apud Insubres potientem, legatio mitteretur, qua illi obsequium & obseruantia publico nomine denuntiaretur. Ceterùm, Ludouicus, sagacis ingenij alioquin vir, & in rimandis atque olfaciendis exterorum Principum consiliis, emunctæ prorsus, vt dicunt, naris, cùm intelligeret, hanc Reipub. voluntatem & studium non tam ex mera beneuolentia, quàm potius à necessitate proficisci, hoc vnum callidè agebat, vt indies magis atque magis ciuitas ipsa defatigata ac nutans, opprimeretur; ideóque Franciscum Sanseuerinatem, cum aliquot militaribus cohortibus ac equitum turmis, ad arcis præsidium inferendum, in Ligusticos fines transmisit, tantúmque metum & pauorem promiscuæ multitudini iniecit, vt omnia ima summis immiscerentur: Paulóque antè, ciues Genuenses inconsulto & insalutato senatu, priuato, vt dicunt, nomine, ad ipsum Ludouicum Principem, Thomam Iustinianum, virum licet nobilem, tamen popularibus studijs fauentem miserant, qui eum edoceret, nullam aliam ob causam in ipsa ciuitate tumultuari, vel conuersis studiis in Fulgosium arma suscipi; nisi ob illius intolerabilem tyrannidem, summam in proximos perfidiam, & in vniuersos citra vllam exceptionem inauditam & barbaricam inhumanitatem. Ceterùm, se, propensissimis animis obseruantiam pristinam & iure debitam, nunquam recusasse, & etiamnum paratissimis animis præstare ac exhibere velle. Quibus verbis Princeps ipse se delinitum & pacatum esse simulans, & ficta vultus hilaritate se cum illo populo in gratiam rediisse commonstrans, quamprimùm Conradum Stangam, & Brandam Castilionem, viros, vt magna prudentia conspicuos, sic etiam insigni gratia apud se florentes, ablegauit, quibus seriò iniunxit, vt summa cum diligentia ac omni cum contentione procurarent, vt ea Respub. cum integro eius dominio, consopitis & antiquatis omnibus pristinis controuersiis, in potestatem suam reciperetur. De quorum aduentu præmonita ciuitas, quatuor ciues publico decreto designauit, quibus id negotij commissum est, vt modis omnibus cum Mediolanensium Principe in gratiam rediretur. Magnæ tamen ac perdifficiles difficultates multorum animis obuersabantur, cùm plerique satius esse iudicarent, vt Gallici regis animus noua legatione pertentaretur. Sed Insubriæ Principis legati tanta sollertia,

industria & dexteritate vtebantur, vt superatis omnibus difficultatibus, inter vtramque partem certis sub conditionibus transigeretur. Et in primis quidem, vt Baptista Fulgosius à purpurati Principis patrui sui oculis remoueretur, eáque de causa aliquamdiu vrbe abesset: vt Augustinus Adurnius nomine Ludouici Sfortiæ Mediolanensium Ducis, vel eius successoris, per totum decennium Reipub. Genuensis administrationi cum imperio præesset. Vt Fliscæ genti antiqua priuilegia & immunitates in vrbe integra & salua pro veteri instituto conseruarentur. Prætérea, vt ipse Cardinalis Fulgosius omni Reipub. administratione penitus abstineret, atque illi, post arcium restitutionem, sex millia aureorũ nummûm ex Camera Ducali in annuum stipendium quotannis persoluerentur. Quod sanè vt commodius fieret, & ipsi Cardinali caueretur, aliquot patricij ordinis ciues, se se prædes interposuêre, priuatámque fidem hoc nomine obstrinxerunt. Postremùm, vt in ipsum Mediolanensium Principem totius Reip. imperium sollemni de more transferretur, & conditiones initæ, ratæ haberentur, sicuti etiam mox factum est, missa ad eum splendida atque honorifica legatione; in qua, præter multos insignes atque præclaros viros, fuerunt sexdecim, genere, virtute ac rerum gerendarum peritia conspicui, nempe, Franciscus Soffius, Ioannes Marinus, ambo iuris ciuilis peritissimi, Ioannes Franciscus Spinula, Ioannes Petrus Viualdus, Christophorus Cataneus, Hieronymus Gentilis, Ioannes Ambrosius Fliscus, Ioannes Grimaldus Ceba, Augustinus Auria, Thomas Iustinianus, Petrus Baptista Guitius, Petrus Saulus, Acorsius Burlasca, Gaspar Sanpetrius, Michaël Turbinus, & Georgius Clauarus. Hi, nomine Reip. pacem cum ipso Duce initam, confirmarunt, & constabilierunt. Quibus rebus, vti diximus, constitutis, post parum interualli Sanseuerinas iussu Principis haud aspernanda militari manu constipatus, Genuam venit, vt omnium rerum possessionem Principis nomine sibi vendicaret. atque hoc modo arcibus à Fulgosio receptis, ciuiles contentiones maiori ex parte sublatæ sunt, quamuis eo propemodum tractu temporis, Consentinus Antistes, Pontificis nepos, non ita longè à Rapallo incognito habitu deprehensus, caperetur; qui se opera & consilio Obiecti Fliscí eò contulisse dicebatur, vt hanc pacem recèns cum Mediolanensibus constitutam, occultis artibus atque tacita ciuium largitione impediret. sed quòd potentissimus quisq. in vrbe ei faueret & tacitè patrocinaretur, omni suspicione amota, breui pòst liberatus est. Tradunt tamẽ, hoc magis in Pontificis gratiam sui patrui fuisse factum, quàm suæ innocentię, cùm culpa omninò non vacaret, condonatum. Interim Fulgosius, restitutis munitionibus, cùm sibi Reipub. administratio minus arrideret, priuatam vitam pertæsus, Romam duabus nauibus enauigauit: sed in itinere graui ac periculosa tempestate coorta, parum abfuit, quin propter fluctuũ ac procellarum vehementiam naufragium pateretur. Vtcumque tamen eo tempore euasit, coactus fuit, eum sequi cursum, quẽm ventorum flatus atque rabies magna cum violentia imponebant, adeò vt altera nauis in Corsicam delata, ibi submersa fuerit, ipse verò cum altera quassata & semilacera, ad Centum-cellas, quam hodiè Vrbem veterem vocant, seminaufragus, indéque Romam peruenit. Paucis interiectis diebus, Galliarum regis orator Genuam appulit, eo nomine, vt vrbis administrationem pro suo Principe susciperet. Superius enim demonstrauimus, Genuenses summa necessitate adductos, huius regis subsidium imploraſſe, eíque constituendæ Reip. gratia, illius curam atque administrationẽ obtulisse. Cùm verò tunc temporis, ipse Rex, variis adductus rationibus moram necteret, & consilij maturitatem ex tempore

Genua iterũ sub Mediolanensium Principum domino.

Fulgosius Card. atroci tempestate iactatur.

pore metiretur, ipsi oratores dubia sub spe infecto negotio domum redierant. Cùm igitur hæc legatio serius aduenisset, & iam cum ipso Mediolanensium Principe transactum esset, post longam atque multam gratiarum actionem, & perpetui Reipub. studij erga ipsum regem oblationem, honorificè dimissus est. Postero anno, qui fuit vndenonagesimus, sub huius Ludouici Principis domina- 1489.
tu & Augustini Adurnij regimine, sic satis commodè atque pacificè cum omnium satisfactione domi forisque viuebatur, ita vt in tranquillo Reipub. statu mira omnium rerum fieret accessio. Nam, cùm ipsi Ligures, vt sæpius antè diximus, sagacissimis sint ingeniis, & valde industrij, magnam cum exteris nationibus in commutandis mercibus habent consuetudinem, sic vt exoticæ merces cum incredibili totius Italiæ fructu in plerisque foris venales pro commodo pretio extarent & diuenderentur. Verum enimuerò, paucis pòst mensibus fatali vrbis genio euenit, vt nonnullæ nouæ turbæ, authoribus Adurniis, concitarentur. Hi enim, cùm ab aduersa factione diu oppressi essent, tunc Adurnio rebus gerendis admoto, nihil non sibi licere arbitrabantur, eorúmque audacia & insolentia indies magis atque magis grassabatur. Ceterum hæ nouæ conturbationes ac motus, singulari prudentia & moderatione Conradi Stanghæ, qui Principis nomine in vrbe legatum agebat, nonnihil sedati atque restincti sunt. Hic enim, cùm esset ingenio valde acuto, & in hominum rimandis naturis sagacissimo, ita sese Genuensium moribus attemperarat, vt vel hoc solo nomine præstantissimos quosque sibi deuinxisset, magnamque gratiam passim apud omnes conciliasset, adeò vt quamuis Reip. administratio potissimum apud ipsum esset, tamen Adurniis ceterísque præstantioribus in consilium adhibitis, imperij partem in optimum quemque deriuaret; tantaque prudentia & animi moderatione præerat, vt nihil, quod ex vsu Reip. esset, negligere videretur. ipse etiam ea præcipuè de causa auctor senatui extitit, vt indutiæ ad certum tempus cum Florentinis iterum transigerentur: quod tamen haud citra summam difficultatem impetrari potuit. Nam Ligures, post amissam Seresanam, perpetuas inimicitias cum hac gente exercuêre, ita vt admodum difficulter ad has constituendas adducerentur. In idem fermè tempus inciderunt Ioannis Galeacij Principis nuptiæ cum Isabella Alfonsi Calabriæ Ducis filia. Hæc Principũ necessitudo à Repub. magnum officium exigere omninò videbatur. Quare, ne aliqua in parte Mediolanensium Principum honori derogaretur, senatus procurauit, vt ad excipiendam sponsam, quæ Genuæ indies expectabatur, omnia illa fierent, quæ ad testandum publicum gaudium & debitum obsequium pertinerent. Sponsa igitur, vbi Genuam venit, à senatu cum magna pompa atque splendido apparatu, subsequente vrbana multitudine ac faustis acclamationibus in prætorium deducta est, & post aliquot dierum continuos applausus atque congratulationes, discessus eius publico bono nobilitatus. Et quò ciuitas à prioribus calamitatibus ac ærumnis respiraret, atque hilarior esset, subsequenti anno senatus decreto remissa sunt 1490.
nonnulla vectigalia, quæ ob præteritorum temporum conditionem recèns imperata fuerant. Sed ne interim aliquid Reip. decederet, Magistratus Georgianus promisit vectigalium abrogatorum loco, annuum censum triginta trium millium librarum. Iisdem quoque diebus, publica lætitia nuptiis Leonoræ Roberti Sanseuerinatis filię, quę Ioanni Adurnio sollemni ac regia ferè pompa nupta fuit, continuata. Hæ namque tanto cum splendore ac magnificentia celebratę sunt, vt exstructis in hoc theatris, publica spectacula antiquo more exhibita fuerint. In palatio etiam hastiludia, aliaque equestris ordinis exercitia passim habita,

Genuens. industriæ

Conradi Stanghæ Genuensium legati, eximia in gubernando prudentia & moderatio.

Ioannis Galeacij vxor Genuam proficiscitur.

multáque donaria & xenia ex parte Reip. nouæ sponsę ac plerisq. gynęcei matronis & parmenionũ virginibus data & distributa. Nec ita multo pòst accidit, vt Insuber, pro maiori illius Reip. dominij confirmatione, omnẽ ditionẽ Ligusticã à Carolo Galliarum rege feudatario iure ac titulo, sicuti eius prædecessores fecerant, obtineret, esſetque illius beneficiarius. Quod certè vniuersis omnium gratissimum extitit, nec aliquid publicæ quieti vel felicitati deesse videbatur, nisi vt oppida, à Florentinis nuper occupata, restituerentur. Verùm, quia restitutio sub aliarum rerum prætextu subinde protrahebatur, Princeps passim malè audiebat, quasi Florentinorum partibus tacitè faueret; adeò vt tandem Brandam Castilionem ea de causa Genuam ablegarit, vt de voluntate atque consensu senatus, indutias pro vnius anni spatio, cum Florentinis nomine Reip. iceret: quod tamen ægrè omnino extorsit potius quàm obtinuit, quia hoc pacto exigua spes fore videbatur, vt loca ab ipsis, vti diximus, occupata reciperentur. His tamen constitutis, tranquillitas publica indies maior ac securior fiebat, & commercia magno cum omnium emolumento incredibiliter augebantur. Ijsdem fermè diebus, Ioannes Galianus Nicia oriundus, haud obscuri nominis pirata, à Iuliano Magnerra, viro strenuo, ac terrestribus & maritimis expeditionibus claro, eò tandem adactus est, vt in portu, quem indigenæ Vignonetũ appellant, quinque ac viginti millibus passuum Nicæa versus Galliam Narbonensem distanti, transactione quadam, duabus nauibus quas habebat instructissimas, cederet: pro quibus deinde Senatus illi ad certum tempus, quandam pecuniæ summam per singulos annos depromi iussit. Circa eadem ferè tempora, Franciscus Entorellus Valentinus, ex nobili familia, qui iamdudum piraticam exercendo, Genuensibus propter assiduè illata damna formidabilis esse cœperat; cùm ex Sardinia Plumbinum adnauigaret, dira atque atroci tempestate naui disiecta, conscenso lembo, vix tandem saluus atque incolumis vnà cum suis ad littus peruenit. Ceterùm, omnes quamprimum à Christophoro Cataneo, tunc eius insulæ procuratore, capti sunt, & quæstione de illis habita, retectis eorum delictis, ipsum Franciscum, ac duos & viginti ex suo comitatu, publico supplicio animaduersum est. Cuius supplicij acerbitas Carolo eius fratri, qui altera triremi vectus naufragium euaserat, maximum terrorem incussit, verito, ne in par crimen incurreret, & consimilem casum experiretur; maximè intellecto, Genuensium animos vsque adeò ira atque odiis incensos, vt nullius præmij, quantumuis magni, oblatione, illius manus posset effugere, adeò vt in posterum ab inferendis iniuriis, multò maiori cautione adhibita, abstineret. Interea temporis, tametsi inter ipsos Ligures, atque Aragonios, antiquum odium, sicuti antea demonstrauimus, intercessisset, nihilominus tamen vtrimque aliquamdiu ab armis temperatum, sic mediusfidius, vt de pace haud mediocris spes affulgeret. Proinde Ludouicus Princeps, pactis cum Florentinis indutiis, nihil habuit antiquius, quàm vt vtramque gentem ad mutuam pacem sua auctoritate atque opera inflecteret ac reuocaret, eaque de causa Senatus, Antonium Bracellum, virum singulari eruditione ac virtute præstantem, ad Hispani regis oratorem, Romæ subsistentem, ablegauit, eo tamen successu, vt paulò pòst, rebus infectis, domum redierit, aduersante in primis eius conatibus Villamarino antiquo & inueterato Reip. hoste, qui pacem antè sæpiùs initam, citra alicuius fidei religionem, vel respectum, non semel turpiter violarat, & subinde piraticam exercendo, & Aragonias partes propugnando, Ligusticæ oræ tractum variis excursionibus diuexabat, in tantum, vt ad illius vim atque ausus reprimendum, Reip. necessa-

Pax inter Genuens. & Aragonios frustrà tentata.

rium

rium foret, vt quatuor triremes optimè instructæ, Bricij Iustiniani auspicio educerentur; ísque, nauigationis cursu in Sardiniam directo, dúas triremes ipsius Villamarini in littus detrusit, sic tamẽ, vt fermè omnes vnà cum sociis naualibus ac remigibus incolumes euaderent: in his verò complures Ligustici nominis adiuenti, quos Villamarinus compedibus deuinctos asseruabat, eósque statim Genuensis Præfectus pristina libertate donauit. Ceterùm breui pòst, Villamarinus, ope atque auxilio Saracosæ, Neapolitani regis trierarchi, Iustinianum adortus, post acrem & cruentam dimicationem, vnam ex suis triremibus recuperauit. 1491.

Inter hæc Beatrix Atestina Ludouici vxor, Genuam recreandi animi gratia perrexit, quæ ab omni Senatu ceterísque Ordinibus, honorificentissimè excepta fuit, sicuti etiam paucis pòst diebus, Hercules ipsius pater, Genuam vrbis inuisendæ causa profectus. Hoc anno Ferdinandus quintus, Ioannis Aragonij vnicus filius atque hæres, partem Bæticæ, siue Illiberis, quam Granatam vocant, à Mauris septingentos octoginta annos occupatam, recepit, pulsíq. Saracenis, & Mahumetica superstitione, templa Deo Opt. Max. condidit, & tandem de vniuerso regno cum magna nominis gloria triumphauit: vnde postea Catholici cognomentum sortitus fuit. Hanc tam insignem victoriam adeptus, Genuam legatos misit, qui Senatum de his rebus tam prosperè ac feliciter gestis edoceret, eaque de causa publicè supplicationes decretæ, gratésque ad Deorum puluinaria exsolutæ: Ipsi verò legati perbenignè à Senatu excepti, nec sine muneribus dimissi. Eodem anno Margareta Laurentij Valestarij vxor lacertam enixa est, in qua pinnæ, alarum instar, pro pediculis erant. Quod sanè meritò inter prodigia numerari potest, illi simile, quale C. Tacitus grauissimus historiæ Rom. auctor, refert, vbi Agrippinam Neronis matrem, eius iussu interfectam narrat. Prodigia crebra, & irrita interceßêre, anguem enixa mulier, & alia in mariti concubitu exanimata. Iulius etiam Obsequens, in eo libello quem De prodigiis inscripsit, inter cetera, memoriæ prodidit L. Scipione & Caio Norbano Coss. in Etruria Clusij matremfamilias viuum serpentem peperisse, qui iussu Aruspicum in profluentem deiectus, auersa aqua natauerit. Porrò de prodigiis, monstrosíque partubus, quibus referta sunt doctorum monumenta, cum Antwerpiæ mihi cum Doctore Aluaro Nonio, singularis eruditionis viro, sermo esset, de ijs illum hunc in modum tractasse recordor. subiungam ipsius verba, tum ob eorum elegantem breuitatem, cum etiam ob memoriam viri mihi amicissimi. Monstra, inquit, Ciceroni lib. 2. de natura deorum, dicta sunt, quia futurum aliquem euentũ monstrant: neque verò mirandum est, quòd horrendum & insuetum aliquod tale ipsis quippiam præsagire videretur, quibus persuasum erat minimas, leuissimas ac ridiculas prorsus res diuinationes efficere: cuius equidẽ fidẽ faciunt eorum collegia, augurum dico, ariolorum, haruspicum, & aliorum huius farinę hominum. Quæ opinio veterum pęnè omnium fuit, exceptis dumtaxat philosophis aliquot, ac inter alios Aristotele, & quæ illum est secuta Peripatetica schola. quæ cum magistro statuit, omnia huiuscemodi portenta aberrante natura produci, ideóque nihil præsagire, nihílue monstrare: sic enim totam hanc rem definiunt: Monstra peccata sunt naturæ, agentis ob finem aliquem, à quo frustratur corrupto interno principio. corruptelam induci vel in materiam ex qua gignitur, vel in formam qua efformatur. Horum porrò si alterum, vel vtrumque copia redundet, inopiáue deficiat; aut aliena prauáque qualitate sit affectum, talia generari asserunt. Addunt vitium si quod sit in calido, aut humido innato, vt nec tale, tantúmque sit, quali, quantóue opus est. præterea si locus

Bætica à Ferdinando expugnata, & Mauri deniçli.

Mulier Genuens. anguẽ enixa.

Mõstra quáre dicantur.

quo

quo excipitur, sit ineptior, si cælum & aër in quo gignitur, minus sit temperatus: istorum inquam concursus quos συνδρομὰς appellant, variatæ, ac vitiatæ conceptionis causas nominant, hinc varias, ac horrendas formas, & spectacula nostris oculis exhiberi. Quæ me herculè sententia cùm sit valde probabilis, à nostris, id est Christianis hominibus, est suscepta. Quamquam ij non omnem ostentis ac ominibus fidem tollant. Sed piè admodum arbitrantur, nonnunquam permissu Dei hæc hominibus ostendi, quò illos suorum scelerum arguat, vindictámque minetur, nisi resipiscant.

LIBER XVI.

1492. *Innocentij Oct. Rom. Pont. interitus.*

SVBSECVTVS annus, supra millesimum scilicet, quadringentesimum secundus & nonagesimus, Innocentij Pontificis octaui ex nobili Ciborum gente, cuius etiam suprà mentionem habuimus, nobilitatus, qui tametsi Genua oriundus esset, eíque hac de causa plurimum deberet, tamen contra omnium bene institutorum ingeniorum naturam, non citra magnam & immortalem ingrati animi notam & reprehensionem, vniuersæ suæ patriæ infensissimus hostis extiterat, ita vt Ligures eius obitum effusissimis gaudiis prosequerentur. Huic Rodericus Borgia, patria Valentinus, antiqua Borgiarum familia genitus, & Xisti Pontificis nepos, post multas atque graues purpurati collegij dissensiones, tandem successor datus est, & Alexander VI. nuncupatus. Habeo non grauissimos auctores, qui tradant, inter Ascanium Sfortiam & Iulianum Roterum, potentissimos eo tempore purpuratos, mutua æmulatione atque ambitione decertantes, pestifera iurgia in conclaui, vt ipsi vocant, excitata atque orta fuisse, adeò vt tandem hic Borgia, cùm multis magnis sacerdotiis, aliísque priuatis facultatibus inter ceteros præstaret, magna largitione facta, plerorumque Cardinalium fœdè suffragia licitaretur, eo successu, vt, propter primatum dissensionem, ipse facilè concupitam dignitatem consequeretur: ad quem senatus, pro veteri Reip. instituto ac iam recepto more, statim post adeptam dignitatem, Iacobum Spinulam, virum eloquentia, & iuris peritia insignem, Ioannem Baptistam Adurnium, Paulum Fliscum, & Siluestrum Inureum legatos destinauit, qui illi publico nomine congratularentur. Verùm, cùm Romæ inter ipsos, & Florentinos oratores de supremo honoris loco acris contentio, vti nonnunquam fit, orta esset, & neutra pars alteri cedere vellet, Pontifex, desumptis sibi iustis iudicis partibus, illam disceptatiouem ita definiuit, vt, propter Reip. Genuens. in Rom. Pontificem perpetuum studium, & propensionem, aliáque propriæ dignitatis merita, secundum eos pronunciaret. Ceterùm hanc Reip. tranquillitatem atque lætitiam grauissima simul & atrocissima pestis sub initium proximi anni subsecuta, quæ cum ingenti strage atque infinitorum hominũ interitu per totam ferè Europam longè latéque grassata est, confudit, atque interrupit, adeò profectò, vt verè dici possit, gaudij extrema luctum ac gemitum occupare. Idem annus, propter immensum frigoris rigorem, supramodum clarus ac memorabilis fuit. siquidem, mare ipsum Genuæ in plerisque locis, præcipuè verò circa molem & angiportus, ita fuit gelu & glacie constrictum, vt nauigia, instar domorum, solidis suis fundamentis subnixa viderentur, nec vllo pacto à statione dimoueri poterant. Quod sanè haud mirũ videri debet, cùm præsertim veterum Annales referant, aliquando hiemem ita sæuam extitisse, vt obducta glacie, nisi effossam humum tentoriis locum non præbuisse, ambustósque multorum artus vi fri-

Rodericus Borgia Romæ Pontifex creatur.

Romanus Pont. pronunciat secundum Genuens. contra Florentinos.

1493. *Genua diuexatur peste, vti etiam propemodum vniuersa Europa. Genuæ asperrimum frigus & glacies.*

vi frigoris, & quosdam inter excubias exanimatos; annotatumq., militi qui fascem lignorum gestabat, ita prærigiuisse manus, vt oneri adhærentes truncis brachiis deciderint. Et quia per id tempus, Reipub. nonnullæ controuersiæ cum Ferdinando Castiliæ rege, eiúsque coniuge Isabella intercesserant, suffragantibus Patribus publico nomine Franciscus Marchesius, & Ioannes Grimaldus, quorum opera atque industria componerentur, missi fuerunt, híque tanta sollertia & dexteritate negotium sibi concreditum tractauêre, vt paucorum dierum interiectu, rebus ex sententia confectis, domum voti compotes reuersi, summísque congratulationibus excepti fuerint. Nec sanè ignorandum esse puto, eadem ætate, Lusitaniæ Regum beneficio, aliorumque singularium virorum diligentia, post longam & difficillimam inquisitionem, & ad propagandam gentium omnium publicam vtilitatem, immensos atque exhaustos labores, Americam, aliasque noui orbis partes, hactenus omnibus sæculis incogniti, non cum minori totius orbis nostri emolumento, quàm admiratione repertas & inuestigatas fuisse. Licet etenim multi & industrij viri exiterint, qui rei naualis scientissimi, multum operæ in hoc nouo orbe retegendo, omnibus vitæ periculis contemptis, laboribusque postpositis, non semel insumpserint, nihilominus tamen patrum nostrorum memoria, quod equidem sciam, nemo fuit, qui cum Christophoro Columbo naualis scientiæ absolutissima peritia apud omnem venturam posteritatem, iure optimo aliqua ex parte conferri vel comparari possit. Proinde operæpretium mihi videor facturus, si huius vitam, quálibet à multis claris historicis descriptam & annotatam, huic historiæ nostræ intexuero. Nam cùm ipse Ligur fuerit, magnam, me herclè, reprehensionem adirem, & iniquus alienarum laudum æstimator viderer, si ego, Ligusticam historiam qualibuscumque viribus conscribens, tanti viri virtutem, & excellentem industriam, ceu ignorantiæ tenebris inuolutam, aliquo modo præterirem. Quarè ad euitandam omnem suspicionem, prolixiùs forsitan, quàm aliquibus necessarium videbitur, eius vitam & laudes gratis animis prosequemur. Satis igitur constat, vt nemini dubium videri debeat, Columbum planè obscuris parentibus, & locis fuisse natum, quippe quorum conditio infra mediocritatem existens, adeò fuerit tenuis & angusta, vt pro veteri Ligurum, maritimam oram accolentium, instituto, piscationibus, aliisque naualibus exercitiis vitæ subsidia quæreret; tametsi non desunt qui dicant, illum patre lanifico, seu textore, genitum, atque ipsum primis annis textoriam artem aliquamdiu exercuisse: vicus verò, asperitate loci & solitudine ignobilis, Arbizolo dicitur, non ita longè à Sauona distans. Ipse itaque, cùm ab ineunte ætate maiorum suorum studia & instituta secutus, rem nauticam, citra aliquam ferè temporis intermissionem, tractaret, adulta iam ferè ætate, in eam se curam totum contulit, vt ex variis susceptis nauigationibus, rerum naualium & maritimarum absolutam & exactam quandam consequeretur peritiam. Et postquàm tyrocinium suæ artis, diuersis, ijsdemque peritis nauarchis magna cum sua laude & eorum satisfactione posuisset, ita vt nullus ferè esset maris Mediterranei, & oræ Occidentalis angulus, quem non perlustrasset, nauigationum susceptarum prospero atque felici successu alacrior factus, maiora secum animo subinde meditabatur, &, vt in heroicis naturis fieri consueuit, præteritas profectiones tanquam triuiales & nimium frequentatas fastidiens, irrequieto animo, & ingẽti cura, hoc vnum quærebat, vt nominis sui obscuritatem aliquo egregio & memorabili facinore insigniret atque illustraret, adeò vt cùm indies magis atque magis iuuenilis animus proferendæ

Christophori Colũbi nauigatio in nouũ orbem.

ferendæ famæ cupiditate flagraret & inflammaretur, in Lusitaniam, Oceanum emensus, transfretarit, & Vlyssibonæ tantisper substitit, donec per occasionem in Indiam, vel alias incognitas, & à nemine perlustratas regiones, commodè enauigare posset; cuius sui desiderij cùm post longam & tædiosam moram, nullum fructum referret, omnemque spei ansam præcisam sibi animaduerteret, in Britanniam ad Henricum septimum, potentissimum Regem, enauigauit: nec ita longo interiecto tẽpore, iterum eo consilio in Lusitaniam rediit, vt in Regis Ioannis admissus colloquium, animi sui decreta, & maturas deliberationes detegeret. Sed eius cum Rege congressus, hunc habuit exitum, vt nullã, vel saltem exiguam eius dictis tunc temporis, fidem haberet, & propter rei nouitatem, & incredibiles audictis tunc temporis, fidem haberet, & propter rei nouitatem, & incredibiles audsus, cachinno dimitteretur. Hæc tam grauis & ignominiosa à Rege relata repulsa, in tantum eius animum generosum feriit & concitauit, vt per totum septennium incerto cursu & gyro, ac citra aliquam famæ existimationisque propagationem, errabundo similis, huc illuc circumferretur. Tandem in Hispaniam, eo tempore, quo Ferdinandus & Isabella, propter incredibilem & inauditam animorum generositatem, & mutuam concordiam, summa cum laude, & immortalis gloriæ fama Hispanias administrabant, appulit. Ipse etenim ex constanti fama, tanti regis virtutibus & laudibus cognitis, in non exiguam spem erigebatur, se benignum Principem habiturum, & hoc pacto voti aliquandò compotem futurum. Verùm, cùm non ignoraret, ad Principum gratiam promerendam, iter angustum ac difficile, præsertim exteris & ignotis, esse, tantum industria & sollertia sua effecit, vt Alfonso Mendotio purpurato, & Alfonso Quintauiliæ, in aula regia tunc temporis multa gratia & auctoritate florentibus, innotesceret. Cum his itaque suum institutum sæpius communicans, id tandem assecutus est, vt, horum ope ac patrocinio ad regem intromissus, ipsemet liberos ijsdem de rebus sermones conferret. Is verò, etsi prius suorum procerum, quos nominauit, colloquio ac persuasione haud parum moueri cœperat, nihilominus tamen grauissimi ac diserta Columbi oratione firmissimis rationibus innixa, magis magisque accensus est, adeò vt illi protinus nauim opportunè instructam, & duas celoces, ex his, quas vulgò Caramussolas vocant, tradi iuberet, in quibus, vltra centum & viginti selectos milites, omnes fermè Hispanici generis, omnia suppeditata sunt, quæ ad tam longinquam & periculosam nauigationem pertinere existimarentur, ita vt omnibus rebus ritè constitutis, anno recuperatæ salutis supra millesimũ quadringentesimũ nonagesimo secũdo, tertio Non. Augusti, primam expeditionem è Gadibus soluens, susciperet, inter Occidẽtem ac Meridiem cursum tenens, & perpetua nauigatione ac ferè eodem ventorum afflatu vltra triginta eius dies insumpsisse dicitur, antequam in alicuius continentis terræ conspectum deueniret. Cùm verò eius comites, siue tam longę nauigationis satietate actędio, siue potius quadam diffidentia permoti, quòd scilicet, de susceptæ ac institutæ nauigationis successu ambigerent, & ferè omnes desperarent, cùm viderent hominis constantiam adeò esse singularem, vt non facilè à proposito deduci, ac vllo verborum lenocinio remoueri posset, asperis & contumeliosis verbis apertè illi subminari cœperunt, vt nisi se in Hispaniam mutato cursu reduceret, se non emissuros, quin de tanta eius temeritate pœnas ab eo exigerent. Pari etiam modo nautæ ac remiges in eum conspirare & conuiciari non desistebant, sic vt non obscurè illi mors ab omnibus denuntiaretur. Ipse tamen vsqueadeò graui & facunda oratione omnium irritatos animos placauit atque permulsit, vt eius verbis inflexi, se alacriter, quod nauigationis superesset, perficere paratos esse polli-

Ferdinãdus & Isabella Hispaniarũ reges.

Prima Christophori Columbi nauigatio.

cerentur.

cerentur. Proinde institutum iter prosequutus, tandem in insulam ingentem, nomine Hispaniolam, ab ipsis postea sic nominatam, peruenerunt; quæ sanè à Gadibus, rudi supputatione milliarium Italorum facta, circiter quinque millibus distare dicitur, & Cancri Tropico supposita, in longitudinem tota exporrigitur, ita vt calastaneæ folij formam fermè referat, & Britanniam magnitudine æquare, vel, vt nonnullis placet, excedere perhibetur. In continentem igitur suis ibi expositis, summa cum diligentia & cura omnia loca etiam minutissima inuestigabat, tanta me hercule cum sagacitate & inexplebili animi auiditate, vt breui spatio totius illius regionis tractum, incolarum statuta, mores ac ritus, quæque ex eis partibus ad Europæos deriuari possent commoda, & emolumenta, sollertissimè indagarit, & in hac prima eius nauigatione nihil omninò prætermiserit, quod notatu, vel obseruatu dignum iudicaret: ac sequenti anno, post longam & permolestam nauigationem, Barcinonem ad regem rediit. Attamen quia rerum inuestigatio breui temporis interuallo facilè haberi nequibat, magna cum prudentia aditis regionibus nonnullos ex suis, ad indigenarum mores, & illarum regionum naturam & commoda exploranda relictis, totidem ex illarum incolis, tanquam mutuæ fidei obsides, assumpserat, quos secum adduxit, & Ferdinandũ regem ac Isabellam coniugem plenissimè, de omnium rerum successu, in suo reditu edocuit. Hi, totius negotij statu intellecto, in haud mediocrem amplificandi & proferendi regni sui spem erecti, hanc sibi occasionem diuinitus oblatam existimantes, eam modis omnibus amplectendam esse censuerunt. Quapropter confestim omni studio classem septendecim nauium fabricari & expediri iusserunt, easque omnibus bellicis apparatibus, ac mille & quingentorum armatorũ manu instructas, Columbo ipso duce, iterum in ignotum illum orbem ablegarunt. Columbus haud ita multò pòst, duobus suis fratribus concomitatus, & in socios itineris ac laborum assumptis, eodem curru secundam nauigationem instituit, ac post multas perpessas tempestates & pericula, tandem in prius à se perlustratas oras salutis & incolumis peruenit; indeque suam nauigationem vlterius prosequutus, multas insulas, prouincias, regna & imperia, hactenus incognita & inaccessa, magna cum sua laude, regisq. sui admiratione, nec non singulari emolumento adiit, & perlustrauit; & pleraque eorum, Hispaniarum imperio adiecit, adeò vt post multas res præclarè ac fortiter gestas, magna Hispaniarum regibus, ex huius viri summa industria atq. fidelitate, parua temporis intercapedine, accessio facta sit. Reuersus enim in Hispaniam, magnarum opum ac pretiosissimæ supellectilis acerruum inde contulit, quæ postmodum per totum orbem Christianum magno cum compendio datæ, distractæ ac diuenditæ fuerunt. Paribus auspicijs ac prosperitate in tertia sua & quarta nauigatione vsus est, & postremùm in Hispaniam reuersus, cùm iam ætate ac senio confectus, tolerandis laboribus impar esset, vacatione ab ipso rege, ceu emeritus miles, impetrata, ad reliquum, quod supererat vitæ, in otio transigendum, sese contulit, & Vallendolium, exiguũ quidem, sed clari nominis oppidum, quietis suæ sedem delegit, in quo etiam breui pòst, anno scilicet millesimo quingentesimo sexto, mense Maio, fatis concessit. Rex verò, ne erga tanti viri merita & incredibiles labores aliqua in parte ingratus esse videretur, ad perpetuam eius nominis & famæ celebritatem, ipsum statim sub felici rerum gerendarum initio, perpetui nauarchi Indiæ, suo imperio parenti, quem vulgò Amirantem vocant, titulo insigniuerat, qui titulus iure hereditario ad eius filium, quem vnicum reliquit, eiusque successores, ex regis beneplacito, post illius obitum, demanauit. Et, vt inter nobilitatem ipsam, suum

Hispaniolæ magnitudo, & à Gadibus distãtia.

Secunda Columbi nauigatio.

Columbi in Hispaniam reditus.

Eiusdem interitus.

suum locum & gradum suo iure nanciscereturac etiam, non secus ac si ex antiqua & verè illustri familia oriundus, ad capessendos honores ac dignitates par esset, rex incredibili indulgentia hoc eius immensis meritis præstitit, vt pro insignibus suis, vt vocant, natalitiis, regia insignia Castellæ ac Leonis gereret, ac insuper prænomine DON, nullis, nisi viris illustribus concedi consueto, ab ipso rege fuit cohonestatus, ea permissione, vt etiam ad eius posteritatem transiret.

Columbus max. honoribus afficitur à regibus Hispaniarū.

Nec tanta liberalitate in eum, vsum fuisse contentus, rex ipse sponte sua cum Columbo post vnā atq. alteram admodū prosperam expeditionē pactus erat, vt decima pars censuum & redituum omnium regionum per ipsum inuentarum, citra aliquam iuris prætensionem rediret: quos sanè ipsum assecutum fuisse omnino verisimile est, cùm satis constet, eum tanta in existimatione & honore apud regem & reginam fuisse, vt, præter alia ac multa priuata priuilegia concessa, illum etiam communi mensa dignarentur, ac in quotidianis congressibus nunquam, nisi communicata sede, admitteretur. Nec sanè immeritò, cùm eius virtutes & beneficia generi humano ab illo præstita, tanta sint, & tam præclara, vt nulla oratoria eloquentia exprimi ac enarrari possint. Hactenus de fausta Columbi nauigatione, deq. summa liberalitate & humanitate, qua apud ipsum regem exceptus fuit, egimus; deinceps circa priuatas eius animi dotes & virtutes quàm breuissimis immorabimur. Erat quippè Astronomicæ & Mathematices cognitionis imperitus, vt, cùm vtramq. ad naualis scientiæ cognitionem necessariam esse intelligeret, ambas summo studio amplecti & coniungere voluerit, quò melius Solis & poli altitudinem intelligeret. Vt verò plenioré & absolutiorem rerum marinarum notitiam assequeretur, totum ipsum mare Mediterraneum, ac Oceanum versus Meridionalem plagam vsque ad insulas Fortunatas, quas vulgò Canarias dicimus, enauigarat, diligentique obseruatione in Lusitaniæ littoribus animaduerterat, stato & anniuersario anni tempore flatum ventorum Occidentem versus spirantium, ita exoriri, vt ex huius venti assidua aura non solùm longinquam nauigationem commodè conficere posset, verùm etiam de multa prouinciarum Occidentalium inuestigatione certò sibi omninò polliceri. Sunt qui dicant, hanc partem orbis terrarum ab ipso inuentam, nunquam alicui mortalium antea fuisse cognitam. Econtrà non desunt qui secus opinentur, ac putent, illam quidem ante aliquot sæculorū volumina fuisse adinuentam: sed partim temporum vetustate, partim verò itineris difficultate, multis ætatibus fuisse ignoratam. Vtcumque res sese habeat, hanc orbis partem, quæ Columbi industria & diligentia nostro orbi accessit, Asiam, Africam, & Europam, simul coniunctas, superare, vel saltem adæquare, constans multorum opinio est. Quandoquidem illi, huius continentis magnitudinem & amplitudinem metiuntur, sumpto initio ex ea terræ parte, quam Magallanus adinuenit; quæ quidem iacet ex altera parte lineæ Æquinoctialis sub polo Arctico vsq. ad extremam partem continentis, se vsque ad nostrum polum Arcticum extendentis: quæ terræ dimensio vel ambitus, si ad Germanicorum milliarium dimensionem deducatur, continebit in se, vltra quinq. millia, Germanica milliaria: quod proculdubiò propter incredibilem & inauditam amplitudinem, fidem plerisque eleuare non immeritò videtur. Nam multi sunt in hac opinione, vt existiment, totius orbis circumferentiam vel superficiem, tantum spatij vix comprehendere: sed qui illius dimensionem in immensum exaggerant, dicunt, illam nulli admirationi esse debere, si diligenter figuram, quam continens in se habet, introspexerit; quoniam ipsa instar cornu venatorij est arquata, sic vt, collatione facta cum forma, quam hæc alia nostri di-

Columbi singularis eruditio in Astronomicis

stri dimidia mundi pars habet, licet aliquis non sit vsque adeò in Cosmographia versatus; fieri tamen posse, vt facilè intelligat, quàm magno continentis superioris spatio ac interuallo hanc nostram superet. Ceterùm, quia superiùs multorum virorum in Geographia & Astronomia non parum versatorum iudicium adduximus, restant adhuc aliqui, quorum etiam opinionem ad hanc, quam tractamus, partem, non parum facientem, recensebimus. Siquidem multi sunt haud sanè vulgaris eruditionis ac famæ viri, qui asserant, Columbi quidem nauigationem omni laude dignissimam; sed tamen huiusce modi, vt eam Artemidorus, & Eudoxus olim designauerint. Nec minus, inquiunt, olim laudati, quos Græci narrant, insulam in Oceano Meridiem versus reperisse. Iambolus à pueritia erudi- *Quorundam veterum insignes nauigationes.*
tus, post patris, qui mercaturam faciebat, mortem, & ipse mercaturam fecit, per Arabiam transiens ad aromata emenda, captus à latronibus, ac deinde vltra Æthiopiam maritimam ductus, ex more, quo exteri expiationis gratia nauigiolo imponuntur, post quatuor mensium nauigationem multis actus tempestatibus, cum suis ad insulam figura rotunda, stadiorum ambitu quinque millium delatus est; & exploratis insulanorum moribus, ac ritibus, septem quoque insulas simili magnitudine paribus interuallis eiusdem gentis repperit. Nec prorsus fabulosa illa Eudoxi nauigatio, quanquam refellat eam Strabo, videri debet. Taprobanem siquidem, vt liqueret insulam esse, Onesicritus præstitit, cuius Eratosthenes & mensuram prodidit & vicos. C. Plinius Claudij principatu notiorem factam hoc modo narrat. Anni Plocami, qui maris Rubri vectigal à fisco redemerat, libertus, circa Arabiam nauigans, Aquilonibus raptus, præter Carmaniam decimoquinto die Hippuros portum eius inuectus, hospitali regis clementia sex mensium tempore imbutus alloquio, percontanti postea enarrauit Romanos & Cęsarem. Mirum in modum inauditis iustitiam ille suspexit, quòd pares pondere denarij essent in captiua pecunia, cùm diuersæ imagines indicarent, à pluribus factos. & hoc maximè solicitatus ad amicitiam, legatos quatuor misit, principe eorum Rachia, qui referebant Lunam apud ipsos non nisi ab octaua ad decimam sextam supra terram aspici. quod etsi falsò narrarint, cùm nulla videatur omni mari insula, quæ eodem, quo nos, pacto non intueatur Lunam crescentem, C. Plinij tamen mendacium non est, at legatorum. Legimus Eudoxum, cùm Lathurum regem fugeret, Arabico sinu egressum per hoc pelagus, vt C. Nepos affirmat, Gades vsq. peruectum: & apud C. Plin. Hannonem per fretum Gaditanum egressum, ad Arabiam vsque peruenisse. Relatæ ab eodem Plinio insulæ Æthiopici maris plures. Statius Sebosus Fortunatas insulas recenset. Iuba rex de iis ita inquisiuit, vt & nomina referret: à quo & Mauritaniæ insulæ repertæ, in quibus Gætulicam purpuram tingere instituerat. Hæc sanè illi, & pleraque alia in hanc sententiam. Atqui nemo illorum est, qui non simul fateatur, horum omnium diligentiam nostro sæculo victam esse à Christophoro Columbo, eique hac in re præcipuam palmam deberi. Complures autem, haud multò post, ac etiã iisdem fermè temporibus, partim huius viri præclara æmulatione, ac virtutum gloria, partim etiam suopte ingenio ac natura incitati, ad eundem laudis scopum sua studia direxerunt. In his verò excelluerunt Sebastianus Gabottus natione Venetus, Americus item Vespucius, & Ioannes ipsius nepos, Florentini, Iacobus Cartierus natus in Galliis, Pinzonus Columbi socius, Cortesius, Pizarrus, Magallanus, deinceps que multi alij alias insulas, & amplissimas continentis regiones patefecerunt, qui ex rerum naualium peritia, bellica virtute, & egregiis factis suum nomen posteritati commendarunt. Horũ perplures diuersam nauigationem instituerũt. *Quinam hac tempestate, præter Columbũ, nauigationibus inclaruerint.*

Quidam enim versus occiduum solem in Indiam, quam quidē partem, nouum orbem appellant, suam nauigationem instituerunt, sicuti Columbus, & qui eum secuti sunt. Alij verò per Meridiem versus Indiam Orientalem, hiq. omnes primò suam expeditionem aggressi sunt virtute & auspicio Ioannis Lusitaniæ regis, Alfonsi filij; quo defuncto, sub Emanuele, qui ei successit, eandem, sed maioribus viribus innixi, susceperunt, multisque rebus fortissimè ac præclarissimè gestis, plurima regna & prouincias Lusitanico imperio in illis partibus adiecêre, in quibus postmodum singulari diuini Numinis beneficio euenit, vt homines Christiana fide ac religione instituti, falsos cultus atque impia dogmata concordibus animis abiurarent. De his autem rebus, quæ sub hoc verè inclyto, & inuictissimo rege, in Africa, atque India, annis sex ac viginti, domi foriscque gesta sunt, extant Hieronymi Osorij Lusitani, viri non minus eruditi, quàm eloquentis, libri duodecim, cum graui & luculenta præfatione clarissimi viri Ioannis Metelli Sequani I. V. D., mihi iure consuetudinis & hospitalitatis coniunctissimi, cuius equidem nunquam meminisse possum, quin statim etiam subeat dulcissima præstantissimi viri D. D. Petri Ximenij recordatio, præsertim cùm ipsi ita inuicem sint multis nominibus deuincti, vt raro aliqua officia alteruter prestet, quin tacita consensione vterque in iisdem consentiat. Dicam igitur, me, ipso Ximenio, vero bonarum artium, ac disciplinarum omnium, citra aliquam inuidiam, antistite, nullum vidisse humaniorem, nullum dico doctiorem, vel variarum linguarum absoluta quadam cognitione perfectiorem, cuius certè si egregiarum omnium virtutum concursum atque concentum exacquare verbis vellem, tempus me planè deficeret, ac simul à contextu historiæ necessariò auocaret. Silebo itaque, cùm ipse se variis scriptis atque multarum nationum testimoniis vniuerso pænè orbi Christiano probauerit, ac etiamnum talia habeat ad incudem, quæ, nisi nobis fatainuiderint, breui cum totius religionis Christianæ beneficio, vti omnes docti bene sperant, atque amici instant, emissurus est. Ceterùm, priusquàm de Columbo sermonem absoluam, hoc solùm breuiter adijciam, hunc videlicet, ne quid sibi de summis laudibus deesset, suam patriam tanta charitate prosecutum, vt, sicuti à quibusdam posteris ac memoriæ traditum est, paulò antè quàm obiret, amplissimarum opum suis laboribus partarum, decumam partem Reipub. legauerit, etsi non desunt qui litteris consignarint, ipsam, nescio quibus de causis adductam, huiusmodi munificentiam prorsus recusasse, nec vllam operam dedisse, vt ex eius amplissimo patrimonio vel minima sibi accessio fieret. Vt verò ad institutum reuertamur, superius demonstrauimus, Ferdinandum Hispaniarum regem, ad Senatum habuisse oratores, qui eum, præter cetera, de his bellis quæ aduersus Mauritanos in Illiberi toque Bætico regno prosperè feliciterque gesserat, beneuolè atque amanter certiorem faceret. Paucis pòst diebus, ad eum Antonius Grimaldus & Franciscus Marchesius, viri & prudentia & consilio præstantes, ablegati, quorum fide atque industria breui effectum est, vt, mutuis controuersiis sedatis, & salua vtriusque partis dignitate, ac æquis conditionibus diremptis, pax vtrimque constitueretur, ac etiam deinceps dudum coalescceret. His vix dum bene domum reuersis, Genua se illis motibus immiscuit, qui vniuersam Italiam, diu à bellis conquiescentem, mirificè perturbarunt. Secuta sunt quippe deinceps bella Italica, funesta admodum, & grauia, quæ à Carolo octauo Galliarum rege, alacri & feruido iuuene, atque ex assentatorum applausu spebus amplissimis, eximiaque gloriæ inexplebili cupiditate inflāmato, excitata fuerunt. Hic enim sub An-

Pax inter Ferdinandū ac Genuens.

Caroli octaui memorabilis in Italiā expeditio.

dega-

degauensiũ in regno Neapolitano iuris prætextu & velamento, totius Italiæ imperium animo complexus, & opportunè contra Aragonios à Ludouico Sfortia, qui Bona Galeacij Principis matre, omnium rerũ administratione, vti superius demonstrauimus, exuta, tanquam ipsius Galeacij pupilli, & minorennis, tutor, hoc vnum callidè agebat, vt, excluso pupillo, in sese Principatũ artibus rationibusque quibus posset omnibus, transferret, & se in eo quàm firmissimè exterorum Principum ope constabiliret, in auxilium euocatus, ne quid tantum opus molienti domi obstaret, quod victoriæ cursum remoraretur, duos sibi infensos vicinos, extorto fœdere, non ad belli societatem, sed vt conquiescerent, prius placauit. Maximiliano quidem, Friderici Cæsaris filio, quem repudio Margarethæ filiæ, & raptu sponsæ Annæ Britannicæ graui iniuria affecerat, per Ludouicum Sfortiam, qui Anglicis nuptiis defraudato, Blancam Mariam Ioannis Galeacij sororem desponderat, & per Heluetiorum legatos, satisfecit. Ferdinandum verò Hispaniarum regem sibi deuinxit restitutione Perpenniani ditissimæ vrbis, in ipso Hispaniæ aditu & agri Ruscinonensis, quæ Ioannes eius pater in Celtiberico bello, in summa rei pecuniariæ difficultate, Ludouico vndecimo oppignorarat. Carolus itaq. comparato magno ac terribili exercitu, & validissima classe, in 1494.
qua præter cetera nauigia fuerunt duodecim triremes Liguſticæ, & quatuor naues eximiæ magnitudinis omni bellico apparatu instructissimæ, incusso toti Italiæ ingenti terrore, cùm Pisanos, eiectis Florentinis, hos rursus, eiectis Mediceis; & Senenses, pulso Pandulpho Petrutio, in libertatẽ vindicasse videri vellet, & Pontificẽ, introducto in vrbẽ exercitu, ad fœdus ineundũ, & dedendũ sibi Zezimũ, quem & Gemem vocant, Baiazetis Turcarũ Cæsaris fratrẽ, cõpulisset, hinc improuisa celeritate Neapolim delatus, regibus fama sui aduentus perculsis, ac profugientibus. Alfonso patre, Ferdinandoq. filio, & Friderico patruo, regnum vniuersum omniũ opinione citiùs obtinuit, ita vt Neapolim magno cũ triumpho, decimo Calendas Aprilis, anno eiusdẽ æui nonagesimo quarto ingressus sit. Quo tam inopinato successu totius orbis Christiani cõsternati Principes, Pontifex, Maximilianus Cęsar, Venetus Senatus, Ludouicus Sfortia, Ferdinandus Hispanus, icto fœdere contra Gallos vndiq. arma coëgẽre. Hac conspiratione Principũ retractus Carolus, cùm per intercluſa obseptaq. à Venetis & Sfortia (quem Ludouicus Aurelianensis, occupata Nouaria, bello inuaserat) reuerti se, nisi via ferro aperta, nõ posse cerneret, superatis illis ad Tarrũ amnẽ cruento prœlio ipse in Galliã incolumis euasit. Etsi autẽ Cãpanos, Brutios, Apulos, ac Samnites impositis pręsidiis cõfirmauit, possessio tamẽ regni nec firma Gallis, nec diuturna fuit. Rediit enim ad arma Ferdinandus Alfonsi filius, adiutus à Consaluo, quem Ferdinandus Hispanus ad Siciliæ defensionem cum valida classe ablegarat, sed in ipso victoriarum cursu biennio post Caroli victoriã pridie Non. Octobris febre concidit, iure regni in Fridericum patruum, nulla relicta sobole, translato. Contra hunc, & Ludouicum Sfortiam, Alexander Pontifex, Ludouicus duodecimus Galliarum Rex, Ludouici Aurelianensis filius, qui Carolo nuper præpropera morte è vita euocato, successerat, Ferdinandus Hispanus, Veneti & Florentini fœdus percusserunt, ea tamẽ conditione, vt Ludouico regi Principatus Mediolanensis, quẽ hereditario iure sibi arrogabat, Venetis Cremona cederet. Cęsar interea Borgia, Alexandri Pontificis filius, nulli hominũ quotquot vixerunt, scelerum immanitate secundus, in Flaminia Aemiliaque, & Vmbria occupanda, trucidandáque aut exterminanda omni antiqua nobilitate, quibus poterat cædibus, aditum sibi ad imperiũ Cisalpinæ Galliæ parare cogitabat. Ferdinandus

Carolus Neapol. potitur.

Cæsaris Bergiæ ambitio.

& Ludouicus regnum Neapolitanũ dum inter se partirentur, plus in Ferdinãdo valente regni cupidine, quàm sanguinis necessitudine: cuius certè ratione Friderico auxilia debebat & defensionem. Sunt qui existiment, initium fœderis à Venetis Sfortiæ odio extitisse. Nam paulò antè Pontifex, Sfortia, & Veneti coniuncti, inter se contrà Gallos, & Florentinos pro Pisanis, ad horum libertatem defendendam, Maximilianum imperatorem, vti enarrauimus, attraxerant. Verùm, cùm res non successissent, & Veneti imperio Pisanæ vrbis inhiare viderentur, Sfortia, ab eorum amicitia discedens, id egit, vt quibus posset modis, Venetorum conatus impediret. quo sanè factum est, vt aduersus ipsum implacabile odium conceperint; quod in eum, concitatis quos recensui Principibus, posteà probè effuderunt, adeò vt Sfortia ipse ex hoc fœdere in summas difficultates coniectus, cùm frustra à Maximiliano Heluetiis Rheticísque armis lacessito, auxilia expectaret, Baiazetẽ Turcarũ imperatorẽ, in Venetos scelerato cõsilio concitauit: cuius quidem consilij, mox, cùm scilicet in Longobardiam Heluetiis copiis & Burgundico equitatu instructus, reuersus est, pœnas dedit. Vix enim Mediolano recepto, & Nouaria etiam expugnata, Tramulio Gallorum duci proditus, ab hoc in Galliã ad perpetuos carceres relegatus est, potitus quondam nobilissima Italiæ parte: tantáque potentia & auctoritate florebat, vt eius nutu atque arbitrio, totius Italiæ status quodammodò regi videretur. Plures id prodiderunt, diuino id ei consilio accidisse, vt post sublatos veneno nepotes, in hos acerbos fortunæ impetus incideret. alij arrogantiæ, alij perfidiæ assignant. Punica enim fide, imò potiùs plusquã Scythica inhumanitate, vt noui commodi spes affulserat, palàm recepta etiam cum Venetis Pontificéque fœdera violarat. Quidam impietati, cùm eodem anno scilicet quingentesimo primo supra millesimum, Gallos ad sacrum annum, recepto iam longo vsu, Reip. Christianæ à Pontifice indictum, Romam euntes, hospitibus nummo aureo pro Gallico capite delato, occidi iussisset. Sunt qui ipsum, (quis tamen non hîc rideat curiositatem aliorum in perscrutandis alienarum calamitatum causis) auaritia obcæcatum, cùm stipendiorũ solutionẽ eo tempore Heluetiis differret, quo vel maximè repræsentanda erat, iure in has prolapsum esse angustias, commemorent. Atqui, neq. illi in administrandis Mediolanensis Principatus oppidis industriam, neq. prudentiam in moderandis rebus, neq. astutiam ad varios rerum euẽtus depelendos defuisse, ab vllo proditum est. Magnitudinem animi ne ipsa quidem captiuitas minuit. Quo fit, vt vicissitudinem fortunæ, res vario ordine miscentis, qui intueatur, is hominem senem & nobilissimum, tanto excidisse Principatu, miretur. Mihi sanè quantò plura recentium, seu veterum reuoluo, tantò magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obuersantur. Eum multi scribũt Lochiensi arce inclusum consenuisse: sed neque Principum more, vt par erat, obseruatum, nec satis liberaliter habitum. Narrant enim subterraneum cubiculum ædificatum, idque concameratum, atque in apsida curuatum, ferreis cõpagibus, ferreóque ostio munitum, in quod, vir quondam & potentissimus, & ornatissimus coniectus, miseram captiuitatem passus sit. Alij, post aliquot annos custodiæ Scoti equitis cõmissum, liberiùs liberaliusque tandem tractatum aiunt. Ascanius Sfortia Cardinalis, cuius opera Ludouicus eius frater, pleraque feliciter peregerat, nuntio fraternæ cladis perterritus, cum turmis aliquot equitum è Mediolano fugiens, & à Sonsino Benzenio, Venetóque equitatu interceptus, captus Venetias perducitur; Ludouicóque regi repetenti hominem ex fœdere post paucos deditus, in Galliam perductus: qui & ipse non modò non infracto

Ludouicus Sfortia implorat opem Turcarum.

Eiusdem captiuitas.

Cardinalis Sfortia inter fugiendum capitur.

fracto animo propter aduersi prœlij euentum, sed confirmato atque renouato vi-
sus est, quamquam versa omnia intelligeret: & ad regem noctu accedens, cum *Eiusdem magnanimitas.*
multis facibus aulicis ad eius spectaculum proruentibus, honorificè quidem re-
gem & salutauit, & appellauit: sed nec eius pedibus aduolutus, vocéque supplex,
nec vllis abiecti & demissi animi argumentis suę fortunæ conditionem deplora-
uit. Ceterùm hic ob summæ dignitatis ordiníque purpurati gradum non ita diu
ergastulis coërcitus; sed paucis postea mensibus fidei suæ commissus est, vaga-
rique tota Gallia, nullis adhibitis custodibus, permissus. Postea quoque, sed
longo pòst interuallo, cùm deierasset, nihil se in Gallos moturum, spémque in-
iecisset, fore, vt sua opera ex cœtu Gallicorum purpuratorum vni Pontificatus
pararetur, ad comitia noui Pontificis à rege dimissus est, impetrante id ægrè Ge-
orgio Ambasiano Cardinale; in quem tam ingratus postea fuit, vt, dum suffra-
gia patrum in eum inclinarent, quo tempore Iulius II. Pontifex renunciatus est,
eius vnius opera ei Pontificatus extortus sit, non sine Bernardini Caruali pur-
purati querelis, qui, vbi Pontificatum sibi ereptum videt, Ambasiano potius
quàm Iuliano deferri volebat. Inde Mediolanensis ditio in Gallorum rediit po- *Mediolanū in Gallorum potestate.*
testatem. Sunt qui literis consignarint, quo tempore Ascanius, post Ludouici
fratris infortunium, à Venetis captus est, amissam fuisse manticulam, pretiosissi-
mis gemmis refertã, & de inuentore nunquã constitisse. Ludouicus interea poti-
tus Mediolano, vt sunt Regum cupiditates inexplebiles, & sordent priora, dum
maiora quæque expetuntur, animum adiecit ad Neapolim, quæ à Carolo dese-
cerat, recipiendam. Ferdinandus Hispanorum Rex, cùm auxilium putaretur
laturus Friderico, qui Ferdinando Alfonsi filio, admodum adolescente vi-
uis subtracto, in regnum Neapolitanum successerat, in societatem belli & victo-
riæ futuræ admissus est, ea conditione, vel potius turpi & infami nundinatione,
vt ambo reges regnum partirentur. Dum itaque Fridericus, ignarus fœderis in-
ter duos reges, conditioníque de regno inter ipsos ex æquo partiendo, frustrà
Consalui Ferrandi Aggidarij, viri, militaris rei gloria celeberrimi, opem implo-
rat, à Gallicis Ducibus, qui in Campaniam è Cisalpina Gallia descenderant, per
indutias ex improuisò oppressus, rebus desperatis, cum vxore, & liberis, in arcem
Aenariæ insulæ traiecit, & cũ Namurcio & Obegnino ducibus dedita Neapoli,
inter cetera pactus est, vt à rege certa quotannis annua vectigalia, annuumq. sibi
suisque stipendium acciperet: de qua re Obegninus propria fide interposita, illi
cauit: deinde vt omnem pretiosam supellectilem auehere ac seruare posset. Qua
cautione præstita, cum Obegnini litteris in Galliam ad Ludouicum regem pro-
fectus est; à quo non solùm annuis illis vectigalibus stipendiisque donatus; sed
etiam locupletissimo comitatu, & Gallico stipendio ornatus, adeò vt plerisq;
que etiã domibus & hortis amœnissimis traditis, se feliciorem, regno adempto
quàm seruato, responderet. Et ne temporaria hæc regis liberalitas fuisse videre-
tur, regno etiam Neapolitano, pulsis Gallis, idem cultus, idem honos, eadem illi
præmia reddita. Consiliis quoque regiis intimis adhibitus, regióq. more, quasi
regnaret, cultus. Priusquam verò Italia excessisset, Ferdinandum filium primo-
genitum, adolescentem, Tarenti tanquam Calabriæ Principem reliquerat, vt eam
vrbem natura loci munitissimã, firmo præsidio tueretur. Hunc tamen Consaluus
deditione vrbis in fidem receptum, Ferdinando regi Hispaniarũ flagitanti, misit;
à quo summo cũ honore exceptus, postmodũ Valentino Ducatu ab eo donatus
est. Post hæc, Reges, vt conuentum erat, pari æstimatione Regnũ inter se diuise-
runt. Constabat id veteri partitione quatuor potissimùm prouinciis: harum pri-

ma erat Cãpania,quæ magna ex parte terra Laboria recenti nomine dicitur, extenditque sese à Fundano saltu vltra Sarnum & Sylarim Picentinorum extremos amnes,vsque ad Laum fluuium,Lucaniam à Brutiis diuidentem,cuius quidem caput est ipsa regia Neapolis. Campaniam proximè attingebat Aprutinum regio,olim Præcutina. Hæc ab Apennino ad oram maris Hadriatici per Samnij porrigitur,cuius caput est noua vrbs Aquila,ex Amiterni Forconæque ruinis extructa. Reliquarum duarum à læua alteram Apuli olim Salentiniique tenuerũt, à Gargano monte ad Iapygium extremum Italiæ promontorium protensam, alteram Brutij, quæ non rectè hodie Calabria dicitur, cùm Calabri reuera sint, qui Apuliam circa Brundisium ad mare superum incolunt. Brutij,quorum caput est Consentia, sub Calabriæ nomine à Sylari vsque ad Siculum fretum incolunt,inclusi ad Ionium mare,magnæ Græciæ ora, ea Lucaniæ parte simul interseptа,quæ inter Laum, hodie Lainum, & Sylarim flumina, Tyrrheni maris littus attingit. Ex partitione igitur Brutij, & Apuli Hispanis, Campania cum Aprutina regione,Gallis obuenerant. Intererant duæ exiguæ regiones appellationibus nouæ, Capitanata & Basilicata,ab Apulia & Lucania abscissæ: Capitanatam duo amnes, Fronto,qui hodie Fortoris est, & Aufidus; Basilicatam Hirpinorum & Lucaniæ fines includunt. De his, cùm neutris in diuisione attributæ essent, iure primùm inter vtrosque, mox & armis disceptatum eo certè euentu est, vt Galli bello victi, Caieta, quæ illis postrema reliqua mansit, dedita, Neapolitani regni finibus excesserint. Et quia non semel Alexandri Pontificis,eiúsque filij Cæsaris Borgiæ mentio incidit, silentio neutiquam prætereundum esse arbitror, huius, postquam immanibus cædibus nobilitatis Italicæ florem passim excidissent, Alexandro patre vi veneni perempto,quod,Cardinalibus nonnullis paratum,pocilatoris errore, ipse & filius hausérant, Ferdinandi Hispani Regis iussu comprehensum,atque in Hispaniam nauibus deuectum esse, vt ibi in vinculis & carcere adseruaretur. Vbi cùm post tertiũ annũ deceptis custodibus è Medinæ arce funibus se demisissent,& ad Ioannẽ Cantabriæ Regem euasissent,hoc,bello cũ Alarino regulo contendente, in prœlio ad Mendauiam glande traiectus occubuit, mortis genere nimis placido, vtpote cuius inaudita scelera,& parricidia,longè atrociora supplicia promeruerant. Talem cùm habuerint euentum insidiosa, & πλεονεκτικὰ consilia,infidæque conspirationes,admonentur Principes, & ad rerum gubernacula sedentes,nulla imperia retineri,vel vllam Rempub.diu stare,aut florere posse, nisi honestis consiliis & vera legum reuerentia, salutaribusque statutis ac præceptis, subnixa & fundata fuerint. Etsi verò mihi iam inde ab initio destinatum sit, suum quæque in annum referre,hæc tamen plures per annos gesta contiunxi; ne diuisa,haud perinde ad memoriam sui valerent. Nunc ad temporum ordinẽ redeo. Suprà ostendimus, Carolum, post Neapolitanum regnum victricibus armis occupatum, in Galliam saluum & incolumem, licet non cruentum prœlium, euasisse. iam reliquum est, vt totius terrestris expeditionis successu enarrato, de nauali expeditione ad excindendam prorsus ex Italia Gallicam potentiam suscepta, sigillatim recensеamus. In tanta igitur totius Italiæ consternatione & confusione, Genuæ,quo feliciùs & commodiùs impendentes tempestates amouerentur,anno eiusdem sæculi quinto ac nonagesimo, ex nouo 1495. Ducis iussu atque mandato denuò duodecim triremes & quatuor maiores naues adornatæ sunt aduersus Gallicæ classis partem, quæ assiduã stationem in Rapallino sinu habuerat, licet antea Galliarum rex, cognita Ligurum rei naualis tum peritia tum potentia,summa cura & studio allaborasset, vt eam vrbẽ à fide atque obse-

Alexandri Pont. & Cesaris Borgiæ interitus.

Classis Ligustica aduersus Gallos.

obsequio Ludouici Sfortiæ retraheret, adeò vt ea de causa priusquam Neapoli discederet, ad Senatum Genuensem legationem habuerit. Etsi autem ob plurimas causas incredibili eius vrbis potiundæ cupiditate per se arderet, magis etiam subinde Iuliani Rouerei & Pauli Fulgosij Cardinalium, ac etiam Obiecti Fliſci, & multorum aliorum, qui hoc tempore ad eum confugerāt, crebris cohortationibus ac precibus accendebatur. Hi enim, vt exules solent, dubiis asperisq. in rebus, cuncta facilia atque expedita ad victoriam pollicebantur, si in Liguriam vel cum mediocribus tantùm copiis mitterentur. Disserebant enim, præstò sibi affuturos multos Fulgosiæ factionis clientes ac studiosos, quorum opera omnem inferioris Liguriæ oram in potestatem essent redacturi, promotisque inde ad Genuam castris, facile fore, vt prompta & fideli opera amicæ factionis, cui iam vniuersa ordine communicassent, priusquam à Sfortia, qui adeò opportunè graui bello esset implicitus, auxilia commodè submitti possent. Philippus quoq. Bressius Allobrogum Principis frater, qui apud Carolum gratia & auctoritate tunc plurimùm valebat, vt qui maximè illorum consilia probaret, sese iturum, ac ducem eo bello futurum profitebatur. Quanquam verò sanior regiorum consiliorum pars, tantam exercitus diminutionem improbaret, rex tamen aliorum sententiam præferens, eam expeditionem suscipere statuit. Itaque Bressio duæ equitum alæ, Gallorumque peditum cohortes quatuor, & tormenta septem attribuuntur. cum eo etiam Vgo Amboſio, vir nobilis militiæque peritus, vnà proficiscitur. ad Mediolanium quoque, Gallicæ classis præfectum, cum literis regiis plures simul nuntij mittuntur, qui moneant, vt ab ora quam legeret, discedere nolit, terrestrium copiarum ducibus pareat, paratusque ac intentus remigio & velis, quò opus esse videatur, protinus enauiget. Camillo item & Paulo Vitellocioque, Vitellij fratribus, qui iam cum cataphractis ducentis, & totidem leuis armaturæ equitibus, sese accepto stipendio Gallis addixerant, imperatum, vt in Liguriam proficiscī maturarent, & Bressium quanta maximè possent celeritate consequerentur. Ipsi Cardinales passim ex Lucensium castellis, Apuanisque Liguribus peditem cogunt, & per Apennini valles notis tramitibus in Liguriam proficiscuntur. Hi ergo simul coniunctis copiis Genuam vsque processerunt, positisq. ad Terralbam castris, qui est locus supra Feritorem amnem, Fregosiæ factionis ciuium motus expectabant. Interim quotidianis equestribus prœliis certabatur: nam ex vrbe Bernardinus Adurnius, corporis atque animi viribus bellator insignis, & Scaramucia Vicecomes, cum delectis turmis, ea porta quæ ad Bisamnem ducit, ita erumpebant, vt singulis propè horis cum Gallis equitibus certaretur. Erant Gallo peditum circiter septem millia, octingenti equites, torme̅ta septem, sed ea ad campestres vsus potius, quàm ad muros quatiendos idonea. Quibus de rebus fiebat, vt subire tentareque mœnia nequaquam auderent, præsertim cū iam valida peditum atque equitum manus, præter ipsam prætoriam cohortem, è Gallia Cisalpina in vrbem peruenisset. Tota igitur victoriæ ratio posita erat in auxiliis, quæ è diuersis regionibus expectabatur. Baptista namque Fulgosius in Astensi agro aliquot peditum cohortes, & equitum turmas coëgerat, quas partim ab Aureliano, qui tum Nouariæ obsidebatur, acceperat, partim ipse amicorum Cardinaliumque pecunia conduxerat, eo consilio, vt cùm in Pociferam vallem descenderet, ab altera quoque parte, quæ occidentem solem spectat, vrbs vndiq. clausa, graui obsidione premeretur. Vitellij quoque iam è Lucensi agro montes asperos, & Petracrosiæ iuga superasse dicebantur. Classis item, sicuti antea dictū est, in Rapallino sinu erat, intenta ad Bressij ducis imperium, in qua ingens erat

Conflictus inter Genuens. & Gallos.

copia

copia tormentorum: quibus freti, accedentibus vndique auxiliis, maiore demum fiducia vrbem oppugnarent. Quibus cognitis rebus, qui in vrbe erant Fulgosiæ factionis, noua inituri consilia, & palàm aduersus Adurnios ex tuto arma sumpturi videbantur. Præerat Ligusticæ classi Franciscus Spinula, ab oris fuscedine Mauri cognomen adeptus, vir domi nobilis, & in re nauali peritiæ singularis. Constabat ea paucis onerariis, sed bellico apparatu optimè instructis, & triremibus decem, in quibus tres erant Aragoniæ à Ferdinãdo missæ, quibus præerat Syracusanus trierarchus. Galli econtrà, octo triremes habebant, & tres longas naues, ex his quas vulgò Galeones vocari diximus. hi quoque Rapallo potiebantur: nam cuncta eius oræ oppida singulari Fulgosiæ factionis studio eos benignè receperant. ibiq́ue tum in statione tutissima, & Bressij imperium, & captæ dementum Genuæ nuncium, expectabant. At Spinula, qui maritimo negotio intentus, quibus nam modis hostes inuaderet, vigilanter agitabat, per exploratores comperit, classem haud magno discrimine posse deleri, si hostem vno tempore terra mariq́ue inuaderent; quòd paruam admodum manum, quæ classi atque oppido præsidio foret, Galli reliquerant, cùm ipsis Genuam obsidentibus, nihil tale vnquam aduersarios ausuros putarent, nullaq́ue mora interposita, Adurnios fratres eius cõsilij participes facit, & suadet, vt magno ausu vnius noctis opera bellum conficere velint, cunctaq́. prospera pollicetur, si ad fallendũ vtrumque hostem & summo silentio, & singulari celeritate vterentur. Re comprobata, Ioannes Adurnius, & Aloysius Fliscus, quos idem locus superioris victoriæ felicitate insignis, plurimum excitabat, sexcentos veteranos, & subitarias cohortes duas classi imponunt, soluuntq́ue è Genuæ portu de prima vigilia, & Rapallum littoralis auræ beneficio peruehuntur: tantaq́ue felicitate adnauigatum est, vt nulla eius profectionis fama, tot speculis, totq́ue etiam exploratoribus ea littora obseruantibus, in castra peruenerit. Iam cælum inalbescebat, cùm Adurnius & Fliscus milites in terrã exponunt, & actuariis vsi nauigiis, magnarum præsertim nauium scaphis, quamcitissimè Rapallũ adoriuntur. Fit magna & in classe, & in oppido, vt in re admodum repentina, concursatio. clamore sublato prælium in aditu oppidi committitur. ægrè impetũ Galli sustinent: acriter tamen repugnant. Spinula cohortandis remigibus intentus, maxima vi aduersis proris in hostium classem inuehitur. iuuat nauticus clamor oppidum à terra oppugnantes: è diuerso illi alacritate pugnandi nauales socios accendunt. Dimicatur vtrimque summa contentione. Ceterùm, terrestres copiæ, stratis hostibus, oppidũ irrumpũt, & nauales socij Gallorum triremibus potiuntur. Miolanius classis præfectus, & Stephanus Vincius, quæstoria dignitate insignis, protinus se dedunt; ceteri ad vnum, paucis interfectis, capiuntur. Videre erat in hostium nauigiis, ex Neapolitana præda, regales apparatus, cubiculorum abacorumq́ue ornamenta, aulæa picta operis, intertexta auro lectorum stragula, & plurimam vestem fericam nobilissimis Scythicarum Martarum pellibus suffultam: itemq́ue armorum, tormentorumq́ue ingentem copiam, quæ omnia singulari ducum æquitate militibus cesserunt. Ea vbi per milites fuga elapsos, Gallicis in castris nuntiata sunt, Bressius & Cardinales nihil sibi amplius expectandum rati, collectis repentè, nec consclamatis quidem vasis, discessère, superatisq́ue Pinimontis culminibus, in Pocferam vallem descendêre: ea tamen constantia, atque ordine, cùm properarent, iter fecerunt, vt agrestes plurimos, qui temerè prædantium more è proximis vicis montibusq́ue decurrerant, conuersa acie, atque impetu facto, passim interfecerint: indeq́ue incolumes per transuersos montes in Astensem agrum se receperũt.

Franciscus Spinula Mauri cognomento.

Genuens. naualis victoria aduersus Gallos.

Ferunt,

Ferunt, Augustinum Adurnium, qui Genuæ præerat, magnam eo die potiundæ nobilis victoriæ occasionem segniter amisisse, quòd, patefactis repentè portis, in abeuntes Gallos omnem militum ac vrbanæ plebis turmam erumpere minimè permisisset. Cuius rei consilium fortasse improbari posset, nisi vir cautus, & incertum fortunæ euentum reformidans, absente fratre, ipsoque præsertim cum militum robore, inconditam paganorum multitudinem veteranis hostibus obijcere dubitasset. At Genuenses interim, rebus, domi foriſque prosperè succedentibus, breui omnia illius oræ oppida ab exulibus capta, præter Spediam, exiguo negotio recuperarunt, ac etiam in occiduo littore Albintimilium, quæ vrbs iisdē fermè diebus à Paulo Baptista Fulgosio, Luca Auria, & nōnullis aliis profugis ac extorribus capta fuerat, ad pristinā fidem & obsequiū redegêre. Hoc bello feliciter & cum summa laude Ligustici nominis confecto, Resp. sua potentia atq. immensis opibus confisa, eadem tempestate ad alias quoque expeditiones animum intendit. Cùm enim paucis antè diebus, rumor sparsisset, classem Othomannicam è sinu Hellespontiaco Byzantio soluisse, eo cōsilio, vt in gratiam Venetorum Chium insulam inuaderet, statim Genuæ, ex Patrum decreto, quinque maiores naues omni bellico apparatu instructæ sunt, eisque Thomas Iustinianus præpositus. Eodem tempore Pisani à Florentinis acri bello vexati, cùm se illorum viribus impares ac inferiores animaduerterent, Genuensium opem implorarunt: quos ipsi, re prius in Senatu deliberata, non mediocri pecuniarum summa rebusque aliis vtilibus atque opportunis, tanquam vicinos, & tum socios, necessario tempore adiuuandos censuerunt, adeò vt propter hæc Genuensium noua auxilia hostes nihil aliud in eos tum temporis molirentur. Habuit is annus nouum & insuetum hominibus tormentum, morbum eum videlicet, quo omnes pænè nunc gentes fœdatas cernimus, vnaquaq. tamen ridiculè originem in aliam reijciente. Hispani, Gallicum; Galli Hispanicum, alij, Neapolitanum vocant. Existimatum est, cum luxu omnis generis etiam hanc pestem ex Occiduo orbe ad nos delatam, ac ex eo, noua remedia quæsiuerunt, ac etiam inuenêre. Cui cùm, vt nouo morbo, quærerentur remedia, multam partem humani generis depopulatus est, frustrà medicis inter sese certantibus, dum hunc morbum vanè quidam dixêre Elephantiasim, alij lichenas, & id impetiginis genus, quod accepto osculo mentum venaretur, à C. Plinio, cuius & Cornelius Celsus meminerit, designatum. Alij carbonem, alij ignem sacrum, alij lepræ speciem, alij inter morbos populatim aut vi astrorum, aut aëris intemperie vagantes collocauêre: adnotantque eodem anno, quo is morbus grassari cœpit, in Romano agro Tiberim, in Etrusco Arnum, in Ferrariensi & Mantuano Eridanum, in Veneto Athesim, extra solitos limites exundasse, tantisque imbribus hunc annum maduisse, vt, tetris vndique humentibus, minus mirandum sit, æstiuum aërem ad eam intemperiem peruenisse, calidam & humidam, quam M. Tullius ex Philosophorum placitis, putredini corruptionique causam dare scripsit. Alij quidam, inter morbos cōtagione polluentes ascripserunt, & occultam ac venenatam eius naturam voluêre. Hic sanè, superioribus annis, intolerandis modis homines excarnificabat: nunc prorsus vnà cum plerisque aliis morborum generibus mitescere cœpit, minusque infestus est, partim quòd medicorum opera, domita sit vis mali, humorumque sæuitia mitigata; partim quòd natura assuetudine, ad dolores occalluit, adeò vt à non paucis obseruatum sit, nonnullos in florente feruidaque ætate acerrimè cruciari: eosdem senescente, atque inclinata, mitiùs affligi. Vel enim defervescit ardor & ebullitio, minorq. fit humorum concursus, vel natura

Lues Gallica primùm in Campania exorta.

spatio

Gallici morbi inuestigatio admodũ perplexa.

spatio temporis assueta malo, velut domestico ac familiari, non amplius cum illo luctatur. Aut etiam alitur vitiosis illis humoribus, aut non offenditur. Verumenimuerò, tametsi de huius pestilentissimi morbi initiis, causis, atq. progressibus, eiusdemque variis remediis, multorum præclarissimorum Physicorum extent plena volumina, quæ passim circumferuntur; tamen tanta est huius contagionis perplexa inuestigatio, vt multum inter se varient, ac multis diuersis rationibus adducti, etiamnum plurimùm discrepent, cùm alius proprio iudicio commotus, ab alio dissentiat, & sui iudicij adferat rationes, quibus innitatur. Alij verò, non minori diligentia atque eruditione, rationes suas probare conentur, adeò me herculè, vt verè dici possit, quod dici solet, adhuc sub iudice lis est. Memini me superioribus annis, cùm in Germania essem, Simonem Simonium Lucensem, virum præstantissimum, & in omni disciplinarum genere, præsertim verò Philosophiæ ac medicinæ, apprimè eruditum, cùm in doctissimorum virorum frequentia, alius ex alio, vt fit, nasceretur sermo, & tandem huius morbi incideret mentio, cum summa totius coronæ satisfactione simul & admiratione, audiuisse de huius morbi proprietate quàm disertissimè differentem, eaq. adferentem, quæ proculdubiò vnicuique cordato viro, & exacti iudicij, facilè satisfacere possent. Est enim vir, vt ceteras eximias eius virtutes in præsentiarum silleam, in optimarũ artium studiis ita ab ineúte ætate versatus, vt dignus existimatus sit, qui ab augustissimo Principe Sax. Duce Augusto, Sacri Rom. imperij electore, euocaretur, & Academię Lipsensi cum munere publico adhiberetur. Cuius tanta enituit postmodũ animi fideiq. integritas, diuersarũ linguarum peritia, atq. suæ professionis omnigena eruditio, multis egregiis singularis ingenij atque profundæ doctrinæ monumẽtis contestata, vt idẽ illustris. Princeps, maximus ingeniorũ ęstimator, ipsum inter domesticorũ suorum album adscripserit, cui etiamnum cum magna sua laude pro medico quàm fidelissimè inseruit. Interea temporis, Carolus Galliarum rex, vbi primùm, emensis Alpibus, in Etruriam venit, præter alia illius regionis loca, Serefanam quoque vltronea deditione occupauit. Qui verò eius nomine huic præerat, cùm Gallorum fortunam in Italia immanem videret, anno supra millesimum quadringentesimum nonagesimo ferro

1496.

cum Genuensibus de huius deditione consilia iniuit: hique, huiuscemodi occasionem neutiquam prętermittendam rati, euestigiò Christophorum Catanеum Franciscum Lomellinum, & Petrum Persium ad eum misêre, qui cũ eo de conditionibus transigerent. Deditio igitur hac cautione facta & subsecuta est, vt Præfecto quinque ac viginti millia nummûm aureorum ex ærario publico deprompta, numerarentur; ipseq. ciuitate donatus est, atq. in patriciorum ordinem ascitus. Pari modo de Petrasancta inter eos transactum. Verùm, quòd omnino seriùs, quàm necessum esset, de hac tanta re in Senatu haberetur consultatio, Lucenses ad omnem occasionem intenti, & parati, solita sua diligentia eos præuenerant, missis ad hoc statim Genuam legatis, qui factum excusarent. Senatus, nulla admissa excusatione, hoc recens Lucẽsium factum in haud mediocre Reipub. præiudicium factum, quàm ægerrimè tulit, adeò vt ad Mediolanensium Principem oratores mitterentur, qui apud illum de hac illata iniuria grauiter expostularent & conquererentur, eumque nomine Reipub. obnixè orarent, vt vel suam auctoritatem interponeret, quò illam, citra vlteriorem moram & negotium reperent, vel, si hoc abnueret, saltem sibi integrum esset, eam armis repetere & vendicare. Quorum postulata & preces cùm Princeps surdis auribus excipere, tanta indignatione & stomacho commoti sunt, vt contra eum abalienati animis

Serefana deditione à Genuens. recepta.

non

non obscura argumenta indies magis atque magis ostenderent, ita vt cùm inter ipsum, alioſque Italiæ Principes aduersus Gallos eorumque socios confœderatio fieret, & Respub. eo nomine, tanquam Sfortiano imperio immediatè subiecta, sub ipsa confœderatione comprehenderetur, quibusdam ex præcipuis visum fuerit, Rempub. in societatem fœderis, nisi prius eo loco restituto, non esse admittendam, vel immiscendam: indeque factum est, vt inter Stephanũ Iustinianum, qui ob eximias suas virtutes in summa nominis veneratione & existimatione habebatur, & Adurnios, penes quos summa rerum administratio ad id temporis erat, magnæ altercationes & dissidia orirentur, quæ tandem hunc habuêre exitum, vt, cùm hi auctoritate præualerent, nihil vlterius attentaretur. Ceterùm antequam ad alia progrediar, quoniam hîc proximè Francisci Lomellini mentionem habuimus, minimè præter institutum fore existimaui, si Lomellinæ familiæ, citra omnem prorsus controuersiam nobilissimæ, cuius persæpè mentionem habuimus, breuiter originem attigero. Sunt igitur grauissimi scriptores, qui res Italas commemorantes, putent Lomellinorum familiam à Germanis Principibus, atque adeò Comitibus Palatini Rheni, initium atque originem traxisse. Quod verisimile ex eo facilè videri potest, quòd hac nostra tempestate multæ extent in Italia illustres familiæ ex Germania in eam transportatæ: Vrsinorum, Columnarum, & reliquæ, adeò vt mihi penitiùs in hanc familiam inquirenti, facile persuasu sit, suum principium tantæ principi familiæ deberi: nec in aliquo obstabit, quò Lomellina familia, licet nobilissima simul & antiquissima, auitum splendorem atq. potentiam minus retinuerit. Temporis enim successu, non dubium est, quin illius stirps, in varias propagines disseminata, opibus atque potentia imminuta sit, & in hunc ordinem redacta, vt à pristino suo splẽdore haud parum exciderit, adeò vt etiam nonnulli eius familiæ nihil sanè vltra veræ nobilitatis decus retineant. Accedit huc, quòd inueterata Germaniæ consuetudo obtinuerit, prioribus natu, minoribus præteritis, integras hæreditates reseruari, retento tamen titulo: qui sanè mos à Germanis, vti puto, natus, in aliis pleriſque regionibus inoleuit. Qui primos huius familiæ auctores, ad Palatinas familias referunt, ad maiorem sibi fidem arrogandã, ipsos auctores nominatim produnt, Othonem scilicet, & Gandulfum, quorum nepotes ac posteri per totam Italiam disseminati, peramplam ditionem in pleriſque locis obtinuêre, ac sibi satis firmas & duraturas opes condidêre, prout in Ticinensi agro, in quo, ad hæc nostra vsque tempora, quædam pars eiusdem nominis, voce scilicet Laumella, appellatur. Nec his finibus adstricta, longè lateque potentiam suam protulit, sic vt nonnulli eorum, titulum Comitum sibi vendicent. Ex his etenim, nonnulli Comites de Mede, alij de Languesco, quidam de Gambarana, plerique de Rauascala, seu Comites de Valegio, dicti & nuncupati sunt. Et licet temporis progressu, in diuersa nomina abierint, necnon in diuersas sedes commigrarint, insigniorum tamen similitudine sibi sunt conformes, & in nullo differunt. Quorũ etiam Lomellini Genuens. vt antiquum nomen semper retinuerunt, sic etiam ceteris dignitate, opum potentiaque splendore, aliis, eorum pace dictum sit, antecelluisse semper videntur. Dedit enim illa familia Genuæ semper præstantissimos ciues, & patriæ amantissimos, quorum opera Respub. nõ semel in rebus arduis atque perplexis cum summo suo beneficio vsa est. Et quia Lomellinæ mentionem facta, plures adhuc Genuæ sunt familiæ nobiles atque illustres, qui suo iure tantundem officij meritò à me exposcere videantur; comprimam me tamen intra certos limites, nõ tam enarrandi tædio, quàm recensendi ignoratione. Quis

Lomellinæ familiæ auctores.

est enim tam bene rerum variarum & externarum cognitione instructus, qui sibi possit, omnium, vel saltem maximè necessariorum, scientiam pollicerì? Proinde cùm hoc non sit nostri instituti, neque aliquis mortalium sit, quem non multa fugiant; satis habebo in præsentiarum, huius, cuius proximè meminimus, ornus recensuisse. Quoniam tamen de Grimaldorum origine aliquid diligentia extantorum scriptorum varietate inuestigauimus, annotare non pigebit. Sunt enim qui eius primordia ad vetustissimam & nobilissimam Crespinorum familiam, quæ in Nordmannia est, referant. Sunt etiam qui existiment, illam, ex Gallia Narbonensi suum genus atque originem traxisse. Vtcumque sese res habeat, non moratur me scriptorum hac in parte varietas; cùm in confesso sit, Grimaldorum familiam continua serie per multa temporum volumina magnam existimationis famam non solùm in ipsa Repub., verùm per vniuersam Italiam, atque adeò ipsas exteras nationes, virtutum excellentia, atque ingenti opum facultate promeruisse; quam certè in hunc vsque diem inconcussam retinet, & cum egregia sui nominis laude magis atque magis omni veræ nobilitatis specimine tuetur. Quis est enim qui ignoret, Nicolaum Grimaldum hac nostra tempestate tam immensis opibus, quàm eximia & rara quadam virtute ac liberalitate conspicuum in oculis Reipub. versari? cuius nempè tanta erga eam extant beneficia & merita, vt iure se illi plurimum debere cum magna totius ciuitatis confessione fateatur, & agnoscat. Subleuauit enim illam non semel variis difficultatibus laborantem, & neglecta prorsus omni priuati commodi ratione, ita ipsam contra omnes temporum iniurias communiuit, vt non immeritò inter præcipuos Reip. benefactores annumerari debeat. Huius siquidem viri tanta est, me hercule, virtutis excellentia, & in summa opum diuitiarumque affluentia, moderatio & temperamentum, vt diuini numinis fauore, potiùs tot tantarumq. opum, iustus æque æquus dispensator, quàm verus possessor videri possit. Quæ sanè beneficentiæ, ac singularis humanitatis commendatio planè effecit, vt Philippus Hispaniarum rex Catholicus, quò tanti viri decus atque famam æterna gloria illustraret, ipsum multis ditionibus, in primis verò nobilis & celeberrimi nominis vrbis Salerni, cum insigni Principatus titulo, omnium iudicio dignissimum, remuneratus sit. Non conticescam etiam Augustini Grimaldi, eius filij, summæ expectationis iuuenis, inclytam indolem atq. naturam, quæ in omnibus eius actionibus adeò manifestè elucet, vt nihil sit quod excelsum ac verè generosum animum deceat, quin vndique in ipso sese modis omnibus ostendat, ita vt nisi immatura morte nobis illum fata eripuerint, non dubitandum sit, quin horum nostrorum temporum calamitates atque miserias maturitate sui consilij, atque maximarum diuitiarū amplitudine aliquando mitigaturus sit, potissimùm cùm habeat non solùm in agro Ligustico multa prædia & latifundia, sed etiam in diuersis Italiæ partibus, præsertim verò in regno Campaniæ, latissimam ditionem Ducatus Eboli titulo celebrē, in qua haud dubiè suam munificentiam paterno aq. adeò auito more, cū ingenti sua laude, nec minori publico merito, exercebit. Præstantissimis his atq. arctissimis naturę pignoribus, adijciam meritò Baptistā Grimaldum recenti regis Hispaniarū beneficio ad sublimem illum Terrænouæ Ducatus & Marchionatus, montis sancti Angeli apicem euectum. cuius etiam tanta in Remp. Genuens. extant merita, & collata beneficia, vt omnium confessione dignissimus sit, qui publico gratæac memoris ciuitatis testimonio ad æternum sui nominis monumentum & splendoris famam ornaretur. Proinde Senatus, quò tanti ciuis, optimè de patria sua semper meriti, gratitudinem testaretur, de-

A quibus Grimaldi originem ducant.

creuit

creuit, vt illi honoris causa in atrio palatij publici marmorea statua, ad veram & viuam eius imaginem expressa, iuxta Ansaldi Grimaldi, propter immensa in Rempub. collata beneficia, benefactoris, atque adeò patris patriæ nomine insigniti, statuam poneretur. Cuius certè tanti collati beneficij recordatione nõ dubium est, quin ipse, tanquam subdita face, deinceps magis atque magis ad iuuandã Remp. accendatur & inflammetur. Si enim futura præteritis licet metiri, quid vetat, quin huius præclarissimi ciuis animũ, tantis argumentis exploratum atq. percognitũ, omni prorsus suspicione liberemus? Interim faxit Deus, vt hæ, ceteræq. similes familiæ, ad veri decoris ac publicæ vtilitatis conseruationẽ & fulcimentũ natæ, felici propagine indies magis atq. magis pullulent atq; floreant: ita procul dubiò fiet, vt Reip. conuersiones, plerumque paucorum nouorum factiorum hominum libidine atque immodestia concitatæ, vel citò supprimantur, vel, quod optatius esset, nunquam enascantur. Verùm, vt ad instituti operis seriem nostra oratio relabatur, iisdem temporibus, cùm Maximilianus Cæsar, Friderici tertij Imperatoris, ac Leonoræ, Eduardi regis Lusitanię filius, transgressis emensisque Alpibus, magna procerum & nobilissimorum virorum frequentia comitatus, in Italiam transiens primò in Comensem agrum, indéque Viguanum, Ticinensis ágri in Gallia cisalpina municipium, veniisset, Patrũ decreto, splendida legatio ad illum habita. Oratores autẽ fuerunt Lucas Grimaldus, Franciscus Sophius, Cosmus Zerbus & Baptista Spinula: qui vbi primum publico nomine ipsi congratulati essent, omnesque studium atque obsequium, Cæsaribus deferri solitum, exhibuissent, ab eo anxiè contendêre, vt suo fauore & auctoritate, Petram sanctam, cuius suprà mentionem fecimus, recuperarent, ac sibi vetera priuilegia & immunitates confirmarentur, simulque ediceret, Monœci agrum ad Macram vsque, ad Genuensium ditionem pertinere. Breue ab hoc spatium intercessit, cùm ipsemet Augustus Genuam perrexit, vbi à Senatu cetersisque ordinibus honorificentissimè ac regia pompa exceptus fuit. Dum hæc ita fierent, Galliæ rex, qui totius Italiæ possessioni auidè inhiabat, detrimenti ad Rapallum accepti memor, & ignominiæ stimulis mirificè accensus, solicitè & enixè modis omnibus dabat operam, vt acceptam iniuriam, & cladis perpessæ memoriam, insigni aliquo & memorabili nouo facinore obliteraret, ac resarciret, ita vt diu consilij anceps, & quam potissimum Italiæ vrbem expugnandam, sibi desumeret, ambiguus; tandem post longam consultationem, ad Genuam inuadendum, & armis opprimendum, animum adiecit: quæ res, cùm esset ardua, & non exiguam difficultatem præ se ferret, operæ pretium se facturum existimabat, si, pertentatis ciuium animis, aliquam factionem alicuius nominis & momenti, in partes suas pertraheret; qua in re, tanta prosperitate vsus est, vt Iustinianus Baptista Fregosius, in supremo dignitatis & honoris gradu constitutus, se illi coniungeret, & haud dubiè minimè vulgarem bene gerendæ rei commoditatem & planè regem voti compotem efficiendi, attulit. Habebat etenim in vrbe, vltra magnas clientelas, & suæ factionis non pœnitendam manum, quam Cardinalis Hostiensis, recèns Sauonæ, in qua natus erat, collegerat, præcipuos ex plerisque ordinibus viros, sibi amicitia, vel necessitudinis iure deuinctos. Rex itaque huius auxiliis confisus & subnixus, vrbis obsidionem diutius differre noluit, eò certè minus, quòd recèns accepto nuntio ad rem maturandam inuitaretur. Siquidem Genuæ inter Ludouicum Fliscum, & Adurnios grauibus dissensionibus ortis, magna occasio regi expugnandæ vrbis ostendebatur, nimirum, cùm propter mutuam animorũ distractionem omnia in vrbe perplexa, infida,

Maximilianus Cæsar Genuam venit.

atque incerta essent, & nihil tam firmo loco relictũ videretur, quin facilè posset dimoueri. Grauis namque seditio inter ciuitatis capita orta erat, quòd vna eorum pars imperij Sfortiani dignitatem mordicus propugnare & retinere animoſè contenderet; altera verò iusta indignatione commota, illius ignauiam & socordiam ob Petramsanctam nondum receptam, accusando, omnem Reip. calamitatem & inuidiam in illum conferret, & detorqueret, tanto cum ardore, vt etiam conuiciis & dicteriis non abstineret, atque illum sæpius perfidiæ insimulare non vereretur. Hac igitur ansa præbita, Rex, vt eam expeditionem faciliùs & com-
1497. modiùs promoueret, sub initium proximi anni, tribus Heluetiorum, & totidem Vaschorum millibus Astam missis, ac Triuultio, supremo in Italia duci designato regióque Vicario, mandauit, & iniunxit, vt Baptistæ Fulgosio & Cardinali Ostiensi, quorum proximè meminimus, opem atque auxilium ferret. Ipse interea moliebatur, vt ad rem commodiùs feliciúsque conficiendum, Aurelianum, consanguinitatis iure sibi coniunctissimum, cum magno & valido exercitu actutùm mittere. Paribus viribus & diligentia, quò Ligusticam omnem ditionem minori cum negotio armis opprimeret, Octauianum Fulgosium ad Florentinos ea tempestate Genuensibus inimicissimos, vt Lunigianam & orientalem oram inuaderent, magnis præmiis promissis, ablegauerat. Et paulo pòst, ne quid impedimenti aliqua ex parte relinqueretur, Paulo Baptistæ Fulgosio seriò iniungit, vt totius occidentalis Ligusticæ oræ tractum sex longis nauibus ex omni occasione infestum redderet. Hic motus tanto cum ipsius Insubri Ducis terrore inchoatus est, vt non parum sibi constaret, ac de se suóque statu valde sollicitus, mirum in modum excruciaretur, quòd milite destitutus, plerisque etiam ad bellum necessariis indigeret. Nec dum enim à Venetis promissa auxilia acceperat, adeò vt si Triuultius, ea, qua debebat celeritate, institutam expeditionem maturasset, dubium non sit, quin, eiectis Sfortiis, aliísque Insubriæ principatus æmulis, Mediolanum ipsum in regis sui potestatem redegisset. Inter hæc, Genuenses, Ioanni Ludouico Fliſco cum Adurniis in gratiam opera Ludouici Sfortiæ reuerso, magnum peditum numerum conscripserant, & ingentem nauale classem, Venetis & Sfortia sumptus conferentibus, instruxerant: cui quidem classi noua erat facta accessio, sex triremium à Friderico Aragonio subsidio missarũ. Portifex verò, confœderati nomen retinens, magis consiliis, & iuuandi desiderij ostentatione, quàm rebus requisitis prodesse cupiens, nullorum sumptuum vel mari, vel terra, in hisce periculis, quæ iure ad singulos Fœderatos spectabant, particeps esse volebat. Huius tandem expeditionis progressus fuêre, vt Baptista & Triuultius, Nouij mœnibus castra admouerent, ob quorum aduentum Caretiæ Comes, qui cum sexaginta grauis, ducentis verò leuis armaturæ equitibus, & quingentis peditibus eius custodiæ ac tuitioni præerat, de eo defendendo diffisus, Serauallem se recepit. Nouio occupato, exulum existimatio non parum inde creuit. Nam, præterquam quòd oppidum illud sua amplitudine multorum hominum capax erat, Mediolano Genuam contendentibus & itineranti-bus, magno impedimento esse poterat, & situ suo, ad circumiecta loca infesta reddenda, valde opportunum. His peractis, Baptista pleraque alia oppida, huic contermina, occupauit: eodémque temporis tractu, Cardinalis cum ducentis cataphractis, & tribus peditũ millibus Albintimilio capto, Sauonæ exercitum admouit. Sed quòd ciues nullam omninò seditionem ac motum excitarent, simulque quòd intelligeret Adurnium cum haud contemnenda manu appropinquare, continuò sese Altarium, Montferratensis reguli oppidum, octo passuum

ſuum millibus à Sauona diſtans, recepit. Maioris autem ponderis fuit Triuultij initium, qui occaſionis ad bellum in Mediolanenſi ditione accendendum inuerat; nihilominus tamen Boſcum, haud mediocris momenti caſtellum, in Alexandrino agro poſitum, eo prætextu occupauit, quòd ad militum ſecuritatem, qui in Liguriam profecti erant, Mediolanenſium Ducis militibus, Alexandria in Genuenſium ditionem perueniendi facultatem neceſſe eſſet intercludere: ne tamen apertè regis mandata excederet, vlterius progredi noluit, ſicque maximam occaſionem amiſit: quandoquidem omnis circumiecta regio, Boſco capto, pars timore, pars rerum nouarum cupiditate erat concitata: nec Inſuber in ea parte pluſquam quingentos grauis armaturæ equites, & ſex peditum millia in armis habebat. Et Galeacius Sanſeuerinas, qui Alexandriæ erat, eius defendendæ, niſi maiorum virium occaſione auctus eſſet, omnem ſpem prorſus omittere inceperat. Ludouicus interim, nõ minus in hac ſua aduerſa fortuna, quàm in omnibus aliis ſuis actionibus eſſe conſueuerat, ſummam prudentiam & ſtudium adhibebat, vt ſibi tempeſtiuè proſpiceret, & per ſuos internuntios Ateſtinum Principem ſubinde rogabat, vt inter Galliæ regem, & ſe, aliqua ineundæ pacis ratio haberetur: ſed Triuultij inter Boſcum, & Nouium, mora, Ludouico rebus ſuis proſpiciẽdi, & Venetis, qui promptiſſimis animis ad eius tuitionem concurrentes, antea mille & quingentos pedites Genuam præmiſerant, multos grauis & leuis armaturæ equites Alexandriam mittendi ſpatium conceſſit, & poſtremò Veneti, Pitiliano Comiti, ſui exercitus imperatori, quoniam Mantuanus Marchio ab illorum ſtipendiis diſceſſerat, vt maximam copiarum partem ad eius imperij defenſionem duceret, mandarant: ſic ijs, quæ magna ſpe incepta fuerant, ſenſim deferueſcentibus, Baptiſta, quòd Genuæ ob apparatus ibi factos, nulli motus excitarentur, infecta re, ſe iterum Triuultio coniunxit, conſilia ſua ideò potiſſimùm vana extitiſſe aſſerens, quòd Florentini orientale littus haudquaquam, vt ſe facturos receperant, inuaſiſſent, qui ſeſe, antequam Gallorum res feliciores validioréſque apparerent, bello immiſcêre, minimè prudens conſilium exiſtimarant. Purpuratus quoque Oſtienſis, nulla re geſta, niſi quòd aliquot Finarij Marchionis oppida, quòd hic ſe Sauonæ defenſorem oſtendiſſet, ceperat, ſe ijſdem ferè diebus, pari modo Triuultio aſſociauit. Huic expeditioni copiarum in plures partes diſtributio, vt ſæpè vſu venire videmus, mirum in modum obfuiſſe creditur. Quòd ſi omnes initiò coniunctis viribus Genuam petiiſſent, rerum ſucceſſus haud dubiè multò felicior extitiſſet. Nam, præter factionum ſtudia, & indignationem Petræ ſanctæ cauſa natam, in cuius venditione Genuenſes Ludouicum accuſabant, Germanorum equitum ac peditum, quos Inſuber miſerat, maior pars, poſt paucorum dierum ſpatium, repentè in Germaniam redierant. Ligures etiam, vix hoſtibus à ſuis finibus digreſſis, Fœderatorum ope, omnia prius amiſſa oppida, excepto Nouio, recuperarunt, quod tamen poſtmodum, licet Calatinus Comes, caſtris admotis, repulſus fuiſſet, deditione receperunt; neque ex locis occupatis vllus, præter parua quædam in Finarienſi ditione oppidula, in Gallorum potestate ac ditione relictus eſt. Quantum verò ad rei naualis ſucceſſum attinet, cùm per idem ferè tempus, quo populus Genuenſis terreſtribus aduerſariorũ incurſionibus agitabatur, Gallica nauigia ex littore Maſſilienſi egreſſa, ſinum Liguſticum infeſtum redderent, Genuæ ex Senatus decreto aliquot naues ac triremes adornatæ, omníq. militari apparatu inſtructæ, & auſpiciis Ioannis Aloyſij Fliſci

ad omnem hostilem impetum cohibendum eductæ fuerunt: qui idoneam tempestatem nactus, nihil prius & antiquius habuit, quàm vt ex omni occasione inimicam classem adoriretur; in quam cùm incidisset, eò adegit, vt illico in Tolonium, prouinciæ Narbonensis portum compulsa, inde nullo modo prodire auderet. Verùm, cùm Flisçus in eo itinere aduersa valetudine ita tentaretur, vt maris nauseam ægrè ferret, ac ferendis bellicis molestiis esset impar, Senatus, ne classis ex Præfecti inualetudine aliquid incommodi pateretur, in eius locum Paulum Nigronem substituit, vt eam expeditionem prosequeretur. Quo quidem tempore, Obiecti Flisci, cuius persæpè mentionem habuimus, viri bello acerrimi, virtute eximij, aliquando fortuna, semper animo maximi, huius Aloysij fratris mors incidit, qui Vercellis, Transpadanæ Italiæ vrbe, post multos exantlatos labores, & vtriusq. fortunæ diuersitatẽ inuincibili animo perlatam, ætate adhuc integra & florente, non citra veneni suspicionẽ, fatis concessit, magno cum Reip. beneficio & gaudio, quòd propter naturam, ab omni quiete atq. otio abhorrentem, & rerum nouarum cupidissimam, plerisq. mirum in modum inuisus esset.

Obiecti Flisci interitus.

Et quoniam inter cetera grauamina, quibus Reip. opes non parum exhauriebantur, inueteratus vrbis mos inter omnes ordines promiscuè obtinuerat, vt, in elocandis filiabus dotis ratio, omnem dignitatis atque fortunarum modum excederet, ne in posterum simili onere ad retinendam inolitam consuetudinem ciues grauarentur, Senatui placuit, vt publico edicto sanciretur, ne deinceps aliquis vltra quatuor millium librarum summam dotis nomine filiabus conferret. Itaque magna prudentia prædefinitus dotibus modus atque terminus; quos si quis excederet, reus neglectæ legis Patribus eo nomine fieret. Laudanda certè & suspicienda vel maximè hoc nomine Patrum sapientia, qui pleraque Reipub. vitia longo vsu confirmata, ad frugalitatem, & planè ad illius masculæ antiquitatis normam, reuocare voluerunt. Intellexerunt siquidem, præstantissimas quasq. familias, magnarum dotium collatione, non secus ac inciso neruo, haud parum debilitari & labefactari, adeò me herculè, vt sæpius vsu veniat, maximas & valdè illustres familias hoc solo imprudentiæ errore interire. Cuius certè rei cùm maximorum Principum extinctarum familiarum recordatio adhuc in mentibus hominum hæreat, & recèns ob oculos versetur, non est, quòd longa commemoratione eadem prosequar. Solùm hoc antiquæ simplicitatis & planè domesticæ rationis habitæ testimonij gratia adiecero, tantam fuisse Maiorum nostrorum in filiabus elocandis moderationem, vt Tatia Cæsonis filia, maximâ dotem ad virum, cùm tamen non vltra decem millia æris adferret, attulisse videretur. Et Megalia, quia cum quingentis millibus æris, mariti domum intrauit, Dotatæ cognomen meruit. Quadraginta millia æris nostro numismate, si ad nostræ monetæ valorem attemperentur, plus minus quadringentos coronatos valent, quingenta millia æris, quinque millia aureorum. Propter quam summam per antonomasiam, Megalia, Dotata vocitata est. Priscæ autem Romanorũ paupertatis indicia sunt quæ à Val. lib. IIII. scribuntur, ex quo verba hæc transcribenda duximus. Itaque cùm secundo Punico bello Cnæus Scipio ex Hispania Senatui scripsisset, petens, vt sibi successor mitteretur, quia filiam adultæ iam ętatis haberet, nec ei sine se dos expediri posset, Senatus, ne Respub. bono duce careret, patris sibi partes desumpsit, consilioque vxoris ac propinquorum Scipionis constituta dote, summam eius ex ærario erogauit, ac puellam nuptui dedit. Dotis modus XL. millia æris fuit, qua non solùm humanitas Senatus, sed etiam habitus veterum patrimoniorum cognosci potest. Sed non dudum stetit his limitibus de-

Genuæ certus doti modus constitutus.

Quãta fuerit maiorũ in elocandis filiabus moderatio.

bus dotum frugalitas. Satis enim constat tam ex Iuuenale, quàm ceteris, ætatum suarum mores & vitia notantibus, dotes postea in immensum excreuisse, adeò vt ad decies centena millia & bis quingenta extracta legantur. Quæ autem fuerit iuris ac moris veterum sponsaliorum obseruatio, tum apud alios, tum verò apud Aulum Gell. lib. 4. cap. 4. videre est. Iisdem fermè diebus, moles portus Genuens. pro maiori ipsius securitate, in multos cubitos extensa & ampliata. Ceterùm, tametsi initio subsequentis anni, dira atque atroci tempestate magna eius pars disiecta atque euersa fuerit; nihilominus tamen breui pòst, Patrum singulari studio ac sedulitate, iterum instaurata atque adaucta fuit, ita profectò, vt postmodum vtrinque ad quadraginta cubitos porrigeretur. Neque hîc annotasse pigebit, eodem ferè tempore, Genuæ in ædibus Ioannis Rondadini, positis in regione ac platea vulgò S. Fidei, felem natam esse bicorporem monstrosæ magnitudinis, octo habentem pedes: quod sanè meritò inter monstrosos partus referri potest. Et tametsi multæ historiæ huiusmodi prodigiis scatent, & nullum ferè sæculum, vel etiam ætas extiterit, in qua huiusmodi portenta, rerum humanarum casum non denuntiarint; tamen inter tot tantorumque scriptorum traditiones, pauca exempla, tanquam ceteris memorabiliora, subijciam: Theani Sidicini puerum cum quatuor manibus ac totidem pedibus natum fuisse constat. Terracinæ puerum trigeminum. Ceræ porcum humanis manibus & pedibus; & puerum quadrupedem, & quadrumanem natum. Reate, mulum tripedem. Amiterni puerum tribus pedibus, & vna manu, itemque alium quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, & duplici obsceno. Saturæ vitulum bicipitem. In Lucanis, duos agnos equinis pedibus, alterum siminino capite. Id quoque annotatum est, ancillam, puerum vnimanum peperisse. Nursiæ, geminos ex muliere ingenua natos, puellam integris omnibus membris, & puerum à priori aluo aperta, ita vt nudum intestinum conspiceretur. Præterea, complures Androgynos variis temporibus repertos, qui mox præcepto aruspicum in mare deportati, ibi submergebantur. Mulierem quoque duplici natura inuentam prodiderunt. Nec dubiũ est, quin, præcedenti ætate, ac etiam nostro sæculo, insoliti ac prodigiosi animalium partus obseruati sint, & Venetiis quidem, eo tempore, quo Veneta Respub. percussa fœdere cum Iulio secundo Romano Pontifice maximum bellum aduersus Alfonsum primum Ferrarien sem sub Lauretano principe gerebat, in ipsa vrbe puer è plebe natus est cum duobus capitibus, quatuorque humeris & manibus, tum femoribus atque pedibus quatuor, vt duo esse pueri vnà conglutinati viderentur, si corpus reliquum duplex habuisset. Habebat autem vnum tantum cum renibus vnis tergoréque reliquo pectus: vixitque sesquihoram, vt Christianæ aquæ ablutione non caruerit. Verùm enimuerò, me, his minutiis diutius forsitan quàm par est, & historiæ dignitas concedit, inhærentem, reuocat institutæ orationis contextus. Subsecuto anno, qui fuit nonagesimus octauus eiusdem sæculi, Sfortia domesticis curis belliciscque tumultibus valdè defatigatus, secessum & otium optabat, præsertim cùm paucis antè diebus, Beatricem coniugem, fatis sublatam, amisisset. Verùm, cùm hoc illi ægrè concederetur, tandem amicorum furorum consiliis, relaxandi animi sui gratia, Genuam, amœnissimo loco positam, & temperatissimo cælo fruentem, mense Martio, proficisci statuit. Senatus, de illius aduentu præmonitus, pro veteri suo instituto maximos apparatus fecit, quibus animi propensionem ac publicæ lætitiæ testimonium suo Principi significaret, ita vt, inter cetera grati animi & domestici splendoris argumenta, illi hac de causa obuiam plusquam quingentos selectæ formæ ac nobilitatis iuuenes,

Moles portus ampliata.

Partus monstrosus.

1498.

veste, cocco, atque murice tincta, publicis sumptibus indutos mitteret, qui Resp. nomine Principem ipsum ad palatium suum splendidissimè instructum, præirent, & concomitarentur. nullumq́. fuit hospitalitatis genus, quod Princeps, eiusque aulici Genuæ non sint experti. Tanta me herculè omnium rerum fuit profusio, atque in foris rerum venalium copia & abundantia, vt Ligusticæ potentiæ magnitudo vel inde facilè comprehendi ac intelligi potuerit. Ipso itaq; cum magna totius Senatus ac patricij ordinis congratulatione, & peringenti vrbanæ multitudinis applausu regaliter excepto, aliquot assiduis diebus in vrbe iustitio indicto, feriatum fuit, & omnis populus circa theatra videndis spectaculis, aliisq́ue ludicris exercitamentis occupatus. His exactis diebus, recreandis animis concessis, Princeps ad priuatorum ciuium amicitiam conuersus, multorum priuata etiam domicilia quàm humanissimè frequentauit, tamq́ue sese affabilem, placidum ac mitem, cum priuatim, tum in publicis congressibus exhibuit, vt cum magna omnium admiratione ac lætitia multorum ciuium animos sibi deuinciret, ac perpetua beneuolentia conglutinaret. Tanta mediusfidius heroicis animis ab ipsa natura instillata est arcana vis, vt non solùm bonos in sui rapiant amorem atque admirationem, verùm etiam vt illi qui se aliqua iniuria affectos esse existimant, ad Principum suorum nutum atq. solum aspectum, in earum obliuionem deueniant. Hoc Genuensibus vsu venisse, illa quidem tempestate manifestum est. Nam superius memorauimus, plerorumque ciuium animos ab huius Principis obsequio & Principatu auersos fuisse factos, quòd Petrasancta contra decorum Genuensis Reipub. Lucensibus obtigisset. Nunc verò conuersis studiis, tanta cum veneratione ipsum excepêre, vt Numinis instar ab omnibus coleretur & obseruaretur. Huius Principis aduentus publicam quoque vtilitatem mirificè auxit. Quippe præter armamentum nauale, & alia publica ædificia perfici & instaurari iussa, etiam priuatorum ciuium onera congiario, Romanorũ principum more, subleuauit, adeò vt sui desiderium, vrbe digressus, maximum reliquerit. Post eius discessum, cùm in ciuitate omnia adhuc pacata & tranquilla essent, in Corsica, auctore Paulo Leccensi, natione Sardo, noui motus excitati fuerunt. Hic enim, cùm ingenio esset mobili & inquieto, atque incredibili ambitione flagraret, in tantum malis artibus popularium animos solicitauerat, vt non desperaret, quin horum opibus & auxilio fretus, eam insulam in suam potestatem redigeret: ideoq́ue excitatis nouis turbis, licet paucos alicuius auctoritatis viros sibi coniunctos haberet, subinde tamẽ magna cum audacia indigenas ipsos ad defectionem prouocabat. Sed tandem Ambrosij Nigrij, viri prudentis ac strenui, cuius egregia virtus & fidelis opera plurimis in rebus persæpè antea cum vtilitate publica, & præsertim in edomandis Corsis, eluxerat, auctoritate & graui consilio, temerarij hominis scelestissimus conatus repressus fuit, atque prouincia à tam pernicioso & seditioso ciue liberata. Senatus, ceteriq́. ciuitatis ordines, vltra annuum stipendium ipsi Ambrosio, propter insignia eius merita ex ærario publico depẽsa & deprompta, ipsum etiam æterno monumento dignati sunt, posita illi marmorea statua in eiusdem Magistratus palatij meditullio, magno me herculè cum virtutis incitamento, nimirum cùm nihil omninò præclarius in Repub. excogitari vel designari possit, quàm viros fide, iustitia, fortitudine, rerumq́ue gestarum gloria insignes, amplis præmiis prosequi & remunerare. Hic certè Nigrius multorum iudicio tantus fuit, vt non immeritò cum maximis quibusque viris comparandus sit. Nã licet habeat ipsa antiquitas suos Scipiones, Æmilios, & Gracchos, de quibus meritò sibi gloriatur; tamen in hac postrema & delira mundi senecta

Ludouici Sfortiæ aduentus ad vrbem Genuam.

Corsici motus Ambrosij Nigrij opera et virtute compositi.

Ambrosij Nigrij elogium.

necta hic suæ Reipub. ac patriæ rarum & singulare ac planè absolutũ omnium virtutum exemplum dedit, adeò sanè, vt iure dubitari possit, vtrum magis belli, quàm togæ dotibus atque artibus excelluerit. Nam vltra dexteritatem, qua in compescendis & perdomandis Corsorum ad bellum cõsurgentium animis vsus est, magnum trophæum atque planè speciosam laurum omnium iudicio sibi attribuere potest, quòd expugnatis omnibus vitiis & prauis affectibus, iustitia, continentia, & animi moderatione clarus atque immortalis extiterit. Huius itaque viri singulari beneficio vniuersa insula ad pristinam fidem atque obsequium rediit. Verumenimuerò vix triennio exacto, cùm idem Paulus Lecensis nouas turbas in hac prouincia excitasset, ad eius conatus inhibendum, communibus Patrum suffragiis Emanuel Fliscus & Siluester Iustinianus ablegati; à quibus sanè nihil omninò prætermissum est, quod ad componendũ excitatos motus pertinere existimaretur. Sed quoniam nulla ratione sedari poterant, paucis pòst mẽsibus, Alfonsus Carrettus, Finarij Marchio, & postremò Ambrosius Nigrius cum nouo supplemento amandati. Verùm cùm ipse regulus, post exiguum temporis interstitium, ex quo illuc appulisset, aduersa valetudine tentaretur, omnis belli cura & administratio penes Nigrium remansit, qui tandem acie militariter instructa, & cõmisso prœlio, tam prosperè ac feliciter contra hostem & seditionis concitorem dimicauit, vt capto etiam ipsius filio, qui postmodum captiuus in arcem Ericis perductus fuit, insignem ac planè singularem victoriam retulerit: & pacatis rebus, ac Prouincialibus, ad pristinam obedientiam & officium redire compulsis, Genuam, cum incredibili sui nominis gloria, & immortali suæ patriæ emolumento, ac vtilitate, ouanti similis, & faustis omnium acclamationibus, remigrauit. Carolus interea, cùm planè esset excelso animo, & immenso gloriæ proferendiq́ue imperij studio flagraret, repetendæ Italiæ ardore ita incendebatur, vt nunquam cogitationes suas de expeditione in illam faciẽda omitteret. Dolebat siquidem præteriti belli tempore multum negligentia Ducum, multum denique temeritate propria esse admissum, quod non parum suam existimationem & dignitatem, ac totius belli successum offendisset. Meditabatur itaque seriò sæpiùs, vt præteritos admissos errores prudentia rerumq́ue sedulitate in posterum corrigeret ac emendaret, ita vt non obscurè in quotidianis sermonibus & congressibus cum suis proceribus atque consiliariis, cùm bellicarum rerum incidisset mentio, expostularet & quereretur, bellum in Italia non eo quo debuisset modo fuisse gestum, sed ipsum de hac expeditione valdè solicitum, eamq́ue dies noctesq́ue meditantem, immatura mors oppressit. Extinctus siquidem in primo iuuentutis flore, cùm nondum annum vigesimum septimum esset egressus. Genus mortis, quamuis sint qui de eo varient, planè fuit præproperum & improuisum, vtpotè quem, medicorum iudicio apoplexia correptum esse dicant. Satis etenim liquet, ipsum suapte natura variis corporis exercitamentis sese oblectantem, eo die, quo naturæ concessit, Ambosiæ statim à prandio ex cubiculo vnà cum coniuge progressum, in quadam porticu, vt ex ea in sphæristerio pila ludentes conspiceret, constitisse, ac superuenientem Andegauensium Præsule, cum illo sermonem aliquamdiu protraxisse: in quo cùm varia more Principum iniecisset, tandẽ ad vitæ humanæ cursum deflectentem ærumnas, aliasq. calamitates, quibus hæc subijceretur, cum crebris suspiriis, non citra magnam Episcopi admirationem, recitasse; ac retroactæ vitæ suæ pertæsum, multis de causis illius cursum detestatũ, adeò vt etiam iureiurando interposito, Antistiti ipsi asseueraret, quod reliquum esset vitæ, se ita instituturum, vt

Caroli obitus.

citra

citra aliquam insignem notam & labem, illam in posterum transacturus videretur: cuius Christianum institutum & verè principe dignum, cùm laudare contenderet Andegauius, Rex attonito & stupido similis, in terram supinus prolapsus est: ad cuius casum, cùm Regina & Antistes valdè animo consternati, illum mœstissimis subleuare vellent, non secus ac si expirasset, immobilis ab hora ferè secunda post meridiem, vsque ad horam noctis vndecimam, sine vllo sensus indicio iacuit. Media igitur ferè nocte, ceu lethargia liberatus, in vocē erupit, quæ miserabili cum gemitu Dei optimi maximi subsidium implorare præ se ferebat: quæ prolata, declinatis oculis, conquiescenti non absimilis, in Domino obdormiuit. *Caroli octaui obitus.* Sunt qui asserant, hunc tantum regem statim post suum casum, in vicinum ambulacro cubiculum, quo nullum in tota arce humilius, vel sordidius extabat, fuisse delatum, vbi cùm magna esset omnium trepidatio, tāta fuit aulicorum ministrorum, & præsertim cubiculariorum negligentia, vt ceruicalibus immundis regio capiti suppositis, cùm nulla culcitra ad manus esset, corpori palearium, tandemmodò ibi promptum & paratum, substernerent, magna certè & inscrutabili fatali necessitate, quæ regem tam ampli ac florentis imperij dominum, totius pene Italiæ populorum atque arcium expugnatorem, in hoc extremo vitæ suæ tramite, illum, qui tot euasisset, euaso non solùm similem, sed aliquantò etiam inferiorem reddidit. Non igitur absque graui iudicio Seneca præclarè, Omnis, inquit, dies, omnis hora, quàm nihil simus, ostendit, & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, tum æterna meditatos respicere cogit ad mortem. Hunc vitæ exitum habuit Carolus, qui, magno sui desiderio relicto, postquam regnasset annos quatuordecim, in templo D. Dionysij, in sepulchrum maiorum suorum non sine sollemni & regia pompa, & multis lacrymis illatus atque contumulatus est, anno eiusdem sæculi duodecentesimo. Illius autem insignis pugnæ, cuius suprà mentionem fecimus, ad Tarrum flumen inter ipsum, & Fœderatos habitæ, complures meminerunt; nec immeritò, cùm res per se fuerit memorabilis, planeque talis, vt, quemadmodum Italos perenni labe asperserit, sic etiam Gallico nomini ac virtuti immortalem gloriam pepererit, nimirum, cùm in hostili exercitu ad quinquaginta millia tam peditum quàm equitum, fuisse dicātur; regi verò vix octo millia equitum, aut peditum: qui rem in immensum deducunt, vix decem millia adfuisse volunt. Vtcumque tamē sese res habeat, satis liquet, eo successu dimicatum esse, vt in eo prœlio ex Venetis, ac Sfortianis supra quatuor hominum millia promiscuè perierint. Ex aduersa parte, viri fortes dumtaxat mille desiderati: nec mirum, cùm legamus, & multa exempla adhuc extent, quibus fides indubitata haberi potest, sæpenumerò vsu veniisse, vt maximæ acies exiguo exercitus numero non solùm profligatæ, sed, quod magis est, ad internecionem deletæ fuerint, sicuti patet ex victoria Tomyris aduersus Assyrios, Locrensium aduersus Crotoniatas, Spartanorum contra Xerxem, Alexandri aduersus Darium apud Granicum, Arbelam, vel ad Amanicas Pylas in angustis faucibus. Quantum verò ad Romanorum gentem scilicet inuictam, attinet, multis locis ex antiquis historiis annotare licet, ipsos, non solùm hanc sibi gloriam cum exteris nationibus habuisse, sed longo interuallo rerum gestarum magnitudine post se reliquisse. Cuius rei ratio vt magis eluceſcat, aliquot exempla oculis subiecero. Scriptis enim proditum est, M. Liuium, & Claudium Neronem, Hasdrubalem, suppetias Hannibali ferentem, ad Metaurum ingenti strage debellasse, vbi par Cannensi cladi exitium redditum fuisse commemorant. Deinde Fabium Æmilianum vix cum triginta millibus armatorum hominum, ad Rhodanum plus ducenta Gallorum millia ingenti

Maximi exercitus parua manu profligati.

ingenti strage deleuisse. Pari successu contra Antiochum pugnatum est, amplius quinquaginta millibus hostium cæsis, viginti quatuor tantummodò equitibus, ac trecentis peditibus ex Romanorum agmine desideratis. Item, C. Marium, Cimbros, ac Theutonos ad aquas Sextias parua manu fudisse. Præterea, Sullam contra Mithridatem ad Orchomenum & Cheroniam ducẽtem, illius copias minimo negotio profligasse, & ad latebras ac solitudinem quærendam compulisse, ac etiam contra Archelaum non longè à Pyræo commisso prœlio, ita eum defor-masse, vt ex viginti hostium millibus, vix decem superfuerint; ex eius verò exercitu vix quatuordecim desiderati. His exemplis commodùm adiungi potest, Pompeium, eundem Mithridatem, strage atrocissima, nempè quadraginta millibus hostium cæsis, perculisse. Postremò, Lucullus contra Tigranem bellum magnis conatibus aggressus, multiplici eum clade affecit, in quo Romanorũ vix pars vigesima copiis hostium accedere visa est: cuius pugnæ tanta Romanorum felicitas fuisse traditur, vt, vltra centum millia hostium promiscua cæde occisa, Romanorum verò non vltra centum vulnerati, occisi autem quinque dicantur. Tam paruo impendio tam insolens victoria stetit. Ælij quoque Galli in expeditione Arabica memorabilis victoria inter illustria adnumeratur, vt, post excidia & vastationes agrorum, pluribus oppidis expugnatis, plus triginta hominum millibus fœdè cæsis & profligatis, non ampliùs septem ex suis interfectis, illustri victoria potitus fuerit. Mitto Diui Iulij Cæsaris raram & propriam felicitatem, cuius longè lateq. diffusa virtus fuit, quoties belli casibus agitatus, contra Aquitanos, Heluetios, Aruernos, reliquosque Gallos, & Germanos, aliasque exteras & incultis moribus gentes, parua manu innumeras hostium copias fuderit: quoties aduersus maximos conatus, inops ipse & imparatus, præsentissimo animo restiterit: quoties admotas hostiliter legiones disiecerit: quot prœlia confecerit: quàm firmissima hostium præsidia sæpè conuulserit & labefactauerit: quas vrbes, & gentes, vi & obsidione domuerit; aut deditas, in deditionem fidemq. receperit: ita vt an virtute animi, & verè diuinæ mentis magnitudine, an felicitate & fortuna plus valuerit, difficile dictu sit iudicare. Cetertùm, post tot successus ac felicitates à me enumeratas, reliquum est, vt minimè præteream, Romanos non semper æquo Marte & felici exitus successu, armis contendisse; cùm in litteras relatum sit, Lucium Bæbium in Hispaniam ducẽtem, agmine inexplorato per abditos saltus & inuias regiones in insidias præcipitatum, circumuentum à Liguribus, & tandem oppressum. Cuius quidem tam funestæ & luctuosæ cladis magnitudo, vsqueadeò fuit memorabilis, vt Massilienses illã actutùm per internuncios significarent. Nec minus infeliciori successu dimicatum est post Cannensem acceptam cladem, cum duce Caio Manlio, & Q. Cæpione à Cimbris & Theutonis, legionibus fusis, plus octoginta Romanorum & sociorum millia ad Rhodanum fœdè cæsa & debellata fuêre: vbi tantum cladis acceptum, vt vix decem superfuisse dicantur: quã clade populus Rom. in tanto pauore & luctu fuit, vt, velut vltima publicorũ malorum passus, iustitio indicto, sicut in magna consternatione assolet, prætextas, & laticlauos dimiserit, & saga sumpserit. Quid nunc memorem Romanorũ legiones, Quintilio Varo duce, ab Arminio funditus deletas? Quarum certè tanta fuit iactura, vt Diuus Augustus, alioqui tolerandis aduersitatibus patientissimus Princeps, non aliàs ac si actum esset de Romano imperio, gemitu & multis suspiriis illius subinde recordationem prosecutus sit, ac in multorum amicorum corona in mæstissimas voces eruperit, Quintili Vare, redde legiones; sic, vt teste Suetonio, ceteriſque aliis Cæsarum vitas scriptis colligen-

ligentibus, parum abfuerit, quin, illiſo capite parieti, per animi impotentiam eſ-
tremum ſpiritum eduxerit. Ceterùm ſuper omnem indignationem fœdi exempli
ac memoriæ eſt, quod de Valeriano Cæſare, recentiori memoria proditum relin-
quitur, qui fortunâ planè aduerſam, & ſe indignam, cùm alioquin optimus eſſet
Princeps, expertus eſt, in illa expeditione quam in Aſiam fecit, cum Sapore Per-
ſarum rege congreſſus, & infelici prœlio ſuperatus, vſq. eò à victoribus hoſtibus
deformatus fuit, tantiſque contumeliis obnoxius, vt, poſt afflictas fortunas, nul-
la verecundia priſtinæ maieſtatis, contra decus imperij, regi Perſarum equum
aſcenſuro, humi proſtratus dorſo gradum faceret: adeò Romani indigniſſimam
fortunam, & grauiſſimos caſus, ac ſortis humanæ inconſtantiâ, velut magna do-
cumenta mortalitatis nonnunquam experti fuêre, vti etiam in Othomannica fa-
milia, Baiazetes, Turcorum Imperator clariſſimus, à Tamerlane, vti ſuprà com-
memoratum eſt, deuictus, idem exemplũ calamitatis humano generi exhibuit.
Ceterùm, priuſquam ad alia progrediar, hîc libens annotarim, quæ ſuper Nea-
politana expeditione, à Carolo octauo Galliarum rege ſuſcepta, Alexander ab
Alexandro, inſignis eruditionis vir, poſteris ac memoriæ mandauit. Sed quod
nos, inquit, recẽti exemplo experti vidimus, profectò haud minus eſt. Cùm flo-
rente fortuna Ferdinandi, primi regis Aragonij, vrbs Neapolitana, & regnum,
nullis adhuc belli calamitatibus premeretur, ſatis conſtat, Cataldum, ſanctum
virum, qui abhinc annis mille Pontifex vrbi Tarentinæ præfuit, quemque patro-
num Tarentini ciues venerantur & colunt, nocte intempeſta miniſtro ſacrorum
cuipiam tunc ſacris initiato, & in caſta religione educato, ſemel atque iterum in
ſomnis apparuiſſe, ac monuiſſe, vt libellum à ſe conſcriptum, quem in abdito lo-
co viuens abdiderat, in quo diuina arcana ſcripta erant, effodere, & protinus ad
regem deferri curaret: qui cùm parum fidei ſomnio dediſſet, eadem ſibi per quie-
tem ſæpiùs obuerſata ſpecie, cùm primo diluculo ſolus moraretur in templo,
ipſum Cataldum, qualis erat olim dum in vita ageret, pontificia veſte, & infula
amictum, eidem miniſtro planè vigilanti apparuiſſe, & prædixiſſe, vt poſtera lu-
ce, cùm primùm poſſet, libellum à ſe conſcriptum, in abdito loco, quem in ſom-
nis prædixerat, conditum effodere, & regi deferre, ne cunctaretur, pœnam, niſi
fieret, grauiter comminatus. Poſtera luce ſollemni pompa miniſtrum cum po-
puli comitatu ad latebram, in qua longiſſimo æuo libellus latuerat, proceſſiſſe,
eumque plumbeis tabellis obſignatum, & clauis obſeratum inueniſſe, ſatis con-
ſtat. In eo certum eſt, futurum regni excidium, miſerias, calamitates, & luctuoſa
tempora, atque inſtantia mala, quæ poſtea ſecuta ſunt, regi prædixiſſe. Id quod
experimento docti, magna mercede perſolutum vidimus. Siquidem tanta vis di-
uinæ prædictionis fuit, vt haud multò pòſt, ipſum Ferdinandum, ſeu Deûm ira,
ſeu fato inſuperabili, quod vitari non potuit, in primo belli apparatu, è vita con-
ſtet exceſſiſſe; Carolumq. Gallorum regem, ingenti coacta manu, innumeris co-
piis Neapolitanum omne regnum inuaſiſſe. Alfonſumque Ferdinandi primoge-
nitum, poſt patris obitum, vix regno aſſumptum, regno orbatum, turpi fuga,
velut in exilio, diem ſuum obiiſſe. mox ipſius filium Ferdinandum iuniorem,
ſummæ ſpei adoleſcentem, miri erga omnes ſtudij & fauoris, cui rurſus regnum
debebatur, miſero & fatali bello implicitũ, in ipſo ætatis flore immatura morte
præuentum, occubuiſſe. Poſteà Gallos, & Hiſpanos, communicato imperio, &
æquato regni iure, fugato Friderico, altero prioris Ferdinandi filio, qui mox regno
ſucceſſerat, admotis hoſtiliter legionibus, & ampliore exercitu, denuò regnum
inuaſiſſe, ſacra profanaque occupaſſe, bonorum direptiones feciſſe; vrbes, villas,
vicoſque

Valeriani Cæſaris deploranda fortuna & ſeruilis conditio.

vicosque omni belli clade peruastatos, multa fœda & indigna passos. Oppida quoque & municipia, cædibus & rapinis plena, prouinciasque hostilem in modum conquassatas, & in extremum discrimen adductas, incendiis, & stupris, ac, si quid vltra malorum est, paruisse, eundemque regem nondum functum fatalibus malis, post euersam domum, & tot vrbium clades, cum coniuge, & liberis regno pulsum, domo & fortunis relictis, in inimicorum manus supplicem venisse, ibique morbo & tabe confectum, è vita tandem excessisse, donec ad hæc tempora, in quibus formidare non desinimus, & an satis piamenti & pœnarum adhuc pensum sit, ignoramus, peruentum est. His proculdubiò, multorum forsitan iudicio, non immeritò diutiùs immoratus esse videbor, cùm citra historiæ nostræ iacturam omitti potuissent. Quibus certè nihil habeo quod opponam, nisi fateri culpam, si culpa dicenda est, quæ ex promerendi studio oritur. Nemo enim infitias ibit, hanc nostram nimietatem suo fructu minimè carere, cùm haud exigua illa præliorum vicissitudo humanarum rerum fragilitatem omnium animis recordationem adferat, ac planè, vt ita dicam, inconstantia quadã stabiliat, adeò me herculè, vt temerarium & omninò impiũ foret, aliquid sibi in felici rerũ cursu polliceri, vel rursus in aduersis animum despondere. Priusquàm autem hunc librum absoluam, hæc pauca mihi sese offerunt, nempè circa hæc tempora, Ludouicum Fulgosium, quem haud semel in Repub. principem locum obtinuisse, ex præcedentibus constat, Nicææ supremum diem expleuisse. At sub finem eiusdem anni, Hieronyma Spinula, matrona, non minùs generis claritudine, quàm vitæ sanctimonia, & pudicitiæ laude insignis, dum in prædio suo ad Petrum Arenarium sito rusticatur, in cubili exanimis inuenta est, multis vulneribus confossa, nec vnquam, etsi diligentissima inquisitio adhibita fuerit, tam nefarij sceleris auctor inueniri potuit. Sunt etiam qui asserant, eadem fati acerbitate ipsius virum in Hispaniis paulò antè extinctum.

LIBER XVII.

POSTQVAM Carolo Galliarum regi à Gallicis proceribus regio more parentatum fuit, isque magna Principum virorum atque Ordinum frequentia elatus, incredibile sui desiderium, vti antea commonstrauimus, reliquisset, non diu de nouo rege creando deliberatum est. Nam, Carolo absque vlla prole decedente, regni successio in Ludouicum Aureliæ ducem, tanquam illi consanguinitate proximum, translata est; ad quem etiam statim post illius discessum, cohors prætoria, aliique Duces, & aulici officiales Blesiacum, quò se contulerat, summa cum festinatione contenderunt; & mox omnium ferè regni procerũ consensu & suffragiis rex designatus & consalutatus est. Vt primùm autem hic Ludouicus, qui xij. fuit, tanti regni hereditatem ac successionẽ adiuit, illius terminis atque limitibus non contentus, non solùm Aragonios Neapolitano regno sibi iure successionis, vt prætendebat, debito, deturbare ac eijcere constituerat, sed etiam Insubriæ imperio magna cum animi cupiditate inhiabat, potissimum quòd maternum genus ex Principum Mediolanensium stirpe duceret. Fuerat illi siquidem auia materna Valentina Philippi Vicecomitis, in quo legitima masculorum successio defecit, soror. Hanc Ioannes Galeacius pater Ludouico Caroli v. Galliæ regis filio, ante Philippi obitum nuptui dederat, con-

1499.

Ludouicus xij. Galliarum rex.

Quo iure Gallici Reges Mediolanum sibi vendicent.

cessa Asta vrbe dotis nomine, additáque cautione, vt, si fratres Valentinæ sine legitimis liberis vita excederent, Insubrum imperium ad illius legitimos successores perueniret. Et quia hæ nuptiarum tabulę sine Cęsaris auctoritate erant conscriptæ, quòd eo tempore ex interregno nullus adhuc Cæsar esset designatus, vt Valentinæ eiúsque liberis certiùs atque securiùs caueretur, ad Romani Pontificis auctoritatem decurrere placuit: qui nomine Cæsaris hoc matrimonium suis conditionibus initum, ratum habuit atque sanciuit. Verùm, dotalibus tabulis Pontificia auctoritate confirmatis, Cæsaris consiliarij mordicus eius dignitatem & inueteratam auctoritatem more maiorum retinere studentes, interposita subtili quadam legis interpretatione, quòd scilicet, nullum Pontifici in transferendis vel adiudicandis regnis, eorúmque feudis ius competeret, auctoritatem interpositæ Pontificiæ confirmationis abrogare omninò contendebant. sed tandem post longas altercationes & disceptationes, cauillosa quadam & distorta iuris interpretatione factum fuit, vt, quamuis imperator tabulis non subscripsisset, post tamen interpositam & interuentam Pontificis astipulationem, ratæ, & sanctæ haberi deberent. Itaque Valentina, post Ludouici coniugis, Ioannis Burgundiæ Ducis, insidiis apud Parisios crudeliter interfecti, obitum, Principatum Mediolanensem optimo hereditatis iure adiisse videbatur, susceptis ex Ludouico coniuge tribus filiis, nempe Carolo, qui in Aurelianorum Principatu Ludouico patri successit, & Ioãne Angolismorũ regulo, ac Philippo Virtutis oppidi Comite, & vnica filia, quæ postmodum Fuxæo nobilissimo in Aquitania regulo nupta, Gastonem inusitatæ virtutis adolescentem protulit, illum inquam ante imperatorem, quàm militem, terrificum belli fulmen in ipsa partæ victoriæ gloria Rauennæ extinctum. Ceterùm, ex Carolo, qui Britannico bello captus, diu in vinculis Londini asseruatus fuit, & Maria Cleuensi Menapiorum Principis filia, hic Ludouicus, de quo agimus, ortus fuit, adeò vt iure hereditario Insubrum dominium ad se legitimè pertinere contenderet. Proinde statim ab initio, quo ad regium culmen euectus est, nihil prius & magis habebat in votis, quàm vt Mediolanense imperium quouis modo inuaderet, suóque regno adiiceret. Accedebat huc, quòd Ludouico Sfortiæ ob priuatam sibi illatam iniuriam mirum in modum esset infensus. Quandoquidem cùm primos pueritiæ & adolescentiæ annos apud Insubriæ principes exegisset, miram huius Ludouici Sfortiæ insolentiam in Nouariæ expugnatione notauerat, & non obscurè animaduerterat, quanta Mediolanensium Principum esset ambitio, & in omnes reges, præsertim verò Gallos, æmulatio. Itaque post paucos dies à regis Caroli obitu, post regni inaugurationem, aliísque rebus in Gallia compositis, haud citra magnam ambitionis, & præsumptionis reprehensionem, non modò Galliæ, & Neapolis, Hierosolymorum ac vtriusque Siciliæ rex, verùm etiam Mediolanensium Dux appellari voluit, ac sub tali titulo omnia diplomata, aliáque litteras regias expediri iussit, tantóque studio Italiæ Principum animos sibi deuincire contendebat, vt, simulac regnum adeptus est, per internuncios Pontificẽ, Venetos & Florentinos de felici sua inauguratione certiores redderet. Intelligebat enim, se cõmodè in Italia bellum contra Aragonios, vel Mediolanensium Principem gerere non posse, nisi aliquorum Principum animos præoccupasset, quorum opibus atq. auxiliis fretus, aduersæ suæ partis factiosos faciliùs debellaret atq. atterere. Et quoniam Resp. adhuc ea tempestate Sfortiano imperio subiiciebatur, edixit sub graui pœna, vt omnes Genuenses in Gallia, vel aliis suæ ditionis locis negotiantes, actutùm illinc excederent, cùm iam non clàm, sed apertè bellum Italiæ mo-

liæ moliretur, magnas & ingentes copias, quarum numerus quinque ac viginti millia æquasse dicitur, summa cum celeritate magnísque sumptibus conscripsit: quibus per cohortes & vexilla distributis, viros præstantissimos, ac rei militaris peritissimos præposuit; quorum præcipui fermè fuerunt Eberardus Stuardus, Obegninus, Ludouicus Luxemburgus, Lignius, & Ioan. Iacobus Triuultius, quorum certè ducum industria & alacritate non semel eius prædecessores feliciter pugnauerant, atque ampla de hoste trophæa retulerant. Insubres, ac Ligures interea de his apparatibus certiores facti, magna in trepidatione, & animorum consternatione erant, quòd secum armis reputarent, fieri non posse, vt ipsi viribus Gallicæ potentiæ longè impares, tanto exercitui resisterent. Tametsi enim Sfortia solicitè atque anxiè non pœnitendum exercitum compararet, ac vndique subsidia ab exteris Principibus rogaret & emercaretur; tamen sese iustis armis diu defendere ac tueri posse diffidebat, potissimùm cùm regius exercitus, emensis Alpibus, Transalpinam Galliam maiori ex parte occupasset, ac valido præsidio firmasset. Genuæ itaque, quòd sese odio Sfortiani nominis à Galliarum rege impeti & inuadi existimabant, nouæ simultates inter plerosque patricij ordinis exortæ sunt, quæ eousque sunt progressæ, vt maior ac melior pars ciuium à Sfortiano imperio deficiens, Gallici nominis studiosos iam se publicè ac palàm profiteri non vereretur: & abrogatâ omnibus diplomatis, statutis ac edictis nomine Sfortiæ latis reuerentia, non mediocris in vrbe dissensio, & ex hac, vt fieri consueuit, non minima confusio subsecuta. Petierat enim Sfortia à Genuensibus quarundam cohortium præsidium sibi in auxilium dari, & quamprimum transmitti: quæ res cùm in frequenti Senatu variis sententiis esset controuersa & agitata, eum exitum habuit, vt Patres conscripti tale subsidium in præsentiarum prorsus abnuerent & recusarent. Verùm, instante Augustino Adurnio, eiúsque vrbis Præfecto, postulatis Principis iterum in deliberationem reuocatis, nescio quanam ratione factum fuerit, vt multorum suffragatorum studio & gratia, illi Senatus consulto auxilia decreta fuerint: quæ sanè potius extorta, quàm concessa iure omnibus videri poterant. Eaque de causa conscripta fuêre duo expeditissimorum virorum millia, quæ, duce Ioanne Adurnio, in Insubriam missa sunt, ea quidem spe, vt Alexandriam, ab hostili exercitu grauissimè oppressam, consociatis armis cum Sfortianis, præsidio subleuarent. Ceterùm, vix copiæ conscriptæ progredi inceperant; cùm intellectum est, eam vrbem in hostium potestatem deuenisse, adeò vt nullum opportunum remedium Alexandrinis conferri potuerit. Sfortia interea temporis Mediolani agens, magnum Germani militis numerum coëgerat, quo fretus, Gallorum aduentu ambigua sub spe opperiebatur. At fama tot vrbium vno eodemq. tempore amissarum deterritus, cùm Venetorum fidem iam valdè suspectam haberet, sibique ipsi cõscius esset, quàm grauiter & inhumaniter populum sibi subiectum oppressisset, quantisque parricidiis, veneno, vt prædiximus, sublatis nepotibus, se oneraſſet, de feliciter administrando bello non immeritò desperabat; ac non secus quàm furiis & diris concitatus, subinde in noua consilia prolapsus, ægrè sibi constabat, &, vt fieri solet, dum mens in incerto est, facilè huc illuc impelleretur. Eius mentem atque animum valdè inquietatum, magis perculit & concitauit Galeacius Sanseuerinas, qui recèns Mediolanum Alexandria reuersus, Gallici exercitus potentiam, virtutem atque alacritatem ad cælum vsque, rem non parum exaggerando, attollebat; & in primis cataphractorum equitum robur summoperè prædicabat, ita vt, desperatis rebus, cùm nullum effugium, vel salu-

Ludouicus Mediolanēs. Princeps cedit Galliarũ potentiæ.

tem,si ab hoste victore deprehensus fuisset,expectaret,ad Maximilianũ Cęsarem fibi affinitate coniunctum (is enim, Maria Caroli Ducis Burgundiæ vnica filia, sua coniuge, è viuis subtracta, Mariam Blancam Galeacij Ducis Mediolanensis filiam vxorem duxerat) confugere, eiusque vires & copias tam necessario tẽpore implorare statuit. Itaque Mediolano Comum contendit, & mox traiecto Lario lacu, in Germaniam, præmissis antea ad Cæsarem Ascanio Cardinali fratre, liberis,& Sanseuerinate purpurato,cum magna auri argentique copia ac pretiosa supellectile, necnon cum satis magno præsidio , nimirum quatuor millium peditum, & quingentorum grauis armaturæ equitum,peruenit, à quo honorificentissimè exceptus fuit. Ante discessum,nescitur qua fiducia sui, Mediolanum, solitam principum sedem, & antiquitatis nomine celebrem vrbem, parum, vel nihil munierat. Sunt qui arbitrentur,huius vrbis munitionem propter amplitudinem & vastitatem omissam fuisse. At plures ea in sententia esse comperio, quòd iudicent, illum dedita opera Mediolanum præsidiis non firmasse,quòd scilicet,aliis Insubriæ in locis,maiorem tuendæ salutis spem atq. fiduciam reponeret. Vtcumque res sese habet, non vacat hæc negligentia reprehensione & culpa, nimirum cùm prouidi & verè militaris Ducis sit,nihil in medio relinquere,quod iniuriæ atque hostium viribus aliquo modo patêre possit. Nihilominus tamen arci Bernardinũ Cursium longa consuetudine & veteri familiaritate sibi gratum cum valido præsidio præfecerat. Ceterùm Galli,intellecta Sfortiæ fuga,minimo cum negotio Mediolanum occuparunt. Hac noua victoria auctus rex, Mediolanum,à suis præmonitus, venit, & decretis passim supplicationibus , festaque fronde plerisque palatijs & publicis ædificiis redimitis, tanta cum omnium congratulatione & applausu exceptus atque salutatus est, vt, post honorificam oration̄em, publico nomine habitam, magna cum veneratione ab ipso clero, subsequente Pontifice cum infulis, sub vmbella aurea, sollemni more ad Ducalem latium , sublatis vndique faustis vocibus & acclamationibus, perductus fuerit. Sed regis animum, in gaudia profusum, cùm nihil,præter excelsum atque sublime ageret ac meditaretur, valdè torquebat arx nondum in deditionem recepta, eò certè magis,quò difficilior eius expugnatio videbatur.Habebat siquidem illa, præter inexpugnabilia quodammodò munimenta, defensorẽ acerrimum, quippè ex totius Insubriæ iuuentutis flore selectum, adeò vt Triuultius , aliique dum ces bello & pace versati , facilè conijcerent , obsidionem diuturnam fore, nisi quàm primùm opportunis remediis occurreretur . Proinde ex eorum consilio & vnanimi omnium consensu statutum est, vt in primis defensorum animi largitionibus ac pecunia tentarentur, nimirum, cùm nihil sit tam arduum, vastum atque constans,quod auro non sit peruium, & hoc facilè non expugnetur. Vocatus itaque ad colloquium Cursius, cui arcis custodiam derelictam fuisse ostenditmus,post paucos vltrò citroque congressus, atque sermones , cum eo hac conditione transactum fuit, vt relicta in eius potestate pretiosiore omnium rerum domesticarum supellectile, & numeratis atque acceptis decem aureorum millibus, ipse regi arcem traderet, magno me herculè & immortali cum hominis vituperio,qui tantilli quęstus mancipium,honoris fideique iacturam faciens,principis sui, & patriæ proditionem, cum perenni & nunquam intermoritura ignominiæ labe,facere sustinuerit, potissimum , cùm omnium historicorum scripta in hoc consentiant,hanc arcem, nisi huius nequissimi hominis perfidia prodita hosti fuisset, obsidionem ad triennium ad minimum facilè tolerare potuisse. Genuæ interim , vbi de validissimo regio exercitu, deque Mediolano, ac eius arce occupati,

Ludouicus rex Mediolano, & mox arce potitur.

occupata, & primùm cõstanti fama, deinde certis nuntiis cognitum est, in curia pro veteri & recepto more, vt pro grauibus deliberationibus populus ad suffragia vocaretur, comitia celebrata fuerunt, & de communi omnium sententia statutum, vt victoris regis animus armis deinceps nulla ratione lacesseretur. Quinimò conuersis studiis, & abrogato Sfortiano imperio, Reip. dominiũ in Gallię regem, publici boni retinendæque quietis gratia, transferretur. Nihil enim aiebant fieri, vel obtingere, eo quidem tempore, Reipub. posse vtilius, quàm ab impotentis & ambitiosi Ducis imperio, in potentissimi iuxtà & humanissimi regis potestatem ac benignitatem deuenire, à quo nihil sperandum, vel expectandum foret, quàm id, quod Reipub. in primis salutare, & ciuibus tum priuatim, tum publicè vtile atq. honorificum esset. omnibus igitur viribus hanc commutandi status ansam diuinitus oblatam, & à Diis vrbis tutelaribus datam atque ostensam, amplectendam: nec cõmittendum, vt, propter paucorum ambitiosorum ciuium dissensionem, ciuitatis status in tam necessario tempore aliquo modo negligeretur, vel propter illorum contumaciam in abruptum atque anceps periculum deduceretur. Itaque hac de causa aliquot electi & designati ciues, qui huius rei curam atque prouinciam susciperent, ac ex vtilitate & dignitate Reip. quod illi faustum ac felix esset, exequerentur. Augustinus & Ioannes Adurnius, intellecto Senatus, de mutando Principe, consilio ac decreto, id vnum obnixè dabant operam, & omnem, quod aiunt, lapidem mouebãt, vt dignitatem, qua hactenus in Repub. floruerant, ex Senatus voluntate ac permissione retinere & continuare possent. At cùm plerique Senatorij ordinis viri, omnes factiones, earumque auctores, è medio tolli cuperent, vt scilicet, sublatis earum ducibus, sensim pernicioſæ istæ simultates, quæ maximè Remp. torserant, elanguerent, ac extinguerentur, suffragiis publicis Adurniorum voluntati & postulatis contraïtum fuit. Et ita delectis viginti quatuor, fide rerumque vsu conspicuis, Respub. ad regem honorificentissimam legationem habuit, qui admissi in colloquium, & ab eo quàm humanissimè excepti, æquis condicionibus atque pactis Reip. summam ei hac lege & condicione publico nomine tradidêre, vt nempè, conseruatis pristinis immunitatibus, alijsque statutis & priuilegiis, hactenus ab exteris Principibus conseruari solitis, rex vrbi Præfectos daret, quorum fide, iustitia, atque prudentia Reipub. salus atque dignitas contineretur. Oratores autem fuerunt Ioannes Marinus, Nicolaus Odericus, ambo eruditi ac insignes iurisconsulti; Christophorus Cataneus; Nicolaus Brignalus, Petrus Baptista Guitius, Ioannes Ambrosius Fliscus, Stephanus Cicada, Anfreon Vsusmarius, Andreas Cicerus, Bartholomæus Ceua, Nicolaus Amandolus, Augustinus Lomelinus, Ioannes Ambrosius Nigronus, Ioannes Baptista Facius, Ansaldus Grimaldus, Vincentius Saulus, Petrus Calisanus, Ambrosius Zerbus, Demetrius Iustinianus, Bernardus Saluagus, Christophorus Spinula, Hieronymus Auria, Iacobus Centurio, & Lazarus Fatinantius. Horum postulatis cùm rex septimo Cal. Septemb. assentiretur, Adurnij statim vrbe excesserunt, & alter quidem Neapolim, alter verò in suas arces & prædia se recepit, vrbisque præfectura Scipioni Baruaro Mediolanensi vsque ad noui præsidis electionem demandata, & illius custodia Ioanni Aloysio Fliſco ad tempus attributa. Oratores, quos quatuor ac viginti numero ex lectissima nobilitate Mediolanum ad regem Galliæ Reip. constituendæ causa ablegatos fuisse diximus, breui postea vnà cum Philippo Rauestano Menapiorum Ducis fratre, ipsi regi arctissima consanguinitatis necessitudine coniuncto, vt regis nomine illam Rempub. cum summa & absoluta auctoritate administraret, reuersi

Genua sub Ludouico XII. Galliarum rege.

Mirabilis & repentinus funestus casus.

sunt. Verùm quia etiam hoc anno casus incidit propter rei nouitatem planè memorabilis, non cõmittam, quin huic nostræ historiæ intexuero. Cùm enim Genuensium, quos diximus, legati, Mediolanum profecti, ad D. Eustorgij cœnobium, siue Abbatiam, vt vocant, diuertissent, ex his duo summa necessitudine coniuncti, Petrus Baptista Guitius, & Christophorus Spinula, eodem hospitio excepti, dum in cubiculo quod plateam publicam spectabat, inambularent, à transeuntibus amicis compellati, dum fenestrarum podiis incumbunt, vt se volentes intuerentur, ac responsa darent, repentè diruptis illarum ob vetustatem repagulis, corruunt. Eminebant enim ex fornice fenestræ cancellis ligneis fabricatæ, quales *gelosias* Itali vocant, atque ita carioſæ secum vtrumque in exitium trahunt, vt alter, Spinula videlicet, eo casu oppressus, animam extemplò reddiderit, alter verò vitam in noctem solùm protraxerit. Hæc omninò funesta & luctuosa sunt, atque huiusmodi, vt nobis humanæ vitæ conditionem atque miseriam ob oculos ponant, simulque testentur, verum esse quod paræmia dicitur, Homo bulla. Patent enim homini infiniti ad ruinam atque perniciem aditus, nec anxiè conquirendi sunt, cùm vndique tot sese ostendant media, quibus infelicis huius vitæ cursus facilè abrumpi potest, adeò vt Seneca ad Lucilium dicat, inter tot humanarum rerum ærumnas, nihil magis à Diis, ethnico scilicet more, concessum, loco quadammodò solatij, quàm habere in nostra potestate, & quasi in promptu, quo modo, & quando hunc spiritum ex hoc infelici corporis ergastulo quàm facillimè liberemus. Verum enimuerò, huius rei, longè omnium mea equidem sententia difficillimæ, inquisitio, torsit nõ parum omnibus ætatibus maximos atq. limatissimi iudicij viros, qui tametsi iudicio essent grauissimo atque rectissimo, in incerto tamen fuêre, fatóne res mortalium, & necessitate immutabili, an forte voluantur. Quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum æmulantur, diuersos reperies, ac multis insitam opinionem, non inicia nostri, non finem, non denique homines diis curæ: ideò creberrima & tristia in bonos, læta apud deteriores esse. Contrà alij, fatum quidem congruere rebus putarunt, sed non è vagis stellis, verùm apud principia, & nexus naturalium causarum, ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt, quam vbi elegeris, certum imminentium ordinem, neque mala, vel bona, quæ vulgus putet: multos, qui conflictari aduersis videantur, beatos: ac plerosque, quanquam magnas peropes, miserrimos: si illi grauem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsultè vtantur. Ceterùm plurimis mortalium non eximi, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur. At nobis, Christiana fide & religione institutis, longè secus omninò sentiendum est, illudq. semper pro certo atque indubitato habendum, res humanas non casu ac fortuitò, sed cælesti nutu ac prouidentia regi & gubernari, omniaque diuino ac iusto, licet nobis occulto, iudicio & voluntate fieri ac decerni, & atrocissimas pœnas concomitari atrocissima scelera. Me verò interim profundas & altissimas disputationes ingressum, reuocat suscepti argumenti ratio, sic tamen, vt hæc paucula prius subiiciantur: nempe exitu eius ætatis, Scanderbassam, Illyrii præfectum, cum duodecim millibus equitum, per Aquileiensem agrum in Euganeos, altissimis fluminibus superatis, populabundum penetrauisse, captoque magno hominum numero, quòd nemo armatus obsisteret, & in Tiliauenti amnis ripa, trucidatis immaniter senibus, vnde venerat, graui ex incendiis & cæde luctu in his regionibus relicto, reuersum fuisse. Sub idem fermè tempus, Dauthes quoque Othomannicæ classis Præfectus, desertis & amissis aliquot triremibus, in Naupacteum sinum abscessit, & Naupactum, oppidum Ætoliæ,

Ætoliæ, nõ procul à Locris, terra mariq́ue acriter obsessum, deditione occupauit. Sunt qui memoriæ prodiderint, paucis antè diebus, in Apulia coruos, vultureſq́ue, tanta in aëre vi, tantiſq́ue agminibus inter ſe conflixiſſe, vt carpenta duodecim eorum cadaueribus explerentur. Quod quidem haud dubiè futuræ atque imminentis cladis fuit præſagium. Initio proximè ſubſecuti anni, qui fuit milleſimus quingenteſimus, Ludouicus Sfortia Mediolanenſi Principatu Gallicis viribus exutus, diuerſorum Principum animos, citra aliquam tẽporis intermiſſionem, mirum in modum ſolicitabat, & modis omnibus in partes ſuas perducere atque protrahere ſtudebat, quò Gallorum potentiam, cum pernicie totius Italiæ in Inſubriæ imperio nouæ felicitatis ſucceſſu conſtabilitam, euerteret, atque ad internecionem, ſi fieri poſſet, deleret. Sed cùm Gallorum imperium adeò eſſet potens, atque magnum, vt illius vires omnibus Chriſtiani orbis Principibus, iam multis, & ijs quidem iuſtiſſimis de cauſis, inciperet eſſe formidabile, nullus erat ferè Princeps, qui palàm & manifeſtè contra Gallos in fauorem Sfortiæ arma expedire auderet. Heluetij tamen Mediolanenſium Principum vicini, ſiue quòd ſua intereſſe mirum in modum exiſtimarent, vt Galli procul Italia pellerentur, ſiue quòd tacita quadam obligatione ipſi Sfortiæ deuincti eſſent, valida ipſum manu iuuare decreuerũt. Proinde milite Italico palante ac diſperſo in vnũ coacto, atq. per cohortes deſcripto, ſpeciẽ iuſti exercitus iam exhibebat. Ac ne id quod animo cõceperat & moliebatur, aliqua de cauſa remoraretur, Mediolani per ſuos amicos & clientes hoc vnũ præcipuè ſtudebat, vt graui tumultu ac ſeditione intus excitata, ipſe ex occaſione cum ſuis copiis præſtò eſſet. Nec eluſit eius ſpem ſucceſſus. Nam, excitatis per ſuos in vrbe turbis, ipſe quamprimùm intra mœnia receptus eſt. Et cùm ita ſit natura cõparatum, vt hominũ volũtates vnà cum fortuna ſeſe commutent, ac ſubinde temporum conditioni inſeruiant, magno cum applauſu, nullis beneuolentiæ priſtinæq́ue obſeruantiæ ſignis omiſſis, in vrbem poſtliminiò reductus eſt, adeò vt vel hinc clarè eluceat, magnas conuerſiones in imperiis ac Rebuſpub. ex populari inconſtantia & leuitate plerumque oriri. Genuenſes tamen ſingulari quadam prudentia Mediolanenſium exemplum hoc quidem tempore auerſati, cum incredibili animorum conſtantia in fide regis perſeuerarunt: quæ ſanè non minori cum vtilitate ac emolumento, quàm laude fuit coniuncta. Sfortia ſiquidem, poſt exiguum temporis interuallum, à ſuis Heluetiis ſubſidiarijs, Gallorum largitionibus atque ingenti pecunia corruptis & expugnatis, Nouariæ proditus fuit, ita vt ipſe, & vniuerſa eius ditio, breui pòſt in Gallorum manus ac poteſtatem redierit. Galli deinceps, maiori cum diligentia & cura, maioribuſq. præſidiis Mediolanum, ceteraſq́ue Inſubriæ Principis vrbes cõmuniuêrunt, & obfirmarunt. Suprà demonſtratum eſt, Caloloannẽ, Conſtantinopolitanum Imperatorem, à Ioanne Cantacuſeno armis pulſum, ope Franciſci Cataluſij, nobilis Genuenſis, paternum auitumq́ue imperium recuperaſſe, atque ob id, ſorore in matrimonium accepta, inſula etiam Lesbi, vrbiſq́ue Mitylenes ditione donatum. quod ſanè incidit in annum ſupra milleſimum trecenteſimum, quinquageſimum quintum. Hanc verò ipſius poſteri, vſque ad annum milleſimum quadringenteſimum ſexageſimũ ſecundum, quietè ac pacificè poſſederunt, donec tandem Mahumetes Turcorum rex, capto Byzãtio, hanc etiam ſuo imperio adijceret. Succeſſu verò temporis, cùm Reſpub., ſicuti proximè enarrauimus, à Sfortianis ad Ludouicum XII. Galliarum regem deſciuiſſet, ipſe Philippum Raueſtenum Cliuenſem, virum, vt generis claritudine, ſic etiam conſilio manuq́ue promptum, & ſibi affinitatis vinculo coniunctum, Genuam,

1500. *Ludouicus Mediolanẽſ. Princeps ab Heluetijs proditus.*

quò ibi ſuo nomine præſideret, ablegauit. qui, vbi primùm illuc profectus eſt, ni-
hil potius habuit atque antiquius, quàm vt ibi regia pecunia quatuor naues, ac
totidem triremes, ſub ciuium Genuenſ. præfectura, egregiè inſtruerentur; habi-
1501. toq. decem Gallicarum nauium ſupplemento, his omnibus Cliuenſis cum im-
perio præpoſitus, & menſe Iulio anni, eiuſdem æui, vnius, & quinquageſimi,
rectà Neapolim adnauigatum, vt obſeſſis opem ac ſuppetias ferrent. Cetcrùm,
hæc expeditio eum ſucceſſum habuit, vt, cùm Fridericus rex iam victricibus ar-
mis omnia recuperaſſet, nauarchus, deſperatis rebus, illinc retroceſſerit, & nau-
gationis curſu in partes Orientales directo, cùm fortè in quatuor ac triginta Ve-
netas triremes incidiſſet, confeſtim cum earum trierarchis collatis ſententiis, in-
tiſque conſilijs, omnes de communi conſenſu, Mitylenas adoriri ſtatuerunt,
eoque ſecundis ventorum flatibus appulſi, ac deſcenſione facta, necnon milita-
ribus machinis ipſis mœnibus admotis, illam ſummo impetu oppugnare inco-
perunt: nec exigua ſpes affulgebat, fore, vt breui expugnaretur, ſi Galli, ac Ve-
neti, quod ſuarum erat partium, nauiter ac fideliter præſtitiſſent. Priores ſiquidem,
propter odium, quo ipſum Præfectum natione Sequanum proſequebantur, illi
hanc palmam & gloriam ſummoperè inuidebant. Poſtremi verò ægrè ferebant
huius victoriæ fructum non totum, ac proprium, ſed cum ceteris etiam com-
municandum: eoque factum eſt, vt ſegniùs rem agerent, ac pugnam quoque
detrectarent, adeò vt tandem nulla re inſigniter geſta, ab ea expeditione prorſus
inglorij receſſerint. At minimè hîc prætereunda videtur cuiuſdam iuuenis Ge-
nuenſis vexilliferi eximia virtus atque animi fortitudo; qui, conſcenſis muroru
pinnis, ac vexillo erecto, licet crebris ſagittarum ictibus impeteretur, ſingulari
tamen robore atque conſtantia locum & vexillum tantiſper retinuit, quoad præ-
fecti, ac primipilariorum iuſſu, vaſis conclamatis, ſignoque dato, quiſque ſe ad
naues reciperent. Quippè cùm nauarchus probè intelligeret, quem animũ vir-
que gens ad eam militiam adferret, paucis pòſt diebus obſidionem ſoluit, & mox
in Chium inſulam delatus, ab eius loci prætore, ceteriſque primoribus amanter
atque honorificè exceptus fuit: paruaque mora interpoſita, cùm in Italiam vela
& remos conuerteret, repentè dira atque atroci tempeſtate coorta, nauis Lomel-
lina, qua ipſe deuehebatur, ad Cetrim inſulam naufragium fecit; & pauci, inter
quos ipſe Cliuenſis fuit, ab imminenti periculo ſubtracti: atque par infortunium
paſſa eſt vna ex Gallicis nauibus, cuius epibatæ ſocijque nauales, ac remiges, fe-
mè ad vnum interiêre. Poſt hæc, Corcyram, Ionij maris inſulam, olim Vlixis
naufragio, & Alcinoi hortis claram, indeque in Apuliam Peucetiam, atque ad
vrbem Leſinam, omnium rerum inops atque indigus, peruenit. Fortè ibi tunc
temporis aderant Baptiſta & Galeacius, germani fratres, ex clara & antiqua Iuſte-
nianorum proſapia oriundi, qui eo tempore naualem operam cum ſuis triremi-
bus Regi Hiſpaniarum impendebãt. Hi, cùm eſſent iuuenes ſplendidis ingeniis,
& nulla ex parte à ſuis maioribus degeneres, Raueſtani caſum commiſerati, ig-
ſum benigniſſimè exceptum, plurimis rebus opportunis ac neceſſariis adiuerũt;
donec tandem Genuam rediret. Et quoniam hactenus haud rarò in Lesbi ac Mi-
tylenes mentionem incidimus, minimè ab re fuerit, ſi, antequam longiùs progre-
diar, hîc, repreſſo calamo, paululum ſubſiſtens, aliquid de vtraque ad poſteritã-
tis memoriam, & lectoris oblectamentum, breuiter ſubiecero.

Mitylene fruſtra à Genuenſ. ac fœderatis obſidentur.

Lesbi inſulæ deſcriptio.

LESBOS olim non ſolùm Æolica, ſed Æolicarum vrbium altera metropolis
fuit, & vniuerſæ Troadis imperium obtinuit. ambitus eius ſtadiorum centum
ſupra mille à Borea in Auſtrum protenſa; quingenta & ſexaginta ſtadia longitu-
dinis

dinis habens, feraci agro, & multa materia ad classes conficiendas idonea; tantum à Chio Lemnoq. distans, quantum à Tenedo intra quinquaginta ferè stadia. Vrbes in ea fuere memoratu dignæ; Mitylene, quæ adhuc extat, & ab ea nunc insula vocatur; & Pyrrha in Occidentali latere sita, quæ ab antiquo subuersa est, relicto suburbano quod habitaretur. Fuit & Cressus in colle iacens, & Antissa cum portu Methymna promõtorio Lecti opposita. Mitylene inter Methymnam iacet, & Maliam, quod est Australissimum extremum insulæ Canæ oppositum. Hæc vrbs rebus omnibus pulcherrimè instructa fuit, portusque duos habuit, quorum Australis clausus erat, quinquaginta triremium ac nauium capax; Borealis verò magnus ac profundus, aggere protectus. ambobus quædam parua insula obiecta fuit, partem vrbis habens ibi habitatam. Ex Mitylene fuit Pittacus, vnus ex septẽ sapientibus, & Alcæus poëta, & Antimenides eius frater; cũ his & Sappho claruit admiranda mulier & poeticæ peritissima, cui post tot sæcula non est reperta quæ illi adæquari potuerit. Diophanes orator multo tempore posterior fuit, & Potamon, & Lesbocles, & Chrynagoras, & Theophanes rerum scriptor, qui Pompeio Magno admodum familiaris fuit; nam & res eius gestas posteritati commendauit. Ex Cresso fuêre Theophrastus, & Phanias, philosophi peripatetici, & Aristoteli familiares. Ex Methymna ortus est Arion, & Terpandrus, insignes citharœdi. Hellanicus quoque rerum scriptor, & Callias, qui Alcæum, & Sapphon exposuit, Lesbij fuisse perhibentur. Res Mitylenenses nunc prosperæ, nunc aduersæ, per multas manus actæ sunt. Pelasgi priores insulam habitauêre, cùm staret Troia. Postea Æoles successerunt, deinde Persarum imperium subiit, postea Macedonũ, deinde Romanorum, cùm Romana res in Constantinopolim translata esset. Sub Græcorum Imperatoribus varia insulæ fortuna fuit; donec tandẽ ad Catalusios, & postremò ad Turcas, quorum ditioni adhuc paret, deuoluerctur. Sunt qui tradant, priusquam hæc Turcorum imperio cederet, quoddam illius insulæ haud ignobile municipium, à Turcico exercitu acerrimè oppugnatum, cumque muri pars machinis deiecta esset, atque hostis, facta clypeatorum testudine, irrumpere properaret, nec oppidanis animus esset ad ferendum impetum, aliis deditionem, aliis fugam meditantibus, affuisse virginem, (nomen in incerto est) virilibus armis indutam, quæ salutem patriæ pepererit. Hanc enim adhortatam ciues, ne hostem metuerẽt, primam se Turcis obiecisse, ac pro loci fractura depugnantem, nonnullos obtruncasse: cuius audaciam admiratos oppidanos, & ipsos animum resumpsisse, atq. ingentem stragem ab ipsis editam, ita vt Turci è terra pulsi, ægrè in nauigia sese reciperent, quos deinde Calisam classem insecutam, magno detrimento affecisse, sic tamen, vt seruatæ insulæ laus penes ipsam virginem fuerit, dignã sanè, quam omnis posteritas perpetuis encomijs celebret atq. extollat. Notũ est autẽ, quídnam in Galliis sub Carolo VII. contigerit, anno sal. 1428. cùm Ioannis viraginis Lotharingiæ, puellæ duodeuiginti circiter annos natæ, auspiciis non modò Aureliana vrbs, à Britannico exercitu acerrimè obsessa, verùm etiã vniuersum Francorum regnum admirabiliter liberatum & præseruatum fuerit. Nostra tempestate, vt in præsenti omittam Agriensium feminarum fortitudinem, cùm sub Selymo secundo Thraciæ Imperatore, Corcyra Melæna, Adriatici maris insula, quam indigenæ Curzolam vocant, ab Occhiali & Caracosio, celebratissimis piratis, & Othomannicæ classis Præfectis, dira obsidione premeretur, oppidanis metu consternatis atque in fugam versis, dumtaxat à mulieribus eius loci aliquamdiu strenuissimè propugnata fuit, donec tandem vehementi Borea mari intumescente, ac procellosis fluctibus agitato, ipsi, ne classem in summum

Mulier virilis animi.

discri-

discrimen conijcerent, sese in tutiorem locum subduxerint: atque ita hostili periculo erepta, sicuti à me lib. 2. De bello Cyprio, fusiùs commemoratur. Et hæc quidem obiter dicta sint. Circa eius autumni initium Andreas Iustinianus, qui priori æstate in Alexandriam, cum naui eximiæ magnitudinis, ac pretiosis mercibus referta, enauigarat, post multos exantlatos labores, ac pericula emensa, Genuam cum quinque ac triginta millium librarum Liguſticæ monetæ emolumento, saluus atque incolumis reuersus est. Huius temporis tractu, Iacobus quartus, ex nobili atque illustri Appianorum familia oriundus, intellecto, Cæsarem Borgiam Ducem Valentinum, Alexandri VI. Pontificis filium, suæ ditioni imminere, Hieronymum Spinulam, suum amicum & familiarem, Genuam misit, qui à Senatu opem atque auxilium eo nomine imploraret. Sed, nequicquã tentatis Patrum animis, Plumbinum, olim Populoniam, maritimum Tusciæ municipium, & reliquam suam ditionem, eidem diuendere constituit. Res in Senatu acta, & multis variisque sententiis agitata. Et quanquam minimè Galliarum regi displiceret, quòd Senatus, nulla satisfactione regulo data, extrahendi temporis ansam quæreret; tamen, ne Rom. Pontificem in se concitaret, longè secus præ se ferebat. Verùm, cùm ea consultatio nimis in longũ produceretur, ac periculum esset in mora, oppidani Borgiano exercitu exterriti, simulque grauiora metuentes, sese illius fidei certis quibusdam condicionibus tradidêre, atque ita Iacobus, veteri imperij sui possessione excidit; quam tamen post Borgiæ obitum facilè recuperauit: ac deinceps principatum tranquillè summáque populi rium beneuolentia gessit. Primus autem ex ea familia fuit Iacobus, Pisanorum à secretis scriba, qui, Petro Gambacurta, Pisanorum tyranno, per insidias interfecto, dominatum sibi tum Pisarum, tum huius vrbis comparauit. Successor filius Gerhardus, Pisa Ioanni Galeacio Vicecomiti, primo Mediolanensium Duci, vendita, Plumbinum cum Ilua insula, quæ ferri venis fecundissima, magnum quotannis vectigal suo domino præbet, retinuit. Huius hæres fuit Iacobus Secundus, ex Paula nobilissima femina Martini quinti Romani Pontif. sorore natus, quem narrant, cùm ex coniuge virilem sobolem non susciperet, extra matrimonium hæredem quærentem, concubinam quandam adamasse, cuius cum venter intumuisset, & iam pariendi propè tempus adesset, incredibili gaudio perfusum, Florentinos ac Senenses, legatos vt ad se mitterent, ac partum de sacro fonte leuarent, futuros susceptores, magnis precibus inuitasse. Venisse ad diem dictam legatos, ac mulierem inter obstetricum manus diu laborantem Æthiopem tandem peperisse: quod sanè vt risum in populo cachinnúmque excitauit, ita & susceptionem, ac Principis lætitiam maiori ex parte interrupit. Tibicen tum fortè Maurus in familia eius erat, ex quo natum puerum credidêre, qui mox, vbi detectum flagitium intellexit, saluti suæ fuga consuluit. Mortuo Iacobo, Rainaldus Vrsinus, peracri vir ingenio, & rei militaris peritus, in eius locum suffectus est, non suo iure, sed coniugis, ipsius Iacobi filia. Post eius obitum, cùm absque liberis decessisset, solicitis oppidanis, quem sibi potissimè regerent: vicini verò potentatus cùm variis artibus ad se trahere conarentur, renunciatum est, Manuelem, siue, vt aliis placet, Manetum Appianum, adhuc è Principum suorum prosapia superesse, cui Principatum committere possent. hic multos annos in militia versatus, nec tamen aut opes congesserat, aut egregio aliquo facinore inclaruerat; eaque de causa dimissis iam armis, vxorem Troiæ inter Apulos ceperat, ibíque tenuiter vitam agebat, nihil minus quàm de imperio cogitans, cùm à Plumbicensibus publicè vocatus est: quod quidem ei primo nuncio

Appiana familia.

Partus risu dignus.

nuncio velut somnium visum. Exin fortunæ ludum libenter amplexus, tanquam vitæ reliquum dormiuisset, in alterum virum mutatus, quamuis iam senex, Principatum iniit, rexítque postea plerisque annis, ciuibus suis gratus iuxtà & vicinis amicus. Decessit autem duobus filiis extra legitimum coniugium sibi natis, ex quibus Iacobus tertius, minor, quòd eum ciuitas seniori præferret, successit, eíque postmodum Iacobus quartus, dē quo nunc sermonem instituimus. Post hunc, & alij plures, ad hæc vsque tempora subsecuti, à quorum enumeratione hîc breuitatis causa supersedeo. Genuæ interim mense Nouembri graui peste laboratum, eaque de causa quatuor ciues designati, inter quos fuit Paulus Nigronus, vir prudens, & longo rerum vsu exercitatus, quibus commissum est, vt enixè darent operam, quo ad eius fieri posset, ne hoc genus morbi contagione latius serperet, simúlque omnibus iniunctum, vt quisque sese domi suæ otiduum contineret, ad illius morbi causam & originem inuestigandum, quo quidem tempore complures egeni ac tenuioris fortunę homines, ex publico ærario, exque Misericordiæ, vt vocant, officio subleuati, ne vitæ alimentis destituti, sibi immaturum fatum accelerarent. Iisdem fermè diebus Laurentius Magius insignis Philosophus ac Medicus, quippe qui per multos annos in celeberrimis gymnasiis totius Italiæ, nimirum Patauij, Bononiæ, Ticini, ac Ferrariæ, Aristotelem, & Galenum, cum haud modica sui nominis celebritate, ac illorum qui eius lectionibus interfuerant, emolumento ac vtilitate, interpretatus est, vita emigrauit. Hunc sanè, Ioannes Picus Mirandulæ Comes, & Albertus Carpi regulus, ambo non minus splendidis natalibus illustres, quàm ingenio ac eruditione conspicui, summo in pretio atque honore habuerunt, nec rarò illum & priuatim, & publicè, de grauissimis rebus disserentem, attentissimis auribus non sine incredibili admiratione & gustu audiuere. Hic pleraque scripsit in Dialectica, & in Græca lingua plurimum operæ ac studij collocauit. Sub idem quoque tempus floruit Georgius Interianus, vir summi nominis, &, teste Politiano, magnus naturalium rerum inuestigator. Porrò, vt bellica virtute, ac nauali gloria populus Genuensis nulli vrbium totius orbis terrarum, post Carthaginiensium, & Romanorum imperium, est secundus, ita etiam quouis tempore, ijs laudibus, quibus res ciuiles administrantur, nempè consilio, fide, industria, æquitate, ac prudentia, mirificè excelluit. Ad hæc, perfæpè complures habuit, qui à puero optimis disciplinis instituti, cùm ingenio ac doctrina excellerent, egregiis monumentis suum nomen apud posteros æternitati consecrarunt. Et quanquam plurimi arbitrentur, rei militaris scientiam politicarum cognitioni antecellere, tamen huius rei difficillimæ diiudicatio plurimos torsit, cùm nescirent, cui potissimùm palma deberetur, & verissimè dicatur, frustra esse foris arma, nisi sit consilium domi. Extra tamen controuersiam est, illos etiam iure meritò summis laudibus efferri, qui scriptis ingenijque suis monumentis eluxerunt. Hac siquidem ratione & de patria cæteraque hominum societate optimè meriti sunt, & seipsos pariter ab omni obliuione vindicarunt. Pulchrum sanè est, vt Sallustianis verbis vtar, bene facere Reipub. etiam bene dicere, haud absurdum est: vel pace, vel bello clarum fieri licet: & qui fecêre, & qui facta aliorum scripsêre, multi laudantur. Et licet haud quaquam par gloria sequatur scriptorem, & auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur, res gestas scribere. Primùm, quòd factis dicta sunt exæquanda: dehinc, quia plerique, quæ delicta reprehenderis, maleuolentia & inuidia dicta iudicant: vbi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu

Genuæ labẽrãtur pẽste.

putat,

putat, æquo animo accipit, supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. Ego interim, præclariss. aliquot viri, qui summa eruditione atq. aliis togæ artibus in hac Rep. excelluêre, debito defraudentur honore, haud absurdè illorum nomina breuiter adiecero. inter quos, superioribus ætatibus insignem ingenij sui lucem protulêre Caffarus Taschifedonus, Baptista Stella, Gotifredus Albarus, Benedictus Tallacarnes, Georgius Stella, & Iacobus Varaginensis, qui omnes Genuens. Annales sui temporis conscripsisse dicuntur. Post aliquot annorum decursum, fuêre Philippus Saulius Antistes Brugnatinus, M. Cataneus Rhodi episcopus, Ioannes Balbus, Andalus Nigrius, Iacobus Cepa, necnon Baptista, & Raphaël, Fulgosij, quorum prior, post Principatum adeptum, vnde, sicuti antea demonstrauimus, à Fulgosio, suo patruo, per vim & fraudem deturbatus fuit, elegantem librum patrio idiomate concinnauit, quem ad imitationem Val. Max. De illustrium virorum dictis & factis memorabilibus, inscripsit. Alterius verò extant nonnulla in iure ciuili, quæ illius doctrinam & ingenium facilè declarãt. Bartholomæus itidem Facius, & Iacobus Bracellius, ex suis egregiis literarum monumentis præclaram doctrinæ ac eloquentiæ laudem adepti sunt; quorum alter, historiam belli naualis ab Alfonso gesti, quod quidem nos libro XI. breuiter ac summatim perstrinximus, Latinè, puro, ac eleganti stylo complexus est: alter, vitam & res gestas Alfonsi, non minori ornatu & iudicij grauitate conscripsit. Habuit etiam eadem ætas Stephanum Bracellium, huius quem recensui filium, & Antonium Gallum, haud incelebres viros. Subsequens autem, vidit Iacobum Fornarum, vulgò Furnium, vtriusque linguæ, ac præsertim Græcæ, longè peritissimum; iuxtaq. Hieronymum Palmarum, Bartholomæum Iustinianum, Nicolaum Brigalium, Prosperum Camolium Antistitem Catinien. sem, ac Friderico tertio Cæsari à consiliis, & Franciscum Marchesium, quem coram Galeacio luculentam orationem habuisse, superiùs demonstrauimus. Nostrorum patrum memoria Sperindeus Palmarus, Aloysius Spinula, & Christophorus Grimaldus Rossus, insignis philosophus, medicus & mathematicus, qui supremum in Repub. Magistratum, summa cum sui nominis laude, ac singulari eius beneficio, gessit, extiterunt. Maximam quoque ex ingenij sui monumentis laudem adeptus est Augustinus Iustinianus, Præsul Nebiensis, vir in triplici linguarum cognitione apprimè versatus; cuius inter cetera extant rerum Genuensium annales. Hac nostra tempestate in primis florent, cum haud mediocri admiratione, Cæsar Contardus, Matthæus Senarega, & Vbertus Foliceta, ciues Genuenses, quorum non minus ingenij acumen & omnigena eruditio, quàm singularis eloquentia, & ceteræ virtutes ab omnibus passim celebrantur. Vigent etiamnum Genuæ præclarissimi viri, qui ad pacis togæque artes, eloquentiæ ac sapientiæ studia coniunxêre, simulque eximia Pontificij ac Cæsariani iuris scientia præditi, cùm in legationibus ad maximos Principes ac reges obeundis, tum verò in his quæ ad publica negotia pertinent, suam patriam illustrant, eique maximo sunt præsidio & ornamento. Quid memorem alios præstantissimos viros, & in rei medicæ facultate, iuxtaque in Mathematicis, ac Philosophicis disciplinis & multiplici linguarum peritia, quàm diligentissimè, & cum sui nominis gloria versatos? Id profectò neque mei instituti est, nec paucis verbis à me enarrari posset. Ceterùm, non solùm Genua hac sua peculiari laude fruitur, sed etiam in agro Ligustico excellẽtia semper eluxêre ingenia. vtque ceteros breuitatis causa nunc præteream, hoc nostro sæculo haud modica ex suis scriptis commendatione efferuntur Ioannes Cagnatius, Gulielmus Rodoanus, & Stephanus Ambrosius

Quinam Genuæ doctrina & scriptis hactenus inclaruerint.

brosius Sciappalaria, qui, his proximis mensibus, Diui Iulij Cæsaris vitam non minus grauiter, quàm ornatè ac eleganter Etrusco idiomate posteris ac memoriæ mandauit. Verumenimuerò, vt eò redeat vnde paulò antè defluxit oratio, cùm Gallorum fortuna mira prosperitate incredibiles progressus in Italia faceret, an- 1502.
no eiusdem sæculi quingentesimo secundo, Rex ipse subinde nouis victoriis au-
ctus, Mediolanum venit; indeque, rebus ibi constitutis, Genuam profectus, *Ludouicus rex Genuam proficiscitur.*
tanta omnium ordinum & promiscuæ plebis lætitia & applausu exceptus fuit, vt nullus fuerit ea ætate Princeps, qui cum maiori & splendidiori apparatu ab ali-
qua Repub. excipi potuerit. Nam tanta erat gratantis populi frequentia, vt per lictores & apparitores publicos vrbana plebs esset remouenda, & rex per Rauestanum consanguineum suum, Patres admonuit, ne sibi longiùs obuiam pro-
deundo, se defatigarent: cùm nimirùm animi beneuolentiam non aliunde quàm ex fidei integritate & voluntatum constantia metiretur. Præmissus tamen fuit Brixius Iustinianus, cum duodecim ex primaria nobilitate, qui Senatus & Reip. nomine Principem exciperet, vrbemque in eius clientelam traderet. Rex magna cum humanitate Iustinianum, suis genibus aduolutum, manu subleuauit, ius-
sumque id quod in mandatis habebat, liberè exponere, patientissimis & beni-
gnissimis auribus eius orationem admisit; atque ita in vrbem deductus. Habe-
bat Rex in hoc suo comitatu, præter ampliss imam suam aulicam familiam, vi-
ros dignitate atque opibus excellentes, inter quos, gratia atque splendoris magni-
ficentia longè ceteris antecellebat Valentinus Borgia, Montisferrati Regulus, Lu-
douicus Salassorum Princeps, Iacobus Triuultius, & Philippus Rauestanus. Ad-
erant etiam militaris ordinis haud pauci duces, & inter præcipuos, Petrus Gien-
sis, Dunensis, Ligniacus, Tremolius, Chaumuntius, Petrus Fuxæus, & plerique alij id genus viri. Senatus auctoritate publicum palatium excipiendo regi con-
stitutum fuerat. Sed Rex sibi suo modo hospitium delegit, ac in ædibus Ioannis Aloysij Flisci ad Carinianum sitis, loci & situs amœnitate captus, quodque ex his pulcherrimus prospectus pateret, excipi voluit. Post hæc, desumpto tempore introspiciendæ vrbis diligentissimè illius mœnia atque ambitum, obseruatis ple-
risque locis, & munitionibus, circumiuit ac examinauit, sic, vt considerato to-
tius ciuitatis situ, tandem aliquot primores ciuitatis, vt secum Reipub. causa de communienda vrbe agerent, in colloquium admisit. Ex Senatus namque decre-
to designati fuerant, communibus suffragiis, Octouiri, quibus publico nomine cura atque prouincia tradita erat, vt cum rege super hoc negotio ex dignitate Reipub. atque vrbis securitate tractarent. Fuêre autem hi viri partim ex Aristo-
cratia, partim verò ex Democratia permixti, scilicet, Ioannes Baptista Grimal-
dus, Simon Blancus, Andreas Cicero, Nicolaus Amfreonus Vsusmarius, Am-
brosius Zerbus, Nicolaus Spinula, Andreas Saulus & Stephanus Auria, qui in colloquium ab ipso rege admissi, honorificam Reip. nomine habuêre orationem, qua ipsum obnixè atque officiosè promereri studebant. Habebant siquidem, etiam inter cetera, in mandatis, vt à rege publico nomine peterent, vt omnibus Genuensibus, citra aliquam exceptionem, liberè liceret, & nullo modo in poste-
rum fraudi esset, in Hispaniis mercaturam exercêre, & cum ea gente negotiorum causa necessitudinem habere ac instituere. Nam, hactenus propter bellum Nea-
politanum inter Gallos & Aragonios gestum, mercium commutationes cum graui Reipub. iactura & dispendio cessarant. Deinde, ne Magistratus, qui prius annui erant, perpetui fierent, non absque mediocri multorum bonorum ciuium dolore ac detrimento; quippè cùm in bene morata atque constituta Repub. mo-

ris sit, vt honoribus capessendis nemo in ipsa ciuitate excluderetur, & tantum quisque valeret, quantum virtute excelleret. Fit enim sæpenumerò, vt si tantum modò vni vel alteri Magistratus cum aliorum ciuium neglectione diutiùs quam par est, prorogetur, ardor amplectendæ virtutis mirum in modum remittatur, imò identidem prorsus emoriatur. Proinde graui cum iudicio Senatus à rege cõtendendum censebàt, vt pro veteri ac recepto vrbis more, dignitates atque honores tantummodò annui essent: præsertim quòd Daniel Scarampa, Rauestani Proregis amicitia subnixus, cum multorum indignatione & incommodo, prorogatorem aliquot iam annos assiduos agebat. Hanc quidem posteriorem petitionem Prorex ipse valdè grauiter tulit, quòd existimaret, auctoritatem suam hac in parte non mediocriter lædi & eleuari, adeò vt ira commotior, aliquantò longiùs, quàm par esset, verbis, sic satis acerbis, in eos inueheretur. Sed tantum poterat regis indignatio, vt fortiter quidem atque intrepidè Rauestano resisterent. Æquitas enim causæ, vt in prouerbio est, promptiorem & audentiorem patronum facit. Satis enim constabat, Scarampam, cum magna turpis auaritiæ ignominia, reum, de quo, propter flagitiorum enormitatem, quæstio haberi debebat, accepta pecunia, è vinculis publicis elabi permisisse. Rex, ne quid quod populare esset, vel populi dignitatem & vtilitatem concerneret, negligere videretur, eorum postulatis libentissimo & promptissimo animo subscripsit, ita vt eos singulos, non secus ac si priuatus fuisset, manu prensando, dimiserit: qua de causa etiam ei gratiarum actio, magna cũ animi submissione, publico nomine habita fuit. Totum illud octiduum quo Genuæ hæsit, non multorum Principum more, ludicris cœtaminibus aliisque voluptatibus transegit, sed constituendis Reipub. grauissimis negotiis insumpsit. Quandoquidem multi scriptores tradunt, regem in cognoscendis causis aliisq. seriis rebus tractandis adeò fuisse impensè deditum, vt nullum non laborem, & molestias, publici commodi ac vtilitatis causa, libẽter subiret ac deuoraret. Vtinam omnium Principum animi, hac nostra deprauatissima temperate, & in summa rerum omnium confusione, ita essent instituti & comparati, vt huius exemplo ad parem diligentiam accenderentur. Fieret enim procul dubiò, vt exclusis tot sycophantis, aliisque assentatoribus, qui legum interpretationes ac rerum cognitionem ad Principum arbitria & gratiam inflectunt, ac turpis lucri & quæstus causa in alienum sensum detorquent & rapiunt, Principes ipsi per se mirum in modum valerent, & rectum à curuo, vt dicitur, secernerent, ac ita fieret, vt regna & imperia, aliarumque rerum publicarum status melior & quietiori loco essent, indeque sibi immortalem gloriam cum publica salute & beneficio coniunctam, compararent. Rebus Genuæ constitutis, Rex Mediolanum grauissimis de causis repetere statuebat: de cuius abitione cùm Senatus prænoneretur, edicto publico omnibus vrbis Magistratibus præcepit, vt ad regem concomitandum præstò postero die essent. Sed anteuertit eorum diligentiam rex repentino & insperato suo discessu: Siquidem multis Principibus, præsertim verò Gallis, vsitatum, præter populi expectationem, in vrbem vel aduenire, vel discedere; dubium, an vt vrbanam frequentiam hac ratione commodiùs deuitent, vel, quod longè verisimilius videtur, vt omnium animos sui desiderio accensos, diutius in voto & admiratione distineant. Hoc pacto & si illuderetur Senatus, tamen committere noluit, quin statim, intellecto regis discessu, non paucos patricij ordinis concitatis equis emitteret, qui eum honoris causa subsequerentur, & Mediolanum vsque deducerent. Tanta siquidem reuerentia & studio ipsum venerabantur, vt is dies quo primùm Genuam venisset, inter fastos relatus sit.

tus sit; & Senatus consulto præconis voce publicè edictum fuit, vt illius diei memoria anniuersario sacro, cum omnium congratulatione, celebraretur. Parum aberat, quin silentio præterieram admirandam & stupendam regum Galliæ in curandis & sanandis strumis virtutem atque potentiam, quæ hucusq. multorum sæculorum consensione ita inualuit, vt à solis Galliæ regibus strumas, citra alicuius malagmatis vel cataplasmatis applicationem, curari posse, multorũ sit opinio. Mirum profectò, nec facilè ratio reddi potest, nimirum cùm struma tumor sit, in quo subter concreta, quædam ex pure & sanguine glandulæ oriantur, quæ nunquã facilè matureſcũt, & febres valdè periculosas ciere atq. mouere soleant; ita vt eius curatio plurimùm difficilis & ardua reddatur. Hinc equidem non facilè intelligo, cui potissimùm causæ hæc regum medela debeat assignari. Nam si dicamus, illam nulli alij mortalium; quàm solis Galliæ regibus; competere, videbimur confiteri; hanc virtutem nõ tam à natura; quàm vnà cum dignitate regia ipsis conferri & instillari; alioquin si priuatæ personarum præstantiæ attribui concedamus; quis est qui non videat, in tanta Principum frequentia multos semper exstitisse; ac etiamnum reperiri, qui bonitate & naturæ excellentia Galliæ regibus nulla ex parte inferiores sint? Nec sanè hîc eleuo Galliarum regum summam atque omnibus ferè sæculis admirandam præstantiam: Quòd tamen illis huius morbi curatio peculiaris & propria sit, facit, vt faciliùs credam, quòd cum multorum consensione Britanniæ quoque regibus priuatam quandam tollendæ elephantiæ vim & energiam inesse constet. Vtcumque sese res habet; non caret id sanè admiratione, & proculdubiò arcani diuini consilij testimonium haud leue perhibet: quandoquidem clarissimos Principes excellenti & præstanti aliqua natura fuisse præditos non ignoramus, vt de Vespasiano Tacitus ac Suetonius enarrant, quem ferunt, è plebe quendam luminibus orbatum, alium debili crure, siue, vt prior sentit, manu ægrum, sedentem pro tribunali pariter adijsse, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset, rem vllo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremò hortantibus amicis, palàm pro concione vtrumque tentasse, nec euentum defuisse. Peculiarem etiam vim sanandorum humanorum corporum in Theodosio Imperatore extitisse dicunt, aliqui ad Honorium transferunt. Extitêre præterea integræ familiæ, quæ non sine summa omnium admiratione propria naturæ dona & ingeneratam virtutem cõtra omnem vim veneni habuerunt: inter quas, in Africa Psyllorum, vt Agatarchides scribit, à Psyllo rege, cuius sepulchrum in parte Syrtium maiorum extitit, dicta; quorum corporibus, serpentibus exitiale ingenitum fuisse virus, ita vt eius odore eos sopiri, multi præclari scriptores tradiderint. Cuius quidem gentis natura lis virtus ita Romanis longa experientia innotuit, vt Cato Vticensis, teste Plut. iter per deserta Libyæ faciens, in comitatu suo è Psylla gente oriundos habuerit, qui morsibus serpẽtum naturali vi medelam & salutiferam antidotum afferrent. Simile in Italia in Marsorum familia multis sæculis durauit, quos à Circes filio ortos, & ideò ijsdem naturalem vim fuisse pellendis venenis, constans opinio est. Idem quoque Plutarchus auctor est, Pyrrhi digitum maximum pedis, diuinitatem habuisse, adeò vt igne nunquam exuri potuerit. Et hac etiam nostra tempestate multi empirici ac circumforanei medici hoc nomine sese venditant, quòd contra serpentium ictus & morsus præmuniti sint, sumpta planè simplici antidoto, quam ipsi D. Pauli terram vocant, quorum neniæ & Thrasonicæ pollici-

Mirabilis Galliarum regis strumæ curatio.

tationes veris præstigiis & impostoris coniunctæ, etsi ab omnibus diligẽter præcaueri debeant, & nihil temerè ab eis sumi, nescio tamen quî fiat, vt huius rei experimentum nunc multorum cum beneficio extra controuersiam & suspicionem quasi deuenerit. Multum itaque plebeia multitudo, inter cetera beneficia, Gallorum regi debebat, quòd plerosque tunc temporis hoc morbi genere laborantes, leui manuum contactu liberasse fama sit. Regem, priusquàm Genua Mediolanum concessisset, Vrbinatium Dux, ac Plumbini regulus, necnon diuersorum Principum & statuum, præsertim verò Italiæ, oratores adierunt, qui ipsum, cùm suo, tum aliorum Principum nomine, de feliciter in Insubria confecto bello, & Ligusticæ ditionis accessione, congratulabantur. Hîc omittendum haudquaquam esse arbitror, Rempub. Genuens., inter cetera dignitatis ornamenta, quibus, cum plerisque Italiæ ciuitatibus non solùm certasse, sed multis interdum lis post se reliquisse videtur, Cæsarum permissu, Cameram, siue mauis dicere, Amphictyonium imperij, ad consopiendas grauissimas lites & definiendas perplexas deliberationes fuisse: Cuius certè gloriæ tanta viget in animis hominum memoria, vt etiamnum subinde hoc titulo glorietur, multisque priuilegiis atque immunitatibus à diuersis Imperatoribus olim donata sit, ita sanè, vt hoc nomine sese illis plurimum debere, haud mediocribus signis ac testimoniis persæpe declarauerit. Quanta verò vicissim ipsi Genuens. fide atque obseruantia Cæsares hactenus prosecuti sint, ac etiamnum prosequantur, quantoque semper studio inuigilauerint, vt eorum gratiam & beneuolentiam perpetuò retinerent, vel ex eo cuiuis clarum atque perspicuum esse potest, quòd videlicet, præter cetera de more longo vsu & consuetudine recepto, insignia Cæsariana in Prætorij vestibulo atque aditu principalis aulæ summa cura atque industria ad perpetuum debitæ obseruantiæ testimonium, depingi ac extare voluerint, adeò, vt cùm Rauestanus, vrbis Præses, ac regius legatus, de quo proximè egimus, Ludouicum regem in publico palatio exceptum iri arbitratus, deletis Cæsarianis, illorum loco Gallica signa atque arma affigi imperasset, hoc factum Senatus atque vniuersi Ordines maximoperè improbarint, & paucorum dierum interiecto tẽpore, mox ibidem restitui, summaque diligentia & religione in posterum asseruari iusserint.

Genua olim Camera imperialis fuit.

Vt verò ad inceptum redeam, paucis diebus interpositis, qui inciderunt in annum eiusdem æui tertium, rege Mediolanum reuerso, Senatus Genuensis Roma-
1503. mam ad Pont. Iulium secundum ex antiqua gente Roboreia oriundum, qui ante Pontificatum, Cardinalis titulo S. Petri in vincula dicebatur, duodecim oratores misit, qui illi Reipub. nomine Pontificiam potestatem congratularentur, & communem lætitiam declararent. Horum autem nomina fuêre, Stephanus Vi-
1504. ualdus, Ioannes Ambrosius Fliscus, Petrus Spinula, Ambrosius Lomellinus, Do-
1505. minicus Adurnius, Cosmus Zerbus, Hieronymus Saluus, Petrus Saulus, Augu-
1506. stinus Ferrarius, Augustinus Grimaldus, Hieronymus Auria, & Gabriel Forne-rus. In hoc rerum agendarum cursu, Pisani, qui iam permultos annos à Florentinis grauissimis bellis premebantur, ac sæpè Ligurum opem & subsidium nequicquam implorarant, proximo anno, ac etiam insequenti, cùm iam ad extremam necessitatem rerumque omnium angustiam redacti essent, ad Remp. oratores misêre, qui Pisanæ Reip. dominium offerrent atque dederent, simulque obnixè rogarent, vt se, suaque omnia in clientelam acciperet, raro & quasi inaudito extremitatis exemplo, cùm nemini dubium sit, Pisanos toties antea cum Liguribus de imperio acerrima contentione, nec citra immensi sanguinis effusionem, pertinacissimis animis dubio & ancipiti Marte dimicasse. Hac tanta re à

Senatu

Senatu in deliberationem vocata, variis sententiis Patres inter se decertabant. Præcipui namque & præstantissimi quique sentiebant, non temerè Pisanum populum, suapte natura contentiosum & bellicosum, in fidem & clientelã esse recipiendum, præsertim eo tempore quo Italiæ status, propter ingruentis belli apparatum, valdè esset dubius atque perplexus. Econtrà, non pauci deerant, qui Reip. dignitatem ex noui populi accessione augendam & proferendam, contemptis omnibus periculis, esse dicerent. Vicit tandem eorum sententia, qui postulatis Pisanorum aduersarentur, non sine profectò graui & perspicua Reipub. iactura, nec postremo detrimento, cùm nihil præclarius, vel vtilius populo Genuens. tantis ærumnis & bellis defatigato, obtingere potuerit, quàm spontanea tam inclyti & glorioſi populi deditione augeri & amplificari. Ac ita ex hac Patrũ discrepantia, pulcherrima proferendi nominis & imperij ansa prætermissa, quæ deinceps non paucas simultates atq. odia in ipsa vrbe peperit, sicuti mox enarrabitur.

Genuenses recusant Pisanæ vrbis imperium, ipsis vltrò oblatum.

Mense Augusto eiusdem anni, cùm pro veteri consuetudine nonnulli adolescentes circa meridiem iuxta cœnobium vulgò D. Iuliani Albari, partim leuandi æstus gratia, partim etiam vt natandi artem addiscerent, in mari versarentur, piscis quidam eximiæ magnitudinis, & specie ac forma instar canis, de improuiso exiliit, & quendam puerum Mauritanum, Aloysij Gilberti mancipium, deuorauit atque inglutiit. At septimo Idus eiusdem mensis, intempesta nocte, ingens atque horribilis turbo exortus est, tantaque fuit ventorum rabies ac furor, vt Genuæ, atque passim in agro Liguſtico innumeræ arbores radicitus extirparentur, & pleræque domus ac ædificia funditus euerterentur, simulque vniuersa nauigia eo tempore in ipso portu ad anchoram subsistẽtia, summum periculum adierint, ac etiam duæ naues perierint, & totidem, quinque & quadraginta hominibus submersis, in transuersum actæ. Quatenus verò ad ipsorum ventorum originem, motum, numerum, nomina, & qualitates, ac etiam vnde, & quò quisque tempore flare incipiat, & desinat, videre est apud Arist. lib. 1. Meteor. cap. XIIII. ac lib. II. cap. V. & insequenti. Multa quoq. de ijsdem, præter ceteros, tradidit Gellius, lib. II. cap. XXII. Circa hæc tempora, Iacobus Foncheſoltius, Philippi Raueſtani regij præfecti legatus, peste, qua ciuitas hoc tempore maximè conflictabatur, interiit, cui Philippus Roccalbertinus, natione quidem Tarraconensis, sed à puero in Galliæ regis aula educatus, successit. Iisdem quoque diebus inter Pisanos ac Florentinos grauissimum bellum exarsit, eo quidem exitu, vt, cùm Pisani sese numero ac viribus multò inferiores agnoscerent, missis Genuam legatis, se suaq. omnia Genuensibus permitterent. Sed propter Primorum ciuitatis in diuersa studia dissectionem, minimè ipsis hac in re satisfactum fuit: cuius quidem dissractionis culpa, si qua tamen extitit, Aloysio Fliſco maiori ex parte attribuitur. Genuenses interea, cùm iam totum sexennium & amplius Gallici regis imperiũ & fidem singulari cum constantia secuti & tuiti essent, tandem sub finem anni sexti eiusdem seculi, vt noui anni initium nouis tragœdiis & tumultibus insignirent, secuta est illorum ab eo rege defectio, non ab aliis, quàm ab ipsismet concitata: quæ sanè, si res ipsa penitiùs introspiciatur, & rei successus examinetur, non tam studio defectionis, quàm ex ciuilibus discordiis, quæ homines transuersos plerumque rapere solet, enata & coorta est, sicuti proximo libro enarrabitur. Archiducem Austriæ, Maximiliani Cæsaris vnicum filium, ex Hispania reuersum, in Belgio, ex indulgentiore victu sub noui cæli insueta temperie, sæua febre correptum, octauo ac vigesimo ætatis anno, & duobus annis dumtaxat, ex quem priusquam aggrediar, id obiter adiunxerim, nempè hoc anno, Philippum,

Puer Genuæ à pisce deuoratus.

Dira atque horribilis tempestas.

Genuenſium à Galliarum rege defectio.

Philippi Archiducis Austriæ interitus.

quo regnare inceperat, transactis, fato sublatum esse. Arserat paulò antè comes circiter Idus Septembris, in Septentrione prope plaustrum, tetra luridaque specie, cauda splendida ac densa, à qua cauda Pauonis vocatur, in Corum ventrũ proiecta. Hunc & Philippo fatalem fuisse, & nouas clades Italiæ portendisse, ex euentu coniectari licet. Hic, Ioannam, Ferdinandi Hispaniarũ regis filiam, vxorem duxerat, ex qua duos filios sustulit, scilicet, Carolum Cæsarem, & Ferdinandum Hungariæ ac Bohemiæ regem, qui deinde fratri in imperio successit: & filias quatuor, videlicet, Leonoram, quæ coniunx fuit Emanuelis regis Lusitaniæ, & post illius obitum, Francisco primo Galliarum regi desponsata: Catherinam, quæ Ioanni regi Portugalliæ nupsit: Isabellam, quam Christiernus rex Daniæ ac Noruegiæ sibi matrimonio coniunxerat, & Mariam, quæ Ludouico regi Pannoniæ elocata fuit.

LIBER XVIII.

1507. OMNIVM scriptorum consensu & iudicio rex Ludouicus se optimum Principem in hac Repub. semper gessit, atque ostendit, ita vt nihil optari, vel votis concipi ab ea potuerit, quin id ab ipso summa cum liberalitate atque animi promptitudine quamprimùm impetrasse dicatur. Mirum igitur omnibus iure ac merito videri debet, quinam factum sit, vt populus Genuens. fidei datæ immemor, & quietis publicæ impatiens, tam præcipitanter, & nulla iusta præbita, vt narrant, ab ipso rege occasione, ab illius obsequio, non sine graui totius Reip. detrimento, paucorum petulantia & leuitate incitatus, defecerit. Quandoquidem satis superque liquet, hanc defectionem, ex quorundam nobilium, & popularium, quos vocant, insolentia, & peruicacitate, ortam esse. Fieri enim solet, vt priuatæ iniuriæ ac simultates ibi non consistant vnde cœperint, sed sensim vlterius progrediantur, & pernicioſi morbi instar, contagione quadam lædant, atque serpant, adeò etiam, vt ex hac, parua quidem ab ipso initio scintilla, magnum incendium in ipsa Republica excitatum sit, quod quidem non nisi maximis cum laboribus, ac summa cum Reipub. calamitate, deinceps restingui potuit. Proinde cùm hæ pestes in præclaris vrbibus, opibus ac diuitiis affluentibus, propter ciuium mutuam æmulationem enasci & grassari consueuerint, non mirum, si Genuæ, in tanta hominum diuersitate, totque ordinum distinctione, ex priuatis contentionibus vniuersalis quædam conuersio subito cuta fuerit. Hæc iurgia, & altercationes, leuibus de causis exortæ, facilè repri-

Grauissimæ simultates inter nobiles & populares.

mi potuissent, si statim ab exordio cõtentiones, alicuius viri præstantis, & neutri parti adhærentis, grauitate, ad concordiã reuocatæ fuissent. Sed cùm nemo esset, qui sese tollendis litibus auctorem præberet, discordiæ ac simultates eousq. progressæ sunt, vt populus hoc anno per tumultum ad arma cõcitatus, & Vicecomite Auria, viro præclarissimo & laudatissimo, interfecto, aliisque non paucis nobilibus, inter quos fuit etiã Augustinus Auria, grauiter saucijs ac vulneratis, vi atq. armis, in publicis conuentibus, in quibus perpauci nobiles interfuêre, subsequenti die extorserit, vt, Senatus consulto ex magistratibus, qui antea ex patricijs & populo permixti erant, in posterum ipsi populares duas portiones haberent, vna tantummodò nobilitati relicta. Huic sententiæ Roccalbertinus, cuius proximè mentionem habuimus, ad euitandum maiorem tumultum & turbas, necessita-

ceſſitate ſumma adductus, aſſenſus eſt. Verùm plebs hoc indulto minimè contenta, exiguo temporis ſpatio interpoſito, nouum tumultum excitauit, ita certè, vt à rapinis, & prœliis, aliquot nobilium domibus, inter quas fuerunt ædes Auguſtini Catanei, direptis, non temperauerit, & ſubinde immodeſtior atque audacior facta, omniſque adminiſtratione in ſe tranſlata, quò ſecuriùs nobilitatẽ atque ordinem patricium opprimerent, Octouiratus plebeius creatus eſt, qui ſupremum Magiſtratum cum ampliſſima auctoritate gereret, quos ipſi, vt ad maiorem licentiam concitarent, Tribunos plebis appellabant. Præterea, hac temeritate non contenti, pleraque littoris Orientalis oppida, inter quæ & Spedia erat, quibus omnibus Ioannes Ludouicus Fliſcus regis nomine præerat, inuaſerunt & occuparunt. Quorum conatibus & viribus cùm Fliſcus ſeſe longè inferiorem cerneret, in Galliam profectus, contra eos apud regem grauiſſimam querelam inſtituit, & ipſum de Liguſtici imperij amittendi periculo, omninò ſeriò admonuit. Occurreret igitur, licet acciſis rebus, opportuno remedio: fieri poſſe, vt, oſtenſis copiis, inconſulta & effrenis plebs, pro veteri inſtituto, pernicioſa ſua conſilia damnaret, & pedem ab inſtituto curſu retraheret. Quòd ſi mora populares temeritatẽ armaret, non dubitandum, quin ipſi, fiducia ſui confirmati, in omne ſcelus atque facinus, cum graui imperij Gallici iactura, nec minori totius Reipub. Liguſticæ detrimento, ruerent, atque debaccharentur. Genuæ namque terra mariſque eam opportunitatem dari, vt facilè aliquis externus Princeps ad tantum incendium propagandum, & fouendum, à plebe allici, ac euocari poſſit. Quod ſi fieret, non videre ſe, quomodo in ordinem cogi, vel ad officium reuocari, excuſſo iam freno, à rege poſſit. Interea temporis à Genuenſi populo, oratores ad regem miſſi; quorum quidem præcipuus fuit Nicolaus Odericus, clari nominis Iureconſultus, qui cauſæ æquitatem illi ob oculos ponerent, atque quoad eius fieri poſſet, probarent. Aiebant enim, hanc vrbis conuerſionem, nulla alia ex cauſa, quàm ex mera nobilium arrogantia, & intolerabili quadam ſuperbia profluxiſſe: quòd ſcilicet honoribus, nobilitati propriis, atque deferri ſolitis, nõ contenti, ſeſe pro abſolutis vrbis & rerum dominis gerere, atque haberi vellent. Hanc iniuriam, & inſolentiam, ſe tantiſper patientibus animis toleraſſe, donec ipſi nobiles, tantis contumeliis, & illatis iniuriis non exſatiati, etiam ius, & poteſtatem ſibi in fortunas, & corpora promiſcuæ plebis vendicare, ac exercere non vererentur. Non ſe potuiſſe igitur ferre hanc, pluſquàm barbaram & efferatam, nobilitatis ſæuitiam, quæ ſibi contra omnium gentium mores atque leges, potegem perfidiæ inſimularentur, vel tanquam ſeditioſi ab aliquo criminarentur, ſe ſtatem necis, & vitæ, in liberos ciues arrogaret. Quapropter, ſi apud ipſum replanè, modò res penitiùs introſpiciatur, & iudicij rectitudine examinetur, culpa vacare, eamque omnem in patricios, omnis ſeditionis auctores, iure deriuandam. Quippè, quoad ipſi in Magiſtratibus æquam portionem habuiſſent, illorum tyrannidi obſiſti non potuiſſe, nimirum cùm iudicia & tribunalia pro libito & arbitrio ſuo exercerent. Nec regem debere commoueri, quòd, pulſo Ludouico Fliſco, oppida Orientalis littoris occupaſſent. Quandoquidem, cùm multum Reipub. intereſſet, illa oppida libera, & ſine cuſtode teneri, ipſos vtilitatis publicæ memores, pro hac propaganda & conſeruanda ſemper anxiè operam dediſſe. Nam, Genuam, horum oppidorum commercio multatam, obſeſſæ non abſimilem, multum detrimenti proculdubiò adiuiſſe; neminem, niſi Liguſticarum rerum inſcium & ignarum, latêre poſſe. In ceteris, populum ſemper regiæ Maieſtati obſequentiſſimum & fideliſſimum extitiſſe: nimirum, cùm ſub eius domi-

Genuæ Octouiratus inſtituitur.

Spedia & pleraq. alia loca à popularibus occupantur.

Populi Genuenſ. legatio ad Galliarũ regem.

nio numquam in vrbe aliqua seditio excitata fuerit, quæ nobilitatem auctorem non habuerit. Supplices igitur, sese regem, ac demissè orare, vt, delictis, quæ contra communem voluntatem & consensum, à paucis priuatis, in tam magno & perplexo contentionum ardore, commissa essent, condonatis, legem de Magistratuum distributione latam confirmaret, & oppida maritima publico nomine gubernari permitteret; præsertim cùm reliquis ordinibus fraudi non esset, vt, ipsis, suis solitis & consuetis dignitatibus cõtentis, plebs conuenienti libertate interim frueretur. Hoc si impetrarent, se regis clementiam, bonitatem atque iustitiam in perpetuum obseruaturos & celebraturos. Per idem quoque tempus, intellecto, Raestanum ex Galliis Genuam versus profectionem instituisse, Bartholomæum Ceuam, illi summa necessitudine coniunctum, ablegarunt, & mox Vincentium Saulium, Demetrium Iustinianum, & Leonardum Facium ad eundem expediuêre, qui eius reditum Astæ opperirentur. Ceterùm regi, non iniquo alioquin rerum æstimatori, nec Ligusticorum ingeniorũ ignaro, ad quem etiam nobiles paulò antè Antonium Spinulam, Laurentium Lomellinum, Stephanum Viualdum, & Ioannem Iacobum oratores miserant, hanc plebis effrenem licentiam adeò inuisam & ingratam fuisse constat, vt de seditionum auctoribus supplicium omninò exegisset, nisi, ratione in consilium adhibita, veritus fuisset, si pro legum seueritate ageret, Genuenses à Cæsare, quem non vna de causa metuebat, auxilium implorarent. Proinde temporum conditioni inseruire statuens, in præsentiarum humaniùs quàm quisquam existimabat, cum eis egit. Nam, reperitis dumtaxat oppidis maritimis, cetera omnia delicta publicæ tranquillitati condonauit atque ignouit, confirmata noua lege de Magistratibus lata. Et quò faciliùs populum ferocientem compesceret, & ad saniora consilia debitumque obsequium reuocaret, Michaëlem Ricium, iuris prudentia celebrem, Neapolitanum, patria tunc exulantem, Genuam misit, qui populo auctor esset, vt, deposita omni animorum contumacia, correctisque admissis erroribus, ad imperij legumque seueritatem inflecti se pateretur: sed tanta hominum animos inualuerat peruicacia & immoderata cupiditas, vt prudentia à temeritate & consilij præcipitantia oppressa, nullum planè admonitionibus locum relinquerent. Itaque plebs, Tribunique plebeij, quamuis obnitentibus & reluctantibus legitimis aliis magistratibus, tantum abest, vt regis benignitate atq. mansuetudine commoti, oppida restituerint, vt etiam scelus sceleri addendo, & Principis animum nouis ausibus irritando, Monœcum castellum, à Luciano Grimaldo possessum, in odio communi in omnes nobiles odio, siue quòd illud oppidum, opportuno loco situm, permagni esset momenti, siue demùm quòd prætenderent, iure ad Rempublicam spectare, Tralatini Pisani, ducis strenui ac militaris, auspicio expugnare decreuerint. Illius Præfectus cùm non semel fortiter restitisset, populus videns, illud, nisi multis copiis terra marique adhibitis, expugnari non posse, submissis nouis auxiliis, longè arctiori, quàm anteà, obsidione pressis, eo tamen successu, vt tandem, infectis rebus, illinc recesserit. In hoc rerum tractu, Philippus Raestanus, de his motibus edoctus, regis mandato quàm celerrimè, cum centum & quingentis equitibus ac septingentis peditibus, mense Augusto Genuam rediit, quò Reipub. status, & concitati populi furor, sua auctoritate, vel suasu, aliqua ex parte componeretur. Tanta nihilominus paulò pòst fuit irritatæ plebis inconstantia, vt ipsum Præsidem quotidianis concursionibus defatigarent, & diuersis rogationibus atque postulatis ad tædiũ & nauseam vsque conficerent, sic vt ipse ex præsenti turbine impendentis, & mox subsecuturæ tempesta-

Legatio nobilium ad regẽ Galliæ.

Ludouici in Genuens. clementia.

Raestanus Genuam redit.

pestatis periculum præuidens, de rebus pacandis, vel fideliter conseruandis, ominò desperans, postquam ad regem scripsisset, vt suæ dignitati, simulq. suorum securitati hac in parte tempestiuè consuleret, tandem octauo Cal. Nouembris Genua excessit. Rex interim, quò Ligures, turpiter à se deficientes, ad debitum obsequium atque officium retraheret, terra & aquis maximos apparatus fecit. Verùm, intercessione Iulij secundi Pontificis, neutiquam vlterius, eo quidem tempore, progressus est. Ipse enim cum rege multis verbis egerat, vt, populari statu non immutato, eius vrbis imperio contentus esse vellet, vtq. ab armis, cùm multas alias ob causas, tum præcipuè, ne aliquo nouo incendio in Italia hoc modo excitato, decretum in Venetos bellum impediretur, abstineret, eumque rogabat, vt in Italiam secum ad mutuum colloquium Bononiã veniret. Quod quidẽ rex benignè se facturũ recepit. At Iulius deinde non obscuris signis ac testimoniis intelligens, regem patriciis fauere, & aduersus plebem arma expedire, Bononia, anno eiusdem æui septimo, sub finem Februarij discessit, atque ab regis amicitia ita desciuit, vt deinceps in mutuam gratiam redire nequiuerint. Paucis antè diebus, iussu Senatus, Dominicus Adurnius & Augustinus Folieta oratores ad illum destinati fuerant, & quatuor itidem ad Ciamontium, quem rex Galliarum suum vicarium ac præfectum in Italia constituerat, nempè Ioannes Baptista Lazania, cùm in ceteris disciplinis, tum præcipuè in iure ciuili ac pontificio apprimè versatus, Ioannes Baptista Cocarellus, Lazarus Pichenottus, & Ioseph Dernisius, vnus ex tribunis plebis. Genuæ interim ciuiles motus indies magis atque magis exarserant, sic sanè, vt Roccalbertinus, qui harum tragœdiarum exitum expectabat, cùm nullum earum finem videret, & de se, suaque salute non parum anxius atque solicitus, omne periculum declinandum, nec insani populi rabiem expectandam ratus, ab vrbe digressus, in Galliam redierit. Nocte verò, quæ insecuta est, Galli, ad curiæ tutelam ac præsidiũ relicti, clam se in Castelleti arcem subduxêre, cuius quidem Præfectus maximæ sæuitiæ iuxtà & auaritiæ insimulatur, & in illum potissimùm transferunt culpam, quo minùs hoc postremo tempore ciuitas tot iam calamitatibus defessa, ipsi regi reconciliata sit. Hactenus in hac domestica & ciuili seditione in neutras partes trãsgressus, sese tantummodò spectatorem exhibuerat. Ceterùm, octauo Idus Febr. qui dies erat festus atque solemnis, cùm plerique nobiles ac populares promiscuè, vt sacris interessent, in ædem Francisco dicatam conuenissent, euestigiò, clausis foribus, omnes, popularibus studiis addictos, patriciis, aliaque imbelli multitudine impunè dimissis, captiuos fecit, quos deinde per aliquot dies in custodia detentos, nec mediocribus iniuriis & contumeliis diuexatos, eò tandem redegit, vt sese decem millibus aureorum redimere cogerentur. Nec ista feritate contentus, pleraque naues ad anchoram in littore subsistentes, maioribus machinis depressit, ijsdemque, ac variis missilibus, nonnullos viatores insontes atque inermes, quàm miserrimè contrucidauit. Qua sanè barbarie, & plusquàm Scythica in humanitate, multorum in se odia iustissimis de causis concitauit. Rex interim, indies magis atque magis Genuensem expeditionem vrgere, maiorique diligentia, quàm antea, validum exercitum, cuius ipsemet dux foret, comparare, iamque illum in Insubriam traducere, cùm plebs, quæ hucusque magis verbis, quàm reipsa defectionem à rege Galliæ molita erat, nonnullorum insanis consiliis concitata, Paulum Noui um, serici fili tinctorem, infimæ plebis hominem, sed virum audacem & sollertem, ducem creasset, hac certè in re manifestissimam defectionem ostendens. Nam duce creato, ciuitas se nullum alium Principẽ agnoscere declarabat. Cuius

Eiusdem discessus.

Iulij Pont. pro Genuẽs. intercessio.

1507.

Magnæ crudelitatis exemplum.

Ludouicus parat expeditionem aduersus Genuens.

Paulus Nonius à Tribunis & infima plebe Princeps creatur.

rei

rei indignitas tam mirabiliter regis animum inflammauit, vt priores apparatus bellicos noua acceſſione mirum in modum adaugeret. Huc accedebat, quòd illi à patricio ordine eſſet ſignificatum, in Gallici nominis contumeliam à furente plebe Gallica inſignia deiecta, ac pro his Cæſariana repoſita fuiſſe. Cæſar etiam à Genuenſibus, & fortaſsè etiam clam à Pontifice impulſus, ne Genuæ, vtpote imperij ciuitati, moleſtus eſſet, regem hortabatur; ſimulque pollicebatur, ſe cum populo Genuenſi, vt ad æquas conditiones deueniret, acturum. Verùm rex potentis fidei Cæſaris verbis habens, adduci non potuit, vt inſtitutam expeditionem omitteret: ſed eò diligentiùs in illam incũbebat, quò manifeſtiùs dolum & fraudem olfaceret. Inter hæc, rerum in Orientali littore ſucceſſus, contra Emanuelem Fliſcum eiuſque confœderatos, noui Ducis, ſimulque Tribunorum audaciam mirum in modum confirmabat, ita vt oppugnato, & recepto Caſtellatio, quod tunc modicis præſidiis tenebatur, contra fidem datam poſt ſubſecutam deditionem, defenſores interfecerint, nouaque victoria læti, & ſibi valdè placentes, Castelletum, & D. Franciſci fanum, illi cõiunctum, tormentis verberare cœperunt, tanto cum applauſu, vt lymphatis ſimiles, per compita & regiones ciuitatis diſcurrentes, ac ſubinde cruentatas manus oſtentantes, inaudita crudelitate gloriam ſibi quærerent. Ceterùm Rex iam in Italiam aduenerat eo animo, vt quamprimùm collecto exercitu, citra aliquam moram Genuæ oppugnationem maturaret. At Ligures, quanquam nullius externi Principis opibus atq; auxiliis ſubnixi, cùm rex Hiſpaniarum tunc temporis amicitiæ ac fœderis iure coniunctus Gallo eſſet, & Pontifex nihil planè vltra largas pollicitationes præſtaret: ac licet etiam peritis ducibus, aliiſque rebus quas belli vſus requirit, magna ex parte carerent, nullumque ferè militem, præterquàm tyronem & ſubitarium ſine aliquo delectu in agro Liguſtico conſcriptum haberent; nihilominus tamen tanta fiducia ſeſe, itinerum potiſſimùm anguſtiis & locorum aſperitatibus freti, ad arma expediebant, vt Gallica potentia nullam illis formidinem inferre poſſe viderentur. Proinde ne aliqua deſidia, vel imprudentia, in tanti belli mole, præſertim contra tam potentem aduerſarium, ipſi peccarent, neceſſarium eſſe viſum fuit, omnium itinerum fauces atque anguſtias, ad præoccupandum, & præcludendum hoſtibus aditum, milite obſepire atque obſtruere. Qua vana ſpe freti, licet ſubinde multorum, ac præcipuè Finarij Purpurati, literis admonerẽtur, vt ab incœpto deſiſterent, ſeque tanti regis voluntati, atque clementiæ ſubijcerent; nunquam tamen adduci potuêre, vt tam ſalutaribus præceptis ac monitis aurem præberent: ſed neſcio quibus conſiliis excæcati, indies magis atq. magis in ſententia pertinaciores perſiſtebãt. Hoſtilis exercitus infeſto agmine tam longè progreſſus erat, vt, tranſmiſſa Serravalla, Burgo appropinquaret. Præſidiarij milites, à Genuenſibus, vti diximus, præoccupandis viis impoſiti, primò ante hoſtium cõſpectum omnia magnifica Thraſonico more de ſe promittentes, videbãtur vel etiam cum Darij exercitu confligere & concurrere poſſe: ſed vbi hoſtile agmen in conſpectu eſſe nunciatum eſt, ad ſolum nuncium conſternati, animis trepidare, miſſas occaſiones ſuæ ſegnitiæ prętexere, variis cõſiliis inter ſe certare, ac poſtremò, vti imperita multitudine fieri ſolet, nullo habito honoris vel fidei reſpectu, abiectis armis, cum magna ignominia locum deſerere, omnibuſq. impedimentis, hoſtibus, quòminus vlterius progrederentur, relictis, ſeſe ſubducere cœperunt. Sunt qui exiſtiment, in hoc numero ad ſexcentos pedites fuiſſe. Itaque Galli, tranſcenſis montium iugis, ſuperatiſque difficultatibus omnibus, in Pociferam vallem ad ſeptimum à Genua lapidem peruenerunt, & locum caſtris deſignarunt. Eo tem-

Ludouicus rex cum potenti exercitu inuadit Genuenſes.

pore

pore, regia naualis classis, quæ octo triremibus, ac totidem longis nauibus magnis constabat, sese non ita longè à portu in conspectum dedit, atque incerto cursu per breuis temporis spatium longo gyro & ambitu euagata, tandem versus Veneris portum, Spediamque, cursum tenuit, vt classem Ligusticam septem triremium, & sex aliarum nauium, in Genuensi portu stationem habere non ausam, & in hæc loca subductam, persequeretur. Ex Pocifera valle hostes subinde multas excursiones faciebant, adeò vt nulla esset suburbani agri pars, quæ intacta & immunis ab illorum manibus & rapinis esset. Et quamuis in itinere multis in locis Genuensium miles, palanti similis, euagaretur, tamen pari cum socordia & ignauia ad solius hostis conspectum retrocedere & regredi magno cum aduersariorum cachinno & irrisu compellebatur. Non diu exercitus eo in loco castrametatus fuerat, cùm rex ipse in castra, maxima Gallicæ nobilitatis parte, ac numeris Insubriæ proceribus stipatus, peruenit. Erant siquidem in regio exercitu octingenti ferè cataphracti, mille & octingenti leuis armaturæ equites, sena Heluetiorum millia, & totidem aliarum gentium pedites. Reliquas copias Rex studiò à tergo reliquerat, habita asperæ regionis ratione, quasi superflua multitudo in tanta locorum & regionum angustia plus impedimenti & impendij allaturа, quàm commodi esset. Genuenses verò, quò passim inimicos aditu prohiberent, & itinera intricatiora facerent, vallum, ex quo per collis dorsum ad Castellatium ibatur, construxerant. Ad hoc propugnaculum exercitus eodem die, quo Riuarolij castrametatus erat, actutum contendit. ab alia verò parte, Genuatari, egressa sunt. Nam Tarlatinus, & Pisanorum subsidiarij milites, Monœci octo peditum millia, duce Iacobo Corso Tarlatini vicario, viro strenuo ac militudine facta, statim à Genuensibus reuocati erant, potissimùm cùm propter deditione Gallorum impedimentum neque terrestri itinere, neque propter contrarios venientos mari in patriam redire possent, facilè retenti fuerant. Sed cùm Galli iam aduersos montes transcendere conarentur, Ligustici pedites, superato monte, per quē ad propugnaculū ibatur, cùm bona eorum pars ad aliam montis partē peruenisset, in vnum conglobati, in montis vertice constiterant. Quos conspicatus Ciamontius, vnus ex præcipuis Gallorum ducibus, multos nobiles viros & haud exiguum peditum numerum misit, quos certè ipsi Genuenses, multitudine, & situs opportunitate freti, strenuè, nec mediocri cum Gallorum detrimento, Paligo sauciato, sustinebant. Galli siquidem, cùm se, cum incondita multitudine & agresti turba negotium habere reputarent, nulla loci, vel aduersariorum ratione habita, magis iracundè, quàm fortiter impressionem in eos faciebant. Ciamontius autem, casu suorum indignatus, & mira ira exæstuans, ad eos pellendos, duas tormentarias machinas per aduersum montem deduci iussit, quibus statim pedem referre versus montem, in quo reliquæ illorum copiæ remanserant, compulsi sunt. Sed Gallis magno cum impetu & instructa acie eos persequentibus, qui ad vallis custodiam relicti erant, quanquam loci natura & munitionis beneficio omnem bellicorum tormentorum ictum possent contemnere, tamen veritum ne Galli sese his copiis, quæ inter se, & collem erant, immiscerent, summo cum dedecore vallum reliquêre. Quapropter, qui ex colle ad vallum iam se recipiebant, cùm sibi omnem aditum præstructum animaduerterent, per deuia & locorum anfractus & calles, incertis gyris, circiter numero trecenti, dum retrocedunt, ab hostibus cæsi, maiori ex parte Genuam concesserunt. Quo sanè euentu vniuersa ciuitas, quæ infimæ plebis volubilitate atque consiliis regebatur,

Gallorum cædes.

nulla

nulla verò militari vel ciuili prudentia gubernabatur, incredibili metu consternata, Baptistam Lapallum, & Stephanum Iustinianum, oratores, qui æquis legibus de deditione agerent, in castra misit: qui ad regis conspectum non admissi, Cardinali Rotomagensi, legationis suæ summam exposuerunt; illisque regis nomine fuit responsum, vt nisi se fortunasque suas omnes liberè absque vlla pactione regis arbitrio permitterent, extrema quæque opperirentur. In vrbe interim magna oriebatur confusio; maiorque oppidanorũ pars deditioni vrbis nulla ratione assentiens, eruptionem faciebat: & cùm per tres ferè horas dubio & anci-piti Marte cum hostibus dimicasset, neutra parte alteram superante, in Castellatium regressa est. Ceterùm, Ligures, cùm sese in tanta rerum omnium perturbatione & animorum distractione tam potenti regi resistere, cùm longè viribus & numero inferiores essent, desperarẽt, grauiter querebantur, paucorum temeritate, totam vrbem, atq. adeò vniuersam Ligusticam ditionem, in tantum discrimen & periculum deduci, ex quo, nõ nisi cum maxima difficultate, & inaudita regis clementia, eripi possent. Non deerant etiam, qui multos patricij ordinis incusarent, quorum auctoritate & consiliis regius exercitus hactenus prosperè ac feliciter rem gessisset. Itaque Dux, ex admissorum scelerum conscientia veniam desperans; & vltimum supplicium veritus, cum multis aliis, & cum ea Pisanorum parte quæ ibi aderat, intempesta nocte vrbe excedens, Pisas est profectus, magna certè cum prudẽtia, quam si aliis suis rebus & actionibus adhibuisset, nunquam profectò in tam pœnitendam status conditionem Rempublicam deduxisset. Legatis postero die summo diluculo in castra reuersis, cùm oppidani bellum non plusquam octiduum sustinuissent, vrbem regis arbitrio permiserunt. Hinc videre & annotare licet, quàm magnas calamitates & miserias populi inconsiderata studia interdum sibi, non admissis hominum saniorum iudicijs atque consiliis, attrahant; quæ non solùm sibi, verùm etiam toti suæ posteritati nonnunquam grauissimè nocere consueuerunt. Qua in re cùm non semel in multis Rebuspub. aliisque non postremis ciuitatibus peccatum sit, nullibi, si verum fateri velimus, sæpiùs hoc nomine vlla ciuitas in iustam reprehensionem venit, quàm Respub. Genuens., quæ sanè quietis & otij impatiens, fatali, vti existimo, necessitate adacta, eundem statum diu ferre, vel vlterius conseruare nequiuit. Singulas causas nunc recensere cùm difficillimum sit, nec nostri instituti est, nec iudicij: salua tamen omnium pace, mihi in primis videtur, nullam in hac Repub. insignem factam fuisse conuersionem, quæ ex mutua nobilium & popularium, adeoque inter ipsosmet nobiles, pertinacia & contentione, ceu ex perenni fontis scaturigine, non demanarit. Tradita ciuitate, Rex cum exercitu vrbi appropinquans, studiosè cauit, ne militibus, præsertim Heluetiis, prædæ & rapinis inhiantibus, tantæ vrbis opulentia cederet: quod ægrè obtinuit. Verùm Ciamontius Heluetiis in suburbio collocatis, cum maxima reliquarum copiarum parte, præsidio etiam Castelleto imposito, Genuam victor est ingressus, cui Genuenses publica omnia & priuata arma, quæ deinde in Castelletum latifuerunt, & tria tormenta à Pisanis aduecta, tradiderunt. Proximo die, qui fuit nonus ac vigesimus Aprilis, rex ipse cum omni equitatu pedes sub vmbella aurea, fulgentibus armis indutus, exertum ensem manibus tenens, Genuam introiuit. Cui obuiam progressi sunt vrbis regionum Præfecti, qui cum multis lacrymis regis pedibus aduoluti, silentio impetrato, vnus ex illis communi nomine in hanc ferè sententiam verba fecit.

Paulus Nouius Genua aufugit.

Genua redit in potestatem regis Galliarum.

Ludouicus Genuam ingreditur.

Oratio habita Genuæ coram rege Ludouico.

TAMETSI, inquit, clementissime & Christianissime Rex, in hac deterrima & exitiosa

exitiosa Reip. nostræ conuersione dubitare non immeritò liceat, vtrum culpa nostra propria, vel misero, funestoque vrbis nostræ fato acciderit, vt, post longas disceptationes, & animorum distractiones, ad arma tandem sit discursum: nihilominus tamen, si liberè loqui, ac verum fateri liceat, patricij ordinis viri, ceteriique, qui sana & honesta consilia priuatis iniuriis, simultatibus & commodis præferebant, ignoratione potiùs, & falso, ac inani metu, quàm cupiditate, & crudelitate, sese his turbis, summa necessitate quodammodò coacti, immiscuêre. Nam, cùm nullius tantum sit flumen ingenij, nulla scribendi vel dicendi tanta vis & copia, quæ non dico exornare, sed enarrare res tuas gestas, præcipueque tuã in nos liberalitatem, & clementiam possit, perfidi omninò & ingrati essemus, imò planè piaculum admitteremus, si te, optimum & æquissimum regem, de nobis, atque adeò de Reipub. nostræ dignitate, & patria, quàm optimè meritum, aliqua ratione negligeremus. Ceterùm, cùm hoc fatale in nostra vrbe hactenus fuerit, vt plebs sciens atque prudens, non semel ad interitum ruerit voluntarium, omniaque consilia ad conturbandam quietem publicam explicauerit, enixè rogamus, vt nostram innocentiam, cùm ab illorum cœptis semper abhorruerimus, æquis oculis ac benignis auribus excipere non dedigneris: Quandoquidẽ, ab eo tempore quo Deorum omnium beneficio in tuam clientelam sumus recepti, pro hoc vno summopere elaborauimus, & nihil magis in votis habuimus, quàm vt sub tuæ æquitatis moderatione, hæc nostra Respub. quàm diutissimè staret, ac feliciter floreret; semper omnia nostra consilia, & actiones, pacis ac togæ socias, planè ad tuæ maiestatis dignitatem atque imperij amplitudinem contulimus, nihilque perinde doluimus, quàm non modò pacem, sed orationem præstantissimorum ciuium, pacem efflagitantium, ab insana multitudine perpetuò neglectas, & repudiatas fuisse. Quippè tantum potuit in peruersissimorum animis peruicacia, vt cum omnium nostrûm maximo dolore nullis honestis vel salutaribus cõsiliis vllus modus relinqueretur. Dolebamus etenim, haud paucos præclarissimos huius Reipub. ciues, tuæ Maiestatis obseruantissimos, & publicæ tranquillitatis amantissimos, propter effrenis plebis intemperantiam, & temeritatẽ, tibi, ceterisque Italiæ principibus, in reprehensionem deuenire, quasi nostra auctoritate, & auspiciis, hoc ciuile bellum excitaretur, & temeraria arma aduersus regiam tuam potentiam expedirentur. Qua sanè à culpa quàm longè absimus, & abfuerimus semper, testis ipse Deus, humanarum actionum omnium cõtemplator, & incorruptus iudex; testis denique conscientia nostra, qua demum freti, in conspectum tuum venimus. Nam, cùm nunquam temeritas cum sapientia commisceatur, nec ad consilium casus admittatur, malè nobis consulere videremur, si nos, suscepti belli, & seditionis auctores, tanquam insontes culpam deprecaturi nomine publico veniremus. Non diffitemur tamen, nos humano errore in non paucis labi & falli, dum temporis conditioni aliquid concedimus, potuisse: à sceleris tamen culpa, certè nos liberos esse, palàm atque audacter confiteri, ac prædicare non cessabimus. Nunc reliquum est, Christianissime atque inuictissime Rex, vt, postquàm vidimus, tuam victoriam multorum prœliorum felici exitu terminatam, ex paucorum defectione ac rebellione victricibus armis esse repressam, nolis in conseruandis bonis viris defatigari, præsertim non cupiditate, aut prauitate aliqua, sed stulta quadam opinione officij lapsis. Nam, etsi tu, maioresque tui, continua quadam felicitate gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, non semel edomueris; tamen ea vicisti, quæ & naturam & conditionem habebant, *Epilogus.*

vt vinci possent. Siquidem cùm nulla sit vis, neque aliqua tanta cōpia, quæ ferro, atque viribus debilitari & frangi non possit: at verò, cùm aliquid clementer, mansuetè, moderatè, & sapienter in iracundia, quæ inimica consilio est, & in victoria, quæ natura insolens & superba est, feceris; tunc me herculè iure laudaberis, & gloriæ famæq́. tuæ magnitudinem cum æternitate, ac planè cum ipsis Deis coniunges. Bellicæ nimirum tuæ laudes celebrabuntur non solùm nostris, sed pænè omnium gentium literis, atque linguis; neque vlla ætas de tuis laudibus conticescet. At hoc singulare meritum, quo nos, nostramq́ue Rempub. noua tua mansuetudine, clementia, liberalitate, & humanitate, tibi deuincies, penes nos, planeq́ue apud posteritatem nostram erit immortali cum memoria coniunctum, fatebunturq́ue omnes posteri nostri hanc Rempub. nostram priuata ambitione, & stultitia prolapsam, tuis auspiciis, legibus, imperij moderatione, & æquitate fuisse erectam, ac solidissimis fundamentis constabilitam, stare, atque consistere. Proinde, clementissime rex, quò magis tibi eluceat animorum nostrorum propensio, non solùm gratiam, quæ pro nostra innocētia à tua mansuetudine nobis debetur, impetrare contendimus; sed etiam submissè petimus, atq. obtestamur, vt hanc Remp. nostram, vel potiùs tuam, iterum benignis oculis intueri, eamq́ue in clientelam suscipere digneris, & omnia, quæ belli impetu iacere atque corruisse sentis, excites, iudicia constituas, fidem reuoces, ac postremùm, disciplinæ ac morum seueritatem legumq́ue reuerentiam, temporum atque hominum incuria, & insolentia, valdè attritam, & extenuatam, salutaribus decretis, legibus, ac statutis vincias atque emendes. Hoc si à tua pristina humanitate, cum mira & heroica clementia coniuncta, impetrabimus, eris te ipso quodammodò maior, & gloriosum tuorum factorum splendorem noua luminis clarirate planè obscurabis, nec erit aliquid ex tam immēso illorum aceruo, licet gloriosum & magnificum, quod cum hoc tuo recenti facto poterit aliqua ex parte conferri & comparari. Huius orationis finem exceperunt omnium publicæ voces, clementiam implorantium. Rex, licet nulla vera commoti & irati animi indicia ostenderet, & iam recondito ense, eos surgere iuberet; tamen nullo reddito responso, progressus est, & deinde ad vrbis summum & augustissimum templū contendit, vbi mulierum, aliusq́ue imbellis sexus & multitudo, se ad eius pedes prostrauit, qui omnes candidis vestibus induti, inconditis clamoribus, & miserando ploratu eius clementiam & misericordiam implorabant. Hoc misero spectaculo regis animus non mediocriter inflexus, nonnihil de pristina seueritate remisit. Constituerat enim Senatui Genuensi omnem administrationem & auctoritatem abrogare, & pecuniam in ærario D. Georgij reconditam, & ad priuatos ciues spectantem, in priuatum suum regium ærarium transferre, atque eos omni libertate spoliatos, ad eam seruitutis conditionem redigere, in qua pleraq. Mediolanensis imperij oppida consistebant. Verùm, paucis interpositis diebus, adhibitis super ea re in deliberationem & consilium fidissimis quibusque, passus est, se, alioquin tamen iustissimis de causis offensum & irritatum, expugnari & emolliri, & aliquid in gratiam publicam remittere & condonare. Igitur contra omnium spem & opinionem, ne innocētes, ac bene de se meritos, iniuria aliqua afficeret, néue nobilium animos aliquo pacto offenderet, vrbem ipsam in pristinum statum, ac planè in eum, in quo ante rebellionem fuerat, cum summo incredibilis mansuetudinis & bonitatis exemplo, restituit atque asseruit. Voluit etiam, vt ad vrbis tutelam, & publicæ quietis conseruationem, præsidium aliquantò consueto maius imponeretur, & assiduè tres triremes omnibus naualibus apparatibus

Exemplum veræ clementiæ ac moderationis.

paratibus instructæ, stationes in ipso portu ad suos vsus haberent: Castelletum præterea, & Castellatium munirent. Pristinas verò & hactenus interse, & Remp. initas pactiones, & fœderis iura abrogauit, vt interim ea sub alia forma, scilicet nõ vt pacta, sed vt priuilegia essent, cõcederet, retenta nihilominus potestate, ea penitus abrogandi, vel penitus immutandi. Cudendæ etiam monetæ rationẽ habuit, voluitq; vt, abolitis & antiquatis omnibus signis & characteribus, ad ea tempora imprimi solitis, omnes deinceps monetę suis signarẽtur & cuderẽtur insigniis, non alia forsan de causa, quàm vt in eos absolutum imperium sibi esse declararet. His rebus constitutis, insecuta est Demetrij Iustiniani cõdemnatio; de quo, cùm ante supplicium, tanquã de fonte, quæstio haberetur, Pontificis consilia, & irritas spes, quibus insanæ & effrenæ multitudinis rabiem cum totius Reip. exitio lactauerat, detexit, & pleraque alia reserauit, quæ ad illam diem nulla diligentia, vel inquisitione erui potuerant. Iustiniano capite plexo, paucis interpositis mẽsibus, pari seueritate in Paulum Nouium, qui paulò antè suffragiis concitatæ plebis supremum, vt antea diximus, Genuæ Magistratum gesserat, animaduersum est. Hic misellus, dum latebras, & secura effugia quærit, Pisis Romam enauigare constituebat: sed in itinere à quodam Corso, quem Genuæ gregarium militem, dum ipse rerum potiretur, fuisse constat, interceptus est, ac Perigoni regiæ classis præfecto octingentis aureis diuenditus. De huius viri tragico & funesto fine, non satis scriptoribus conuenit. Nam sunt qui tradant, ipsum in itinere à myoparone Gallico, repentino incursu interceptum, ac deinde Genuam perductum fuisse; ibique aliquandiu in vinculis asseruatum, in theatro publico, ceu Maiestatis reum, securi percussum. Sed quia omnes in mortis genere consentiunt, nihil attinet, si circa loci & captiuitatis diuersitatem, inter se varient. Regis decreto ac voluntate, Reipub. legibus partim constitutis, partim innouatis, de more solemni, Senatus, & plerique equestris ordinis viri, nomine publico regi pro tribunali sedenti, iusiurandum fidelitatis & obsequij publicè magna cum religione ac veneratione detulerunt, & rex inusitata quadam, & ferè inaudita mansuetudine & humanitate, defectionis, aliarumque iniuriarum illatarum memoriam, æterna obliuione publico diplomate deleuit, exceptisque sexaginta viris, quos supremo iudicio tradidit, vt de ipsis inquisitio haberetur, ceteris omnibus ignouit. Verumeniamuerò non priùs Senatum dimisit, quàm eum cum graui ac disertissima oratione, obiurgatione permixta, admonuisset, vt iugem atq. omninò seriam curam haberet, ne in posterũ aliqua de causa noua in ipsa ciuitate studia orirentur, neue eo nomine Resp. malè audire apud omnes pergeret, quò sæpius in omnium Principum reprehensionem non immeritò venissent, quòd scilicet moris in Rep. esset, vt, ægrè repressa & extincta vna seditione, longè aliæ grauiores repullularent. Proinde patricij ordinis viris hanc curam eò iustius incumbere dicebat, quò ipsi ceteris magis honore ac dignitate antecellerent. Nihil enim præclarius & dignius omni viro, probè de virtute atque humana societate sentiente, quàm honestis artibus & studiis de patria suisque ciuibus bene mereri. Quarè cùm sæpius vsu venire soleat, vt multæ & graues Reipub. pestes solida magistratus diligentia auertantur, darent ipsi in posterum operã, ne in tanta ciuitate, opibus affluente, & animorum distractione subinde laborante, aliquid molirentur, quod cum publico detrimento esset coniunctum, & quod tolli, vel excindi, nisi cum Ligustici nominis & existimationis iactura nequiret. Se namq. non videre, quin iam consopitis bellis, & auerruncato omnium seditionum seminario, summaq. cum prudentia recèns constituta Repub., quies publica cum totius vrbis emolu-

Demetrius Iustinianus capitis damnatur.

Paulus Nouius capitis plexus.

Ludouici adhortatio obiurgatione mixta.

mento facilè ab Senatu conseruari ac retineri posset, præsertim si ad solidã industriam & studium, quod in talibus, tamq́. arduis rebus necessariò requiritur, fidei tum constantiam, tum integritatem adferrent. Et quò acriorẽ stimulum Senatui ipsi inculcaret, breuibus quidem, sed verbis ita appositis, vt rem facilè perstringerent, repetito totius Reip. statu, dicebat, se, sua lenitate hunc populum nulla iudiciorum æquitate permoueri, vel vlla Principum modestia retineri solitum, sibi maiorum suorum exemplo deuincire, ac quasi in certas compedes conijcere voluisse. Quandoque enim vsu venire, vt refractaria, & indomita alioquin ingenia, aliquãdò magis benignitate & mansuetudine, quàm vi & armis, ad debitum officium inflectantur. Ceterùm, si pertinaces esse pergerent, se bonorum medicorum more vsurum, qui tantisper ægris corporibus omnia fomenta & remedia adhibent, quamdiu de sanitate non desperant. Verùm, vbi vsitata remedia non procedũt, tunc inuerso ordine, contraria tentant, vlcera cataplasmatis & fomentis curant, quamdiu contagione non lædunt. sed vbi virus ipsum serpsit longius, & contagio nocuisse videtur, tunc ferrum adhibent, & cauteria & vstulationes; ita fit scilicet, vt velint potius iacturam vnius membri facere, quàm totius corporis constitutionem & symmetriam perdere. Ad quæ Senatus paucis, & modestis verbis respondit, se quidem cognoscere, nullam esse tantam eloquentiam, quæ atrocitatem criminis per concitatam plebem admissi, pro merito exponere, vel explicare posset. Agnoscere se igitur Principis beneficium, & summam animi generositatem, qui summa prudentia ruinam nutantis vrbis fulciuisset. Quo quidem nomine, præter alia præclara sua merita, Ligusticum populum perpetuo vinculo sibi obstrinxisset; se etiam gratias agere, quòd ipse maiorum suorũ adeò non dissimilis esset, vt quantum omnes imperij magnitudine excelleret, tantum etiam clementia vinceret. Quamobrem se enixè daturos operam pollicebantur, vt Respub. pro dignitate ac existimatione non solùm proprij nominis, verùm etiam Gallici imperij in posterum staret atq. conseruaretur. His auditis, rex statim, dimisso Senatu, conscenso equo, Mediolanum contendit. Longè itaq. fallitur, si quis in tale ingenium tantam iracundiam cadere existimauerit, vt vllas, quamuis magnas iniurias, alio modo, quàm vero heroico animo vlcisci voluisse videtur. Nam præstantissimus rex hoc nomine apud nõ paucos malè audit, & passim traducitur, quasi impotentis fuerit animi. Ego, vt nihil huiusmodi credam, adducor primùm, quòd satis constet, ipsum, & prudentissimum, & fortissimum fuisse virum, qui suis affectibus probè imperare posset; deinde quòd in confesso sit, ipsum, priuatum dolorem non semel vtilitati publicæ condonasse, prout hoc tempore in hac Rep. à qua tantas iniurias sæpius antea receperat, vsu venisse cognouimus. Paucis antè annis, Philippus Maximiliani filius, Belgarum Princeps, per Galliam in Hispaniam enauigarat, crebris procerum literis euocatus, vt Isabellæ socrus dotale regnum capesceret. In eum, cùm Ferdinandus propensiora suorum studia esse perspexisset, quàm erga se, detestatus leuitatem perfidiæ, traiecerat Neapolim, vbi tamdiu substitit, donec de generi interitu cognouit: morq́. rebus Neapoli constitutis, in Hispaniam redire statuit. De huius nauigatione Senatus paulò antè certior factus, illi quatuor præstantes viros vsque ad fines Ligusticos, honoris ergò, obuiam destinauit, & quinto Cal. Iulij, potius aduersante Euro, quàm quòd ita animo esset affectus, Genuẽsem portũ cum viginti rostratis ingressus est, ibiq́. regio splẽdore ac magnificentia exceptus fuit, atq. illinc prima luce soluens, Sauonam, vbi Ludouicus rex illum præstolabatur, delatus est, ipseq́. Ludouicus plurimum se illius fidei tribuere, clarissimis testimoniis declarauit.

A simili.

Senatus respõsio.

Rex Mediolanum profiscitur.

Ludouicus & Ferdinandus reges Sauonæ conueniunt.

Quando-

Quandoquidem tribus dumtaxat comitibus stipatus, eius triremim conscendit, & per vtrumque descensione in continentem facta, vrbis adeoque Sauonensium arcium claues illi vltrò, licet recusanti, obtulit & exhibuit. Priusquam verò Sauona discederent, ambo, sacra Synaxi vnà sumpta, conceptis verbis sacrosanctum fœdus causa Veneti belli, quod tunc agitabatur, pepigere: quod tamẽ haud multò pòst à Ferdinando violatum est. Huic sanè plerique omnes industriam, animi magnitudinem, ingenium acutissimum, & nectẽdarum morarum scientiam tribuunt, verùm, iurisiurandi religionem, pactorumque fidem, vel ipsimet Hispani in ipso desiderant, adeò me herculè, vt Consaluus ipse persæpè in corona virorum Principum queri non sit veritus, se non semel iureiurando, tametsi sacrosanctis concepto verbis, & syngrapha manu eius propria obsignata, falsum atq; eluſum turpiter fuisse, sic, vt non illepidè aliquando iocaretur, exacturum se à Ferdinando iusiurandum, in eius numinis verba cui fidem adhibeat: notans in eo altiùs labem parum sinceræ fidei, quo morbo olim Hispanos Iudaismo infectos laborasse, vetus est opinio. Et antequàm Ludouicus Galliam repeteret, Sauonẽses per calumniam, multa & grauia, ad concitandũ Genuensium odium iuxtà ac inuidiam commenti dicuntur, summaque contentione conabantur multa, licet incassum, à rege impetrare. Initio subsequentis anni Rodulphus Lanoüius cum alio collega regis nomine, vt ibi Præsidem ageret, Genuam amandatus fuit. Interim Sauonenses eò temeritatis atque audaciæ deuenerant, vt summa obstinatione vectigalia & portoria, Reip. persolui consueta, recusarent. Quod vbi regi innotuit, ad præscindendum omnibus dissensionibus & prolixioribus litibus ansam, duobus his, quos dixi, Præsidibus totius causæ & controuersiæ cognitionem permisit. Qui, iisdem introspectis & ponderatis, secundum Genuenses pronuntiarunt, & hoc modo determinatis contentionibus, in mutuam amicitiam atque pristinam fidem vtrimque reuersum. Sub eiusdem tẽporis tractum, aliquot Turcici myoparones sinum Ligusticum mirificè inquietarant, & descensione in continentem facta, iuxta Dianam oppidum, duobus mille pass. à mari distans, haud pœnitendam prędam abegerant: sed indigenarum singulari animorum alacritate, viribus, & industria factum fuit, vt malè multatis hostibus, illorum conatus & assidua infesta vis reprimerentur, pauciſque diebus interiectis; cùm ijdem piratæ cum duobus tantummodò hemiolis in duas triremes Pontificias non procul ab Ostia, incidissent, alteram illarũ facili negotio intercepêre, alteram verò, non sine maxima Christiani nominis ignominiâ & perpetuo dedecore, in celerem ac turpem fugam coniecerunt. Postetus annus, vti Reipub. faustus & fortunatus extitit, sic econtrà plerisque fuit luctuosus & grauis, & in primis quidem Venetis, ac Pisanis. Hi enim acriter obsessi à Florentinis, atque omni auxiliorum spe destituti, rebusque suis prorsus diffisi, hosti deditionem fecêre: maximaque pars eorum qui arma ferre poterant, aliò, relicta in seruitute patria, concessit, aliqui Panhormum in Siciliam, alij diuersas in partes, vbi se vitam tolerare posse commodiùs sperabant, hoc vno ducti consilio, potiùs vt liberi fortis, quàm domi in seruitute agerent. Ita tum vrbs pænè deserta, quæ olim potentia, & bellica virtute mirificè floruerat. At Veneti, eodem fermè tempore, ingenti clade à Ludouico Galliarum rege affecti sunt in loco quem incolæ Agnadellum vocant, ducentis ferè ab Abdua passibus, inter Cassanum & Reuoltam. Quam quidem cladem Veneti Iulio tertio Pontifici, recèns Alexandro sexto sufecto, iure acceptam referunt. Is enim vbi primùm ad supremæ dignitatis apicem euectus fuit, nihil habuit antiquius, quàm vt, cum manifesta totius Italiæ

1508. *Sauonenſium cum Genuẽſ. contentio.*

1509. *Pisani in Florentinorum potestatem veniunt.*

Veneti insigni clade à Ludouico afficiuntur.

Padum à diuersis Principibus contra Venetos insitum.

commotione & calamitate, Maximilianum Cæsarem, Ferdinandū Aragonium, & Ludouicum Galliarum regem, contra Venetam Reimpub. inflammaret, adeò vt ipsi Ludouico in vltimo Cameracensi fœdere totius belli summa delata, ipse omnibus studiis atq. artibus anniteretur, quò, quibuscumque posset modis, dele contra Venetos, nescio cuius rationis prætextu concitatus, vlcisceretur. Proinde Veneti, vbi de hostium suorum consiliis & apparatibus intellexêre, protinus cir citer quinquaginta hominū millia coëgerunt, quibus omnibus, Bartholomæum Liuianum, virum, ea tempestate summi nominis, & rei militaris gloria inlig gnem, cum imperio præfecêre. Regi autem in armis adfuisse dicunt supra qua draginta millia expeditissimorum virorum, & in his Gallicæ nobilitatis lectiss mum quemque: cuius quidem prœlij is fuit exitus, vt victoria penes Ludouicum staret, hostilis exercitus Præfecto vulnerato, & in captiuitatē abducto, ac cæsis et aduersa parte amplius decem hominū millibus, cùm ex Gallis vix quingenti de siderati esse dicantur. Qua quidem clade effectū est, vt inde Venetum imperium amissis vrbibus, pęnè totum sit euersum. Nec fortuna his tantis Venetorum ma lis exsatiata, vt ipsorum Respub. extremum periculum adiret, etiam naturali cal mitate afflixit. Cùm enim ipsi, haud multò pòst, reparatis viribus, nouoque mi lite conscripto, aduersus Alfonsum Atestinum, Ludouico regi vnà cum Hippoly to fratre purpurati ordinis fœdere associatum, prævalidam classem, duce Angelo Triuisano, in Padum fluuium emisissent, improspero ac infelici Marte conflixêre. A nonnullis in literas relatum est, in eo prœlio vltra minoris notæ nauigia, quin decim triremes fuisse captas, signa sexaginta relata, hominesque occisos, aut sub mersos, supra duo millia. Rebus in Italia ita se habentibus, Ferdinandus Aragonius, cuius proximè hîc mentionem habuimus, egregia victoria adauctus est, Bugea, Africæ minoris haud incelebri vrbe, expugnata.

Ludouici de Venetis victoria.

Venetorum clades in Pado flumine.

Bugea vrbs Africæ à Ferdinando expugnatur.

1510. Antea diximus, instinctu atq. opera Iulij Pontificis, de vnanimi omnium fermè Christiani orbis Principum cōsensu, bellum Venetis illatum fuisse. Cuius quidem vel præcipua causa fuit, quòd Veneti, qui, vt ex aliorum ruina & interitu, tantum imperium initio condiderant, ita deinceps ex euentis alienæ fortunæ, occasiones amplificandi res suas captare consueuerant, tunc etiam immodicam affectabant potētiam, vel potiùs iam tantam adepti erant, vt, nisi retunderetur, in totā sese Italiam, exterminatis regibus, extensura esse videretur. Quod illi ergo de singulorum regum ditionibus aliquid decerpserant, id Iulio Pontifici videbatur armis communibus repetendum, ea lege, ne ab armis prius decederetur, quàm sua singuli recepissent. At Veneti, animaduerso, se haud exiguo discrimine ir ritatos esse, enixè operam dedêre, vt in primis cum Pontifice in gratiam redirent, sicuti etiam breui effectum est, Ceruia, Rauenna, Arimino, & Fauentia ipsi re stitutis; adeò, vt ipsis, quantum satis videbatur, multatis & expilatis, Iulius, vo luntate, velut venti flatu, subitò inuersa, bellum ipsum pro Venetis aduersus Lu douicum, in prius contracto fœdere, constanter perseuerantem, detexuerit. Et quò commodiùs illius potentiam ab Italia, præsertim verò à Genuensi dominio auerteret, atque exterminaret, subinde per internuntios præstantissimum quem que patricij ordinis solicitabat, vt, nouis Genuæ concitatis turbis, se, ac totā suam patriam, abrogato Gallico imperio, & obsequio, viriliter in pristinam libertatem assererent. His non contentus, iugi cura ad hanc solam occasionem paratus, exules Genuenses Florentiæ, & per omnem ferè Etruriam dispersos, & alibi in certis sedibus vagantes, anxiè solicitabat, vt se publicis negotiis immiscerent, atque arma contra Gallorum ambitionem citra vlteriorem moram expedirent.

Venetorum cum Pont. Iulio reconciliatio.

Iulius mouet bellum contra Ludouicum.

Cuius

Cuius quidem literis crebriùs commonefacti, ac in nouam spem erecti, tandem, Paulo Baptista & Fregosino ducibus, mille Germanos pedites, ad Gatiolum, Ludouici Gonzagæ, Cæsaris beneficiarij, oppidum, duxerunt, eo animi decreto, vt summa celeritate per abruptos montes, atque asperas & angustas vias, ad Padum vsque penetrantes, transmisso flumine, per iuga Parmensia Genuam contenderent, & ibi aucti numero, & consilio ex temporis conditione accepto, vrbem ipsam inopinatò adorirentur. Sed Ciamontius dux, vti bello strenuus, ita pace prudens & vigilans, non obscurè eorum consilia subodoratus, facilè, id quod erat, suspicabatur. Quocircà, summa cum festinatione non exiguum tum peditum, tum equitum numerum, qui eos itinere prohiberent, Parmam vsque præmisit. Quorum aduentu Germani adeò fuere consternati, vt, spe de rebus Genuæ prosperè gerendis amissa, eodem itinere, sed certè haud pari celeritate, non citra magnum periculum in patriam redierint; Venetis, priuati siue commodi studio conniuentibus, quorum maximè intererat, Italiam per Pontificem ad arma non concurrere. Ceterùm Pontificis animus ægrè ferens, Reipub., communem suam patriam, in aliena potestate haberi, rerum aduerso successu nullo modo debilitatus, studiosè allaborabat, vt, nouis excitis auxiliis, restitutio Genuensis tentaretur, tanta me herculè cum constantia, & ardore, vt nullis sumptibus parceret, omnemque lapidem moueret, quò Ludouicum, sibi naturali, vti existimo, antipathia inuisum, Italia pelleret. Itaque Genuam eodem tempore mari terraque vndique inuadere constituit, sperans, hanc vrbem infestis armis repentè tentatam, facilè mutationem aliquam facturam, præcipuè quòd nemo ignoraret, multorum animos in ea ciuitate à Gallico imperio abhorrere, & Fulgosiam gentem multis priuatis iniurijs prouocatam, occasionem nouandarum rerum ex temporis opportunitate quàm auidissimè expectare: quippe cũ Octauianus Fulgosius, cuius pater, & patruus supremum magistratum ibi gesserant, magno honore & existimatione apud omnes esset. Quo quidem tempore, bellum etiam inter Alfonsum Atestinum & Ligures exarsit. Et quoniam Iulius, quòd proceres ac plerosq. equestris ordinis viros ægrè à fide & obedientia Gallica retrahi & abduci posse experiretur, à Genuensibus hac potissimùm de causa deficiens, cum Venetis iam fœdus contraxerat, & vndecim Venetorum triremes, duce Grillo, siue, vt alijs placet, Hieronymo Contareno, & vna sua, aduersus Genuenses decretæ & instructæ sunt, in quibus magnum Genuensium numerum fuisse traditur, qui Pontificis studia secuti, vrbe excesserant, & in nouam fiduciã erecti, varijs in locis, vti diximus, exulantes, sese huic expeditioni coniunxerant. Inter quos fuerũt Octauianus & Ianus Fulgosij, necnõ Hieronymus & Nicolaus Auriæ familiæ. Interim M. Antonius Columna cũ centũ grauis armaturæ equitibus, & septingentis peditibus, qui recèns à Florentinorum stipendijs ad Pontificem transiuerant, specie habendi delectus, in agro Lucensi hærebat: quod Ciamontium in magnam suspicionem iure adducebat. Ipse tamen, quòd miro astu & opera Pontificis, fama percrebuisset, Heluetios, qui ad duodecim millia describi nouum Genuæ subsidiũ, præter paucos pedites, misit. Marcus Antonius, quamuis nec Serezanæ, nec Spediæ, vt Pontifici omninò persuasum erat, fuisset receptus, vlterius tamen progressus, ad vnum ferè milliare ad Genuæ muros in Biamnis valle consedit. Classis quoque sub idem ferè tempus, Segestro & Clauaro occupatis, ex Rapalli sinu ad ostium Entelli fluminis quod non ita procul à Genuensi portu in mare decurrit, peruenerat. Genuam verò paulò antè ad primam

Pontificia expeditio aduersus Genuens.

Motus in agro Ligustico, opera Iulij Pont. excitati.

hostium aduentus famam, Ioannis Aloysij Fliſci filius cum octingentis viris agreſtibus,& pari ferè numero nepos Cardinalis Finarienſis pro Galliæ rege ingreſſi erant: quibus præſidiis firmata ciuitas, nullæ intus ſeditiones ac turbæ concitabantur. Proinde irrita Pontificis atque exulum ſpe, indieſq. ex Inſubria, & aliis locis, præcipuè verò ex occiduo littore, nouis Genuam deductis auxiliis, & Preianne, viro ſummi conſilii atque virtutis, regis nomine cum ſex longis nauibus portum ingreſſo, incaſſum, & citra aliquem fructum, omne tempus terebant. Proinde claſſis mari, Columna verò terreſtri itinere, Rapallum ſe receperunt, tentata interim in ipſo reditu portus Delphinij expugnatione, in qua Franciſcus Bolanus, vnius Venetæ triremis præfectus, occubuit. Illinc claſſis Centum-cellas enauigauit, & cùm M. Antonius terreſtri itinere incolumem ſe cum ſuis militibus euadere poſſe diffideret, nimirum quòd ruſtici & agreſtes itinera valdè infeſta redderent, euitandi periculi cauſa, cū ſexaginta delectis equitibus, triremes conſcendit, reliquos terra remiſit, qui maiori ex parte in Genuenſi, deinde Lucenſi agro in Florentinorum finibus ſpoliati ſunt. Ex hac expeditione, nullam, vel ſaltem valdè exiguam, Grillus, & Octauianus laudem reportarũt: quorum puſillanimitate atq. deſidia factum eſſe dicunt, vt Preiannes tam paruo nauium numero Genuenſem portum, illis ſpectantibus, ſubijſſet, cùm alioquin in eorum eſſet poteſtate, illam quàm facillimè, niſi metus obſtitiſſet, prohibere. Statim poſt hoſtilis claſſis diſceſſum, Preiannes cum ſeptem longis nauibus, & quatuor onerariis Genuenſi portum egreſſus, Venetam claſſem, triremium numero ſuperiorem, nauium verò inferiorem, inſecutus eſt. Vtraque claſſis ad inſulam Iluam delata; Veneta quidem Lingonium portum, Gallica verò Ferratum attigit. Sed hæc, illam vſque ad Argentarium montem ſumma cum celeritate inſecuta, cùm nulla bene gerendæ rei opportunitas monſtraretur, Genuam rediit. Quanquam verò huius expeditionis ſucceſſus longè infra Iulij Pontificis cõſilia & opinionem eueniret, nec mediocriter ob fortunam aduerſam percelleretur, nihilominus, vt erat intrepidus, & excelſo ſpiritu, ita vt non facilè in rebus aduerſis animo concideret, tantum abeſt, vt ſuſceptam aduerſus Gallum expeditionem remitteret, vt etiam eò magis ad noua ſtudia incenderetur, quò priora peius cecidiſſent. Nihil enim perinde optabat, quàm Genuenſium animos, omnibus artibus in partes deducere, vt ſcilicet, ex animorum diſtractione, nouæ in vrbe ſimultates atque odia orirentur, ex his verò in Gallum conſpiratio, & in tota ipſa Repub. diſſenſio propagaretur. Ideò procurabat, vt Veneti, qui magis gratificandi Pontificis ſtudio, quàm quòd nouos in Italia motus probarent, claſſem, quam ad Centum-cellas in ſtatione adhuc habebãt, additis quatuor magnis nauibus, augerent. Exiſtimabat quippe, ſi hoc bellum ſub ſuo nomine aduerſus Gallos ſuſciperetur, magnam auctoritatem & pondus apud omnes conſecuturum, nec alia meliori via oppidanos ipſos ad rebellionem propelli poſſe. Adiunxit etiam Venetæ claſſi per idẽ tempus nauim inſignitatæ magnitudinis, atque aliquot alias, quas ſollemni ritu ſuis vexillis condecorauit, & publicis votis fauſtam profectionem ac felicem expeditionem precati iuſſit, adeò vt multorum animos de Principum ſtudiis interdum ſeriò reputantium, magna ſubeat admiratio, quòd Pontifex, cuius omne ſtudium & cura pro quiete publica, tum continenda, tum propaganda excubare debebat, ipſe, inuerſo ordine, omnem curam & diligentiam ad conturbandam Italiam, atque adeò vniuerſum Chriſtianum orbem infeſtandum transferret. Nec deerant pauci, qui illius tam nefarios auſus damnarent, ſimulque eius conſilia palàm irriderent, quòd ſperaret, ſe

ret, se Genuam, recèns magno præsidio firmatam, & illius portu valida classe communito, in potestatem redacturum, præsertim cùm hæc expeditio illi antea planè irrita, ciuitate ipsa longè viribus & præsidiis à præsenti rerum statu discrepante, cecidisset. Verùm ipse nullis consiliis vel rationibus adduci poterat, quin obsidionẽ acceleraret. Quamobrẽ sibi expedire videbatur, vt maritimis apparatibus terrestres copię coniungerentur: quæ maiori ex parte auspiciis Episcopi Genuensis, Obiecto Fliſco, cuius sæpenumerò mentionẽ fecimus, geniti, & nonnullorum exulum Genuensium ducebantur. Fridericus etiam antistes Salernitanus, Octauiani Fulgosij frater, Pontificio ære in Lunigianæ oppidis equitẽ, militumq; delectum habebat. Interim Ioanni Saxatello, & Renerio Saxetano, militum tribunis iniunctum erat, vt cum suis cohortibus tantisper ad Porrectæ balnea subsisterent, donec temporis opportunitate Genua, coniunctis viribus, commodè obsideri posset. In hoc tẽporis tractu, regij milites, de Pontificis animo, & nouo bellico apparatu præmoniti, vrbem terra mariq́ue validis præsidiis cinxerunt, nihilq; prætermisêre, quod ad vrbis defensionem acriter sustinẽdam faceret, adeò vt ad famam hostilis classis, quæ duce Franco Giberto ciue Genuens. erat duarum & viginti triremium atq. aliquot onerariarum, Gallica classis, iussu atque mandato Ciamontij, cuius potissimum auctoritate & auspicio Resp. ea tempestate regebatur, Genuensem portum egressa, ad portum Veneris consisteret, eo consilio, vt cùm nauium numero inferior, triremium verò, hostili esset superior, vel saltem par, semper recedendi velocitate, se à nauibus, ad omnem necessitatem, subtrahere posset. Hæ duæ classes, supra portum Veneris, in mutuũ conspectum deuenêre, nec vltra tormenti ęnei iactum ab inuicem distabant. cumq́ue aliquandiu infesto impetu atque horribili tormentorum fulmine se inuicem lacessiuissent, Pontificia classis, vel quòd veram prœliandi opportunitatem nondum nacta sibi videretur, vel quòd temerè supremam belli aleam citra maiorem deliberationem subire non auderet, Segestrum Orientale contendit, ex quo loco Ioannes Fulgosius biremi mira audacia totum illud littus, quod inter Genuam & Segestrum interiacet, euagatus, subinde se ante portum Genuensium in oppidanorum conspectum dabat, adeò vt eius temeritate ad postremum in fiduciam conuersa, portum ingredi, ad oppidanorum periclitandos animos non dubitarit. Sed vrbis munimenta & propugnacula ita defendebantur, & vndiquaque obseruabantur, vt nulli motus, vel cõtrariæ factionis studia excitari, vel erumpi possent, ita vt statim, re infecta, discedere, non sine graui vitæ suæ periculo, coactus sit. Ipsum namq. abeuntem ex turri Godifensi tanta tormentorũ vi, & telorũ nimbo sunt prosecuti, vt parũ abfuerit quin penitus obrueretur. Verùm suæ biremis cum velocitate tum valido remigio concitata incolumis euasit. Portus Veneris ab hostili classe cùm per aliquot horas nequicquam fuisset oppugnatus, omnem bene gerendæ rei spem ipsius classis ducibus ademit: nullaq́ue re memorabili gesta, ad Centum-cellas redierũt. inde etiam paruo interuallo Veneta classis Pontificis consensu dimissa est, quæ non ita longè à Pharo Messanensi grauissima exorta tempestate summum periculum adiit. Quinque etenim triremium facto naufragio, reliquæ ægrè seruatæ sunt. Siquidem maior pars quassata ventis, & semilacera, domum reuersa est. Terrestrium copiarum in hac expeditione nullus ferè vsus fuit. Milites namque in Lusiniana ora conscripti, littoris Orientalis aditum propter Gallorum apparatuum famam periculosum rati, nihil se mouerunt; & qui ad Porrectæ balnea erant, sibi à Florentinis iter denegatũ excusantes, vlteriùs non sunt progressi. Sed Mutinensium montana, quæ adhuc Ferra-

tiensi

rienſi parebant, ingreſſi, in Fanani oppidum impetum fecerunt; quod etſi non ſtatim obtinerent, nihilominus tamen tota montana regio ducis auxilio diffiſa, deditionem fecit. Hunc ferè exitum & ſucceſſum habuit Pontificia expeditio, maiori certè odio, quàm neceſſitate, vel conſilij & iudicij rectitudine, aduerſus Ligures bis mota & ſuſcepta. Quandoquidem nullus æquus rerum æſtimator eſt qui dubitare poſſit, huius Iulij Pontificis in Ludouicum Galliæ regis odium, ex eo fermè ortum, quòd hic Alfonſum Ateſtinum, cui ille inimiciſſimus erat, & contra quem atrociſſimum bellum gerebat, opibus & copiis ad conterendam Pontificis ambitionem & potentiam, toti Italiæ inhiantem, palàm adiuuiſſet. Tanta nimirum odij acerbitate flagrabat Iulius in Ateſtinum, vt, licet Ludouici potentiæ mirum in modum aduerſaretur, eiuſque dignitati infenſiſſimus eſſet æmulus, tamen quò ſe commodiùs contra illum vlciſceretur, non ſemel ipſi regi obtulerit, ſuarum omnium copiarum iacturam facturum, & ſe illi libenter traditurum, modò ipſum Alfonſum in clientelam aſſumptum, in medio rerum agendarum curſu relinquere & deſtituere vellet. Sed tanta fuit regis humanitas cum ſumma fidei conſtantia & integritate coniuncta, vt nihil ſibi prius vel antiquius eſſe diceret, quàm Ferrarienſem, fideliſſimum ſocium, non deſerere, & ab omnium iniuriis & infeſtis armis tueri ac propugnare. Imò nec Italiam ipſam totam ſibi eſſe tanti, vt propter fidei anguſtiam à quoquam malè audire vellet, præclaram certè vocem, & vero Principe dignam; Siquidem fides, quæ ratio apud priuatos integra & illæſa exiſtit, pari modo etiam apud Principes violetur, non video, quomodo ſocietas humana, quæ hac, ceu firmiſſimo & ſolidiſſimo fundamento, niti debet, diu conſiſtere valeat. Proinde Pontificis animus hac regis conſtantia exacerbatus, eodem ferè tempore Cæſarem, Aragonium, Britanniæ regem, Venetos & Heluetios in eum concitauit, vt illum non modò Mediolanenſi, & Liguſtico imperio, ſed etiam vniuerſo Galliarum regno exueret. Suprà commemorauimus, Ferdinandum Tarraconenſium regem, ſumma proferendi imperij cupiditate incenſum, Mauritanos adortum, Bugeam, haud infecit, vt eius duces ac milites alacriores facti, Tripolim, cuius crebrò antea celebrem Africæ minoris vrbem, expugnaſſe. Huius belli proſper ſucceſſus eminimus, poſt aliquot dierum perpeſſam obſidionem, feliciter expugnatio. Ceterùm, huius fortunæ proſperitatem haud parum fœdauit clades ad Meningem, ſeu paruam Syrtim, nunc recepto atque vſitato nomine Zerbas vocatam paucis pòſt diebus, ad Girapolim accepta. Admota enim eius claſſe ad huius inſulæ expugnationem, cùm maxima interim aquarum inopia laborarent, & aquationis gratia deſcenſionem facerent, caſu accidit, vt in Mauorum inſidias præcipitati, inſigni ſtrage afficerentur, cæſis quatuor millibus ex Chriſtiano exercitu, & cum his, ipſorum duce ac præfecto Garçia Ducis Albani filio, necnon Ferdinandi Aluari patre, qui his proximis annis Belgium non ſine perpetua ſui nominis memoria procurauit, contrucidato. Hæc infelix Chriſtianorum expeditionibus videtur eſſe fatalis, quòd etiam proximè inſecutis annis parum abfuerit, quin vniuerſa Hiſpanica claſſis ibi ad internecionem deleta fuerit. Eſt autem longitudine XXXV. M. paſſ. latitudine XXV. ab Eratoſthene, vt inquit Plinius, Lotophagitis appellata. Oppida habet duo, Meningem Africæ latere, & altero Thoiar, ipſa à dextro Syrtis minoris promontorio paſſibus CC. ſita. Inter hæc, deuentum eſt ad annum eiuſdem æui vndecimum, cuius quidem initio, Dominicus, vulgò S. Petri Arenatij, & Ioannes Interianus, cùm pleraque aduerſus regium dominatum moliti eſſent, ceu maieſtatis rei, extremo-

Cauſa odij Pontificij aduerſus Ludouicum.

Exemplar ſingularis beneuol. ac fidei.

Iulius Pont omnes Reges inflammat aduerſus Ludouicum.

Tripolis à Ferdinando Aragonio expugnata.

Ferdinandi clades ad Meningem inſulam.

1511.

tremo supplicio affecti, eaque de causa quidam alij ex præcipuis familiis qui eodem reatu forsitan tenerentur, haud parua pecuniæ summa, ac etiam exilio multati, & inter ceteros quidem, Hieronymus Auria, ceu perduellionis conuictus, eiusque bona fisco adiudicata, & ipse, vnà cum sua coniuge, raro quodam exemplo, in exilium actus, eiusque domus, sita in villa vulgò S. Mariæ incoronatæ, solo tenus deiecta. Interim iussu Senatus, Franciscus Fliscus, Thomas Cataneus, Ioannes Passanus, & Pantaleo Rebuffus, in Galliam oratores amandati, qui publico nomine regem adirent, hique ab eo perhumaniter excepti, exposita suæ legationis summa, cuncta quæ petierant, benignissimè impetrarunt, præter sui Præsidis abrogationem, qui tamen spontè, priusquam Genuam reuertissent, in Galliam profectus est, vt suam causam ipsemet coràm tueretur atque defenderet. Eodem temporis tractu, cùm Pontifex nequiret animum ad aliquam quietè reuocare, neque ab inuadenda Ligustica ditione abducere, iterum serias cogitationes ad nouam expeditionem contulit, nec sumptibus vllis pepercit, quibus vel aperto marte, vel dolis, aut astu, aliquid ipse in hoc suo pertinacissimo animi decreto perficeret. Et quia magnam commoditatem bene gerendæ rei in ciuium seditione sitam esse intelligebat, Alexandrum, Pauli Fulgosij olim Cardinalis filium, Præsulem Albintimilium, clàm Genuam ad nouas excitandas turbas misit. Sed Galli de eius profectione admoniti, in Monteferrato, eum, licet aliam personam habitu & nomine ementientem, capi curarunt, vnde mox Mediolanũ perductus, itineris sui causas, perfidique consilij technas detexit, & ita quidem à nonnullis refertur. Ceterùm, sunt etiam qui asserant, ipsum, cum aliquot suis clientibus clàm Genuam sub festum Dominicæ resurrectionis ingressum, eo consilio, vt, Præside interfecto, & mox seditione excitata, populum aduersus regium dominatum commoueret: eamque proditionem per quendam Trebianũ, vnum ex coniuratorũ numero, detectam, ipsumque deprehensum, capitis damnatum, & Fulgosium, dum celeri fuga sibi consuleret, in villa Rosiliana fuisse captum, indeque in Insubriam perductum: sed paucis pòst mensibus, ob ea quæ postmodũ ibi subsecuta sunt, pristinæ libertati restitutum. Ijsdem fermè diebus, in Cyrno insula prouinciales, Rinucio Rocensi auctore, nouis rebus studere inceperant, & ad defectionem inclinabant. Ceterùm, ipso tandem à Genuensi milite contrucidato, breui effectum est, vt omnes ad pristinam fidem atque obsequium redierint. Sub idem quoque tempus, Alidosius purpuratus à Francisco Maria Feltrio Vrbinatium Principe apud Rauennam interfectus fuit. Interea temporis, secuta est Brixiensis clades à Gallis illata, & breui pòst, Rauẽnensis pugna, vna ex maximis & memorabilibus, quæ à multis annis in Italia conspecta fuerit; in qua, vt omittam celeberrimos duces, qui fortiter pugnantes vtrimque cecíderunt, & in primis ex Gallica nobilitate Gastonem Foissæum, Gallici exercitus Præfectum, qui ex bellica virtute rerumque gestarum gloria, licet iuuenis, æternam sibi apud omnes mortales famam & gloriam compararat, sex horarum spatio, quibus vtrimque incredibili virtute dimicatum est, militum & equitum millia supra decem & octo cecidisse, pari ferè vtrorumque numero, fortuna dispari. Iulij enim & Hispanorũ copiæ fusæ fugatæque: Galli locum tenuerunt. Paucis pòst mensibus, Pontifici omnia lætiora contigerunt, & fortuna, hactenus eius conatibus refragata, ei fauere, regiisque rebus non parum aduersari cœpit. Cuius quidem immutatio potissimùm ad Heluetios, à rege deficientes, & ad Iulium transeuntes, referenda est. Mox enim Rauenna ad huius fidem & obsequiũ rediit; & Bononia, pro cuius defensione Ludouicus tot molestias pertulerat,

Legatio ad Gall. regem.

1512.

Rauennensis clades.

victorem

victorem secuta est, idemque fecit Cremona, Bergomum, Placentia, & Parma, ac pleræque aliæ Insubriæ ciuitates, ac denique omnis Mediolanēsis ditio, quæ paulatim à Gallico imperio desciuit. Cùm enim Cæsar Maximilianus ad Germanos pedites, qui Gallo tunc temporis in Italia militabant, literas vnà cum mandatis dedisset, vt statim ab illius stipendiis discederent; hi, quòd pænè omnes ex Tirolensi Comitatu oriundi erant, cùm in suum Principem contumaces haberi nollent, eodem tempore citra vllam moram & cunctationem discesserunt: quorum profectione, Palicia, & reliqui Gallorum duces, inter quos etiam post mortem Foissæi mutua æmulatione, vti persæpè fieri consueuit, non mediocris dissensio nata fuerat, (nam reliqui fermè indignabantur, Paliciæ obtemperare,) omnem Mediolanensis imperij defendendi spem amiserunt, præsertim cùm cataphracti, tantis laboribus tamque diuturnis molestiis defatigati, potius in Galliam salui atque incolumes reuerti, quàm Mediolanense imperium tantis angustiis & periculis tueri cuperent. Fœderati, vt antè diximus, inter se Principes erant Iulius Pontifex, Cæsar, Hispaniarum & Angliæ reges, Veneti, ac Heluetij. Hi omnes initio ita simul conuenerant; vt Gallis Mediolanensi dominatu exactis, Maximilianus Ludouici Sfortiæ filius, post patris calamitatem semper in Germania versatus, in paternam sedem restitueretur: quod quidem potissimum Pontifex, ac Heluetij vrgebant. His rebus ita constitutis, quò Gallicum imperium pari fortuna Ligustica ditione exscinderetur, Ianus Fulgosius, Veneti exercitus præfectus, cum haud mediocri manu ab ipsis Fœderatis suppeditatus, Genuam profectus, causa extitit, vt regio Præside, duod. Cal. Iulij in fugam conuerso, ciuitas, prorsus à Galliarum rege deficeret, exque communi totius Senatus atque ordinum consensu ipsemet Fulgosius, Dux ac Princeps resignaretur. Qua quidem dignitate olim eius pater etiam potitus fuerat. Interim Gallici milites, Genuæ arces, scilicet, Castelletum, & Phariam turrim, vulgò Lanternam, necnon Mediolanensem, & Cremonensem, sicuti etiam Brixiam, Cremam, & Lineacij nonnullaque alia eius imperij munita loca tuebantur. At breui pòst, cùm Genuenses, Castelleti arcem, tormentis, quæ illis Pontifex subsidio miserat, impeterent, eius Præfectus, desperatis iam auxiliis, quoniam classis ex prouincia, à Regge de vrbis defectione ignaro, ad eam defendendam missa, cùm descensionem facere milites non auderent, in Galliam redierat, duodecim aureorum nummûm millibus acceptis, eam Genuens. tradidit: sed in regis potestate adhuc erat Phariæ turris, in quam iisdem diebus, Galli cōmeatum, aliaque necessaria importarant. Sub idem fermè tempus, planities Teycia, quæ iamdudū à Luca Spinula possessa fuerat, in Magistratus Georgiani potestatem deuênit. In hoc rerum tractu, Galli, duce Frabernardino, Hispanicam nauem Ligusticis mercibus onustam interceperunt; cuius merces valorem quadraginta millium aureorum, secundum communem hominum æstimationem, æquabant. In Gallia itidem, regio edicto seueriſſimè iniunctum, ne quis Ligusticæ nationis, vllum genus mercaturæ exerceret. Florentiæ verò, noua Reipub. forma introducta, & Medicei suis bonis ac penatibus restituti. At Sfortia sub finem Decembris eiusdem anni, Fœderatorum Principum ope ac viribus, ex Germania Mediolanum rediit, ibique incredibili omnium suorum, legitimum suum Principem videre auentium, letitia atque applausu exceptus fuit. Vigebat nimirum in animis hominum Principis sui non solùm naturalis amor, quo omnes etiam gentes, licet efferæ ac barbaræ, naturali instinctu commouentur, verumetiam præclarissimorum Principum, & in primis quidem aui, atque patris sui memoria, quæ ita vniuersis Insubribus iuſta

Ianus Fulgosius Princeps ciuitatis renunciatur.

Castelleti arcis deditio.

Maximilianus Sforcia Mediolano potitur.

iusta de causa erat clara & illustris, vt externi Principis dominatustædium, in veram genuini Principis beneuolentiam conuerteretur. Proximus annus mortem Iulij Pontificis complexus est, qui diu cum graui & diutino morbo conflictatus, & rerum humanarum curam ægrè remittēs, fato oppressus, sub auroram diei vigesimi secundi Februarij animam exhalauit. Fuit ipse, vt breuibus verbis hominis naturam, & vitæ cursum perstringam, incredibili quadam ambitione flagrans, cuius animus, multarum quidem rerum, vt verum fateamur, capax, nunquam vlla potentia, vel gloria potuit exsatiari, & qui potius ad belli, quàm pacis artes tuendas & obeundas natus esse videretur. Nam si tātum operæ acuendis regibus ad bellum in Turcam decernendū, quantum ad imperia, & Respublicas conturbandas & inquietandas, contulisset, nemini dubium esse potest, quin Respub. Christiana eius præsidiis subnixa, meliore loco & conditione diutius suo tempore stetisset, ac floruisset. Vt verò ad Ludouicum Gallorum regem reuertar, is sanè huiusmodi grauissimis infortuniis nihil omninò deterritus, cùm esset excelso animo, & immensa imperij propagandi cupiditate flagraret, ad Mediolanensis dominij recuperationem omnes cogitationes adiecit, eoque maiori celeritate nouum & validissimum exercitum describi iussit, quò magis metuebat, ne arces, quas adhuc in Italia retinebat, ob commeatus inopiam dederentur. Itaque rex omnem moram sibi maximo detrimento fore intelligens, quamprimùm sese ad eam expeditionem accinxit, percusso prius fœdere cum Venetis, quod tamen haud sine summa difficultate obtinere potuit, cùm in eo Senatu complures patricij ac senatorij ordinis multò magis in Cæsarem propenderent. Igitur Ioanni Iacobo Triuultio, cuius opera, cùm propter generis nobilitatem, & quia etiam Mediolani plurimas clientelas habebat, tum ob excellentem ipsius virtutem reique militaris peritiam, & fidem, in omnibus arduis rebus vtebatur, dat negotium, vt copias pararet, quæ continerent mille quingentos cataphractos, octingentos leuis armaturæ equites, & octo Germanorum peditū millia, septem Gallorum; hisque collectis, Tramollia Prorex, vt maiori dignitate res gererentur, imperabat. Veneti quoque, duce Bartholomæo Liuiano, validam manum suppeditarant, videlicet supra sexcentos graues, mille leuis armaturæ equites, & quinque peditum millia, ea quoq. spe inducti, vt Veronam, cuius arx adhuc erat in Gallorum potestate, & Brixiam reciperent. At Sfortia, vbi se tantis apparatibus longè inferiorem esse animaduertit, fortunæ sibi cedendum statuit, moxque Dertonam; deinde Nouariam contendit, nihilque amplius Galliæ regi deerat, quin omnia quæ superiori anno amiserat, recuperasset, præter hanc vrbem, & Comum, quæ duæ vrbes solæ in vniuerso Mediolanensi imperio Sfortiæ nomen tuebantur. Ceterùm, breui pòst, cùm Heluetij ad Nouariam Gallicum exercitum ingenti clade affecissent, Sfortia Insubriæ dominatum recepit. Genuæ interim Ludouico Mediolanum recuperante, cùm subinde atrox bellum Reip. cum ipso intercederet, Senatus decreuit, vt, partim pro Ligusticarum nauium securitate, partim etiam vt impediretur, quo minus in Phariam turrim, cuius obsidio iam in sextum decimum mensem protrahebatur, quicquam subsidij ab hoste inferretur, aliquot nauigia, quibus Nicolaus Auria cum imperio præfuit, instruerentur. Cùm verò in ea obsidione, quæ postmodum in septem ac viginti menses producta est, sæpè varij & memorabiles casus acciderint, non prætermittendum videtur quod dignum memoria existimauimus. Soluerat hac æstate ex Armorico Oceano, siue, vt aliis placet, Nicæa Prouinciæ, Ludouici regis iussu vir Dalmata, rei maritimæ assuetus, cum nauigio iustæ magnitudinis, commeatuum ac

1513. Iulij secundi Pont. natura & obitus.

Mediolanum à Ludouico recipitur.

Arcis diuturna obsidio.

bellicorum apparatuum omnis generis refertum, eo consilio, vt suis ad Phariæ-
cem multarum rerum inopia laborantibus opem ferret, quod duobus minori-
bus antè nauigiis felici nauigatione contigerat. Is præteruectus superiorem Ligu-
riæ oram, imprudentibus his qui cum expedita classe ea maria custodiebant, ra-
pidum ex alto nactus Africum, plenis velis cursum ad arcem flexit, promonto-
rijque crepidini ponte prolato coniuncta est, atque anchoras iecit, tanta Gallorū
lætitia, quantā verisimile est fuisse in summa rei frumentariæ desperatione. Nec
Ligustica classis, quæ in statione erat, quanquā ex itinere prætereuntem tormen-
tis peteret, contra ventorum vim eius impetum prohibere potuit. Itaque Galli
nautæ in proximum littus exponere partem commeatus iam cœperant, cum ma-
ximo dolore populi Genuensis, qui ad mare effusus, & speculas & littoris spatia
compleuerat, gemens frendensque impotenti ira, quòd tot mensium diligentiam
& operam, ac paratum laboris & industriæ fructum puncto temporis amitterent.
Ceterùm Emanuel Caballus, Petri Valentis filius, inter Ligures rei naualis peri-
tissimus, diuino œstro cōcitus, in medium procedens, & conuersus ad multitudi-
nem, Hodiernum, inquit, negotium, occasionis est atque virtutis, non irarum, vel
intempestæ querimoniæ. Quare macti virtute iuuenes, qui tantum dedecoris
animo atque oculis sustinere non potestis, mecum hanc nauem statim conscen-
dite, & si vnquam pro gloria & pro patriæ dignitate ac salute dimicastis, nūc ma-
ximè ad retinendam naualis disciplinæ existimationem, patriæ ac ciuibus for-
tissimam operam præstate. Nec mora, scandentem onerariam nauem trecenti
fermè iuuenes secuti sunt, nihil miserabile mortis genus horrentes, cùm haud
dubiè obuiam hostium tormentis eundum esse intrepidis animis reputarent.
Emanuel summa celeritate explicatis armamentis, statione egressus, modico in
altum capto circuitu, quò aura pleniùs vela inflaret, secundissimi venti bene-
cio rectà ad hostium nauem contendit: nihilque territus crebris pilarum ictibus,
quibus continenter ab arce petebatur, iniecto statim harpagone, in eam prior
insiliit, & præcisis rudentibus, quibus propugnaculo arcis alligabatur, momen-
to temporis auulsam in altum abripuit, tanta arte atque peritia inter scopulos,
hostileque nauigium directa prora, vt, quod propositi erat in maximo periculo,
& nauem excluserit, & abrasis scopulis, paratum naufragium euitarit. Interēre
tamen aliqui tormentis dilacerati, & Andreas ea incidentium pilarum procella
attonitus, vix post multos dies ad se rediit. Dalmatam verò nauis Prætectum,
qui vnà cum plerisque aliis in mare se præcipitarat, quorum etiam nonnulli vn-
darum mole hausti sunt, vt ad arcis scopulos adnataret, Benedictus Iustinianus,
Vicecomitis filius, summæ virtutis adolescens, per vndas itidem adnatando, ar-
nibus arreptum, in proximum littus, quod sanè haud caret admiratione, perra-
xit. At Caballus captiuam trahens nauem, dum extra tormenti iactus, in altum
cuehheretur, facilè ex alta naui in humilem transcendentibus armatis, ad sexagin-
ta Gallos interfecit, aut cepit. (sunt qui asserant, ex his qui capti fuerant, quor-
rum duo ac triginta fuisse memorantur, sex crucis patibulo affixos, & reliquos ad
remum translatos.) & mox in vrbem tanto virtutis edito facinore, reuersus, in-
gentibus omnium ordinum atque ætatum plausibus exceptus fuit, donatulque
ducentis, siue, vt aliis placet, quingentis aureis: præda verò sociis naualibus di-
uisa. Fuēre ad centum vini amphoræ: frumenti & salitæ carnis vis ingens: to-
mentarij pulueris triginta cadi: præterea arma omnis generis. signata pecunia in
stipendium triplex: vestis multa & varia id genus, quæ ad soluendum obsessorum
inopiam excogitari parariue potuerant. Ea res non tantùm præsentis commeatus
certam

Egregium facinus Emmanuelis Caballi.

certam ſpem interpellauit, ſed in poſterum docuit, nihil temerè nauibus cõmittendũ aduerſus eos hoſtes, qui in re nauali virtute atq. peritia longè alias gentes anteirent. Poſt id factum, apparuit, Gallos, qui omne cibariorum genus abſumpſerant, deditũros fuiſſe arcem, niſi, vt mox dicetur, ante euentum prœlij Nouarienſis, Adurnij, & Fliſci, eos omnibus rebus adiuuiſſent. Interea temporis, Patrum decreto claſſi quæ arcem obſidebat, additæ ſunt ſex celoces, quos galeones vocant, militariter exornatæ, quòd id genus nauigij quandam minoris onerariæ, vel erectæ, lateque triremis ſimilitudinem referat, veliſque vtatur, & nonnunquã remis, præſertim cùm ad captandũ ventum in portu, vel ſinibus in altũ educatur. Ludouicus etiã Galliarum rex, nihil propter acceptũ incõmodum, animo conſternatus, in Maſſilienſi portu præualidam claſſem exornari iuſſerat, quæ nouẽ triremium, quinq. onerariarũ, totidem celocium, & trium nauigiorũ ex his quæ vulgò Caruellas vocant (eſt autẽ id genus nauigij ad omnem tempeſtatis, vel longinquæ nauigationis contumeliã perferendam, apprimè idoneũ) & aliquot Liburnicarum numerum æquabat, & perflantibus Euris, ad Herculis vſq. Monœci portũ, qui Villafranca dicitur, circũuecta eſt. Hac fama permoti Ligures, ſumma celeritate quinq. & quadraginta nauigiorum claſſem auſpicio ac virtute Nicolai Auriæ, cuius proximè hic meminimus, coëgêre, vt Pharia turris, natura loci munitiſſima, & in præcelſo promontorio ſita, portuiq. imminens, mari terraque arctiſſimè obſideretur. Tali rerum ſtatu, Antoniottus & Hieronymus Adurnij fratres, cum littoralibus ſuæ factionis hominibus, aliiſque militibus regio ære conſcriptis, maxima occaſione, propter diſcordiam exortam inter Fliſcos, & Genuenſium ducem, cum quo antea contra Adurnios cõiuncti fuerant, moti, quòd ſiue caſu nata rixa, ſiue ob ſuſpicionem conceptam, Hieronymus, Ioannis Aloyſij Fliſci filius, prætorio egrediens, ab Ludouico & Fregoſino Ducis fratribus interfectus fuerat: ob quam iniuriam Ottobonus & Sinibaldus eius fratres, ad caſtella ſua profecti, ac paulò pòſt cum Galliæ rege pacti, & cum Adurniis conſpiratione facta, ab altera parte cum quatuor peditum millibus non. Cal. Iunij Genuæ appropinquarunt. Princeps per ſe, Fliſcam atq. Adurniã factiones ſimul coniunctas, ſuſtinere nequibat: neq. ob aduerſariorũ celeritatem auxiliũ ab Protege petitum, in tempore adeſſe poterat, & mille ipſius pedites in proximis montibus cùm maiorẽ numerum ſuſtinere non poſſent, fuſi, rerum omniũ ſtatum in ſummum diſcrimen adduxerunt. Quocirca Dux vnà cũ Fregoſino, vix tãtum temporis, vt propriæ ſaluti conſuleret, nactus, Ludouico altero fratre ad Caſtelleti cuſtodiam relicto, mari aufugit: victores autẽ Genuam per portam vulgò D. Thomæ, ſunt ingreſſi, vbi Fliſci fratres vltionis impetu impulſi, Zachariam Principis fratrem, qui in pugna in ipſis montiũ anfractibus cõmiſſa, captus fuerat, & vnà cum reliquis fratribus illorum cædi interfuerat, interfici, & deinde equi caudæ alligatum, per totam vrbem, immani & vix viſo efferatæ crudelitatis exemplo raptari iuſſerunt. Genua itaque fatali conuerſione in Galliæ regis imperium poſtlimiò redacta, octauo Cal. Iunij, Antoniottus Adurnius eius nomine Præfectus, vrbis eſt conſtitutus, qui dumtaxat duos ac viginti dies in ea dignitate perfunctus eſt, & Gallica claſſis Laternam militibus commeatuq. muniuit, deinde Spedia direpta, ad portũ Veneris hæſit. Net diu Genua in hoc ſtatu perdurauit. Nam cùm Ianus & Octauianus Fulgoſij proximè Genua pulſi, ambo mira cupiditate patriæ ſuæ principatũ ambientes, poſt cladem Nauarienſem, ad Neapolis Prorege, qui nondum ex Parmenſi agro cũ exercitu diſceſſerat, confugiſſent, ipſe hac cõditione pro Octauiano, pro quo etiã Leo Pontifex, qui recèns Iulio ſucceſſerat,

Genuæ nouũ motus per factionis excitati.

Antoniottus Adurnius vrbis Præfectus.

vehementer instabat, tria peditum millia concessit, vt, quum primùm Genuam veniisset, citra aliquam moram vel impedimentum, octoginta aureorum nummûm millia sibi numerarentur. Qua cautione præstita, ipse cum reliquo suo exercitu Clastidium concessit. Octauianus hoc subsidio auctus, & subnixus, re-ctà cum Piscario Genuam contendit: de quorum aduentu Adurnij fratres certiores facti, cùm nullas vires, vel armatorum manum, quam aduentanti Octauiano obijcerent, haberent, vrbe excesserunt, ita vt Octauianus, nullo prohibente, eam ingressus, statim auctoritate Piscarij, omnium suffragatione & votis Dux ciuitatis crearetur, non sine me herculè magno & inaudito miræ conuersionis exemplo, quòd vna scilicet ciuitas, vno eodemque anno, qui, vt dictum est, fuit eiusdem sæculi tertius decimus, mira cum inconstantia, tam sæpè Dominos mutauerit. Nam Gallos, Ianum Fulgosium, Adurnios, & hunc Octauianum rerum gubernaculis idem annus admotos habuit. In hoc nouo & recenti vrbis statu, licet Octauianus omnia summa æquitate & prudentia moderaretur, ac se facilem & bonum Principem exhiberet, nihilque ab eo fieret, in quo iure à quoquam reprehendi posset; nihilominus cõsueta vrbis infelicitate nouæ calamitates impendebant: quippe Antoniottus, & Hieronymus Adurnij, Octauiani odio & naturali quadam inuidia flagrantes, derelicta vrbe, ad Mediolanensium Principem, apud quem, propter recentem officiorum ipsi Duci, eiusque patri, ab Adurnia familia præstitorum memoriam, plurimùm valebant, confugerant, ac multis precibus eum Principem defatigabant, vt ipso auctore, aliquo militari apparatu, quò vrbem in libertatem, vt ipsi dicebant, assererent, ab eo instruerentur: quod quidem eò faciliùs ab ipso impetratum est, quò altiùs memoria repeteret, se, Adurniorum in primis ope Genuæ imperium recuperasse, multosque annos eo patre potitum, & Fulgosiorum fraude spoliatum fuisse. Proinde cùm Heluetijs, tanquam sociis ea tempestate vteretur, æquum esse duxit, vt Adurnios, quos aduersæ suæ fortunæ comites habuerat, etiam secundæ ac prosperæ socios & participes faceret. Heluetij etiam, à Fulgosijs multis propositis præmiis, & mutuis vtilitatibus ostensis, magis spe præmij, quàm naturali propensione illecti, ipsis adiuuare contendebant. Nam Adurnij magna liberalitate tantundem pecuniæ sese daturos Heluetiis spoponderant, quantum Fulgosius paulò antè Hispanis dedisset. His itaque de causis accensi, Dux copias suas, & Heluetij quattuor peditum millia subsidio mittebant. Verùm, tantum potuêre Proregis Neapolitani regni in Ducem ipsum minæ, tantumque valuit Pontificis mirum in modum Octauiani partibus fauentis apud vtrosque gratia & auctoritas, vt frustratis ipsis Adurniis, illa decreta expeditio nullum locum sortita sit. Paucis pòst mensibus, dum inter Maximilianum, & Venetos, atrocissimum bellum ferueseeret, & in Etruria quoque nouarum dissensionum initia apparerent, Adurnij, atque Flisci, cum tribus montanorum hominum millibus, & fortè occulto Insubriæ Ducis auxilio, Spedia, atque aliis Orientalis oræ locis captis, tanta celeritate & silentio processere, vt ad ciuitatis conspectum aduenissent, priusquam de illorum aduentu quicquam certi nuntiaretur. Et quamuis omnibus viribus & conatibus vrbem tentarent, tamen irritus atque inanis fuit omnis illorum conatus, & temeritatis suæ pœnas ad repentinam & subitam oppidanorum alacritatem in fugam coniecti, dederunt. Sub huius anni finem, Mediolanensis atque Cremonensis ager, cùm antea, commeatu iam deficiente, nisi intra certum præfinitum tempus præsidiarij auxilio subleuarentur, deditionem pacti essent, in Mediolanensium Ducis potestatem venerunt: neque iam aliud quicquam rex Galliæ in Italia, præter Pha-

Octauianus Fulgosius Princeps creatur.

Genuæ propter factiones quater eodem anno Reip. administratio variauit.

rium

riam turrim obtinebat, quam Ligures, sub eiusdem anni finem, cuniculis actis, (quod quidem expugnationis genus olim vsitatissimum, sed multis sæculis intermissum, ipsi Genuenses omniū primi in Italia in vsum reuocasse dicūtur) diruere ac euertere sunt conati, ad quam pontone triginta cubitis longo, & viginti lato, ac trecentorum hominum capaci, totoque, vt tormentorum ictibus resisteret, laneis tomentis munito, accesserunt. quæ res licet à Petro Etrusco, insigni ea tempestate architecto, summa industria esset facta atque inuenta, nihilominus tamen, vt plerumque in huiusmodi machinis vsu venire consueuit, periculo facto, prorsus in irritum cecidit. Exitu eiusdem anni Selymus XI. Turcorum imperator, patre Baiasethe secundo, veneno, & duobus fratribus natu maioribus, ac tribus nepotibus per vim sublatis, Othomānicum imperiū adeptus est, & octo annorum spatio, quo regnauit, præter ceteras prouincias, Ægyptum etiam ac Syriam, cæcto Sultano potentissimo Principe, debellauit, suisque regnis adiecit. Proximo anno, scilicet quarto decimo, cùm Ludouicus, peracto illo gra- 1514.
uissimo bello quod aduersus Henricum septimum Britanniæ regem gessit, pace-
que & affinitate vtrimque coniuncta, denuò rebus domesticis compositis, ad res
Italicas, præcipuè verò Genuensium, animum intendit. Proinde Phariam turrim,
propugnaculum in ipso portus frontispicio & aditu positum, tunc rebus ad victū
necessariis, planè destitutum, miro stratagemate nouo commeatu, rebusque op-
portunis instruxit. Submiserat enim paruas naues, quæ in portum subire fingen-
tes, quasi aduersis vndis & procellis, percussæ, littori appropinquabant, & sic
summa celeritate commeatum isti munimento inferebant: sed postea tanta fuit
insecuta commeatus pænuria, vt, cùm arx illa subsidium, quod difficulter &
ægrè inferebatur, diutius expectare nequiret, arcis Præfectus summa necessitate
adductus, cum Fulgosio transegerit, nisi infra sept. Cal. Sept. auxiliis commea-
tuque iuuaretur, sese arcem cum omnibus bellicis tormentis omnique militari
apparatu ipsi dediturū, ea tamen in primis lege & cautione, vt sibi duo ac viginti
aureorum millia stipendiorum debitorum nomine persoluerentur, ac sibi frau-
di non esset, Massiliam prima quaque data commoditate transfretare. Quæ sanè
transactio licet mutua consensione astipulata foret, ad maiorem tamen securita-
tem obsides vtrimque dati sunt, & ex Gallis quidem tres nobilitate ferè prēcipui:
ex parte verò Reip. Simon Principis frater, Hieronymus Fulgosius, Franciscus
Grimaldus, & Martinus Bottus in arcem transmissi. Rebus itaque hoc pacto in-
tet se constitutis, cùm, elapso termino, frustrà subsidium expectarent, Præfe-
ctus arcem ex mutua conuentione tradidit: quod sanè vti ciuitatem incredibili
gaudio perfudit, sic haud dubiè ipsi Octauiano mirificam apud omnes gratiam
& beneuolentiam comparauit, eoque maiorem, quò ipse Princeps statim vbi ea
recepta est, illam, qua, veluti compede, Galli Genuenses constrictos tenuerant, *Arx Genuæ diruitur.*
dirui ac solo æquari iusserit, nec vnquam omninò quieuerit, donec tandem fun-
ditus excinderetur. Quanquam verò ipse Fulgosius prudentia, & magnitudine
animi, eximiaque in patriam charitate ac reliquis præstantissimis animi dotibus
nulli suæ ætatis principum virorum secundus extiterit, nihilominus tamē in hoc
tam præclaro facinore, quòd videlicet in ciuitate tot partium studiis distracta,
arcis obsidionem tamdiu sustinuerit, ac illam postmodum demolitus fuerit, sci-
psum quodammodò superauit. Hæc siquidem ædificata fuerat à Ludouico XII.
Gallorum rege, loco omnium qui toto orbe terrarum sunt, natura munitissimo. *Eius descriptio.*
Posita enim erat in præcelso promontorio, toto ex silice, quod ab altero cornu
portus in alterum excurrens, subiecto portui, atque vrbi ita imminebat, vt nullus

Selymus Turcorum Cæsar designatur.

esset nauibus, arce prohibente, ad portum atque ad vrbem aditus: maritimaque commercia, quibus omnia Genuensium continentur, planè essent intercluſa. Circumluuntur promontorij radices mari; præter exiguum illud ſpatium, quo promontorium terræ, in pęninſulæ modum, coniungitur: quod ita alta à continenti interſcinditur rupe, vt in eam deſpici, ſine quadam animi perturbatione, capitiſque vertigine vix poſſit. Quare nulla erat loci tam muniti expugnandi ſpes, aut ratio, ſed nec vllus quidem, aut terra, aut mari aditus. Arce capta, illud fuit vnici exempli diuinæ propè virtutis ſpecimen, quòd cùm Fregoſij centum quinquaginta circiter annos, alterno cum Adurnia familia dominatu, potiti rerum Genuæ fuiſſent, quæ res quandam veluti ſpeciem iuris ad Genuæ imperium, genti ſuæ Fregoſiæ conciliare videretur, eámque arcem in manu haberet, qua ſuas, & poſteritatis ſuæ opes perpetua & ſtabili poſſeſſione, in nobiliſſima, ac præpotenti vrbe firmaret; neque deeſſent auctores, ſpecioſis conſiliis vtilia anteferendi, tamen nihilominus in Octauiano fuerit animi celſitudo, & ita patriæ charitatem omnibus rebus prætulerit, vt arcem eueſtigiò dirutam, ſolo æquauerit, & Genuenſium animos memoriæ ſuæ, vt veri patriæ liberatoris, immortali beneficio obſtrinxerit. At regem, illius iactura, ingenti mærore affecit, ſimulque ipſum à Genuæ tunc tentandæ conſilio penitus remouit, adeò vt totus bellicus apparatus, Genuenſi recuperationi deſtinatus, ad Mediolanum inſequenti anno inuadendum conuerſus ac reſeruatus fuerit. Inter hæc, Adurnij, & Fliſci, quorum præcipui erant Hieronymus Adurnius, & Scipio Fliſcus, cum expedita manu quingentorum militum, quibus præerat Ioannes Camillus de Montibus, Neapolitanus, occulta, vt multi exiſtimabant, Inſubriæ Ducis ope adiuti, quinto Cal. Ian. prima luce Genuam per portam Carbonariam ingreſſi, cùm ad publici palatij forum peruenissent, ab Octauiano cum prætoria ſua cohorte, cui Nicolaus Fulgoſius præerat, eis extra ſepta enſe & clypeo indutus occurrit, & ipſe præ ceteris acriter pugnans, tametſi ictu minoris tormenti haud exiguum vulnus in læua accepiſſet, doloris tamen acerbitatem diſſimulans, nunquam pugnam remiſit, donec aduerſarij, intra vnius horæ ſpatium, quinque ac viginti ex eorum numero interfectis, in celerem fugam conijcerentur, ex quibus ipſi tres, quos nominauimus, in hoſtium poteſtatem deuenerunt. Eiuſdem temporis tractu ſeptem Turcicę biremes ſinum Liguſticum iuxta Cornum promontorium haud procul Spedia prædabundæ infeſtarunt, deſcenſioneque in continentem facta, aliquot homines abduxerunt, breuique poſt, in eodem ſinu nauim, mulcis pretioſis mercibus onuſtam, quæ ad Florentinos atque Anglos pertinebat, interceperunt. Preiannes itidem, Gallicæ claſſis præfectus, ex Occiduis partibus redeiens, in ſinu Valentiano nauim Franciſci Catanei prædiuitem atque opulentam occupauit. Et quamuis, eueſtigiò Ligures illum cum aliquot nauibus, triremibus & liburnicis inſequerentur, is tamen fuit ſucceſſus, vt nunquam hoſtem aſſequi potuerint, ſed iuxta Tortoſam duabus triremibus naufragio amiſſis, domum ſeſe cum duplicata clade receperint. Eadem etiã tempeſtate, collegiũ Georgianũ, pro maiori tutela ac ſecuritate Corſicę inſulæ, duas triremes, ac totidem hemiolias inſtruxerat, quæ oct. Cal. Sept. Genuam egreſſæ, cùm fortè in Turcicam triremim, ac myoparonem incidiſſent, commiſſo prœlio, vna ex Liguſticis capta eſt, & cum ea Matthæus Truchus eius trierarchus, ac Stephanus Lercarus altera verò, poſt longam atque acrem dimicationem, Franciſco Fornaro contruncidato, cum duabus biremibus ab imminenti periculo præſeruata eſt.

Laudes Octauiani Fulgoſij.

Adurniorum & Fliſcorum clades.

HIC annus Fabricium, Finarij regulum, ex illuſtri Carettinorum familia oriun-

oriundum, virum summi consilij ac probitatis, magnum Rhodiensis militiæ, vt vocant, Magistrum, cum haud mediocri Genuensium lætitia & voluptate conspexit. Fratrem habuit Carolum Dominicum, qui propter egregias animi dotes à Iulio II. Cardinalium ordini allectus, Romæ hac æstate fatis concessit. His annotare non incommodum erit, hoc anno, Sarmatas sub rege Sigismundo, Constantino Ostrouio duce, Moscos memorabili prælio profligasse, cæsis eorum citer quadraginta millibus ad Borysthenem prope oppidum Smolensko, quod Basilius veteri quodã iure ad Moscouiticũ pertinere ratus, superiore anno aliquot mẽsibus magna pertinacia oppugnatũ ceperat. Contempserat Moscus Polonorũ paucitatẽ, & ideo permiserat, vt, Borysthene põte strato, in vlteriorẽ ripã transirẽt: sed comitata est, vt fit, superbiã Nemesis, siue Adrastiam appellare libeat, vera scelerũ ac perfidię vindex, quæ etiã per idem fermè tempus Iacobum Stuardũ Scotię regẽ, propter violatã fidẽ, pari exitio & calamitate vlta est. Hic enim, spreto & nouo & antiquo pacis fœdere, sub Alexandro Pontifice iampridẽ cum Henrico Britanniæ rege, cuius sororem, Margaritã nomine, in matrimoniũ duxerat, sollemni sacramento percusso, & à Iulio bullatis item tabulis confirmato, in gratiam Ludouici Galliarum regis, contra quem Henricus Britanniæ rex, traiecto mari, ea tempestate atrocissimum bellum gerẽs, Tarouãnam, celeberrimam Morinorum ciuitatem, cum ingenti exercitu obsidebat, indicto ipsi Henrico per fecialem bello, vniuersi regni vires contraxit, omniq́ue nobilitate armata, ad Tuedum fluuium, qui vtriusque imperij limes est, contendit, & mox à Tuedo Humeum, virum nobilem, cum parte exercitus ad populandum Britanniæ fines præmisit. Cuius quidem temeritatis ac perfidiæ, post multas depopulationes atque incendia, contra ius gentium suo amico & consanguineo illata, probè pœnas dedit. Amisit enim, non citra magnum dedecus ac detrimentum, maiorem sui regis exercitus partem. Ceterùm, Iacobus eo infortunio nihil permotus, vt erat excelso animo, spectataq́ue promptitudine, quò detrimentum acceptum maiore commodo atque victoria, vti ipse sperabat, resarciret, omnes copias ad Norbanum oppidum duxit, quo expugnato, ac funditus deleto, populabundus & ferox, ad Berwicum munitissimum oppidum, quod in finibus Scotiæ Henrici præsidiis tenebatur, profectus est. Cui Surreius Comes, Britanniæ procerum longè nobilissimus, quem paulò antè Henricus, ob egregiam fidem atque virtutem, ad incerta belli & tuendos regni fines cum imperio & iusto exercitu in Anglia reliquerat, coactis copiis, cum plerisque aliis proceribus atque nobilissimis viris, ad Iacobũ, cuncta belli clade vastantem, contendit, paratus aut egregiè vincere, aut pulcherrimam mortem oppetere: ac licet natura loci & copiarum amplitudine inferior, cum hoste iuxta montem, quem Floddum incolæ appellant, ad Tylum quarto Idus Septembris aperto marte dimicauit, eo tandem exitu, vt, post varia vtrimq. certamina, & mutuas cædes, tandem victoria, ipso rege, qui omnia magnanimi ducis ac strenuissimi bellatoris munia expleuit, interfecto, & fortissimis quibusque in acie aut contrucidatis, aut captis, à partibus Anglorum staret. In hoc memorabili prælio ad octo millia Scotorum ea die cæsa, ac totidem fermè capta esse dicuntur, omniaq́ue militaria signa relata, & tormenta maiora viginti duo, in quibus fuêre colubrinæ septem ingentis magnitudinis, quas Iacobus à similitudine, septem sorores appellabat. Hanc Iacobi regis cladem, tam funesto suo exitu memorabilem, haud obscura futuræ calamitatis prodigia antecesserunt, quæ ab eo diligenter obseruata, licet plerisque vana & fortuita viderentur, animum eius religione simul ac terrore percelluerunt. Ipso enim cũ Ducibus de prœlij ineundi

Insignis Moscouitarum clades.

Bellum inter Scotos & Anglos.

Anglorum victoria.

Scotiæ rex interficitur.

Scotorum eladem prodigia præcesserunt.

ratione disputante, ac varia, vti fit in tam grauibus ac seriis deliberationibus, proponente, super quibus vniuscuiusque iudicium ac sententiam requirebat, le- pus è prætorio prosiliit, ac mille petitus telis, per mediam stationem, non sine magna omnium admiratione ac stupore, intactus euasit. Quin & mures ea no- cte lorum, galeam, fibulamque corroserant, & vela interioris tabernaculi sub au- roram sanguineo rore conspersa fuisse dicuntur. Porrò à plerisque, repetita supe- riorum regum memoria, obseruatum atque annotatum fuit, Iacobum infeli- potius Stuardæ familiæ fato, quàm suo cecidisse, quòd pater, auus & proauus eodem potiti regno, atque idem sortiti nomen, ante diem ferro perempti, mor- tem oppetiissent. Quod me herculè, vt facilius credam, efficit, dum memoria re- peto, qua fortuna illorum posteri hactenus vsi sint. Neminem enim latet, quàm infelici ac planè tragico exitu postremus rex Henricus Stuardus, suorum fraudi- bus circũuentus, de medio, in ipso ætatis flore, sublatus sit, dignus medius fidius propter excellentes & verè heroicos eius animi motus, ac ceteras eximias animi corporisq. dotes, quibus haud dubiè præstantissimos quosq. reges adæquabat, meliori fortuna, & longiori vita. Nec sanè feliciorem exitum paucis pòst annis expertus est illustrissimus eius pater Matthæus Stuardus, Leuiniæ comes; qui, assentiente sereniſſima Angliæ regina, de cõmuni Procerũ consensu regni Scotiæ præfecturam adeptus, violenta & execrabili parricidialium nece interiit, sicuti paulò ante ipsius tempora, in eandem fati acerbitatem inciderat Iacobus Stua- dus, Morauiæ Comes, eius regni Procurator, quo sanè Scotia vix vnquam ino- mni virtutum genere, ac præsertim rei bellicæ gloria, insigniorem atque præstan- tiorem habuit. Libet autem hic paucula quædam de ipso Leuiniæ Comite ad ma- iorem historiæ cognitionem subnectere. Ioãnes Stuardus Leuiniæ Comes, cùm ab Hamiltoniis fuisset occisus, Matthæus eius filius admodum puer, in Galliam missus, apud magnum patruum Robertum, Albiniæ Dominum, complures an- nos fuit, donec post Iacobi V. Scotiæ regis mortem, turbatis in Scotia rebus, do- mum fuit per Franciscum Galliarum regem remissus, eorum suasu, qui suas vtili- tates imminui, pacemque inter Anglos & Scotos factam dolebant. Is ergò, cùm Iacobus Hamiltonius ex inimica familia summum magistratum inuasisset, re- sus est maximè idoneus, qui factionis aduersæ vires frangeret. Statim itaque re- domum venit, reginas, matrem, & filiam, in libertatem restituit, atque ita clienti- bus & amicis se munierat, vt inimicis esset formidabilis. Igitur Hamiltonius reginæ matri conciliatus, opera maximè Dauidis Betonis Cardinalis, ad eam Sterlinum venit. Hi, ex communi consensu, ad Francum scribunt, Matthæum vnum in mora esse, quo minus pax in Scotia esset, eum si reuocaret, se curaturos, vt fœdus factum cum Anglis, solueretur, & Scotia in fide Gallorum esset. Mat- thæus per literas à Franco reuocatus, à regina proditus, ab inimicis circumuẽtus, videbat, si recederet, amicos & clientes in potestate inimicorum se relinquere, eamque expeditionem ipsi infamem, amicis calamitosam fore. Quocirca dese- tus à Franco, ad Henricum Angliæ regem se contulit, à quo liberaliter acceptus, multisque prædiis donatus, accepit vxorem, Margaritam Duglasiam, quæ ex Margarita Henrici sorore nata erat, & multorum in Scotia prædiorum hæres. Ab eo tempore Matthæus in Anglia fuit, exque præfato coniugio liberos habuit, quorum prior Henricus nomine, cùm ferè iam vigesimum annum attigisset, multisque animi, & corporis dotibus præfulgeret, in Scotiam accersitus est, ibique ex procerum consensu, Mariam Stuardam, Scotiæ reginam, tunc temporis pu- duam, & adhuc florenti ætate, formaque conspicua, in matrimonium accepit; qua

Scotiæ regum infelix obitus.

qua cum aliquamdiu amanter vixit. Ceterùm, haud multò pòst, cùm omnis vtriusque amor in odium verteretur, factum est, vt Henrico vita, & reginæ regnũ adimeretur, atq. illud statim ad maximas conuersiones deueniret. Huius fatalis calamitatis in hac regia familia originẽ & causas penetrare, ac exponere, vti longè à meo instituto alienum, ita etiam supra captum ingenioli mei esse, haud sanè inficior. Sed tantummodò in his admirandis rebus, diuini Numinis prouidentiam & arcana consilia tacitus suspicio atque contemplor. Faxit verò clementissimus Deus pro sua immensa atque ineffabili bonitate, vt qui modò in auitam paternamque ditionem, ceu verus ac legitimus hæres, meritò successit, diutissimè ac felicissimè ad sui gloriam, & cum mutua vtriusque regni satisfactione præsit, ac dominetur. Quod sanè vt futurum credam atque confidam, facit ipsius heroica & generosissima indoles, quæ passim ab omnibus mirificè prædicatur; nec non optimarum artium studia, quibus teneram ætatem ac iuuenile pectus subinde instruit, ac exornat.

LIBER XIX.

PRIMVS subsequentis anni, scilicet, decimi quinti dies, Ludouici Galliæ regis interitu clarus atque illustris extitit. Fuit proculdubiò Ludouicus, si eius heroicam naturam ad trutinam deuocare velimus, nulli regum Galliæ virtute bellica, grauitate iudicij, aliarumque rerum gerendarum cognitione & dexteritate inferior. Tametsi enim persæpè fortuna inconstanti, si eius retroactæ vitæ cursum examinemus, vsus fuerit; nihilominus tamen planè clarum & conspicuum est, ipsum vtriusque fortunæ statum, ac temporum incidentium conditiones, magnanimitate ac fortissimi pectoris constantia egregiè pertulisse, adeò vt vel hoc solo nomine immortalem sibi gloriam apud posteritatem pepererit, & maiorum suorum laudem, licet multò maximam, vel obscurauerit, vel certè prorsus æquauerit. Nec defuit illi rerum politicarum cognitio, non solùm ex vsu, verùm etiam ex penitissimis literarum monumentis petita, quibus, postremis annis ita delectabatur, vt, quamuis eas in prima ætate, qua militari disciplinæ fuerat addictior, neglexisset, vel saltem remissiori cura tractasset, viros liberalibus disciplinis, & multarum scientiarum peritia claros, liberaliter foouerit, & per omnes honoris gradus ad summum dignitatis vsque fastigium euexerit: quorum in numero Actius Sincerus Sannazarius eximium Neapolitanæ nobilitatis ornamentum, instar omnium esse potest. Hic cum Friderico Aragonio antea familiarissimè vixerat, & propter singularem doctrinam ac eloquentiam summo in pretio apud eum habitus fuerat, quem posteà exulantem, Ludouicus singulari humanitate ac beneficentia fouit, tantoque studio prosecutus est, vt Ferdinando, qui deinde Friderico succesit, auctor fuerit, vt eum auitis bonis reponeret. Gulielmus etiam Budæus, vnicum sui temporis totius Galliæ absolutæ eruditionis exemplar, ac quasi, vt verum fateamur, vnicus totius literaturæ in ipsa Europa phœnix, & quem Erasmus, Bembus, aliiq. eius æquales, benignum sidus Gallicæ literaturæ exortum vocant, tanto in honore & existimatione apud hunc regem fuit, vt complures, de Principum beneuolentia non desperãtes, multum operæ & laboris posuerint, quò nominis existimationem ab eruditione propagarent. Nec minor ei certè laus à singulari humanitate & hospitalitate in exteros de-

1515. Ludouici regis obitus & natura.

ros debetur, quòd non solùm eos, ad se confugientes, non excluſit; verùm, tam etsi antea inimiciſſimos, omni beneficentiæ atque ſtudij genere proſecutus ſit, & quàm diutiſſimè fouit; inter quos fuit, vt alios omittam, Ioannes Ludouicus Fliſcus, qui in tam continua Reipub. ſuæ conuerſione regis auxilium implorans coactus, quamuis antea Regis partibus in Repub. non ſemel aduerſatus fuiſſet, tamen beneuolum atque benignum regem expertus eſt, adeò vt ſumma quadam liberalitate eum in ſupremi equeſtris ordinis collegium tranſcripſerit & coopta-rit. Verùm, hæ tantæ Principis virtutes, vitiis non leuibus, ceu in pulchro corpore nævis, aſperſæ fuerunt. Nam ita erat pecuniæ tenax, atque auarus, vt multarum expeditionum curſus interruptus, nec mediocrium victoriarum felicitas, pecu-niæ ſtudio intercepta & retardata fuerit, quo nomine ita paſſim malè audiebat, vt multi ſint qui aſſerant, ipſum, dum pecuniæ iacturam timet, Neapoli & Mediolano excidiſſe. Sunt etiam qui ſales eius magis ad ſcurrilitatem, quàm ad candorem & leporem transferant, cùm tamen, ſalua omnium venia, ipſe hac in parte extra reprehenſionem iure poni debeat. Quandoquidem ſermones & quotidianus eius congreſſus ita fuêre candidis ſalibus, & feſtiuiſſimis dicteriis conditi, vt admirari ſubeat, vtrum magis ingenij promptitudine, verborumq. elegantia, quàm animi candore præſtiterit. De reliquis eius actionibus, rebuſque domi foriſque geſtis, ac planè de eius mortis genere, non eſt quòd me hac in parte ſcribendo fatigem, cùm tota eius vita à clariſſimis & luculentiſſimis ſcriptoribus non ſemel literis ſit comprehenſa. Ceterùm huic defuncto, ſuffectus fuit, de communi omnium procerum Galliæ conſenſu atque voluntate, Franciſcus Valeſius, illi inter regiæ ſtirpis mares cognatione proximus, & affinitate præterea coniunctiſſimus, quippè qui eum paucis annis ante vitæ ſuæ obitum, elocata illi filia, generum delegerat. Hic, licèt eſſet in primo iuuentutis limine, vtpotè nondum vigeſimum ſecundum annum egreſſus, nihilominus tamen tanti regni moles eò fidentiùs ei eum collata eſt, quò omnibus certò conſtaret, ipſum eſſe heroica natura, ac præclaris excelſi & fortis animi dotibus atque virtutibus inſignem, de cuius ingenio & magnanimitate nihil non, niſi quod regno, ſibique fauſtum atque felix eſſet, ominari poterant vel polliceri. Hic igitur, vt primùm regni adminiſtrationem adiit, & pro rege ſollemni more inauguratus eſt, nihil prius habuit, quàm vt, antiquatis & ſublatis multarum diſſenſionum cauſis, regnum Galliæ ita domi pacatum, & legum moderatione conſtabilitum redderet, vt foris bellum à maioribus ſuis magna cum gloria geſtum, & recèns à Ludouico prædeceſſore inchoatum, ſed propter inſecutam mortem imperfectum, omni contentione ſuſciperet, ac etiã ex dignitate exequeretur. Valdè enim, cùm eſſet generoſi & excellétis animi, ipſum torquebat, Mediolanenſem Principatũ armis nondum eſſe receptum, & ab auito imperio, cui anteà non ſemel paruerat, eſſe auulſum. Proinde, vt commodiùs hanc expeditionem proſequeretur, magna cum prudentia, potentiſſimos quoſque Chriſtiani orbis Principes ſibi pacandos, aut fœdere deuinciendos eſſe ſtatuit; inter quos citra aliquam controuerſiam præcipuus erat Carolus v. Maximiliani Cæſaris nepos, qui recèns vt magnarum & ampliſſimarũ gentium paternam ſucceſſionem ac hæreditatem adiuerat, ſic ſanè Cæſarum gloriam rerum geſtarum magnitudine æquaturus omnium iudicio cenſebatur. Cum hoc igitur ſancta & ſacra fœderis iura ſumma cum religione conſtituit. Pari modo cum rege Britanniæ ac Venetis amicitiã iniit. Quibus omnibus conſtitutis, cùm nihil iam ſupereſſe videretur quod præclariſſimas ſuas cogitationes & animo deſtinatam victoriam remorari poſſet, Carolo Burbonio magiſtro equitum re-

Franciſcus Valeſius Ludouico XII. ſuccedit.

nuntia-

nuntiato, Lugdunum magna cum festinatione contendit, fama commotus, quæ Heluetios in Aquitanorum, præcipuè Delphinatium fines, crebras excursiones feciſſe, ac etiamnum facere diuulgauerat. Ad Mediolanensem expeditionem Lucũ, ipso repentina morte præuento, nihil omninò agi potuisset, per statiua in agro Lugdunensi ita erat partitus, vt facilè in vnum corpus coalescere posset. Huius ergo exercitus viribus rex ipse subnixus, multò fidentiùs hanc expeditionem susdouicus paulò ante suum obitum sic satis magnum exercitum conscripserat: sed beri iubebat. Magna interea tẽporis Maximilianus Sfortia, Insubrum Princeps, animi torquebatur molestia, quòd videret se vnum præ ceteris Gallicæ potentiæ expositum, instar omnium à nouo rege peti, ac in se omnem vim conuerti. Et licet non semel anteà auctoritate & auxiliis Maximiliani Cæsaris, & Leonis x. Pontificis, quibus cum fœdere iunctus erat, procellas & turbines repulisset, attamen ab hoc nouo rege haud parum sibi metuens, angebatur animi, nec modum vel rationem inueniebat vllam, qua sese aduersus tam præpotentis hostis vim atque impetum commodè tueretur, præsertim quòd nullum sufficiens remedium ad regi inuadendi Mediolani cupido, tam citò, vt requirebatur, opponendum, præ manibus haberet. Superstes adhuc erat Leo Pontifex, Iulij successor, in cuius potentia plurimum semper spei habuerat, & etiamnum reponebat. Oratore ita- *Maximilianus Sforcia Pont. opem implorat.*
que ad illum misso, sic satis difficulter impetrauit, vt tandem minimè exiguam Heluetiorum manum ipsius Pontificis ære atque auctoritate conscriptam, Prospero Columna duce, viro, præter generis claritudinem, militari scientia insigni, cum quingentis equitibus auxiliaribus haberet. Quibus fretus, cùm haud pauuæ conscriptæ cohortes, omnibus rebus necessariis instructæ aduenerant, & sese reliquo exercitui coniunxerant, ita vt in huius expeditionis vsum, validum planè exercitum, cuius ipse supremus dux & imperator esse constituerat, promptum atque iam paratum haberet. Nolebat siquidem Rex aliquo modo committere, quin pro maiorum suorum vetere instituto, regni sui primordia ab aliquo egregio & memorabili facinore auspicaretur. Huius belli successus, vt nihil aliud breuitatis causa dicam, cùm diffusè à multis claris scriptoribus tradatur, is tandem fuit exitus, vt Heluetiis (quorum circiter quadraginta millia fuisse dicuntur) partes Sfortię secutis, & pro eo strenuè ac fortiter prœliantibus, ad Marinianũ tertio à *Francisci regis aduersus Sfortiam victoria.*
Mediolano lapide fusis, & ad internecionem profligatis, Rex clarissimam, sed tamen non incruentam, ex hoste victoriam retulerit. Quo sanè in prœlio rex ipse omnia præstantissimi ducis, ac strenuissimi bellatoris munera, non sine incredibili suorum omnium admiratione & lætitia, expleuit. Hac victoria vt supra modum fuit lætatus & nobilitatus Gallus, ita sanè non minùs fuit consternatus, & animo fractus Sfortia, qui, omni spe cùm reparandi exercitus, tum retinendi dominij, amissa, relicta vrbe Mediolanensi, in arcem sese subduxit. At Insubres suo Principe, communique præsidio destituti, de sua salute mirificè anxij, vnicam vitæ spem, & fortunarum suarum subsidium in regis victoris clementia reposuê- *Mediolanum vnà cum arce à Gallis receptum.*
re. Proinde depositis armis, & omni defensionis consilio abiecto, obuiam regi supplices iuêre, ac deditionem vnanimi consensu fecerunt. Quos quidem ipse in fidem & clientelam, non exigua tamen pecunia multatos, recepit. Mox arx munitissima, in quam se Sfortia abdiderat, regis iussu citra intermissionem auspiciis Petri Nauarri, viri militaris scientiæ & gloriæ ea tempestate celeberrimi, oppugnari cœpta. Sfortia tandem, post acrem & strenuam defensionem, rebus suis

despe-

desperans, & ad vltimam necessitatem compulsus, legatos ad regem misit, qui sub certis, honestis & legitimis conditionibus & pactis, scripto comprehensis, deditionem pollicerentur. Rex nullas conditiones admittere voluit. Sed missoad eum in arcem Pratiano, scrinij sui Præfecto, alias conditiones, multò à primis istis propositis diuersas, describi iussit, quæ etiam tabulis publicis comprehensæ fuerunt, ac earum rationem nō secus ac legum & decretorum publicorum summa cum reuerentia haberi voluit. Quarum præcipua capita, hæc fermè erant.

Conditiones Sfortiæ à Gallo præscriptæ.

Maximilianus Sfortia Mediolanensem & Cremonensem arcem statim Galliæ regi tradito:

Omnibus eius imperij iuribus eidem cedito.

Rex Duci certam pecuniæ summam, qua æs alienum dissoluat, repræsentato.

In Galliam, vbi ei Rex singulis annis triginta aureorum nummûm millia penderet, vel eum pari conditione Cardinalem fieri curaret, profecturo.

Rex Galeacio Vicecomiti, & nonnullis aliis Insubriæ nobilibus viris, qui multum pro Maximiliano contenderant, ignoscito.

Sex aureorum millia Heluetiis, qui in arce erant, dato.

Ioanni Gonzagæ bona, in Insubria ei à Duce donata, rata habeto, eique certam pensionem assignato.

Morono pariter, & propria, & à Principe tradita bona, & in Reipub. munera, quæ habet, permittito, eumque supplicum libellorum in regia magistrum facito. His transactionis tabulis, regis iussu, per Pratianum descriptis, ac Maximiliano duci, (cui, propter paternum nomen, cognomentum Mauri fuit inditum,) oblatis, ipse nullum veræ commotionis, vel indignationis specimē edidit: sed magna cum vultus animique constantia, arce egressus, se, vno eodemque tempore, Heluetiorum seruitute, Cæsaris dilaceratione, & Hispanorum fraudibus liberatum asserens, salibus atq. dicteriis præsentis fortunæ suæ statum solatus, in Galliam contendit; admirantibus plerisque, quòd ipse temporis, fortunæq. suæ iniquitatem tam forti & patienti animo ferret, cùm alioquin in plerisque suis actionibus, impotentis esset animi, ac planè socordis & torpidi ingenij, ita vt *multis* vel hoc solo nomine indignus Principatu videretur. Nihilominus tamen ad regem postea profectus, tanto honore & beneuolentia ab illo, suapte natura planè heroica, & magnanimitate admirabili, exceptus est, vt omnia hospitalitatis & humanitatis iura ipsi assiduè exhibuerit, adeò vt ipse Maximilianus, pristini dominij sui fermè oblitus, hanc præsentem suam apud regem cōditionem, non solùm citra aliquam molestiam tulerit, verùm etiam præterita potiorem, vel saltem omninò æqualem duxerit. Hoc quidem, vel ex eo facillimè intelligi potest, quòd non semel in eius fuerit potestate, absque regis aliqua offensione ad suos redire. Sed Principis tanta fuit singularis humanitas, ac beneficentia, vt noluerit. In præcedēti libro demonstrauimus, Octauianum Fulgosium, beneficio Proregis Neapolitani Genuæ supremum Magistratum assecutum fuisse, qui cùm de nouis regis Galliæ expeditione & bellico apparatu intellexisset, sibi & toti Ligusticæ ditioni haud parum metuens, cùm Sfortiæ Ducis, ac Heluetiorum, aliorumque confœderatorum fidem & propensionis cōstantiam mirificè haberet suspectam, operæpretium se facturum existimabat, si tanti victoris regis gratiam sibi modis omnibus conciliaret ac promereretur, graui certè & præmaturo iudicio, cùm neminem latêret, agrum Genuensem, vt Mediolano proximum, ita pari iniuriæ patêre, & tam potentis victoris viribus, ceu irritamentum quoddam, relinqui. Quocirca, per Carolum Borbonium, regi consanguinitate coniunctissimum,

Maximiliani Sfortiæ constantia.

simum, & gratia & dignitate, eo quidem tempore, apud eum florentem, clam egit, vt in gratiam ab ipso rege reciperetur, licet Pontifici, identidem hoc suspicanti, & iam non obscurè olfacienti, contrarium asseueraret. Rex Borbonij auctoritate commotus & precibus inflexus, Fulgosium, valdè indignante, & grauiter expostulante Pontifice, in gratiam & amicitiam his ferè subsequentibus conditionibus recepit: quas, quoniam tabulis consignatæ, posteritati traditæ sunt, ijsdem verbis quibus conceptæ fuerunt, hic adiecti & subscripsi. *Quibus conditionibus Genua se Gallo permiserit.*

Regi Genuæ imperium vnà cum Castelleto restituito.

Octauianus, Ducis nomine deposito, perpetuus pro rege, Genuæ magistratuum ac munerum concedendorum cum potestate esto.

Ab rege centum cataphractis præficitor.

Diui Michaëlis equestri ordine, ac, quoad vixerit, annuo stipendio donator.

Rex Codifensem arcem Genuensibus valdè odiosam, ne instaurato, eique ciuitati omnes leges & priuilegia, quæ ab Ludouico rege sublata & combusta fuerant, restituito.

Federico Salernitano Archiepiscopo, Octauiani fratri, certa è sacerdotiis vectigalia, certásue pensiones assignato. Et Octauiano, siquando contingeret vt Genua pelleretur, nonnulla castella in Prouincia dato.

Scio equidem non paucos extitisse, ac etiamnum extare, qui Octauiani consilium & animi demissionem hac in parte non parum improbent, ac palàm criminentur, quasi aliquid se indignum commiserit, & fidem Pontifici datam, cui plurimum, propter beneficiorum acceptorum memoriam, debebat, non parum violauerit, quòd nempè illo inscio & inconsulto, his conditionibus libens subscripserit; sed æquo & candido rerum æstimatori hoc mihùs mirum videbitur, si secum reputauerit, temporis conditioni quandoque esse inseruiendum, & non parum fortunæ ipsi tribuendum. Siquidem in confesso est, Octauianum legitimas & expeditas consilij sui rationes non solummodò conciuibus suis, sed etiam aduersáriis cum summa omnium satisfactione reddidisse. Paucis diebus à mutua transactione interpositis, ipsemet Fulgosius, honoris ergô, regisq. inuisendi gratia, Mediolanum profectus est, & Senatus decreto, ad eundem Nicolaus Odericus, vir eloquentia & Pontificij ac Cæsariani iuris peritia clarus, Ioannes Auria, equestris ordinis ac dignitatis, Melchior Nigronus, Anfreon Vsusmarius, Stephanus Iustinianus, Baptista Lomellinus, Augustinus Ferrarius, & Augustinus Magiolus, Oratores ablegati, qui post reuerentiam & gratulationem illi publico nomine exhibitam, Reipub. imperium atque dominium traderent. Vix autem Octauianus domũ redierat, cùm eius potissimùm opera & auctoritate effectum est, vt Respub. octoginta nummûm aureorum millia ipsi Regi in præsenti ac expedita pecunia commodauerit, cuius quidem pars ex publico ærario deprompta fuit: pars verò à priuatis ciuibus mutuata, eo sanè euentu, vt Genuenses Gallorum fidem, hac quidem in parte, plurimum desiderarint. Constat enim, ex hac pecuniarum summa, adhuc ab ipsis circiter septem ac viginti aureorum millia Reipub. deberi. Quæ verò ad priuatos spectabat, ea sanè ægrè admodum ac difficulter, nec sine longissimo temporis interuallo extorqueri potuit. Cùm verò pecuniæ, bellorum nerui pacisq. subsidia meritò esse dicantur, quantum incommodi in vniuersum allatum sit, quiuis humanarum rerum peritus, facilè per se conijciet. Paucorum mensium interiectu, Leo Pontifex maximo purpuratorum & illustrium virorum comitatu Florentiam profectus, indeque Apenninum gelidissimo anni tempore trãsgressus, sexto Idus Decembreis Bononiam venit, quò

Genuens. legatio ad Gallianũ regem.

Leonis Pont. & Francisci Gall. regis Bononiæ mutuus congressus.

ibi, prout antea simul per suos oratores conuenerant, Franciscum Galliarum regem exciperet, simulque de grauissimis rebus, ac de mutuo fœdere ineundo, coràm decernerent. Rex igitur, Mediolano cum sex millibus equitum digressus, Bononiam biduò pòst, ingressus est, ibique sex dierum spatio, constitutis inter se belli & pacis conditionibus, Mediolanum remigrauit. Proximo anno Ferdinandus Aragonius cum diuturno morbo conflictatus, ac iam annum quintum & sexagesimum excedens, Cal. Februarij, dum Hispalim peteret, Madrigaletij agri Toletani obscurissimo vico, haud longè à Guadalupeo Mariæ Virginis templo, quod summa religione illis in partibus celebratur, exactis in suo regno quadraginta duobus annis, fato concessit: Rex certè præstantissimo consilio & virtute, in quo, si modò promissis seruandis fidei constantiam præstitisset, cetera clarus, pauca in eo desiderasses: sed Principum amicitiam semper suis priuatis commodis metiebatur. Huius regis singulari virtuti accessit eximia perpetuaque totius vitæ (si vnici filij obitum excipias) felicitas: quoniam feminarum & generi casus, vt ad mortem vsque potentiam suam retinuerit, in causa fuerunt, & Castellæ regno post coniugis mortem cedendi necessitas, potiùs fortunæ ludus, quã vulnus fuit: in reliquis rebus omnibus fortunatissimus. Cùm secundus Aragoniæ regis filius, maiore fratre defuncto, illud regnum est adeptus, matrimonio cum Isabella contracto, ad Castellæ regnum peruenit: aduersarios eiusdem regni competitores cum victoria expulit: deinde Illiberis, seu Granatæ regnum, quo religionis nostræ hostes paulò minùs octingentis annis potiti erant, recuperauit. Neapolitanum, Nauarræ, Oraniquè regna cum multis locis in Africæ littoribus opportunis, nouumque & inauditum terrarum orbem, immenso ac insuperabili Oceano mira felicitate perdomito, auitis regnis adiecit: omnesque suas cupiditates propè honesti religionis studij & sanctæ ad commune bonum promouendum mentis colore velauit: qua in re fortuna cum industria manifestè coniuncta, apparuit. Pluribus antè mensibus quàm obiret, Carolum, Ioanna filia, ac Philippo rege genitum, eundemque Maximiliani Cæsaris nepotem, qui postea tot amplissima auorum imperia in vnum contulit, & Cęsaris nomen adeptus est, tabellis testamentariis hæredem reliquit, clausa Aragoniorum regum stirpe, quæ à Berengariis Barchinonæ Comitibus prognata, in Hispania annos trecentos septuaginta, in Sicilia ducentos triginta regnarat. Cometa multorum dierum incendio mortem ei portendit. Ijsdem quoque diebus, paulò antequam Rex excederet, Consaluus Ferdinandus, qui solus inter ætatis nostræ imperatores, Magni cognomentum egregia virtute promeruit, supremum diem clausit, extra aulam, nec satis æquo in regem animo: sed tamen rex, ob eius virtutis memoriam, ei à se, & vniuerso regno, honores in Hispania, nisi defunctis regibus fieri consueros, exhiberi voluit. Huius vitam P. Iouius luculenter descripsit: eiusque res gestæ passim apud varios auctores leguntur. Idem annus, Campsonem Gaurium, Ægypti Assyriæque regem potentissimum, quem vulgò Sultanum vocabant, à Selymo Turcarum rege ad Syngam flumen in acie deuictum conspexit. At Genuæ, licet interea, sub Francisci Gallici regis dominatu, & Octauiani Fulgosij administratione, omnia satis pacatè gererentur; nihilominus tamen sinus Ligusticus à Cortogolo, Mahometico, insigni ea tempestate pirata, mirũ in modum diuexabatur. Is enim cum viginti nauigiorum classe, duodeuiginti nauigia, quæ paulò antè multo commeatu reque frumentaria onusta, ex Sicilia soluerãt, cum maximo Reip. incommodo ac detrimento intercepit, & subinde variis excursionibus mare vndique infestum reddebat. Proinde Fulgosius, ad illius conatus in-

1516. Mors Ferdinandi Aragonij, & fortuna.

Selymi aduersus Sultanum victoria.

Ora Ligustica à piratis diuexatur.

tus inhibendum, simulque ad eam cladem resarciendam & vindicandam, consentientibus Patribus, cuestigiò classem instrui ac præparari iussit, cui Fridericus, ipsius Octauiani frater, Salernitanus Antistes, vir magni consilij ac virtutis, cum imperio præpositus fuit. In hac, præter cetera minora nauigia, inerant nouendecim triremes, tres phaseli, seu celoces, ac duæ liburnicæ, quæ partim ad ipsos Genuenses, partim etiam ad Gallos pertinebant; necnon duæ pontificiæ, à Leone Pont. suppeditatæ, qui etiam pro ea expeditione faciliùs promouenda, ipsi Reip. decumam, quæ à clero in Ligustica ditione in vsum eius belli exigeretur, concessit. Itaque Fulgosius, postquam sacris operatus esset, omniaque ritè disposuisset, classe, in quam, vltra remiges ac nauticos socios, amplius mille armati lectissimæ iuuentutis conscenderant, Pontificiis vexillis atque insignibus erectis, ac secundis ventis educta, primò per Corsicam, & Sardiniam, in Africam præuecta, hostilem classem, quæ circiter quindecim biremium & aliquot rostratarũ numerum æquabat, fermè omni præsidio nudatã in Bisertino flumine adinuenit, eaq. facili negotio potitus est, & captiuos Christianos in libertatẽ asseruit. moxq. Bisserti suburbana ædificia diripuit atque incendit. Adiacet Bisserta piscosi stagni faucibus, per quas subiectum mare statis suis æstibus irrumpit, & infusum aquæ dulci sensim exsorbetur atque emittitur, efficitque portum lato alueo, vel magnis nauibus commodum, ab Vtica triginta ferè passuum millibus distantem, ab antiquis à circumfluente lacu, qui olim Tritonius fuit, Hippodiaritos appellata. Nauarchus, Cortogoli nauigia protinus extra amnem abducere, aut saltem incendere decreuerat. Sed milites, prædæ cupiditate allecti, pulcherrimam occasionem expugnandi oppidi neglexêre, quod proculdubiò facilè consecuti essent, si, vti debebant, sua castra ex altera fluminis parte collocassent. Interim maxima multitudo Maurorum ad eius loci defensionem superuenit, simulque ingens turbo exortus, tanto me herclè impetu & rapiditate, vt duo nauigia ex nostris, in ipso maris æstu amnem ingressa, naufragio, saluis tamen & incolumibus qui eis deuehebantur, perierint, adeò vt Fulgosius ventorum sæuitia & tempestate classem illinc subducere cogeretur, & nauigatione Tunetum versus directa, in arcem Guletanam, (hæc autem est turris quædam quadrata admirandæ crassitudinis, altitudinis autem duarum contignationum, ambitu interiori complectens passus quadraginta, exteriori verò & in frontispicio circiter quinquaginta. intus est cisterna quædam insignis, quæ totius ædificij aquas pluuias excipit. sunt & fornices quidam concamerati, in modum promptuariorum, penui & annonæ conseruandæ) vi ingressus est, & triremim Ligusticam prius, à Turcis in Corso promontorio captam, recepit, indeque ad insulam Meningem circumuectus, ibi pleraſque biremes igne iniecto concremauit. Quibus rebus peractis, Genuam cum aliqua præda, triumque hostilium nauigiorum incremento classem incolumem reduxit. Ceterùm Cortogolus, vbi summa celeritate sua nauigia refecisset, nulla mora interposita, in partes Orientales adnauigauit. Rebus domi foriſque ita sese habentibus, Romæ anno eiusdem æui decimo septimo, Alfonsi Petrucij Cardinalis sceleſtum facinus insano animo meditantis consilia deteguntur, qui Leonem Pontificem è medio tollere omnibus artibus ac studiis annitebatur. sed cõiuratione detecta, ipse, in exteriore Leonis cubiculo capitur, atque in arcem deducitur. Comprehenditur & cum eo Bendinelus Saulius, à Iulio secundo sacræ purpuræ honore decoratus, qui Alfonsum pecunia iuuerat, & cum eo de Vercellij circumforanei chirurgi admirandis quibusdam experimentis clari, cum quo Alfonsus super nece Pontificis communicarat, deq. futuris comitiis ambitiosiùs

Genuæ classis contra piratas instruitur.

Bisertæ descriptio.

Classis Ligustica tempestate iactatur.

Guletæ arcis descriptio.

1517.

Coniuratio Petruciana in Leonem Pont. detecta.

quàm par esset, consociata voluntate fuerat collocutus. Causa suscepti odij, ea quidem potissima & præcipua esse narratur, quòd scilicet, in petitione Massiliensis sacerdotij, Iulium Medicem Cardinalem, summa tum maximis in rebus auctoritate florentem, indignè, vt censebat, sibi prætulisset, ita vt postmodum hæc iniuria tam altas radices egisset, vt semper illius animo insederit. Ambo itaque damnati, exutique purpurei galeri dignitate, in subterraneos carceres tenebris ac odore tetro maximè horribiles separatim detruduntur. De Vercellio autem, ac Antonio scriba acerbissimè supplicium sumptum, adeò vt curru per vrbem circumducti, carptimque discerpti, candentium forcipum morsibus, ac ad extremum strangulati, in frusta secarentur. Senatus, intellecto, Saulium à Leone, Petrucciænæ coniurationis causa, in vincula coniectum, operæ pretium se facturum existimauit, si ad mitigandam hominis fortunam, ad eum, Thomam Cataneum, virũ singulari virtute præstantem, ablegaret. Is igitur Romam profectus, tametsi omnia diligentis, ac prouidi oratoris munia expleret, atque ad summam fidé anxiam quandam diligentiam adhiberet; tamen hic fuit eius legationis successus, vt, absumptis Romæ nequicquam multis diebus, tandem, non citra magnum animi dolorem atque tædium, infecto negotio, domum redierit. Post quæ, Saulij fratres, ac propinquorũ intimi, fraterna charitate beneuolentiaq. impulsi, Leonem adierunt, atque ab eo suppliciter petiêre, vt delicti gratiã faceret, illumq. pristinæ libertati atque honori restitueret: cuius singularis beneficij memoriam se perpetua animi gratitudine & obseruantia conseruaturos confirmabant. Pontifex horum precibus inflexus, se tandem exorari passus est, ea tamen in primis conditione, vt sibi, quemadmodum à nonnullis memoriæ proditum est, quinque ac viginti nummûm aureorum millia depromerentur; quæ persoluta, ipsum eucstigiò liberatum dicunt, & pristinæ dignitati atque honori restitutum. Ceterum inuenio apud minimè obscuri nominis auctorem, huic vitam impetrasse Franciscum è Ciboa familia, sororis Leonis maritum, atque illi mox honorem pilei cumulata benignitate redditum, cùm is auribus tantùm, non atroci voluntate peccauisse iudicaretur: sed ipsum aliquantò pòst, cùm in quodam Vrsinæ familiæ municipio, cui nomen Eretum, (alij Montem rotundum appellant) exularet, graui morbo correptum, breuique pòst, placato iam Pontifice ac impetrato reditu, in vrbe, nec citra lenti veneni, in carcere hausti, suspicionem, extinctum. Constans multorum opinio & fama est, hunc à literis non abhorruisse, atque vt erat ingenio præclaro, & ad res politicas nato, eruditos in familiaritatem acceptos, non vulgari beneficentia prosecutum. Nec dubitatur, quin magni nominis Cardinalis euasurus fuisset, nisi propter indignationem, sese in nefarij consilij contra Pontificem iniți societatem, præcipitem dedisset. Alfonsum verò, vt hoc etiam obiter dicatur, iussu ipsius Pontificis ab Orlando Æthiope strangulatum, atq. ita notabili dedecore supremum diem clausisse narrant, quod quidem eò lubentiùs refero, quò præcipuum munus annalium esse reor, ne virtutes sileantur; vtque prauis dictis factisque ex posteritate & infamia metus sit.

Bendineli Saulij mors.

1518. PROXIMO anno, & insequenti, nihil, quod præcipuè ad Genuenses pertineat, memoratu dignum, ex scriptorũ monumentis deprehenditur. Ne verò alterum, nempe eiusdé æui vndeuigesimum, silentio præteream; constat, illius initiũ, duorum potentissimorum Cæsarum, videlicet Maximiliani primi, & Sultani Selymi obitu, nec non totidem maximorum Principum, ad supremum Cæsareæ dignitatis fastigium promotione, insignitum ac nobilitatum fuisse. Prioris quidem ex hac vita migrationem, annis pænè sex integris futuram prædixerat Geor-

1519. *Maximiliani primi Cæsaris interitus.*

gius

gius Danſtetterus, ſummus medicus & mathematicus, ob Solis eclipſim factam menſe Iunio anni præcedẽtis, quæ ſanè vbi primùm in Viennenſi agro apparuit, ea ipſa hora Viennæ horrendum excitauit incendium, quo amœniſſima vrbis platea, Cantoria nomine, maiori ex parte conflagrauit. Obiit Lintij in Auſtriæ finibus, ſiue, vt aliis placet, apud Vuelſium Norici agri oppidum, duodecima Iauarij, poſt noctem mediam hora tertia, profluuio ventris, quod Græci dyſenteriam vocant, vt olim Fridericus eius parens, cùm intempeſtiuè pharmacum incertæ poteſtatis aduerſus morbum, quem ſibi imminere putaret, hauiſſet, anno ætatis quinquageſimo nono, menſe nono, die viceſima prima, imperij trigeſimo ſecundo, menſe vndecimo, anno mundi quinquies milleſimo, quadringenteſimo, octogeſimo primo. Fuit autem Princeps bello acerrimus, virtute eximius, aliquandò fortuna, animo ſemper maximus, conſiliis dux, miles manu, ceteriſque preſtantiſſimis animi dotibus iure merito ſuſpiciendus. Vxores habuit duas, primam, Mariam Burgundicam, ex qua ſuſcepit filios tres, Philippum, qui dotalia regna Hiſpaniæ, Siculumque, & Neapolitanum domui Auſtriacæ acquiſiuit, Franciſcum & Georgium in annis pubertatis mortuos, & Margaretam filiam connubiis infelicem. Nam Carolo octauo Galliarum regi deſpõſatam, & in aula Francica educatam, ſponſus, vbi adoleuiſſet, repudiauit, rapta propter ius ſucceſſionis Anna Franciſci vltimi citerioris Britanniæ Ducis vnica filia hærede, quæ Maximiliano promiſſa erat. Poſt Carolum, Aragoniæ Principi, & hoc ante nuptias mortuo, Philiberto Sabaudio non meliore fortuna nupſit. Altera coniunx Maximiliani, fuit Blanca Maria Galeacij Mediolanenſ. filia, Ioannis Galeacij ſoror, ex qua ſoboles ei nulla eſt nata. Ceterùm Selymi Turcarum Imperatoris mors incidit in decimum quartũ diem Febr. eiuſdem anni, apud Ciurlum Thraciæ pagum, peſtilenti circa renes enato vlcere, cùm regnaſſet annis octo, & aduerſum Chriſtianos terra marique atrociſſimum bellum illaturus crederetur, poſtquam Hiſmaëlem Perſarum regem grauiſſimè contudiſſet, & duobus regibus Sultanis deuictis atque interfectis, Ægyptũ & Syriam imperio adieciſſet. Reliquit vnicum filium nomine Solymannum, ex Boſphorana vxore genitum; qui, nemine obſiſtente æmulo, anno ætatis ſuæ octauo atque vigeſimo, tot regnorum hæreditatem adiit: atque eodem ferè menſe, nempe Iunio, quo Carolus Auſtrius, Hiſpaniarum rex, Septemuirũm Procerum ſuffragiis Cæſar deſignatus fuit, & ipſe paterni Imperatoris tituli compos eſt factus. In hoc rerum cardine, ſubſecutus eſt annus eiuſdem ſæculi vigeſimus, ac etiam vigeſimus primus, quo ſubinde Octauianus Fulgoſius ex tranſactionis formula, cum Ludouico habita, vrbis adminiſtrationi præerat. Et licet variis multiſque modis ab Alexandro Fulgoſio Albintimilij epiſcopo turbaretur, nec mediocribus moleſtiis afficeretur, quò principatum, quem Cardinalis eius pater geſſerat, aſſequeretur, ita vt decem aureorum nummũm millibus clàm à Pontifice acceptis, partim in Pontificia ditione, partim etiam in Lunigiana, duo peditum millia conſcripſerit, eo conſilio, vt armis ad vrbem Genuam ſibi reditum quæreret, illi tamen intrepidè atque animosè reſtitit, & prudenter ſeſe in imperio cum magna æmulorum ſuorum inuidia, nec minori ſua laude conſeruauit. Hic proſper Gallorum in Italia ſucceſſus Pontificem ipſum, alioſque Chriſtianæ Reip. Principes, in primis verò Carolum Auſtrium, Cæſarem, vti diximus, renunciatũ, ſolicitabat; nec quieto animo Gallicam potentiam, ſemper illis quàm plurimis nominibus ſuſpectam, potiſſimùm in Italia, ferre ac tolerare poterant. Proinde ſtatim ſub initio, antequam ſcilicet Gallica victricia arma vlteriùs proferrentur,

Selymi Turcarum Imp. mors.

Solymannus Selymo in imperio ſuccedit.

Carolus v. Cæſar deſignatur.

1520.

1521.

vrgente Pontifice, nouum fœdus inter ipsum & Carolum ictum fuit, cuius quidem summa hæc fermè erat, vt communibus viribus Gallica potentia oppugnaretur, & quoad eius fieri posset, in Italia exciderentur. Verùm, priusquam arma apertè mouerent, de vtriusque consilio statutum fuit, vt eodem tempore, repentino impetu, & exulum insidiis, Genua, & Mediolanum oppugnarentur. Hæc res quò feliciorem exitum sortiretur, expedire videbatur, vt Cæsaris triremes, quæ tunc Neapoli stationem habebant, & Pontificiæ, quæ duce Paulo Vitorio Centum-cellis erant, duobus Hispanorum peditum millibus instructæ, vnà cum Hieronymo Adurnio, cuius auctoritas apud Adurniæ factionis studiosos summa tunc temporis, præsertim verò apud littoralis oræ Ligusticæ incolas, extabat, Genuæ tumultibus excitatis, repentè se in vrbis portu ostenderent. Quibus rebus magna cum celeritate constitutis, classis septem triremium, biremium quatuor, & aliquot onerariarum nauium Genuam mittitur; de cuius aduentu Fulgosius multorum literis commonefactus, vrbem egregiè communiuerat, omnibusque ad defensionem & obsidionem tolerandum necessariis instruxerat. Classis igitur spe frustratus, nequicquam oppidanorum beneuolentiam expectabat. Proinde cùm nullam seditionem ac tumultum à suis confœderatis in vrbe exoriri perciperent, in Orientale littus classe subducta, Clauarum nullo præsidio firmatum, occuparunt; breuique spatio interiecto, illinc soluentes, Spediam versus enauigarunt. Sub idem tempus in Insubria quoque res nouæ per Cæsarianos tentatæ: sed fideli opera & sedulitate Thomæ Fuxæi, Scudomini, Odecti Lautrechij Mediolanensium Proregis fratris, quem ipse, grauissimis de causis in Galliam profectus, Legatum constituerat, pari successu irritæ. Verùm, paucis interiectis mensibus, fortunæ beneuolentia, & singulari Cæsaris felicitate factum fuit, vt Mediolanum, virtute & auspicio Prosperi Columnæ, viri, præter generis amplitudinem, rei bellicæ gloria quàm maximè insignis, tandem, pulsis Gallis, in Cæsaris manus ac potestatem deueniret. Hæc conuersio dudum ante initium admirabili prodigio fuit adnotata & prædicta, arce Mediolanensi plerisque in locis fulmine icta, non sine multorum vigilum aliorumque nobilium strage. Erat siquidem supra fornicem portæ arcis Iouis, turris non solùm ad propugnandum munitissima, sed aspectu etiam pulcherrima, quippe in cuius fronte, præter alia ornamenta, locatæ essent tutelarium Diuorum plerique marmoreæ imagines ad amussim sculptæ, cum insignibus Sfortianorum Ducum, qui tantam molem fundauerant. Fortè autem, cùm intra turrim seruarentur in vsum tormentorum plurima pulueris sulfurei vasa, fulmen de cælo ipsam tetigit, & murum scindens, igneam materiam accendit: cuius impetus non solùm turrim euertit à fundamentis, sed mœnia etiam, & arcis cubicula, ac reliqua ædificij membra proxima, humi prostrauit, saxaque circumuolitantia duos arcis Præfectos, qui paulò antè in sacello iuxta portam conuenerant, in area deambulantes occiderunt: alios quoque è militibus, qui ibidem auram captabant, (erat enim æstas, & diei vespera) interfecerunt: aliorum capita, thoraces, brachia & crura fregerunt, adeò vt è ducentis propugnatoribus, vix duodecim è tam magna clade euaserint. Neque tantæ ruinæ fragor ciuitati fuit ignotus, quin & ipsa valido terræmotu concussa, magnum plerisque iniecit timorem, ne tota eo impetu corrueret. Quo sedato, cùm fulminis ardor vehemens versus arcem vim fuisset, innumeri eò concurrentes, omnẽ aream quæ ante ipsam arcem erat lapidosissima, saxis opertam repererunt: admirabanturque aliquot lapides, quales decem boum iuga vix loco mouere potuissent, quingẽtos & amplius passus iactos fuisse, funda-

Fœdus inter Leonem Pont. & Carolum Cæs. aduersus Franciscum Gallia regem.

Belici apparatus aduersus Genuens.

Insubria à Cæsarianis inuaditur.

Cæsar Mediolano potitur.

Turris Mediolani fulmine icta.

Mediolanum terræmotu concutitur.

fundamenta turris euulsa, supra portam stare, ipsius fastigia in imo conspici, neque id sine Dei nutu euenisse existimabant. Inter hæc, Leo Pontifex, licet adhuc ætatis ac temperaturæ robusto vigore quàm maximè floreret, Cal. Decembris inexpectata morte obiit: qui cùm in Manliana villa, quò sæpè animi relaxandi gratia se conferebat, Mediolani capti nuncium accepisset, ex eoque incredibili voluptate afficeretur, eadem nocte leui febre correptus, sequenti die se Romam ferri curauit: & quamuis eius morbi initium à medicis parui fieret, intra pauciss. dies, non sine magna veneni, ei, vt ferebatur, à Bernabo Malaspino, ipsius cubiculario, atq; poculis ministro, propinati, suspicione, interiit. In eo multa laude, multa pariter vituperatione digna extiterunt: de se quoq. expectationem, cùm ad Pontificatū annos natus triginta septē, est assumptus, vehemēter fefellit; maior enim in illo prudentia, sed longè minor quàm ab omnibus censeretur, probitas apparuit. Successorem habuit Adrianum vi. Dertosanum, natione Belgam, qui Cæsaris in pueritia præceptor, eius opera à Leone in Purpuratorum collegium cooptatus fuerat, eoque tempore ipsius Cæsaris in Hispania vices gerebat. Carolus interea Mediolano potitus, insequenti anno Franciscum Sfortiam, qui Maximiliano in Principatu successerat, & diu incertis sedibus exulauerat, summa cum humanitate, & incredibili Mediolanensium omnium lætitia, restituit. Mentibus enim omnium obuersabatur retroactæ suæ felicitatis memoria, quam omnes sub eius patris, & ceterorum Sfortianorum Ducum imperio, magna cum satisfactione, experti fuerant. Accedebat huc singulare totius populi in ipsum Principem studium, & naturalis verique amoris magnitudo; cùm omnibus gentibus ab ipsa natura sit inditum & instillatum, vt suos Principes, licet interdum feroces & tyrannos, non solùm patienter ferant, sed etiam, deuoratis nonnunquā multis molestiis, illos reuereantur & suspiciant. Hinc videre licet, omninò verum esse quod sæpius theologica traditione confirmatur; Omnem potestatem à Deo esse. Cæsar quamuis graues sese habere causas diceret, ob quas Sfortiam restitutum vellet; tamen hæ erant potissimæ, quòd ipse Gallicæ potentiæ æmulus, & princeps animi excellentia, & ingenij sublimitate, Francisco regi neutiquam secundus, magna contentione eum omninò superare contenderet. Deinde quia non obscurè intelligebat, se pecunia, qua tūc temporis non mediocriter indigebat, iuuari nequire, nisi Sfortia in Principatu reposito, vtpotè cuius auctoritate, & gratia, illam faciliùs & commodiùs expediri non erat dubium. Itaque, quò illū sibi magis deuinciret, Mediolanensem arcem, quę ad Hispanos, desperatis omnibus auxiliis, deditione facta, transierat; non sine illustri, & nunquam intermoritura laude, tradi imperauit, ea tamen conditione, vt ipse Mediolani Ducis titulo ac nomine penitus abstineret. Qua sanè augusta appellatione Sfortia tantisper abstinuit, donec, efflagitante quasi vniuersa Italia, Cæsar, noua indulgentia, eum hoc honore dignaretur, & nouo diplomate in hoc eum confirmaret. Cæsar interim rebus in Insubria constitutis, nihil habuit antiquius, quàm vt Gallis itidem Genua pulsis, Antoniottum, & Hieronymum, Adurnios fratres, qui iam per totum fermè decennium exulauerant, in patriam restitueret. Hieronymus quippè ipsi egregiam fortemque operam bello & pace præstiterat, & nullum laborem, vel periculum, ad Cæsari nouam gloriam propagandam recusauerat, adeò vt Imperator, viri strenuitate, vigilantia & fide obseruata, ipsum haud sanè indignum iudicaret, quem in Ducum suorum numerum cōscriberet: inter quos tam clarus extitit, vt, ex Cæsaris mandato, Francisco Sfortiæ conuictus, pro Mediolanensi expugnatione, Gallis, adhuc per Insubriam rerum

Leonis Pont. mors.

Adrianus Leoni in Pontificatu succedit.

1522.

Franciscus Sfortia Insubriæ Principatum recuperat.

Hieronymi Adurnij singularis virtus

potiuntibus, ad sex Germanorum millia, in agro Tridentino, aliisque finitimis locis, conscripserit. Quo in munere se ita prudenter gessit, vt in Cæsaris gratiam & familiaritatem aliquantò arctiùs insinuatus, proximo anno eius nomine ad Venetos legatus missus fuerit: in qua quidem legatione, Ricardum Pacæum, Britanniæ regis oratorem, socium & collegam habuit. Summa legationis erat, vt inter Carolum, Angliæ regem, & illam Rempub. fœderis iure, amicitia, & belli societas iniretur: sed ipse Adurnius, dum magna & incredibili prudentia & grauitate consilij Cæsaris maiestatem & partes apud Venetam Rempub. tueturq; re-

Eiusdem obitus.

pentino morbo è viuis, non sine Cæsaris, aliorumque multorũ Principũ dolore, anno ætatis circiter quadragesimo, subtractus est: in cuius locum statim Maritius Caracciolus, Romanę sedis Protonotarius, qui postea tantũ auctoritate apud Paulũ tertiũ Pont. floruit, vt inter Purpuratos eius ascriberetur, successit. Vrgebat Carolus Genuæ obsidionẽ, nec diutius ferre poterat, reliquias Gallię in Italia hæreti-

Genua obsidetur à Cæsarianis.

Idcirco Cæsariani omnes ex Insubria Genuã versus castra mouerũt: in qua quidẽ expeditione cùm multorum præstantissimorũ Principũ, & Ducũ concursus esset, tamen ceteris tum militari scientia, cùm nataliũ splendore antecellere videbantur Ferdinãdus Daualus, Piscarij Marchio, & Prosper Columna, ex antiqua & illustri

Columniorũ familia.

Columniorum familia, à qua Comites nobilissimi à Zollern in Germania originem traxêre; quorum ille Hispanis, & Italis peditibus ad eam partem quæ Cisalpina dicitur, hic verò cum omni equitatu ac Germanico pedite, ad oppositam Bisamnis partem consedit. Genuæ adhuc supremum magistratum administrabat Octauianus Fulgosius; in quo certè viro, vt omnes tradunt, multæ heroicæ

Octauiani Fulgosij eximia virtus.

virtutes extabant. Commendabatur siquidem tam apud suos, quàm etiam apud exteros, à singulari iustitia, prudentia, morum atque legum seueritate, ac domestica quadam probitate & frugalitate: quibus certè virtutibus tantum erat assecutus, vt in ipsa ciuitate, licet factionibus ac studiis mirum in modum distracta, ab omnibus ordinibus citra aliquam inuidiam promiscuè diligeretur: qui, etsi corpore esset imbecillo, valetudineque vteretur ea, quæ sæpius in morbos excurreret, ita vt ægrè belli munia obire posset; tamen officij sui memor, ac in rerum extremitate nihil non audendum ratus, Gallici regis potissimùm tuendæ subnixus, omnia, quæ ad prouidi Ducis, & boni ciuis munia pertinerent, magna cum alacritate præstabat. Verùm, cùm consiliis magis quàm armis esset aptior, & togatus potius prodesse quàm armatus posset, per Fridericum fratrem suum, tunc temporis Archiepiscopum Salernitanum, hominem impigrum, & summi consilij atque virtutis, pleraque belli munia obierat; peditum Italicorum duo millia ad vrbis defensionem & tutelam disposuit: amicos & familiares, ac reliquos nominis Fulgosij studiosos, & clientes, quorum non pauci in Liguria erant, in armis esse iubet. Regem etiam per Cataneum Lomellinum, belli pacisq; artibus clarum, subinde admonuerat, se non dubitare, quin Cæsariani, iam bello in Insubria confecto, Genuam properarent, & propterea valido præsidio ad Genuensium res tutandas opus esse. Quod nisi citò, & opportuno quidem tempore mitteretur, frustrà & incassum sera postmodum auxilia expectari, præsertim cùm propter Adurniorum aduentum, Cæsaris noua gratia, & planè in nouam spem & fiduciam erectorum, non minùs sibi intra mœnia, quàm foris, timendum esset. Sed rex non ignarus, quàm potentem in Italia aduersarium, suæque gloriæ atque imperij æmulum haberet, licet Fulgosij dictis non parum commoueretur, attamen cùm Italici belli curam nunquam omninò deposuisset, statim post data dem ad Bicoccam acceptam, in qua expeditione, præter ceteros, tria millia Helue-

tiorum

uetiorum, & duo ac viginti cohortium centuriones ceciderant, peditum quatuordecim millia ex Aquitania, & prouincia Narbonensi cum quingentis cataphractis, milleque sagittariis equestribus delegerat, mandaueratque, vt hæ copiæ duce Roberto Stuardo, viro cum natalium splendore, tum bellicis operibus illustri, quàm primum in Italiam superatis Alpibus contenderet, & rebus superioris belli successu in parte afflictis & accisis, auxilium adferrent. Verùm, quia summoperè verebatur, ne sui ad opem Genuensibus ferendam, seriùs quàm necessitas requireret, aduenirēt; idcircò Petrum Nauarrū, rei militaris peritissimū, recèns in Galliam ex Italia reuersum, cum duabus triremibus Genuā confestim remisit. Hic tanta dexteritate, ac temporis opportunitate vsus est, vt statim vno eodemq; tempore, quò Daualus cū suis copiis ab ea parte qua olim fuit Pharia turris, castra mœnibus admouebat, vrbem non mediocri cum omniū oppidanorū lætitia ingressus sit. Nam Daualus ad vrbis Prefectos per tibicinem deditionis conditiones, scriptis, & literis comprehensas, præmiserat. quarum ferè capita hæc erant:

Nona regis Galliæ in Italiam expeditio.

Petrus Nauarrus subsidio Genuēs. venit.

VT intra vnius diei spatium, omne Gallicum præsidium dimitterent. Antoniottum Adurnium in suum Dominum assumerent. Classem instructam ad Cæsaris arbitrium & ministerium paratam haberent. si hæc facerent, eos suis legibus Cæsarem vti permissurum: at si Cæsaris mandata & honestas pacis conditiones negligerent, vel aliqua de causa aspernarentur, omnia hostilia denunciabant. Quibus sanè conditionibus adeò fuit commota & consternata ciuitas, vt multi ordines, licet hoc infra Ligustici nominis dignitatem ac existimationem esset, suaderent, Cæsaris mandata nulla ratione esse repudianda; & accepta omninò fuissent, nisi militum nouum præsidium vetasset. Tanta erat in ipsa vrbe, nouarum rerum semper cupida, animorum distractio, & promiscuæ plebis trepidatio, vt nullæ liberæ exaudirentur voces, nullisque bonis ac sanis consiliis locus relinqueretur; adeò, vt post leuem & extemporaneam quandam consultationem, pænultima die Maij, Benedictus Vualdus, Thomas Cataneus, & Paulus Bulgarius, ciuium Genuensium nomine ad Daualum, qui expugnandæ vrbis summam prouinciam habebat, mitterētur. Hi dubia sub spe, specie componendæ pacis, dum in castris aliquandiu distinentur, & se iam, confecto negotio, statim ad suos redituros crederent, Hispani pedites, qui eo die turrim prope portam positam, plurimis tormentorum ictibus, prostrauerant, & non exiguam, propter defensorum negligentiam, de pace bene sperantium, & quasi in alta securitate viuentium, in mœnibus ruinam fecerant; inscio Daualo, & cum legatis ad rem componendam intento, præter omnium spem & opinionem, magno cum impetu impressionem in vrbem faciunt, & aditum ibi ea parte quà murus aliquot in locis ruinam dederat, facientes, sensim illabuntur, & postea infesto agmine irruunt, ac sese, densæ grandinis instar, per vrbis ruinas infundunt. Fit igitur vndique in exercitu concursus, & clamor ingens vbique attollitur. Eriguntur à primipilaribus & antesignanis vexilla, peditesque, quà primi irruperant, subsequuntur; ac tanto cum strepitu & armorum crepitu res foris & intrà agitur, vt Piscarius confestim acie instructa, & ordinibus per cuneos dispositis, fortunam Cæsaris secutus, inter primos versaretur, & muri parte occupata, suos, qui temerè progredi videbantur, subsistere imperat. Admonet præterea de victoria Prosperum, qui cum Germanis, & omni ferè equitatu in alia vrbis parte constiterat, quæ vulgò Bisamnia dicitur, vt cum reliquo exercitu in vrbem iam à suis occupatam ingrediatur; & mox suis in vnum collectis præcipit, vt ab ordinibus non discedant: tantumque metum & pauorem omnibus incutiunt, vt vigiles, & vrbis custodes, in fugam collapsi, nullo modo

Pacis conditiones à Daualo Senatui præscriptæ.

Genuens. legatio ad Daualū missa.

Cæsariani Genuam inuadunt ac expugnant.

sese

sese defendere, vel stationem sibi demandatam tueri auderent. Quod quidem non tam accidit propter Cæsariani exercitus potentiæ opinionem, quàm propter populi, qui iam in varias partes dissectus erat, varium tumultum & incertas consilij rationes. Nam etsi in vrbe esset sufficiens defensorum numerus, qui facilè ipsam tutari, omnemque hostium vim atque impetum ferre ac propulsare potuissent; tamen cùm seditiosus populus, vti diximus, sibi non constaret, nec seniorum consiliis obtemperaret, fieri nequibat, vt ipsa vrbs vndique ab hostibus obsessa, & ad omnem occasionem intentis, bene tueri, vel diu conseruari posset. Accedebat huc, quòd in ipso prœlij ardore vrbanæ militiæ Præfectus, dum fortis militis, ac prouidi & magnanimi ducis munia diligenter ac strenuè obiret, inter dimicandum grauiter vulneratus est, adeò vt cùm ipse propter inflicti vulneris acerbitatem prœlio excederet, tota ipsius acies dissiparetur. Salernitanus Antistes, cum haud exiguo militum ac ciuium numero, armis viam sibi per medios hostes faciens, non sine magno vitæ periculo ad portum deuenit, & conscensis nauibus, occiduum littus legens, Massiliam contendit. Ceterùm Octauianus Princeps, qui valetudinarius & æger, lectulo defixus, ægrè inter tot curas, & rerum discrimina, languidum spiritum trahebat, postquam prætorium occludi iussisset, ad rei successum valdè dubius & anxius, vnum ex suis familiaribus ad festram misérat, qui hosti denunciaret, eum se Ferdinandi Dauali fidei & potestati committere. ipse igitur à Daualo sub certis conditionibus in fide receptus, Cæsaris clementiæ fuit reseruatus. Capti fuerunt in hac vrbe quamplurimi equestris ordinis viri, alijque non obscuri nominis ciues, qui omnibus cum præsentibus fortunis, victoris arbitrio cessêre. Captus fuit etiam præterea Petrus Navarrus, quem non semel Galliæ regibus summam fidelitatem & diligentem operam cum magna laude in variis expeditionibus nauasse, nemini dubiũ est. Multa itidem opulentissimæ familiæ sese, vel præsenti pecunia, vel interpositis sponsoribus & prædibus, ab hostium iniuriis, & impendentibus contumeliis, ac præsentibus periculis redemerunt. Multorum domus direptæ ac spoliatæ fuerunt. Ceterùm, miserrimæ vrbis status hoc maiori & æquiori animo tolerandus fuisse videtur, quòd Prosper Columna, Adurniorũ fratrum precibus inflexus, & quòd ciuitas ipsa nullum hostilis animi indicium dederat, & de transactione iam agi cœperat, oppidanis æquior, graui sub pœna militibus edixit, ne quispiã Genuensis ciuis in captiuitatem abduceretur, néue aliquis virgini vitium afferret, vel matrona, pudicitiæ periculum adiret. Huius Prosperi benignitati acceptum etiam magna ex parte debetur, quòd catinus ille tam celebris, quique tanta cum veneratione in augustissimo vrbis templo asseruatur, in irati hostis potestatem non deuenerit; sed cum multa alia pretiosa supellectile, qua ciuitas ipsa ob mercaturæ frequentationem scatebat, ab omni periculo & direptione conseruatus fuit. Cuius quidem Columnæ humanitas, & in victam vrbem propensio, tanta extitit, vt postero die, qui à capta ciuitate fuit proximus, quò populationibus tandem modus imponeretur, illinc exercitum eduxerit, & omnem vim atque iniuriam ab ea prohibuerit. Hæc vrbis direptio magnam Reipub. attulit conuersionem, nec me hercule mirum, cùm multarum ciuitatum exemplis iam admoneamur, quanto cum dispendio & periculo omnes conuersiones, licet necessariæ, coniunctæ sint: quippè cùm nulla possit in aliqua ciuitate fieri etiam legitima de causa immutatio, quin statum eiusdem non labefactet, & mirum in modum inquietet. Proinde non sine grauissimo præstantissimorum hominum iudicio multa in Rebuspublicis, licet videantur cum vtilitate publica aliquo

Genua ab exercitu Cæsariano capitur, & diripitur.

Salernitani Archiepiscopi fuga.

Octauianus Fulgosius sese Marchionis Piscarij fidei permittit.

Prosperi Columnæ humanitas erga populum Genuensem.

Genuæ magna fit conuersio.

aliquo modo pugnare, toleranda sunt, ne, iis correctis, in grauiorem lapsum Reipub. status deducatur. Sed de his aliàs. Octauianum Fulgosium Cæsaris clementiæ permissum & reseruatum diximus. Qui, cùm post fidem datam apud Daualum, secundum pacta & transactiones vtrimque factas, sese libertati pristinæ restituendum putaret, ægrè tulit, se ex Campaniæ oppido, quæ antiquis Autella fuit, in quam perductus erat, statim à Cæsare reuocari: qua certè in re, multi sunt, qui Cæsaris, vel saltem suorum administrorum fidem desiderent. Nam ratio postulabat, vt vtraque ex parte transactionis formula adimpleretur. Cuius tamen is fuit exitus, vt post libertatis restitutionem in insula Prochyta, omnium humanarum rerum cura deposita, & mente ad solum Deum conuersa, huius lucis vsuram cum meliori mutarit: eique de Cæsaris voluntate, statim post captam vrbem Antoniottus Adurnius cũ supremo honore successit, qui statim ab hostilis exercitus discessu, mutuò à Florentinis aliquot militaribus tormentis desumptis, Castelletum obsidione cinxit, & tertia die arcem & Franciscì templum, quæ loca adhuc Gallico milite tenebantur, cepit. Hoc successu deterriti Castelleti defensores, sub certis legibus deditionem fecêre. Genuensium rerum, post circiter octo annorum decursum, insecuta mutatio, Galliæ regi omnem penitùs Insubriæ retinendæ & propagandæ spem ademit; idcircò exercitus postremò ad eius tutelam missus, qui iam vsque in Astensem agrum peruenerat, trans Alpes concessit. Parum aberat, quin contra historiæ dignitatem prætermiseram dicere, Cæsarem, eo tempore, quo Genuam expugnauit, etiam nauale classem ad omnem necessitatem & occasionem paratam, duce Recasenio illustri viro, & gratia apud eum florente, habuisse, quæ sese non sine grauissimo consilio in portu Delphinij continuerat. Quandoquidem cùm Andreas Auria, qui tunc temporis vnà cum Philippo Auria Gallorum studia sequebatur, & plurimũ à rei nauali scientia nauiumque celeritate commendabatur, Recasenius huius impetum veritus, sese in eum portum abdiderat. Nam neminem latebat, Auriam hoc vnum expetere, vt classem Cæsarianam per occasionem inuaderet. Proinde cùm Præfectus Cæsarianus longè ipsi Auriæ nauali pugnæ disciplina, & etiam nauigiorum numero esset inferior, operæpretium esse duxit, vt in eo portu stationem haberet, ne classem temerè in periculum aliquod adduceret. Verùm, etsi Cæsar, recepta Genua, incredibili gaudio perfunderetur, quòd nouo imperio tantæ Reipub. citra aliquam suorum iacturam esset facta accessio, minimè tamen desunt, qui dicant, ipsum eius vrbis direptionem valdè improbasse, & Daualo nõ mediocriter succensuisse, quòd diceret, per speciem colloquij militibus ansam diripiendæ vrbis præbuisse. Vtcumque res sese habet, quemadmodum hac in parte mirificè est prædicanda Cæsaris victoris moderatio & magnanimitas, sic pari modo Piscarius, apud plerosque rerum successum penitiùs examinantes, eo nomine non caret reprehensione. In hoc rerum tractu, Hadrianus Pontifex, magnis precibus populi Romani, & cohortatione Senatus, ad vrbem euocatus, Genuam cum octodecim rostratis applicuit, honorificè quidem, at propè nulla ciuium, recentem cladem suam lugentium, lætitia, exceptus; indeque Ligurnum nauigauit, vbi à Iulio Medice purpurato, legatisque Florentinorum, & aliquot Etruscis Cardinalibus expectabatur, breuique pòst, secunda nauigatione Romam deuectus, quarto Cal. Sept. vrbem, maximo populi, & totius curiæ concursu, ingressus est. Et quamuis eius aduentus, quia Roma Pontifice absente solitudini potiùs quàm ciuitati similis videtur, summoperè exoptatus esset; hoc tamẽ spectaculum, cùm se Pontificem externum, & Romanæ aulæ ac rerum Italicarum rudem atque imperi-

Octauiani Fulgosij obitus.

Antoniottus Adurnius Princeps renunciatur.

Castelletum deditione recipitur.

Cæsariana classis.

Genuens. clades Cæsari permoleſta.

Hadrianus Pont. Genuam venit.

peritum habere cogitarent, omnium animos commouit: quarum cogitationum mæstitiam auxit, quòd pestis quæ Romæ in eius aduentu cœperat, id quod ad eius Pontificatus siniſtrum omen referebatur, per totum autumnum innumeros mortales sustulerit. Hæc etenim contactu ægrorum ita exarserat, vt multa funera in compitis viserentur, appareretq. vastari vrbem, haud multo dierum spatio, nisi Græculus quidam, nomine Demetrius Spartanus, sedandæ pestilentiæ, fauente ei turba hominum, negotium suscepisset, nemine superstitionem vetare ausо. Nam ferum taurum, cui dimidium cornu dissecarat, magico carmine dextram in aurem prolato, repentè ita mansuefactum reddiderat, vt iniecto tenui filo ad integrum cornu, quò vellet perducens, pestilētiæ placando numini ad amphitheatrum immolaret. Nec credulæ multitudinis spem prorsus fefellit, cùm ab ea inanis sacrificij prospera litatione mitescere morbus cœpisset. Eodem anno, dum inter Christianos Principes mutuis armis decertatur, maximum Christianæ Reip. vulnus inflictum. Siquidem Solymanus Turcorum Imperator, qui præcedenti anno, gloriæ studio inflammatus, & maiorum suorum disciplinam secutus, Albam Græcam, siue vulgò Belgradum, ad confluentes Sauum atq. Danubium sitam, egregium atque firmissimum totius Pannoniæ munimentum, feliciſsimè expugnarat, ad Rhodi expugnationem animum atque vires intendit. Causa autem & origo huius belli in primis hæc fuit, quòd nimirum difficilem sibi ex Lesbo, Chio, Peloponneso, Eubœa, Propontide, ipsoq. Byzātio nauigationem futuram in Syriam atque Ægyptum, videbatur, stante incolumi Rhodo, arce militum Hierosolymitanorum, vtpote ex qua illi maritimis suis excursionibus totum littoris tractum deuastarent, & nōnunquam iusta classe congredi auderent. Prætereà ducere dedecus imperij sui, ferre gentem inimicam in ipsis regni penetralibus. Ad hæc ambitioso iuueni magnos spiritus ministrare prosperi successus anno superiore in Pannonia. Tum quæ, nequaquam multa molienti negligenda est occasio temporis, quo Principes Occidentis, maximis, vt dictum est, cladibus sese inuicem afficiebant. Atque hæ præcipuæ causæ belli Rhodij fuerunt. Proinde validiſsimo exercitu, in quo ducenta armatorum millia fuisse dicuntur, & circiter trecentorum nauigiorum classe instructa ac præparata, quam destinauerat animo, expeditionem suscepit, & octauo Calend. Iulij, qui dies incidit in festum D. Ioannis Baptistæ, obsidio inchoata. Et quoniam de Rhodo insula obsessa agimus, eius situm paucis exponam. Oppidum in planiſsimo loco positum est, & circūuallari, coronaq. militum cingi potest. Nam portu, tantùm Septentrionem spectante, mari cingitur, & reliqua parte in Occidentem vergit: planitie lapidosa haud magna latitudine, longitudine maiori inter ipsum, collesque apricos, patente: qui vrbi adiacent frequentes, fontibus, domibus, consiti oleastris, ficu, vineto, ac ceteris id genus arboribus, quæ in humo arida & arenosa gigni solent. Verùm manus & ars naturæ defectum supplerunt. Muro enim atque promuro validiſsimo septum est: prętereà tredecim turribus assurgentibus, minaci specie horrens, quinque maximis propugnaculis, omnem aduersus vim iniuriamque hostilem firmatum, pluribus portis nobile. Rhodiani equites, quibus tunc temporis, Fabricio Carrettano magno equitum sacræ militiæ magistro, cuius suprà mentionem fecimus, Nouendij vita defuncto, præerat Philippus Villerius Liladamus, quem plurimùm commendabant magnæ opes, præclarum ingenium, exacta rerum experientia, & consuetudo Regum ac Principum, apud quos arduis sępè rebus varias legationes obierat, vbi primùm de hostilibus consiliis atque apparatibus intellexêre, quæcumque ad sui totiusque insulæ tutelam ac de-

Roma sub Adriano Pōt. ingenti peste diuexatur.

Romæ Demetrij Spartani opera pestis remittit.

Solymanus quibus de causis Rhodū oppugnat.

Rhodi sitm.

ac defensionem pertinebant, summo studio ac diligentia præparārunt. Horum autem sexcenti dumtaxat fuisse dicuntur, & Rhodiorum qui arma gestare possent, ac belli munia administrare; circiter quinque millia annumerantur. Qui omnes, coniunctis viribus, hostiles impetus & oppugnationes diu fortissimè ac strenuissimè repulerunt, eo quidem successu, vt aduersarij fermè de ipsa victoria desperarent, donec ipsemet Solymanus quinto Cal. Sept. hora postmeridiana in castra veniret. Ibi cùm in Villam, quæcumque dici aut fingi queunt, ignauiæ ac pauoris exempla, & in exercitu nihil instituto ac militari disciplina vel ipsorum qui præerant, imperio agi, plus ex malis moribus solicitudinis, quàm ex tanto agmine auxilij, aut bonæ spei accipiebat. Ceterùm, post eius aduentum, omnia melioribus auspiciis & ducum intentione militumque industria & sedulitate peracta sunt. Hinc autem facilè videre & annotare licet, quā semper profuerit in omnibus difficultatib., vt adsit summus Imperator, qui verè est anima & vniuersum militum robur. Neque enim aliud est quod possit tantoperè ad gloriam & ad honoris studium militum animos excitare, quàm si cognouerint, non in obscuro loco res agi, sed in conspectu Principis, & vniuersi exercitus, multorumq. populorum præsentia. Hæc ipsa res, atque ipse gloriæ flagrantissimus ardor, milites impulit, vt summa strenuitate ac vigilantia nunc atrocissimis oppugnationibus, nunc cuniculis & fossis, nunc aggeribus ex terra & lignis, qui vrbis mœnia superarent, excitatis, ab eis infestandis nunquam desisterent; quibus operibus magna cum suorum cæde perfectis, propugnatorum quoque numerus valdè erat imminutus, ita vt assiduis laboribus fessi, & tormentario puluere deficiente, cum magna mœnium parte tormentorum ictibus diruta, cuniculisque multis in locis in vrbem, in qua ipsi, primis partibus expugnatis, se assiduè magis coarctabant, penetrantibus, tot molestiis sustinendis iam prorsus impares forent. Tandem desperatis omnibus auxiliis, & in extremas angustias redacti, post sex mensium perpessam obsidionem, cum Turca his conditionibus transegêre, vt nempè Liladamus, militiæ, vti diximus, Præfectus, ciuitatem dederet: ipse cum omnibus equitibus, & Rhodij, incolumes abeundi, & quicquid ferre possent, secum auferendi facultatem haberent. Turca, vt ipsis aliqua ratione cautum esset, classem ex eo mari cedere iuberet; & terrestrem exercitum per quinque milliaria ab Rhodo remoueret. cuius pactionis vi Rhodus in Turcarum potestatem deuenit; & Christiani, fide ipsis humanissimè ac religiosissimè obseruata, in Siciliam, mox in Italiam enauigarunt. Illis autem Rhodo profectis, Solymanus, ad maiorem Christianę religionis contumeliam, in illam vrbem eo ipso die quo Dei filij Seruatoris nostri natalis memoria celebrari consueuit, est ingressus, & nihil prius atque antiquius habuit, quàm vt statim omnia Rhodiorum templa Christi cultui dicata, in Moschæa (sic illi sua templa appellant) conuerteret, suoque more omnibus Christianorum ritibus eiectis, Mahumetis cultui dedicaret. Paucis pòst mensibus, Liladamo Melita insula ex singulari & eximia Cæsaris benignitate concessa, ea tamen lege & conditione, vt Tripolim suis sumptibus tueretur atq. defenderet, ibi equitū Rhodiorum sedem fixit. Dum Rhodij arctissima obsidione premerentur, duas Liguſticas naues, nimirum, Auriam, & Ferraram, suis stipendiis conduxerant, quibus commeatus, puluis nitrius, ceteraque ad hostiles conatus reprimendum necessaria, Rhodum conuecherentur: sed quia huiusmodi apparatus multò seriùs, quàm par fuit, procuratus est, & quoniam etiam hiems instabat, totus frustrà atque in irritum cecidit. qua quidem in re cùm Hadriani Pontificis, tum etiam ceterorum Christiani orbis Principum segnities atque oscitantia

Solymani aduentus in castra.

Imperatoris præsentia utilissima.

Rhodus ditione expugnatur.

tantia, iure meritò ab omnibus improbata. Et licet nonnulli asserant, ipsum quidem optasse ferre opem, sed pecuniæ inopia, quò minùs id præstiterit, retardatum; nihilominus tamen id planè in confesso est, ipsum, quas paulò antèex Hispaniis aduexerat peditum copias, factiosorum quorundam hortatu, non Rhodum, sed in Galliam Cisalpinam, quæ Cæsaris opes confirmarent, ablegasse. In hoc autem, iure culpandum, & in iustissimam reprehensionem deuenisse, quis non videt? Eius enim potiùs intererat, Christianos Principes ad mutuam pacem, atque vnionem inflectere, quò tandem mitigatis animis, atque associatis viribus, arma in communem Christianæ Reip. hostem conuerterent, simulque Rhodiacis tam arcta obsidione pressis, maturo auxilio adesse, quàm illis faces atque alimenta suggerere. Ceterùm, in hoc maluit suorum Prædecessorum scelestis ac exitialibus vestigiis (bonos semper excipio) cum ingenti piorum omnium clade, insistere, ac Cæsaris gratiam sibi demereri, quàm boni Pontificis partes absolue-

Prodigium ante Rhodi expugnationem visum.

re, suoq. muneri, vti par erat, satisfacere. Porrò, vt hoc etiam addatur, ferunt, eo ipsò die, quo Rhodij sese Turcis dediderunt, Romę magnum ipsi Hadriano Pontifici prodigium contigisse. Cùm is enim palatij sacellum ad sollennes natalis diei Seruatoris nostri cærimonias de more peragendas ingrederetur, ianuæ illius sacelli sublimare, quod marmoreum erat, post eius ingressum illicò decidit, ac nonnullos eius satellites cum maximo ipsius timore pessumdedit atque occidit. Suprà demõstrauimus, Cæsarem & Angliæ regem, apud Remp. Venetam iccirco fœderis gratia habuisse legationem. Porrò haud ita multò pòst, etiam Galliarũ regis oratores suos misit, qui Senatum illum à Cęsaris suorumq. amicitia & fœdere retraherẽt, adeò vt post diuersas & grauissimas cõmonstratas causas, tametsi multi ex Patribus in ipsum regem propenderent, eorum tamen suffragia vicerint, qui Cæsaris partes, ceu potiores, quæque Reipub. magis conducerent, tutabantur.

Veneti magis in Cæsarem propendent.

1523. Sed, tanta fuit Gallici regis in Cæsarem æmulatio, atque susceptæ belli ardor, vt neque cum Venetis contracta societas, neque aliorum Principum cum summis apparatibus fœdus, eius animum à rerum Italicarum cogitationibus vlla ratione abducere posset. Igitur in eam expeditionem toto pectore incumbens, validissimum exercitum denuò conscribi, ac superatis Alpibus, in Italiam præsto esse iussit: & non secus ac nuper, ipse huic bello interesse omninò decreuerat, misiam detecta Caroli Borbonij conspiratione, regni sui curam & tutelam sibi præferendã duxisset. Proinde hæc suprema conficiendi belli cura, in Boniuetum suæ classis prefectum (vulgò Amiralium vocãt) qui inter proceres ac præcipuos regni optimates annumerabatur, translata: Hic summa celeritate vsus, per aduersas Alpes in Galliam Cisalpinam contendit, & Vigeuanum, omnemque eam regionem, quæ vltra Ticinum amnem est, facili negotio in sui regis potestatem redegit. Quo rerum successu alacrior factus, victoriæ suæ cursum prosequendum

Francisci Gallię regis noua in Italiam expeditio.

ratus, Mediolanum versus castra promouit, eamque vrbem obsidione cinxit. Verùm, hanc vrbana multitudine, Gallis infensissima, & Cæsarianis, Prosperi Columnæ auspiciis, fortiter ac strenuè propugnantibus, tandem nulla re memorabili gesta, obsidionem soluens, suas copias Ticinum reduxit, subinde nouaxilia ex Galliis præstolatus; indeque, cùm hostes, eius castris magno cum equitum ac peditum robore appropinquarent, & ipse interim nullo subsidio, vti sperauerat, subleuaretur, Nouariam, vnde venerat, se recepit, eo successu, vt tandem Heluetiorum ope, quorũ haud mediocris numerus in hostili exercitu erat, non citra magnam cladem à Cæsarianis, duce Piscario, inflictam, & quindecim æneorum tormentorum iacturam, in Galliam reuersus sit. Exitu anni, qui fuit eiusdem

Gallorũ clades in Insubria.

eiusdem sæculi tertius ac vigesimus, Hadrianus Pontifex decimo oct. Cal. Octob. fato concessit, atque obiit parua sui, siue ob temporis, quo regnauit, breuitatem, siue, quòd politicarum rerum esset imperitus, atque rudis, opinione relicta. Huic, contractis aliquandiu comitiis propter diuersas Patrum sententias, & altercationes, tandem Iulius Medices, desumpto Clementis nomine, vndeuigesima die Nouembris, subrogatus est, ac sollemni sortitione de more Pōtifex renunciatus, Iulij nomen retinere volebat: sed à nonnullis Cardinalibus obseruatum fuisse, eos, qui Pontificatum adepti, nomen non mutassent, omnes intra annum vertentem obiisse admonitus, siue quòd eius Diui festus dies propè adesset, siue ad id alludēs, quòd Volaterrano Cardinali, simulac Pontifex declaratus fuit, offensiones condonasset, eumque eum suis in gratiam recepisset, Clementis septimi nomen assumpsit, isque initio ad tuendam nouæ dignitatis personam, egregiè se medium inter Cæsarem, & Franciscum regem præstare videbatur, licet postmodum totus in hunc propendere inciperet. In hoc rerum statu, secutus est annus eiusdem æui quartus ac vigesimus, grauissima & atrocissima peste memorabilis, quæ non solùm Genuæ, ac finitimis locis, cum maxima multorum hominum vtriusque sexus atque ordinis cæde ac interitu grassata est; verùm etiam, tota Insubria, & Mediolanum potissimùm, eo morbi genere, mirum in modum conflictata, adeò profectò, vt duntaxat in ipsa vrbe Mediolanēsi, supra quinquaginta millia mortalium breuiss. temporis decursu extinxerit. Proximè à nobis commemoratum est, præcedenti anno, Caroli Borbonij aduersus Franciscum Galliarum regem defectionem retectam & patefactam fuisse. Hic sanè regia stirpe oriundus, & ipsi regi arctissimo consanguinitatis & necessitudinis vinculo cōiunctus, grauissimis de causis pernicioſissimo dissidio inter eos orto, indignationem & odium, quod in regem suum conceperat, diutius concoquere ac deuorare cùm diutius nequiret, defectione facta, ad Cæsarem transiuit; à quo cùm honorificè exceptus, tum magnis præmiis & honoribus, sicuti mox ostendetur, affectus fuit. Intelligebat nimirum Cæsar, tanti viri à rege aduersario defectionem, non parum auxilij ac opportunitatis ad bellum feliciter contra ipsum gerendum, sibi allaturam. Quapropter cùm inter ipsum, & Franciscum regem, funestissimum bellum recrudesceret, Borbonium, & Piscarium, præcipuos sui exercitus Duces declarauit, qui omnibus rebus ad prœlium conficiendum opportunis, ac necessariis ritè constitutis, Massiliam, Galliæ Narbonensis primariam vrbem, inuaserunt; ad cuius quidem oppugnationem quadraginta dies nequicquam insumpti sunt. Quandoquidem, cùm obegregiam propugnatorum virtutem, & vrbis munitionem, nulla spes expugnandæ vrbis affulgeret, simulq. Galliarum regem, cum valido exercitu iam in procinctu esse intelligerent, conclamatis vasis, infecto negotio, repentè ad Italiam fronte conuersa, retrò vnde profecti erant, summa celeritate, nec sine aliqua suorum strage, recesserunt. At rex, quòd potentissimum exercitum haberet, hostiumq. imbecillitatem cognosceret, ac simul speraret, si recto itinere pergeret, citius quàm hostis, qui Massilia discedebat, in Italiam peruenturum, Mediolanēsis Principatus recuperandi sibi valdè opportunam occasionem offerri ratus, fortunæ beneficio vti statuit, & mira festinatione Peninis & Coctiis Alpibus emensis, in Taurinos descendit, ac secundo cursu progressus, iterū ciuitatem Mediolanensem, & pleraque Insubriæ loca, mense Octobri, suo imperio adiecit. Genuæ pro Massilienſi expeditione in Cæsaris gratiam quatuor nauium, septem triremiū, & aliquot nauigiorum varij generis classis adornata fuit, & Nicolai Belogij auspiciis educta; qui tametsi Genuensi portu solueret, nunquam

Hadriani Pont. interitus.

Clemens vi. Pontifex renunciatur.

1524. *Genua peste diuexatur.*

Caroli Borbonij defectio.

Massilia à Cæsarianis frustra obsidetur.

Franciscus rex Mediolanū recipit.

tamen Massiliam enauigauit, at semper sese in Ligustico sinu continuit, ea potissimùm de causa, ne scilicet ora Ligustica, propter hostilem classem circum ea maria præteruagantem, aliquid incommodi ac detrimenti pateretur. Hæc enim paulò ante in eundem sinum circumuecta, Sauonam, & Voraginem deditione occuparat, & in Liguriæ occiduum littus delata, subinde Genuensibus haud mediocrem terrorem ac metum incutiebat. Ceterùm proximo anno, Genuæ, nouo classis comparata atque instructa, quæ præter quindecim rostratas, aliquot etiam onerarias continebat, eique Bartholomæus Fliscus cum imperio præpositus fuit. Gallorum verò classi, quæ decem triremium, & aliquot celocium (id genus nauigij Galeones vocari diximus) numerum explebat, Salassorum regulus præerat, qui eo tempore iussu regis Galliarum Sauonam concesserat, vt oppidanos in officio regiaque obedientia contineret. Inter quæ, Vgo Moncada, Cæsarianarum rerum procurator, classe, qua circiter quatuor millia expeditissimorum virorum deuehebantur, Genua profectus, iuxta Voraginem, vbi erant in præsidio, ac in æstiuis, cum tribus hominũ armatorum millibus descensionẽ fecit. Horum præfectus, Rentius Ceres, paucis antè diebus à rege in Galliã euocatus fuerat, eaque de causa milites, Iocantum, vulgò De domo alba, Corsum, virumque strenuum ac militarem, sibi ducem elegerunt, adeò vt etiam Gallica classe suis auxilio veniente, protinus aciem contra hostem instruxerint. Quo quidem animaduerso, ipsi, animo consternati, sese in fugam coniecerunt, eo tamen successu, vt præter vulneratos, ipsemet Moncada in hostium potestatem deuenerit, & cum eo tredecim cohortium centuriones, inter quos Barnabas & Georgius Adurnij, ac etiam Bartholomæus Spinula recensentur. Galli hac fortunæ eblandiente aura alacriores facti, vix bidui, aut tridui spatio interiecto, classe in portum vbique admota, nauem Iacobi Auriæ recèns fabricatam, ac remige destitutam, interceperunt. Franciscus interea Mediolano potitus, consilij anceps, Laudem Pompeiámne, ad opprimendum Hispanos, qui se illuc vnà cum Piscario receperant, an Ticinum debellandis Germanis, aggrederetur, inauspicata belli ratione Ticinum prætulit, vbi, nulla memorabili earum rerum quas tentasset, profectarum confecta, post longam & diuturnam obsidionem, diductis primò, & mox nequis senescentibus viribus, quòd noua Cæsarianis auxilia adducente Borbonio superuenissent, prœlio decertare coactus est; quo regiis aduerso, nobilissimi quique Gallorum ducum & procerum interfecti sunt; & rex ipse vbi omnia magnanimi ducis ac strenuissimi bellatoris munia obiisset, fortissimè pugnans, equo eius interfecto, & ipse, quamuis leuiter, & in ore, & manu ferro violatus, à quinque Cæsarianis militibus nondum illis notus, captus fuit; statimq. Carolus Lannoius, qui casu eò aduenerat, corporis proceritatem, & armorum pulchritudinẽ admiratus, ipsum iam se, qui esset, palàm notum facientem, magno honore manum eius osculatus, Cæsaris nomine captiuum fecit: eò præsertim effusiùs Hispanis & Germanis parta victoria lætantibus, quòd ipso Cæsaris natali die fœcundissimo euentu dimicassent. Hîc autem operæ pretiũ fuerit, raram quandam, ac pænè inauditam Caroli v. Cæsaris felicitatem annotare, quæ certè eò maiori admiratione digna est, quò rariori exemplo obtigerit. Satis enim ex omnium auctorum scriptis colligi potest, nunquam huic præstantissimo Principi aliquam insignem victoriam obtigisse, quin semper ipsi die suo natalitio D. Matthiæ sacro euenerit. Natus est siquidem Gandaui anno millesimo quingentesimo, sexto Cal. Martij, hoc est vigesima quarta Februarij. Eodem die natalitio, anno vndevigesimo, septemuirûm procerum consensu in Cæsarem Francofurti inauguratus est.

1525.

Gallorum victoria.

Galli ad Ticinum capto rege infeliciter pugnant.

Franciscus rex capitur.

Dies D. Matthiæ sacer Carolo v. fortunatissimus.

tus est. Eodem die, anno eiusdem sæculi vigesimo quinto, captus est in prœlio ad Ticinum, sicuti nunc diximus, Franciscus Galliarum rex primus. Eodem die, anno trigesimo, diademate Imperiali à Clemente septimo Bononiæ insignitus. Eodem denique die Augustæ in Imperiali conuentu, in præsentia quinque Electorum, Duci Saxoniæ Mauritio, D. Henrici filio, iura & dignitatem Electoratus Ducatus Saxoniæ sollemni ritu contulit. Vt verò ad inceptum redeam, Rex, postero victoriæ die, in Picighitonis arcem perductus fuit, vbi libertate excepta (summa etenim diligentia custodiebatur) in ceteris omnibus regio more honoreque afficiebatur. Deinde, ineunte æstate Genuam, indeque in Hispaniam, iussu Cæsaris, ab eodē Lanoio captiuus perductus, atq. ibi in Madritij arce asseruatus, donec tandē quarta ac vigesima Februarij die subsequentis anni reditum ad suos, & pristinam libertatem ea conditione à Cæsare impetraret, vt, datis duobus filiis obsidibus, reliquæ transactionis conditiones & pacta, suo loco ac tempore, rata haberentur. Iisdem fermè temporibus, Paulus Centurio vir excelsi animi, & cosmographiæ peritissimus, necnon Lusitanorum iniurijs vehementer accensus, cùm orbis vastitatem, immensósque terrarum tractus, ac fluminum cursus, regionúmque & montium situs, & naturam animo perlustrasset, sollertis ingenij vi atque acumine, rem magni animi magnique incepti excogitauit, & aggressus est. Consiliis enim Leoni x. Pontifici, qui cum hæc omnia prius communicarat, probatis, literisque ab eodem acceptis, ad Basilium Magnum, Moscouitarum Principem, se contulit, duarumque rerum, quæ ipsi, ipsiusque regnis peramplæ, & honorificæ, altera etiam illarum fructuosissima futura esset, illi auctor fuit. Docuit enim, aromatum commercia à Lusitanis auerti, & in Moscouiam, maiore itinerum & subuectionum compendio transferri posse: quam rem Paulus Iouius in Moscouitarum historia planiùs explicat. Suasit præterea, vt secta Græcorum relicta, ad Romani solij auctoritatem, Romanæque ecclesiæ instituta se applicaret, sacraque, vt plerique Christiani Principes, à Romano Pont. peteret. Verùm Basilius, alterum de aromatum commercio repudiauit, siue inani metu, ne eas regiones quæ ad Caspium mare & Persarum regna aditum præbebant, exteris & ferocibus gentibus patefaceret, siue quòd rudia ingenia splendidis consiliis quæ multū ipsorum captum antecedunt, imparia ferè sunt: omnisq. nouitas rarò apud imperitos animos fidē & assensum inuenit. Ad alterū de sese cū Romana ecclesia cōiungendo animū adiecit, spe illa facta, facilè illum regij nominis titulum, cuius ipse percupidus erat, regiaque insignia à Romano Pont. impetraturum, eaque de causa Paulus, longis periculosisque itineribus sæpè vltrò citroq. commeauit, Legato etiam à Basilio Pauli suasu ad Clementem VII. misso. Ceterùm bene inchoata, & procedentia consilia obitu ipsius Pauli, ætate, ac diuturnis laboribus & curis confecti, Pontificisq. aduersis rebus interrupta ac planè euersa sunt. Habeo equidem haud incelebres scriptores, qui asserant, ipsum, cùm Indicæ negotiationis spes omnes, quoad Moschum attinet, abiecisset, seque omnibus votis exclusum animaduerteret, in Britanniam traiecisse, & ab eo rege illi aliquot naues obtas atque promissas fuisse, quò nouas, quanquam senio iam confectus, insulas & regiones detegeret, sed grauissima ægritudine correptum, Londini supremum diem obiisse, priusquam animo destinatam nauigationem susciperet. Etsi verò natura id insitum, vt consilia euentis ponderemus, ac cui faustè quid contigerit, prudentissimè illum prouidisse, cui infeliciter, malè sensisse iudicemus, non minus tamen præclara consilia, quamuis interdum prospero euentu destituta, si modò cum ratione coniuncta fuerint, quàm res ipsæ iure laudari debent: atque haud

Francisci regis liberatio.

Pauli Centurionis præclari dissus.

Res minimè ab euentu ponderandæ.

scio, an maior illis interdum laus sit tribuenda: siquidem consilia tota nostra sunt, exitus rerum plerumque, ac etiam maxima ex parte ab aliena voluntate atque arbitrio pendent. Proinde Pauli Centurionis, viri magnanimi ac præstantissimi egregia cogitata & incepta, quamuis temporum vitiis, & aliena culpa ad optatum exitū perducta non sint, nihilominus tamen debita laude prosequenda sunt, & in perpetuum celebranda: eoq. factum est, vt eius viri heroicos conatus, ac eximium ingenium hîc minimè silentio præterierim. Proximè ostendimus, inter Cæsarem, & Franciscum, pacem certis quibusdam legibus & conditionibus transactam, atque ita ipsum Galliarum regem pristinæ libertati auitoque regno restitutum. Ceterùm is, vbi primùm ad suos rediit, nihil potius habuit, nihilq; magis in votis, quàm vt statim nouum fœdus cum Clemente Pontifice, Venetis, & Francisco Mediolanensium Principe, aduersus Cæsarem percutere. Quod etiam decimo sexto Cal. Iunij de mutuo consensu per ipsorum legatos Cuniaci confirmatum est: cuius ea præcipua causa extitit, vt videlicet ipsi Cæsari, totius Italiæ imperium affectanti, communibus armis obuiam iretur, simulque inquissimum fuisse censuerant, quòd Antonius Leua, atque Piscarius, imperium Mediolanense Francisco Sfortiæ inuidentes, eum, tanquam defectionis à Cæsare consilia agitantem, reum fecissent, grauissimoq. laborantem morbo, in arce obsedisse, ac etiam aliquot vrbibus ereptis, hostem declarasse. Ea calumniæ vis cum summa malignitate Sfortiæ illata, Venetos, & Pontificem mirum in modū pupugit, vsque adeò, vt consternati animis, arma pararent, & Cæsarianos impotenter atque superbè fœderis fidem fallentes, atque impudenter sociorum exilimationem contemnentes, armis persequendos arbitrarentur, & Piscario interim morte subrepto, ad Mediolanum arma proferrent, vt Sfortiam, obsidionis & vitæ periculo implicitum, matura ope allata, liberarent. In hoc etiam fœdere comprehendebatur, vt, si contingeret Genuam communibus fœderatorum armis, pulsis Cæsarianis, recuperari, rex pristinam & consuetam auctoritatem in Rep. obtineret. Deinde, vt Antoniottus Adurnius, qui Cæsaris gratia subnixus, Genuæ, vt dictum est, rerum potiebatur, ea conditione in Principatu permaneret, vt Galliæ regem, supremum dominum, prout paucis antè annis Octauianus Fulgosius fecerat, agnosceret, & deinceps in fœderis societatem reciperetur. Interim cōfœderati Principes tam mari, quàm terra maximos apparatus faciebant: iamque classis ad Genuam opprimendum, vel, si hoc minus succederet, vt regnum Neapolitanum inuaderent, communibus sumptibus extruxerant: in qua quidem erant quatuor regiæ naues, ex his quas vulgò Galeones vocant, & sexdecim triremes, Venetorum tredecim, & Pontificiæ vndecim: cuius quidem classis Petrus Nauarrus, nuper præsenti pecunia Cæsaris potestati exemptus, cum imperio præfectus est. Terrestribus verò copiis Sigismūdus Malatesta, & Franciscus Maria Vrbinatium Princeps, Veneti exercitus summus imperator, de vnanimi fœderatorum cōsensu præpositus fuit, qui Cremonam adorti, eius expugnationem tentauerunt. Verùm, re parum succedente, ac temporis conditione maiorem occupandæ Genuæ spem ostendente, illa relicta, ad hanc se totis viribus contulere. Nam cùm Venetorum classis ad ciuitatem veterem se Pontificiæ coniunxisset, deinde vtraque in Ligurni portu, vt Gallicam classem opperiretur, constitisset, ea classis cum sexdecim nauibus lōgis, quatuor phaselis, ac totidem alterius generis, in occiduum littus appulsa, Sauonam ciuium consensu cum toto Occiduo littore occuparat: deinde, multis nauibus frumento onustis, quæ Genuam petebant, captis, Ligurnum, vt se aliis adiungeret, contendit. Hæ tres igitur classes quarto

1526.

Fœdus diuersorum Principum aduersus Carolū Cæs.

Bellici apparatus contra Cæsarem.

Ora Ligustica fœderatorū classe plurimum diuexatur.

Cal.

Cal. Septemb. Ligurno ſoluentes, Pontificia, & Veneta, in Delphini portu ſubſtiterunt: Gallica verò Sauonam rediit, vnde totum mare liberè percurrentes, ita Genuam, cõmeatus pænuria vndiq. preſſam, obſidebant, vt, cùm nihil amplius mari in eam vehi poſſet, non dubium foret, quin ſi aliquis militum numerus ipſis terreſtri itinere cum commeatum quo ſolo fouebãtur, intercepiſſet, Genuenſes deditionem facturi fuerint: nec claſſium duces nunc literis, nunc propriis nunciis aliud petebãt, niſi vt ſaltem quatuor peditum millia terreſtri itinere mitterentur: ſed ex Cremonenſi exercitu mitti non poterant: & cùm Vrbinatium Duci, aliiſque, exercitum, qui in Inſubria tunc temporis hærebat, minuere, periculoſum videretur, Cremona capta, militum iuſtam legionem mittere cogitabant. Sed interim Ligures, vt hoſtiles conatus reprimerent, ſex peditum millia, quorum quatuor millia ex vrbana iuuẽtute collecta fuerant, & reliqui auxiliarij eruptionem ex vrbe eo conſilio fecerant, vt ſexcentos pedites, qui cum Philippo Fliſco ex claſſe deſcenderant, adorirentur: ſed Philippus in ſummis montium iugis prope Delphinij portum ita ſe operibus munierat, vt eos non parua cum clade retrocedere coëgerit. Dum hæc ita vltrò citroque geruntur, claſſium præfecti, qui Genuę iam ferè in extremam anguſtiam redactę, maritimam obſidionem vrgebant, ſubinde vehementiùs inſtabant, vt fœderati milites ad eam terreſtri itinere infeſtandam mitterent, omnique ope ſtuderent, vt oppidani omni commeatu, quo, vti narrauimus, mirum in modum laborabant, intercluderentur. Ceterùm, cùm propter hoſtilem exercitum, magno militum numero adauctum, ſumma eius rei difficultas ſeſe offerret, deſperatis rebus, hæc expeditio in proximũ annum, & meliorem temporis fortunæque opportunitatem reiecta eſt. Interea temporis, Borbonius qui ad Cæſarẽ decimo ſept. Cal. Decembris in Hiſpaniam petuenerat, rebus ibi ex animi ſententia conſtitutis, Genuam cum quatuor, ſiue, vt aliis placet, ſex triremibus, & cum mercatorum literis, quarum vi centum aureorum millia ibi obtinuerat, ſecunda nauigatione appulit, indeque poſtmodùm Mediolanum cum imperio conceſſit. Paucis abhinc diebus interiectis, Prorex Lanoius cum viginti quinque nauibus, quia duæ naues, antequã Sanflorentium attingeret, tempeſtate perierant, & quinque ab aliis diſiectæ errabant, ex Corſica profectus, ſupra Sextrum Orientale, in fœderatorum claſſem incidit, quæ ſupra Codimontem duas horas ante ſolis occaſum congreſſæ, ad noctem vſque pugnarunt, & Auria hoſtilem nauim, qua amplius trecenti epibatæ deuehebantur, ſubmerſit, ac tormentis claſſem malè multauit: quæ tandem ſeſe ab hoſte explicans, Ligurnum, indeque Neapolim verſus enauigauit. Sunt qui tradant, in ea circiter quatuordecim millia hominum armatorum deuecta, & cum his etiam Ferdinandum Gonzagam, & Ferdinandum Alarconium alarum centurionem, & pleroſq. alios haud poſtremæ famæ ac nominis, ipſamque claſſem dira atque atroci tempeſtate agitatam, ita vt diſſipata fuerit, eiuſque partem, in qua erat Gonzaga, in Siciliam delatam, alteram verò Caietam incolumem tranſuectam, & mox præſidia in variis locis diſtributa. Hic annus toti Reipub. Chriſtianæ fuit quàm maximè funeſtus & calamitoſus: Quandoquidem, dum Chriſtiani Principes inter ſe infeſtis armis digladiantur, Solymanus in occaſionẽ ſemper intentus, ea æſtate arma victricia in Pannoniam conuertit, & ad Mugacium vſque, quod eſt oppidulum medio ferè itinere poſitum inter Budam atque Belgradum, caſtris promotis, Ludouicum ſecundum Hungariæ Bohemiæque regem, viribus atque armatorum numero longè inferiorem, cum hoſte potentiſſimo congredi auſum, in acie deuicit, & mox Budam ſuo imperio adiunxit;

Carolus Borbonius ex Hiſpaniis Genuam venit, & mox Mediolanũ contendit.

Nauale conflictus.

Chriſtianorũ clades in Pannonia.

Buda à Turcis expugnata.

indeque, ad victoriæ suæ monumentum, æneas statuas tres ingentes, quæ Mar-
thiæ, bello paceque inclyti regis, fuerant, Byzantium deportari iussit, eaque etiam-
1527. num ibi in Hippodromo collocatæ conspiciuntur. Interea temporis, iubi-
læus est annus supra millesimum quingentesimum vigesimus septimus, quo
quidem anno fœdus, cuius proximè mentionem habuimus, fuit renouatum; &
Franciscus rex bellum Carolo Cæsari indicit. Britannus in eius societatem vocatus, bellumque Cæsari Franciscus ipse Galla-
rum rex per fecialem suum de more indixit; quod sanè magnis & stupendis ap-
paratibus motum fuit; & dux Oddo Lautrechius cum validissimo exercitu in Ita-
liam breui pòst amandatus. Eodem etiam tempore, quò Genuam commodius
recuperaret, Andream Auriam, suum stipendiarium, rursus cum octo triremibus
Andreas Auria Gallicæ classi præficitur. conduxit, eique stipendiorum nomine triginta sex millia aureorum nummûm
annua promisit, ac etiam honorificentissimo maritimæ præfecturæ titulo, Am-
rantem mediterranei maris appellauit. Hic cùm Gallicam classem, quæ duarum
ac viginti triremium, egregiè instructarum, numerum æquabat, ex Massilien-
portu expectaret, & cum suis triremibus Sauonam se reciperet, Ligures hac oc-
casione Spediam recuperarunt. Ceterùm Auria, classe adauctus, superiora inte-
rioraque Liguriæ littora percurrebat, idque vnum iniunctum diligenter obiba-
munus, vt nempè frumentarias inuectiones impediret. Nam tum Genuæ fru-
menti inopia vehementer laborabatur, & pestilentia sæuire cœperat, nec satis
firma aderat classis Antoniotto Adurnio, vrbis, vti diximus, & Cæsarianarum
Genuæ summa annonæ caritas. partium principi, qua Gallicæ classi obsisti posset. Hæc dudum onerarias duas
Ferrariam, & Rapallinam, prospero destitutas vento, apud Flerentium Corsicæ
portum, persecuta, sese in littus eijcere compulerat, euadentibusque nautis, atq;
vectoribus, incenderat. Quam ob rem fiebat, vt Ligures, onerarias naues ad
coëmendum frumentũ, in omnes partes dimitterent, & quotidiè effusa in portum
esurientis populi multitudine, aduentum nauium expectarent. Earum fortè duæ,
siue, vt aliis placet, quinque, quarum quatuor frumento Siculo, vna mercibus
erant onustæ, sese in Delphini portum intulerant, vt inde, expectata idonea tem-
peste, clusa Aurianarum triremium custodia, ad vrbem peruecherentur. Quæde
causa superioribus diebus, apud portus fauces, Adurnius munitionem erigi pro-
pugnaculum extrui, ac præsidium imponi iusserat, eo consilio, vt ibi ab alto in-
trantia nauigia tutam haberent stationem, & ne à Gallicis triremibus oppugna-
rentur, terrestri cohortium præsidio defendi possent. His Adurnij consiliis dili-
genter exploratis, Andreas classe prouectus, idoneo in loco circiter quatuor mil-
lia peditum exposuit, vt à terra portum, & vicum occuparet, haud mediocri spe
totius hostium opprimendæ classis allectus. In ipso namque Delphini portu, pre-
ter aliquot Liguſticas naues, frumento & mercimoniis refertas, septem, siue, vt
aliis placet, nouem triremes aderant, partim Adurniæ, partim Cęsarianæ, quarum
prouiso periculo, Adurnius ferendæ opis consilium cepit, & Augustinum Spi-
nulam, prætorij præfectum, cum maxima parte prætorianorum, eò terrestri ite-
nere proficisci iubet. Is nauiter iussa faciens, per montana asperaque itinera con-
tendens ad vicum quem incolæ Brama-panem vocant, sub auroram peruenit.
Tum verò exoriente sole, ab hostibus, qui in littus descenderant, Spinula conspi-
citur, adeò præclarè, vt, cùm per deruptos & angustos tramites se demitterent,
militum numerus facilè recenseretur, & Auriani ampliore numero suorũ cõfir-
mati, obuiam descendentibus eundũ censerent. Erat modica planities, non longè
à fano D. Michaëlis, trecentorum fermè passuum. Eam Auriani duces Antonius
& Philippus prouecti, præoccupant, & Viscontem Cicadam nobilem significũ,

qui

qui præfecti Auriæ gestabat vexillum, cum valida sclopettariorum manu anteire iubent: ipsi mediam aciem excepturam descẽdentium impetum ex aduerso instruunt. Viscontes, nactus in his rupibus duos ingentes scopulos, post eos suam manum collocat; & primos descendentium hostes, effusa glandium procella, transitu arcere conatur. At Spinula, cõiectus in locum vnde se eripere sine ignominia, grauique suorum detrimento non posset, quanquam numero hostium terreretur, breui oratione militum animos confirmat; docetque, hostes facilè inuadi superariique posse, si se prætorianos esse meminissent, quorum neque virtutem, neque impetum, aut Galli noui milites, aut Auriani semiremiges laturi viderentur: nullaque mora interposita, æquissimo loco se demittens, Viscontis sclopettarios è scopulis deijcit. Hi pulsi, mediam aciem ex tumultuaria sua fuga perturbant; certatur tamen magna vi collato pede, sed vel paucorum hostium Auriani iniquo decliuique in loco impetum non diu sustinent, ita vt continuò terga darent, & sese in fugam per confragosam viam præcipites coniicerent. Spinula interim, pulsis atque perterritis, capto Philippo Auria, instat. Ab Adurniis clamor victoriæ attollitur, Galliique, & Auriani metu præpediti, adeò perturbatè ad littus descendere conantur, vt pauci, apprehensis remis, in triremes euaderent, reliqui cæsi, aut capti sint, aut per auias & inaccessas rupes effugerent, cùm multò plures eorum præcipiti saltu se eripientes, profundo mari mergerentur. Parta victoria, admirabili casu acciderat, vt eo ipso die Spinula ab Adurnio ad vrbem reuocaretur, quòd Cæsar Fulgosius à Lautrechio Genuam cum duobus millibus partim equitum, partim pedestrium virorum ablegatus, in Pociferam vallem se demisisset, iamque illum adesse, constanti fama nunciaretur. Quibus iussis Spinula minimè reluctari ausus, simulque suspicatus, quod verisimile videbatur, vt, se discedente, Auria classem inuaderet, trierarchos admonuit, vt se ad prœlium compararent, & nudatas propugnatoribus hostium triremes, aggrederentur. Quòd si id facere præstareque, vti oportebat, non possent, in altum se proriperent, & in quos fortuna, vel Liguriæ, vel Etruriæ portus offerret, propere confugerent. Ceterùm, vel terrestri victoria adiuti, nihil egregium, aut fortibus viris dignum, tentare ausi sunt, quòd defensores pariter ac remiges ad prædam incitati, conspecto hostium aduerso successu, in triremibus contineri nequiuissent. Secundum verò complexi consilium, cùm enauigare cœpissent, nec vllo prorsus vento iuuarentur, fessis remigibus, animos ita desponderunt, vt in tutum euadere posse desperarent, & continuò in eundem Delphinij portum redirent. Affuit occasioni suæ intentus Auria, & inuectus in hostes, triremes, præter vnam, omnes cepit. Hæc fuit Iustiniana, cognomento Gibba, quæ igne absumpta est, reliquæ cum nauibus frumento onustis, & Iustiniana, quæ dudum ex Oriente appulsa, mille auri pondo pretium ferre dicebatur, in hostium potestatem deuenerunt, eò facilius, quòd nexi seruique omnes ad transtra catenati, sublata voce, libertatem inuocassent, & propugnatores, epibataque omnes vndique descensione facta, dilaberentur. Captæ sunt ante alias duæ Genuenses, quibus præerat Iulianus Ripa Adurnij cliens. Aliæ fuerunt partim Siculæ, partim Hispanicæ. Cui rei gerendæ & aliæ Gallicæ rostratæ interfuerunt: quæ, cùm antea quinque naues oneratas frumento, Genuam petentes, cepissent, se deinde post Codimontem inter portum Delphinij & Genuam abdiderant: quo etiam tempore, nonnulli pedites ab Adurniis, vt eas Genuam ducerent, conducti, Piacurij, qui locus in illis montibus est, fusi fuerunt. Hæc autem gesta sunt sub Idus Augusti, ita alternante vices suas fortuna, vt qui terrestri pugna victores fuerant, mari victi, & mox debellati fuerint.

Augustinus Spinula aduersus Aurianos feliciter pugnat.

Andreæ Auriæ in portu Delphinij victoria.

fuerint. Cæsar namque Fulgosius, ad D. Petri fanum, quod vocatur ad Arenam, positis castris, caduceatorem regium in vrbem præmisit, qui Genuenses ad deditionem hortaretur, & si id facere abnuerent, omnia hostilia denunciaret. Adurnius, qui paucis antè diebus cùm videret, tantis difficultatibus terra marique Genuam implicari, vt ea vrbe suisque defensoribus, in extremam angustiam redactis, omnem tuendi spem adimerent, decurionibus permiserat, vt legatum ad Lautrechium mitterent, qui cum eo de pacis conditionibus transigeret, & caduceatorem repulit. Id autem legationis munus susceperat Vincentius Palauicinus, æquissimasque conditiones à Lautrechio retulerat, præter id vnum, quòd à Genuens. enixè petebatur, vt scilicet Sauonam vrbem populo Genuensi ablatam restitueret. Eam namq. vrbem, Annam Mommorantium, regis gratia innixum, sibi impetrasse, & Præfectum, nomine Moretum, imposuisse ferebant, eo consilio, vt Sauonensi portu, quòd esset Galliæ Cisalpinæ opportunissimus, postquam Genua alienæ esset ditionis, ad omnes belli cõmoditates vteretur. Ea re Genuenses nihil grauius sibi accidere posse rati, quàm vt Sauona, tot sæculis ciuitati contributa, subtraheretur, repentè commutatis animis, à priore deditionis consilio discesserunt, ita vt Adurnius non obscuram spem retinendi Principatus resumeret. Quapropter, exploratis Cæsaris viribus, noctu in eam eruptionem facere constituunt. Imposuerat Cæsar cum præsidio vnius cohortis Borrachinum præfectum in æde S. Benigni, sita in supercilio montis, qui imminet ei turri, quam lychno nocturni luminis, Pharum vocant, despectatque dextrorsum subiectam maris plagam, in qua, vti diximus, ad Arenæ templum Fulgosius consederat. Cognito hostium aduentu, Adurnij, & paucitate copiarum eius contempta, eos inuadendos decernunt, & post intempestam noctẽ, Augustini Spinulæ, Siniballi Flisci, & Gabrielis Martinengi Brixiensis alarum Præfecti, auspicio, eductis prætorianis, rectà ad eos proficiscuntur, adeò silenti agmine, vt apud Lazariam veterem portam, Borrachini excubias parum intentè speculantes opprimerent. Ab his, vbi sit Borrachinus, & vbi consistat Cæsar, discunt, continuoque dorsum eius promontorij conscendentes, Borrachinum semisopitum, confusumque suis excubiis capiunt, ac eius præsidium, paucis cæsis, & nonnullis vulneratis, fugatur, & per exteriorem rupis partem deiicitur. Fulgosius, audito strepitu, & iam inalbescente cælo, conspecta suorum fuga, hoste appropinquante, sese colligens, munimentum, à forte oblatum, irruentibus opponit. In ea namque parte littoris ædificabatur oneraria ingens nauis, Grimaldia vocata, iamque carina eius, scamnis, & naualibus canteriis, quos fabri scalas vocat, erant constituta, & costæ suis incuruis asseribus intexebantur. Itaque eo nauigio pro munitione vsus, sclopetarios opportunè disponit, & glandibus cõiectis, hostes ab accessu arcet. hi, bifariam diuisi, pars dextrorsum ad Fulgosinas copias, vbi erant equites nonnulli, Martinengo duce, defertur; altera contra Cæsarem procedit. Sed factum est egregia ipsius fortitudine, vt, qui in nauigio erant, hostes loco pellerent. Nam Cæsar, & à puppe, & à prora cum suis prosiliens, in ipsos Spinulanos, parum constanter pugnantes, & metu sclopetariorum perturbatos, erupit, & reliqui Fulgosiani Martinengum in congressu ita repulerunt, vt circumuentus in medio caperetur, Spinulaque ipse deueniret in potestatem, & Fliscus, qui cum clientum manu aderat, paruo temporis & loci spatio ex hostium manibus eriperetur. Eo modo Cæsar, semihoræ momento, in ipsa prope rerum desperatione victoria potitus, pleno passu ad vrbem contendit, & intra suburbana tecta viæ militaris, quam Fasciolam vocant, iuxta Theodori templi, tumul-

Genuenses Sauonæ iacturam grauissimè ferunt.

Insignis victoria Cæsaris Fulgosij.

tumultuariam Hispanorum manum; quæ subsidio mittebatur, magno impetu fundit, & ad D. Thomæ portam prouehitur. Nec diu pòst, ciues, excitati Fulgosij victoria, vti antè statuerant, neque postea impleuerant, Galliæ regis imperio se dedere decernunt, missisque Augustino Ferrario & Iacobo Lomellino legatis, Fulgosianarum partium studiosis, ac fautoribus, qui portam aperirent, & Cæsarem exciperent, victores introduxerunt. Ipse Princeps Adurnius, qui ad tumultum accurrerat, vbi introductos in vrbem hostes, ex populari acclamatione audiit, ad euitandum periculum, conuerso equo, in arcem properè confugit, paulùmque moratus, ad nouissimum consilium, quod erat ciuilis potiùs pietatis, quàm bellicæ virtutis, descendit. Neque enim eum animi vigorem, quem Hieronymus frater aduersis in rebus præ se tulerat, Antoniottus, vti erat remissiore ingenio, & articulari morbo correptus, ferebat. Statim siquidem Philippum Auriam, quem in arce captiuum habebat, liberaliter dimisit, atque orauit, vt operam æternæ laudis patriæ præstaret, ne in ea Principatus conuersione mutuis cædibus sese impeterent, quibus intestinis malis ciuitas in aliquod summum discrimẽ deueniret. Sibi quoque in eam publicæ salutis curam intento, nihil fore honestius arbitrari, quàm arce excedere, quò vrbanis rebus tranquillitatem afferret. Cum his mandatis Philippus æquè fidus & alacer, ab arce in aream Aurianam descendit, aduocat contribules, & plerosque alios ciues, grauique & appositâ oratione perfuadet, vt Galliæ regis imperium lubentibus animis suscipiant, veterum odiorum, & factionum obliuisci, & ab omni contentione discedere velint. Ea Philippi oratione permoti ciues, ad comprimendum plebis & militum tumultum, per vrbem discurrunt; atque illicò Fulgosij moderatione, & ciuium precibus, armorum strepitus sedatur, tanto parendi obsequio, vt nulla domus, præter Decurionum prætorium, plebis concursu diriperetur, sic, vt admirabile videri potuerit, in tanta perturbatione, nullo propè effuso ciuili sanguine, vrbanas res, tam placidè pacatas atque compositas fuisse. Quòd si Aurianæ Gallicæque triremes, quæ tunc temporis, haud sanè citra maximum Reipub. beneficium, aberant, eo die portum tenuissent; ciues omninò suspicabantur, nauales turmas, vti prædæ auidas, non facilè coërceri potuisse, quin effusissimè grassarentur. Itaque singulares à Senatu atque omnibus ordinibus Cæsari gratiæ sunt actæ, quòd Galliæ regis commodo, quàm propriæ dignitati atque amplitudini, quam armatus arripere poterat, studere maluerit. Erat enim Cæsar Iano patre genitus, qui tum Veneris in castris militabat, ac Genuæ Principali dignitate, aliquamdiu, sicuti suo loco memorauimus, potitus fuerat. Data sunt ei, virtutis & clementiæ nomine, præmia signatæ pecuniæ, nempè duorum millium aureorum, & certissimi annui reditus alimenta, quæ ad posteros transirent, Senatus consulto constituta; eiusque militi trium stipendiorum solutio publico nomine fuit exhibita. Adurnius arcem ciuibus reddidit, & cum præsidio suorum clientum, patriæ ac Principatu cedens, ad paterna castella se recepit: pauciscq. pòst mensibus, cùm ad Antonium Leuam profectus esset, apud Mediolanum sine prole fato concessit. Exiguo temporis spatio interiecto, rex Galliæ Theodorũ Triuultium, virũ nobilitate, multisque virtutibus insignem, Genuam misit, quò ibi suo nomine præesset: isque deductus in Senatum, consensu ciuium, ipsoque Auria, in ea re plurimum allaborante, decuriones in verba regis sacramento adegit; cùm paulò antè Cæsar Fulgosius ad Lautrechium in castra rediisset. Hic enim, iam emensis Alpibus, Bocum, Alexandrini agri oppidum, post decem dierum oppugnationem, sui iuris fecerat; ipsamq. Alexandriam & Vigeuanum occupauit; ac breui pòst, Ticinum

Genua in potestatem regis Galliarum redit.

Prætorium à plebe direptum.

Senatus erga Cæsarẽ Fulg. gratitudo.

Antoniottus Adurnius Principatum deponit.

Eiusdem obitus.

Theodorus Triuultius Genuæ præficitur.

expu-

Gallorum ad Ticinum sæuitia.

expugnatum atque direptum, & per octo continuos dies in eam ciuitatem vehementer sæuitum, atque ob cladis acceptæ memoriam, plurima ædificia incensa. Post hæc, omissa expeditione Mediolanensi, in quo sanè humanarum rerum peritiores, grauissimè ab eo erratum fuisse, ratiocinantur, Placentiam, indeq. Romam versus castra produxit, eo animi decreto, vt quemadmodum sibi à suo regno iniunctum fuerat, & Fœderati Principes inter se conuenerant, Romam, ad liberandum Pontificem, eoque pristinæ libertati atque amplitudini restituto, Neapolim cum suo exercitu contenderet. Rex Franciscus, per idem tempus quo Lautrechius in Italiam, vti narrauimus, profectus erat, vt eam expeditionem prosequeretur, præualidam classem duodequadraginta triremium, quarum quidem octo ad Auriam, quatuordecim ad Gallos, & sexdecim ad Venetos pertinebant, exornari iusserat: quæ omnes iam Ligurnum portum, quem antiquitùs Ciceronia captam, longè faciliùs Siciliam occupari posse sperans, hoc consilium compbauit. Quæcumque tandem causa fuerit, classis in mari aduersa tempestate agitata, huc atque illuc, quò procelloſi turbines cumque ferrent, vagabatur: vna cum Gallicis triremibus prope Sardiniæ littora naufragium fecit: quatuor Venetæ, valdè concussæ, Ligurnum redierunt: Gallicæ reliquæ, ventorum impetu in Corsicam actæ: vbi postea in portu veteri quatuor Venetæ se illis conIunxerunt: reliquæ octo, Ligurnum transportatæ sunt: denique Auria, & Caprite admodum inter se dissidentibus, ea expeditio huiusmodi exitum habuit, vt omninò maximum toti classi detrimentum attulerit. Quippè Saxeti, vbi Præfecti totius insulæ, & Sardorum conuentu celebri, à Rentio expugnata, ibi tantam omnis generis annonæ copiam repertam fuisse tradunt, cùm frumenti, vini, tum salitæ ac recentis carnis, & ceterarum rerum, vt partim earum inguie, partim etiam Sardoi cæli intemperie, paulò antè esurientia corpora morbis tentarentur, nec secus ac in tabifica lue fieri consueuit, magnus ægrorum numerus interiret, adeò miserabiliter, vt non modò in classiarios ac remiges, verùm etiam ad aliquot nobiles trierarchos ea contagiosa labes permanaret, fermeque dimidia hominum pars absumeretur, reliqua verò lethaliter langueret: eaque des siniſtro prœlio maior æstimata, sic sanè, vt in ea nauigatione cuncta omnino improspera & aduersa experirentur, donec tandem ab infami littore discedentes, in eum portum vnde prius infaustis ominibus soluerant, redierunt. Inter hæc Borbonius, licet neque pecuniis, neque commeatu, nec etiam puluere tormentario ceterisq. rebus ad bellum opportunis ac necessariis esset instructus; nihilominus tamen suorum militum, quorum omnium fermè erant Germani atq. Hispani, studio atque alacritate confisus, emenso Apennino, in Florentinorum dictionem peruenit: cumque occupandæ vrbis, cuius opibus ipsi ditari sperauerant, facultas non daretur, spretis indutiis à Carolo Lanoio cum Pontifice nuper pactis, maximis itineribus Romam contendit, vbi Pontifex, exauctoratis magna ex parte militibus, accepta Lanoij fide, se tutum existimabat. Borbonius igitur cum suis copiis, tertio Nonas Maij, in Pratis prope vrbem est metatus: & militari insolentia præconem, qui iter per ipsam vrbem, vt cum exercitu in regnum Neapoli-

Lautrechij in regnum Neapolis expeditio.

Naualis apparatus regis Galliarum.

Gallorũ classis tempestate agitatur.

Sardiniæ expeditio Gallis infeliciter succedit.

Carolus Borbonius Romã cum exercitu proficiscitur.

politanum iret, sibi concedi postularet, misit prima luce insequentis diei in ipsa aurora, eo animo, vt aut victoria potiretur, aut mortem oppeteret, (vix enim alia spes rebus ipsius reliqua videbatur) exercitu, suburbio, quà mons, quàq. Sancti Spiritus templum est, admoto, atrox pugna est cœpta. Fuit autem in hoc propitia fortuna, quæ vt exercitum tutiùs admouere posset, densissimæ nebulæ beneficio ante lucem excitatæ, tamdiu eos texit, donec ad eum locum in quo certamen inchoatum est, citra obstaculum peruenissent. Cuius certaminis initio Borbonius extrema desperatione, non modò, quia, nisi victoria potiretur, nullum ipsi reliquum perfugium erat, verùm etiam quòd Germani ipsi in prœlio segniores viderentur, ac etiam repulsi essent, sese in primam aciem coniecit, primusque scalam funesta manu mœnibus, vt murum ascenderet, applicauit. Sed illicò sclopi glande per inguen dextri femoris, siue, vt aliis placet, per crus sinistrum, permissus, repentè sublatus est. Huius interitu, militum ardor non solùm non deferbuit, sed etiam multò magis, Philiberto Auraico in primis auctore, qui aiebat, Borbonium dumtaxat vulneratum, ideoque vlciscerentur vulnus Imperatoris sui, est accensus, ita vt postquam ad duas horas magna vi vtrimque decertatum esset, tãdem suburbana tecta sint ingressi, & mox magno impetu ac tumultu eodem die horam vnam ante Solis occasum, per Xisti pontem in vrbem ipsam agminatim irrumperent. Nullis autem verbis exprimi posset, quantam libidinem ac sæuitiam promiscuè in omnes exercuerint. Non dignitas, non ætas protegebat, quò minùs stupra cædibus, cædes stupris miscerentur. Grandæuos senes, exacta ætate feminas, viles ad prædam, in ludibrium trahebant. Vbi adulta virgo, aut mulier forma conspicua incidisset, vi, manibusque rapientium diuulsa, ipsos postremò direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam, vel grauia auro templorum dona sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabantur. Quidam obuia aspernati, verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere. Faces in manibus, quas, vbi prædam egesserant, in vacuas domos, & inania templa per lasciuiam iaculabantur. Vtque exercitu vario linguis, moribus, diuersæ cupidines, & aliud cuique fas, nec quicquam illicitum, omniaque sacra profanis admiscebantur. Denique omnia victorum arbitrio cessêre, ita medius fidius, vt eius vrbis, cui, diuino quodam fato, ad summum amplitudinis fastigium conscendere datum fuit, sic tamen, vt crebris quoque direptionibus destinata sit, (erat enim is annus D. CCCC. LXXX. postquam à Gothis direpta fuerat) calamitates non modò, vt dictum est, explicari, sed ne cogitatione quidem comprehendi possent. Cùm in pugna, tum in ipso direptionis furore, circiter quatuor hominum millia desiderati esse dicuntur. Pontifex, qui in Vaticani æde rei exitum expectabat, vbi hostes irrupisse audiuit, statim se cum multis Purpuratis, aliisque sacri ordinis viris in Adriani molem recepit. Tandem exactâ ab ipso, post aliquot dies, ingenti pecunia, abactâque vndique præda, Auraicus, qui post occisum Borbonium, totius exercitus præfecturam susceperat, cum suis copiis Neapolim perrexit. Hunc exitum habuit eo tempore vrbs inclyta, & celeberrima, quæue olim suum imperium per vniuersum terrarum orbem protulerat; clarissimo sanè documento, nihil planè tam firmum ac solidum esse in humanis rebus, quin, relicta fortuna sua sede, variis conuersionibus obnoxium sit, & interdum nihil aliud, præter sui memoriam, relinquat. Illud verò pænè iam in hac tragica commemoratione exciderat, nempè Borbonium, adhuc spirantem, Romæ, haud multò pòst, vt à quibusdam asseritur, expirasse, necnon ab vniuerso exercitu deploratum, adeò vt Germanus miles ipsius tumulo hunc titulum

Borbonij mors.

Roma expugnatur, atque diripitur.

tulum inscripserit: *Auctо imperio, superata Italia, deuicto Gallo, Pontifice obsesso, Roma capta, Caroli Borbonij hoc marmor cineres continet.* Sed antequam huic libro finem imposuero, adiungere, meo equidem iudicio, non erit extra propositum, has miras & planè stupendas calamitates terribili cometa ingentis & monstrosæ magnitudinis, qui in ditione Palatinatus, 11. Decembris die, in occasu visus & obseruatus fuit, præmonstratas diuinitùs fuisse. Erat enim ipse omninò cruentus, nube terribilis, stellis, hastis & gladiis, etiam capitibus abtrũcatis hinc inde circumdatus, adeò vt complures hoc tam diro & horribili spectaculo in morbum & syncopen inciderent.

Cometa in Palatinatu visus.

LIBER XX.

1528. *Genua peste atrocissima diuexatur.*

OCTAVVS & vigesimus annus eiusdem æui, ciuitati Genuensi adeò grauis propter diram assiduamq. pestem cũ magna hominum strage grassantem, & ad multa millia depopulantem, extitit, vt non solùm ipsos ciues, ad euitandum contagionis præsentis periculum, verùm etiam exteri, & præsertim præsidiarius miles, derelicta vrbe, in alias oras tutum secessum sibi quærerẽt, sic profectò, vt, defœdata continuis rogis & funeribus ciuitate, ad magnam solitudinem & vastitatem redigeretur. Huius nihilominus tam funesti anni calamitas, ingenti felicitate, vti postea enarrabimus, compensata fuit. Statim enim, vbi tabifica illa lues deferbuerat, reuersis postliminiò in vrbem ciuibus, P. C. nihil habuêre prius, quàm vt omnes cogitationes, animiq́ue curas, ad Reip. statum, multis modis & variis de causis labefactatum, corrigendum conferrent. Flagrabant interim optimi cuiusque animi recuperandæ pristinæ libertatis desiderio, sic me herculè, vt nunquam maiori studio ab omnibus allaboratum fuerit, vt de publico bono deinceps haberetur ratio. Proinde conspirante hominum consensu in vrbis emendationem, publicis votis atque suffragiis Francus Fliscus, Baptista Spinula, Stephanus Iustinianus, Simon Centurio, Augustinus Lomellinus, Philippus Cataneus, Ioannes Baptista Monelius, Ioannes Dauanius, Nicolaus Grimaldus Ceba, & Hieronymus Auria, renuntiati, qui hanc prouinciam in se deriuarent atque transferrent, Triuultio, ex regis consensu, ad quem ciuitas huius rei gratia, paulò antè honorificam legationem miserat, rem non impediente, quòd non magnoperè sui regis interesse existimaret, quo in cardine Reip. status coniectus esset, quáue administrationis forma vteretur, modò in cæteris rebus suum illi officium atque obsequium præstarent. Intelligebat enim pro sua singulari prudentia, multiplici rerum cognitione atque vsu confirmata, nihil pace animorumq́ue coniunctione melius, nihilq́ue factionum ac dissidiorum, quæ sæpe florentissimas quasque ciuitates, & integras Reipub. euertissent, obliuione tutius atque salubrius inueniri. Ceterùm, vt planius intelligatur, quænám Reip. forma hoc tempore introducta fuerit, oratione paulò altiùs repetita, quàm breuissimis fieri poterit verbis, explicabitur. Libertatem Genuenses in vniuersum hactenus longi ac diuturni temporis decursu exoptasse potius quàm sperasse videri poterant, quòd eorum ingenia nunquam fermè satis pacata, nouis semper studerent rebus, & mutatione Principatus, tumultuq́. vbano mirum in modum gauderent, parata semper plebe ad excitandas seditiones suopte instinctu, impulsuq́ue Procerum, qui diuersas alere factiones, ostentare

Noua Reip. forma introducitur.

Genuæ diuersa studia et factiones.

potentiam, & modò his, modò illis, prout repetina libido ferebat, partibus adesse consueuerant. Ciuitas siquidem seditiosi sæculi mores secuta, insano & miserabili instituto, non in duas, vti priscis temporibus, sed in diuersas atque multiplices factiones, vti antea luculenter ostendimus, scindebatur. Graui enim Guelforum atque Gibellinorum planè diuersa, sed interneciua, factione laborabat; quorum principes erant nobilissimæ inter Ligures familiæ patricij ordinis nuncupatæ, Spinula scilicet, & Auria, Gibellinæ; Fliscа verò atque Grimalda, Guelfum nomen professa: reliquis suæ factionis, ardentissima ad nouos motus & argenti, vrbis Principatu potiretur: siquidem cùm Democraticus status plus Aristocratico semper potuisset, hunc supremum honorē populus sibi vni, tanquā proprium, & continua serie à multis retroactis annis integrum reseruarat. Nam inter cetera plebis vitia, quibus plerumque laborare consueuit, hoc malum populi animos inuaserat, vt inter populares familias, nouum æmulationis ac primariæ dignitatis certamen esset exortum, & distractis multorum animis, multæ deinceps turbę subsequebantur, adeò vt hinc quamplurimi diuersarū factionum auctores inter ipsos populares emerserint; quorū quidem præcipui erant Adurnij atque Fulgosij, qui Gibellina studia propugnabant. Hi perpetua dissensione à maioribus per manus traditum supremæ potestatis & imperij æquo decus petebant, certabantque odiis, & armis, inclinante ad eos victoria, ad quos patricius ordo, & popularium amplior manus accessisset. Magna quoque spes Principatus posita erat in minoris classis studio. ea enim, opifices, infimamque plebem continebat, cuius erat multitudo ingens, & ad capienda arma ferendasque seditiones paratior. Hæc infima populi classis ante viginti annos ab insolentia turbulentiaque ingeniorum, tantum inualuit, vt, sicuti suo loco memorauimus, patricios, tanquam superbè dominantes, expelleret, introductaque & constituta democratia, à Gallici regis, in cuius clientela erat ciuitas, auctoritate discederet. Qui cerrè tumultus vsque adeò grauis fuit, vt vix aduentu armati regis perdomita ciuitate, coërceri potuerit. Igitur sub aduentum Auriæ, Genuenses, animos à priscis dissensionibus ad mutuam pacem & concordiam reuocantes, pro curanda, vt antè diximus, Reip. multum deformatæ, & fermè ad interitum properantis, quiete, consilia inire cœperunt: quæ haud multò pòst, sicut inferius enarrabitur, cum maximo & immortali vniuersæ vrbis, ac totius agri Ligustici beneficio, ad optatum exitum perducta fuerunt. Sub huius temporis tractum, Laurechius, pòst Papiam, aliaque circumuicina loca, in Insubriis feliciter, vti memorauimus, expugnata, relicta Mediolanensi oppugnatione, regium exercitum in regnum Neapolitanum traduxit: ibique multis arcibus atque oppidis munitissimis, sui regis imperio adiunctis, decimo quinto Cal. Maij, Cauiani ad quintum à Neapoli lapidem castrametatus, Neapolim, illius regni primariam sedem, grauissima obsidione cinxit; atque Auriam, & Venetos, vt illam itidem sua nauali classe premerent, vehementer vrgebat. Sed Veneti, cum in Sardiniensi expeditione infeliciter tentata, propter maris molestias, & aduersas tempestates, atque etiam propter commeatus penuriam, non parum incommodi accepissent, vbi primùm sese Ligurum receperunt, quarto Idus Februarij cum duodecim rostratis nauibus, per Siculum fretum Corcyram adnauigarunt, quò illas reficerent. Et quamuis Veneti se, illarum loco alias duodecim, quæ sese cum fœderatis coniungerent, missuros pollicerentur; eædem tamen Corcyræ admodum lentè ac segniter refectæ, multis pòst diebus in Tranij portum delatæ: ipsique

Neapolis à Laurechio obsidetur.

Veneti priuata commoda alienis anteferentes, etsi ex Neapolitana victoria omnia penderent, vt prius Pulinianum, Hydruntum, & Brundisium caperent, cunctabantur. Rentius verò cum ceteris Gallicis, quatuor Frabernardini, & quatuor Venetorum, quæ omnes simul erant, post suum reditum è Sardinia, Pisis æger subsistebat. Solus Auria, simulac Genuam cum octo suis triremibus, & totidem Gallicis rediit, nihil antiquius habuit, quàm vt Lautrechij voluntati morem gereret; ideoque omni mora posthabita, Philippum Auriam, suum ex fratre nepotem, cui, licet admodum iuueni, ob singularem indolem, & acerrimi animi fortitudinem, plurimum tribuebat, cum suis octo triremibus, & duabus nauibus egregiè instructis (nam reliquæ per id tempus exarmatæ erant, ad eum misit, qui Cumanum littus legens, in itinere nauim frumento onustam cepit, & bellicis tormentis Cæsarianos à Magdalenæ fano pepulit: breuique pòst, duas frumentarias naues adortus, pari felicitate intercepit; & intellecto per idoneos exploratores hostium consilio, enixè à Lautrechio contendit, vt statim trecentos sclopetarios ad se mitteret, qui, Crochio duce, paulò antè quàm hostilis classis conspiceretur, recepti fuêre. Hæc verò sex triremium & totidem Liburnicarum, inter quas erant duæ minoris notæ, numerum æquabat; eaque mille Hispani sclopetarij lectissimæ iuuẽtutis, & cum his Vgo Moncada, vir, præter bellicas virtutes, regia stirpe oriundus, & Prorex Neapolitanus, ac plurimi duces & magnæ auctoritatis viri, deuehebantur; eaq. Gobbi Iustiniani, in maritimis rebus plurimum exercitati, & magni nominis ducis, consilio atque imperio gubernabatur, & multas scaphas piscatorias, vt hostes à longè plurium nauium specie terrerent, adiderunt, & sic Pausilypo soluentes, ad Capreas insulam cõtenderunt, atque illinc Mineruæ promontorio ad sinistram relicto, & in altum progressi, duas triremes cum eiusmodi mandato, vt prope hostes accederent, mox, quò eos ad pugnam elicerent, fugã simularent, præmiserũt. Philippus interim, etsi magno animo ad certamen comparasset, nihilominus tanto conspectarũ nauium numero commotus, valdè dubius hæsit: sed mox vbi propiùs hostes accessissent, sex modò triremes adesse cernens, hoc metu est liberatus. Proinde forti animo, vt nauali belli peritissimus, tres triremes fugæ specie à reliquis suis, vt circuitu capto secundo vento, in hostiles naues à latere & puppi adorirentur, recedere iussit: ipse interim cum quinque in hostem inuehitur; qui sua tormenta displodere, vt fumo excitato, ipsi certior ictus ac visus eriperetur, constituerant: sed Philippus, ingens triremis suæ tormentum, quod Basiliscum appellabat, displosit: cuius pila prætoriam nauim in qua Vgo erat, petens, quadraginta viros primo ictu, & his, nauis præfectum, cum multis naualibus ministris, interfecit: aliisque mox tormentis displosis, multos præterea sustulit ac vulnerauit: vicissim verò, tormenta ex Vgonis naui librata, Philippi nauis centurionem interemêre, ac nauclerum vulnerarunt: deinde cominus concurrẽtes, scloppis & aliis telis rem acriter gerebant. Sed Ligures, in his pugnis exercitati, intra circumseptas assseribus spondas proclinati, cautè per transtrorum interualla decertantes, pericula virabant. Sic dum hæ duæ triremes summa ferocitate ac terrore simul pugnarent, tres aliæ Cæsarianæ, duas Liguscas oppugnabant, & iam longè superiores erant; cùm tres illæ Liguscæ, quæ primò fugam simulantes, altum petierant, in hostes suo flexu conuersæ, in prætoriæ latus sunt inuectæ: ex quibus, quæ Neptunia vocabatur, malo eius conuulso, magnam intulit cladem. Hîc, Vgo vulnere in brachio accepto, & dum suos hortaretur, lapidibus ac piceis ignibus ex hostilium nauium summis malis coniectis, obrutus, fortissimè pugnans, interijt. At Philippi

Stratagema militare.

Nauale conflictus.

Insignis clades Hispanorum, in mari à Philippo Auria inflicta.

lippi prætoria, & Maura, Vgonis prætoriam, reliquæ duæ Gobbam tormentorum fulminibus depressêre, in qua periit Feramusca: interea verò, reliquæ Philippi triremes, duas ex suis, ab Hispanis oppressas, recuperarunt, & illorum Liburnicas ceperunt: duæ tantùm Hispanæ, hostes victoria potiri conspicatæ, malè multatæ, vix euaserunt. Philippo in hac pugna in Salernitano sinu habita, magno vsui fuerunt Turcæ & Mauri remiges, qui libertate donati, strenuissimè pugnarunt. Vgonis Moncadæ, & Feramuscæ, cadauera, in mare proiecta: capti autem Alfonsus Daualus, Ascanius Columna, Princeps Salernitanus, Cruccius, Camillus Columna, Gobbus Serenonius, & pleriq. alij duces ac præstantes viri, & supra mille insignes bellatores perierunt, adeò me hercle, vt nesciam, an à multis retroactis annis clarior vlla victoria in illo mari extiterit. Captiuos Philippus cum tribus nauibus longis Auriæ misit, qui belli iure in potestatem ab eo recepti, multis precibus instabant, vt præsentis sui status conditionem prompta pecunia sibi redimere liceret, ne scilicet regi Galliæ ad diuturni carceris miseriam traderentur. Verebantur etenim, ne se rex multis de causis repeteret, quòd sub eius potissimùm auspiciis capti essent. Sed Auria ex priuatis stipendij sui conditionibus id se facturum pernegabat: quod longè molestissimum magnanimo regi; cupidissimoque ostentandæ liberalitatis & clementiæ in captiuos, dolorem afferebat; vsqueadeò, vt iracundia correptus, Auriæ responsa, tanquam insolentiæ, & non obscuræ auaritiæ plena, contumeliosè detestaretur. Dicebat enim Auria nuper expetenti regi Philibertum Auraicum, abs se mari captum, dum Cæsaris iussu ex Hispania in Italiam solueret, & pręgrandem pecuniam pollicentem, liberaliter concessisse, neque postea regem, vti promisisset, iuraque militiæ postulabant, pro captiuo vllam omninò pecuniam rependisse, eumque pro accepto munere, aliam non reddere gratiam, quàm vt ipsum, meritorum stipendiorũ spe & longa expectatione frustraretur. Sed Auriam, sicuti postea cognitum est, vt duriorem se æquo regiis postulatis inexorabilemque præstaret, nequaquam pecuniæ cupiditas, sed ingens amor erga patriam impellebat: quo quidem factũ est, vt à Gallici regis stipẽdiis, quibus per totum Iunium mensem obstrictus erat, discedere statuerit; eaque de causa, paulò antè se Genuam receperat, neque cum triremibus in regnum Neapolitanum ire voluerat. Cumque eum rex vniuersæ suæ classi, quæ Massiliæ adornabatur, præficere vellet, quòd se ob ætatem ijs laboribus perferendis non amplius aptum esse diceret, id constantissimè recusauit. Interim eum Genuensibus inibat consilia patriæ libertatis restituendæ, multorumque animos aduersus Gallum irritabat, quòd scilicet rex non solùm Sauonenses, qui antiquo iure Genuensibus semper paruerant, liberos effecisset, sed contrà toties promissam fidem, antiquam etiam Genuæ oppressisset libertatem. Quæ quidem multò antè prospiciens Theodorus Triuultius, iamdudum ad regẽ scripserat, satius esse, Sauonam Genuensibus reddere, quàm populis, naturali instinctu rerum nouandarum cupidis, eo tempore nouarum commotionum ansam præbere: simulque monebat, Auriam, virum ad omnem rem maritimam opportunissimum, liberalitate atque officiis retinendum esse. Clemens quoque Pontifex Auriæ conuersam voluntatem, & immutata studia intelligens, per Saluiatum legatum, regem amicissimè præmonebat, vt sedulò aduigilaret, ne Auriæ aliqua ratione ab officio discedendi occasio daretur, quòd scilicet ipse in re nauali exercitatissimus, & maximè tam apud suos, quàm apud exteros summæ auctoritatis ac nominis, omninò in fide atque amicitia retinendus esse videretur; ne, si ad hostem transiret, spes omnis exploratæ victoriæ non parum labefactaretur.

Andreæ Auriæ à rege Gall. alienatio.

Triuultij prudens ac fidele consilium.

Proinde imponendos esse iracundiæ frenos, ne publicis rebus officeret, si pertinaciùs vel iusto dolori indulgendum arbitraretur. Misit etiam Clemens ad Auriam, Titum Sangam ab epistolis, virum singulari rerum vsu & prudentia præstantem, qui ei suo nomine auctor esset, ne quid properè transigeret, præsertim cùm perpetuum eius studium, fideq. veteris constantiæ ab omnibus Fœderatis exigeretur. Idem quoque die, vndecimo Cal. Iulij, rem Lautrechio patefecit; simulque postulauit, vt sibi eum suis stipendiis conducere permitteret, quò Cæsarem eo priuaret; affirmans, Philippum Auriam intra decem dies cum classe Neapoli discessurum. Rex interim, de his omnibus certior factus, periculum, cui iam mederi non poterat, animaduertens, Petrum Franciscum Nucerinum, vt illum in suis stipendiis retineret, misit, per quẽ se in Sauonæ rebus eius desiderio satisfacturum, viginti aureorum nummûm millia creditorum stipendiorum nomine, & totidem millia Auraici Principis, olim ab ipso capti, & pòst à rege in Madritiensi compositione dimissi, mulctæ daturum, promisit: & si captiuos ipsi vellet tradere, priusquam eos dimitteret, mulctas eorum persoluturum: quod si etiam facere recusaret, in eo regem minimè ipsi molestum fore. Cuius quidem verbis, cùm iam Auria defectionis suæ à rege rationem redderet, minimè assensus est; sed post exiguum temporis interuallum, Gallorum insidias veritus, se Genua cum suis nauibus & captiuis in Ericis portum recepit. Et licet Auria ipse defectionis suæ graues & magnas causas affetret, quibus facti sui rationem redderet, tamen hæ præcipuæ esse videbantur, quòd posteaquàm regi magna cum fide & diligentia per quinquennium operam elocasset, rex Barbigium rei maritimæ, nõ sine magna Auriæ iniuria, vt ipse existimabat, præfecisset. Quòd viginti, siue, vt aliis placet, triginta aureorum millia sibi stipendiorum nomine debita, sine quibus triremes suas sustentare minimè posset, non persolueret: quodque iustis precibus suis, vt Genuensibus consuetam Sauonæ auctoritatem restitueret, impetrare nequiuisset: imò in regio Senatu de se, vt qui sua auctoritate nimis superbè vteretur, capite plectendo agitatum fuisse querebatur. Alij, contentiones in Sardiniæ expeditione inter Rentium Ceritem & ipsum ortas, qua in re, ipse rei magis Rentij verbis, quàm ipsius rationibus aures accommodasse visus erat, primam huius rei causam fuisse aiebant. Deinde sunt qui existiment, ipsum Auriam ægerrimè tulisse, quòd rex captiuos, præsertim Vastium, atque Ascanium Columnam, licet pecunia redemptionis oblata, repeteret. Hæ etsi verisimiles causæ videantur, & multorum testimonio comprobentur, tamen multi exteri, & in primis quidem Galli, ipsius nomen ac existimationem, eo potissimùm nomine traducunt, quòd asserant illum, sub prætextu patriæ in libertatẽ asserendæ, priuatam potentiam, atque adeò Principatum Genuæ sibi quæsiuisse, ideoque cum Vastio, ceterisque Cæsarianis præcipuis Ducibus clàm egisse, vt à Cęsare nouis stipendiis conduceretur. Ego hoc vnum ex tanta scriptorum varietate post diligentem inquisitionem eruere potui, Auriæ à rege Galliarum alienationem non aliunde fluxisse, quàm ab ingenti amore & charitate, qua patriam & ciues suos prosequebatur. Nam, cùm videret, illam Gallicis armis oppressam, nec facilè rationes recuperandę libertatis inueniret, ad Cæsaris clementiam & imperij magnitudinẽ, ceu tutissimum asylum, confugere statuit, adeò vt hac de causa Antonio Leuæ, strenuissimo Cæsaris duci, certa capita, sub quorum conditione ad Cæsarem transire statuerat, transmiserit; quæ Cæsaris auctoritate confirmari cupiebat. Quius quidem pactionis hæc ferè capita erant.

Causæ quæ Andream Auriam impulerint, vt à rege Galliarum ad Cæsarem transiret.

Conditiones inter Cæsarem & Andream Auriam initæ.

Vt Genua sub Cæsaris patrocinio libertate frueretur.

Sauo-

Sauona Genuensibus pareret. Ipsi Auriæ, qui Hispanicum nomen tanta acerbitate antea prosecutus erat, venia daretur.

Vt Cæsari cum duodecim triremibus deinceps militaret, quarū nomine, sexaginta aureorum millia quotannis acciperet. Quibus certè conditionibus haud aliæ paucæ, ipsi Auriæ in primis vtiles, & honorificæ, accessere. Itaque Auria, vbi cum Cæsare transegisset, euestigiò torquem conchyliatum, quem honoris causa ab rege delatum acceperat, ad eum remisit; quo remisso, se militari sacramento absolutum ratus, totum animum ad patriæ liberationem adiecit. Genuæ, sicuti antea demōstratum est, in hoc fermè rerum tractu, grauissima pestis grassabatur: ideoque cùm ferè ab omnibus, ac pęnè etiam ab ipsis militibus, desertæ esset, eiusdemq. periculi causa Triuultius, vrbis præfectus, sese in arcem recepisset, Auria, huiusmodi occasione arrepta, cum aliquot instructis triremibus ad vrbem, parua tamen spe, cùm non vltra quingentos pedites in armis haberet, profectus est. Verùm, Gallica classis, quæ in portu ad anchoram substiterat, non parum verita, ne sibi in Galliam reditus intercluderetur, Genuæ rebus neglectis, Sauonā versus, Barbigio duce contendit. Proinde cùm Genuę perexiguum esset præsidium, licet ipse Triuultius in prætorium rediisset, nihilominus tamen cùm populus Genuensis ob libertatis Sauonensibus concessæ iniuriā, Gallico nomini infensissimus esset, Auria facili negotio in vrbem est admissus: vocatisque statim ad libertatem ciuibus, omnes ad arma suscipienda cohortatur; ipsaque Diuorum numina velle videbantur, Italię imperium è Gallorum manibus liberari. Nam intoleranda & tabifica vis morbi, contagio omnium fermè corpora in vniuersa Italiā per eam ætatem adeò vexauit atque afflixit, vt tempestatis vitio perpauci omninò reperirentur, quorum valetudo non aliqua ex parte tentaretur. In Gallico etiam exercitu, qui iam quartum mensem Neapolim obsederat, languentium numero, ac multitudine plerique prorsus neglecti desertiq. moriebantur, & tanta in ipsis castris hominum strages erat, vt vespillones efferēdis ac sepeliendis cadaueribus non sufficerent: sed defossis scrobibus aceruatim tabifica corpora reconderentur. Cuius certè funestæ obsidionis recordatio semper mihi in primis acerba & molesta erit; quippè pater meus Antonius Bizarus, Gallici regis partes secutus, inter cataphractos regi, pro veteri maiorum nostrorum instituto, militabat, adeoque charus (absit omnis applausus & philautia) inter sui ordinis viros euaserat, vt à strenuitate, & bellicæ scientiæ peritia, mirum in modum prædicaretur, eaque de causa omnibus charus acceptusque esset: sed fatalis illa vis, quæ infinitam etiam præclarissimorum procerum ac nobilissimorum virorum hoc in bello multitudinem abstulit & exhausit, etiam mihi, tunc temporis trimulo, non sine multis, atque adeò totius nostræ familiæ lachrymis, parentem meum in flore virilis ætatis eripuit, & magno cum nostro malo inuidit. Vt verò ad Genuenses meus sermo recurrat, postquam Auria vrbem victor ingressus est, eamque à Gallorum seruitute eripuit, nihil potius habuit, quàm Sauonam, veterem Genuensium coloniam, pari diligentia in fidem recipere. Proinde cùm militares copias eò transmisisset, summis viribus allaboratum fuit, vt ea vrbe, fossa, aggereque occlusa, omnibus itineribus circumquaque obsessis, hostis ab omni præsidio vrbi inferendo, prohiberetur, ita vt tandem oppidani, desperatis auxiliis, deditionem fecerint. At Ligures, præteritarum iniuriarum memores, vrbę potiti, & iusta ira exardentes, quò bene mulctatos Sauonēses relinquerent, & priorum offensionum memoriam sempiterno monumento consignarent, in eorum portu duo maxima nauigia ingentibus saxis plena demerserunt, scilicet, vt victis ac

Andreas Auria in vrbē intromittitur.

Gallorum clades ad Neapolim, Lautreco duce.

Sauona deditio.

Sauonenses à Genuens. mulctati.

æmulis omnem eius stationis opportunitatem adimerent, graui propósita pœna, ne in posterum quauis de causa portus ab iniecta mole repurgaretur. Triuultius interim, pænuria victus, omnique auxilij spe destitutus, honestissima pactione arce reddita, humanissimè dimissus est: qui, vt sibi magis consuleret, vrbe egressus, continuò ad tuta Gallorum præsidia confugit; & de communi totius ciuitatis sententia decretum, vt arx funditus excinderetur, ne reponendo seruitutis iugo, vel ciuibus tyrannis, aut externis Principibus occasionem afferret. His rebus constitutis, habita sunt centuriata Comitia, in quibus, publica patrum suffragatione, duodecim ciues, ceu Reformatores, vt appellant, quorum præcipua & potissima cura circa Reipub. instaurationem, nouamque gubernationis formam consisteret, cum summa potestate atque imperio designati, nempè Franciscus Fliscus, Baptista Spinula, Augustinus Palauicinus, Thomas Iustinianus, Simon Centurio, Augustinus Lomellinus, Philippus Cataneus, Vincentius Saulus, Iohannes Baptista Furnarius, Ioannes Marinus Dauanius, Paulus Grimaldus, & Hieronymus Auria; qui omnes simul conuenientes, post multas & varias sententias atque deliberationes, tandem, adstipulantibus etiam ceteris patribus, Auriæ auctoritate & patrocinio nouam Reipub. formam sub libertatis nomine sæpiùs antea expetitam, introduxerunt: cuius quidem summa fuit, vt quadringenti ciues omnes ciuitatis Magistratus, ac præsertim Ducem, ac Senatum, in biennium crearent, lege, qua prius nobilitas à supremo vrbis Magistratu gerendo excludebatur, prorsus antiquata. Et quia præcipuum libertatis conseruandæ fundamentum vrbe debatur, dissensiones ac simultates omnes, quæ cum grauissimo Reipub. detrimento in vrbe diu alitæ fuerant, prorsus extinguere; solummodò viginti octo ex illustrioribus clarioribusque familiis, nomina conseruarunt; quarum nominibus, & numero, omnes eos nobiles, ac populares, quibus nullum familiæ gentisue nomen erat relictum, adiunxerunt. Ac quò magis factionum memoriam delerent, nobiles popularibus, & rursus populares nobilibus, aggregarũt, & petuam æquabilitatem omniumque ordinum isonomiam instituerunt; existimantes, hac ratione factionum omnium memoriam, paucorum annorum curriculo, penitùs ad internecionem deletum iri. Ceterùm, summa erat inter eos, immeritò quidem, Auriæ auctoritas, & existimatio; quippè sine cuius consensu, ob viri dignitatem, & eximium conseruandæ patriæ ac libertatis studium, nihil ex grauioribus rebus in Senatu decernebatur. Et licet multum potentia & auctoritate valeret, tamen illa erat extra omnem suspicionem posita, quòd pecuniæ administrationis, aliæque ærarij publici rationes, neque ex illius arbitrio disponerentur, neque etiam suffragiis, vel auctoritate sua ducem creari, aliosque Magistratus constitui ac decerni cuperet. Ferunt, ipsum Auriam, vt hoc etiam obiter dicatur, cohortantibus nonnullis ex præcipuis equestris ordinis viris, ac suis familiaribus, vt vrbis imperium, diuinitùs quodammodò sibi oblatum, nullo modo negligeret, vel aspernaretur, magna cum constantia, & veri heroici animi testimonio, hanc dignitatem fortiter renuisse, cùm diceret, sibi exactæ prouectæ ætatis seni, multisque & amplis fortunis instructo, ac omni sobole destituto, Principatus nomen multò plus inuidiæ ac molestiæ, quàm quietis, & commodi allaturum, satiusque omninò se dignius existimare, si patriam, ab omni seruitute ereptam, in vera libertate ac tranquillitate diu sua auctoritate ac vigiliis conseruare, & ad posteritatem propagare posset. Quandoquidem, nihil ad veram laudem vberius, vel ad dignitatem honestius, vel denique, ad reliquæ vitæ felicitatem firmius, atque splendidius fore iudicaret, quàm fidei integritate, ac iustitia & pere-

Triuultius humanissimè dimittitur.

Genuæ nouæ Reipub. forma introducta, quæ adhuc viget, & illæsa conseruatur.

Andreæ Auriæ ingens in patriam studium atque amor.

& perenni cura, de suis ciuibus, atque adeò de tota ipsa Repub. bene semper sensisse, & pro eius amplitudine ac vtilitate, à primis annis, ad vltimum senectutis gradum semper inuigilasse. Cuius quidem præstantissimi viri virtus, & merita, ita Genuensi populo grata & accepta extitêre, vt lex rogata fuerit, qua illi statua marmorea, instar colossi, sumptibus publicis in palatio ad perpetuam rei memoriam à Curionibus ciuitatis collocaretur. Cuius basi sequens elogium inscisum est: ANDREAE AVRIAE CIVI OPT. FELICISS. Q. VINDICI, ATQ. AVCTORI PVBLICAE LIBER., SENATVS, POPVLVSQ. GENVENSIS POS. Nec sanè ea tantùm de causa Patriæ libertatis assertor dici debet, quòd illam, & Sauonam, suis opibus, opera & consilio, è Gallorum manibus extorserit, iugumque durissimum ceruicibus imminens discusserit, sed alterum quoque ipsius in patriam haud leue promeritum, quòd emendatum Reipub. statum, & ciuium concordiam, sine qua libertatem ipsam breui concidere, atque omnia prorsus ruere necesse fuisset, sua potentia & auctoritate firmauerit & stabiliuerit, adeò vt ciues, ipsius beneficio pacati, & in pristinam tranquillitatem reposiri, magnam occasionem haberent, vt omnium præteritarum molestiarum & tædiorum memoriam sempiterna obliuione delerent, ac deinceps eundem statum pro viribus tuerentur & conseruarent. Verumenimuerò, bellicæ Andreæ laudes non totæ vnius sunt, sed cum militibus, nautis ac ducibus, quorum opera & virtute in egregiis facinoribus patrandis vsus est, necessariò communicandæ: illius virtutis neminem habet socium, hoc est, eximiæ animi moderationis, singularisque clementiæ; quippè qui cùm Genuæ omnia posset, Genuaque illius opibus & auctoritate in primis niteretur, neque communi, neque priuatæ cuiusquam libertati grauis fuerit, & neminem vnquam læserit: tantumque ab iniuriis inferendis abfuit, vt, licet sæpè iustis de causis prouocatus, nunquam illas vlcisci voluerit. Detur hoc solidæ Auriæ felicitati, ac eximiæ fortunæ prosperitati, quòd ab equestri familia per omnes honoris gradus euectus, ad summũ dignitatis apicem deuenerit. Floruit namque omnium sui sæculi Procerum gratia, & præpotentum Principum amicitia subnixus, non solùm nomen & famam extendit, verumetiam ita excelluit, vt posteà à Cæsare Carolo v. inter principes viros annumeratus, & Melphiorum Dux declaratus, torque aurei velleris donatus & insignitus fuerit: & ipsi Cæsari ita gratus & familiaris extitit, vt eius consuetudine & quotidianis congressibus tantoperè delectaretur, eiusque virtuti tantum tribueret, vt eius consiliis, & iudicij grauitate persæpè in maximis quibusque rebus vteretur, eiusque sententiam exposceret. Ceterum ascribatur & hoc eximiæ Andreæ Auriæ felicitati, quòd vera sobole orbatus, hæredes tamen planè se dignos reliquerit, inter quos Ioannes Auria supremis tabulis ex asse ab eo conscriptus hæres, qui paulò pòst, suorum æmulorum inuidia atque fraudibus circumuentus, non sine immenso vniuersæ Reipub. dolore atque lacrymis, funesto exitu concidit ac interiit. Hic tamen, ne excellentissimus Princeps Andreas Auria posteritate præclara destitueretur, inter alias proles, Ioannẽ Andream Auriam Melphiæ Principem reliquit, qui non solùm tam illustris & opulentæ familiæ successionẽ, sed etiam illustrissimi nominis, splendoris, atque planè auitæ virtutis, & gloriæ hæreditatem adiret. Quis enim est, si verum fateri velimus, non solùm inter Italiæ vel fortissimos duces, sed etiam inter ceterarum nationum proceres, (pace aliorum dictum sit) qui huic Principi Ioanni Andreæ, animi robore atque celsitudine, ac postremùm bellicis artibus, reique naualis peritia, præferri possit, vel debeat? Non loquor hîc ad gratiam, cùm nemini dubium sit, eius gloriam

Andreæ Auriæ S. C. marmorea statua erigitur.

Eiusdem singularis virtus & felicitas.

rerum

rerum gestarum magnitudine omnem inuidiam restinxisse. Vsque adeò rerum ab illo actarum memoria omniũ oculis obuersatur, vt vel ab inimicissimis quibusque æmulis hanc cõfessionem exprimat, multis retroactis ætatibus, nihil ius, nihil, dico, præclarius, & ad conseruandum pristinum Italiæ decus, gloriosius, vel etiam vtilius ipso Ioanne Andrea ortum fuisse. Hoc sanè confitentur ipsi Barbari, qui ad solam nominis eius inauditionem stupescẽtes, latebras & effugia quærunt. Hoc declarant tot tantæque reportatæ cum magno Reipub. Christianæ beneficio victoriæ, atque parti triumphi. Hoc demùm satis enituit in præcipuissimo illo conflictu, qui, Naupacto capta, ad Echinadas insulas, cum potentissimo hoste, omnibus quodammodò suis viribus congestis, & in vnum reductis, commissus est: quo certè in prœlio, quàm fortiter, cùm prudentissimi ducis, tum strenuissimi militis omnia munera expleuerit, omnium ora loquuntur, & publico testimonio iamdudum beatus, ad parem, vel, quod optare magis, quàm sperare licet, in posterum reseruatur felicitatem, adeò me herclè, vt fatius mihi liceat in præsentiarum hæc, honoris officijque causa, breuiter dixisse, quàm multa effutiendo, inanibus verbis eius veram laudem exæquare contendere. At me, aliquãtò fusiùs præclaris Andreæ Auriæ gestis, simulq. Ioannis Andreæ Auriæ meritis ac virtutibus inhærentem, fermè præterierat, ipsius Andreæ vitæ discrimina atq. pericula ob oculos ponere, quæ fatalem cælestẽ vim haud obscurè declarãt. Nam, vt Mathematici, & in Astronomia iudiciaria versati asserunt, annos climactericos, vel, vt ipsi dicunt, scalares, insignes vitæ impressiones facere, id est huius vitæ cursu facilè aduerti & annotari potest. Quandoquidem paucis ab hinc diebus, ex quo Gallica & Auriana classis inter Monœcum & Niciam interfluentia conflixerant, eo quidem successu, vt Auriæ vna triremis vndarum procellis obruta, post longam luctam depressa interierit, ipse Auria grauissimum vitæ discrimen subiuit; quoniam parum abfuit, quin Montegianus & Valacerca, Gallicarum copiarum ductores, cum duobus peditum millibus & quinquaginta equitibus, duabus horis ante Solis occasum, ipsum Auriam in propriis ædibus, quæ iniecta mari mole nituntur, & vrbis mœnibus fermè coniunctæ sunt, caperent. Sed summa Auriæ fortunæ felicitas effecit, vt hostium suorum consilia planè irrita essent. Nam pedites longo atque assiduo itinere defessi, multò serius quàm constitutum erat, adfuêre, ita vt ipse ad appropinquantis hostis aduentum excitatus, & præmonitus, confestim ab interiori ædium suarum parte in nauim prosiliens, præsenti periculo sese ex interposita mora subtraxerit: & hoc modo Galli, re infecta, direptis tamen priùs eius ædibus, incolumes pedem retulerunt. In par periculum & vitæ discrimen incidit eo tempore, quo Ioannes Ludouicus Fliscus aduersus patriam cõspirauit, sicuti mox declarabitur. Interea fortasse non paucis prolixior videbor, quòd in Principis Auriæ tantis scriptoribus celebratis laudibus recensendis tantum operæ posuerim. Verùm, cùm nunquam satis de hoc viro dici possit, absurdus, meo quidem iudicio, illis non ero, qui rerum earum æstimatores, alienam virtutem laude prosequendam, atq. omni honore colendam existimabunt. Et quoniam proximè anni climacterici, siue scalares, vt appellant, mentionem habuimus, haud ingratum lectori futurum spero, si nulla, quæ de ipso hactenus in doctorum virorum monumentis obseruaui, libet obiter, & quàm breuissimè subiecero. Augustus Cæsar, apud Suet. vt etiam apud Gellium, qui hunc locum citat, videre est, sibi gratulatur, suæque incolumitati abundè prospectum existimabat, quòd ætatis annum tertium & sexagesimum euasisset: is siquidem annus rarò absque vitæ periculo transigi senibus solet, sic-

De annis climactericis.

ut in-

ut innumera exempla ostendunt. Sunt autem duo annorum numeri, septenarius & nouenarius, qui plerumque rerum vitæque immutationem ac grauia periculà inuehunt: quo fit, vt sexagesimus tertius, qui vtriusque numeri multiplicatam atque inuicem sibi connexam summam continet, non sine periculorum acerno ingruat: nouies enim septem, & septies nouem, sexaginta tres constituũt; atque ob id Climactericus is annus appellatur, quia à septimo orsus, vitam hominis, veluti per gradus quosdam, peragat. Itaq. omnes qui ad septẽ, aut nouem annos consurgunt, decretorij dicũtur, in quibus magnam mutationem subeunt homines: nam vel calumniis impeti solent, vel grauissimis morbis diuexari, aut periculis obijci, vel denique aliquod perpeti detrimentum, ac iacturam facultatum, seu valetudinis. Hos ergo annorum decursus ac volumina, in omnibus etiam ætatibus à plerisque ingeniosis ac eruditis obseruari consueuerunt, sic vt impuberes atque infantes circa annum quartum, septimum, nonum, ac quartum decimum haud rarò periclitari animaduerterint, simulque plurimos, ætatis anno primo & vigesimo, deinde vigesimo octauo, nec vnquam post reuolutum annum vel septimum, vel nonum, ab ancipiti morbo fuisse immunes: qui annorum decursus tametsi non nimis anxiè ac superstitiosè obseruandus metuendusq. sit viris Christianis, nihil tamen vetat circa ea tempora moderatè ac circumspectè vitam victusque rationem instituere, ne qua humorum copia coacernetur, quæ his annis fomitem ministret, morborumque seminaria præbeat. De iisdem autem rebus, quáue ratione per illos annorum circuitus morbi plerumque increscant, nec non de diebus criticis, extat apud Hippocratem, Galenum, ac reliquos alios præstantes viros, qui rem medicam professi, hæc, & plura alia his consimilia tradiderunt. Ego, ne id quod in prouerbio est, committam, Ne sutor vltra crepidam, hoc est, ne aliquid præter meam professionem temerè effutiam, his relictis, ad institutum reuertor. Proximo anno, scilicet vndetrigesimo, Carolus v. qui tunc temporis Barcinonæ in Hispaniis agebat, Auriæ iniunxerat, vt citra aliquam moram cum sua classe in Hispaniam enauigaret. Euocabatur enim Cæsar seriis de causis in Italiam, nec eius absentia citra graue totius Italiæ periculum diutius ferri poterat. Quare Auria octauo Idus Iulij, è sinu Ligustico soluens, ac secunda nauigatione vsus, Barcinonem ad Cæsarem cum sua classe peruenit, & post paruum interuallum, Cæsar conscensa triremi, impositoq. milite qui ferè mille equitum & nouem millium peditum numerum explere dicebatur, Barcinone profectus, tam aduersa nauigatione vsus est, vt multis tempestatibus, & aduersorum ventorum flatibus iactitatus, per quindecim ferè dies dubio cælo errauerit; sed post longos & molestos gyros, & cursus, tandem pridie Idus Augusti sub Alberti Aciani Principatu Genuam appulit, vbi statim de noua pace inter se, & Galliæ regem, Cameraci inita certior factus, tanta cum omnium ordinum atque adeò totius ciuitatis gaudio & applausu exceptus fuit; vt populus in lætitiam & faustas congratulationes effusus, nihil prætermiserit quod ad tantum Cæsarem excipiendum pertinere existimaret. Ipse etiam serenitate vultus, atque oris maiestate omnium oculos in se coniiciens, facilè testabatur, sibi mirificè chatum esse, Genuam Gallico imperio esse liberatam & subtractam. Quapropter Rempub. opibus atque auxiliis fouendam ac subleuandam existimabat, quòd Gallo hosti ereptam, maris nauigationem suo insigni commodo præuideret. Verùm Ligures, ea Hispanorum auxilia, quæ Cæsar recens aduexerat, & maiori ex parte tyronibus constabat, decedente iam periculo, in vrbem minimè suscipienda censuerunt, cùm sibi satis præsidij in ciuium concordia & mutua bene-

1529. *Caroli Cæsaris aduentus ad vrbẽ Genuam.*

beneuolentia fore arbitrarentur, & externa, eiuſque præſertim gentis præſidia, non mediocriter odiſſent. Hos autem milites, Antonius Leua, miſſo ad eos Ludouico Balbiano, ad ſe perducendos curauit, quorum tamen tertiam ferè partem fæuitia montanorum Ligurum abrupti eius itineris ſaltus inſidentium, interemit & abſumpſit. Reliqui ægrè incolumes in Inſubriam peruenerunt. Ceterùm, quia huius excellentiſſimi Principis ætas incidit in tempora, rara quadam & admiranda heroum felicitate celebranda, eos Principes hîc obiter annotaui, & comparationem inter Cæſarem & Franciſcum Galliarum regem ex vtriuſque imperij magnitudine ac morum diuerſitate feci, vt vel hinc videre liceat, quanta morum atque ingenij diuerſitate ambo excelluerint, & perpetuam optimorum Principum laudem ex egregiis laudatiſque factis ſibi acquiſiuerint. Reliquos Principes qui eadem tempeſtate ſummis laudibus floruêre, breuitatis cauſa hîc tantummodò attingam. Nam, præter hos duos præſtantiſſimos Monarchas, eodem tempore Bohemiæ atque Hungariæ regnum moderabatur ſingulari iuſtitia, nec minori prudentia, Diuus Ferdinandus Auſtriacus, Sereniſſ. Romanorum rex, inuictiſſimi Diui Caroli Cæſaris germanus. In Anglia verò cum ſummo imperio præerat Henricus octauus, Princeps, vt corporis maieſtate, ſic quoq. animi generoſitate ac fortitudine, reiſque militaris gloria, & ceteris omnibus heroicis virtutibus, nulli omninò regum ſecundus. Polonis imperabat Ladiſlaus Auguſtus, Princeps crebris de Chriſtiani nominis hoſtibus reportatis victoriis, longè clariſſimus. Cimbris verò Chriſtiernus Princeps, qui, ſi natura duce eas virtutes exercuiſſet quas à primis annis imbiberat, nulli regum ceſſiſſet. Verùm, neſcio qua de cauſa ſuis diffidens, & à prioris vitæ conſuetudine atque inſtituto prorſus degenerans, in ſummas poſtmodũ ærumnas & calamitates prolapſus fuit. Suecis & Norvegis Goſtauus cum imperio præſidebat, ita omnibus maioribus ſuis in omni excellenti virtute par, vt vel hoc nomine ſplendorem imperij ſui non parum illuſtrauerit. Rebus ſacris cum ſummo dignitatis apice moderabatur Paulus tertius, antiqua Farneſiorum familia ortus, vir, vltra ſummum ingenij acumen, ita ad res quaſque maximas natus, vt ſingulari totius Italiæ felicitate datus eſſe videretur in quem tanti honoris moles cum publico bono reclinaret. & hactenus quidem de noſtri orbis Principibus. Res Orientales eodem fato à præſtantiſſimis Principibus adminiſtrabantur, nempè à Solymanno Turcarum, & Hiſmaële Perſarum regibus, in quibus admirari ſubit, vtrum illis maior laus, propter ampliſſimi imperij maieſtatem & magnitudinem, an propter excelſam animi naturam, & res geſtarum gloriam debeatur. Verùm enimuerò cùm non ſit noſtri inſtituti, ſingula illorum elogia celebrare, in præſens hæc pauca ad vniuerſalem Principum illorum temporum felicitatem, & raram quandam excellentiam prædicandam dixiſſe ſufficiant. Vt verò ad Carolum & Franciſcum noſtra relabatur oratio, cùm æquali multorum iudicio haberentur potentia, diuerſis tamen regebantur conſiliis. Cæſar etenim callidior & cultior: Franciſcus apertior, & elatior. In re clemens & mitis natura: in Cæſare verò durior, & niſi poſt multas preces, exorabilis. Franciſcus ſtrenuus & magnanimus in omnibus ſuis actionibus habebatur: Cæſarem ingenij lumen ac ſingularis prouidentia commendabat. Rex, vt aperto Marte atque ſolidis viribus hoſtem ſuperaret; Cæſar verò, vt aſtu potius & ſtratagematis falleret, enixè contendebat. Huic militares homines, &, vt ſic dicam, ad arma & prœlia nati, maximè cari erant: illi, vltra hanc laudem, ſibi cum Cæſare communem, excellentia & præſtantiſſima quæque ingenia in deliciis erant. Cæſar, non tantũ fidei, quantum cautionis præſtabat; in rege alterum in

Quinam reges noſtra tempeſtate potiſſimùm excelluerint.

Comparatio inter Carolũ Cæſarem, & Franciſcum Galliarum regem.

in promptu erat, nempe fidei constantia, mera, sed tamen cordata simplicitate subnixa, cautelę negligentior. Cæsar Laconismo, Rex verò Atticismo delectabatur. Elucebant in Cæsare industriæ, laborum tolerantiæ, atque inuicti cuiusdam animi omnia testimonia: flagrabant in Francisco verę fortitudinis ornamenta; Cæsar à comitate, seueritate tamen quadam temperata, Rex verò ab humanitate laudabatur. Cæsar potiùs ad frugalitatem inclinabat: cõtrà Rex ad profusionem vsque liberalis habebatur. Cæsar, rerum ac temporum momenta obseruare, eorumque conditionibus inseruire, naturam suam comprimere, atque omnes animi motus huc illuc facilè inflectere à primis annis didicerat: Rex contrà, sermonem constãtiam, & factorum suorum rationem profitebatur, quasi verè regium esset, ita loqui & facere, vt sentire. Postremùm Cæsar cum suis familiaribus graciter & circumspectè, Rex verò cum proceribus aliisque equestris ordinis viris iucundè & planè domesticè versabatur, ita vt facilè cuiuis appareat, hos duos præstãtissimos Monarchas, singulari Deorum beneficio, ad omnes virtutes fuisse genitos, easque diuersimodè per omnem vitam exercuisse. Nam collata vtriusque natura, manifestum est, omnium virtutum semina in illorum animis altas radices egisse, adeò sanè, vt mirum sit, & valde arduum pronuntiatu, vtrum alter alteri meritò præferri debeat. In confesso tamen est, & hanc confessionem vel ab inuitis veritas ipsa exprimit, Franciscum regem, cetera, vti diximus, Cæsari æquarem, multis parasangis post se reliquisse. Quis est enim qui infitiari audeat, vel possit, hunc præstantissimum regem, instar Solis iubaris, exorientibus literis semper præluxisse, atque sua liberalitate, maxima, tum in Galliis, tum etiam aliis in regionibus optima ingenia ad literarum ornamenta & culturam suo exemplo concitasse, suaque regia munificentia semper fouisse? ita enim erat suapte natura litetarum amans, & ad omnium rerum cognitionem propensus, vt quicquid otij à grauioribus regni deliberationibus haberet, Musis consecraret. Proinde factum fuit, non absque singulari totius Christiani orbis beneficio, veraque multorum Principum laude, vt multi heroës, tanti regis exemplum imitati, non minori literarum studio flagrarent, & postmodum inclarescerent. Intelligebant siquidem, Reip. statum, regnique diuturnitatem non tam belli, quàm pacis artibus contineri; sic, vt ad tuendum vtrumque statum, literarum cognitionem in primis, ceu solidum quoddam fundamentum, necessariam esse ducerent. Hinc tot nobilia illa ingenia, quibus certè Gallia suo iure habet quod glorietur, inter quæ non solùm meo iudicio, verùm, omnium propemodum Principum ac Heroum testimonio, Illustrissimus D. Ioannes à Ferreriis Vidamus Carnutensium, & Cabadunensium Princeps, vt natalium splendore, sic etiam omnium virtutum genere excellẽs, inter præcipuos habetur. Tanta enim in hoc viro principe omnũ heroicorum motuum est concinnitas, atque harmonia, vt verè ambigere liceat, à quibus potissimùm laudibus admirationi esse, & suspici debeat. Quandoquidem, vt de eius eximia humanitate atque summa beneficentia nihil hoc tempore dicam, tantum est rerum abstrusarum omnium in eo studium atque doctrina, vt ingenij acumine, consilij grauitate, rectitudine iudicij, atque linguarum diuersarum peritia, cum præstantissimis quibusque contendere possit. Verùm hæclaus, olim soli propemodum Græciæ atque Italiæ propria, & deinde in Gallias progressa, non tantummodò ibi constitit, sed Dei opt. max. prouidẽtia, latiùs euagata, pleraſq. orbis Christiani partes, in primis verò Britãniam, Germaniam, & Hispanias occupauit. de quarum certè regionum fecunditate & præstantia,

Regis Francisci eruditio

si quid dicere velim, vereor, ne citra inuidiæ suspicionem aliquid liberius loqui liceat. Nemini enim dubium est, quos viros tum retroactis temporibus, tum etiam hac nostra tempestate, extulerit Britannia, qui laudatissimum atq. inuictiss. Principem suum glorioss. recordationis Henricum octauum, & deinde inclytam eius posteritatem secuti, se, ad omnem honestatis normam, atque morum ingenijque elegantiam, rerumque præstantissimarum notitiam, & solidam literarum eruditionem mirificè composuêre, prout fusiùs alibi à me explicabitur. Germaniæ gloriam optimorum Principum singulari quadam raritate, doctrinarum omniũ cultura, atque bellicis artibus omnibus notam, & iure prædicatam, si verbis exæquare contenderem, iurè equidem reprehenderer, qui onus viribus meis impar in me declinarem atque susciperem. Proinde cùm etiam honoris atq. humilis obsequij gratia inclytos atq. illustrissimos Principes Landtgrauios &c. tertio libro huius operis, meis scriptis, quoad eius fieri potuit, celebrauerim, & de illustrissimo atque augustissimo electore Augusto Saxoniæ Duce &c. seorsum suo loco dicturus sim; nunc reliquum est, vt, ad manifestandam paucorum præstantissimorum Heroum, optimè de me meritorum, claritudinẽ, atque in rebus omnibus splendorem, tria verba adijciam. Et in primis quidem sese mihi offerũt Illustrissimi ac potentissimi Principes, Ludouicus, sacri Rom. Imp. Septemuir, & Ioannes Casimirus eius germanus frater, Comites Palatini ad Rhenũ, ac Boiariæ Duces, qui, vt regio stemmate conspicui; sic etiam sunt omnibus inclytis ac heroicis virtutibus, & in primis quidem multiplici optimarum disciplinarum cognitione, insignes. Has etenim ab ipsis incunabulis flagrantissimo animi studio amplexi, subinde nihil habuêre antiquius, quàm vt in ipsis indies magis atque magis proficerent, & absolutam perfectamque scientiam sibi compararent. Hinc proculdubiò fit, vt quisque suam ditionem, quam longè lateq. patentem habet, summa æquitate, summaque populorum sibi subditorum quiete & satisfactione moderetur. In hoc autem planissimè conspicitur, verissimum esse quod diuinus Plato asserebat, nempè tunc fortunatas ac felices fore Respub., cùm aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur. Ceterùm Princeps Casimirus ad reliquas præstantissimas virtutes, quibus vndiquaque emicat ac fulget, armorum quoque peritiam ac rei militaris decus splendoremque adiunxit, in quo meditus fidius sic Martem ac Bellonam, in quorum sinu altus educatusque meritò censetur, hactenus propitios atque fauentes habuit, vt in omnibus suis expeditionibus, quas in florenti, ac deinde maturiori ætate, diuerso quidem tempore, variisque in locis, longè maximas & grauissimas susceptit, ac etiam feliciter obiuit, perennem atque immortalem, cum ingenti multarum prouinciarum ac regionum beneficio, sui nominis gloriam retulerit, adeò vt hac nostra tempestate iure alter Camillus ac Scipio dici possit & debeat. Proximi ab his mihi erũt Illustrissimi ac laudatissimi Principes, prioribus, quos nominaui, sanguinis ac generis propinquitate coniunctissimi, nempe Philippus Ludouicus, Ioannes, Otho Henricus & Fridericus Carolus, fratres germani, ipsi etiam Boiariæ Duces, & Palatini Comites ad Rhenum; quorum quidem maior natu, his proximis annis Serenissimam Illustrissimi Principis Wilhelmi Ducis Cliuensis &c. filiam, Annam nomine, Heroinam lectissimam, & omnibus eximiis animi corporisque dotibus prænitentem, in matrimonium duxit. Hi sanè Principes auitam paternamque virtutem in omnibus suis studiis & actionibus ab ipso vitæ primordio imitati, ita ad viuum exprimunt, vt propter excellentis ingenij raraque doctrinæ præstantiam, imperij moderationem, ac ceteras heroicas virtutes, eaque omnia quæ in bono

bono ac laudabili Principe requiruntur, prorsus addubitare liceat, plus ne ipsi à suis maioribus, Principibus illis quidem, vt veteri atque regia prosapia, sic etiam propriis meritis nunquã satis à quoquam pro dignitate commendatis, præsertim verò ab Illustrissimo ipsorum parente Wolphgango, Bipontino Principe, domi forisque celebratissimo, & citra vllam controuersiam cunctis virtutum numeris absoluto, laudis gloriæque acceperint, an ipsimet peculiari encomio, rebusque præclarè gestis, ornamenti ac decoris suorum imaginibus adferant, simulque in posterum allaturi sint. Tertio loco erit generosus atque illustris D. Hermannus, Mursiæ & Neunariæ Comes, ex antiqua & verè illustri Comitum à noua Aquila familia oriundus, Cæsari à secretioribus consiliis, mihi itidem haud citra honoris præfationem nominandus; cuius quidem tanta est virtus, & rerum omnium cognitio, atq. vsus, vt dignoscere difficile sit, in qua disciplina vel scientia magis excellat. Vltra enim literarum multiiugam eruditionem, in quibus iam ferè per omnes ætatis gradus consenuit, tanta est linguarum diuersarum peritia; vt etiam hoc nomine non solùm ab ipsa Germania, verùm etiam à toto pænè Christiano orbe suspiciatur, & laudibus extollatur. Taceo summam & planè admirandam memoriæ eius vim, cuius tanta est efficacia atque potentia, vt instar Mithridatis, vel, si mauis, Themistoclis, diuersarum rerum nomina atque nomenclaturas, semel tantùm auditas, etiam post longa temporis interstitia, eo ordine quo audiuerat, recensere, atque ad vnguem enumerare possit. Et maximoperè mirum omnibus videri debet, quòd huic illustri familiæ videtur esse proprium, ac planè fatale, vt omnibus sæculis efferat doctissimos viros, qui, quasi per manus, posteritati suæ rerum cognitionem atque vsum tradant. Optandum esset summis omnium votis, vt talem tantumque virum nobis diu fata seruarent incolumem. De hac tamen re me non semel ac parum sollicitum, atque subinde cogitantẽ, consolatur spes maxima, quæ in generosissimo Comite Adolpho maximæ spei iuuene, elucet, qui certè ab ineunte ætate clarissimis argumentis testatus est, se non solùm nominis atque familiæ esse vnicum superstitem hæredem, sed multò magis auitarum virtutum indefessis studiis amplecti, ac etiam superare, nedum æquare velit ornamenta. Videtur enim ad præcipua quæque natus, & suopte instinctu rebus præclaris inhiare. Cuius sui animi haud obscurum dedit documentum, in hac splendidiss. & honoratiss. legatione, quam sereniss. Principis Matthiæ Archiducis Austriæ, &c. Belgij supremi gubernatoris, atq. omnium Ordinũ nomine ad inuictiss. Rudolphum secundũ Cęsarẽ designatũ obijt. His sanè haud immeritò coniungi possunt generosi atque illustres viri Ludouicus ac Georgius Comites à Seyn, & Witgenstein, fratres, vt generis claritudine & antiquitate, sic etiam omnigena eruditione atque insigni prudentia, singulariq. humanitate suspiciẽdi: quorũ virtus est tã pręclara & excellens, vt meritò Germania sibi gratulari possit ac debeat, tãtos habere alumnos, quos in sinu suo fouerit, simulq. ad omnẽ verã consequendã laudẽ optimis artib. & disciplinis instituerit, nimirũ cùm ipsi, nõ perinde ac plerique alii ex nobilitate, qui à recto itinere aberrantes, contrariã vitæ institutionẽ, & se planè indignã, ineunt, incerta studiorum ratione vagantur, verùm heroicos mores amplexi, nihil non laudabile, nihil non egregiũ & suis natalibus dignũ exhibẽt ac præstãt. Quinto loco mihi erit, summa generositate atq. illustri splendore conspicuus D. Lazarus à Schwendi, Baro de Hohenlandsperg, &c. Cæsari ab intimis consiliis, & Cæsarei exercitus supremus Imperator, in ordine ponendus; cuius, nisi iamdudum bellica gloria, iudicij rectitudo, atque consilij grauitas cum summa eruditione coniuncta, periculosissimis

Reipub. temporibus, acciſiſque ſupra modum Chriſtianis rebus enituiſſet, ita vt fulgore ſuo inuidiam, & multorum oculos, ægrè alienam virtutem ac felicitatem tolerantium, perſtrinxiſſet; contenderem mediusfidius tanti viri eſſe aliqua ex parte laudator. Sed cùm eius geſta omnem eloquentiam euincant, ſatis in præſentiarum habuero, ſi illum, de me quàm optimè meritum, honoris atque offi-cij cauſa, in hanc ſeriem retulero. Vnum tamen interim ſilere mihi religio eſt, ipſum, inter cetera præclarè geſta, anno ſupra mille quingentos, ſexto ac ſexage-ſimo, v 1. Cal. Septemb: cum ſuis copiis in ſuperioris Hungariæ partibus, quas vulgò Zipſium vocant, Tartaris congreſſum, eorum circiter 10000. fudiſſe atq; fugaſſe, Begorum Turcicorum altero interfecto, altero verò lethaliter vulnerato. Deinde hac tam inſigni ac memorabili victoria non exſatiatum, tres arces Geor-gij Bebeck, à fide imperatoria & obſequio ad Turcas deficientis, expugnatas com-piſſe; quarum nomina Sobata, Gambazor, & Bolſorat. Vltimo loco mihi com-memorandus eſt generoſus pariter atque illuſtris D. Marcus Fuggerus, Baro ac D. in Kirchperge, & Weiſſenhorn, &c. virtutum omnium columen atque anti-ſtes, ac nobiliſſimæ ſuæ patriæ ſummum decus & ornamẽtum; cuius inclyti ani-mi generoſitas, & domi foriſque magnificentia, quam eximia eruditio atque in-credibilis humanitas, ſingulari prudentiæ, fideique, ac diuerſarum linguarum pe-ritiæ annexa, mirum in modum exornant, omninò talis tantaque eſt, vt non ab-que ſingulari Deorum omnium numine atque nutu contigerit, cui tanta rerum affluentia, totque, ac tantarum opum hereditas, perpetuato felici curſu confer-rentur, cùm præſertim ſeſe in omnibus ſuis præclaris vereque heroicis actioni-bus planè regali fortuna dignum exhibeat. Ceterùm ne diutiùs lectorem ab in-

1529. ſtituto remoratus, iuſtæ reprehenſionis crimen incurram, anno ſupra milleſimo quingenteſimum vndetrigeſimo, quarto Idus Aprilis, Solymanus, iuratiſſimus atque infenſiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis; & proferendi imperij cupidiſſi-mus, cum maximo ac potentiſs. exercitu mari terraque inſtructo, Conſtantino-poli ea mente diſceſſit, vt Viennam, ſuperioris Pannoniæ metropolim, ac Cæſa-rum ordinarium domicilium, expugnaret. Cuius quidem atrociſſimi belli exitus tandem fuit, vt, poſt multas arces & loca in inferiori Pannonia expugnata at-que direpta, & plurimas clades indigenis multifariam inflictas, cùm poſtremò ſexto Cal. Octob. Viennam arctiſſima obſidione premeret, vrbem inclyto, atque heroicæ virtutis, Comite Palatino Rheni, Philippo, Friderici nepote, cum valida Germanorum manu ac ceteris oppidanis ſtrenuè ac fortiſſimè propugnante, ſpe ſua mirum in modum fruſtratus ſit. Sæpiùs enim neutiquam expugnationem ren-tata, deq. proſpero ac felici rerum ſucceſſu diffiſus, cùm præſertim maioribus ma-chinis, vt nonnullis placet, ad mœnia concutienda deſtitueretur, ab ea expedicio-ne, cum ingenti ſtrage, nec minori ſui dedecore, relicta tamen execrabili & func-ſta fui memoria, pridie Idus Octob. itinere Belgradum verſus directo, in Thra-ciam reuerſus eſt. Sunt qui memoriæ prodiderint, Viennæ poſt diſceſſum Soly-mani, tres Soles vnico arcu incluſos, integrum per diem in cælo fulſiſſe, Lunam-que ſanguineam maculata cruce noctu paſſim conſpectam. Iiſdem fermè tem-poribus, Rodericus Portundus, Hiſpanicæ claſſis Præfectus, Barcinonem re-uerti iuſſus, ſummum fœdæ calamitatis infortunium ſubiit. Commiſſo namque nauali prœlio cum Turcis prædonibus, claſſe exutus eſt, atque interfectus, tam ſua exitiali, quàm Reipub. damnoſa temeritate. Quomodo autem res geſta ſit, paucis enarrare lubet, vt noſtri homines nuſquam ſuperbia efferri, nec barbaros, qui pertinacibus animis nullo mortis metu ferrum in noſtros exercent, deſpicere condi-

Vienna à Solymano obſeſſa.

Viennenſis obſidionis ſolutio.

Viennæ prodigia poſt Solym. diſceſſũ.

Rodorici Portundi interitus, atque Hiſpanicæ claſſis amiſſio.

condiscant. Portundus ex itinere prædones se adepturum ratus, qui tum Baleari-
co in mari vagabantur, cùm ad Ebusum insulam peruenisset, ibi didicit prædo-
num quindecim nauigia, quæ remis agerentur, ad Colubrariam insulam conse-
disse. Ea abest ab Ebuso decem millibus passuum, Frumentariaque à nautis ap-
pellatur. Itaque euectus in spem opprimendæ piraticæ classis, ex quindecim suis
triremibus, validissimas octo deligit, easque ceterarum remigibus, & epiba-
tis complet, impetratque à prætore Ebusano centum circiter & quinquaginta no-
stræ virtutis propugnatores, quos in triremes dispertit. Hoc auctus numero, con-
firmatoque suorum præsidio, non dubitat, quin cum Barbaris omninò sit con-
fligendum: compositisque armamentis de tertia vigilia ab Ebuso soluit, & ad Co-
lubrariam progreditur. Barbari à medio pelagi spatio aduentantes triremes con-
spiciunt, celeriterque è littore se expedientes, nauigia conscendunt, atque arma
parant. Portundus, cùm Ioannes eius filius iam inalbescente cælo, hostilium na-
uigiorum classem numerasset, ideoque admoneret patrem, ne properaret congre-
di numero impar, vehementer eum acerbeque ignauiæ increpita obiurgauit, vs-
que adeò insolenter, vt diceret, eum non esse ipsius Portundi filium, qui hostem
reformidaret, biremibus tantùm ex speculatoriis myoparonibus instructum,
quando ipse vel sua tantùm prætoria trireme, cuncta ea Barbarorum leuiora na-
uigia esset demersurus. Erat Portũdus animo certè egregio & forti, sed valdè ela- *Portundi magnanimitas.*
to superboque; quandoquidem ab inani iactantia contumacem & indomitum,
nulla vel certi vel præduri discriminis reputatio, nullaque vel horribilis præsen-
tis periculi oblata facies perterreret. Tum filius qui cùm virtutis, tum prudentiæ
præcellentis erat, dij faxint, pater, inquit, vt nos concepti timoris dispudeat po-
tiùs quàm doleat. Eo modo Portundus suæ prætoriæ ita cursum intendit, vt reli-
quas quæ remigio minùs valebant, anteiret, & respiciens, remos tolli iubere co-
geretur, scilicet, vt consequendi spatium præberet, quæ ad æquandam frontem,
cùm voce, tum maritima significatione, vt accelerarent, accersebantur. Aidinus
Smyrnæus archipirata, cui Cacciadiabolo cognomen fuit, vbi inæqualem ho-
stium cursum deprehendit, quòd longa & interciſa serie nullam conserturi fron-
tem cum prætoria videbantur, aduocatis commilitonibus nauigiorumque ma-
gistris (ita enim Barbari trierarchos appellant) hoc consilij expedita deliberatio-
ne suscepit, ita diuisis pugnæ muneribus, vt validiores biremes nostris hostilem
classem rectà ferirent, leuiores autem singulas binæ à lateribus aggrederentur.
Fauit fortuna prædonibus æqua, nostris verò infestissima. nam Assanes Celebi-
nus, & Solymanus audacissimi omnium & pugnacissimi, vno tempore, hic à la-
tere, ille rectissimè à prora in prætoriam inuecti, priusquàm succurri posset, Por- *Portundi interitus.*
tundum, capta prætoria, cum suis omnibus propugnatoribus trucidarunt, ita
vt vexillum repentè, quod magnoperè ceterorum animos imminuit, sterneretur,
parique celeritate Aidinus ipse triremem succedentem Ioannis Cantabri, quæ à
Gallo, id erat puppis insigne, cognomen habebat, conscendit, & Cantabrum
cum vniuersis naualibus sociis interfecit. Eodem puncto temporis, Salecus Der-
thusensem triremem, in qua erat Ioannes Ciueres trierarchus, proximamq. huic
Ioannis Portundi filij, magno impetu adortus, interfecto Ciuerio, & Ioanne ca-
pto, propugnatoribusque omnibus trucidatis, occupauit. Eodem quoque semi-
horæ spatio, Matthæus Sances, à Saba prædone, expugnata triremè, interfectus
est. Maggalis verò, postremas, & cõuersis puppibus aufugientes vsqueadeò acri-
ter est consectatus, vt alteram, in qua erat Martinus Ariegus, velis & remis pro-
sperè antecedentẽ amitteret: alteram verò, in qua erat Ioannes Corduba, scopulis

ſeſe illidere cogeret, quæ effugientibus omnibus, cum ſolo trierarcho, qui ſe-
pereſſe fœdæ cladi noluerat, capta eſt, Turcis ex victrice claſſe, deſcenſione in li-
tus facta, effugientes ex trireme ita conſectantibus, vt multò plures quàm euade-
Aidini victoria. rent, integri caperentur. Aidinus tanta parta victoria tridui quietem remigibus
conceſſit, atque inde ad Barbaruſſam cum ſeptem captiuis triremibus Algerium
traiecit, cuius aduentu victoriaque maximè lætatum ferunt Barbaruſſam, qui ex
eius victoriæ fama apud Solymanum imperatorem plurimum inclaruit, cùm et
Byzantium vſque dono miſiſſet ſplendidiora eius victoriæ ſpolia, ipſuinque in-
primis Portundi prætorium vexillum, & ſumptuoſi operis puppis integumen-
tum. Hoc loco minimè abſurdum putauimus, prædones barbaros propriis no-
minibus appellaſſe. Id verò duabus de cauſis fecimus, quòd ſequentibus bellis
quæ ſuo ordine referentur, eorum virtus efficax, ſi hoc honeſto nomine vis effera
vocanda ſit, crebro noſtro incommodo multum inclaruerit, & demùm illi victi
pulſique Tunetanæ Cæſaris victoriæ famam auxerint, inſigniſque omnium mari
noſtro nauigantium lætitia latiùs extenderint. Ceterùm Barbaruſſa acceſſione
tot triremium captiuarum, totque noſtris hominibus ad tranſtra catenatis, ita
ſtructior atque validior factus, maiora animo agitare cœpit, aſciſcereque ſibi
nouas vires, atque arridentis fortunæ ſecundas vices experiri cōſtituit. Iam enim
fraterni imperij compos, Hariadenus vocari volebat, ad differentiam Horucci
fratris, qui primò idem ab aënea barba cognomentum tuliſſet, cuius cognominis
& fortunæ hæres multis rebus in Africa fortiter atque feliciter geſtis, terra mari-
que rex metuendus euaſerat, magno quidem fortunæ ludibrio, ſi humilis pirate
diſpiciendam ab initio conditionem reputemus, poſtquàm ad id humanæ ſuper-
biæ faſtigium aſcenderit, ſicuti ſuo loco exordientes à prima eius è patria Lesbo
profectione diffusè narrabimus. Igitur ante omnia miſſo ad Mœnicem inſulam,
quam Gerbim vocant, Tabacco trierarcho Synam Smyrnæum, cognomento Ie-
dæum, ſummæ prudentiæ, vti conſtat, archipiratam, certo fœdere ſibi coniungit.
Is viginti quatuor biremibus imperabat, vnique triremi, quam Gallis ereptam
cognomine Nigram appellarat, cui Halicolam Corſum à puericia alumnum pro
trierarcho præfecerat, qui & ſuo nomine expeditam triremem cognomento Ca-
labram trahebat. Synas cùm ſubduci & refici claſſem iuſſiſſet, interea Tunetum
contendit, ibique repertum inſignem prædonem è Cilicia, qui Halicotus voca-
batur, æqua conditione tranſigit, vt ſecum ad Barbaruſſam enauiget, atque ei
operam præſtet. Halicotus quatuor habebat biremes & triremes duas, quæ Neo-
politanæ fuerant, ad Argentarium montem captæ, cùm fortè tormentarij pulue-
ris & pilarum certam copiam ad Cæſarianos, Florentiam oppugnantes, iumentis
deportandam expoſuiſſent. Altera fuit Iuſtiniana Gibba, quæ in littus effugien-
tibus remigibus pariter atque victoribus, vacua in poteſtatem deuenerat. Al-
tera fuit Aloyſij Hiſpalēſis, qui expugnata trireme interfectus eſt. Horū omnium
viribus in vnum coactis, Barbaruſſa ad Algerium claſſem luſtrauit ſexaginta na-
uigiorum militariter ornatorum, initaque deliberatione cum ſociis, vrbem Ga-
des in freto, propter opulentiſſimi emporij famam, adoriri conſtituit. Dum pro-
poſito conſilio Barbaruſſa diligenter incumbit, Halicotus cum dimidia ferè claſ-
ſis parte Algerium mittitur, vt ibi magnam vim frumenti nactus, nautici panis
quem biſcoctum vocant, ampliorem copiam paret, & reliqui commeatus tollo
numero ſe inſtruat, armamentaque, pluteos & tormenta coaptet. Hæc cùm Al-
gerij, Cercellique impigrè atque auidè parantur, Andreas Auria vehementer of-
fenſus incommodo cædeque Portundi, vetereque ſuo contra prædones odio in-
cenſus,

census, quòd publicam iniuriam vindicãdam rebatur, validissimam rostratarum nauium classem Genua eduxit, cui se Gallicæ triremes adiunxerant: quoniam rex Franciscus maximè pium, sibique decorum existimabat, armis persequi piratas, communes humani generis hostes, obliuiscique in dudum cõciliati Cæsaris gratiam totius simultatis quæ sibi cum Auria nuper intercessisset. Auria ad Baleares insulas cursum tenuit, ibique didicit, piraticæ classis alteram manum esse Algerij, alteram sedere ad Cercellum. Idcircò consilium expedit, alteramque earum, priusquàm in vnum coniungantur, inuadendam censet, apertoque mari rectà in Africam Cercellum versus cursum intendit. Erant ei triginta octo rostratæ omnes triremes. Has aduenientes Mauri è specula promontorij, olim Carapulæ, quod nos Battalium, Pœni verò Gyra Flumar appellant, facilè conspiciunt. Id verò quod vidissent referentes, Halicoto se Barbarussæ classem, cùm deciperetur, aduentare confirmabant: sed vt id crederet Halicotus, vel ea ratione adduci non potuit, quoniam ea aduentans classis parem nauigiorum magnitudinem certa specie referret, quæ proculdubiò esset externa atque inimica, postquàm nulla interea minora apparerent nauigia, sicuti necesse esset in Barbarussæ classe, cùm maiores minoresque biremes, & paruos myoparones speculatorios ex sua consuetudine esset adducturus. Iam sensim appropinquantes Aurianæ triremes, quales essent, sese intuentium oculis præclarè ostendebant. Propterea Halicotus raptus in id consilium quod inopinata necessitas afferebat, singulari celeritate Christianis remigibus catenas detrahit, qui erant numero circiter octingenti, eosque in subterraneum carcerem detrudit, partem triremium perforata carina, ne his potiatur hostis, in portu demergit. Turcas omnes secum adducendo, arcem intrare iubet, præcipitque Mauris vt oppidum relinquant, & ad euocandos proximæ vicinię Numidas, & montanos agrestes, bellicososque homines in auxilium accersant. Dum hæc turbatè administrantur, Auria, adactis proris, portum atque oppidum occupat, trescque cohortes sub vexillo ad quærendum carcerem, liberandosque Christianos seruos dimittit. Nec mora, certo indicio ergastula omnia refiguntur, & cum magna gratulatione serui è summa miseria beati repentè facti, per triremes distribuuntur. Ceterùm nauales socij per oppidum discurrunt, cunctasque domos diripientes, per varias regiones dissipantur, nec reclamante, reuocanteque ad tubæ cantum Auria se recipiunt, cùm rapinæ spes omnem pudorem in milite nuper collecto conscriptoque penitus extingueret. Id dissolutæ disciplinæ factum, ab arce Halicotus deprehendens, subita eruptione dispersos inuadit, opportuneque superueniunt auxilia Numidarum, qui æquato peditum atque equitum cursu, inopinantibus nostris aduolarant. Commissa est atrox cædes in nostros potiùs quàm pugna, quòd nemo præpeditus complexu prædæ, & inopinato pauore perturbatus, vsquam consisteret, aut viriliter repugnaret: nam quisq. ad repetendam classem concitatus, à pluribus trucidabatur. Eam verò fugæ ignominiam iratus Auria vt aliquo remedio sisteret, postquam nemo imperiis suis parebat, paululum è littore triremes abduci iussit, vt spe insiliendi erepta, milites ad pugnam, salutis metu, arma atque animos conuerterent. Sed tanta erat impressio barbarorum nemini parcentium, Turcarumque præsertim, qui gratuitus suis incuruis gladiis rem gerebant, vt plures natandi imperiti, & maligne propter id dedecus à classiariis adiuti, fœdissimo interitu mergerentur, sic vt paulò minùs quadringentos Auria desiderarit, cùm vix sexaginta cum Georgio Pallauicino nobili signifero viui in potestatem hostium venissent. Verùm Auria id detrimentum æquiore animo tulit, quòd ab se tot Christiani

Andreas Auria Portundi eadem vindicare conatur.

nominis ſeruos in libertatem aſſeruiſſe videbat, & aliquot eorum maiora ſa-
uigia remulco ſecum adduxiſſet. Hac re geſta proculdubiò Gadibus ſalutem
attulerunt: nam Barbaruſſa ea ſpe deiectus ad minora latrocinia deſcendit.

De ſudore Anglico.

Neque hic annus ſolùm tam atroci Chriſtianæ Reip. calamitate funeſtus fuit,
ſed etiam periculoſiſſimo morbo, quem vulgò ſudorem Anglicum vocant, me-
morabilis. Hic enim morbus primùm in Anglia exortus, tam longè lateq; bre-
uiſſimo temporis ſpatio non tantùm per vniuerſum Britanniæ regnum, verùm
etiam per finitimas regiones, nempe Flandriam, atque adeò vniuerſum ferè Bel-
gium, dira lue ac peſtifera contagione graſſatus eſt, ita profectò, vt, dũ eius cauſa
ignoratur, fruſtraq; multa conquiruntur & adhibentur remedia, non antea ſe-
uiendi finem fecerit, quàm, abſumptis aliquot hominum millibus, permagnam
vaſtitatem ac ſolitudinem in pleriſque locis attulerit, dum non alio præſertim
pharmaco illi obuiam iri poſſe exiſtimant, quàm ſi ſtatim ab initio exortionis
morbi ad aliquot horarum ſpatia ægrotus lecto decumbens, & ad ſuffocatio-
nem quodammodò vſque contectus, hunc ſudorem per poros emitteret, ita vt
cùm hæc vnica curandi ratio eſſet valde difficilis & laborioſa, & quaſi inexpu-
gnabilem patientiam requireret, factum fuerit, vt, poſt cognita remedia, multi
laboris tædio vltrò mortem oppetierint. Eſt nihilominus poſtmodum ad com-
munem omniũ vſum à præſtantiſsimis medicis conſcripta methodus, quam ſi ſe-
quamur, facili negotio hic morbus cum euitari, tum ſuperari poteſt. Illud quoq;
hîc neutiquam ſilentio à me prætereundum videtur, ſcilicet, huius temporis de-

Res nouæ Indiæ.

curſu, Cæſaris Caroli v. mãdato ac auſpiciis, Americæ partẽ occiduam perluſtra-
tam fuiſſe, vbi regio Peru, omnium quæ hactenus inuentæ ſunt, cum auri, tum
aromatum ditiſſima, inuenta eſt. Ea ſita eſt in longitudine 290. graduum, ab Oc-
caſu verſus Ortum facto ordine. Ab orbe medio verò diſsidet Auſtrum verſus
partibus quaſi quinq. Hanc etiã nouam Caſtiliam ab inuẽtoribus nominãt. Hic
tanta auri atque argenti vis eſt, vt vaſa in contemptiſsimum vſum deſtinata, in-
de conflent: &, quod magis mireris, in ciuitate quadam Collao, reperta domus
eſt, tota auro tecta. Neque verò minus in aliis felix eſt regio. frumento enim
bis per annum gaudet, animalium vario genere dotata, feris ſe tamen liberam ſa-
ctat; oues tantæ proceritatis ſunt, vt vice equorum ipſis vtantur, tamque fecun-
dæ, vt fetus bis per annum edant. Ciuitates habet legibus atque armis munitas:
fluminibus, montibus, ac ſiluis mirum in modum adornata eſt. Paradiſum de-
xeris terreſtrem. Incolæ verò prudentia, comitate, artium variarum peritia, ac
fide probè inſtructi; commercia, omnemq. probitatem ſatis excolunt, niſi quod
Chriſtum ignorẽt; qui tamen vt multis iam innotuit, ita cunctis, Spiritu ducente,
innoteſcat, optandum. ac etiam aſſiduis atq. indefeſſis precibus à Deo opt. max.
contendendum, quò eius gloria indies magis atque magis inter mortales inclare-
ſcat, ac perpetuò celebretur.

1530. Carolus v. inauguratur Cæſar.

Annvs milleſimus quingenteſimus ac trigeſimus meritò ſempiterna me-
moria celebratur, quòd eo ſcilicet anno Carolus v. inuictiſſimus Romanorum
Imperator, à Clemente ſeptimo Bononiæ, die Matthiæ ſacro, ipſi Cæſari, vt præ-
diximus, fauſtiſsimo, in Cæſarem inauguratus ſit, & imperatorio diademate in-
ſignitus. Paucorum dierum interiecto tempore, Auguſtæ Vindelicorum iuſſu

Ferdinãdus Romanorum rex deſignatur.

Cæſaris celebrata fuêre comitia, ibiq; Cæſar Ferdinandum fratrem, de com-
muni Septemuirũm procerum ſuffragatione, Romanorum Cæſarem deſignauit.
Eodem anno, vbi Carolus, relicta Germania, Italiam repetiit, & cùm Bononiæ,
adornãdæ profectionis in Hiſpaniam cauſa, aliquot dies ſubſiſteret, Franciſcum

Sforti-

Sfortiã Insubriæ Ducem, ad Cæsarem euocatum, & sub fide publica profectum, supplicem in gratiam recepit, & mox opera atque gratia Romani Pont. & Mercurini Cardinalis industria, Mediolanensium Ducem appellauit, ac etiam tabulis Augustalibus ritè confectis, illi auitum paternumque dominium adiudicauit, & vltra summam nongentorum aureorum millium sibi à Cæsare hoc nomine imperatam, multa dona in eius proceres ad profusionem vsque contulit. Is quoque annus Florentinis maximam rerum conuersionem attulit, propter atrocissimum bellum ipsis à Cæsare ac Pontifice illatum. quod tandem hoc exitu terminatum est, vt Florentiæ ea die quæ Nonas Iulias antecessit, Dictaturæ simul & Decurionum nomine sublato, ac veterũ magistratuum formula prorsus antiquata, in eam ex Cæsaris decreto Principatus introductus fuerit, sic vt Alexander Medices, quem Margaretæ filiæ nothæ maritũ destinarat, inauguraretur, & Reip. Florentinæ Dux appellaretur. Eiusdem anni principio, quo hæc Florentiæ confecto bello transacta sunt; extremæ terrarum in Belgis regiones, quæ Gesforiaco littori incumbunt; repentina atque inusitata prorumpentis Oceani inundatione summam cladem subierunt, qua nobiles pauloantè vrbes, frequentissimaque opida, superfundente sese mari, periêre; vsque adeò miserabili calamitate, vt infinita propè mortalium multitudo, intercepto fugæ remedio, opprimeretur. Nam horribili prodigioso, sicut coniectari licuit, terræmotu concussus Oceanus, ita magno æstu intumuit, vt institutos antiquitus, & perpetua custodiæ diligentia ferè quotidie ab accolis instauratos aggeres, quibus submoueri, arceriq. æstuantis maris fluctus consueuerant, concitato quodam & vehementissimo incursu perrumperet, interioriscque plagę terris altissimarum & reciprocantium vndarum pelagus per transcensos margines effunderet: animantiaque subinde omnis generis irrito receptus cursu; in aridas littoris partes perfugere conantia, ocyssimè submergerentur, quibus longo natatu fessis, & fame morientibus, marinæ belluæ non dubio pauore attonitæ, impulsaque fluctibus conterritorum piscium agmina succedebant. Prænunciarant hanc cladem triduò antè densissimi imbres, diraque tonitrua scintillantis aëris; & crebra telluris commotio, perpetuoque biduo concursantium inter se ventorum diuersi turbines, ita horribili pauore concussis mortalium mentibus, vt, cùm tecta nutarent, & ingruente ineuitabili aquarum mole colluctantibus scilicet elementis, tota vniuersi orbis compages resoluta, in antiquum chaos redigi crederetur. Ea porrò calamitas longè maxima incidit Caninefatum, & Batauorum insulis, quæ Zelandæ, & Hollandæ à nostris hodiè nuncupantur. Nam præter eas quæ inundãtis maris impetu multorum cubitorum altitudine penitus submersæ fuerant, Alendebucha quoque, & Harles, & Exclusæ clara oppida, ita fluctibus oppressa deuorataque sunt, vt vix sacrarum turrium & templorum fastigia extarent, quæ horribili æquè, & sæpè metuenda excidij memoria cladem testarentur. Sed Nonæ Nouembres tantis malis finem attulerunt, cùm postridie Calendas, sereno quod mirum fuit, cælo, sed mox portentosum in modum ab repentina effusi imbris, & certantium inter se ventorum procella commutato, dira ea tempestas accidisset; tanta admiratione mortalium, vt nulla ab orbe condito maior & grauior vllis gẽtibus clades, post diluuium Mosaicis literis celebratũ, incidisse crederetur. Nec multò post, sequenti mense Ianuario, par propè exitij clades Lusitanis, in ipsis proculdubiò visceribus terræ furente ac debacchãte Æolo, illata est; cuius impetu vrbs Vlyssippo in primis incomparabile detrimentum sensit, & post eam coloniam, Sanctæ arenæ, & Azembugere, Almerinique vrbium publica priuataque ædifitia

Franciscum Sfortia in Principatu restituitur.

Florentini pristina libertate multati.

Exitiosa tẽpestas in Hollandia, & Zelandia exorta, multa hominum millia absorpsit.

cia inusitato terræmotu conquassata prosciſſaque magnam vim mortalium ruinis oppreſſêre, & nonnulla etiam nauigia turbulento inflati maris hiatu absorpta sunt; sic vt Tagus insanis illidentis maris fluctibus repulsus, discedentibus in vtramque ripam suis vndis, sicca in medio vada obstupentibus cunctis ostenderet: nemoque iam tota propè Lusitania tectis suis confideret, subsultante scilicet solo, ideoque non citò desituram terræmotus vim ita præmonstrante, vt regis & reginæ exemplum secuti vniuersi ferè incolæ tabernacula apertis in locis castrensi more erigere cogerentur: neque in his tamen soluti metu pernoctarent, cùm repentinum aliquem terræ hiatum, quo absorberi possent, non temerè extimescendum arbitrarentur. Hæc immensa aquarum inundatio, & ceterę calamitates subsecutę, haud dubiè cęlestibus prodigiis denũtiatę ac præmõstratæ fuerũt. Fulsit enim hoc tẽpore cometes Augusti 15. vel paulò prius, vt nonnullis placet, in signo ♌ recta linea primùm cum duabus extremis in cauda Vrsæ maioris. Proximus annus alios motus nõ habuit; & quies etiam insequentem annũ est propagata: qui ab externis bellis, quàm Italiæ motibus periculosior fuit. Nam Turcarum Princeps, repulsæ ad Viennam acceptæ ignominia accensus, cum circiter sexcentis hominum armatorum millibus Constantinopoli Hungariam versus profectus est. ad cuius tanti apparatus famam, Cæsar se se, quoad eius fieri potuit, instruxit: & Vastium cum Hispanorum copiis, & Italorum peditum atque equitum magna legione in Germaniam transire iussit, cui Pontifex in vsum belli quadraginta auri pondo in singulos menses promisit: ac Mediceum Cardinalem nepotem suum, legatum ad eam expeditionem misit: Germaniæ verò Principes & liberæ ciuitates pro Cæsare & communi Germaniæ salute ingentem exercitum compararunt. Verùm exitus longè à fama & terrore dissimilis fuit: quoniam Solymanus serò Hungariam ingressus (neque enim ob apparatuum magnitudinem atque itineris longinquitatem peruenire citiùs potuit) cum exercitu non rectà contra Cæsarem contendit; sed circumlatis modò armis, & ostentato bello, nullaque memorabili re gesta, vndique repulsus & cæsus, Stiria excessit, & inter Drauum, & Sauum directo itinere, ad Taurunum est reuersus, passim sæuitiæ suæ vestigia relinquens, & sæpè respectans, an Cæsar in tergo esset, cùm postrema agmina à paucis Illyriis & Coruatis equitibus caederentur. Verùm enimuerò in ipso Cæsare tunc temporis haud maior apparuit alacritas. Nam Turcarum aduentu audito, eis minimè obuiam est progressus; & regressu cognito, occasionem totis viribus vt Hungariam fratris imperio subiiceret, arripiendam esse non cogitauit. Sed in Hispaniam redeundi desiderio flagrans, vt Italicus peditatus cum certo Germanorum numero ad Hungariæ bella iret, constituit. Ceterùm id etiam consilium ipsi irritum fuit. Quandoquidem Itali pedites à nonnullis ex suis ducibus, qui alios ei expeditioni præfectos cernebant, ad tumultum concitati, nullam suæ seditionis causam adferentes, Cæsaris, qui eos adiit, atque ipsemet allocutus est, auctoritate nihil permoti; omnes coniuncti, Italiam versus maxima celeritate, ne qui se persequerentur, metuentes, atque in itinere multos pagos & domos, quasi hostium essent, incendentes; quod se facere, vt à Germanis incendia excitata vlciscerentur, aiebant; contenderunt.

Cometa horribilis.

Noua Solymani in Hũgariam expeditio.

1531.

1532.

Andreæ Auriæ classis contra Turcas. Ex Pauli Iouij hist. lib. 31.

Eodem anno, Cæsare iam ex Pannonia in Italiam aduentante, Andreas Auria cum triginta quinque onerariis, & quadraginta octo rostratis nauibus, Messanam venit, ibique cùm instrumenta bellica, & nauticos præcipuè commeatus nequaquam ingẽti cura ac diligentia à Præfecto Siciliæ, quem tum importunè morbus inuaserat, parata atque expedita reperisset, aliquantò seriùs quàm volebat, in

Gra-

Græciam traiecit. Audierat enim Himeralem, Othomannicæ classis præfectum, in Ambracio sinu aliquandiu desedisse cum septuaginta triremibus, imperitè & nequaquam militariter instructis, vtpote quibus vsu periti nautæ gubernatoresque deessent, & remigum turba magna ex parte ad nauale operam rudis, vti ex mediterraneis sæpè hominibus impotenti imperio in naues cogi solita; vulgato per singulas triremes morbo laboraret, sic vt eum nullo propè negotio, si maturasset, oppressurus fuisse crederetur. Erat tum ad Zacynthum insulam Venetæ classis, sexaginta triremium Vicentio Capellio præfecto, qui insulas & vrbes litoraque Veneti imperij vigili cura tuebatur, vtriq; iure fœderis amicus & hospes, nulli socius, spectator tantùm; sed ex professo illis futurus hostis qui subiectis Veneto nomini populis terra aut mari vim intulissent. Fuêre qui crederent, Venetos, vt neutris æquitate officij deesse viderentur, vno tempore & Auriæ de Turcarum classe per Corcyræos myoparones significari iussisse, & monuisse itè amicè atque opportunè Himeralem, vt Ambracio sinu quamprimùm educta classe, Ionio mari excederet, ne ab Aurianis triremibus, quæ apparatu celeritateq. præstarent, dum parum salubri in statione moram inutilem trahit, deprehensus opprimeretur. Itaque Auria à Laciniò promontorio, quod hodie Columnicum vocant, dimissis in altum onerariis nauibus, vt rectâ ad Peloponnesi insulas cursum diligerent, Iapygium Salentinorum, legendo Magnæ Græciæ oram, tenuit; indeque Corcyram & Cephaleniam præteruectus, Zacynthum venit. Constiterat in acie Capellius pænè hostilis paratiq́ue animi speciem præbens, vt apparatum atque ipsam nondũ vel diuturna pace senescentem, maritimi negotij disciplinam ostentaret: & vetera quidem odia memoriam subibant, quibus Ligures, Luciano Auriâ duce, ipsius Andreæ tritauo, ad internecionem propè Veneti nominis ad Fossam Clodiam dimicassent, atque inde Auria subirato tristiq́ue animo Luciani interitum defleret, qui victor eo nauali prœlio cecidisset: sed sanctissima religionis & fœderis iura ita animos continebant, vt cùm vtrique imprudentes vel in cauti videri nollent, præbito insigni spectaculo concursuri viderentur. Neque inutile vel iniucundum posteris futurum putauerim, si acierum ordo paucis verbis explicetur, quando ętate nostra nequaquam simile contigerit, vt id literarum memoriæ mandaremus. Collocarant in alto Veneti ingentem onerariam nauem, quaternis funibus à puppe proraq́ue ad totidem ancoras in obliquum ductis, firmissimè deligatam: ab hac vtrimque binæ galeaciæ ingentium tormentorum apparatu formidabiles ita cõstitutæ erant, vt ex interuallo onerariæ nauis frontem non æquarent, & vtrimque tantum spatij relinqueretur quantum satis esset, vt à læua dextraq́ue viginti singulæ triremes, quæ erãt in cornibus, erumpere possent: tertia verò acies ex reliquis viginti triremibus, in qua erat ipse Capellius, in tergo subsisteret, hinc aut inde allatura opem, vti prœlij casus & incursus hostium poposcisset. Eo pacto onerariæ naui ad emittenda tormẽta latum & vacuum mare, à fronte & à lateribus relinquebatur, & galeaciæ in altum exporrectæ triremium latera tuebantur. Ab Auriana classe tres speculatoriæ triremes antecedebant insigni velocitate; tres verò acie quindecim triremium eo ordine subsequebantur, quem in agmine nauigationeq́ue tenuerant: vbi verò in cõspectum Venetæ classis est deuentum, Antonius Auria, qui primo præerat agmini, in dextrum sensim deflectens, remos sustulit, vt sequentes expectaret: & Andreas, qui medium tenebat agmen, suo cursu progressurus, sese introrsus ad cornu dextrum applicauit. Saluiatus verò Rhodiarum & totius tertij agminis præfectus, interim in læuam ita cõcitauit remiges, vt puncto temporis ad medium agmen proueheretur, adeò

Veneti Turcis Auriæ aduentum indicant.

Fœderatarũ acierum instructio.

vt

vt æquata omnium triremium fronte, vno pariqúe impetu concurſuræ crederentur Reddidêre veri prœlij ſimulachrum tormenta vtrimque ad conſalutationem honoris cauſa, exemptis pilis, miro ordine diſploſa. Venit ad Auriam Canales nobilis vir atque item fortis, Ionij maris cuſtodiæ præpoſitus, per eum Capellius, portus, ſtationes, commeatus amicè obtulit, excuſauitque ſe, quòd intergra ſenatus fide conſociare vires, & publicos hoſtes perſequi nequaquam liceret: obſtare enim fœdus antiquitus cum Othomannis percuſſum, quod ipſe etiam Solymanus renouaſſet. At Auria Cæſaris nomine gratias egit, quòd Senatus animo eſſet, vt maiorem æquitatis atque iuſtitiæ, quàm vllam bene gerendæ rationem reſpicere cogeretur, ſperare ſe tamen Cæſaris auſpiciis talem ad ingentem victoriam Venetis occaſionem eſſe præbiturum, vt eæ fœderum compedes, ab ipſis vltrò pietatis & certæ victoriæ cauſa cupidiſſimè frangerentur. Et certè cùm hæc animo reputamus, noſtrorum temporum cõditionem deflere, & Chriſtianorum Principum inſaniam deteſtari lubet, qui dum inter ſe bello aut odio diſſident, ita Othomannis parcunt, vt qui toties ſuperari deleriqúe potuerint, non immeritò adaucta in immenſum potentia, ad totius orbis imperium aſpirent. Himerale enim tum in fugam acto, atque eo ſi perſecuti forent, facilè deleto, quæ reliqua vnquam Solymano claſſis ſuperfuiſſet? quinam Byzantij, & Cæſarianæ Venetæqúe claſſium impetum tuliſſent, niſi tyrones prætorianos, aut eunuchos ad cuſtodiam feminarum domi relictos, mœnia egregiè defenſuros credamus? cùm in Pannonia procul ageret Solymanus, & Græci ex ipſa vetere libertatis & imperij ſui memoria, vt rebellare ex tuto poſſent, non quidem acceſſum Chriſtianæ claſſis, ſed vix ipſam tantum aduentus famam, erectis animis expectarent. Ceterùm Auria, vbi didicit Himeralem, ſuperato Galli promontorio, quod antiquis Acritis fuit, ad Maleam contendere, Antonium Auriam cum delectis ſeptem triremib. qui perſequeretur, miſit: ſed ille ad Cytheram inſulam vſque fruſtra perſecutus, quòd hoſtes Argolicum ſinum prætergreſſos, Atticæ Sunium atque inde Chalcidem petere audiebat, ad claſſem eſt reuerſus. Ea tum in Sphragiæ inſulæ portum, quem noſtri Sapientiam vocant, ſupra Methonem ad explicanda conſilia ſe contulerat: iam enim onerariæ ab alto, remiſſioribus vſæ ventis, in conſpectum ſe dederant. Fuêre qui dicerent, Methonem oppugnandam eſſe, & ante alios Saluiatus impiger iuuenis, Rhodiarum triremium præfectus: profitebatur enim ſe eam turrim quæ ſubiectum mare deſpiceret, & ceteris munitior eſſe videretur, effracturum maioribus tormentis & protinus occupaturum, vtpotè qui ſitum vrbis interioresqúe munitiones apprimè noſſet: ſuperiore ſiquidem anno in eum ipſum Sphragiæ portum cum aliquot triremibus è Melita inſula noctu illatus, præmiſſo ignobili nauigio per ſimulationem exponendi mercimonij, in cuius carina armati conditi erant, felici dolo vrbem occuparat, Iano Marino viro Græco ſummæ virtutis id facinus ingenti animo patrante: ſed occiſis cuſtodibus, occupataqúe porta, & iam capta vrbe, noſtri milites aliquãto prædæ quæſtu decoris auidiores, cùm ad diripiendas domos ſolutis ordinibus diſcurrerent, facilè à Turcis, qui animos receperant, turpiter cæſi expulſíque, nobilis victoriæ initium fœdo exitu corruperunt: ob id Auria ex priore periculo intentiorem fremioremqúe cuſtodiam, adaucto Turcarum numero, futuram ratus, Coronam oppugnare conſtituit. Diſtat ea vrbs à Methone duodecim fermè paſſuum milibus, ſi terreſtri itinere petatur, mari verò paulò minus viginti. Nam Acritæ promontorium medio ferè interuallo in mare procurrit, & in læuo promõtorij latere ſenſim littora curuantur. In hoc ſinu ſita eſt Corone adeò porrecta in pelagus, vt

Methone fraude capta

magno

magna ex parte maris fluctibus alluatur, altera pars cuneata in latum cuſpidem, tranſuerſo muro, eoque ſenis turribus inſigni & ferrata porta, proximam littori, quam Inſulam vocant, penitus excludit, & ita à mari recedens ſenſim attollitur, vt perpetuo ſaxo mœnia impoſita ad trianguli formam oppidum efficiant. In oppido, vt firmiore nobilioreque, Turcæ domos habent, Græci Inſulam inhabitant, ad extremum verò oppidi angulum prælta in rupe arcem Veneti quondam fecêre, quæ mediterranea deſpicit & ſuburbana tecta: hæc viam militarem excipiunt, quæ in ſeptentrionem perpetuo accliui collis dorſo in campos extẽditur; ſed ea ſuburbana, cùm ad ſagittæ iactum à porta oppidi proceſſeris, alio intermedio muro portaque diuidunt. porrò ad mare ab vtraque vrbis parte, duæ ſunt percommodæ ſtationes: nam cùm Euri Vulturnique, vel è diuerſo Fauonius & Corus ſæuius perflauerint, ex hac in alteram nauigia repentè confugiunt. In læua ſtatione ex vetuſti operis mole portus efficitur, verùm adeò anguſtus, vt vix ſeptenas triremes tutò recipiat. Auria, terra marique explorato vrbis ſitu, cohortantibus maximè Græcis, qui ad noſtros è ſuburbanis ædificiis cupidiſſimè tranſierant, aggreſſurus vrbem, in hunc modum ad oppugnandum, loca muniaq. diſtribuit: circumductæ primò ſunt in ampliſſimam coronam naues onerariæ, & ante eas triremes, vt totam eam conuexi muri partem, quæ inſulam à mari præcingit, contractiore ambitu complecterentur, proiectis in littus ſub muro ancoris, vt inde per ductarios funes ergatarum beneficio attracta nauigia, quantum maris vadum pateretur, ad mœnia promouerent. Scaphis autem magnarũ nauium pluteis ac aſſerib. protectis, ancoras prouehi, & in littus ad ſcopulos intertela Turcarum ab alto incidentia, collocari iubebat: ex nauium proris nouo quodam artificio pontes paribus extantibus antennis impoſiti tabuliſq. conſtrati, à fronte prominebant, ita vt ſummitati mœnium æquarentur, atque inde clypeatæ armataque cohortes procurſuræ & irrupturæ in oppidum viderentur. In duarum verò longè maximarum nauium, Grimaldiæ ſcilicet & Rhodiæ ſummis carcheſiis, ab excelſiſſima nempè mali ſummitate, ſacri, falconéſque bini conſtituti erant, vt inde non propugnatores modò, qui in muro conſiſterent, ſed interiora inſulæ certis ictibus peterentur. Terreſtres verò copias ita diuiſit, vt Hieronymus Tutauilla Sarnenſis comes duceret Italicas cohortes, & læua parte ſupra molem, latum propugnaculum ſeptem tormentis quateret: Hieronymus verò Mendocius cum Hiſpanis à dextra, paulò à mari longius, non inſulæ tantùm, ſed & oppidi murum totidem tormentis & ſcalis aggrederetur. Ipſe Andreas locum ſibi delegerat apud molem, Sarnenſi maximè propinquum: Pontificiæ autem triremes contraria in parte, Antonio Auria depoſcente, dextrum cornu tenuêre: Saluiatus in medio Rhodias mœnibus admouit. Nunquam ab vlla memoria, tantum tormentorum ad vnam oppugnationem collatum fuit: nam à terra quatuordecim, à mari verò centum & quinquaginta muralibus tormentis, vno vndique tempore murus eſt vehementiſſimè verberatus; minorum verò tanta vis fuit, vt neq. proſpici quicquam neq. exaudiri facilè poſſet, fumo ſcilicet in craſſiſſimæ nebulæ morem latè diffuſo, & crepitu reboatuque tormentorum cuncta quatiente. Apud Sarnenſem, Itali magno animo, ſed irrito incepto, ad proruptum murum ſcalas apponere, & ſcandere conantes, ter à Turcis acerrimè propugnantibus, inſigni detrimento accepto, ſunt repulſi. Neque enim tantum muri diruti fuerat, vt attingere ſcalæ poſſent, & vndique ab latere minoribus tormentis ſternebantur, nec Turcæ è muro ſaxa, ignes, feruentem arenam, calcemque & picem liquefactam prouoluere ac infundere ſubeuntibus ceſſabant. Sarnenſis in

Coronis ciuitatis deſcriptio.

his periculis fortiter æquè atque feliciter versabatur; nec reuocandi milites locus erat: nam implicati inter se hastis & in casarum angustias, quæ muro subeuntes, metu retrusi, quanto magis à muro recedebant, tanto apertius ac certius vulnerabantur. Perière in eo conatu receptúque, Theodorus Boschites Græcus, qui in Italia alæ equitum cum laude præfuerat: atque item Franciscus Carnaus è Neapoli, & Iacobus à Capua, strenui centuriones, & cum his trecenti ferè milites, & supra mille vulnerati debilitatique, in queis fuit Alfonsus Capanius signifer, cui sclopeti pila ab alto demissa, perfosso oculo linguam abripuit. Ex altera parte Mendocius nequicquam quassato muro, cùm omnia ardua ad ascensum forent, cauto consilio prælij fortunam non subiit. At nauales socij felicius, cùm Auria subeundi & scalas afferendi, vti antea edixerat, tuba signum dedisset, in insulam peruaserunt, cedentibus muro Turcis metu pontium, quos superstantibus armatis appropinquantes, continuò apprehensuros murum omnino crediderant. Primus ex naue Grimaldia imberbis Ligur, genere humilis, sed eo saltu satis clarus, vexillum in hostili muro defixit: proximi ei successere Hidruntino è Galeone miles, ac demum Lamba Genuenses: atque ita multis interfectis, insula capta diuptaque est, refugientibus infra oppidum per ferratam portam Turcis, qui ex eo, quem diximus, turrito muro, nostros præda occupatos vagantesque, sclopetis & sagittis vulnerabant. At primis tenebris Sarnensis suos, qui sub muro conditi protectique multis horis substiterant, incolumes ad se recepit; & tota nocte laboratum est in erigendis munitionibus, quibus in oppugnando oppido ipsi milites tormentaque ab hostium ictibus tegerentur. Sequēti die plures Turcarum equitum manus, vt Coroneis opem ferrent, in conspectum se dederunt: namque illorum gulos ferè proximorum oppidorum præfectos, & fama Aurianæ classis, & auditus tota Peloponneso tantus tormentorum strepitus exciuerant. Aderat à Lacedæmone, quam Misitram vocant, Zadares, cui Tridigito cognomen; is à Londario Charitena Messeneque expeditos equites circiter septingentos adducens, secundo littus iter facere cœperat, vt à dextro latere in vrbem irrumperet. Erat inter suburbana tecta, ei portæ, quam diximus, in statione collocatus cum cohorte Theodorus Spinula, iussuque Sarnensis, milites intra sagittæ iactum intercisa militari via, transuersam fossam opportunè duxerant. Itaque Zadares, cùm ab Eraino Auria, qui in id littus triremem obuerterat, tormentis peteretur, à littore diuidens, trium amplius millium capto circuitu, ad læuam peruenit, sinuosoque itinere intra suburbana tecta se intulit, magno impetu ad portam productus, adeò vt Theodorus irruentium vim ægrè sustineret; eratq. res adducta in maximum discrimen, nisi Sarnensis Theodoro cum paucis repugnanti peropportunè opem tulisset, submisso Petro Tolfio cum trecentis sclopetariis: ij postremam partem Turcarum agminis retro aduertêre, ingressiq. suburbana, ita reliquos in fugam desperato ingressu vrbis, compulêre, vt cùm Turcæ concitatis equis effugere conarentur, in fossam inciderent. Ibi Zadares labente equo præceps datus, interficitur, nec vlli ex Turcis omnino parcitur. Eo modo multis occisis, capta ad munitiones deferuntur, quibus conspectis, Turcæ qui oppido arcique præerant, siue metu, siue commeatus, & tormentarij pulueris inopia adducti, ea conditione vrbem atque arcem dediderunt, vt cum rebus suis armisque in pacata loca discedere liceret. Corone capta, atque ibi præsidio Hispanorum constituto, & recepto in fidem Græcis, disputatur in consilio, an in longo portu, qui parum à Corone distat, vt certus tutusque in ea ora Christianis classibus sit receptus, castellum ædificare expediat, aut Iuncum oppugnare, id hodie Nauarinum, Pylium antiquitus

Genuensium virtus & fortitudo.

Corone capitur à Fœderatis Principibus.

quitus fuit, subiecto portu insigne, ignauia custodis Veneti, qui postea capite pœnas dedit, Baiazeti in Methonensi victoria traditum. Ceterùm Auria multis de causis, & quòd nunquam defuturos portus nostris classibus speraret, ea consilia abiecit, & ad oppugnandas Patras, iterum adita Zacyntho cum classe descendit. Deseruerant ad apertam vrbem incolæ Turcæque, & in retractiorem locum sub arce prælta fossa muroque munitum, milites cum magna puerorũ & feminarum multitudine se receperant. Expositis copiis subuectisque tormentis octo muralibus, Sarnensis ad mille sclopetarios secernit, qui defensoribus murum nudent, ceteros virgultorum singulos fasces adferre iubet, vt æquata fossa ad murum scalæ deferantur. Non diu tormentis restitit murus, Coroneo vetustate debilior. Primus omnium Ioannes, Traiani Cabaniliæ filius, castrorũ præfectus, in fossam desiliit, subsequente ipso Sarnensi cum tribus signiferis & integris decem cohortibus, scandique murus certatim est cœptus: sed defensores Coroneis virtute constantiaque dissimiles, impetum nostrorum, fuga in arcẽ facta, diutius non tulerunt. Ita vrbe paruo labore, & pænè sine militum nostrorum vulnere, celeriter captâ direptaque, ad arcem in edito sitam tormenta subuexêre. Erat oppugnatio futura difficilis, si eam militari more Turcæ defendendam suscepissent: sed exemplo Coronensium, atque item eius imbellis turbæ misericordia adducti, cùm tantam multitudinem diu alere, vel in tanto seruitutis ac vitæ discrimine tueri posse desperarent, emissis ad Auriam oratoribus, ea conditione deditionem fecerunt, vt recepti in fidem, inuiolatique saluo in primis feminarum pudore, cum singulis vestimentis in Ætoliam traijcerent. Id egregiè Andreas præstitit, adeò vt inter alas militum vtrimque extensas, exeunte trium ferè millium capitum multitudine, cùm nonnulli petulantiùs feminas attrectare, atque his ornamenta detrahere inciperent, corripi, extemploque suspendi, aut iugulari iusserit. horum supplicio ceteris ab omni licentia deterritis, eo ordine Turcæ ad naues sunt deducti, vt Sarnensis & Saluiatus antecederent, ipse postremum agmen cogeret vultu seuero imperiosoque, & ad sumenda supplicia, si qui paulò licentiùs iussa contemnerent, maximè parato. Quæ rebat enim iustitiæ & præclaræ fidei famam apud ipsos præsertim Turcas, vt eæ gentes religione ac ingenij captu nobis dissimiles, facto periculo manifestè perspicerent, in Christianis ad militare decus non deesse fidem ac humanitatem, qui adeò moderatè victoria virtute parta vterentur. Exercitu ad Patras relicto, & terrestri itinere subsequi iusso, Auria ad Naupactei sinus angustias triremibus est deuectus: ibi fauces adeò coarctant eum influentis Ionij maris sinum, vt vno minus stadio, à Peloponneso Aetolia distet, quàm ad Hellespontum interfluo mari, Europa atque Asia dirimantur. His angustiis gemina antiqui operis castella imminent, quæ Dardanellos appellant. Fuêre olim in Achaia Rhium, & in Ætolia Molycreum, sed Ætolicum Achaico Baiazetes, superaddita turre ingenti, & duplici muro adiecto, multo validius atque munitius reddiderat. In his tormenta inusitatæ magnitudinis, multiplici feneſtrarum ordine ad libellam aquæ, ita constituta & collibrata erãt, vt vel exiguis & humilioribus nauigiis ingressus, & eximetri saxeæ pilæ facilè perueniebant, vti eadem ratione ad Hellespontum hodie fieri videmus. Auria citerioris castelli præfecto per Græcos homines extrema supplicia comminatus, si expectandam tormentorum vim putaret, facilè pepigit, vt Turcæ incolumes castello excederent: quibus nequaquam cunctanter eductis, quicquid vel annonæ, vel bellici apparatus in castello erat, diripiendum militi con-

Patra capta.

Andreæ iustitia & misericordia.

liti concessit. Reperti sunt thoraces, ballistæque veteres, itemque loricæ & peltæ more gentis, cum militari & minimè pretiosa supellectile. Ea spolia cùm Aurianarum triremium milites nautæque efferrent, ceterisque aduentantibus ostentarent, adeò appropinquantium cohortium animos dolore ac inuidia exagitarũt, vt, cùm opimiorem fuisse prædam crederent, & tardiùs venissent, ob idque præda penitùs excluderentur, continuò seditionem miscerent, ipsi Auriæ vehementer irati, quòd primò ad Coronem, & inde ad Patras, & tum etiam ad Rhium, quasi Turcarum sanguini passim parcendum putaret, eas res ciuili pactione, quàm ferro & bellica vi conficere maluisset, ita præmia laborum & vulnerum solatia militibus eripi, atq. interuerti prædam, vt ipse inde apud hostes intempestiuam humanitatis & clementiæ laudem priuato nomine ferat, & soli propè nautæ Ligures ditentur; ipsis verò armatis militibus terræ & maris incommoda perpessis, nec locus ad perfectam laudem, nec spes ac certa probatæ virtutis præmia relinquantur: & quod fortibus viris minimè sit ferendum, omnium ceruicibus & iugulis laquei & pugiones, vel in minimo delicto, & sublata quidem spe dicendæ causæ, proponantur. Hæc, cùm multiplicatis per coronas militum sermonibus dicerentur, & iam planè consternatæ essent aliquot cohortes, Neapolitanus signifer, quem strangulati ad Patras amici militis dolor incitabat, vexillum sustulit, alta voce commilitones inuitans, vt se ad opulenta castella euntem extemplò sequerentur, ibi non visuros crudelem ducem, & ingentem prædam virtute quæsituros. Nec mora, illum quinq. aliæ cohortes Italorum sunt secutæ, hisque vexillum Hispanorum accessit. iêre citato agmine non tam iratis quàm auidis animis in propinquos Græcorum pagos & villas, execrante eos Auria potiùs quàm reuocante. Iam Sarnensis cum valida manu expeditorum militum traiecerat in aduersam Ætoliæ continẽtem, vt exploraret castelli situm, & ponendis castris munitionẽ inciperet, cùm Turcæ in nostros faciendo operi intentos protinus erumpunt: sed egregiè Sarnensis per sclopetarios eorum impetum sustinet, multisque vulneratis intra portam compellit. Interim nondum perfecta castrorum munitione, equites Naupacto egressi, in conspectum se dedêre, vt castellanis opem ferrent. nostri quanquam pauci prò castrorum spatio, quod erat amplissimum, vti ad continendas omnes copias vsitata ratione dimensum, alacri tamen animo in munitionibus constitêre, in aduersos sclopetis rem gerentes, & nonnunquam erumpentes, vbi audaciùs prouectos hostes conspexissent. Ceterùm Turcæ multis in gyros decursionibus ad castra factis, latè omnia speculati, cùm sese prouehere audacius, & cominus pugnare nollent, Naupactum redierunt, intromisso equite ad castellanos, vt eorum animos spe celeris auxilij confirmarent. At Sarnensis, qui ea spe traiecerat vt copias omnes confestim subsecuturas crederet, vbi de consternatione discessuque militum certior est factus, intermisso castrorum opere ad Peloponnesi littus, vbi Auria constiterat, confestim rediit; & ad eos pagos est profectus, in quos desertores milites diuertisse dicebantur, ducibus præsertim Græcis, qui suas iniurias cum lacrymis deferentes, è proximis vicis ad castra decurrerant. Eos Sarnensis nequaquam seuerè, sed comiter reprehẽsos, quòd adeò leuiter insanire cœpissent, haud magno cum labore ad officium reduxit: iam enim eos admissi facinoris pœnitebat, & satis verecundè signa & centuriones agnoscebant, cùm villas & pastorales casas omnibus esculentis raptim consumptis, & ignobili etiam collecta præda, vacuas fecissent: sed reis & ex cõscientia pœnam meritis, Auriæ seueritas tantum pauorem adferebat, vt nonnulli metu supplicij præstare dicerent cum Turcis pacisci, & apud eos stipendia facere, quàm

Seditio inter milites Aurianos.

quàm ad sæuum ac inexorabilem ducem reuerti. Sed Auria regionis & temporis rationem habendam existimans, cunctis pepercit, ita tamen, vt seueritatem ac iracundiam vultu sermoneque retineret, nec veniam deprecantes recipere vellet, nisi vti cohortes decumaturus, ad arbitrium militaris imperij se dederent. is paruor omnium animis incussus, pro pœna ad retinendam imperij existimationem Auriæ satisfecit. Nec mora, ad delendam secessionis infamiam, parati animis in Ætoliam sunt traducti, simulq. exposita in littus tormenta duobus circiter millibus passuum supra castellum, vt tutiore itinere conuehi possent: nam è castello Turcæ ea littora tormentis infestabant. Ea Christophorus Auria vir impiger negotio præpositus, attracta funibus & impulsa militum humeris, per centurias laborе distributo, in castra conuexit: eodemque tempore Cabanilia cum trecentis sclopetariis antecedens, opportuno, & antè, vti diximus, explorato loco castrametatus est. Dum hæc administrantur, Turcæ Naupacto magnas pĕditum & equitum copias educunt, & in nostros pleno passu deferũtur: iam enim & à Corintho, & ab oppidis quæ sunt ad Acheloum amnẽ, totaq. Peloponneso & Ætolia, præfecti equitum, raptis quas poterant turmis, Naupactum conuolarant. nec Sarnensis haudquaquam ea multitudine territus sibi deest, ad quatuor millia peditum in vnum agmen cogit, & quadrata acie contra hostes progreditur, extra ordines verò delectam sclopetariorum manum rem gerere iubet: in tergo castellum relinquebatur, & in nostris munitionibus præsidium erat relictum, quo eruptiones cohiberi possent, & in ipsam castelli portam tormenta peritè atque opportunè directa fuerant. Insultantibus vndique & procursantibus Turcis, nec pĕdestres copias in aciem producentibus, Sarnensis se recipere, & in castra se conferre cœpit; in tergo extraordinarij ad angulum dextrum quadrati agminis constituti, sine periculo insequentes Turcas repellebant; circumueniri enim non poterant: & cùm aliquãtum in aduersos procurrerent, disploſis sclopetis tutissimus ad agmen erat receptus. Prœlio ad occasum Solis protracto, Turcæ, nulla re memorabili gesta, Naupactum sunt reuersi. Sarnensis in castra copias reduxit, totaque ea nocte quæ secuta est, ad aggeres fossasque perducendas milites in opere fuerunt, constitutaque suis locis tormenta muralia, quæ exterioribus ædificiis protegebantur: oriente autem Sole turres, quæ prominebant, magna vi quassari cœptæ; hic Turcæ constantissimè & acerrimè propugnando, vllà in parte timoris signum dabant: erant enim in his plerique veterani Ianizeri in custodia oppidorum atque arcium relicti. Ad extremum is exitus oppugnationis fuit, vt perfracto muro, multisque intrò variis casibus interfectis, nostri in castellum irrumperent, trecenti fermè Turcæ, nemine capto, trucidati: nonnulli insigni animorum contumacia media incluſi turre, se ipsos & turrim totumq. pænè castellum, non sine nostrorum clade, succenso tormentario puluere concremarunt, tanto ruentium murorum crepitu, vt littora veluti terræmotu pertremerent, & triremes, quæ suberant ad sagittæ iactum, lapidum fragmentis pænè obruerentur. Andreas è prora prætoriæ triremis prœlium spectauit, donauitque Sarnensem & Saluiatum singulis ingentibus tormentis: tanta enim vis æneorum tormẽtorum in castello reperta est, vt septuaginta millium aureorum pretium excedere diceretur. Ea demùm tormenta stupendæ magnitudinis, Arabicis inscripta literis, ad victoriæ monumentum, Genuam delata, in portus mole constituit, vbi de piratis ad Planasiam insulam superatis, sacellum Deiparæ Virgini ex manubiis antea consecrarat. His confectis rebus, posito ad Coronem Hispanorum præsidio, atq. vrbe tormentis, & multorum mensium commeatu diligentissimè permunita;

Turcarum eruptio.

Mendocium ita animo confirmauit, vt fidem daret, & prolixè polliceretur, se vel priuato sumptu, si id Cæsar facere differret, in eius auxilium classem esse transmissurum. Interim Saluiatus suis triremibus in intimum sinum prouectus, ad Lecheum vsque portum, hodie diui Demetrij vocatum, sub ipsa Corintho paucorum circumtulit, & veteris Sicyonis, quam hodie Basilicam appellant, & quæ in aduersa parte est, Creusæ littora succensis hortorum ædificiis latè vastauit. Nec multò post Andreas, appetente hieme, & acceptis à Cæsare literis, quibus discessum à Pannonia Solymani, & suum in Italiam aduentum significabat, felici vsus nauigatione, Neapolim, atque inde Genuam est reuersus. Ceterùm quæ proxima æstate in mari gesta sint, videre est apud Paulum Iouium, à quo etiam hæc 1533. postrema decerpsimus, lib. xxxi. Hoc rerum tractu, Clemens Pontifex & Franciscus Galliarum rex, Massiliæ simul conuenerunt, habitisq. de variis Reip. Christianæ negotiis, seriis & grauibus deliberationibus, tandem huc descenderunt, vt, ad maiorem & firmiorem stabiliendam inter se amicitiam & beneuolentiam, Pontifex Catharinam Mediceam Laurētio iuniore genitam, suam neptem, Henrico Valesio secundo regis filio, elocaret; ipsaq. Massiliam euocata, citra aliquam moram sponsalitia celebrarentur; sicuti etiam factum est.

Catharina Medicea Henrico Galliarū regi desponsatur.

LIBER XXI.

PROXIME enarrauimus, Pontificem Clementem & Franciscum Galliarum regem, Massiliæ in mutuum colloquium deuenisse. Vbi igitur Pontifex ibidem vnum ferè mēsem substitisset, 1534. iisdem triremibus, quibus venerat, reuectus, discessit; at magna maris molestia affectus, Sauonam peruenit: vnde, neque triremium apparatui neque gubernatorum peritiæ satis fidens, iis remissis, Andreæ Auriæ nauibus Centumcellas est perlatus, & Romam summa cum auctoritate, & mira felicitate, apud eos præsertim, qui eum in Angelica arce captiuum viderant, reuersus, pauciſſimorum mensium spatio, fortunæ fauore, iam animo ea quæ futura erant præsagiens, est vsus. Notissimum est enim, illum, ferè statim post suum Massiliæ reditum, quasi mortem sibi imminere exploratum haberet, sepulchrum & amictum omnem, quo Pontifices, cùm sepeliuntur, ornari solent, sibi fieri curasse, ac familiaribus suis sedatissimo animo se breui moriturum dixisse: & nihilominùs consueta studia cogitationesque minimè deponens, quò familia sua, vt ipsi videbatur, tutior esset, vt Citadella arx munitissima Florentiæ extrueretur, (nescius quàm citò nepotū felicitas finem esset habitura) vrgebat: ex quibus cùm inter se essent infensissimi, Hippolytus Cardinalis non sine veneni suspicione, anno post Pontificis mortem nondum exacto, obiit. & Alexander alter nepos, qui Florentiæ regnabat, maxima imprudentiæ nota ibidem clam noctu à Laurentio, ex eadem Medicea familia, fuit interfectus. Iraque Pontifex æstate ineunte stomachi doloribus excruciari cœpit: quibus febri accedente, diu ab illa atque aliis offensionibus vexatus, iam ferè ad extremum deuenisse, iam ita subleuari, vt aliis, sed non sibi, salutis spem exhiberet, videbatur. Quo ægrotante, Wirtenbergensium Dux, Hessi, aliorumque Principum ope, & pecunia à Galliæ rege adiutus, Wirtenbergensem Principatum, quem Romanorum rex occupabat, recuperauit. Cumque maius incendium timeretur, contra Galliæ regis, qui Cæsarem huius motus causa diuturno difficiliq̃ bello implicatum

Clementis reditus in Italiam.

Hippolyti Card. mors.

Alexandri Florētiæ Principis cædes.

Dux Wirtenbergens. suā ditionem recuperat.

catum iri, vel fortasse victricia arma ad Mediolanēse imperium turbandū transitura sperauerat, voluntatem, cum Romano rege composuerunt. Fuit autem hic Pontifex ex humili loco, admirabili felicitate ad Pontificatum euectus: in eo autem admodum variam fortunam; verùm si vtraque ponderetur, longè magis aduersam, quàm secundam, est expertus. quæ enim felicitas, captiuitatis ipsius infelicitati; vrbis direptioni tanto cum excidio spectatæ, tantæ cladi patriæ suæ illatæ comparari potest? Obiit sexto Cal. Octob. anno Pontificatus x i. ætatis verò quinquagesimo septimo, Curiæ inuisus, Principibus suspectus, fama potiùs graui & odiosa, quàm grata: auarus, ambigua fide & natura, à beneficiis in mortales conferendis alienus. Illo defuncto, Cardinales eadem nocte qua se Pontificis legendi gratia conclaui incluserant, omnes cōcordes Alexandrum Farnesium Romanum, omnium Cardinalium antiquissimum, Pontificem maximum creārunt: quem sanè per quadraginta annos senatorem, atque omnes ætatis honore superantem, Roma patria, præclaræ maiorum imagines, eximia atque inueterata virtus, & præcellentes literæ magnoperè commendabant, adeò vt Clemens, cùm toties represso, & rursus erumpente morbo, omnem vitæ spem constanter abiecisset, eum sibi successorem testamento scripturum affirmaret, si Pontificatus hæreditate pararetur. Eadem æstate Solymanus Turcorum imperator, effusis vltra Euphratem ingentibus copiis, aduersus Tammasum magni Hismaëlis filium, bellum suscepit, validaque simul instructa classe, Africam, occupandæ Siciliæ atque Italiæ maximè opportunam, inuasit. Verùm, multis rebus præclarè gestis, tandem à Persarum rege, magna suorum strage, terrestri certamine cōgressus, vincitur atque fugatur. Nauale autem prœlium auctore Hariadeno Mitylenæo, cognomento Barbarussa, Othomannicæ classis Præfecto, cum magna sua laude, reportatis crebris de hoste victoriis, terminauerat. Hoc etiam anno comitia religionis causa indicta sunt à Friderico electore Smalcaldicæ, quod erat illius oppidum inter Casuaros, siue Thuringiam, & Incriones ad Schalmum fluuium, ad quæ omnes Germaniæ Principes, quos recepto nomine Protestantes vocant, & liberarum vrbium idem dogma profitentium legati atq; oratores conuenerunt: omnesque post multas & varias deliberationes, sententiarumq. rogationes, tandem vnanimi consensione in statuta & leges quæ in illis comitiis factæ sunt, descenderunt, & se in iisdem perseueraturos iureiurando confirmarunt: Videlicet, vt in quinquagesimum annum leges latæ intelligerentur ad religionis, sui ipsorum, & fœderatorum omnium defensionem. Ne liceret cuiquam bellum inferre, aut hostiliter inuadere agrum cōiuratorum. Si quis inuaderetur, statim ceteri, atq. significatū esset, subsidia mitterent, quanto maiori possent conatu, & diligentia: quod nisi factum esset intra certum spatium, vrbs illa posset, sine perfidiæ nomine, cum hoste pacisci, vel aduersus coniuratos arma capere. Vt vnius hostes ceterorum hostes intelligerentur. Vt nemini liceret semel susceptum bellum aduersus quemuis hostem deponere, nisi reliquorum omnium consensu. Ne armatus exercitus concederetur per agrum cuiusquam fœderatorum ad bellum inferendum perfidies commeatum suppeditarent ab initio belli eò profectis, ac totidem post bellum: ea tamen lege, vt qui acciuisset, & cuius causa bellum gereretur, summum haberet imperium eius expeditionis, quod nemini suscipere liceret ad alios infestandos vel Principes, vel ciuitates. Si qua inter illos nasceretur controuersia pro iure & æquitate, ac non pro armis dijudicaretur, & obseruaretur iuramentum quod intercesserat. Vt liceret Principibus, & fœderatis ciuitatibus communi con-

Clementis Pont. obitus & natura.

Clementi Paulus tertius in Pontificatu sufficitur.

Solymani in Persas expeditio.

Conuentus Smalcaldicus.

silio mutare vel addere, si quid opus esset, aut æquum videretur: liceretque sapientius communi omnium saluti consulere. Vt eiusdem fœderationis socij & participes, omnes Principes, & liberæ ciuitates Saxonum & Sueuorum intelligerentur. Postero anno Solymanus, Abraimo & Vlamane præcipuis eius purpuratis, adhortantibus, contra Persarum regem bellum instaurauit, egregiam sese ex hoste victoriam relaturum sperans. Itaque Taurisium reuersus, Persarum regem inde ad eius inopinatum aduentum in Coraxenos iterum abeunte, vrbem amplissimam, licet iussa facere paratis incolis, sæua barbarie militū libidini diripiendam permisit; & ipse quoque, præter sericos artifices, seruos, ac delectam vtriusque sexus iuuentutem, cuius ingens multitudo fuisse dicitur, multa magni pretij ornamenta secum Byzantium asportauit. Ea præda onustus, cùm iam aduentantis Tammasi fama increbesceret, in Mesopotamiam rediit, eoque in itinere parum abfuit, quin ipse vniuerso suo cum exercitu summū vitæ discrimen adiisset, nisi Persæ falconum & sclopetorum ictibus ad primum cōspectum abterriti, eos persequi desiissent. Verumenimuerò cùm iam Tammasus Taurisium rediisset, nihilque haberet antiquius, quàm omni contentione eos persequi, cum cataphracti Persæ leuissimos Turcarum equites insequi non possent, ab instituto reuocatus fuit. Interim Delimenthes Satrapa, vir consilij animique fortissimus, certo expeditorum equitum numero à rege impetrato, cum iis per nota itinerum compendia Turcas insecutus est: eosque iam nihil aduersi formidantes, vndique inuasit, ita vt vix vllus esset ex purpuratis atque proceribus qui suæ saluti commodè fuga consulere posset. satis constat, tantam fuisse Othomannici exercitus dissipationem, vt vix vnquam maiorem cladem cum Persa congressus, acceperit. Vltra enim tormenta bellica atque tabernacula, in hostium potestatem abducta, cuncta vasa castrensia & impedimenta amisit, ac insuper plusquam dimidium equorum partem desideratam esse affirmant: & hanc victoriam tanti momenti ac ponderis fuisse commemorant, vt Persæ illius memoriam, quæ ad nonum Octobris incidit, anniuersaria publica lætitia deinceps prosecuti dicantur. Ceterùm huius funesti prœlij successus, Solymani animum, alioquin insuperabilem, haud mediocriter lancinauit, atque acerbissimæ recordationis morsibus afflixit, ita vt institutæ expeditionis valdè pertæsus, Byzantium redire statuerit, inexpiabili odio in Abraimum concepto, cuius potissimùm consilio, vt antè dixímus, hanc aduersus Persas profectionem susceperat. Hoc Solymani in Abraimum odium, multorum procerum erga eum conspiratione auctum est, qui æquum eius immodicam potentiam ferentes, multis criminibus & calumniis inuidiam illi iuxtà & odium apud Solymanum Byzantium reuersum, parabant, adeò vt gratia omninò excidens, parum auctoritatis vel apud ipsum, vel reliquos aulicos retineret. Sunt etiam qui asserant, Solymanum, valdè in ipsum exasperatum, suæ matris atque coniugis stimulis, egerrimè ferentium, vnius serui arbitrio tantum Principem regi, in dies magis atq. magis inflāmatum. Accedebat huc, quòd minimè obscuris indiciis compertum esset, ipsum, Christianorum rebus haud mediocriter fauere, eaque potissimùm de causa Solymanum, quò scilicet Carolum Cæsarem & Ferdinandum regem, itemque Venetos, omnibus molestiis liberaret, ad Persicam expeditionem instigasse. Erat siquidem tunc temporis Solymanus, supra modum exacerbato in Venetos animo; nec minori indignatione & ira in Carolum Cæsarem æstuabat, quòd nimirum intellexisset, eum, per suos legatos cum Persis egisse, atque consilia communicasse, sic vt ipsum Tammasum bellicis tormentis per Lusitaniam è finitima India suppeditatis adiutum, certò ab

1535. *Turca redit in Persidem.*

Taurisium diripitur.

Ingens Turcarum clades.

Abraimus excidit gratia Solymani.

ab ipso Cæsare crederet. Itaque subornatis delatoribus, Abraimus, tanquam ingrati erga Solymanum animi conuictus, acerbissimis verborum vibicibus proscissus, contumelioseque obiurgatus, nec vllis lachrymis Solymani pedibus advolutus, sæuum ac exulceratum eius animum flectere potuit. Nocte inde proxima ceruicali subnixus, dormitans in cubiculo, cultro adunco, quem Solymanus carnifici de manu, sicuti nonnullis placet, tradiderat, iugulatus est, primaq. luce supellex & pecunia eius omnis in fiscum relata, nihilque ferè ex tot tantarumque pristinarum fortunarum amplitudine, præter dotem miserrimæ cõiugi relictum. Is hominis longè præstantissimi ac potentissimi exitus fuit. Hoc exemplo homines suæ fragilitatis humanæ obliti, haud dubiè admonentur, quàm nihil in rebus humanis sit simplex vel solidum, quàm denique caduca & fluxa omnia, quæ inani sui specie & comica larua vsque adeò hominũ oculos perstringunt, vt ipsi non secus ac si in Cimmeriis tenebris versantes, omnem meliorem lucem reformidẽt & aspernentur: quo sanè fit, vt voluptatibus omnibus diffluentes, ac dulci fortuna, quod dicitur, ebrij, sibique turpi & scelesta ambitione & philautia, abblandientes, se extra fortunæ aleam, atque humanam quodammodò sortem positos esse credant: nec mirũ, cùm omnia scilicet illis ex nutu & voto, tãquam ex Amaltheæ cornu deprompta fluant, ac non secus quàm in summo rerum fastigio collocati, & de omni casu securi, nunquam de rerum humanarum vicissitudine cogitent, sed: vt in alta securitate fieri consueuit, in vtrãq. aurem supinis animis dormiant. Horum profectò hominum quàm deploranda sit conditio, & animi hebetis insania, vel hinc videre licet, quòd passim recẽtibus exemplis, oculis sese nostris vndique ingerentibus, manifestè videamus, quàm fucosa & incerta sit illorum felicitas, qui rerum paulò antea potientes, facillimo temporis momẽto, non solùm gratia principum virorum, apud quos plurimum præstabant, excidant, sed non secus ac à summo apice in imum præcipitati, inanis suæ retroactæ gloriæ & vanitatis pœnas persoluant. Tum demum sera subit illorum animos pœnitentia; quòd ita temerè suis rebus confisi, nihil de alterius sortis statu cogitare in animum induxerint. Fit enim sæpius, vt, cùm res ad vltimũ tragicæ vitæ exitum deducta sit, & nihil, vt de Pandoræ pyxide dicitur, præter inanem spem in fundo lateat, tum, cum summo gemitu ac suspiriis, multaque lachrymarum effusione, ad retroactæ vitæ suæ periodum respicientes, tandem caligantes oculos ad meliorem lucem attollant, & perspicuè animaduertant, in hoc tragico humanarum rerum theatro, nihil exhiberi felicitatis quod diuturnitate perpetuum sit, vel quod hominum animos beatos efficere possit. Optandum esset itaque, vt, remotis omnium voluptatum illecebris, quæ etiam optimi cuiusque animũ, tanquam prehensa manu, abducere solent, ac quasi reluctantem, secum in præcipitium trahere, eas iniremus vitæ conditiones, quæ maximè cum honestate consentirent, ac ne latum quidem, quod aiunt, vnguem à legum reuerentia ceterarumq. virtutum norma decederent. Hac ratione proculdubiò fieret, vt solidioribus innixi præsidiis, feliciores, vel saltem tolerabiliores vitæ exitus assequeremur. Qua de re me forsitan prolixiùs differentem non tam admonuit huius purpurati funestus exitus, quàm multorum aliorum, qui patrum nostraque memoria adhuc in hominum oculis hærent. Quorum certè tanta est multitudo, & vbique gentium tot extant testimonia, vt hic longiori commemoratione opus esse non videam. Ceterùm Solymani animus nõ tam inflictæ cladis in Perside memoria excruciabatur, quàm nouo acceptæ natalis calamitatis nuntio percellebatur. Siquidem Carolus v. instructa ingenti classe, totique maritimo negotio Andreæ

Abraimus iugulatur.

1536.

Auriæ,

Auriæ,cui vni propter ſpectatam fidem, rerumque peritiam, profectionis ſuæ atque ſupremi conſilij decreta communicarat, aduerſus Ariadenum maritimam expeditionem in Africam ſuſcepit; in qua tam proſpero ac felici Marte vſus eſt, vt Guletam arcem longè munitiſſimam, & mox Tunetum, in ſuam poteſtatem redegerit. Ahenobarbus ea clade accepta, Hipponem, quam hodie Bonnam vocant, ſe cum ſuis recepit. Sed cùm illi nunciatum eſſet, Auriam cum quadraginta triremibus circum littora & vicinas oras nauigare, omnemque regionem illam perluſtrare, non expectato illius aduentu, aufugit: quo ſanè factum eſt, vt ciuitas ſimul cum arce & propugnaculis ſine magno conflictu & negotio Chriſtianis ceſſerit. Vbi, præter alia multa, rei bellicæ apta inſtrumenta, magnum numerum tormentorum receperunt: arci & ceteris munitionibus Imperator de duce ac firmo præſidio proſpexit. Quibus rebus, cum ſumma ſui nominis gloria, & Reip. Chriſtianæ beneficio geſtis, decimo ſexto Cal. Septemb. ab Africa ſummo diluculo ſoluens, cum tota claſſe in Siciliam contendit, ibique triumphali pompa exceptus, & paſſim pecunia donatus, inde Neapolim peruenit. Non dubium eſt, quin, modò ſincerè & candidè iudicare velimus, & ſuo quoque populum merito honeſtare, huius clariſſimę expeditionis proſper ſucceſſus haud ex minima parte Genuenſibus debeatur, cùm nemo infitiari poſſit, Genuæ ad illius vſum, præter ceteras naues, triginta roſtratas, & vnam quadriremem, quæ Cæſaris prætoria erat, inſtructam atq. adornatam fuiſſe. Hæc quadriremis adeò erat affabrè extructa, vt omnes illius tempeſtatis artifices haud parũ in ſui admirationem raperet. Taceo auratum laquear & puppim cælatura atque eximia pictura conſpicuam, quæ intus & extrà vmbraculo ex auro purpuraq. intertexto cõtegebat, remigibus ſerica tunica, & epibatis omnibus veſtitus, atque armaturæ cultu plurimũ exornatis. Auria inſuper vim ingentẽ nautici cõmeatus, inſtrumẽtaque varia noui artificij, tormentorumq. omnis generis, ac telorũ copiam, vel maximo ſuffecturam bello in naues diſtribuerat, quibus totius Liguriæ iuuẽture, & exercitatissimum quemque, certatim cunctis nomina dantibus impoſuerat: eaque Barcinonem, quo paulo antè Cæſar Madritio profectus, venerat, delatus eſt. Eodem fermè temporis tractu, quo Cæſar Neapolim enauigauit, certa & conſtanti fama innotuit, Franciſcum Sfortiam viuis ſubtractũ eſſe: ex cuius quidem obitu grauiſſima exorta ſunt bella. Nam Franciſcus Galliarum rex, Ciſalpinæ Galliæ imperium à Cæſare ſibi concedi poſtulabat, cum ſuo iure antiquę hæreditatis à Valentina Vicecomite repetito, tum præclara Maximiliani Cæſaris cõceſſione, qui id tabulis ritè confectis, acceptaque honorarij muneris pecunia, Ludouico regi poſt exactum captumque Ludouicum Sfortiam adiudicaſſet. Sed Cæſar non ignarus, quantum ſibi auctoritatis, potentiæ, ac certi quotidianæ pecuniæ prouentus, ex Inſubriæ poſſeſſione imperioque accederet, nullis precibus adduci poterat, vt opulentiſſima Italiæ pars, præpotentibus Tranſalpinæ Galliæ regibus adijceretur. Hos enim, parto Mediolanenſi imperio, (vti eos iam priùs feciſſe meminerat,) minimè quieturos exiſtimabat, ſed auiditate proferendi imperij, aliena, ipſiuſque in primis regna protinus inuaſuros. Proinde adulto iam vere, Neapoli diſcedens, Non. Aprilis Romam profectus eſt: ibique quatriduò moratus, per Caſſiam viam Senas primò, indeque Florentiam & Lucam ab omnibus paſſim exquiſitiſſimis honoribus exceptus, peruenit. Ex Etruria, per Macrę amnis valles, Apuanoſque ſaltus, Apenninũ tranſgreſſus, ad Aſtam vrbem, coniunctam incluſamque ſubalpinis oppidis, conceſſit, vbi Foſſanum ab Antonio Leua expugnatum, & Carolum Sabaudium, ac Franciſcum Salaſſum regulos, à Gallo-

Guleta & Tunetum à Cæſare expugnatum.

Hippona ab Andrea Auria capta.

Franciſci Sfortiæ interitus.

Bellum inter Carolum & Franciſcum inſtauratur.

Gallorum fide atque amicitia desciuisse, cum summo gaudio ac voluptate intelexit. Quo felici rerum initio Cæsar, vt Alpes maturè transiret, magis atque magis accendebatur. Quamobrem, auctore in primis ipso Antonio Leua, licet Vaſtius & Ferdinandus Gonzaga longè aliter sentirent, ac prius Taurinum Prouinciæ caput expugnandum censeret, in Galliam Narbonensem exercitum admouit. Hoc Cæsaris decretum etiam Andreas Auria non parum promouisse visus est, cùm haud dubiam spem præbuisset, Rhodanum amnem triremium suarum catenato ponte posse coniungi, & per Narbonensem regionem ab Hispania, tum commeatus, tum omnis generis auxilia, bene gerendo & conficiendo bello, expectari posse prædicabat. Suberat etiam in arcano Cæsaris occulta spes potiundæ per proditionem Massiliæ: Nam, sicuti postea cognitum fuit per Antonium Leuam, quosdam, qui eam vrbem proderent, sed qui postea fidem mutarint, promissoque defuerint, tentatos fuisse constabat. Itaque coëuntibus iam vndique longè maximis equitum ac peditum copiis, Cæsar multiplici itinere, sed præcipuè per maritimas Alpes, & per Tendanos colles Prouinciæ fines intrauit, subsequente à Sauonæ portu Auriana classe, quæ multas Italicarum cohortium copias sustulerat, quibus Ferdinãdus Sanseuerinus Salernitanus imperabat. In his clari veteresque præfecti eminebant Augustinus Spinula, & Petrus Maria Roscius Parmensis S. Secundi regulus, Hippolytusque Correggius, & pleriq. alij haud obscuri nominis ac famæ: primoque impetu capta & direpta est vrbs Antipolis, vltra Varum amnem posita. Ceterum, huius expeditionis is tandem successus fuit, vt paucis interiectis hebdomadis, Franciscus rex, qui paulò antè Allobrogum oppida & arces ferè omnes ac etiam Taurinum occuparat, cum validissimo exercitu Cæsari occurrens, & loco opportuno castrametatus, interclusoeidem omni commeatu, & vlterius progrediendi omni spe sublata, ad eam desperationem adduxerit, vt leuioribus excursionibus fame & dysenteria bona exercitus parte amissa, in Italiam re infecta, retro abire compulerit; præsertim, cùm ab Auria, qui sub idem tempus in Tolonæ portum classe illata, ipsum vnà cum oppido metu tormentorum territis custodibus, deditione occuparat, tristem nũcium accepisset, quo Guidonẽ Rangonum ad inuadendã Genuam appropinquare, & in Pociferam vallem se demittere ferebatur; eaq. de causa ipse Auria de patriæ salute vehementer sollicitus, expedito consilio septingẽtos circiter milites Augustino Spinulæ legendos attribuerat, continuoq. triremibus Antonij Auriæ deuehẽdos imposuerat. Qui pari studio ac sollicitudine ad ferendã patriæ opem incitatus, vsusque nocturnæ auræ flatibus, velis & remis illuc ire contendit: ac portum ingressus, ciues magna trepidatione liberauit. Nam tota ferè ciuitas inexpectato metu perturbata, eò descendebat, vt plerique vxores, & liberos, quæq. præcipua inter mortales habentur, nauigiis imponerent; alij, plebsque in primis, rerum nouarum prædæq. auida, reduci Fulgosios, & vetus Gallicæ seruitutis iugum induci clamitans, correptis armis ad defendenda mœnia discurreret, sic, vt incerto studio per regiones vrbis deferretur. Sed conspecto Spinula, qui validam præsidij manum adduxerat, primores ciues obliti veterum factionum, ac meliores receptæ libertatis, in qua beatius viuerent, magna ex parte leuati metu recreantur. Iam hostes ad S. Thomæ portam, quæ ad occidentem sita est, peruenerant, allatisque pluribus scalis, & conscensis mœnibus, in summum parietem euadere, coronamque occupare nitebantur. His conspicui cohortatores aderant, Guido ipse, atque Fulgosius, qui cùm frustrà portam sibi aperiri amicè ingressuris postulassent, aduersum à ciuibus responsum retulerant, ac propterea vim admo-

Cæsari expeditio in Galliam infeliciter succedit

Genua ope Principis Auriæ, & Augustini Spinulæ, magno periculo liberatur.

admouendam rati, acerrima atque audaciſſima conſcenſione facta, in vrbem tranſcendere conabantur, eo quidem maiori Genuenſium periculo, quòd ad Orientalem portam, quæ ad Feritorem, hodie Biſamnem fluuium ducit, Pallauicinus Vicecomes, & Hercules Fulgoſius Cæſaris frater, altera caſtra feciſſent, vt diuerſo pauore illato, ciues ad deditionem compellerent. Ceterum, ſupra S. Thomæ portam, non longè ab ea turricula per quam Piſcario duce Adurnios procures reducente, vrbs ante quatuordecim annos capta fuerat, magna contentione certatum eſt, ita profectò, vt Baptiſta Corſus, cognomento Farina, ægrè locum defenderet, & Guidoniani vexilla in ſummi muri pinnas audacter efferrent. Verùm ſuperuentu Spinulæ ingenti animo propugnantis, ereptum eſt aſcendenti ſignifero vexillum, ipſoque vulnerato, atque in præceps deturbato, repreſſiſque ſubinde & vulneratis qui ſcalas ſubibant, ea mœnium pars vſque adeò egregiè defenſa eſt, vt cùm Hector Neapolitanus inuadentium pugnaciſſimus, cecidiſſet, Guido, multis ſuorum amiſſis & vulneratis, receptui cani iuberet, tanquam redintegraturus pugnam, vti eius rei ſpeciem præ ſe ferebat. Ceterùm, dux prudens, ac rei bellicæ non ignarus, quòd nulla ad quaſſandum murum, atque ideò ad terrendum hoſtem, tormenta ſecum adduxiſſet, neque vti ſperarat Fulgoſius, vllus omninò in vrbe fauentis populi tumultus oriretur, admonitis ſociis quæ erant ad Feritoris portam, copias collegit, regreſſuſque per dextros Pociferæ vallis montes in agrum ſubalpinum, & Tanaro amne ſuperato, ad Gallicos duces peruenit, ingenti equidem metu atque periculo, vti inopinatis caſibus accidit, liberata ciuitate; quamquam Guido in diſceſſu oblata ex itinere oppidula diripuiſſet. Inde ad Aſtam profectus, cùm nemo Cæſarianorum prodiret, abacta aliquanta præda maioris pecoris, ad oppugnandum Carinianum perrexit, quod oppidum infirmo cuſtoditum præſidio adortus, vno atque altero tumultuario certamine ſub mœnibus edito, ad deditionem compulit, ibique magnam vim parati à Cæſarianis commeatus nactus, Taurinenſium, & reliquorum præſidiorum inopiam, æqua diſpenſatione opportuniſſimè ſubleuauit. Nec multo pòſt, admotis copiis Carmagnolæ, munito oppido, quod Salaſſi erat ditionis, potitus eſt. Quibus rebus peractis, tametſi ab irrita ſpe potiundæ Genuæ ſuſtrà bellum ſuſcepiſſe videri poterat, his tamen captis oppidis, egregiè nominis famam tuebatur. His cognitis rebus, Cæſar, & Auria periculoſa leuati cura, ingenti lætitia ſunt affecti. nec multò pòſt Cæſar in Italiam reuerſus, Genuam venit, ibique aliquandiu in ædibus Principis Andreæ Auriæ, cuius in primis colloquio atque præſentia mirificè recreabatur, cum ſumma animi factione, atque longè rerum neceſſariarum apparatu ampliſſimo ſubſtitit, & varias animi curas multis iucundis exercitiis leniuit. Eodem fermè tempore, quo Cæſar ad aquas Sextias cum ſuis copiis hærebat, Maria regina Caroli ſoror, Nanſoo duce cum valido exercitu Galliæ fines inuadi iuſſerat: iſque leuibus quibuſdam equeſtribus prœliis proſperè factis, ſeſe ad oppugnandum Peronam, Picardiæ vrbem ad Samarobrinam amnem poſitam, conuertit, à qua poſtmodum eadem die obſidionem ſoluiſſe dicitur, qua Cæſar in Italiam, pedem referre cœperat. Inter hæc, Franciſcus Galliæ Delphinus, regis primogenitus, iuuenis florentiſſimus, & bellica virtute inſignis, cum incredibili totius regiæ mæſtitia, nec citra veneni ſuſpicionem, ſibi per quendam Italum Sebaſtianum Montecuculum nomine, qui poſtmodum Lugduni à quatuor equis in partes contrarias actis diſtractus fuit, opera in primis, vt ferebatur, atque inſtinctu Antonij Leuæ propinati, crudeliſſimo fato conceſſit. Iiſdem quoque diebus, Iacobus Scotiæ rex, amicitiæ

Carolus Cæſar proficiſcitur Genuam.

Franciſci Delphini obitus.

amicitiæ veteris quæ olim Scotis cum Gallis interceſſit, interpollandæ, & regis videndi, eiuſque affinitatis cupidiſſimus, in Galliam venit, cui Magdalena regis filia, celeberrimo nobilium vniuerſi regni comitatu, atque incredibili ſplendore & magnificentia, elocata fuit. Ceterùm hæc proximo anno, in ipſo ætatis flore, citra coniugalis thalami aliquem fructum, nec ſine immenſo vtriuſque regni dolore atque mæſtitia, immaturo & crudelibus Parcarum manibus abrupto ſtamine, viuis ſubtracta eſt. Nocte, quæ Ianuarias Nonas anteceſſit eiuſdem anni, Alexander Medices, Florentiæ Dux, ac Cæſaris gener, à Laurentio Mediceo propinquo ſuo, cùm iam ſextum & vigeſimum annum attigiſſet, intempeſta nocte in cubiculo, adeoque in ipſomet proditoris lecto, quàm crudeliſſimè trucidatus eſt. Huic non multò pòſt, Coſimus Medices Ioanne Medice fortiſſimo duce ex Maria Saluiata genitus, decimum octauum ætatis annum vix egreſſus, totius ciuitatis conſenſione, & rara fortunæ indulgentia, nihil tale præmeditatus, ſucceſſit. Hanc illi felicitatem prædictam fuiſſe aiunt non ſolùm à Baſilio ea tempeſtate celeberrimo Mathematico, qui eius ſchema natalitium examinans, mirabilem conſpirantium ſiderum felicium aſpectum deprehenderat, ſed etiam à Græco quodam ariolo, qui ex inſpectione volæ manus eius ingentis opulentiæ hæreditatem illi portendi aſſeuerabat. Accedebat huc, quòd Capricorni fauſtum ac felix aſtrum haberet in horoſcopo, ſiue, vt triuialiter loquamur, in aſcendente: quod ſanè ſignum cùm regium ſit, plerumque vel infimum quemque attollere ac euehere ſolet. Sub hoc ſigno Diuum Auguſtum natum fuiſſe, ex Suetonio ac ceteris deprehendere licet, ac etiam Carolum v. nullis veræ Imperatoriæ virtutis laudibus ipſo Auguſto inferiorem. Intereà temporis Franciſcus Galliarum rex, coacto ingenti exercitu, illũ virtute & auſpicio Henrici Delphini in agrum Taurinenſem ablegauit, qui Suza Moncalierio, multiſque aliis arcibus & oppidis expugnatis, Cæſarianos eò adegit, vt vltra Eridanum ſeſe recipere cogerentur. Ceterùm inſequenti anno, Solymanus parandis nouis regnis tam ſua inexplebili, quàm vſitata Othomannis regibus cupiditate incenſus, ſimulque moleſtiſſimè ferens, Luſitanorum potentiam in Indiam vſque prolatam, maxima ipſius regionibus detrimẽta adferre, intercluſis Arabici ſinus nauigationibus, quibus Memphim (hodie Cairum vocant) atq. Alexandriam omnis generis aromata & mercimonia, & inde in Europam aduehi ſolerent, quæ iam per vaſtiſſimũ Oceanum in Luſitaniam aueherentur, atq. inde porrò in Anglię, Belgij, Germanię, aliarumque regionum emporia diſpenſarentur, hortatu Solymani eunuchi natione Epirotæ, Ægyptij Præfecti, ingentem triremium & aliorum nauigiorum claſſem magnis impendiis inſtructam, contra Luſitanos miſit, vt eos ex tota India, vbi iam illi aliquot munitiſſimas arces conſtruxerant, exturbaret. Iam paulò antè in bello Perſico aduerſus Tammaſum infeliciter, vti monſtrauimus, ſuſcepto, didicerat, Luſitanos quoſdam ſclopetarios & tormentorum magiſtros, qui maiora tormenta & fundere & peritè dirigere Perſas docerent, regi Perſarum militaſſe, quod ſanè illius animum vehementer in Luſitaniam exacuit, atque vno eodemque tempore terra & aquis Italiæ bellum inferre conſtituit, tanta celeritate expediti conſilij parata claſſe, & terreſtribus copiis è Thracia ſiniſtrorſum per Theſſaliam proficiſci iuſſit, vt pænè prius improuiſus in Epirum peruenerit, & cum ducentis armatorum millibus circa Macedoniæ oram ad Aulonem cõſtiterit, quàm Byzantio profectus à noſtris crederetur, qui Barbaros vel ob id in Pannoniam reuerſuros exiſtimabãt, quòd fama obtinuiſſet, Auſtrianos Germanos nequaquã cũ Ioanne Tranſiluaniæ rege ac Turcis qui eſſent apud limites in præſidiis, indutias

Iacobi Scotiæ regis in Galliam profectio.

Alexander Medices Florentiæ interficitur.

Coſimus Medices Alexandro ſuccedit.

1537.

Turcica claſſis contra Luſitanos.

Solymanus Italiæ bellum infert.

tanquam parum æquas, seruaturos. Classis autem numerosa pariter & ornatissima, in Ionium delata, à Cephaleniis, atque Zacynthiis, pænè prius spectata est, quàm Veneti sua consuetudine iustam classem, creato Hieronymo Pisaurio, cui Vetturius, ceu collega & consiliorum particeps, attributus fuit, maris præfecto, ad tuendam suæ ditionis oram Corcyram versus adnauigare, indeque terrestres atque maritimos Barbarorum motus obseruare iuberent. Ceterùm Solymanus è Thracia profectus, emensusque totius Macedoniæ latitudinem, nihil eum moderantibus fluuiis, ad Scardos montes perrexit, & per eorum valles, ad mare, indeque Aulonem peruenit. Tum verò Italiam, quam habebat in conspectu, extemplò petendam ratus, vt, si cœpta prosperè prouenirent, ipse etiam cum omnibus copiis traijceret, Luftibeium, & Hariadenum transfretare atque explorare Salentinorum voluntates iussit, à quibus paulò pòst, Castrum oppidum direptum, & Salentinorum fines depopulati sunt, ac plurima detrimenta illata. Quem verò exitum hæc naualis expeditio sortita fuerit, Paulus Iouius circa initium libri xxxvi. luculenter ostendit. Et quoniam proximè enarrauimus, Solymanum hoc anno prævalidam classem aduersus Lusitanos eduxisse, quinā euentu dimicarum sit, quàm breuissimè demonstrabitur. Hic sanè, adiuncto sibi Moro Alexandrino, sinus Arabici angustias egressus, Persici maris sinum præteruectus, ad Indum vsque fluuium peruenit. Vt verò id magis planum atque conspicuum reddatur, sciendum est, duas ex Europa in Indiam fieri nauigationes. Vnam quidem ab Hispania, vel Lusitania, per littora Africæ, ac Æthiopiæ in Arabiam vsque ad vrbem Aden, indeque ad Ormutium nobilissimum emporium, ab Ormutio verò ad Cambaiam ciuitatem, atq. inde Calecutium; à Calecutio verò longè vlterius vsque ad auream Chersonesum, quam Malacham accolæ vocitant, quæ vrbs est miræ magnitudinis, regem habens Maurum. Eam autem Lusitani vi expugnatam, occuparunt, & direptam incenderunt; ibique multa præda cessit Lusitanis, adeò vt præter captiuos, septemque elephantos, æneorum omnis generis tormentorum ad duo millia. Porrò Lusitaniæ rex munitissimam ibi arcem construxit, apud quam diuersarum nationum mercatores multis opibus atque diuersis aromatibus, & odoribus eam vrbem complentes, sibi ædes, cum bona venia præfecti Lusitani, compararunt, ita vt iam longè insignius quàm antea, ibi sit instauratū emporium. Turcæ igitur, vbi ad Indum amnem peruenerunt, Dium vrbem munitissimam, apud quam Lusitani insignem habebant arcem, tibi totis viribus oppugnandam sumpserunt. Verùm Lusitanorum ea fuit industria, caq. indomitæ virtutis constantia, vt hostes turpiter profligati, incepto desistere, & relictis maioribus tormentis, ad Aden, felicis Arabiæ celeberrimum emporium, retrocedere compulsi fuerint: ibique Othomannicæ classis præfectus, acerbissimè ferens tam improsperos audacissimorū conatuum successus, fide data, Ademnium regem Lusitani regis tributarium ad classem euocauit. Credidit ille miser fraudulento homini, & potentissimo Turcarum Imperatori Solymano gratificaturus, cum quatuor regni proceribus ad nauem perrexit, quem statim vnà cum ipsis proceribus in antenna prætoriæ nauis laqueo suspendi iussit; & mox vrbem occupatam, militum prædæ ac direptioni dedit. Ad hæc, Tibitinum regem, licet is amplissimis muneribus impotentis hostis gratiam ambiret, vnà cum omnibus eius aulæ præsidiis contra fidem datam interfecit. Hic fuit exitus Othomannicæ expeditionis aduersus Lusitanos: quod quidem Dei Opt. max. bonitati acceptum ferendum est, qui noluit impuros Mahumetanos Lusitaniæ regis sanctissimos conatus retardare, quibus innumeræ iis in locis gentes quæ ad id tempus

Lusitanici belli descriptio.

Chersonesus direpta.

Dium oppugnatur à Turcis.

tempus ſtultiſſimis & abſurdiſſimis erroribus implicitæ, longè ab omni vera ſalute aberant, ad ipſius cognitionem traducebantur. Namque Calecutani, & plerique alij, ipſum cacodæmonem incredibili vecordia adorabant & colebant, ſimulque illi multos mortales immolabant. Eadem circa tempora, in Galliis Anna Momorantius à rege Franciſco, cuius ea tempeſtate gratia ſummoperè florebat, Magiſter equitum creatus eſt. Breue autem ſpatium ab hoc interceſſit, cùm Turris bellica, quæ eſt Pariſiis ad portam Antonij, in qua maxima vis nitri ſulfuriſque ac tormentarij pulueris aſſeruabatur, fulmine ad imum diſcuſſa eſt, tanto cum impetu, vt ſaxa in loca finitima, & mox trans Sequanam iacta, quàm plurima ædificia mirum in modum deformarint, ac etiam euerterint. Inter hæc, operæ in primis Pauli tertij Pontificis, ſexto Idus Febr. Romæ fœdus inter ipſum, Carolum v. & Venetos, ſollemni cærimonia percuſſum, adſtipulantibus pro ipſo Cæſare Ioanne Manrico Aguillario, & M. Contareno pro Veneto Senatu. quo quidem tempore ab eodem Pontifice enixè laboratum fuit, vt pax inter Cæſarem & Franciſcum coiret: cuius rei gratia Cæſar ab Hiſpania, adducente eum Auria, in portum Herculis Monœci ſecunda nauigatione peruenit. Franciſcus verò ad Villanouæ oppidum vltra Varum amnem, terreſtri itinere, conceſſit. Et licet Pontifex impetrare nequiret, vt ipſi reges tum temporis in mutuum complexum atque colloquium deuenirent, hoc tamen aſſecutus eſt, vt cùm poſt longas & multas diſceptationes pax conciliari non poſſet, indutiæ à reginis, nempe Maria, & Eleonora, in Belgio paulò antè in triennium pactę & promulgatæ, in nouem, ſiue, vt aliis placet, decem annos de communi voluntate ſancirentur. Actum ſubinde eſt inter Cæſarem atque Pontificem, vti antea compoſitum fuerat, de ſuſcipienda nauali expeditione aduerſus Turcas, nouaque legatio ad Pontificem ac Cæſarem à Venetis peruenit, qui æſtate iam adulta feſtinandum eſſe, atque apparari claſſes poſtulabant, poſtquam Venetiis cuncta iam parata eſſent ad naigandum, magnoque incommodo futurum eſſe diſſerebant, ſi reliquos æſtatis menſes effluere ſinerent, quibus mari res geri poſſet. Nec multo pòſt Franciſcus diſcedens à Pontifice, in regnũ ſuum eſt reuerſus. Pontifex verò Genuam peruenit, exceptuſque eſt hoſpitio in Fliſcorum ædibus excelſo in loco ad Violatæ templum poſitis. Exinde claſſem conſcendit, partimque mari vſus, partim terreſtri itinere, poſt ſolſtitium ad vrbem perrexit. Cæſar autem ad Maſſilienſium oram delatus, circa Foſſas Marianas ex condicto regem eò deſcendentem cum liberis ſuis quadrireme prætoria humaniter excepit, atque arctè complexus eſt. Imperante quoque Cæſare, Franciſcus Andreæ Auriæ ſuperiorum temporum iniurias facilè remiſit, cùm ad exoſculandam dextram produceretur: ſubindeque plures horas arcanis ſermonibus Principes impenderunt, tanta vel eorum qui aderant, vel illorum qui id poſtea ab aliis didiciſſent, exultatione, vt ferè nemo reperiretur, qui non planè exiſtimaret, reges ipſos, deterſis odiis conciliatos, ſub certa maturæ pacis atque concordiæ ſpe fraternæ amicitiæ fœdera conceciſſe. Nec multò pòſt Cæſar Genuam enauigauit, vbi quàm honorificentiſſimè exceptus, plures dies ſubſtitit, ac confirmandæ valetudini, quæ paulò antè partim ex inclementia Prouincialis cæli, partim ex grauiſſimis curis, quibus aſſiduè premebatur, commota fuerat, enixè operam dedit. Torquebatur nimirum Cæſar aſſidua quadam ſollicitudine rebus Siciliæ atque Africæ proſpiciendi. Proinde cùm Genuæ eſſet, omni contentione operam dabat, vt pollicitis, quibus ſeſe erga Pontificem & Venetos onerarat, quàm expeditiſſimè liberaret. Tranſegerat enim cum iiſdem, vt communibus ſumptibus expeditio aduerſus Turcas ſummo ſtudio ac ſedulitate,

Anna Momorantius Magiſter equitũ deſignatur.

Turris Lutetiana caluria tacta.

Fœdus inter Rom. Pont. Carolum v. & Venetos.

Inter Carolũ v. & Franciſcum regem, indutiæ decennales.

Paulus tertius Genuam petit.

Cæſar & Franciſcus ſimul conueniunt.

Cæſar Genuam proficiſcitur.

cùm vel minima mora maximum periculum haud dubiè illatura esset, instituere-
tur. His rebus peractis, dimissisque ab se totius propè Italiæ regulis, nactus ido-
1538. neam tempestatem, in Hispaniam commodissimè nauigauit. At sub proximè
subsecuti anni principium, sereniſſima eius vxor, Isabella, Emanuelis regis Lusi-
Caroli Cæsaris coniux viris subtrahitur. taniæ filia, & Philippi Hispaniarum, &c. regis Catholici mater, relictis tribus
tantummodò prolibus, ex sinu dilectissimi sui Principis, & coniugis, immatura
morte subtracta fuit. Cuius certè indiuidui amoris desiderium tam euidenti
testimonio Cæsar confirmauit, vt ad vltimum vsque vitæ spiritum coniugali
thoro viduatus, cum crebris suspiriis & grata commemoratione eius memo-
Fœderis conditiones. riam assiduè prosecutus sit. Et quia fœderis initi meminimus, non absurdum
videtur, eius conditiones subijcere, quæ, præter alias, hæ ferè fuerunt præcipuæ:
Vt Cæsar octoginta duas triremes instrueret, totidem Venetus, ipse verò Pontifex
triginta sex pararet, quò ducentarum triremium numerus æquaretur. Renuntiari
quoq. sunt clarissimi duces, Cæsarianæ, ipse Andreas Auria; Venetæ Vincentius
Capellus, Pontificiæ autem Marcus Grimanus Patriarcha Aquileiensis, cui co-
mes & adiutor adderetur Paulus Iustinianus, nauali prudentia virtuteque alijs
inter patricios cum laude versatus. Ceterùm, quid tandem his tantis apparatibus
effectum sit, & quanta Christiano nomini ex Fœderatorum dissensionibus labes
inusta, Iouius planissimè, disertissimeque recensuit. Vt verò & illud hîc obi-
ter inferatur, sunt qui literis consignarint, vigesima secunda Ianuarij eiusdem
anni conspectum fuisse sidus obscurum, pallidum, longissima cauda directè sur-
Cometarum apparitio. sum ducta, in nono gradu Piscium in latitudine 11. grad. recta linea inter cerui-
1539. cem & humerum Pegasi. Anno similiter 1539. mense Maio, alterum describunt
pallidũ, cauda breui, in quinto gradu Leonis lat. sept. 12. grad. quod ab ecliptica
in Austrum mouebatur. Hoc autem anno, Castronouo capto, & sicuti suprà
commemorauimus, Hispanorum præsidiis Sarmento duce impositis, atque inde
abeuntibus classibus, eam iniuriam vsque adeò grauiter ac superbè Solyma-
nus tulit, vt magno apparatu terra marique repetendum decerneret, augeretque,
iratus Venetis, in Peloponneso copias, quibus & Nauplium, & Epidaurus acri-
ter oppugnarentur. Singulari autem gaudio atque lætitia affectus est, quòd totius
propè Christiani nominis classes, quas antea plus æquo magnifacere consueue-
rat, aduersum se coactas, Barbarussa omnibus propè rebus inferior, omni existi-
matione spoliatas, toto mari dispulisset. Ineunte igitur vere, Barbarussa refecit
Barbarussæ classis & expeditio aduersus Christianos. classem, & nouos remiges in supplementum maritimis regionibus imperauit,
atque eum, vti oportebat, propugnatorum ex prætorianis cohortibus præcipuè
numerum, & exercitatissimum quemque ex aliis ordinibus in classem descripsit,
duasque ingentes onerarias naues, quas Mahonas vocant, ad ferenda totius tor-
mentarij apparatus & castrensis instrumenti onera celeriter ædificauit. Decretus
quoque est in id bellum dux alter, qui terra rem gereret, Vlamanes Persa, is bel-
licæ virtutis commẽdatione, in demortui Vstrephi locum, in præfectura Illyrica,
quam Bosnensem vocant, suffectus fuerat. Itaque adulta æstate, cùm Barba-
russa, educta Hellesponto classe, quæ nonaginta triremium, & trium, quas dixi-
Vlamanes cõtra Christianos mittitur. mus, Mahonum numerum æquabat, in Rizonium sinum peruenisset, eodem
tempore Vlamanes cum triginta millibus equitum ac peditum in summis mon-
tibus sese ostendit, & mox Castronouum terra marique acerrimè obsessum, eo
tandem exitu, vt post cruentissimum prœlium, Hispanis omnibus aut trucidatis,
Castronoui expugnatio. aut, si qui ex deditione cædeque superfuissent, ad transtra triremium relegatis, ex-
pugnatum sit. Inter ceteros autẽ, quibus expedita deditio saluti extitit, fuêre om-
nis

nis generis homines circiter octingenti, in quibus eminebat Hieremias Liguſticæ ſtirpis, qui eius oppidi Epiſcopatum impetrarat. Exinde Barbari inflati victoria, Rizzano caſtello in propinquo poſito, quod à Venetis tenebatur, dedi- *Rizzanum à Turcis deditione occupatum.*
tione occupato, Cattaro vrbi inhiare cœperunt, & aliquot triremes promotæ, diſploſiſque tormentis oppugnaturi ſpeciem præbuêre. Huic præerat Matthæus *Cattarum à Turcis fruſtrà oppugnatur.*
Bembus, vir patricij ordinis, & inſigni virtute atque animi conſtantia præditus, qui ſtatim animosè atque intrepidè totidem tormentorum ſuorum bombis & pilis ſtreniuè reſpondit, & præſidium armatum in mœnibus oſtendit. Quo animaduerſo, Barbaruſſa inhibuit remos, reuocatiſque anterioribus nauigijs, ad Caſtronouum eſt reuerſus. Dum hæc in Dalmatia Illyrioque geruntur, Gandauenſes, ſuorum priuilegiorum monumenta ſuis archiuis à Maria Vngariæ regina, Cæſaris ſorore, Belgij rectrice, ſibi ſublata queſti, res nouas meditantur: aduerſus reginam inſurgunt, ſuos magiſtratus capite puniunt: à Cæſare deficere ad regem Galliarum parant, quorum legati à rege auditi, non impetratis, in gratiam Cæſaris, quæ poſtulabant, domum remittuntur. At Cæſar, accepta prius Regis 1540.
fide, per Gallias nullo regio ornatu, ſed hominis priuati habitu pluſquam medio- *Gandauenſium rebellio & animadueſio.*
cri, ex Hiſpania in Flandriam tranſiit. Cui à rege, eius liberis, & tota nobilitate ad radices vſque montium Pyrenæorum obuiam itum eſt: qui deinde per omnes regni Gallici ciuitates incredibili apparatu, pompa, & magnificentia, oblatiſque ſummis muneribus & applaudentibus populi Gallici omnibus exceptus, ac etiam vbiuis locorum poteſtate pluſquam regia quantum voluit, vſus, Valencenas vſque nobiliſſimo freqüentiſſimoque comitatu peruenit. Deinde Gandauũ cum exercitu iuſto peditum Germanorum, equitumque Hannoniorum & Arteſienſium ingreſſus, cũm priùs ciuibus per ſuos duces blanda & artificioſa oratione omnia arma abijcienda, & ſuam clementiam implorandam perſuaſiſſet, de ſeditioſis quæſtionem magna ſeueritate exercuit. Præcipua capita morte plecti, maximum aliorum numerum laqueo in collum inſerto, ſuis pedibus aduolui, & ſuam miſericordiam implorare iuſſit. omnium opificum (quorum genera duo & ſexaginta erant,) ædificia publica, tormenta bellica, vexilla, vaſa argentea, pecuniam & poſſeſſiones fiſco ſuo adiudicat, & demum oppreſſa omni, qua ſemper vſi fuerant, libertate, eorum ſumptu in D. Bauonis monaſterio arcem inuſitatæ magnitudinis ad domandam eorum ferociam & peruicaciam excitari ac extrui imperauit. Hanc Cęſaris ſeueritatem totius Germaniæ ciuitates mirum in modũ damnabant, horrebantque in primis impoſitæ arcis nomen vti nouum, & maximè infeſtum libertati, ita vt Gandauenſibus tanquam ſociis, ſi Cæſarem caſu aliquo fortuna deſereret, recuperandæ libertati maturam opem laturi viderentur. Sub id tempus, Ferdinandus ad Cæſarem venit, expectabaturque ſolicitis legatorum animis toties initæ, nec vnquã tamen confectæ pacis euentus. Per eos etiam dies, Wilhelmus Cliuenſis regulus, quem Sicambri, poſt ſui Ducis mortem, cùm eius ſupremis tabulis, tum ſponte ſua patronum & pro duce ſibi adſciuerant, ac- *Dux Cliuenſis ad Cæſ. profectus, parum humaniter excipitur.*
cepta à Ferdinando Cæſaris fratre fide, Gandauum ad Cæſarem venit, quem cùm multò aſperiorem opinione ſua offenderet, & experiretur, nec ſpecioſi ſuſceptique ſimul tituli honores, pro quo armis certare & nauiter occũbere minimè recuſaret, inconcuſſo pectore, ac verè Germanica conſtantia, ſe conſulturum prouinciales ſuos dixit, & ſub ea qua venerat fide, intra fines eſt reuerſus. Iiſdem quoque temporibus, Iohannes Vayuoda Vngariæ rex vita exceſſit, relicto infante *Ioannes Vayuodæ obitus.*
ſub tutela Georgij Monachi, qui ſtatim Tranſyluaniam totam, Budam, Peſtam, & quod reliquum in Vngaria, Vayuodæ patri parebat, in pueri verba iurare coë-

git. quod intelligens Ferdinandus, comitiis, quibus Haganoæ Cæsaris nomine
Ferdinãdus Pannoniæ bellũ infert. præsidebat, relictis, summa celeritate coacto exercitu, Pannoniam inuasit, & Præstum ab hostibus desertum, sui iuris fecit, atque illicò ad Vicegradensem arcem admotis copiis prolatisque tormentis, illam expugnauit, & mox ad Albam regalem contendit, vt per colloquia, ciuium primores tentaret. Nam Perennus, cuius apud Albanos insignis erat auctoritas, per idoneos homines adhortando, & plurimas immunitates ac præmia pollicendo, nonnullos perpulerat, vt à regina, Sigismundi Sarmatarum regis filia, desciscerẽt. hisque persuasionibus breui effectum est, vt ciuitas, quæ vi atque armis expugnari nequibat, multa expediti consilij ratione mollibusque sermonibus ad Ferdinandi fidem rediret, ac eius præsidium acceperit. Hoc felici rerum successu alacrior factus, protinus omnes
Turcici apparatus contra Ferdinandum. vires ad Budensem expugnationem conuertit. At Solymanus his rebus quæ à Cæsare, fratreque eius aduersus reginam parabantur, opportunè cognitis, tuendi proferendique imperij rationes explicat, hostium consilia, & facultates expendit, adhibetque in consilium purpuratos eius ordinis quos recepto idiomate Bassas vocant, ac ingenti animo, diuisis copiis, delectisq; ducibus, vno eodemque tempore locis omnibus occurrendum statuit. In primis verò Mahometem purpuratum, natione Dardanum, qui obsessæ reginæ opem ferat, in Pannoniam proficisci iubet, simulque Vstresus ex Illyrico quartus ordine purpuratus, deligitur, qui Mahometem subsequatur, & subsistat Belgradi intentus ad ferendam opem, si Mahometes validiores hostes inueniat. Attribuitur & sua classis Hariadeno Barbarussæ, vt daret operam, ne quid detrimenti in Græcia atq. Epiro ab Auriana
Andreæ Auriæ prosperi successus. classe reciperetur. Paulo enim antè Auria Siculis & Neapolitanis triremibus sibi adiunctis, Turcas & Pœnos Turcis fauentes, Clupea, Neauplio, Adrumeto, Ruspina, Tapsoque, ac denique tota ea Africæ regione, vna excepta vrbe Lepti, quæ Mahomedia à Pœnis, à nostris verò Africa nuncupatur, à Mænicis vsque insulæ Syrtes depulerat, & Muleassis Tunetani regis imperio parere coëgerat. Et quoniam Solymanus Maylatum in Transiluania Ferdinandi rebus stu-
Solymanus Christianis variis in locis bellũ infert. dere, bellumque moliri didicerat, aduersus eum Mustapham Nicopolitanum præfectum, superato Danubio, contendere iussit, & Petreio Moldauio Valacchorum Principi iniunxit, vt Mustaphæ bellum gerenti præstò adesset. Igitur Mahometes rei gerendæ iuxtaque ostendendæ virtutis cupiditate incensus, iustis confectis itineribus paulò post solstitium in Vngariam contendit. Ferdinandi exercitui cum imperio præerat Rochandulphus regiæ aulæ magister, vir bellica virtute ac fortitudine insignis: qui tametsi vnà cum suis multa strenuè ac præclarè gessisset, nihilominus tamen præualente hostili multitudine, iniqua fortuna dimicauit, adeò, vt Turcæ maxima clade Christianis terra & aquis illata, partim fugato ipsorum exercitu, partim interfecto, vrbem vi & armis obsidione liberauerint, & ipsos insuper maiori parte Pannoniæ multauerint. Solymanus verò
Austrianorũ clades ad Budam. Buda potitus, Vayuodæ matrem vnà cum filio in Transiluaniam relegauit. Inter
1541. hæc, Cæsar Ratisbonæ comitia indixit, in quibus, præter alias grauissimas deliberationes, actum est de componendis circa religionem controuersijs: ad quam rem constituendam terni vtrimque delecti sunt: quibus, cùm propter iudicij diuersitatem conuenire non posset, valentibus, res tota ad futurum concilium remissa fuit. Bellum quoque decretum sumptibus imperij terra & mari gerendum contra Turcam. Eodem ferè tempore, dux Cleuensis, cuius proximè habuimus mentionem, ad regem Galliarum profectus est, & cum eo sese fœdere coniunxit, pacta illi & promissa in matrimonium Margarita regis Nauarræ vnica filia. Hoc

statu

ſtatu rerũ Cæſar Fulgoſius, vir multis eximiæ virtutis ornamẽtis valdè cõſpicuus, & Antonius Rinconius Franciſci regis legati, Venetias per Padũ nauigio petẽtes, à Cæſarianis immaniter cõtra ius gentiũ contrucidati ſunt, eoq. factũ eſt, vt horũ cęde indutiis violatis, veteris odij flamma, cõpreſſa aliquandiu indutiarũ fide, in multò atrocius quã antea, belli incendiũ exardeſceret. Hoc anno Cęſar ſub autum ni finem cũ potentiſſima claſſe ad Algerij, olim Iubæ regiæ, à Romanis Cæſareæ Iuliæ vocatæ, expeditionem enauigans, naufragium & ingentem cladem accepit, adeò, vt eum locũ, binis paulò ante Chriſtianorũ cladibus, nempe Didaci Verræ, & Hugonis Moncatæ, celebrem, hac noua ſua ingenti calamitate cum maximo totius Chriſtianæ Reip. incommodo accepta, multò celebriorem atque nobiliorem in poſterum reddiderit. Interea temporis, omnis Germania excitata Ferdinandi regis precibus, grauiſſimiſque Hungarorum procerum obteſtationibus permota, aduerſus Turcas bellum ſuſcepit: in quo imperata adductaque ſunt à regulis & liberis ciuitatibus ad triginta millia peditum, & equitum armatorum ſeptem millia Germanici nominis, in his eminebat Mauritius Saxo nobiliſſimæ ſtirpis regulus, ſupremi autem militaris imperij nomen delatum eſt Ioachimo Brandeburgenſi regulo, ſic tamen, vt ſumma conſilij poteſtas ad octo viros pertineret. Vbi Viennam deuentum, acceſsêre Ferdinandi regis copiæ: nam præter Auſtrianos nominatim euocatos, Hungarorum Stiriæ præfectus circiter decem millia equitũ effecerat. Hungaricus autem equitatus quindecim millium numerum æquare dicebatur. Paulus quoque Pontifex tria millia delectorum peditum Viennam ad exercitũ miſit, hiſq. ducem attribuit Alexandrum Vitelliũ, expetẽte rege magnis precibus, vt is pręcipuè mitteretur, qui ſpectatis operibus pugnacis & egregij ducis famã quæ ſiuiſſet. Sforcia quoque Palauicinus, tunc ſummæ ſpei ſumimæque nobilitatis adoleſcens, per eos dies ornatiſſimam ſexcentorum equitum alam circa Padum conſcriptam, in Pannoniam adduxit. Huius verò expeditionis is tandem exitus fuit, vt, poſtquam primò paribus animis ac viribus decertatum eſſet, ac deinde noſtri Vitelliano ſtratagemate, ſingularique Perenni ac Bathoris, & in primis Illuſtriſſimi Principis Mauritij, quæ cum in aliis conflictibus, tum potiſſimum hoc in bello plurimum enituit, adeò me herclẽ, vt acriter in hoſtes inuectus, & ab his circumuentus, equoque deiectus, ſummum vitæ diſcrimen adierit, à quo tamen mira cum animi fortitudine tum ſortis beneficio, ſeſe quàm celerrimè explicauit atque eripuit; ſingularem de hoſtibus victoriam reportauerint, poſtremò nouercante fortuna, cum haud mediocri clade inglorij ad ſuos redierint. Sub eiuſdem temporis tractum, Iacobus quintus Scotorum rex vita defungitur, filia regni hærede relicta. cuius morte noui motus ac ſeditiones in Scotia excitantur. Proximè à nobis demonſtratum eſt, Franciſci regis oratores à Cæſarianis contra ius gentium contrucidatos fuiſſe: quod ſanè illius animum ad ſummam indignationem atque iracundiam concitauit, ita, vt rex, paucis pòſt diebus, Moniuium ſuum legatum ad Cæſarem, recèns Lucam profectum, quò itidem Paulus Pontifex venerat, amãdauerit, vt cæſorum Legatorum noxam ſibi expiaret, iuxtaque de Mediolani iure ſatisfaceret. Verùm enimuerò dum is nihil à Cæſare obtinuiſſet, actutùm omnes animi cogitationes ad nouum bellum conuertit, & mox Antonium Polinum ſingularis conſilij atq. prudentiæ virum, ad Solymanum tunc temporis Hadrianopoli ſubſiſtentem ablegauit. Qui magnis itineribus illuc profectus, & legatione expoſita, breui pòſt, accuratis precibus impetrauit, vt Othomannica claſſis Hariadeno Barbaruſſa præfecto, appetente vere Maſſiliam mitteretur. Claſſem verò Hariadenus

Cæſaris Fulgoſij & Rinconi cædes.

Cæſarianæ clades ad Algerium.

1542. *Chriſtianorum principum ad recuperandam Budam, expeditio.*

Ducis Mauritij virtus & fortitudo.

Iacobi Scotiæ regis mors.

Galliæ res Turcarum opem implorat.

1543.

ad quartum Cal. Maij conſcendit, quæ ſanè centum ac decem triremium, & biremium circiter quadraginta quas piratæ adduxerant, numerum æquabat; eaque Ionium prætereuectus, ad Meſſanæ fretum peruenit, indeq. Rhegium, & per Pontias inſulas ad Tarracinenſium littora delatus, Oſtiam, ingenti vbique terrore incuſſo, enauigauit, & ad oſtium Tiberis aquationem longè optimam nactus, triduo pòſt, inde diſceſſit, Etruriæque oram atquæ Liguriæ ſine maleficio circumuectus, Maſſiliam rectà contendit, indéq. claſſe ad Nicæam Prouinciæ admota, vrbem, poſt duriſſimam obſidionem & grauiſſimas oppugnationes, expugnauit atque diripuit, & magna ex parte incendit. Verùm arx nequicquam ab eo tentata. Ex miſeræ vrbis direptione ingens præda eſt conflata, & quamplurimi mortales vtriuſque ſexus in tetram & luctuoſam captiuitatem abducti. Feruntur fuiſſe circiter 5200. & in iis eleganti forma Veſtales 200. Reliqua præda pænè ſexcentis ducatorum millibus æſtimata dicitur. Barbaruſſa Turcæ gratificaturus, & homines, & reliqua omnia quatuor magnis nauibus impoſita, adiuncta alia nauì præſidiaria, Solymano tranſmiſit. Interea Garſias, Viceregis Neapolitani filius, claſſe ſua, Principis Andreę Auriæ claſſi aſſociata, Turcicas oras depopulatur, non mediocri relata præda. Dum autem Siciliam verſus nauigat, obuias habet Barbaruſſæ, quas diximus, naues cum præda hominum & aliarum rerum. Sentiens verò hoſtiles eſſe, ſummo impetu in eas irruit, omneſque, non ſine maximo Dei beneficio, quo è ſæuiſſimorum Barbarorum manibus miſeros illos extorſit; quos non dubium eſt, incredibilem animi mærorem ab inſperato in ſummum gaudiũ commutaſſe, Meſſanam incolumes perduxit. Eodem quoque anno, Turcarum Imperator iterum cum innumerabili exercitu Pannoniam inuadit, priùs Amuratha Dalmata Perſaque Alamane ad expugnandum arcem Valponium in confinibus Bosniæ, Croatiæ, & Hungariæ poſitam præmiſſis, quam ferè tres totos menſes fruſtrà obſederunt. Deditio poſtea facta eſt, ſed militũ perfidia, qui ſuum Præfectum omnia potius experiri, quàm ſeſe dedere volentem, comprehenderũt, Turciſque tradiderunt. In quem Turca non ſolùm non immanis, ſed etiam in illum ſumma beneficẽtia & humanitate vſus eſt. Ceterùm milites omnes, quanquam deditiij, fœdè interfecti. Poſt hæc, Socloſia oppidulum primo impetu captum, direptum atque incenſum fuit, ac breui pòſt, eius arx, & finitima loca deditione occupata. Interim Solymanus, vndecimo Cal. Auguſti Budam ingreſſus eſt, deinde cum vniuerſo terreſtri ac nauali exercitu ad expugnandum Strigoniũ contẽdit, quæ ſanè vrbes, poſt aliquot dierum obſidionem, in Turcarum poteſtatem deuenerunt, & conſimili exemplo Thata, Alba regalis, & pleraque alia oppida Pannoniæ, partim vi, partim deditione occupata, omniſque ea regio variis incurſionibus quàm miſerrimè deuaſtata ac depopulata fuit, præſertim à Tartarorum equitatu, quos Solymanus in proxima loca dimiſerat, vt vicinorũ animos ab omni cogitatione ſubſidij auerteret. Hi autem ſtudio rapiendi incautiùs vagantes, ab Hungaris circumuenti, amiſſis ſuorum plus minus tribus millibus, malè multati in caſtra redière; fuitque inſignis in hoc certamine virtus inclyti ac ſtrenuiſſimi viri Nicolai Serithi Croaci Comitis, qui cum aliquot Hungariæ Principibus, Nicolao ſcilicet Kadcuuith, duobus Bartholomæis Horuuart, Emerico Vuerbecio, & Andrea Bathori, viris olim ſummis inter Hungaros potentiæ, & nobilitatis, pro patriæ recuperatione, omnes fortunæ caſus ſubeundi, fœdus percuſſerat. Ceterùm, vulnus ipſius Nicolai obſtitiſſe dicitur, quo minùs nobilem de ſe victoriam Tartari præberent. At Solymanus, ſatis ſibi gloriæ partum ratus, poſtquam duabus ſummæ claritatis vrbibus ſuo imperio adiectis,

Nicea à Turcis expugnatur.

Præda ingẽs.

Præda Turcis eripitur.

Strigonium, Alba regalis, & pleraque alia loca Hungariæ à Turcis occupata.

Ger-

Germanorum atque Hungarorum animos contudisset, Byzantium redire constituit. Iam enim non dubia ingruentis hiemis signa maturandum omninò reditum indicabant. Discedente autem Solymano, vnus ante alios verus Imperator, & nostris maximè cladibus insignis, Mahometes Iahaoglis qui præfectura Belgradensis dicebatur, graui iudicio delectus est, qui toti Pannoniæ cum imperio præsideret. Ab hoc prædabundis agminibus vehementer vexata est ea regio, quæ ad Iauarinum & Quinque ecclesiensium fines pertinet: cui malo cùm à nostris occurri minimè posset, quodam genere indutiarum impetrato, coactas copias rex vtili consilio dimisit, & Pontificiæ cohortes in Italiam redierunt. Nam pacis conditiones cũ Turca initæ ad certũ tempus, vtriq. parti, armis fessæ, gratæ fuerũt: Et quoniã hîc regiarũ copiarum mentionẽ habuimus, minimè præter institutum fore arbitror, si, quantę extiterint, breuiter indicabitur. Porrò peditũ Germanorũ erant 8000.; Italorũ quatuor, qui circa Viennã retenti fuerant, vt subitò in vrbem, si eam hostis adoriretur, quamprimùm reciperentur. Bohemorum & Morauorum erant circiter 2000. quibus accedebat ordinarius equitatus Hungarorum, cum Austriacis, quorum numerus vix octo millia excessit. Cum his copiis, quæ omnes, dum Turcæ Albam expugnant, ad Posonium conuenerant, rex ibi ex vtraque parte Danubij castrametatus, triduum in construendo trans fluuium ponte, consumpsit. Quod quidem opus valdè solidum erat, & satis latum, quà pedites quini, equites terni, sine offensione atque vllo impedimento liberè pertransirent. Cùm ita à nostris omnia instructa & parata essent, neque difficile plerisque videretur, quin eodem anno, non solùm Alba, sed etiam Strigonium recuperari potuisset, ex improuisò tam horribilis tempestas exorta est, vt ipsi Superi nostrorum progressum inuidisse omninò videri possent; tantique imbres continuis diebus de cælo lapsi sunt, vt vix locus editior metandis castris ibidem reperiri potuerit, eaque ventorum & procellarum vis fuit, vt nec tabernacula erigi, nec ignes in castris excitari potuerint. Hæc sanè causam præbuêre, vt Bohemi, qui se solùm suos fines tutari velle dixerant, difficulter mouerentur, veriti, ne, si semel pontem transijssent, illo interrupto, quò nollent, inuiti ducerentur: eaque de causa, regem adeuntes, illum orarunt, ne summa hieme, inuitis superis, in hostem duceret: sese ad primum veris initium, omnes præstò adfuturos, quocumq; etiam mouere vellet. Rex itaque partim illorum voluntatem, partim necessitatem secutus, quòd videret, sub dio & pellibus militem contineri non posse, exercitum dimisit, & Viennam reuersus, omni consilio in curam sequentis anni, quibus artibus & viribus bellum geri posset, intendere cœpit. Superius demonstrauimus, Cliuensem Ducem multò duriùs atque asperiùs quàm ipse opinatus fuerat, à Cæsare habitum fuisse. Is porrò ab ipso Cæsare alienior factus, paucis pòst mensibus ad Gallos defecit. At Cæsariani, eius ditionẽ adorti, illã ferro atq. igni deuastarunt, lateque populati sunt, & arces atque oppida munitiora ceperunt, quos Wilhelmus Dux habito Ruremũdæ delectu, ex omnibus locis, facilè, præterquàm Hymbergo, expulit. Dum verò hunc locum commeatu nouoque militę firmare, summa ope annituntur, cum Cliuensibus atroci prœlio confligunt: & cùm eorum equitatum in fugam vertissent, omnem suum peditatum immani strage cum omnibus tormentis bellicis & commeatu quem importabant, amittunt, & præclaram victoriam Cliuensibus tradunt. At Cæsar exiguo temporis spatio interiecto, ex Hispania Tarracone Genuam appulsus, & mox in Germaniã profectus, ibi ingentes copias collegit, rectaque Duram, Cliuensium præsidio defensam, vi expugnauit, diripuit atque incendit: qua clade consternatus Guliel-

Christianorũ copiæ aduersus Turcas in Vngariã ineuntes.

Cliuensis ducis à Cæsare defectio.

Dura à Cæsarianis expugnata.

mus

mus Dux, & à suis proditus, ad Cæsaris pedes supplex abiectus, traditis Cæsari Geldrensis Ducatus omnibus oppidis longè munitissimis, & Ferdinandi filia elocata, veniam impetrauit. His rebus prosperè confectis, Octobri mense Landresium venit, seque cum Anglis, quibus cum paulò antè fœdus ac societatem iniuerat, & Landresium arctissima obsidione premere inceperant, coniunxit. Ceterùm rex, instante hieme, cum omnibus suis copiis eodem peruenit. & omninò res ad prœlium spectabat. Sed cùm Galli summa celeritate vsi, pulsaque & loco dimota Cæsariani exercitus parte, quæ cis fluuiolum castra habebat, commeatum & recentem militem introduxisset, silentio noctis illinc discedunt; nec deprehensum hoc ab hoste fuit prius, quàm illuxisset. Tunc demùm insecuti, postremum agmen morantur, & complures interficiunt. Et quia, vti diximus, iam suberat hiems, Cæsar nihil amplius tentandum existimans, cùm ad obsidionem Luceburgi copias aliquot misisset, reliquum exercitum dimittit. Landresij Dux Mauritius Cæsari vltrò suisque stipendiis militabat. Qua quidem re magnam sibi beneuolentiam & aditum ad illius amicitiam comparauit. Circa hæc tempora, in Trecassibus casus quidam funestissimus & longè miserabilis contigit, quod à me hic breuissimis verbis enarrabitur, ea potissimùm de causa, vt subinde humanarum rerum fragilitas nostris mentibus magis magisque obuersetur atque inhæreat. Villica quædam, cui grex liberorum erat, dum è vicina domo ignem petit, infantem in crepundiis domi reliquerat, quem reliqui pueruli lusitantes circumstabant: eò cum famelica sus irrupisset, (vt solet in casis agrestibus id genus animalis crebrò oberrare) infantem ex cunis, dentibus extractum, cùm deglutisset, pauida reliquorum turba, se clibanum iniecit, abdiditque. tam atrocis rei ignara mater, coctura panes, eò ignem congestis lignis propere immisit, omnesque iam terrore consternatos exanimauit liberos; quibus flammarum crepitus ita obstrepebat, vt vocem eiulantium interciperet. Dein ædes ingressa, & sanguine madentes cunas conspicata, cùm infantem abesse cognouisset, animali occurrit, cuius rictus cruore diffluentes, laniati infantis indicium fuerunt. Hæc, sublato repentè clamore, concitauit viciniam; ad cuius miserabiliter quiritantis vocem commotus maritus, ex proximo rure domum sude armatus aduolat, suorumque tot conspectis funeribus, vxorem præ impotenti ira occidit: eius mulierculæ duo fratres ad tumultum confluxerant, qui rei permoti indignitate, virum quoque interemerunt, & ij rursus capitalium iudicibus obiecti, in furcam sublati sunt. sic animalis vnius ingluuies perpetuis funeribus omnes extulit. Ceterùm antequã huic libro finem imposuero, id quoq. obiter annotauerim, has ingentes atque horribiles calamitates, quarum superius meminimus, præcessisse naturæ prodigia, quæ non temerè maioris semper mali prænuncia creduntur, eaque inultorum animos nouæ cladis expectatione suspendisse. Rubentes enim locustæ, satorum dira pernicies, stupendis agminibus ab Oriente per Illyricum in Italiam conuolarant, quo itinere Turcarum aduentus portendi videretur. Tanta autem famelicis erodendi rabies inerat, vt, præter absumptas segetes, prata quoque vel rigua, viriditate graminis, & magnas frondosasque arbores, ocyssimè toto foliorum honore spoliarent. Tremuerat etiam in Etruria iuxta Florentiam Mugellus ager in radicibus Apennini, quà Seua fluuius decurrit, cultura, amœnitate, frequentia nulli secundus. Ea subita clade, quæ noctu circa solstitium incidit, Scarparium oppidum totum ferè prostratum, aut certè magnis deformatum hiatibus fuit, cùm septingentæ nobiles, aut rusticanæ domus in eo tractu centum stadiorum oppressis multis mortalibus miserabili ruina corruissent; læto tamen Cosmii

Landresium à Gallis præsidio sublenatur.

Dux Maur. voluntariè Cæsari militat.

Casus maximè lugubris.

Prodigia.

Scarparium terræmotu concutitur.

mi Principis augurio, cùm tot ædificiis circumquaque laceratis & hauſtis, vna ipſius Trebia villa, ſtupente populo, illæſa conſtiterit.

LIBER XXII.

INITIO Ianuarij proximè ſubſecuti anni, Cæſar è Belgio profectus, Spiram venit, vbi etiam Ferdinandus rex, ac omnes Electores, & plerique Germaniæ Principes adfuere, & in his etiam Cliuenſis, vt indictis comitiis intereſſent. Quarta verò ac vigeſima die eiuſdem menſis, fuit magna Solis eclipſis, interdiu, ſic vt ab omnibus non ſine admiratione conſpiceretur. Lunæ quoque tres hoc anno fuerunt eclipſis plenæ. Res nimirum prodigioſa, & quam à Caroli magni tempore non accidiſſe Phyſici dicunt. Quid autem in hoc celeberrimo Spirenſi conuentu, atque itidem in ceteris vario tempore habitis Auguſtæ, Noribergæ, Wormatiæ ac Ratisbonæ inter Cæſarem Carolum V., & Principes Proteſtantes, ceteroſque imperij ordines, peractum ſit, & quo exitu ea comitia terminata fuerint, equidem actum agerem, ſi huius rei enarrationem ſuſciperem, cùm præſertim præclariſſimus hiſtoricus Ioannes Sleidanus in ſuis Commentariis ea omnia luculenter explicauerit. Intereà temporis, cùm inter eundem Carolum, & Franciſcum Galliarum regem, denuò atrociſſimum bellum exarſiſſet, poſtridie Idus Aprilis, Franciſcus Anguineus, Vindocinenſis ducis frater, regij ſanguinis, ac excellentis animi iuuenis, Alpinarum gentium prorex, apud Ceriſolium cum Cæſarianis, quorum dux Alfonſus Daualus Vaſtij Marchio erat, inſigni ac memorabili victoria, licet haud ſanè incruenta, conflixit. Horum ſiquidem ad duodecim, ſiue, vt aliis placet, viginti millia fuſa & conciſa eſſe dicuntur, & mox Carignanum à Gallis deditione occupatum. Ea nuntiata clade, non deerant plurimi qui exiſtimarent, Cæſarem non recuſaturum actionem pacis. Verùm obfirmatè bellum parabat, & cum eo Henricus Anglorum rex fœdere coniunctus, collectis ingentibus exercitibus, in Galliam irrumpunt. Cæſar Lucemburgum, Leucorum olim vrbem, militibus in præſidio relictis, fame laborantibus, deditione primum recepit, indeque in Campaniam tranſgreſſus, Ligniacum in conualle montibus intercluſum, quod loci iniquitate propugnari facilè non poſſet, expugnauit: deinde Sandizerium, poſt longam obſidionē deditione cepit. Hinc ſecuta Lutetiæ ingens atque incredibilis trepidatio, vrbis præfectorum ignauia excitata, omneſque, qui paulò eſſent lautiori fortuna, fuga ſibi ſalutem quærebant, nec regis edictis illam prohibentis contineri poterant, & fex tantummodò atque hominum colluuies remanebat. Itaque maximum periculum impendere videbatur, ne ab his ipſis vrbs omnium longè celeberrima, & in primis opulenta diriperetur. Fuit hoc initio Septembris. Anglus interim ab Oceano Britannico, vbi Monſtrolium obſediſſet, Boloniam eueſtigiò, tormentis validè concuſſam, deditione cepit: quod nec ipſius parens, nec ſuperioris ætatis reges conſequi potuerant. At Cæſar, cùm Cathalanum peruenisſet, de ineunda cum regē concordia, monacho Hiſpano internuntio, agit. Concepta pacis capita cùm rex non aſpernaretur, quibus omnia hoc bello ablata vtrimque reſtituebantur, & eo loco quo ante bellum futura erant, ea demùm octauo Cal. Octob. de mutuo vtriuſque conſenſu ac voluntate ſancita & conſtituta, mox per Sueſſiones retrò Cameracum, & in Belgium ſe recepit. Hoc confectæ pacis nomen incredibilem

1544.

Eclipſis Solis inſolita.

Gallorum ad Carignanum victoria.

Cæſar & Henricus Gallian inuadunt.

Lutetiæ ingens trepidatio.

Bolonia deditur Anglis.

Pax inter Cæſarem & Franciſcum.

bilem cunctis mortalibus lætitiam attuliſſe viſum eſt, propter ſperatam diu exoptati otij tranquillitatem, licet haudquaquam deeſſent, qui eam ſucceſſu caturam prædicarent, quòd Cæſar tam graui pondere obligatæ fidei diſtentus eſſet, vt ægrè promiſſis ſtaturus crederetur. Nam apparebat, eum ſummo cum incommodo, alterutra quam vellet nuptiarum pactione, aut patrimonio Belgico ceſſurum, aut Mediolanenſe imperium importuna ſibi ratione in dotem collaturum. Neque enim erat exiſtimandum, tantæ grauitatis, tantæque religionis principem adduci poſſe, vt eius initi fœderis leges, arcteque obligatam fidem ſuam vlla ex parte violaret, ſed fortuna Cæſaris votis & commodis vt plurimum arridens, ex quadam fatorum arcana ratione viam inuênit, vt eum damnoſę tranſactionis ſollicitudine curaque, vel in alteram partem, ſi à fide data diſcedere vellet, probroſo pudore ac dedecoroſa inuidia liberaret. Carolus enim Aurelianus, poſtquam in complexum Cæſaris deueniſſet, in peſtiferum incidit morbum, ita vt pauciſſimis diebus apud Firmum monaſterium ſæua & immatura morte, cùm vix annum tertium ac vigeſimum ætatis attigiſſet, præter omnium ſpem ac expectationem eriperetur, iuuenis omnibus corporis atque animi, quæ conferri à natura poſſent, muneribus, totius Galliæ iuuenum florentiſſimus, quem vnum, præter ipſos Gallos, populi Inſubres tanquam exoptatum ſummæ benignitatis Principem maximè luxerunt, cùm de ſuis fortunis ac ſæculi tranquillitate facilè deſperarent. Ceterùm, Britanniæ rex, poſt occupatam Boloniam, eamque valido Anglorum præſidio firmatam, Richerij fanum incendit, & omnem agrum miræ fertilitatis euaſtat. ſed intellecto, inter Carolum & Galliæ regem tranſactum eſſe, ſimulque hoſtiles copias aduentare, ne tam inſignem victoriam aliquo funeſto exitu deniqraret, bellique aleam experiretur, conclamatis vaſis, properè cum exercitu in Britanniam traiecit. Dum hæc ita à noſtris Principibus geruntur, Muleaſſes Tunetanus rex, cùm Turcicam Barbaruſſa duce claſſem apparari, atque deinde Italiæ oram legere didiciſſet, in Siciliam traiecit, indeque ad Cæſarē confugit. Hunc poſtmodum Amida eius filius, Tuneto occupato, Punica fraude excluſit, quem deinde armata manu in regnum reuerſum, filius vtroque orbatum lumine, crudeliter candenti ſcalpello proſciſſa vtriuſque oculi pupilla, excæcat. Is tandem, poſt miras eius regni conuerſiones, Cæſaris iuſſu in Siciliam deductus eſt, publico Siculorum ſumptu alendus. Superius à nobis demonſtratum eſt, præcedenti anno pacem inter Carolum, & Franciſcum initam & conſtitutam fuiſſe. Paucis pòſt diebus ab ea pacificatione Cæſar Atrebatenſem Antiſtitem Granuellani filium, Galliæ rex Cardinalem Bellaium ad Angliæ regem vnà mittunt, tranſactionis cauſa. Verùm id fruſtrà tentatum eſt, Anglo Boloniæ reſtitutionem prorſus recuſante: quam deinde rex, coacto ingenti exercitu, armis recuperare ſummis viribus annitebatur. Cumque eam capiendi nulla ſpes affulgeret, ad reprimendas Anglorum excurſiones, arcem munitiſſimam in littore excitari, atque ibi validiſſimum præſidium imponi iuſſit, eodemque tempore trecentorum & amplius nauium claſſis à rege inſtructa, quò maris imperio potiretur, & ora Britannica lecta, Anglos à ſuis finibus arceret. Hoc rerum tractu Wormatiæ Imperij comitia indicta fuêre, ad quæ Cæſar cùm ſæpè conſtituiſſet, articulari morbo impeditus, ſeriùs eò aduênit, eo fermè tempore, quo ex Hiſpaniis lætus fuit allatus nuntius, de Carolo nepote nato Cæſari, ex filio Philippo: cuius quidem rei gratia, magna fuit ab Hiſpanis excitata Wormatiæ lætitia. Sed interiectis aliquot diebus nuntiatum eſt de morte nurus Cæſaris. Ad Idus Martias eiuſdem anni Concilium Tridenti promulgatum fuit. de cuius quidem ſucceſſu cùm ab aliis

Ducis Aurelliani obitus.

Muleaſſes ſe confert in Siciliam.

Singulare exemplum crudelitatis.

1545.

Carolus Princeps Hiſpaniarum naſcitur.

Synodus Tridentina.

aliis plenè traditum sit, nunc enarrare supersedeo. At proximo anno, scilicet ciusdem æui quadragesimo sexto, Cæsar, cui paulò antè Turcarum rex indutias in hunc annum largitus erat, & cum Galliæ rege iam, vti diximus, reconciliatio intercesserat, idoneum hoc videbatur esse rei bene gerendæ tempus, ideoque conuocant, & ciuitates imperiales expeditionem suscepit, à quibus circa Ratisbonam arctissimè obsessus, periclitari haud parum cœperat. Demùm suppetias ei ferentibus Flandricis, quorum ductor erat Burensis Comes, & insurgentibus Ferdinando cum Bohemis ac Duce Mauritio in Saxoniæ ducatum, exercitus Germanorum, in quo peditum supra octoginta, equitum ad quindecim millia, & bellica tormenta muralia ad centum & duodeuiginti fuisse dicuntur, dissipatus atque fugatus est: & hinc Cæsar, Vuirtembergensi Duce omnibus facultatibus exuto, captisque Ioanne Friderico Electore, & Philippo Landtgrauio vltroneam deditionem faciente, multatisque ingenti pecunia ciuitatibus, omniū quæ contra se arma tulerant, latè rerum in Germania potitur. Hunc exitum habuit Germanica expeditio: in qua sanè illud mirabile fuit, quòd Cæsar tā feliciter hoc bellum absoluerit, tantis præsertim viribus vndiquaq; impetitus, vt vix vlla humana potentia illas infringere posse videretur. Ipsa quidem Roma, orbis domina, tanti momenti esse duxit Rhenum transire, vt, cùm id Iulius Cæsar fecisset, supplicationes Diis immortalibus decreuerit. Et Carolus is qui Magnus cognomento fuit appellatus, triginta fermè annos absumpsit in perdomanda Saxonia, cùm tamen Carolus v. Imperator vniuersam intra quindecim mensium spatium subiugarit. At minimè dubium est, quin ad tam insignem & glorioſam victoriam consequendam, plurimi ponderis ac momenti extiterit Germanorum Principum inter se auulsio atque animorum distractio, cùm plurimi ex Germanis Principibus pro Cæsare aduersus Germanos dimicarent. Verùm, in huius maximi & grauissimi belli explicatione, sicuti etiam in plerisq. aliis rebus memoratu dignissimis quæ hac nostra tēpestate diuersis locis ac temporibus cōtigere, quæque à me extra suscepti operis atque argumenti seriem hactenus commemoratæ sunt, vel in posterum, vsque ad hunc præsentem annum, nempe supra mille quingentos septuagesimum octauum, enarrabuntur, equidem diutius immorarer, nisi exploratum haberem, hæc à præstantissimis viris, qui hoc sæculo scriptis inclaruerunt, literis ac posteritati consignata: ideoque breuissimis verbis ea recensui, & pleraque etiam prudens sciensque omisi, vt quæ mihi necessariò narranda supersunt, maturiùs absoluantur. Et quia proximè in belli Germanici mentionem incidimus, nolui equidem prætermittere, quin ad posteritatis memoriam, huic nostro operi illud etiam insererem, videlicet quo tempore Cæsar prope Misenum accessit, quod fuit decimo Cal. Maij; deinde postridiè, ac etiam eo die quo, flumine transmisso, cum Saxone pugnauit, & nonnullis pòst diebus, solis aspectum valdè fuisse tristem, obscurū, pallidum, & veluti caligine quadam circumdatum, ita quidem, vt pleriq. longissimè à Saxonia remoti, & ignari quid ageretur, iudicarent, magni aliquid portendi. Nec enim in Germania solùm, sed per Galliam etiam, & Britanniam, id fuit obseruatum, & ita se rem habere, multa hominum millia testificari poterant. Dum hæc in Germania fierent, pax inter Franciscum Galliarum, & Henricū Britanniæ reges subsecuta est, hac lege & conditione, vt Franciæ rex, resarciendi bellici sumptus causa intra octauum annum certam pecuniæ summam penderet, qua demum persoluta, Boloniam reciperet, eaque interim tanquam obses penes Britannos esset. Sed per hunc mo-

1546. Bellum Germanicum.

Cæsaris victoria.

Prodigium in sole.

Pax inter Franciscum & Henricū reges.

Henrici Angliæ regis mors.

dum ambo reges nequaquã diu ea parta pace lætari potuerunt. Henricus enim iam planè in senium vergens, lacessente atroci febre, propter sæuam inflammationem in cute virulenti herpetis, ad quintum Cal. Febr. vitam cum morte commutauit, cùm ætatis annum quinquagesimum septimum ageret, & ferè triginta octo annis regnasset, Eduardo filio circiter XI. annos nato, regni hærede relicto, puero ex Ioanna Semera suscepto, ea conditione, vt ab Eduardo Semero ipsius auunculo, Duce Somersetensi, nec non ei, si fortè decederet, tabulis testamentariis filia Maria, ex prima, & Elisabetha, ex altera coniuge substitutis, instruendus regni administrationi artibus regeretur. ad cuius etiam tutelam reliquit viginti ex primariis proceribus, quibus summa diligentia, & regni, & filij incolumitatem commendauit. Hic sanè Princeps haud dubiè, siue animi, siue corporis excellentes & raras dotes inspicias, nemini, vti antea enarrauimus, secundus fuit.

Francisci Galliæ regis obitus.

Henrici mortem Franciscus Galliæ rex admodum ægrè tulit, tum quòd sperauerat, firmiorem cum eo pacem & fœdus factum iri, quàm adhuc fecerat, tum quòd æquales & eadem ferè constitutione ambo erant, vnde suspicari cœpit sibi non multo pòst migraturum esse. Nec sanè illum fefellit opinio. Siquidem paucis pòst diebus lenta febri correptus, quæ deinde variis interuallis sæuire atq. augeri cœpit, accedente etiam dolore ex vomica, quo paulò ante laborare cœperat, quàm Cæsari obuiam procederet, cùm per Galliam iter faceret, pridiè Cal. Apr. anno ætatis quinquagesimo tertio, in arce Rambuletana sita in finibus Parisiorum, & vnius dici itinere Lutetia distanti, naturæ concessit. Princeps fuit, vt antea demonstrauimus, omnibus regiis artibus animique ornamentis instructus atque suspiciendus, ideoque magnum sui tum ciuibus, tum exteris desiderium reliquit. Magni erat & generosi animi, bonas literas, vti ostendimus, quammaximè amauit & fouit. Cuius opera, studio & auctoritate, à situ & tenebris vindicatæ, & clarissimum artibus bonisque disciplinis, quæ velut in tetra ac densissima caligine delitescebant, lumen allatum est. Viros literatos mirificè amauit, gymnasia Lutetiæ instituit ad linguæ Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ professionem: adquas docendas viros artium liberalium peritos ex omnibus orbis regionibus accersendos curauit, & amplissimis stipendiis affecit, vt iuuentus bonis literis & moribus institueretur. Quanquam autem in literis à puero institutus non fuerit, nulla tamen erat scientia, de qua scitè ac prudenter non disseret, partim quia cum viris omni eruditione excellentibus crebra habebat colloquia, partim quia incomparabili memoria diuinitùs donatus erat, adeò vt eruditi omnes fatererẽtur, se plus ab eo accepisse, quàm illi conferrent. Variam subinde fortunæ vicissitudinem, sæpius tamen aduersam, quàm secundam expertus est. Huic successit in regnum Henricus filius, qui tunc vigesimum ætatis annum agebat, omnibus excellentibus ac regiis artibus à patre informatus, qui ad supremæ dignitatis fastigium euectus, nihil prius atque antiquius habuit, quàm vt populorum in se studia concitaret: eosque cùm propter diuturna bella mirum in modum defatigatos atque afflictos videret, statim sub initium eius imperij, immodicis tributis ac sumptibus subleuauit: qua liberalitate omnium animos sibi mirificè conciliauit. Præterea, euestigiò Annam Momorantium, qui iam totos ferè sex annos priuatam vitam degebat, in aulam reuocauit, & loco pristino restituit, summoque in honore ac existimatione semper habuit. Insequenti anno, supra mille quingentos, quadragesimo septimo, Neapolis vrbs Italiæ nobilissima & opulentissima, ingentibus seditionibus & ciuilium bellorum motibus atrocissimè fluctuare incepit: quorum quidem potissima causa fuit, quòd Petrus Toletanus Neapoli prorex,

Rex Galliæ omnium eruditorum amantissimus.

Henricus II. Francisco in Gall. regno succedit.

1547.

Prorex, cum Imperatoria potestate illi regno præfectus, curauit, & quæstio in eos qui à fide Romana desciscerent, ad consuetudinem Hispaniarum in eo regno, & in ea ciuitate institueretur. Id verò & procerum, & populorum animos tantoperè exacerbauit, vt, correptis armis, maximas commotiones cierent, adeò me hercle, vt ingens rerum omniũ conuersio impendere videretur, nec vlla ex parte exorti motus sedari potuissent, nisi tandem prorex à priori sententia deflectens, indigenas sua consueta & veteri libertate suisque priuilegiis frui pateretur. Enimverò nihil magis periculosum est cùm vitæ ipsius Principis, tum etiam imperiorũ diuturnitati & conseruationi, quàm si vrbium & populorum priuilegia, & immunitates antiquarit ac delerit, cùm sæpius libertatem ac patriæ ornamenta ciues ipsi propriæ vitæ anteponant: quæ omninò integra cõseruanda sunt ab ipsis Principibus & confirmanda, nisi quis læsæ maiestatis & defectionis crimen incurrerit: siquidem his ereptis, populi ac ciues vniuersi facili negotio ad defectionem solicitantur. Eodem anno, Angli maximo prœlio Scotos, ductore Somerseto, regis, vti diximus, auunculo, deuicerũt. Belli præcipua causa fuit, eadem quæ prius Henrico rege, nempe, quòd Scoti pacto regi Eduardo sponsam, scilicet Mariam Stuardam, Iacobi Scoti filiam, vnicã regni hæredem, dare abnuerent. Cùm autem de proposito nihil Scoti remitterent, & Galliæ regis pollicitationibus niterentur, Angliæ Protector Somersetus, & reliqui consiliarij, scripto valde prolixo, quinta die Februarij ad pacem illos adhortati, plurimis rationibus ostendêre, hoc in maximum vtriusque regni beneficium cessurum. Nihilominus tamen vicit Cardinalis Andræani, & quorundam aliorum procerum Ecclesiasticorum sententia, vt Scoti, rescisso fœdere, Gallorum amicitiam & necessitudinem præferrent. Hanc enim postmodum vix sextum annum egressam, in Galliam abduxêre, vt eius consequendæ spem omnem Anglis adimerent: ac deinde Francisco filiorum Henrici natu maximo elocata fuit. Verùm enimverò vt ad res Genuenses, eoque vnde digressi sumus, nostra oratio relabatur, Genuæ circa hæc tempora, subsecuta est Ioannis Ludouici Fliſci aduersus Remp. conspiratio, quæ sanè cùm maximè insignis ac memorabilis extiterit, dignissima profectò est quæ his Annalibus inseratur. Et quoniam hæc à præclariss. viro Vberto Folieta, cuius antea mentionem habuimus, non minùs verè, quàm eleganter atq. ornatè conscripta est, ac literarum monumentis prodita, eiusdem verbis à me recitabitur. Concordia, inquit, ac libertate Genuæ firmata, is rerum status constitutus est, vt, factionibus planè sublatis, sese à præteritis malis Genua recreare posse videretur, nisi vnum residuum fuisset vulnus, quod cursum ciuitatis ad optimum statum retardaret. Nam odium inter nobiles, & popularis nominis ciues, nunquam ex Genuensium animis penitus extirpatum, sed ad tempus consopitum erumpere cœpit; paulatimque gliscens, maiores indies vires sumere; popularibus indignantibus, Adurnia, & Fregosia gentibus (quarum in primis potentia popularium dignitas nitebatur) de summo auctoritatis gradu dejectis, ac summi imperij Magistratu (à quo nobiles lege excludebantur) studio concordiæ, cum illis communicato, totam auctoritatem ad Nobiles translatam: Nobilibus verò, & copiis, quibus tum haud parum antecellebant, & Andreæ Auriæ viribus subnixi, nimios spiritus sibi sumentibus, ac populares contemnentibus. Augebant animos, ipsius Andreæ, sui corporis viri, recentia in patriam promerita; quem liberatorem, & conseruatorem haud immeritò appellabant: statua quoque in ædium publicarum area, eius beneficij memoriã, decreto publico, decorarant. Nondum præterea nonnulli earum familiarum homines, quas rerum perturbandarum

Anglorũ de Scotis victoria.

Ludouici Fliſci aduersus Remp. conspiratio.

auctores fuisse diximus, veteres & elatos spiritus deposuerant. Grauiter enim ferebant, hac ciuitatis concordia opes suas, quibus reliquos solebãt anteire, pauperatim imminui, seseque in ceterorum ordinem cogi. Sed neminem ea res æquè angebat, atque Ioannem Ludouicum Fliscum, Lauaniæ Comitem, magnæ potentiæ, magnarumque opum adolescentem. Is, præter communem indignationem, suos etiam priuatim stimulos habebat. Ingenio enim natura elato, ad hoc clara gente ortus, quam Auria familia nullis partibus existimaret inferiorem, multorum præterea oppidorum, & castellorum dominatu præpotens, Ioannis Auriæ opes supra suas excellere, iniquo animo ferebat. Vulnerabant adolescentis animum viginti triremes, quarum administratio ab Andrea patruo iam tum Ioanni permissa, & successio, vnà cum summo maritimarum rerum imperio, haud dubiè destinata, summam, vt in maritima ciuitate, auctoritatem, & potentiam Ioanni conciliabant. Augebant indignationem, ipsius Ioannis elati spiritus, pauloque asperius ingenium, secundo rerum cursu inflatum. Is nobilium adolescentum cateruis stipatus, vultu, ac responsis, non solùm Ioanni Ludouico, quem & ipsum contemnebat, stomachum faciebat, sed plerisque ciuium paulò grauior liberæ ciuitati videbatur. At Fliscus contrariam morum rationem ingressus, comitate, & quodam blanditiæ artificio, hominum studia ad sese attrahere nitebatur. Quas res formæ dignitas, orisque, & oculorum amabilis quædam hilaritas, mirè adiuuabant. Quare, cùm nobilitatis iuuentutem totam ferè Ioannis esse cerneret, ad popularem rationem cõuersus, ex cognita animorum irritatione occasionem, ac spem sumens consiliorum ad effectum perducendorum, primarios eius generis adolescẽtes benignè appellando, in eorum cœtus familiariter sese insinuando, omnique ratione iis venditando, illorum sibi voluntates adiungere studebat. Igitur, cùm intelligeret, sibi cum Ioanne haudquaquam parem contentionem esse, quòd in maritima ciuitate maiora essent naualium quàm terrestrium copiarum momenta, iis quoque sese muniendum statuens, quatuor triremes à Petro Ludouico Farnesio, Placentinorum & Parmensium Duce, emit: cum quibus sub Romano Pontifice mereret. cuius conditionis stabiliendæ, atque amicitiæ cum Farnesia gente confirmandæ causa, Romam profiscitur. Erant Farnesij, Andreæ & Ioanni in primis infensi, ob acceptam paucis illis annis contumeliam. Ioannes enim iussu Andreæ, indignantis, quòd in controuersia de hæreditate cuiusdam propinqui sui, parum sibi æquum iudicem Romanum Quæstorem arbitraretur, eas ipsas quatuor triremes, cùm in illum, nihil hostile metuentes, fortè incidissent, haud veritus Pontificis Romani maiestatem, ceperat, & Genuam captiuas abduxerat: quas tamen Andreas, monitus à Cæsarianis Ducibus, quòd ea res magnam inuidiam Cæsari, sub quo merebat, magnosque motus in Italia esset excitatura, illico dimisit. Igitur Farnesij, iis iniuriis irritati, cùm haud dubium esset, sese Auriæ animum æmulo potentiæ opprimendo, haud parum offensuros, triremes Fisco cupidè vendunt, seque illius opũ amplificandarum adiutores fore profitentur. Quin etiam fama est, Fliscum, Farnesiorum consiliis imbutum, eorumque in primis hortatu, ad consilia de cæde Ioannis impulsum. Quæ tamen res nunquam constitit: cùm multos annos post eædem Petri Ludouici, de intimo illius familiari, ac scriba, qui fuit ei in omnium rerum consilio, etiam tormentis esset quæsita. Cùm auditum esset Fliscum triremes comparasse, Ioannes Caracciolus, Melphiæ Princeps, qui cum non paucis Neapolitanis proceribus, in bello Neapolitano ductu Lautrechij gesto, à Cæsare defecerat, Gallorumq. partes secutus, in Gallia exulabat, ac prouinciæ subalpinæ in

Ludouicus Fliscus æmulus Auriæ felicitatis.

Farnesij, Auriæ familiæ infensi.

in Italia erat Præfectus; cupidus, quantas plurimas posset, Italorum clientelas Regi Gallorum adiungere: animum Fliſci, magnis propoſitis præmiis, tentare cœpit. quod etiam prius, Auguſtinus Triuultius Cardinalis Romæ feciſſe dicitur. Simul oſtendit, cùm duæ ſint Italis hominibus creſcẽdi viæ, altera Gallorum, altera Cæſaris; errare illum, ſi putet, ſeſe per Cæſarem, qui totus in Auria gratia & meritis poſſideatur, in altum aliquem dignitatis locum vnquam aſconſurum: proinde delatas conditiones, ſi ſaperet, ne omitteret, ſibi præſertim amplas & honorificas. Erant enim ſex triremium (ſi tot comparaſſet, & inſtruxiſſet) & ducentorum peditum in arcis Montobiæ cuſtodiam, ſtipendia; item turmæ equitum præfectura, qui honos apud Gallos in amplis habetur, tum in domeſticum cultum, in ſingulos annos duodecim millia Francorum numûm. Quas conditiones Fliſcus non aſpernatus, rem communicat cum Ioanne Baptiſta Verrina, iuuene impigro, nec mediocris inter populares gratiæ & auctoritatis. Intercedebat Fliſco cum homine plurimus vſus, ac ſumma multorum officiorum neceſſitudo: nam cùm Fliſcus in magna eſſet nũmaria difficultate, Verrina pecuniis, partim ſuis, partim ſua fide mutuis ſumptis, pretij triremium magnam partem Fliſco confecerat: quo beneficio deuinctus Fliſcus, in magno honore & beneuolentia hominem habebat, plurimumque illi ex omnibus amicis fidebat. Erat Verrina vir, cum magni animi, ac magna ſpectantis, tum Nobilitati in primis infenſus: ad commune enim odium priuatas ipſe multarum iniuriarum cauſas habere exiſtimabat. Quare præſentem ſtatum Reipublicæ, in quo nullum ſibi locum vnquam fore ſperaret, conuellere cupiebat. Ad hoc, ære alieni magnitudine oppreſſus, cùm priuata vulnera ſeſe non diutius tegere poſſe confideret, turbandarum ac miſcendarum rerum conſilium ſibi in omnes partes aptum exiſtimabat. Nam ſi infeliciter res cecidiſſent, fore vt priuatim cadendi neceſſitas in communi tam multorum ruina lateret, vt minus pudendum homines ducunt, communi incendio, quàm priuato conflagrare: ſi conſilia proceſſiſſent, tum verò ſe in magnam potentiam, magnaſque opes peruenturum. Eius verò rei, atque omnem dignitatis ſuæ ſpem in Fliſci fortuna poſitam habebat: apud quem ſe omnia poſſe intelligebat. Igitur, cùm nouum hoc conſilium, rei, quam intendebat, maximè aduerſari intelligeret, Fliſcum ab eo magnopere deterrere inſtituit, ſuam illum cauſam ignorare affirmans: quippè quòd ea res ad eam amplitudinem, quam ſpectaret, non modò iter nullum expediret, ſed in primis obſeperet. neque enim illum tam rerum ignarum eſſe aut dubitare debere, quin ea res ipſum Genua eſſet exterminatura. Nam neque Andream, qui ſummam maritimarum rerum à Cæſare obtineat, neque ceteros primarios ciues, quorum voluntates arctiſſimis vinculis Cæſari conſtrictæ ſint, quòd eorum omnis ferè res in prouinciis & regnis Cæſaris verſetur in fenore, vectigalibus exercendis, aliiſque quæſtibus occupata, Genuæ eſſe paſſuros eum virum qui res ad Gallorum pártes trahere nitatur. neque debere illum ſperare, ſeſe Andreæ, & ceterorum potentiorum ciuium conſentientibus ſtudiis in ipſum vnum incumbentibus, poſſe reſiſtere. A patria autem procul amandatum, quid tandem illum pro Gallis poſſe moliri? Gallis porrò ipſis, cùm intellexerint, nullam in illo ad res Genuæ mutandas opportunitatis partem eſſe, an non ſubitò in contemptum venturum? ita fore, vt eius nomen & auctoritas, tantis nunc præmiis expetita, breui debilitetur & conſeneſcat. Præpoſteram igitur illum conſiliorum rationem ac viam inſtitiſſe. nam prius Genuæ potentiam ſtabiliendam eſſe: qua conſtituta, eius amicitiam ab externis Regibus certatim, atque ampliſſimis quibuſque condi-

Fliſcus Ioã. Bapt. Verrinam ſuæ cõiurationis participem facit.

tionibus expetitum iri. Quare si vlla colloquia cum Gallis sint instituta, ea quocunque discuteret modo, & ad splendidiora animum conuerteret. Mirabundo Fliſco, ac quærenti, ad quænam splendidiora sese ille vocaret, Verrina, non magis splendida sunt, inquit, quæ suasurus sum, quàm tibi necessaria: neque ad illa suscipienda tam ego te voco, quàm tua salus impellit. Tu quæ sunt felicium mentium cogitationes, dignitates, opes, summum in ciuitate locum, maritimũ regnum, gratiam Regum animo agitas; quas ego res vt non reprehendo, ita salutis rationem tibi priorem esse debere censeo. Licebat tibi ditionibus, quas peramplas possides, eaq. quã tibi maiores tui reliquerunt, sorte contentum, quieram & tranquillã ætatem procul à turbis & dimicationibus agere. Ceterùm tu maiora animo amplexus, dum ex perpetua domus tuæ fortuna altiorem gradum ascendere conaris, in præcipitem locum te, domum, fortunam tuam improvidè dedisti. Nec dubium est, quin te imminentia discrimina breui sint oppressura, nisi tu illa consilio, & audacia properas discutere. Alterutrum igitur tibi eligendum est, vt aut ad otiosam & priuatam vitam, quam parens tuus secutus est, dum integrum adhuc est, redeas, teque ab omnibus turbis & procellis extimas: aut, si ea quam ingressus es, via tibi magis cordi est, à nulla re, quæ illam necessariò consequitur, abhorreas. Iniquo esse in te Ioannem Auriam animo, grauiterque tuam istam triremium accessionem ferre, si non hominis vultus, si non verba à nimio dolore interdum expressa indicarent, ratio te ipsa satis docere posset. Nam ualium enim rerum arbitrium, ac dominatum, quem sibi vni totum cupiditate, & haud dubia spe, iam pridem destinauit, tecum communicandum intelliget. Cuius rei homines adeò alienos participes nolunt, vt ne fratres quidem socios ferant: quin etiam parentes ipsi non dubitent filiorum sanguine, si illorum cupiditas eminere, & suspecta esse cœperit, securam ac stabilẽ Regni possessionem sibi firmare. Speras igitur Ioannem ea in re tibi parsurum, quæ parentum in filios, filiorum in parentes dextras soleat armare, ac dolorem tam altè animo insidentem, vt ne vultus quidem dissimulatione tegi possit, in verborum semper cõtumelias, ac non aliquando in tuam perniciem erupturum? Cuius à te auertendæ vna omnino est ratio, si illam ipse in caput machinantis verteris. Et enim, cùm fortuna eam vtrique vestrûm necessitatẽ imponat, vt alterius salus, alterius pestis sit expedienda; is sapientior profectò fuerit, qui in necessario consilio anteuerterit: ac sic secum statuerit, nullum esse locum moræ in eo conatu qui vtrique necessarius, eum euertat necesse est, cuius cunctatio, alterius celeritate opprimetur. Posses tu Ioanne sublato esse contentus, ni præpotentibus atque acerrimis superstitibus vindicibus, nõ tam Ioannis cæde pestem à te remouisse, quàm maiorem discriminis molem tibi conflasse videreris? In eodem igitur facinore amplectendi sunt Andreas ipse Auria, rerum caput, Adamus Centurio, ac reliqui factionis Principes. Hæc vna est arx salutis, & dignitatis tuæ: hoc vnum consilium vitam tuam à circumsistentibus insidiis vindicat: hoc tibi eam quam spectas potentiam & auctoritatem paret: hoc tuam amicitiam à maximis Regibus vltrò ac certatim expeti faciet: hoc illos ad tuas conditiones adducet: hoc tibi immensas opes, amplissimas ditiones accumulabit. Neque verò, inimicis & insidiatoribus sublatis, perfectum opus tibi debes arbitrari: sed ita statuere, opes tuas non aliter, quàm ciuitatis imperio, posse stabiliri, mutabilia mortalium ingenia, amicorum parum stabilem fidem, rerum humanarum incertos casus tecum reputans. Hoc inter priuatam fortunam, & maximarum rerum spem interest, quòd in priuatis cogitationibus mediocritas tutissima est; at in magnis conatibus terminus quouſ-

quousque progrediare, statui nullus potest: neque fortunæ modus nostri est arbitrij, sed mediis consiliis abscissis, ad fastigium enitendum est, aut ad exitium præcipitandum. Neque te, si quicquam est in te animi ac roboris, à veris & solidis consiliis, quæ necessitas laudabilia facit, inanes rerum species debent abducere, quòd patriæ libertatem ereptum ire videaris. Nam quam tandem superbissimorum hominum dominatum, libertatem appellant? aut quæ Genuæ potest esse libertas? Vix in optima ciuitate, in concordia ciuium, in moribus integris libertas habetur. At in tam corrupta vrbe, in tam discordantibus ciuium animis, in tantis inter se partium studiis, in tam profligatis moribus, nullus est inter dominationẽ & seruitutẽ libertati relictus locus. Tibi igitur Genuæ imperandum, aut seruiendum est Fliscę. vtrum potius ducas, tecum statue. Si imperium amplecteris, ad quod te & familiæ splendor, & maiorum gloria, & locus quem illi in hac vrbe perpetuò obtinuerunt, vocat, nulla res quæ hanc cogitationem necessariò consequitur, tibi est abominanda. Quid, quòd hoc consilium non magis tibi amplum ac necessarium, quàm tutum est? Quanquam ingentia facinora ardua esse solent, nec sine ingentibus discriminibus ferè fiunt: quæ tamen fortes, ac magni animi viros à summis præmiis petendis haud quaquam detetrét. Verùm ab hoc quoque incommodo te fortuna eximit. Primum ipsi Andreas & Ioannes, vt in nullo tali metu, solutè & negligenter agunt: summa domi solitudo: nulla custodia: nulla clientum aut familiarium turba: ipsi domi, & in publico sine vllis corporis stipatoribus: (eam solam priuatæ moderationis speciem retinens in ceteris rebus impotentissimi domini) triremes cum solo ferè remigio, nullo præsidio firmatę, in vrbe trecenti omnino sunt præsidiarij milites. Quid igitur negotij erit, cùm tu firmissimam ac fidelissimam quingentorum ex clientibus, ac tibi subiunctis manum corrogaris, Andream & Ioannem incautos, loco & hora destinatis, improuiso deprehensos obtruncare? atque cuestigiò portula interioris portus à terrestri parte refracta, & ostio à maritima, ab vna ex tuis triremibus insesso, triremes in tuam potestatẽ redigere? Hoc tibi primum opus exequendi consilij esse volo. Cuius perficiendi præcipua spes est in populariũ odio, quod inexpiabile in nobilitatem gerunt: quorum non exiguæ partis studia iam ego ad te attraxi, ac porrò attrahere non desisto: vt intelligas, me non magis verbis quàm sedula impensa opera consiliũ iuuare. Cum his populare te imperium volo proclamare. ad quam vocem, nõ est dubitandũ, quin plebs subitò sit consurrectura: & exemplo primariorum, quos tecum videbit; & insita rerum nouandarum cupiditate impulsa. Quid tum animi Magistratui fore putas, cum pauculis illis præsidiariis? ne vllas quidem satis tutas aut occultas latebras sibi putabunt, aduersus tantam in se intentam vim; ne dum illi sese sint oppositurí. Tu quod facere decreueris, bene ac feliciter tibi volo euenire: mea quidem fides tibi suspecta esse non potest in eo consilio; quod non magis verbis dare, quàm opera, eaque nec segni, nec socordi subsequi paratus sum: quæque eisdem me tecum discriminibus obijcit, atque adeò longè iniquioribus in vtramque fortunam conditionibus. Si enim euentus inceptis non responderit, idem me tecum interitus manet, cum minore pænè subterfugienda spe, si consilia processerint, tu summum imperium, qua re nihil maius homines in hac vita à diis immortalibus expetere possunt; ego eam, quam tu esse volueris, fortunam, sumus habituri. Sua sponte in omnia vasta & præcipitia propensum animum, tantæ rei spes oblata in assensum facilè traxit. Igitur consilio probato, omnique Gallorum cogitatione abiecta, duobus ex familiaribus suis Raphaële Sacco Saonensi Iureconsulto, & Vincentio Calcaneo

cubiculario, ditioniſq. ſuæ homine, adhibitis, cùm rationem rei gerendæ expedire inciperent; inter Verrinã & Calcanium de toto conſilio ſententiis certatum eſt: Calcanius enim vereri ſe magnoperè dixit, ne illud eius generis conſilium fit, quod ſpecie planum & facile, experiendo arduum & impeditum euadat. Liquidius enim ſe doceri cupere, quid in tanta re ſuſcipienda ſpectetur: nam ſi id ſolùm pugnatur, vt popularis Reſpublica formetur, ne ipſum quidem Verrinam dicere auſurum, tanti Fliſci intereſſe quæ Reipub. forma Genuæ ſit, popularis ne, an optimatum; vt ea de cauſa nobilitatem delere (id quod neceſſariò faciendum eſt) in animum inducat. tantamq́ue inuidiam nomini ſuo conflare non dubitet: tum præterea ſe fratres, fortunam, domus, tot ditiones in tantam aleam dare: vnum igitur tanti certaminis ac diſcriminis pretium eſſe, ciuitatis imperium. At ad illud perueniendi quam tandem expeditam, aut exploratam viam oſtendi? Vt enim popularium ſtudia in nobilitate delenda Fliſcum habiturum non ſit deſperandum; longè tamen in illis alium animorum habitum fore in regno Fliſco concedendo. Superiorem enim rem populárem eſſe, popularibuſque natura inſitam; ab hac illos vehementer abhorrere, illudque eſſe nonnullorum populorum ingenium, cuiuſmodi eſſe Genuenſes conſtat, vt libertatis, quam veram & integram habere neſciant, ſpeciem tamen obſtinatè retineant. Non eſſe igitur dubitãdum, quin, cùm nobilitate partim deleta, partim vrbe exacta, tot armatorum millia congregata fuerint, vnus aliquis popularis Reipub. nomen ſubijciat, prima voce miſſa, vt in talibus rebus ferè fit, reliquos aſſenſuros, popularemque Rempub. conclamaturos, & inſtituturos. Tantæ autem armatæ multitudini quomodo Fliſcum cum exigua illa clientum & ſectatorum manu, quam corrogaturus eſt, reſtiturum? illud potius vel maximum eſſe periculum, ne Fliſcum, quem ſolum nobilitatis nomen magis inuiſum popularibus facere poſſit, quàm recens meritum commendare; ſi regnum affectare ſenſerit, tanquam vnicum cõmuni acpopulari imperio impedimentum, ipſum quoque de medio tollant. Neque verò ſperandum eſſe, recentis meriti verecundiam illos à facinore patrando retardaturam; quin potiùs perniciem, & interitũ Fliſco acceleraturam. Ingentibus enim beneficiis, quæ magnitudine ſua remunerandi facultatem multum anteceſſere, illud præmium homines reddere ſolere, vt quoniam pari gratia referenda, eo veluti prægrauante onere ſe liberare non poſſint; illo, qui beneficium dedit, quique meritum exprobrare videtur, de medio tollendo ſe exoluant. Proinde etiam atque etiam rem conſiderandam, neque cæca cupiditate ſe in tam præcipitem caſum dandum: ingentis enim mali ſibi non dubiam coniecturam, ſed certam ſpeciem in oculis verſari. Non ſibi quidem Verrinæ fidem, aut prudentiam dubiam eſſe, quam vtramque multis locis perſpectam habeat; verùm magnoperè vereri ſe, ne ille cupiditate vlciſcendæ nobilitatis cæcatus, in quam hominem execrabili odio efferatum eſſe conſtet; non omnia quæ in tanta re prouidenda ſint, in conſilium adhibeat. Proinde rem diutius coquendam. omnem enim in magnis rebus properationem, improuidam & præcipitem eſſe. Ad ea Verrina, magna fanora diſcriminum plena ſemper fuiſſe reſpondet, quæ tamen fortium & ſtrenuorum animos nunquam fregerint: hancq́. in primis eſſe inter ignauos & acres viros differentiam; quòd illi incertorum periculorum metu, certam perniciem à ſe remouere non audeant, ſed ſocordes & deſides ſeſe proculcandos præbeant; contrà magnos & erectos viros imminentia mala, audacia diſcutere, dignitatiſque ſuæ vindices, pro libertate & decore omnem fortunam experiri; non tamen ſeſe in ancipites caſus temerè & incautè demittere; ſed quæ ratio ſuadeat, ab iis formi-

Verrinæ & Calcanij diuerſa cõſilia.

Genuenſium natura.

formidine non abduci. Quare quæ Calcanius proponat, ea euenire posse, ni antè, ne eueniant, prouisa sint. Verùm non ita suam incogitatam fuisse rationem, vt eadem non sibi quoque in mentem venerint, & in omnem euentum præparata, & dispositа sint consilia: neque enim deleta & expulsa nobilitate, populoque armato, censere se, vt Fliscus regnum subitò inuadat; sed astu (vt in omnibus magni moliminis consiliis necesse est) rem ducendam esse, popularium que primoribus demonstrandum à Fliſco, sese nihil spectare, quàm vt publicæ & veræ libertati officientibus sublatis, commune omnibus, ac populare imperium Genuæ instituatur. aliquam igitur Reipub. formam, omnibus æquam sibi & illis cogitandam, rogareque proinde se omnes, vt dum ipse in motibus sedandis ac rebus parandis, omni cura est intentus, ipsi interea rem animo secum agitent, ac fermonibus inter se versent; & omnibus diligenter circumspectis, conueniant, ac pro se quisque in medium consulat, atque aliqua optimæ Reipub. instituendæ forma ineatur. Hoc laxamento cogitationibus dato, interim, dum illi deliberant, & inter se commentantur, Fliſco duo armatorum millia, ex sibi subiectis, quos ad portas antè præparatos præstò habeat, in vrbem pluribus, ac separatis agminibus introducat per speciem plebeiorum licentiæ, qui in turbidis & commotis rebus habere modum nesciant cohibendo, ac paulò pòst duo altera millia à Petro Ludouico Farnesio, Placentiæ Duce, accersenda, & in vrbem similiter introducenda; quæ illum cupidè missurum, haud dubitandum sit, quippè qui tam sæpè, ac tam prolixè omnes suas vires Fliſco detulerit: deque ea re iam nunc Farnesio scribendum, vt eas copias in Liguriæ confinibus quàm primùm contrahat, ne sint in mora, sed simulatque accersitæ fuerint, accurrant: tam firmis præsidiis septum Fliſcum. Enimuerò tum ciues veluti ad deliberandum de publicis rebus, ac Reip. formam sanciendum conuocaturum: qui cùm frequentes in aulam maximam togati conuenerint; tum se Verrinam, qui cum conscíis Fliſco assidebit, consurrecturum, ac verba facturum, proque sententia dicturum, nullam tutiorem in tantis motibus, tamque diuersis hominum studiis, neque salubriorem esse Reip. formam, aut præsenti rerum statui magis aptam, quàm si ciuitas ab vno regatur: id vnicum esse ac certissimum discordiarum remedium. proinde (quod felix faustumque sit) se suffragio suo imperium Fliſco deferre, ducemque Genuensium illum creare: diademaque sinu promptum, capiti Fliſci impositurum; simul in illius imperia iuraturum, claraque voce eius nomen subiecturum. Neque dubitandum, quin omnes idem facturi sint, re subita oppressi; nemineque, præ tot circum sistentium armatorum terrore, contrà tendere audente. Discurrendum deinde tota vrbe, ac nomen Fliſci Genuensium Ducis lætis clamoribus, & plausibus subijciendum. facilè assensuram plebem, quæ nusquam non ad seruiendum nata, vtrum ab vno, an à pluribus regatur, nullo discrimine ponat. Consilio Verrinæ probato; rem quomodo geri placeat, instituunt. Summa fuit, Andream & Ioannem, ac reliquos illius factionis Principes cõuiuio exceptos, trucidaret, ac reliqua fierent quæ Verrina censuerat. Farnesio scribitur, vt copias conscribat: quod ille eueſtigiò facere institit. Mittuntur etiam qui in Fliſci ditione occultè homines contrahant: qui, simulatque Fliſcus annuerit, præstò sint. Vnaque ex triremibus, quæ vt ad omnes casus, & ad subita Fliſci consilia parata esset, stipendiis Pontificis consultò instructa fuerat, Genuam accersitur per causam sumptus sui in piratica exercendi: per eandem triremis instituendæ speciem ex ditionum suarum hominibus fortissimum & audacissimum quemque, quem ad omnem vim & facinus paratum haberet, euocat. Ipse interea dabat operam, vt non modò popu-

Petrus Aloysius Farnesius Fliſcam conspirationem promouet.

popularis iuuentutis principes, iam sibi deuinctos, omni sese illis ratione vendi-
tando, ac popularem Rempub. non tam verbis, quàm significatione ostentando,
retineret, sed noua etiam studia sibi adiungeret; ac quamplurimos posset, ex om-
ni genere homines vndiq. amicitia comprehenderet: quam rem cùm ipse inusi-
tato blanditiæ artificio, tum Verrina, egregio voluntatum conciliandarum artifi-
ce, ac ministro, facilè assequebatur, nec minore interea opera, omnem suspicio-
nem ex tam familiari cum populari iuuentute consuetudine apud nobilitatem
detestari studebat. Ad omne enim simulationis artificium animum versans, do-
mum Andreæ familiariter, ac crebriùs etiam, quàm antea, ventitando, paruulos
Ioannis natos amplexando, omni denique pietatis & obsequij simulatione senis
canitiem eludebat: tantumque iis artibus perfecerat, vt Andreas monentibus vt
sibi à Fliſco caueret, quem magnum aliquid animo agitare haud dubium esset, fir-
dem non haberet. Quin etiam, cùm res in ditione Placentina non ita occulte ad-
ministrari potuissent, vt non manarent, Ferdinandusque Gonzaga per explora-
tores comperisset, Flisci nomine delectũ haberi, isque Mediolano per literas Au-
dream monuisset vt caueret: Flisci enim res nouas Genuæ moliri atque occul-
ta consilia ad illum opprimendum struere, sibi cognitum exploratumq. esse, pa-
lam dixerit; nõ se posse adduci, vt crederet, tanti sceleris facinus tanta ingenij mo-
rumque suauitate, tamque propè cælesti aspectu tegi. Igitur cùm omnia satis pa-
rata essent, ac dies facinori destinatus appropinquaret, incidit res quæ consilium
tardauit. Andreas enim subito morbo implicitus, ad conuiuium venire non po-
tuit: qua spe Flisci, & socij deiecti, rem in aliud tempus differre coguntur, con-
siliumque in noctem conferre tutiùs & exploratiùs visum. Ea fuit nox ante quar-
tum Non. Ianuar. diem, qui eam noctem antecedit cùm venisset, Flisci, vt
firmioribus sese præsidiis ad rem conficiendam communiret, nonnullos expu-
blicis ciuitatis stipendiariis, in ædes suas congregat: quam rem cùm ad Andream
deferri necesse esse intelligeret, suspicionẽ anteuertẽs, cùm de more illum adiisset,
post hilares ac blandas salutationes, non posse se, ait, stipendiariorum militum,
quibus domum refertam habeat, studiis resistere: qui se precibus fatigent, ac lo-
cum sibi in triremi, quam ea nocte in piraticam missurus sit, deposcat. Proinde ne
miraretur, si vel bombardarum, vel alterius rei strepitum ea nocte ex portu exau-
diisset. Nox cùm venisset circiter quartam horam, domum Thomæ Assereti, in
qua adolescentium popularium conuentus ex consuetudine habebantur, profe-
ctus, omnes quicumque ibi reperti sunt (fuerunt autem ad tres & viginti) secum
ad cœnam in ædes suas ducit. Eæ in edito vrbis loco in hortis Carinianis, ad diuæ
Inuiolatæ sitæ procul à continentibus ædificiis in primis idoneę erant ad tumul-
tus & strepitus occultandos, quos in tanta turba atque armorum tractatione
fieri necesse erat. Ac Verrina à se dimisso, qui & publicas, & Andreæ ædes, cete-
raque vrbis loca circumiẽs, exploraret, num qui motus, aut num qua suspicionis
significatio vsquam fieret; iuuenes in cubiculum seductos ita allocutus fertur:
Ad cœnam vocatos iuuenes, nullis vos opiparis epulis accipere potui, quàm qui-
bus tot annorum auiditatem expleretis. En optatus dies venit: en oblata est fa-
cultas omnibus votis expetita, tot nobilitatis iniurias & contumelias vlciscendi.
Omnia enim vobis præstò sunt multorum mensium diligentia mea parata, stre-
nuorum ac fidelissimorum iuuenum, omneque discrimen pro me paratorum
subire egregia, ac numero etiam firma intra vrbem ipsa contracta manus, infi-
mæ plebis studia ad meum nutum conflurecturæ, externa Principum auxilia,
quæ in propinquo sunt, popularis nominis ciues, qui omnes ferè cognationibus,
& affi-

Ferdinandus Gonzaga monet Aurią, vt sibi caueat à Fliſco.

Fliſci oratio.

& affinitatibus vos attingunt, eadem qua vos indignatione ardentes, qui simul atque triremes in potestate nostra viderint, & aduersariorum Duces sublatos (vtrumque autem mihi facile & expeditum est) consilia sunt nobiscum coniuncturi: cùm contrà inimici nostri securum quum degentes, ab omnibus rebus imparati sint. Diis igitur bene iuuantibus ad rem exequendā properemus; ad quam cohortandi mihi non estis iuuenes, qui me ardore & studio debetis præcurrere; neque enim ego vobis huius consilij auctor sum, sed vos potiùs mihi, qui me assiduis querelis vestris ad illud impulistis, indignitatibus & acerbitatibus, quibus vos per hos annos inimici vestri presserunt, & nunc cùm maximè premunt, accensum. in quarum rerum societatem, tātum abest, vt illi me, qui ex illorum corpore nemini secundus sum, perducere vnquam potuerint, vt contrà, me ab illorum cœtu subduxerim, ac studia vobiscum coniunxerim, & honestatem causæ secutus, & maiorum meorum vestigia imitatus, quos idem sæpè feciſſe accepi. Qua de causa nunc illis magno in odio sum. Verùm ego eiusmodi hominum odium & gratiam in æquo pono. Ceterùm acriores stimuli ad vltionem petendam esse debent, vobis vestræ iniuriæ, quàm mihi dolor ex vestris iniuriis, qui nulla re sum ab illis priuatim læsus, ac vestram tātùm vicem indignor. Nam per Deum immortalem, cui tanta arrogantia non stomachum faciat? aut quid est, quòd illi tantoperè vos contemnāt, ac nullo numero vos esse velint? perinde quasi illi è cælo, vos omnes è cœno nunc primùm existatis, ac non plerique è vobis honestiore loco, ac clarioribus maioribus, quàm plerique eorum orti sint. Iam verò cuius tandem est iniuriæ ac superbiæ, leges duodecimuirales tanto totius ciuitatis consensu sancitas, perfringere; quibus omnium ordinum dignitas exæquata est, factionumque nominibus planè exterminatis; vnum totius ciuitatis corpus conflatum est, parque dignitatis locus (quod tuendæ concordiæ in primis est accommodatum) omnibus in Repub. constitutus? Hanc sanctissimam legem, qua tranquillus ciuitatis status continetur, labefactare, atque adeò euellere, quid aliud est, quàm ciuiles discordias, quæ consopitæ videbantur, excitare, ac ciuitatem in antiqua mala redigere? nullus enim ad turbas & seditiones excitandas acrior est stimulus, quàm honoris & dignitatis contentio. Quod eo indignius est illos conari, quòd in hac ordinum æqualitate illi à vobis maximum, vos ab illis nullum beneficium habetis, summo ciuitatis imperio, ac Ducali honore qui vester semper fuit, cum illis, pacis & concordiæ causa, sponte communicato: quæ res in reliquis liberis ciuitatibus magnarum dimicationum ac turbarum semper causa fuit. Indigna hæc per se sunt, ac non ferenda, verùm alia longè atrociora instant; quæ vos non patiar diutiùs ignorare. Ioannes enim Auria, quem isti ducem sibi assumpserunt (cuius viri intolerabilem ne superbiam & arrogantiam, omniumq. hominū contemptum, an immanē cupiditatem & ambitionem priùs detester?) nō contentus principe in ciuitate loco, ad altiora iam tendit, atq. imperio animum adiecit, eiusq. rei, quod mihi compertum est, à Cæsare diploma habet. Verùm quo minus consilium nefarium exequatur, ego ac fratres mei sumus in mora, quos de medio tollere molitur, vt inchoata consilia, nemine obsistēte, ac reliquis cæde nostra perterritis, ad exitum perducat. Mihi igitur præuertendum iuuenes est, ne sedens opprimar. Properemus igitur ad iustas pœnas expectendas ab iis qui mihi animam, vobis libertatem eripere student. Neque in eo consilio cunctandum est, quod antea probandum, ac laudandum, nunc patriæ charitas, & seruitutis periculum, etiam necessarium & pium, faciunt. neque debet quisquam ab eo aut timore deterreri, aut quòd sese in nimis præcipitem casum dare

dare vereatur, retractare: nam, vt omittam, tuta & quieta cõsilia iis quibus secundæ res sunt, apta esse oppressis, ab audacia subsidium petendum; nullum discrimen adimus. Omnia enim, vt in nulla re suspecta, illis sunt soluta & neglecta, nullæ custodiæ, nullæ vigiliæ, nullum in triremibus satis validum præsidium: primaque nunc quies, omnes veluti sepultos tenet. incredibilique nostra facilitate fit, vt necessarium consilium cum pietate, ac summa etiam securitate coniungatur. Illud extremum res me pronũtiare inuitum cogit. Si quis vestrûm tanta sit perfidia, qui me in eo consilio deserat, quod causa in primis vestra sum ingressus, is sciat, meam, & ceterorum quibus septi estis, dextras, in se, veluti proditionis noxium, armatas. Cùm peroraſſet Fliscus, tantæque ac tam subitæ rei stupor omnibus vocem primò inclusisset, simul armatorum circumsistentium horribilis offusa oculis species animos defixisset, præsens pauor, futuri discriminis metum vicit, cùm magis non probare, quàm non sequi consilium, sese posse intelligerẽt; secuturos se igitur quò duxisset, profitentur. Duo tantùm fuêre, qui siue vero, siue simulato timore societatem deprecati sunt, cùm non veriti essent confiteri, sese tractandorum armorum insolentes & imperitos, simul ac gladios eductos viderint, trepidatione sua & fuga, turbandis potius rebus, & imminuendis reliquorum animis, quàm vlli auxilio futuros. Venia data est à Fliſco suam ipsis signa-

Paulus Pansa Fliscum ab incepto dehortatur.

uiam confitentibus, hominesque cubiculo sunt inclusi. Interfuit orationi Paulus Pansa, iam inde à prima ætate in Fliscorum domo educatus; vir grauis, & quietis ingenij. Is mentionem facinoris abominatus, Ne istud, inquit, Deus immortalis sinat permittatque, vt tu nefario ac præcipiti consilio te, fratres, domum, rem, famam, perditum ire properes: atque in lachrimas effusus, Fliscumq; complexus, ac paulum seductum, matreque adhibita, per infelicem senectam suam, per familiaritatis necessitudinem, ac per quæcumque iura homines inter se coniungunt, orare, obtestarique cœpit, ne se perditorum hominum consiliis abduci pateretur; néue impotenti regnandi cupiditate ita raperetur, vt non ad atrocitatem facinoris, atque discriminis magnitudinem, cogitationem conuerteret. An tu, inquit, omnia diuina, & humana iura violare ac perfringere pro nihilo habes? Non horret animus, totam nobilitatem, qua incolumi, consilia tibi procedere nõ possunt, insontem & immerentem ad cædem destinare? Andreæne Auriæ, qui pro multis suis in te meritis, ac paterna beneuolẽtia, parẽtis sanctitatem apud te obtinere debet, quemque longa ætas, perpetuusque tenor vitæ sine noxa in hac vrbe actæ, exemiaque in patriam beneficia, omnibus venerabilem faciunt, tu vnus, qui pro eius salute, siquis illum petat, latus ipse tuum vltrò opponere deberes, inuentus eris, qui mortem per summam crudelitatem offeras? Hánccine maiorum tuorum gloriæ, à qua tantum accipis splendoris, gratiam reddis? Hoc scilicet à te repoſcunt Innocentius quartus, & Hadrianus quintus Pontifices maximi, vt Fliscum nomen, quod illi eximiis virtutibus suis tam clarum relinquere semper studuerunt, tu tanti parricidij macula (suo enim nomine res appellanda est, nec potest verborum pręstigiis facti turpitudo opprimi) fœdares? Age, si nullum ius est tam sanctum, quod non execrabilis dominandi cupiditas violet, quæ tanta te mentis cæcitas tenet, vt incerta & præcipitia, tutis & exploratis anteponas? An non vides, Ioannis Auriæ superbiam, & elatos spiritus, omnibus nimios iam videri, ac liberæ ciuitati in dies grauiores esse? Quid dubitas, si tu contrarium vitæ cursum teneas, moderationisque documenta dando, te illius dissimilem ostendas, quin ciuitatis studia in te paulatim sint inclinatura? tuque, æmulo sublato, qui iis moribus diuturnus esse non potest, summum in ciuitate locum obtenturus sis? summæ sa-

mæ sapientiæ loco semper fuit, alienæ stultitiæ euentum ex tuto opperiri. Quid igitur contendis spes tuas improuida festinatione anteire? atq. eā quæ cum tarda securitate veniunt, cæca cupiditate euertere? turbulenta & præcipitia consilia iis tantùm apta sunt, qui priuatim degeneres domi egentes, omnibus contempti, nullam spem priuatis vulneribus medendi, nisi ex malis publicis habent; quiq. in aduerso consiliorum euentu nihil damni, vel in fama vel in re faciunt ab omnibus iis rebus iampridem destituti. Qua verò spe tam præceps consilium ingrederis? aut quibus opibus subnixus, tantam rem moliris? an animos tibi faciunt pauculi illi ex infima plebe quos tecum habiturum speras? qui egentes, & inermes, tum autem subitis mutabiles, si fortuna vertat, eadem mobilitate qua te secuti fuerint, deserturi sunt, atque etiam oppugnaturi. Exemplo tibi sint innumerabiles aliorum euentus, quàm parum stabilis spes in vulgi fauore collocetur. Popularísne nominis ciues ad te attracturum speras? an tot graues viros tam leui aura mobiles putas, vt ad tuam vocem de tanta re cōsilium sint capturi? ac societatem tecum inituri sint ii, à quibus consilia speraris, vt tanquam pecudes ad tuum nutum circumagi videantur? Documento sint, quid animi viri graues, ac firma ætate habituri sint, pauci isti adolescentes, armis tuis circumsepti, quorū etsi non nulli lætum assensum vultu præferunt, plerique tamen mæsto silentio, quando nulla alia re audent, tuum istud factum haud obscurè improbant. quin potius verisimile est, illos (id quod in eiusmodi rebus vsitatū est) suspicaturos, te libertatem & popularem Remp. prætexendo; cuius auctorem te ex nobilium corpore meritò suspectum habebunt, dominationem tibi, & ipsis seruitium moliri? Dubitas igitur, quin hic metus quamuis dissidentes inter se nobilium & popularium animos sit coniuncturus? ac quin illi sociatis consiliis, arma aduersus communi libertati insidiantem versuri sint? Pergebat Pansa preces consiliis miscens, hominem à prauo incepto reuocare; cùm Verrina, quem ad explorandum ciuitatis statum missum diximus, superuenit, seque omnia loca adiisse, omniaq. diligenter perlustrasse, renuntiat; omnia tranquilla & quieta esse, & ipsorum conatibus opportuna; tum præterea triremem paratam, atque omnia composita: non igitur iam esse cunctandum. Quare Fliscus, responso dato, in eum se locum progressum, vt nullus iam sit regressus, aut pœnitentiæ locus, Pansam gementem, ac fati iniquitatem hominumq. scelus accusantem, relinquit, ac de omnium cōsilio munera in hunc modum partitur: triremis præfecto imperat, vt cum triremi ad angustas interioris portus fauces, in quo triremes Auriæ erant in hibernis, obsidendas proficiscatur. Othobonum fratrem mittit cum armatis ad portam diui Thomæ occupandam: qua occupata, ad ædes Andreæ accedat (eæ sunt propè à porta extra vrbem sitæ) ibique ipsum, & Ioannem obtruncent: Cornelium, alterum fratrem, nonnullis armatis attributis, mittit, qui portam diui Stephani occupet: Thomam Asseretum cum delecta manu iuuentutis mittit, qui cum celoce in interiorem portum penetret; eoque occupato, portam sibi patefaciat: ipse cum Verrina, & Hieronymo fratre, iuuenibusq. conuocatis, ac reliqua suorum manu (erant autem ad centum quinquaginta) terrestri itinere ad eundem interiorē portum contendit; in quē, porta ab Assereto iam refracta, cum suis ingreditur. Operæ pretium est considerare, quàm incerti, ac parum explorati sint coniurationum exitus, quàm leuibus causis magnarum rerum momenta vertantur, quamque paruæ res ingentes consiliorum, summoque astu ductorum, spes euertant. Nam Fliscus ad prætoriam triremem accedens, tabulam quæ puppi superiecta, ac ripam attingens, vsum pontis triremem adeuntibus præbebat, conscendit: quæ

Mors Ludouici Flisci.

cùm per se minùs stabilis, nullis retinaculis circũligata, tum triremis iactatione, quam remigum tumultus, vt in tam improuisa re necessariò excitatus, faciebat, vacillans, ab altera parte collapsa, in mare decidit, omnesque superstantes ruina sua secum traxit. In quibus Fliscus à nemine suorum, vt in obscura nocte conspectus, grauitate armorum ad ima depressus, cùm neq. ipse per se conniti posset, neque à quoquam suorum, casum hominis ignorantium, subleuaretur, periit. Ita pestis, quam in alios machinabatur Fliscus, in illum collata. Qui ad portas occupandas missi erant, rem facilè custodibus semisomnibus, partim obtrũcatis, partim captis, confecêre. Clamor & strepitus in interiore portu excitatus ab Andrea, & Ioanne ex domo prope littus sita, in noctis silentio exauditus, Ioannem exciuit, qui vt quid nam esset, cognosceret, inermis, cum duobus comitibus ac vestitu domestico, domo prosilijt, atq. ad portum accurrens, cùm ad portam vrbis peruenisset, atque vt illam aperiret, minaciter clamaret, Fliſci cognita voce, læti fores patefaciunt, Ioannemque ingredientem circumsistentes, cum pluribus hastilium ictibus confodiunt. ductaque deinde temporum ratione, pro certo compertum est, eodem temporis puncto quo Fliscus periit, Auriam interfectum. ita duorum iuuenum præferocia ingenia, ex quorum dissidentibus studiis ac contentionibus magnos motus, magnasque turbas in futurum ciuitati imminere nemini dubium esset, eodem horæ momento fatum sustulit. Qui Ioannem confecerunt, ab Andrea petendo ad cogitationem admissi facinoris, mente pauliſper auersa, spatium Andreæ dedêre, vt, Ioannis casu audito, in equum à suis sublatus, cùm ipse infirma valetudine per se conscendere non posset, fuga salutem peteret. At iuuenes qui erant in interiore portu, triremibus in potestatem redactis, alius alium percunctantes, quidnam Fliſco factum esset, qui nusquam appareret: ea re perculsi, non tamen deserunt se, sed Othobono à Ioannis cæde reuerso, custode triremibus relicto, ipsi Hieronymum secum ducentes, vt fuerat compositum, tota vrbe discurrentes, ciues ad arma concitare, ac populare imperium conclamare incipiunt. Ad quam vocem cùm plerique ex multitudine sese hominibus adiungerent; nullus tamẽ fuit, ex popularium optimatibus qui se commoueret, partim quòd à tumultuariis consiliis abhorrerent, partim quòd Fliſcum, hominẽ à populari causa, si minus simulata in præsentia voluntate, natura certè dissidentem, popularis status auctorem non probabant. Omnes verò, ad tantæ rei societatem consilio secum non communicato, neque diu antè concocto, subita voce tanquam pecudes rapi, suæ dignitatis esse non putabant. Interea Gemetius Suarius Figueroa Cæsaris orator, trepido nuntio excito, ac re subita perculsus, inter manendi & vrbe excedendi consilia, incertus animi, fluctuabat. Ceterùm hominem retinuit Paulus Lazania. Is vir erat magnæ inter populares auctoritatis & gratiæ, tenuiorumq. animos mira beneuolẽtia comprehensos tenebat, vt maxima illorum pars ad eius nutus consurrectura esset, seque in omnia consilia cum illo cõsociatura. Is igitur, cùm ceteri ciues improuiso terrore obtorpuissent, vnus se non deseruerat, sed valida clientum manu corrogata, ita se comparauerat, vt ex Fliscorum euentibus consilia caperet. Cùm igitur ad Figueroam vocatus venisset, bono animo hominem esse iubet; sese enim firmo armatorum præsidio septurum, inuiolatumque seruaturum. interea quo Fliscorũ motus euadat, totam noctem expectandum dicit. qui si inanes fuerint, nihil porrò tentandum: sin res illa succedere, aliquaque in illorum causam fieri inclinatio cœperit; enimuerò se cum Spinula familia, opibus ac numero præpotenti, coniunctum, firmissimoque iuuenum globo stipatum, tota vrbe discursurum; Adurniorumque nomine subiecto,

Ioannis Andreæ Auriæ interitus ac cædes.

Princeps Auria sibi fuga salutem parit.

Pauli Lazaniæ constantia & virtus.

iecto, Barnabaque Adurnio, qui haud longè absit, interea accersito, ac Duce, ex veteri more, proclamato, haud dubiè maiores ad se concursus facturum, maioremque popularium ciuium ac plebis partem, Adurnio nomine attractam, se ad ipsum applicaturam: quin & illos ipsos qui Fliscos secuti fuerint, illis desertis ad Adurniorum partes, quas intimis sensibus colant, cum reliquis transituros. Qua ratione & auctoritate Lazaniæ confirmatus Figueroa, omni abeundi consilio planè abiecto, euētum spectare constituit. At iuuenes, cùm lux appropinquaret, neque quemquam ex primoribus, affinibus, & cognatis suis secum trahere potuissent, multitudine quoque spe frustrata ab ipsis dilabi incipiente, Fliſco, cuius ductu & impulsu rem essent ingressi, & Verrina, qui rebus diffidens, in triremem se receperat, nusquam apparentibus, animis debilitati consilium sibi quisque capere cœperunt: atque alij in priuatas domos, alij in eandem triremē sese recipiunt, Hieronymo cum extenuata hominum manu relicto, qui inops consilij, vrbe discurrens, conscius intermortuas voces iactabat. Interea summus Magistratus, qui tumultus initio nullo satis firmo præsidio contra tantum motum munitus, tanto circūfuso pauore obtorpuerat, cùm nonnulli ex optimatibus in ædes publicas subinde conuenire cœpissent, animos colligere cœperat, ac leniter potius rē ducere, quàm aperta vi agere, tutius ratus, quatuor ex principib. ad Hieronymū ad res cōponendas mittit, quos ille obuios factos cōtumaci respōso, vt erat stolidè ferox, à se dimittit. Sed paulò pòst desperatis tandē rebus, ad portā diui Stephani cū paucis reliquiis, à Thoma Assereto nunquā desertus, sese recipit. ibi de cōditionibus cum Magistratu agi cœptum. Nicolaoq. Auria affine, internuntio vltrò citroque cōcursante, res ita conuenit: Discederent Fliſci ab armis, vrbe excederent, ciuitatem tumultu liberam relinquerent: id si feciſſent, Magistratum illis & consortibus culpam condonare. Quo decreto per scribam recitato, vrbe excedunt, atque in arcem Montobium, quæ ab vrbe decem circiter millium passuum distat interuallo, cum suis concedunt. Ita magni Fliscorum motus eodem die excitati & compressi sunt. Vrbe tumultu liberata, Magistratus quid facto opus sit, deliberat: cumque iurisconsulti respondissent, non impediri Magistratum decreto & fide, non tam voluntate data, quàm necessitate expressa, quominùs sibi in Fliscos & socios animaduertere liceat, cùm aliquamdiu sententiis variatum esset, tandem tantæ impunitatis exemplum magnam similia admittendi illecebram esse censentes, ad seueritatem versi, bona Fliscorum publicant, ædes ad diuæ Inuiolatæ amplas & præclaras complanant, ipsos, & Verrinam auctores, & capita seditionis, perduellionis damnant; reliquos consiliorum participes nominatim quinquaginta annorum exilio mulctant; exercituque ad arcem Montobium oppugnandam misso, duce Augustino Spinula, additis Dominico Franco, & Dominico Auria procuratoribus, complurium dierū oppugnatione, Hieronymum ad deditionem subigunt, capitis ac rerum suarum summo Magistratui libera potestate permissa. Quæ res magnas Genuæ præbuit contentiones, magnosq. animorum motus excitauit. Ac res ingentibus verborum & sententiarum certaminibus, complures dies extracta est, cùm non paucorum studia pro Fliscis quoque exarsissent. Ii mitioris sententiæ auctores esse, neque ad extremum sæuiendum dicere; satis pœnarum Fliscos dedisse omnibus bonis, ac peramplis, & optimis ditionibus euersos, ædibus & arce Montobio complanata. Ac si quis rem verè æstimare velit; quid tandem Hieronymum & Ottobonum commeritos, vt iis tam implacabiliter succenseatur? Miseros adolescentes omnium rerum ignaros, ne consilij quidē participes factos, improuisò deprehensos, nullo ad cogitandum

Conditiones inter Magistratum & Fliscos.

Bona Fliscorū publicantur.

Hieronymus Fliscus deditionem facit.

ſpatio temporis dato, ad lanienam à violento fratre raptos: ad illius nutus miſerorum inſcitiam circumactam. Igitur habuiſſe meritam pœnam noxium caput: ipſos extra noxam exiſtimandos. Neque ſe ea re quam in primis iactari audiant, magnoperè moueri, poſteritatis exemplo, vt reliqui videlicet atrocitate ſupplicij à talibus cogitandis deterreantur. Nam & noſtra, & omnium ſæculorum memoria, maleficia ſemper acerbiſſimè punita, quotidieque in omnibus vrbibus latrones, ſicarios, fures, ac reliquos maleficos homines capitali ſupplicio affici; quorum tamen ſuppliciorum exemplo aut metu, homines ab iiſdem facinoribus admittendis haudquaquam deterreri. Quod in maieſtatis crimine eo minùs ſperandum, quo præmiorum amplitudo acrioribus ſtimulis homines ad illud impellit. Ac ne illud quidem perpetuum eſſe, vt in maieſtatis & perduellionis crimine nullus ſit miſericordiæ locus; id enim, vt innumerabilia alia exempla omittantur, refelli Caroli quinti Cæſaris ſapientiſſimi Principis exemplo & auctoritate, qui Saxonem bello victum, & in acie captum, morte multandum non duxerit; ſatiſque habuerit hominem imperiali edicto, & exilio maieſtatis damnatum, quique totam Germaniam in Cæſarem, dominum ſuum, excitarit, iure ſuffragij in Cæſare creando, & ditionibus auitis multare. Contrà alij mirari ſe vehementer dicere, vnde hic mos nunc primùm inducatur, voluntates non facta exquirendi. Quod ſi ſuſcipiatur, nullum iam fore legum aut iudiciorum vſum, quòd nemo tam hebes ingenio futurus ſit, qui neſciat facta à voluntate ſeiungere, & ſe aut errore, aut inſcitia lapſum, aut extrema neceſſitate adactum, proponere, aut infinitis aliis calumniis facinus tegere. Qua voluntate Fliſci vſi ſint, neque ſe, nec quemquam omninò mortalium diuinare, paruam fuiſſe, quæ ſecuta ſunt facta, iudicare, ea ſpectanda ac ſuis momentis ponderanda. Qui poſt Ioannis cædem fratre etiam mortuo, à quo adacti excuſentur, incepta non omiſerint, ſed portas, triremes, ac reliqua occupata retinuerint, totaque vrbe diſcurrentes, plebem ad arma vocarint, & in Magiſtratum incitarint, ſibique tanquam dominis, ædibus publicis à Magiſtratu cedi poſtularint. Auertiſſe Deum immortalem nefaria conſilia, ac Magiſtratui punienda reliquiſſe. Quàm verò eſſe compar Saxonis & Fliſcorum factum! illum magnitudine animi inductum, nullum ſcelus concepiſſe, non de cæde principum aut de vllo maleficio cogitaſſe, ſed conſpirationi maximæ Germaniæ partis, in libertate illius prouinciæ defendenda, quam à Cæſare imminui præ ſe ferrent; ac ne ad deteſtãdam ipſis religionem ſuſcipiendam cogerentur, ducem ſe non ſubtraxiſſe, diuino numini cordi fuiſſe, vt inde victoria eſſet, vnde ius ſtabat. Non igitur Cæſarem tam ipſum Saxonem ſpectaſſe in illo incolumi ſeruando, quàm totius Germaniæ conſenſum: haud dubium, quin ſiin illum animaduertiſſet, omnium tam ciuitatum quàm principum eius prouinciæ odia in ſe fuiſſet irritaturus. Fliſcos verò, quam tãdem iniuriam quémve metum tam atroci facinori prætexere? illi ne impunè ferant, vt regni inuadendi, patriæque libertatis oppr̃imendæ cauſa, omnes bonos ad cædem deſtinarint? tum verò maius propè flagitium factum iri à Magiſtratu in tantis parricidiis impunitis relinquendis, quàm ab ipſis Fliſcis in illis ſuſcipiendis factum ſit? Vicit tandem melior, & frequentior pars, Andrea adnitente, ac grauiſſimas iniurias pro iuſto bello perſequente; decretumque eſt de Hieronymo, & conſortibus, capitale ſupplicium ſumendum. Ex eo decreto in ipſa arce Hieronymus, & Verrina ſecuri percuſſi, reliqui inferioris ſortis ſuſpendio necati, ipſaque arx quæ turbulentorum hominum receptaculum ſæpè fuiſſet, ac quieti ciuitatis immineret, ſolo æquata. Hactenus Folieta. Hinc autem cuiuis planum atque perſpicuum eſt, vt ea

In Hieronymũ Fliſcum, Verrinam cæteróſque complices animaduerſio.

vt ea familia, quæ antea amicis opulentia, splendoreque, & auctoritate, in vrbe multum diuque florentissima enituit, quasi momento temporis, nec absque insigni humanarum rerum documento, ad imum felicitatis gradum sit delapsa & deiecta. Ea res, quòd irrita vanaque cecidisset, non parum credita est eorũ Principum animos vexasse, qui res Italicas turbare, animumque Cæsaris à Germanica victoria reuocare conabantur, cùm omnia suorum consiliorum fundamenta corruisse prospicerent. Neque enim classis, quæ Massilia Neapolim Fliſco duce appellere statuerat, iter cepit, ipsique Neapolitani, quorum tumultus atque seditio nondum erat sedata, omni spe auxiliorum destituti, simularunt, se nunquã defectionis suscepisse consilia, sed quæsitionem tantùm renuisse. Cæsar quidem, percepto successu rerum Genuensium, visus est grauiter tulisse mortem Ioannis Auriæ, quarum Pontificem & Gallorum regem auctores ratus, consultoremque Petrum Aloysium Farnesium Pontificis filium, indignationem in magis opportunum tempus dissimulauit. neq. enim ratio præsentium bellorum postulabat, aut patiebatur, vt eodem tempore bellum etiam in Italia aduersus potentissimas nationes, tunc præsertim non necessarium, excitaret. Cœpit tamen in animo clam secum excogitare, quo pacto eas iniurias vtiliter vlcisci posset: quod sanè consilium sæpius cum Principe Auria & Ferdinando Gonzaga per literas communicauit: quorum sanè consilio, ratio inuenta est & acceptas iniurias vlciscendi, & hostium conatus atque consilia infringendi.

LIBER XXIII.

PROXIMVS annus Petri Aloysij Farnesij, Parmæ ac Placentiæ Ducis cæde, Sigismundi Sarmatarum regis interitu, Burdegala seditione, ac etiam atrocissimo bello inter Scotos atque Anglos, penes quos victoria stetit, exorto, quàm maximè insignitus fuit. Idem quoque Ducem Mauritium, nouum Saxonię creatum Electorem, Augustæ sollemni pompa à Cæsare eodẽ die qui & ipsi Cæsari natalis extiterat, inauguratum conspexit. Cùm verò paucis antè mensibus Maximilianus Austriacus, qui postmodum à septemuiris proceribus Cæsar renuntiatus fuerat, in Hispaniam profectus esset, vt Mariam Imperatoris Caroli filiam sibi anteà desponsatam, in matrimonium duceret, Philippus eius filius, Hispaniarum rex, tunc XXI. annorum iuuenis, à patre euocatus, ad iter sese comparauit: & relicto ibi patruele sororio, qui per suam absentiam Reipub. præesset, cùm ventis vela dedisset, septimo Cal. Decembr. cum triremibus quinquaginta totidemque ferè nauibus onerariis, Andrea Auria, qui Maximilianum transportauerat, ductore, Genuam appulit, magna comitatus procerum turba, & inhis, Albano duce, & Cardinali Tridentino, Genuam peruenit: ad cuius quidem, & vniuersæ classis appulsum, quàm plurima tormenta displosa. Princeps super tumultuarium pontem aulæis constratum, descensionem fecit, & primis aliquot diebus, extra muros commoratus est in ædibus Auriæ præfecti classis, dum interim & naues exonerantur, & apparatus in vrbe perficitur, vbi, præter cetera, multæ triumphales testudines & arcus summa operum præstantia & artificio erecti fuerant. Altera die Decembris vrbem ingressus, à Duce ac Senatu, regia magnificentia in publico palatio exceptus fuit. Per id tempus, omnium Principum, liberarumque ciuitatum legationes Italiæ gratulatum pro

1548. *Petri Aloysij cædes. Sigismundi Pol. regis obitus. Bellum inter Anglos & Scotos. D. Mauritij inauguratio. Philippi regis aduentus Genuam.*

felici eius aduentu Genuæ conuenerunt. Verumenimuerò dum Princeps in palatio moratur, parum abfuit, quin fortuna vniuerſam lætitiam in maximam clademconuerteret. Nam cùm fortè ciuis quidam cæſus fuiſſet ab Hiſpanis, nuntiatur Minciaccæ magnam ſeditionem inter Hiſpanos & Genuēſes exortam eſſe. Cùm eò deuentum eſſet, apparent multi ciues armati, qui intra domum quandam ad quinquaginta Hiſpanos obſidebāt, adeò vt ad octauum Idus Decembris, leuiſſima, vel potius nulla de cauſa, officinæ clauſæ, tumultus excitatus, & paſſim ad arma concurſum; exortæque ſeditionis cauſa prorſus incognita, ingens omnium fieret perturbatio. Hiſpani, re percepta, confeſtim ſeſe ad claſſem recipiunt, & arma parant, cùm nemo eorum, vti diximus, cauſam tumultus cognouiſſet: quæ ſola hæc fuit, quòd videlicet Antonius Arzeus captus fuerat, qui cùm propter hæreditatem inſignium facultatum, puerum immerſiſſet in fontem ſui horti, nepotem octo annorum, è carcere Pintiæ femineo habitu indutus, aufugerat, & deinde iuſſu Principis captus fuerat à Minciacca, & in latio Senatus in carcere ad ipſius Principis nutū aſſeruatus. Is cū iuſſus eſſet tradi Bernardino Mendocio ſummo Hiſpaniarum triremium duci, vt Pintiam reuectus, pœnas daret ſuorum ſcelerum; neceſſe fuit Minciaccæ cum nonnullis Hiſpanis ſclopetariis ad prętorium accedere, ad captiuum abducendum. At Senatus cuſtodiæ, viſis Hiſpanis ſclopetariis, cognita cauſa aduentus, primas portas aperiunt. Sed poſtquam ad ſecundas cuſtodias ventum eſt, qui erant ducenti armati, & totidem ſclopetarij, perpetua eius Senatus ſtipendia merentes, indignati, Hiſpanos auſos eſſe armatos eò ingredi, demiſſis ſariſſis, in hos impetum faciunt; primæ cuſtodiæ, quæ cauſam aduentus perceperant, medium capiunt Minciacam, eumque protegunt, ita vt eius auctoritate & eloquentia res placata ſit, nonnullis Senatoribus Minciaccæ fauentibus. Hic itaque, duobus Hiſpanis cæſis, rebuſque tandem compoſitis, captiuum cum nouis Senatus cuſtodiis abducit. Tum Senatus apud Principem ſe excuſauit, quòd is tumultus non ex auctoritate conſilioque Senatus, ſed ex populi inſcitia excitatus eſſet; ideoque venia facilè impetratur. Princeps interim vbi Genuæ ad quindecim dies inter multa ſollēnia, & clariſſimæ opulentiſſimæque ciuitatis blanditias commoratus eſſet, ac Senatus regiam in ſe liberalitatem & magnificentiam ſibi iucundam fuiſſe, non ſine gratiarum actione, ac beneuoli animi & egregiæ voluntatis teſtimonio, declaraſſet, pecunia, ac rebus aliis ad terreſtrem profectionem neceſſariis & idoneis cohonestatus, Genua diſceſſit, & per Alexandriam & Ticinum facto itinere, Mediolanum conceſſit, vbique gentium ab omnibus ciuitatibus ac Principibus exquiſitiſſimis honoribus acceptus. At Mediolani quantus regius ſplendor & apparatus propter eius aduentum ac præſentiam extiterit, haud ſanè paucis verbis, mihi præſertim intento calamo ad reliqua properāti, exprimi ac enarrari poſſet. Quantis itidem honoribus, quantoque regio apparatu, ſplendore ac magnificentia cum in ipſa vrbe Mediolanenſi, tum etiam Mantuæ, Tridenti, Inutrij, Augustæ, & paſſim in omnibus locis quà ipſi tranſitus erat, donec tandem per Lucemburgicum agrum Bruxellas pridiè Calend. Aprilis peruenit, exceptus fuerit, ſimulque quot proceres, Principes ac Principum legatos, ſibi, honoris atque obſequij ergò, ſubinde obuiam habuerit, haud ſanè paucis verbis declarari poſſet; & mihi, in tanta temporis anguſtia, planè arduum ac difficile: atque idcircò ab his commemorandis nunc prudens ſcienſq. ſuperſedeo. Huic aduentanti Cæſar obuiam miſit inſignem equitatum in Germaniam vſque ductore Arеſcoto Principe. Dux Mauritius Elector, obuiam ei profectus, Tridentum vſque,

Tumultus Genuæ exortus.

Philippus rex Mediolanū, indeq; in Belgium proficiſcitur.

que, Mantuam & Venetias, visendi causa, paruo cum equitatu excurrit, & à Senatu summis honoribus habitus atque exceptus fuit. Inter hæc, subsecutus est annus vndequinquagesimus, in quo itidem pleraque memoratu digna variis in locis contigerunt, ex quibus paucula quædam insigniora annotabuntur. & in Gallia quidem, mense Iunio Catharina Medicea ad fanum Dionysij ritu Gallicano & sollemnibus cærimonijs coronata inauguratáque est. Quæ res curiosis ingeniis, omnium rerum initia & semina solicitè scrutantibus, haud mediocrem admirationem peperit. Stupescebant enim cogitando, Mediceam familiam à priuata fortuna, repentè in eam publicam celsitudinem progressam esse. Ex ea ortos duos Pont. Rom. Leonem x. & Clementem vii. Penes eam esse Etruriæ dominatum. Denique hanc ipsam Catharinam ad suprema Gallici regni fastigia euectã esse. Nec multò pòst, Rex Lutetiam triumphali planeque regia pompa ingressus, honorificentissimeque à Parisiensi populo exceptus est: quem biduo pòst, regina eôdem est consecuta: vbi nulla opum aut luxus ostentatio omissa est. Ceterùm Anglia hoc tempore diuersis seditionum tempestatibus diuexata. Siquidem is, quem diximus, regis auunculus & regni protector, Eduardus Somersetus, fratrẽ habebat germanum, regiæ classis præfectum, quem vulgò Amiralium vocant, de quo suspicionem concepit, aut sibi persuaderi passus est, quasi regnum affectaret, ac regem in suam potestatem redigere vellet. Itaq. illum comprehendi iubet, & habita quæstione, capitis damnatur; ac decimo tertio Cal. Aprilis securi percutitur. Habebat in matrimonio regis Henrici viduam vxorem, Catharinam Parram, idque suspicionem nonnihil etiam auxit. Sed muliebris æmulatio atque inuidia plurimum sanè huc attulisse momenti existimatum est. Verùm enimuerò, breui temporis spatio interposito, per ipsam Angliam fuit orta duplici nomine seditio, popularis vna, propter rem agrariam. Querebantur enim vulgò, nobilitatem occupasse magnam agrorum partem, qui promiscuæ multitudinis antea fuissent, & ad ferarum saltus accommodasse priuatos. Altera per Deuoniam, in qua idem petebant: sed in primis offensi mutatione religionis, vrgebant sibi restitui sex regis Henrici de religione decreta, paulò ante ipsius obitum promulgata. Proinde cùm ad arma concurrerent, & magni res esset periculi, nec admonitionibus vllus locus relinqueretur, rex & consiliarij, licet inuitissimis animis, copias in illos emittunt, & millibus aliquot trucidatis, diuersis locis profligant. Horum dissidiorum occasione Henricus Galliarum rex, qui iampridem inhiabat amissæ Boloniæ, haud parum incitatus, pactionibus paternis rescissis, continuò Bolonienſem ditionem, partim vi, partim deditione, & inter cetera, Ambletulam ac Montem Lamberti, duas stationes Boloniæ finitimas, recepit. Statimque instructissimam classem, duce Decio, in Scotiam, vt ab illa quoque parte hostis vrgeretur, cum valido exercitu, quibus exercitatissimi viri P. Strozza, Dandolotus, & Reingrauius præfecti erant, transmisit. Hi simulatque in Scotorum castra peruenerunt, post non exiguos progressus, insigni prælio ad Edintonã Britannos vicerunt. Hanc rerum conuersionem Angliæ proceres quàm ægerrimè tulerunt. & quia summam rerum, sicuti anteà demonstrauimus, Protector, ipsius regis auunculus, obtinebat, in ipsum deriuata fuit omnis culpa, eius præcipuè cladis, quam in agro Bolonienſi nuper acceperant, quòd videlicet ea loca minimè, vti par erat, rebus necessarijs præmuniuisset; adeò, vt criminatione atque inuidia indies magis atque magis augescente, initio mensis Oct. de communi omnium procerum consensu, Vindeforæ captus, vbi tum rex erat, Londinum in carcerem abduceretur. His peractis, Proceres ipsi populo causas recitant, &

1549.

Catharina Medicea inaugurata.

Rex Gall. Lutetiam proficiscitur.

Tumultus ac seditio in Anglia.

Anglorum clades in Scotia.

malè administratæ Reip. accusant, & scriptum eius rei typis excusum euulgant, eiq́ue nomen quisque suum, testimonij loco subiungunt. in his erat facilè primus Comes Beruicensis. Verùm is circa mensem Februarium anni subsequentis è carcere liberatus fuit, cùm id regi pergratum esse viderent consiliarij. Et quoniam Beruicensis Comitis impulsu potissimùm captus fuerat, inita fuit hæc ratio, vt per affinitatem inter eos redintegraretur amicitia. Protectoris itaque filiam Comitis Beruicensis filius in matrimonium ducit: deinde Beruicensis à rege donatus est Ducatu Northumbriæ. sed non fuit diuturna necessitudo. Siquidem anno eiusdem æui quinquagesimo primo, æstate iam præcipitata, denuò captus fuit, & cum eo Pagetus, Græius, Stanopus, & alij quidam. Erat tunc summa rerum penes ipsum Northumbriæ Ducem. Cur caperetur, causam fuisse aferunt, quòd Northumbrius illum vitæ suæ insidiatum esse diceret. Siquidem hoc, lege nuper lata, capitale ipsis erat; eoq́ue factum est, vt tandem mense Februario proximè subsecuti anni, Iudicum sententia damnatus, capite, haud sine manifesto fortunæ documẽto, & humanarum rerum inconstantia, plexus fuerit. Eodem ferè tempore quo superiùs à me commemorata gerebantur, Solymanum Turcarum imperatorem non solùm externæ curæ, sed etiam intimę solicitudines mirum in modum diuexabant. Nam Baiazetus eius primogenitus, ægrè ferens, quòd Solymanus in liberos alterius vxoris propensior videretur, quos etiam ad successionem imperij prælaturus existimabatur, odio patris ad Thammasum Persarum regem confugit: cuius copiis adiutus, paternum imperium hostiliter inuadit, pecora abigit, homines trucidat, villas ac vrbes concremat, regionem ad multa millia passuum populatur, omniaq́ue obuia ferro & igni demolitur. Solymanus, vt sunt ingentia & propè incredibilia odia, maximeq́ue atrocia inter coniunctissimos, tantas filij iniurias ægerrimè ferens, protinus milites ad signa euocauit, & circiter quingentis armatorum millibus collectis, Persarum copiis obuiam processit; quas, commisso vix prœlio, in fugam vertit. At enim cùm Persæ omnia circumiacentia loca incendiis deformassent, Solymanus ob rerum omnium necessariarum inopiam per desertam populataṁq. regionem iter faciens, centum & amplius suorum millibus desideratis, negotio infecto redire coactus est. Neque tamen cessauit indignatio & vltionis libido in filium, quippe cùm illud auro & largitionibus expugnare tentauerit, quod vi & ferro non poterat. Proinde pluribus magnificentissimisq́ue muneribus ad Persarum regem missis, non solùm pacem & amicitiam atq. indutias cum ipso rege assequitur, sed etiam vt filius clàm de medio tollatur. Iisdem fermè diebus, per Africam haud mediocres motus concitati. Nam Zeriphius quidam, à paruis, vt aiunt, initiis auctus, & regnum adeptus, vicinum regem Ecsanum finibus expulit, qui pòst ad Cæsarem venit Augustam, de sua fortuna conquerens, atque opem implorans. At Romæ Paulus tertius Romanus Pontifex, cùm iam secundum annum pòst octauum ageret, in grauem morbum incidit, & tertio die ab eius ægritudine ad quartum Idus Nouembris naturæ concessit. Hoc breui tempore, quo ægrotauit, conuocatis Patribus, ab ipsis impetrauit, ve Parmæ possessio Octauio nepoti cõcederetur, tres nouos Præsules creauit, & farinæ portorium Romanis sustulit. Huius sanè prudentissimi Antistitis desiderium Romani omnes ciues lachrymis & lamentationibus significarũt, cùm pater communis vniuersæ Italiæ, nedum vrbis Romæ, mortuus esse videretur; quamuis tributis & vectigalibus magis omnibus superioribus Pontificibus Romam & ditionem Ecclesiasticam oppressérat. Fuit Pontifex annos quindecim & nonnullos menses, vir & priuatim, & publicè per vni-

Somèr setus securi percussus.

Baiazetus paternum regnũ demolitur.

Solymanus filium insequitur vsque ad necem.

Motus in Africa.

Pauli tertij Pont. obitus.

vniuersam vitam eruditorum hominum amantissimus. Post eius obitum, dissidentibus inter se & variè contendẽtibus Purpuratis, fuit interregnum ad sextum vsque Idus Februarij subsequentis anni, quo tandem præter omnium spem de communi Patrum consensu Iulius tertius, qui antea Ioannes Maria Montanus dicebatur, successor creatur. In hæc tempora incidit mors Margaretæ Valesiæ, Nauarræ reginæ, Francisci regis sororis, quæ duodecimo Cal. Ian. pensum vitæ absoluit: heroina præter sexum apprimè literata, & omni virtutum genere conspicua, cuius corpori Lutetiæ in templo D. Virginis iusta sollemni pompa fuerũt persoluta. Obiit etiam iisdem fermè temporibus, Ticini Andreas Alciatus clarissimus Iurisconsultus, eximium totius Italiæ, adeoque sui sæculi ornamentum. Ineunte vere, Antonius Guidotus patricius Florentinus, vir excellenti consilio ac virtute, legatus ex Anglia, partim externis bellis, partim intestinis ciuilibusque motibus afflicta & exagitata, in Galliam traijciens, pacem his conditionibus impetrauit, vt Anglis Boloniam, eiusque ditionem, totos ferè sex annos occupatam, restituentibus, Galli quadringenta nummûm aureorum millia duabus vicibus, siue pensionibus, vt vocant, persoluerent. Rex Henricus Anglo adhuc puero filiarum vnam desponderet, & coniugium, cùm primùm ætas vtrique cõnubio habilis esset, ratum fieret. His pacis conditionibus etiam Scoti comprehenderentur. Ad eam concordiam stabiliendam firmandamque, Reges se equestri dignitate honorarunt, Angluque ab Henrico conchyliatum torquem D. Michaëlis imagine conspicuum, Henricus ab Eduardo Anglo equestrem fibulatamque periscelidem accepit. Iisdem fermè diebus, Dragutus, qui in Barbarussæ locum successerat, post multa Christianis damna illata, Aphrodisium, vrbem celebrem & munitam, vulgò Africam, à Mauritanis Mahadiam vocatam, in prominente maris dorso, quod in mare mediterraneum portenditur, occupauit: qua victoria elatus, se protinus Dynastam appellari voluit. eiusque vires ac potẽtia tunc haud dubiè in immẽsum excreuissent, nisi à Cæsarianis, & in primis quidem à Principe Auria, fuisset repressus. Is enim, vbi primùm de hac re nuntium allatum est, maxima celeritate Cæsaris iussu viginti triremium classem instruxit, omnibusq. rebus ad nauigationem præparatis, ex Genuensi portu eam deduxit, & Spediam delatus, euocatos milites ibi præstò habuit: quibus triremes conscendere iussis, nono Cal. Maij illinc profectus, tribusque ad Liburnum Tusciæ portum adiunctis triremibus Cosmi Medicis Florentinorum Principis, & quatuor Iulij tertij, quem recens ad Pontificatũ euectum fuisse ostendimus, Neapolim pridie Non. peruenit. Ibi Garzias Toletanus Petri proregis Neapolis filius, & Antonius Auria, viri pacis bellique artibus longè clarissimi, vnà cum Neapolitana classe, quæ Cæsaris stipendiis merebat, se illi adiungunt, octingentis Hispanorum in tredecim triremes impositis. Auria Neapoli biduum commoratus, Panhormum septimo Idus Maij appulit, auctoque triremium numero decem Siculis, & quatuor religionis Melitensis, cùm intelligeret, Dragutum re frumentaria & commeatibus premi, eò cursum dirigere statuit, quò ratione etiam cogente, ipsum recurrere erat necesse. Itaque Panhormo soluens, quinquaginta quatuor triremium instructissima classe maria circuit, nihil intactum, quò ipsis hostibus occurrat, relinquit. Hinc in Mauritaniam transiens, oramque Africæ præterlegens, perspecto Aphrodisij situ, in Monasterium, quod ab eo millia passuum quinque abest, renauigat. quod quidem oppidum firmissimo Turcarum & Maurorum præsidio tenebatur. Eò cùm Cæsariana classis appulisset, & Turcæ nostros aquatione prohiberent, Auria & Toletus expositis militibus Monasterium oppugnare

Margaretæ Valesiæ mors.

1550.

Pax inter Anglos & Gallos.

Aphrodisiũ à Dragũto captum.

Auriæ expẽditio aduersus Dragũtum.

incẽ-

inceperunt, atque ſtrenuè ſe defendentibus Turcis, tormenta educi, muros quati, ac irruptiones fieri iuſſerunt: acriter vtrimque pugnatum eſt, quoad Hiſpanorum impetum oppidanis non ferentibus, oppidum captum eſt, & militibus prædæ ac direptioni datũ. Cæſi ſunt ex hoſte circiter trecenti, capti mille & ducenti; ex noſtris, centum quinquaginta partim interfecti, partim vulnerati. Hoc detrimentum noſtris illatum eſt, quòd ab initio oppugnationem parui duxerant, tormentaque expediri neglexerant, ex quibus aliquot diruptis, magnum incommodum acceptum eſt, & nonnullæ triremes afflictæ, ac primaria Caroli Aragonij Terræ nouæ Marchionis depreſſa, nihilque ex ea, præter remiges & tormenta, reliqui factum. Capto Monaſterio, Auria Aphrodiſium oppugnare conſtituit, cùm præſertim Ferdinandus rex Siciliæ, cum ſeptem ac viginti triremibus, quibus vehebantur xv. cohortes Hiſpanorum, Aphrodiſium tertio Cal. Iulij peruenisſet. Proinde inter omnes cõuênit, vt poſtridie eius diei Vega milites in terram exponeret, duplicique acie inſtructa, in Monaſterium oppidum contenderet, locumque caſtris idoneum deligeret. Inſequenti die milites caſtra munire, vallo foſſaque cingere, frumentum, commeatus, tormentaque & impedimenta ipſa, omnemque bellicum apparatum ex triremibus educere magno ſtudio procurãt; ac triduum in ea re conſumptum. Deinde ſummis viribus ciuitas mari terraque obſeſſa & oppugnata, eo quidem exitu, vt quamuis Dragutus, intellecta obſidione, cum magno Arabum numero ac multitudine obſeſſis ſubſidio aduenisſet, cum quibus ad aggeres vſque Cæſarianorum haud rarò excucurrit: & licet etiam ipſi oppidani, ac præſidiarij milites, eruptione facta, noſtrorum impetus & conatus ſumma virtute & magnanimitate ſæpiùs repreſſerint, multaque leuia prœlia vtrimq. vario Marte ac euentu commiſſa fuerint, nihilominus tamẽ vrbs tandem, v. Idus Septemb. nõ ſine aliqua inuadentiũ clade expugnata atq. direpta eſt. Deſiderati ſunt, præter alios Cæſarianos milites, decẽ ac ſeptem equites Rhodienſes. E Turcis Mauriſq. ceciderunt plures octingentis, inter quos fuit etiam Hales, alter Turcarũ præfectus, qui ad Mahometis ſacra defecerat. reliqui captiui facti, quorum omnis numerus omnium ætatum & conditionum ad octo, ſiue, vt aliis videtur, decem millia mortalium accedebat, qui omnes ferè in Siciliam, Sardiniam, & Neapolim traijciuntur. liberati ſunt Chriſtiani captiui complures, vrbs tota direpta eſt. In ea reperta ſunt quatuordecim ærea tormenta eximiæ magnitudinis, & pleraque alia ex ferrea materia. Ad hæc, multa atque varia ſupellex, & magnum pondus auri & argenti. His accedebat non parua copia frumenti, commeatuum, ac ceterarum rerum quæ ad vſum bellicum erant cõgeſtæ. In eius vrbis expugnatione, prẽter ceteros inſignes duces, Principis Andreæ, Antonij Auriæ, Garziæ, Iordanis Vrſini, & Aſtoris Baleonis virtus plurimum enituit, ac præcipuè equitũ Melitẽſium, qui ſemper in omnibus bellis fortitudine maximè præſtare viſi ſunt; cùm non niſi ſpectatæ virtutis & probitatis ac nobilitatis homines ad eum dignitatis gradum admittãtur. Globorum emiſſorum numerũ ad ſepties mille fuiſſe, à quibuſdam memoriæ proditum inuenio. Poſtea reſtaurata refectaque ſunt collapſa mœnia, portæ, vbi debiles apparebãt, munitæ: inuecti commeatus, impoſita Hiſpana præſidia, aptus tormentorum numerus relictus, reliquæ copiæ octauo Cal. Octob. in Italiam reuectæ, & ita quidem à nonnullis interas relatum eſt. Ceterùm, ſunt haud contemnendi auctores, qui aſſerant, ablatis omnibus quæ in naues conijci poterant, ipſam vrbem, de mutua procerum conſenſione, à Cæſarianis exciſam, ac funditus euerſam fuiſſe, quòd ſcilicet in ea parum vtiles militari præſidio firmando ac tuendo, ſumptus poni viderentur.

Monaſteriũ oppidũ captũ

Aphrodiſiũ expugnatur.

Vtra

Vtra sententia veritati proximior sit, aliorum esto iudicium. Nam ipse in tanta scriptorum varietate nihil temerè asseuerare ausim, licet equidem priori magis adhæream. Dragutus amisso Aphrodisio, cum sex triremibus & quatuordecim biremibus ad Ægimum insulam deflexit, reliquias Turcarum secum aduehens, quę è tanta clade Aphrodisiensi euaserant. Ea expugnatio Solymani animum vehementer offendit, adeò vt nouis bellis materiam præbuerit, ipsęque acceptas iniurias armis vlcisci statuerit. Amida interea rex Tunetanus, vexatus perpetuis incursionibus Aloysij Peresi ducis Cæsariani, qui erat in præsidiis Guletæ, quòd ipsum regem sæpiùs inuadens, magno terrore affecerat, eò consilij denique peruenit, vt his conditionibus pace in sex annos composita, duodecim nummûm millia tributi nomine Cæsari persolueret:

Tuneti Rex paciscitur cum Cæsare.

Vt quindecim præstantes equos tributi nomine Cæsari daret:

Vt decem & octo falcones: Vt ordinaria stipendia in præsidia Guletæ.

Vt omnes captiuos Christianos dimitteret. Vt neque ligna, neq. hospitium, neque vlla subsidia Cæsaris hostibus, aut piratis & latronibus suppeditaret.

Hoc rerum tractu, Augustæ celebrabantur comitia, in quibus, præter cetera, actum est à Cæsare cum Ferdinando fratre Cæsare designato, vt sunt reges Romanorum, de Philippo Principe Hispaniarum in successionem imperij admittendo. Nec enim Cæsarem latebat, quanti esset momenti Germaniæ coniunctio, ideoque filium hæredem, qui tam latis & diuersis finibus esset regnaturus, hoc veluti firmamento stabiliri cupiebat. Ferdinandus autem rex, qui idem spectaret, neque suam, neque sanè filiorum dignitatem ac existimationē & commoda diminui oportere iudicabat. Porrò Maximilianus Austriacus, Cæsaris genner, ac Bohemiæ rex designatus per absentiam, qui iisdem diebus reuocatus à patre Ferdinando, ex Hispaniis Augustæ expectabatur, cùm egregiam indolem præ se ferret, & multas calleret linguas, Germanicam in primis, & morum elegantia polleret, admodum erat gratiosus & popularis, ideoque Septemuiri proceres multò magis in eum propendebant, adeò vt citra vllam controuersiam hunc in imperio præferendum censerent. Interea temporis, nouæ belli faces in Italia, quæ opera atque industria Pauli tertij Pont. iamdudum à bellicis procellis ac tumultibus quiescebat, excitatæ, præter omnium expectationem exarserunt. Siquidem Octauius Farnesius interfecti Aloysij filius, & Imp. Caroli gener, socerum Cæsarem nõ ambiguis argumentis in suspicionem affectati imperij trahens, ac veritus, ne quemadmodum antea patri Aloysio Placentiam abstulerat, eodem ausu Parmam sibi extorqueret: Pont. Iulij tertij, qui iam ad gubernacula subuectus erat, opem auxiliumque tentare, eiusque patrocinium implorare constituit. A quo cùm difficultatis occasiones afferrentur, Octauius verò arripiendi alicunde auxilij, quo se tueretur, necessitatem sibi impendere videret, sollicitante præsertim hortanteque fratre Horatio, ad Galli regis tutelam se contulit & conuertit. Id cùm grauiter Pont. & molesto animo ferret, ac nõ modò præcipitis eum consilij reum perageret, sed etiam diris atque anathematis sui fulmine configeret, & Cæsare adiuuante, quæ sua auctoritate tueri non posset, armis belloq. extorquere conaretur, Parmense bellum, aperiente se anno, subitò enatum est. His initiis iam efferētibus sese turbis, cùm Gallus ad publicam suæ gentis existimationem, & ad suam præsertim dignitatem, cuius maximè fide ac patrocinio res starent, pertinere existimaret defendi vrbem fiduciariam; in qua, si incuria, vel flagitiosis consiliis desereretur, Pont. Cæsarque essent dominaturi, Parmam, vrbem præclaram atque opulentam, & in amœnissimo loco, ad ripam Eridani fluminis, qui eam

Lis de imperio inter Cæs. & Ferdinād.

Octauij Ducis Parmensis à Cæsare defectio.

Parmense bellum.

eam per mediam alluit, positam, præsidiis vigiliisque communiuit. Proinde cùm Ferrandus Gonzaga Imper. iussu eôdem ex Insubria cum instructo exercitu proficisceretur, occupatam Gallico præsidio vrbem ipso Iunio obsedit. Paucis quoque interiectis diebus, Ioannes Baptista Pont. nepos, vt bipartitò hostis vrgeretur, Mirandulæ mœnibus exercitum admouit, eamque obsidione cingit. Interim Dandolotus, vetustæ familiæ, reique bellicæ ornamentis clarus, cùm à Gallo Parmam delecta cum nobilitate missus, liberè soluteque incederet, à Cæsarianis militibus, qui in Insubria tum agebant, in itinere est interceptus. Hoc initium cruentæ & atrocis tragœdiæ fuit, quæ postmodum concussis rebus Italiæ multorum annorum curriculo ita viguit, vt Italia tum suo, tum externo cruore largiter redundarit. Iisdem fermè temporibus, cùm Leo Strozza Capuæ prior, vir præstantissimis animi corporisque dotibus insignis, & Gallicæ classis præfectus, audiret futurum, vt Cæsaris iussu Auria Princeps cum classe in Hispaniam transiret, ad Maximilianum Bohemiæ regem cum vxore in Italiam traijciendum, statuit in itinere illum inuadere. Nam Philippus quidem Princeps Hispaniarum, sub finem Maij Augusta per Italiam citatis equis clàm profectus, Hispaniam repetiuerat. Instructis itaque biremi, & viginti ac tribus triremibus, Massilia naui-gat eo consilio. Fit obuius non procul à Tauroentio Auriæ, qui cum viginti ac septem triremibus Occidentem versus nauigabat; erantq. minus accuratè quàm Gallicæ, instructæ. Auria, classem Gallicanam ad quinque millia passuum dirigit: neque prius insequi destitit, quàm dies defecit, atque in portum Tauroentij denique peruenit. Ibi aliquantisper subsistens, cùm putaret fore, vt rex Bohemorum cum paucis Hispanis triremibus omninò iter caperet, si classis non accederet opportunè, illi obuiam ire constituit, ea spe atque animi fiducia inductus, vt sibi pugnandi facultas daretur. Proinde ad portum vsque Barcinonis enauigauit; nullaque ibi neque Hispana, neque alia classe inuenta, cœpit in ipso portu vnam triremem Principis, & catascopium, septemque onerarias, quæ omnia nauigia Massiliam cum magna Barcinonensium trepidatione sunt attracta. Nec multo sanè interiecto tempore, Leo Strozza, relictis regiis stipendiis, occultis de causis, cum duabus suis triremibus, Melitensis militiæ stipendia mereri cœpit, quòd esset & ipse equestri dignitate insignitus. in cuius locum suffectus est Polinus, Baro, qui etiam præfuerat classi regiæ in Oriente, & tunc in Occidẽte in mari Celtico præficiebatur. Pontifex interea, qui harum turbarum auctor & architectus fuisset, cùm Parmæ ac Iuliæ Tauricæ, seu Mirandulæ, capiendæ spe frustraretur, sequenti Aprili certis conditionibus cum Gallo transegit, deserto socio Cæsare, à quo, in vsum eius belli ducenta nummûm millia acceperat, & concito exitiabili bello, quo cum alij multi egregij viri, tum eius quoque nepos Ioannes Baptista Montius, concidit, dum hostium mœnia cum Alexandro Vitellio, & plerisque aliis è primariis exercitus apud Mirandulam explorat. Rebus per Italiam ita sese habentibus, in inferiori Pannonia grauissimũ atque asperrimum bellum inter Ferdinandum Bohemiæ, ac Ioannem reges excitatum, eo quidem euentu, vt post acrem ac diuturnam dimicationem, victoria ad ipsum Ferdinandum, multis hostibus profligatis, inclinauerit: & mox cum Anna vxore, Ludouici regis Vngarię in prœlio interfecti, cuius potissimùm nomine illius regni successionem ad se hæreditario iure pertinere contendebat, sorore, Pannoniæ rex inauguratur. Huc etiam accedebant iura Alberti Principis superioris Pannoniæ, quam

Leo Strozza Principem Auriam insequitur.

Eiusdem magnanimitas.

A Gallis defectio.

Polinus Baro in locũ Strozzæ suffi.tutur.

Pontifex, relicto Cæsare, in partes Gallorum transit.

Ferdinandus expulso oãne annoniæ regno potitur.

quam Auſtriam vocant. Hîc autem breuiter ſubiungam, quiſnam ordo ac ritus initiandi illic regem antiquitus obſeruabatur, & quo in loco hæc ſollemnis cæri-monia fieri conſueuerat. Memoriæ proditum eſt, cùm primùm Vngaria regni nomen accepit, ſacram coronam induuiaſque in augurandis regibus religioſas, ſancto Stephano primo Vngarorum regi à Rom. Pont. cælitus monito deſtinatas, ſeruataſque; deinde ſollemni cuſtodia, veluti fauſtum auſpicium futuris regibus, eadem qua ille, regni felicitate coronandis: ordinem verò, & conſuetudinem initiandi regem, talem vetuſto more obſeruari ſolitum. Eo, qui in Vngaria ſummum inter ceteros Antiſtites Pontificatum gerebat, ſacris operante, omnibuſque ad quos regia nominatio pertinebat, adſtantibus, qui rex futurus erat, in auguſtiori templo Albæ regalis ſiſtebatur, ſtatimque à Canonicis exuebatur. Deinde Pontifex precationes ſollemnes adhibebat, quibus regno, regique, cuius caput dextra tenebat, Deum propitiaret, veniamque ac pacem impetraret, vt feliciter fauſteque publicè ac priuatim, ſibi, oppidis, vicis, ciuitatibus, populis, nationibus, regnum iniret atque adminiſtraret; facultates, multiplices fructus, fines, & imperium propagaret; auctoritatem denique & gloriam adaugeret. Tum eius manus dorſumque arcano oleo perungebat, & mox eum veſtiri imperabat; deinde ſacris induuiis ornare, crucemq. in primis tradere; per quam innuere volebant, ius Apoſtolicæ legationis in deſignandis Epiſcopis ab ipſo initio regibus Pannoniæ à Romano Pont. permiſſum. Poſt quæ, ſceptrum, pomumq. aureum, & vexillum, regia inſignia exhibere, & vniuſcuiuſque inter tradēdum ſacris veribus interpretationem proſecutus, tandem prolatis in medium regni legibus inſtitutiſque, exigebat, vt in ipſorum verba iuraret. Ille, vbi in ea quæ Pontifex conceperat, verba iuraſſet; illicò diademate inſignitus, ſuggeſtum ad id præparatum conſcendens, pleroſque in equeſtrem ordinem cooptabat, vt intelligeretur, regnum ab armis auſpicari, nihilque prius maiúſue apud reges eſſe oportere, ratione incrementoque militaris diſciplinæ: cetera ornare, illam tueri, & augere imperia. His rebus ita peractis, ad templum Diuis Petro & Paulo conſecratum procedere, atque ibi in tribunal ſe recipere, & nonnullas controuerſias audire atque decidere; vt ſecundum rem militarem, iuſtitiam præ omnibus colendam & ſciret, & doceret. Tandem ſublatus in equum, poſtquam ciuitatē luſtrauiſſet, extra portam ad D. Martini ædem progreſſus, ibique altiſſimam turrim conſcendens, & quàm maximè poterat, protenſo extra turrim brachio, ad quatuor mundi partes nudatum enſem porrigebat, quaſi vndiq. regnum tutaturus, aut certè illius fines & ditionem propugnaturus. Poſtquam verò in ciuitatem rediiſſet, ſollemnia conuiuia celebrabantur; omneſque domus ac vrbis regiones publico applauſu & congratulatione obſtrepere, quibus omnibus vbi Archiepiſcopus regem de more coronauerat, ritè atque ordine ſeruatis, poſtridie ex vniuerſorum qui conuenerant, ſententia conſtituebatur, vt corona ſancti Stephani cum ſacris induuiis recondita, ad futuros reges initiandos aſſeruaretur. Et de his quidem hactenus. Interea temporis, Princeps Auria poſt expugnatum Aphrodiſium, omni conatu & vigilantia, rerum ſatagebat, cùm conſtaret, Solymanum ad Aphrodiſium vrbem recuperādam ſeptuaginta triremium, additis etiam quadraginta nauigiis varij generis, auxilia miſiſſe, cuius claſſis ſummū imperium Sinamo cū ſumma auctoritate detulerat. Sinamus cum ea claſſe Rizonicū ſinum, Corcyræque littora præteruectus, omnia maritima littora prædationibus rapiniſque infeſtans, ſe Melitenſibus equitibus oſtentat. qui cum quatuor triremibus omnes piratas & latrones ex eo mari deturbabant. Eædem cum Siculis con-

Mos inaugurandis regibus Hungariæ.

Sinamus Othom. claſſis nauarchus Corcyram diuexat.

1551.

iunctæ, plerumque haud leuia damna Mauris ac Thraciam Christianorum quietem securitatemque diuexantibus, inferebant. Classis vrbem Melitensem pluribus tormentis, diuerberat: at contrà, equites in ipsam classem, intrepidè displosis tormentis, triremem Turcicam disrumpunt & demergunt: alias quatuor ita dissipant, vt remigibus propè nudarint. & tandem ducentis atque amplius è suis desideratis, Turcica classis illinc retrocedere coacta est, & conuersis velis, in Africam deflexit, ibique Tripolim obsessam expugnauit. Hanc cladem Imperator Galliarum regi, tanquam non dubio illius auctori, acceptam ferre, simulque ad Germaniæ Principes ac liberas ciuitates missa legatione, huius rei culpam illi ascribere, quasi eius dolo Christiana Respub. tantum detrimenti accepisset. At rex vbi primùm hæc intellexit, crimen sibi falsò obiectum plurimis rationibus diluit, & Turcici belli causam esse dicit, quòd Cæsar ipsis Africam vrbem ademerit; quòd Zolnorum arcem Othomānicæ ditionis, ad Vngariæ fines positam, Ferdinandus rex occuparit, & communiret: quòd annuum tributum ei persoluere abnuat; necnon per Transiluaniam res nouas moliretur. Postremò Cæsaris narrationem, qua ostenditur, quomodò Gallici legati Aremontij perfidia sit amissa Tripolis, contraria narratione refutat, eamq. Turcarum Cæsaris epistola confirmat. Dum res ita geruntur, Princeps Mauritius imperij nomine Magdeburgū arctissima obsidione premebat, in qua plurimi vtrimq. conflictus & leuiora prælia non sine magna vtriusque partis cæde habita fuerunt, eo tandem exitu, vt

Tripolis à Turcis expugnatur.

Contraria scripta regis Henr. ac Cæs.

1552. Nonis Nouembris proximè subsecuti anni his conditionibus transactum fuerit, videlicet; Vt supplices deprecarentur Cæsari; Ne quid in Austriacam & Burgundicam familiam molirentur; Cameræ se submitterent; Augustano decreto nouissimè promulgato parerent; Vrbis munitiones ad Cæsaris arbitrium diruerent; Cæsaris præsidia quouis tempore admitterent; Aureorum millia quinquaginta in vsum fisci penderent; Pro belli sumptu duodecim maiora tormenta ipsi Cæsari traderent; Megelburgium Ducem atque alios captiuos dimitterent. Ceterùm Magdeburgici, præter multorū expectationem, summam nominis gloriam adepti sunt apud exteras nationes, quòd propè soli per omnem Germaniam exemplo suo docuissent, quid posset constantia. Porrò qui fuit illis ærumnarum finis, hic belli fuit aditus atque principium in eos ipsos, quorum ope consilioque fuerant afflicti: siquidem Mauritius Princeps per id tempus in Cæsarem, quòd is in liberando socero suo Cattorum regulo moram facere, ac rem longiùs differre videretur, grauiter indignari, de perfidia eius conqueri, bellum apertè minari, ac iam etiam parare inceperat. Ad cuius belli societatem Iohannem Albertum Megelburgensem, Albertum Brandeburgicum, & Henricum II. Gallorum regem, qui se in ea expeditione vindicem Germanicæ libertatis publicis scriptis proclamabat, fœdere sancito asciuerat. Quod fœdus, vt secundum promissa hinc inde data acceptaque exequerentur, vno quasi momento, eodemque temporis articulo, hinc Mauritius ex Saxonia, illinc rex ex Gallia mouit. Mauritius per Rotburgum & Aras Flauias, quæ hodiè Nordlinga est, ad Danubij insulam, ac inde Augustam Vindelicorū pergit: eamq. pridie Nonas Aprilis subsequētis anni, nempe tertio die ex quo oppugnari cœperat, ad pactiones adegit. Qua relicta, Erebergum, Ferdinandi oppidū, in angustiis Noricarum Alpium situm, vbi erant præsidio peditū signa tredecim, ex quibus nouem capta, quatuor elapsa, & in his tria Germanorum, vnum autē Italorum, & claustra etiā viarum, expugnauit. At Cæsar, vbi de capto Erebergo intellexit, vt sese imminēti periculo subtraheret, cōfestim profunda & opaca nocte, accensis facibus, vnà cum Ferdinando

Magdeburgi-ca pacificatio eiusq; conditiones.

Magdeburgensiū virtus.

Mauritij bellum in Cæs.

dinando fratre, qui persuadendæ pacis causa nuper eò venerat, & omnibus quæ aderãt legationibus, lectica Oeniponte profugiens, per Alpes, quà Tridentũ itur, ad læuam deflectẽs, Iulium Carnicum, vulgò Villacum, oppidũ in vltima Norici ora ad Drauum flumen situm, & antiquissimum Austriacæ familiæ patrimoniũ, incredibili celeritate ac festinatione contendit. Eadem nocte Mauritius eôdem peruenit: sed cùm desperaret se posse eum comprehendere, Inutrium reuertit, rebusque vrbanis, ac Ferdinandi regis, incolumibus seruatis, omnia Cæsariana impedimenta diripiuntur. Deinde Inutrio profectus, voti minimè compos, educto exercitu è Tiroli principatu, Clusaque libera relicta, Borodunum contendit, quò etiam Ferdinandus aduenit, &, præter cetera multa quæ in his comitiis inuicem acta transactaque sunt, ita pax inter Mauritium & Cæsarem componitur, vt præter reliquas conditiones, ipsius socero Cattorum regulo, cuius potissimùm liberandi causa arma sumpserat, pristinæ libertati restituto, communia in Turcos auxilia ipsi Ferdinando præstaret. Ita Mauritio reconciliato, solus Brandeburgicus restabat, qui Gallicis auxiliis neruisque subnixus, nouum bellum tum contra alios, tum præcipuè Norimbergenses, quos summoperè oderat, concitauit: quod postmodum per Germanias ingentes calamitates cum multorum Principum & populorum clade inuexit. Is enim, licet ab initio communem causam agebat, sicuti etiam edito scripto se facturum professus fuerat, tamen non erat eius fœderis, & soluta Vlmensi obsidione, cœpit quodammodò suum priuatum agere negotium, vel quòd vni sibi vellet acquirere quicquid belli dedisset fortuna, vel quòd Mauritij factum improbaret, vel quòd à Galliæ rege solicitatus, aliò spectaret. Dum hæc à Mauritio regulo geruntur, interea rex Gallus è Rhemis cum exercitu mouens, vicinos Leucos (quos hodiè Lotharingos vocãt,) armata manu adit: eorumque ciuitates Tullum ad Obrincam flumen hodiè Mosellam, imperij oppidum, & Nanceium, eius regionis caput, occupat: indeque captum Lotharingum octo annos modò natum, vrbem Metim, ad Obrincam itidem sitam, & Imperatori confœderatam, cum exercitu pergit, atque ab indigenis per præmissos internuntios aditum & cõmeatum exercitui petit; quem si impetret, se sine iniuria & maleficio transiturum pollicetur. Itaque vrbem quarto Idus Aprilis Magister Equitum amicitiæ specie ac simulatione cum parte copiarum ingressus, illam repentè occupat, eumque rex ipse paulò pòst consecutus, præsidio firmat, ciuesque in suam fidem iureiurando astringit. Mediomatricum vrbe in potestatem redacta, ad Tribocos, hodie Alsates conuersus, Tabernas Alsatiæ, quatuor ab Argentina milliaribus distans, tertio Maij peruenit. Hic illum Heluetiorum legati adeuntes, Argentinam amicissimam sibi ciuitatem, tanquã veteri socio commendant, ac, ne quid in ea grauius statueret, rogant orantque. Rex, quid sibi tam officiosæ commendationes vellent, astutè coniectans, Heluetiis bene sperare iussis, Haganoam & Wisseburgum, quod non procul à Spira Nemetum abest, iter conuertit. In his locis hærentem, Germanorum legati adeunt, eius tam promptam paratamq; in tuenda & vindicanda Germanica libertate operam, Germanorum regulis quàm gratissimam esse confirmant. Ceterum, rebus iam vtcumque sopitis, & in tranquillo collocatis, ipsius officio sibi vlterius opus non esse ostendunt. Hic demum rex, consiliis Germanorum intellectis, cùm ne dominatus cupiditatem proderet, tum quòd Martinum Rossemium Sicambrum, Mariæ reginæ iussu, Rhemorum agrum excursionibus incendiisque vastare cognouerat, à Nemetibus sinistrorsum deflectẽs, Obrincã flumẽ transit, Astenæum, Danuillerium, & Vertodunum, quod Imperij oppidum, Mosæ imminens,

Hẽricus Gallorum rex in Germaniam cum exercitu proficiscitur.

Vrbs Metensis per dolum occupata.

minens, medium inter Rhemos & Leucos ſitum eſt, Iunio menſe capit. Poſt hæc, multis rebus cum in agro Lucemburgico, tum in aliis locis aduerſus Belgas, qui Picardiam depopulabantur, præclarè geſtis, extremo Quintili exercitum, prius tamen pleriſque arcibus atque oppidis valido præſidio firmatis, exautorauit, ac miſſum fecit: ipſeque Lutetiam Pariſiorum, tot victoriarum monumentis ſuper-bus, publica populi gratulatione, applauſu, ac planè regio triumpho ingreſſus eſt. At Cæſar, pacatis vtcumque Germaniæ tumultibus, iiſque qui rebellarant, in gratiam receptis, ingentes copias, quibus recepta Mediomatricum vrbe in Gal-liam irrumperet, conduxit, hiſque Ducem Albanum præfecit: & Auguſtam pro-fectus eſt, vbi aliquot dies commoratus, eum quem Principes confœderati nuper conſtituerant Senatum, & vnà tribus omnes abrogat, prioremque Reip. formam, & Senatum ab ſe conſtitutum reſtituit, & è miniſtris tres remouet, aliis autem, vt iuxta confeſſionis Auguſtanæ formulam doceant & agant, permittit. Ea res pro concione recitata, magnam excitauit lætitiam. Fuit hoc Auguſti men-ſis die xxv. cùm ante annum, eodem propè die, in exilium eiecti fuiſſent. Calen-dis deinde Septẽbribus illinc digreſſus. At priuſquã diſcederet, humaniſſimis ver-bis, & prolixè de ſua beneuolentia pollicitus, Ioannem Fridericum Saxoniæ Ducem, toto iam quinquennio captiuum, ab ſe dimiſit; qui & poſtridiè domum poſtliminiò reuerſus eſt. Landtgrauius etiam IIII. Sept. die dimiſſus, domum vi-pòſt die reuertit. At Cæſar interim, rebus omnibus ad bellum neceſſariis, opti-mè inſtructis ac præparatis, rectà cum exercitu ad Metenſem obſidionem pergit, eamque vndecimo Cal. Nouemb. obſidere incepit. Hanc, paucis antè hebdo-madibus, Galliæ rex de Cæſaris conſiliis certior factus, maturè ſibi proſpiciendũ ratus, nullis nec diurnis nec nocturnis laboribus intermiſſis communiri, ac dele-cto præſidio lectiſſimæque nobilitatis flore, firmari iuſſit, adeò vt Cæſaris cona-tus, qui eam cum ingenti exercitu, in quo, præter Germanos, Bohemos, Italos & Hiſpanos, quorum delecta manus ſub initium Iulij Genuam Principe Auria du-ctore appulerat, duriſſima obſidione vſque ad IIII. Non. Ian. ſubſequentis anni, contra ſuorum ducum ſententiam, qui eam expeditionem in mitius anni tempus reijciendam eſſe ſuadebant, preſſerat; cùm aſperrimæ hiemis iniuria, tum propu-gnantium virtute, amiſſa propè tertia copiarum parte, prorſus in irritum cecide-rint. Sic Cæſaris tam repentina mutatio rebus facta eſt, ex quibus apparuit, quàm labilis & infirmus ſit omnium eorum qui etiam pro potentiſſimis habentur, ſta-tus & fortuna, quæ iam ipſi Cæſari planiſſimè nouercari inceperat, ſuæque leui-tatis & inconſtantiæ certiſſima documenta exhibere. Quis enim, non ſine in-genti ſtupore humanarumq. rerum viciſſitudine, animaduertat, Cæſarem, tot rebus mari terraque feliciſſimè geſtis inclytum & glorioſum, nuperque totius Germaniæ, vti victorem domitoremque, nunc eò tandem redactum, vt, nulla Cæſarei decoris ac dignitatis ratione habita, ſeſe nocturna fuga (ſicuti etiam olim anno ſupra mille quingentos vigeſimo primo idem illi contigerat in eo bello quod tunc temporis aduerſus Franciſcum gerebat, vbi ipſe, rebus planè deſpera-tis, noctu ſe cum centum equitibus in Flandriam, relictis ſuis, ex agro Valence-nio ſubduxit,) ex imminenti periculo ſubtrahere, atque ita ſuæ vitæ ac ſaluti pro-ſpicere cogeretur? Verùm enimuerò huius rei indignitas, & quicquid tandem Cæſar in hac re paſſus eſt dedecoris & calamitatis, minimè ipſius heroicæ natu-ræ, quæ ſemper fuit optima & clementiſſima, ſed dumtaxat ipſius conſiliariis & proceribus aſcribendum, qui eum ſubinde ad rigidam quandam ſeueritatem, vel potiùs inhumanitatem incitabãt. Quòd ſi antea cum Franciſco Galliarum rege, & po-

Saxoniæ Dux & Landgr. priſtinæ libertati reſtituuntur.

Caroli v. clades ad Metim.

& postremò cum captis Principibus mitius ac moderatius actum esset, quis dubitet, quin & Galliam, & Germaniam sibi perenni atque immortali beneficio in perpetuum obstrinxisset, ipseq. suas præclarissimas victorias & insignes triũphos ex hostibus tam sæpè relatos, maiori splendore atq. gloria cõdecorasset? Nec sanè quicquã est in rebus humanis clementia & mãsuetudine cõmendabilius, quodq. mortales Diis immortalibus magis consimiles efficiat. Ea verò tantò vtique illustrius effulget, quãto in augustiores viros ab his qui ceteros dignitate atq. opibus præstant, cõfertur. Nec enim potest non esse honorificũ, & summis laudũ præconiis efferendum, si principes viri, aut alterius principis calamitatis cõmiseratione inducti, aut id quod alteri accidisset, sibi quoq. accidere posse existimãtes, in eos quos iure belli, siue aliqua alia ratione in suam potestatem redegerunt, facilitate atque misericordia vsi fuerint: in qua quidem re summa animi generositas & magnificentia elucescit, vt clarissimè enituit in Eduardo Angliæ rege, eius, qui Gambillio cognomento est dictus: ad quem cùm ductus esset Ioannes Gallię rex, in pugna apud Pictones commissa, à Caleti Principe ipsius filio captus, ab eo nõ modò benignè acceptus, verùm etiam quandiu in insula captiuus fuit, in libera custodia habitus, ad familiares congressus, & venationes conuiuiaque sua admitrebatur: ex quo deinde tanta inter eos familiaritas fiduciaque orta est, vt Ioannes, etiam postquam ad suos rediisset, multosque annos pòst in Gallia regnasset, sponte hospitis sui visendi desiderio in Angliam remigraret. Porrò quàm honorificè atque amanter Philippus Mediolanensium Princeps, Alfonsum Aragonium, eiusque fratres, ac ceteros proceres, ad se captiuos perductos, exceperit, atque insuper amplissimis muneribus donatos dimiserit, satis luculenter à nobis in præcedentibus libris demonstratum est. Ceterùm, ne in his longiori digressione immorer, facit suscepti argumenti ratio, quæ me, vt reliqua maturem, cohortatur atque instat. Proximè enarrauimus, pacem inter Cæsarem & Mauritium, Ferdinandi regis interuentu, initam & constitutam fuisse. Is itaque, rebus cum ipso Cæsare compositis, & Landtgrauio socero, cuius potissimùm liberandi causa aduersus Cæsarem arma susceperat, pristinæ libertati restituto, tertio Non. Augusti Francofurto suas copias Donauertam traduxit, & ad Danubium progressus, vndecimo Cal. Sept. eas præmisit, pedites quidem secundo flumine, equitem autem per continentem; ipseque rei priuatæ causa domum recurrit, pòst ad eos rediturus, quò ipsemet ad Vngaricam expeditionem proficisceretur. Siquidem atrocissimum bellum inter Ferdinandum & Solymanum recruduerat. Verumenimuerò in Italia per idem fermè tempus, Salernitanus Princeps ob dissidia & inimicitias cum Prorege Neapolitano P. Toletano susceptas, relictis Cæsaris partibus, ad Gallum transiit. Senenses quoque, antiquissimus Etruriæ populus, Diegi Mendocij Cæsaris procuratoris tyrannide oppressi, arcem ibi, iussu Imperatoris ædificari cœptam, eiecto priùs Hispanico præsidio, euerterunt: & mox sese in libertatem vindicantes, hortatu in primis Hieronymi Vegghiani nobilis Pisani, Gallorum opem atque auxilium implorarunt. Hæc sanè ipsius Cæsaris animum non parum torquebant, sed multò magis incommodum & dedecus ad Metim proximè acceptum excruciabant, ita profectò, vt complures dies hominum colloquio, & publico, sicuti à quibusdam in literas relatum est, abstinuerit. Subinde enim cum prioris fugæ, tum acerbissima huius ignominiosæ expeditionis recordatio, eius menti cum incredibili dolore obuersabatur: idq. potissimè, vt plerique censent, in causa extitit, vt is postmodum, abdicato imperio, & in fratrem Ferdinandum translato, quod reliquum vitæ fuerat, priuatus, solitariusque

Exemplum singularis clementiæ.

Principis Salernitani à Carolo Cæs. defectio.

Senensium aduersus Cæs. conspiratio.

riuſque in Hiſpania Bætica tranſegerit. Sed is, cui paulò antè tot aduerſa eodem fermè tempore contigerant, in Morinis fortuna iterum quaſi eam puderet ſuum alumnum ita deſeruiſſe, abblandiente, modò rem feliciter gerit, arce ſcilicet Terouana, Arteſiæ ac Picardiæ finitima, vetuſtiſſimaque Morinorum ſede, loci natura & artificio lõgè munitiſſima, xij. Cal. Quint. à Cæſarianis capta & expugnata, & conſimili ſucceſſu, eodemque menſe, ductu Allobrogis Taurinorum Principis recèns in caſtra cum imperio à Cæſare amandati, Heſdino vnà cum arce, etiam munitiſſima, recepto. At Henricus, vt Cæſar pluribus è partibus infeſtaretur, & variis bellis atque moleſtiis vno eodemque tempore diſtringeretur, per ſuos legatos cum Solymano Turcarum, vti diximus, Imperatore, menſe Quintili fœdus ac ſocietatem iniuit; qua confirmata, Solymanus omne auxiliorum genus aduerſus Cæſarem liberali ac promptiſſimo animo pollicetur. Proinde, vt quas Cæſar in Italia vires habebat, in oræ Italicæ defenſione occuparẽtur, claſſem Othomannicam ad mare Tyrrhenum, & magnæ Græciæ littora, atque adeò vniuerſam propè maritimam oram Italiæ diuexandam, obtinet atque impetrat. Qua ex re Neapoli ingens trepidatio exorta, cùm præſertim Petrus Toletanus, paucis antè diebus, Cæſaris iuſſu ad recuperandas Senas cum ſat valido exercitu perrexiſſet: in qua quidem expeditione haud multò pòſt viuis ſubtractus eſt, ideoq. Neapolitanum regnum per id tempus exiguis præſidiis inſtructum erat. Accedebat huc, quòd Salernitanus Princeps, quem nuper ad regiam tutelam confugiſſe narrauimus, multos in eo regno ſibi & affinitate & amicitia coniunctiſſimos haberet, plurimumque gratia & auctoritate apud omnes promiſcuè valeret. Hunc Principem Toletanus multas ob cauſas ingenti odio proſequebatur, ſed in primis cauſa legationis Neapolitanæ, qua proximis annis in tumultibus ad religionem ſpectantibus, apud Cæſarem functus erat; cùm per huiuſmodi occaſionem in ipſam Toletani immodicam ſeueritatem ac intolerabilem tyrannidem, grauiſſimè inuectus fuiſſet: eaque de cauſa poſtmodum Toletanus, œſtro vltionis inflammatus, illum acerbiſſimis criminationibus apud Cæſarem onerauerat, ſcripſeratque inter cetera, quàm maximè periculoſum eſſe, ne domum reuerſus, propter eximiam auctoritatem aliquid noui moliretur, adeò vt Cæſari in haud exiguam affectati regni ſuſpicionem deueniret. eoque factum eſt, vt eum diu apud ſe in Germania detinuerit. Huic autem poſtliminiò Neapolim reuerſo, dicta eſt dies apud Toletanum, quò, cùm ad præſtitutum tempus non apparuiſſet, mox Principatu deturbatur ac exuitur. Quamuis autem initio ad Cæſarem proficiſci conſtitueret; quia tamen ſuſpectum habebat iudicem Toletanum, diſſuadentibus amicis, ipſe protinus, commutata ſententia, primùm Venetias conceſſit, vbi ab illuſtriſſimo Senatu benignè ſummiſque honoribus exceptus fuit; deinde in Galliam profectus, à rege peramanter habitus eſt, atque honorifico ſtipendio donatus. Cæſar interim de hoſtilibus apparatibus per fideles internuntios commonefactus, ne aliquid detrimẽti in his locis pateretur, nihil reliqui ad ſummam diligentiam fecit, quò ſtatim in Germania militaris delectus haberetur, & deſcriptas cohortes quamprimùm Genuam, & ad oram Liguſticam conuehi, atque inde Neapolim pro eius regni ac Siciliæ præſidiis tranſmitti iuſſit. Ceterùm, claſſis Turcica ſub finem Quintilis, traiectis Caietę finibus, ad littora Tarracinę peruenerat, ibique Gallicam claſſem præſtolabatur, neque iam, propinquante autumno, vlteriùs progreſſura videbatur, cùm Dragutus eius præfectus, nollet in hibernis eſſe in partibus Occidentis. Princeps Auria, licet ſe viribus longè inferiorem hoſtili claſſe intelligeret; nihilominus tamen enixè operam dedit, vt Germani-

1553. *Terouana à Cæſarianis capta.*

Heſdinum ab ijſdem expugnatur.

Henricus icto fœdere cum Solymano claſſem impetrat.

Petri Toletani mors.

Princeps Salernitanus Principatu exuitur.

Claſſis Turcica ad littora Tarracinæ peruenit.

manicas cohortes oræ Liguſticæ expoſitas, Neapolim traduceret, cùm præſertim Cæſar id ſummo ſtudio atq. induſtria fieri imperaſſet, ne ſua culpa & indiligentia regnum florentiſſimum, tantæque celebritatis, in aliquod præruptum atque anceps diſcrimẽ conijceretur. Proinde, vel contra ſuorum ducum conſilium procedendum eſſe ſtatuit, atq. primum Centumcellas, deinde Hoſtiam applicuit. Eò profecto nuntiatur claſſem Turcicam in duas partes diuiſam eſſe; cuius altera pars erat apud montem Circellum, altera apud inſulam Pontiam, quæ iacet è regione ferè Tarracinæ vrbis in mari Mediterraneo. Nam tametſi duces, Auriæ conſulebant, iter habendum eſſe in altum; tamen ipſe maluit iter facere inter montem Circellum, & Pontiam, eius ita diuiſæ claſſis opportunitate fretus, ac emiſſis nonnullis aquatum, cùm annona ſocij nauales refecti auctique fuiſſent, ſecundos ventos nactus, noctu Centumcellis digreditur. Dragutus, qui tum temporis ad montem Circellum ſubſiſtebat, de Auriæ nauigatione certior factus, confeſtim duces ac trierarchos in inſula Pontia exiſtentes, quónam in ſtatu res ſint, commonefacit. Auria vlteriùs adnauigans, medius intercipitur, primaque acies fortiter ac ſtrenuè reſiſtit. Verùm Hiſpana claſſis ita vtrimque circumſeſſa & oppugnata eſt, vt quamplurimis contrucidatis, Auria veritus, ne ſi vlteriùs pergeret, de omnium ſalute atque incolumitate penitus actum eſſet, amiſſis ſeptem triremibus, quæ facili negotio in hoſtium poteſtatem deuenerunt, retrocedere compulſus fuerit. Captiui, Germani fermè omnes, ac etiam plerique alij ex ceteris nationibus, ad tranſtra ſunt relegati, & compedibus vincti; reliqui in miſeram captiuitatem ac ſeruitutem abducti. Henricus, claſſe Neapolitanis finibus appropinquante, Salernitanum Principem in Italiam ablegarat, eo conſilio, vt cum Ateſtino, ac Turnonio purpuratis Antiſtitibus, reliquiſque Gallicæ factionis ducibus, qui ad Foſſam Clodiam, Venetæ ditionis municipium, cõuenerant, de his rebus quas belli vſus requireret, communicatis ſententiis, conſultaret. Peractis comitiis, Salernitanus mox per Heluetiorum fines in Galliam reuerſus eſt. Rex interim cognito, acceſſu Othomannicæ claſſis in mare Tyrrhenum, vniuerſa littora Italiæ ſummoperè conſternata, maximoque pauore ac trepidatione perculſa, eueſtigiò iubet ipſum Salernitanum Maſſiliam cõtendere, vt conſcenſo nauigio ſuam claſſem Turcicæ aſſociaret atque coniungeret. Huc verò appulſus, vbi primùm certior factus eſt, Dragutum, poſt rem ad Pontiam inſulam proſperè ac feliciter geſtam, claſſemque Gallicam diu nequicquam expectatam, quia tempus anni vrgeret, vt ſeſe intra ſuos fines reciperet, diuiti præda onuſtum, magnoque captiuorum numero ſecum abducto, in Orientales partes adnauigare, nihil habuit antiquius, quàm vt ipſum ſumma diligentia ac feſtinatione conſequeretur: neque prius ab incepto nauigationis curſu deſtitit, quàm peruentum eſt Conſtantinopolim, vbi honorificè à Solymano exceptus fuit in hibernis, atque ab eo claſſem in proximum annum impetrauit. Intereà temporis, Muſtapha Solymani filius natu maior, qui ſumma prudentia & auctoritate apud Orientales nationes plurimum poterat, mirificamque ſibi propter egregias animi dotes atque imprimis ob eximiam liberalitatem & incredibilem manſuetudinem, omnium populorum beneuolentiam conciliarat, Roſſæ ſecundæ coniugis, quæ filium ſuum augeri cuperet, atque parenti ſuccedere, ſimulque Roſtanis purpurati falſis delationibus & impulſu, propter ſuſpicionem animo patris iniectam proditionis atque affectatæ tyrannidis, vbi primùm, à patre accerſitus, in caſtra, quæ tunc ab Alepia Syriæ circiter quadraginta millia paſſuum diſtabant, ſumma celeritate conuolaſſet, & ab his incredibili totius exercitus applauſu & congratulatio-

Auria Neapolim claſſe contendit.

Nauali cõflictio.

Muſtapha innocens necatur mandato patris.

tulatione exceptus esset, ipseq. suæ integritatis atque innocentiæ sibi probè conscius, nihil minùs suspicatus, candido habitu indutus, atque inermis, ad exosculandum paternam manum contenderet, iussu immanissimi patris in primo tentorij thalamo, seu cubiculo interiore, à septem mutis & eunuchis, quibus ea prouincia demandata fuerat, inspectante crudelissimo patre, neruo Turcici arcus collo iniecto suffocatus est: atq. ita vir præclarissimus, omnibusque regiis virtutibus ornatus, per fraudem & insidias eorum qui ad imperium aspirabant, patris, vt dictum est, mandato, extinctus. Ferunt, ipsum Mustapham, pacatis rebus in Persia, cùm patrem cum ingenti exercitu, nulla proposita occasione, in eas prouincias, quibus ipse præerat, aduentare intelligeret, in haud mediocrem suspicionem, quamuis conscientia & integritate plurimùm confirmaretur, incidisse, ac etiam somnio per noctem viso, nonnihil eius animum vexatum atq. deterritum.

Mustaphæ somnium.

Siquidem narrant, ipsi dormienti apparuisse in somniis sub aurorã virum splendentibus vestibus indutum radiis propè solaribus, qui manu apprehensum in locum amœnissimum adduceret, vbi magnificẽtissimum palatium visebatur, multis fructiferis arboribus, & solo multis floribus nitenti circumdatum, ac eum dixisse, ibi locum assignari viris bonis & innocentibus, qui per virtutes mortalem hanc molestiarum plenam vitam transegissent, ac ceterorum iniquitati & scelaribus restitissent: Deinde in aliam partem conuersum, duo ingẽtia flumina monstrasse, quorum alterius aqua, quasi picea currebat bulliens, in qua magna inerat turba, cùm alij modò immergerẽtur, modò extollerentur: alij cum magnis eiulatibus fortunam suam detestarentur: atque hîc dicebat excruciari qui per iniquitatem ac sæuitiam, ceteraque impura flagitia contaminati, ex hac vita excessissent. Id somnium cùm doctori suo aperuisset, monetur, vt saluti suæ consuleret. Nihilominus tamen, neque his quidem terroribus commouetur Mustapha, quò minus parenti obtemperaret, glorioſius esse ducens mori innocentem, quàm rebellem & paternis mandatis repugnantem turpiter viuere. Hoc dirum ac deterrimum facinus, inclytas Solymani victorias, & res hactenus præclarissimè gestas, mirum in modum fœdauit, adeò, vt ea potissimùm de causa suo nomini æternam infamiæ ac dedecoris notã inusserit, simulque apud omnes gentes, atque adeò vniuersam posteritatem pessimè audiuerit. Porrò huius truculentissimæ belluæ efferata inhumanitas minimè hoc tristi & tragico spectaculo exsatiari potuit, nisi etiam duorum præstantissimorum virorum, eorumque innocentissimorum necem coniunxisset, nempè purpurati Amasiæ præfecti, & Nicolai Michaelij Veneti, patricij ordinis, qui in nauali prœlio captiuus factus ad Nicopolim in sinu Ambracio, Mustaphæ puer donatus fuerat, & propter insignem fortitudinem ingenijque dexteritatem, fraterna propè charitate cum illo educatus, sic sanè vt etiam ab illo prætorium vexillum obtinuisset. Nam vtrique, ceu consiliorum omnium participi, statim ab interempto filio, in publico theatro caput præcidi atque amputari iussit. Nunc verò mihi, tametsi ad reliqua festinanti, planè temperare non potui, quin huic meæ narrationi, quod nonnulli horum temporum scriptores de Zeangiro Mustaphæ germano fratre in literas retulerunt, hîc adijcerem, cùm præsertim huiuscemodi sit, vt maximum ac propè singulare fraterni amoris & charitatis exemplum præbeat. Narrant siquidem, hunc à Solymano, vbi hæc perpetrasset, ad se euocatum, simulque admonitum, vt fratrem recèns in castra profectum, in tentorio inuiseret, ipsumque tantę sæuitiæ ignarum, alacri animo ad eius complexum properasse. Ceterùm, postquam eò ingressus, suffocatum vidisset, attonitum & lacrymabundum constitisse, accedem

Zeangir supra fratris cadauer mortem sibi conscuit.

dem tempore Solymanum ei nuntiatum misisse, vt thesauros, & spolia, & prouinciam Mustaphæ caperet, quòd omnia illi largiretur. At Zeangirum conuersum, sceleſtum patrem, & impium atque inhumanum vocasse, ac iussisse, ipsum his spoliis lætari innocentis hominis, in cuius animum tantum feritatis incidisset, vt filium tam præclarum, tam magnificum, tam illustrem, qui egregium ornamentum Othomannicæ familiæ futurus erat, nullo certo indicio cognito, indictaque causa, & sola inani suspicione, solisque maleuolorum verbis impulsus necasset. his, multisque aliis verbis conqueſtum, pugione, quem fortè habebat, mortē sibi ipsi conscisse, ita vt eueſtigiò supra prostratū fratris cadauer languidum spiritū emiserit. Longum autem foret commemorare, quomodo res vniuersa gesta fuerit, quàm atrox certamen inter Solymani ac Mustaphæ copias enatum sit, quantoperè de vita periclitatus, quantis lacrymis ac gemitibus amissum filium desiderarit, & quantopere demùm hoc Persarū animos, cum quibus paulò antè in gratiam redierat, in se concitarit, ita mediusfidius, vt hac horribili crudelitate audita, protinus armis correptis, Amasiam ferro & igni deuastarent, omniaque incendiis, rapinis ac populationibus immiscerent. Quod itidem de Selymo, qui postmodū Solymani in imperio successor fuit, memoriæ proditum est, hîc neutiquam silentio prætereundum videtur. Sunt enim qui litteris consignarint, huic tum temporis Ciliciæ præsidenti, à quodā Chiusso (sic Turci Cursorem vocant) fratrum mortem nūtiatam, eo quidem animo, vt se aliquod magnum præmium pro illo nuntio accepturum speraret, cùm præsertim ipsi omne impedimentum sublatum esse videretur, quò minùs post patris obitum ad imperium perueniret. Verumeniuerò, huiusmodi nuntio ipsum tantoperè consternatum fuisse dicunt, ac etiam tanto animi dolore affectum, vt ingentem vim lacrymarum in funere charissimorum fratrum effuderit, eiusque infelicis nuntij ministrū pro mercede ac præmio expectato longissimi itineris, & summa celeritate, qua vsus fuerat, mox securi percuti iussisse: quod glorioſum sanè exemplum fuit, eoque plerique admonentur, infelices nuntios nemini læto animo esse ferendos, & nullam esse tantam imperij magnitudinem, quæ coniunctionem ex bonorum virorum animis ac mentibus probè à natura institutis, vllo vnquam tempore, vllaque caſuum acerbitate ac fortunæ inconstantia labefactare, nedum obliterare possit. Ex hoc autem execrabili & parricidiali exemplo facilè cuiuis annotare atq. obseruare licet, vbi agitur de imperio, vel si pertenuis suspicio existat, nullam firmam esse aut sanctam naturæ, vel amicitiæ coniunctionem, cùm regni maiestas, & dominandi libido, omnia diuina humanaque iura prosternat. Nec tantum hoc passim videre est inter eas nationes quæ verum Dei cultum & religionem ignorant; sed etiam passim inter illos qui puriorem fidem ac doctrinam professi, Christo nomina dederunt. Ne verò exemplorum enumeratione hîc modò lectorem detineam, hæc pauca instar plurimorum esse poterunt. Ferdinando primo Aragoniæ rege ad imperium euecto, & postea distractis in quatuor, mox etiam in quinque partes Hispaniæ imperiis, crudelissimæ cædes non solummodò Principum inter ipsos consecutæ sunt, sed etiam fratrum, parentum, ac liberorum. Nam Alfonsus tertius, Asturiæ & Galliciæ Princeps, omnes fratres oculis orbauit, vnus etiam cæsus est, cùm partem imperij occuparet. Consimiliter Alfonsus quartus à Raymiro fratre oculis est orbatus. Petrus item Alfonsi XI. filius legitimus, ab Henrico fratre spurio deiectus est, ac cæsus. Garzias itidem à fratre Sanctio, hic à Vellido. Nostrorum patrum memoria, M. Antonius Columnius, vniuersis oppidis paternæ ditionis captis, patrem ipsum de imperio deturbauit. Episcopus

Selymi præclarū facinus.

Exempla sæuitiæ & crudelitatis.

Leo-

Leodienſis,qui à Roberto Marcano,Duce Bullionenſi,Leodienſem epiſcopatum & alia ſumma ornamenta conſecutus fuerat, à rege Galliæ deficiens, ſeſe Naſſauio pro Carolo Cæſare dimicanti, coniunxit, ſeq. fratri hoſtem præbuit. Leodienſes quoſdam ciues, quos fratri ſtudere cognouerat,in flumen præcipitari iuſſit. Quod ſanè factum eſt anno ſalutis ſupra mille quingentos vigeſimo primo. Illud verò hîc obiter adiiciendum putaui, eos nempe, qui aliqua re offenſi à Franciſco rege deſciuerunt, eos poſtmodum maxima damna intuliſſe; quorum è numero fuit iſte Epiſcopus, Princeps Auraicus, Marchio Mantuanus, Dux Borbonius, & Andreas Auria, ſicuti etiam de hoc poſtremo ſatis luculenter oſtẽdimus. Regi Anglorum Eduardo quarto,duo erant fratres : vnus nomine Georgius Dux Clarentianus: alter Richardus Dux Gloceſtrius. Is Merlini libros fatidicos conſulere cogitauit, vt ſciret quid poſteris futurum eſſet: quæ ſuperſtitio in Anglia iam ab ipſius regis Arturi ætate admodum inualuerat. Hæc vaticinia vbi intellexit, vt quidem illi exponebantur, (nam flexiloquam & ambiguam habebãt interpretationem non ſecus atque Apollinis oracula) comperit,alterum ex fratribus, eum nempe, cuius nominis eſſet à litera G, hæredibus eſſe regnum ereptorum: erant autem illi duo mares. Duci Clarentiano, vt dictum eſt, nomen erat Georgius : itaque eum putauit oraculo illo deſignari. Quare comprehenſum, ſtatim indicta cauſa,immerſum in dolium vini Aruiſij necauit; illius morte ſe oraculi fato defunctum eſſe arbitratus, non animaduertens, alterum fratrem eſſe Ducem Gloceſtriæ,cuius ditionis nomen ab eadem litera inciperet. Proinde fratris morte expiatum eſſe ratus ominoſum hoc Merlini vaticinium, morti proximus, liberos ſuos pupillos reliquit tutelæ fratris Gloceſtrij. Qui cupiditate regni poſt fratris mortem occupandi incenſus, duos mares in turri Londinenſi interfecit, rumore in vulgus ſparſo,illos caſu è ponte, quo in turrim eſt aditus, deiectos periiſſe: feminas in monialium collegium intruſit, illegitimo partu illas editas eſſe cauſatus, quòd earum mater nobili cuidam Anglo nupſiſſet. Ita regium ſibi diadema per vim impoſuit, rerumque potitus, qui de tanta iniuria conqueri auſi eſſent, eos omnes variis ſuppliciis occidit; nec promiſcuè in omnes graſſari deſijt, donec tandem iuſta diuini numinis vltione à Comite Richomontio in acie deuictus, fortiter pugnando concideret. Verùm in his recenſendis calamum reprimo, ne diutius ab incepto digrediar.

Mors regis Eduardi.

Hic annus immatura ſereniſſ. Eduardi regis filij inuictiſſ.regis Henrici octaui, ex Ioanna Semera, quam ab Anna Bolenia duxerat in matrimonium, ſuſcepti, morte funeſtus ac planè luctuoſus fuit. Videbatur ſiquidẽ hic iuuenis Princeps, tanquam præclariſſimum ſidus cælitus donatum, populo Britannico eluxiſſe, cuius immenſa ac ſingulari rerum geſtarum magnitudine, niſi fata obſtitiſſent, auita illa atque inclyta Britanniæ regum gloria, aucta & illuſtrata mirum in modum fuiſſet,vtpote cuius heroica natura, atque animi,optimis liberalium artium diſciplinis, & omnigena linguarum peritia formati atque inſtituti,generoſitas, nihil omninò,præter excelſum, nihil, dico,præter inſigne ac moderatum,domique ac foris glorioſum,ſuſpiceret, vel admiraretur. Sed, prô dolor, cecidit ante diem,& non ſecus,ac tenerrimus flos, atroci & fatali diſcerptus vngue, elanguit, & ante ætatem, cùm vix decimum ſextum annũ(natus enim fuerat quarto Idus Oct.anni eiuſdem qui trigeſimi ſeptimi)exegiſſet,non citra magnum ſui relictum deſiderium,& incredibile totius Britannici regni detrimentum, repentè ex oculis mortalium pridie Non. Quintilis morbo tabifico ſublatus eſt. Poſt huius optimi ac excellentiſſimi Principis obitum, ſubſecutæ ſunt in ea inſula, Maria eius ſorore,

Eiuſdem generoſa indoles ac virtus.

sorore, Ferdinandi Hispaniæ regis filia, & Caroli Cæs. amita, regno Britannico potiente, ingentes ciuilium dissensionum procellæ, ac miræ conuersiones, quæ etiam cælitus prænonstratæ fuerant, siquidem & cometæ apparuerunt, & maxima vis ventorum ac tempestatum exorta, ipsaque flumina cum haud exigua indigenarum clade stagnantibus aquis in immensum excreuerunt. Porrò hæc, atque alia, quæ etiam in Germania per idem fermè tempus conspecta fuerunt prodigia, non modò Britannicas, verùm etiam reliquarum nationum, in primis verò inferioris Pannoniæ, Italiæ, atque adeò ipsius Germaniæ impendentes miserias & calamitates, haud dubiè prænuntiarunt. Nam eodem fermè tempore articulo, Isabella Transiluaniæ regina, Sarmati regis filia, singulari prudentia, viriliſque animi mulier, Petro Chendo, aliisque Proceribus eius partes adiuuantibus, seditione aduersus Ferdinandum excitata, breui omnes ipsius copias, quæ erant in ea Prouincia, eiecit ac profligauit, & regnum, Turcicis copiis vndique accurrentibus, recuperauit. Eo potita, nihil potius habuit, quàm vt procerum animi, quos ad Ioannem filium in regem accipiendum suinma quadam industria & sagacitate pellexerat, in fide seruãda confirmarẽtur, sic mediusfidius, vt tandem ipsi, neglecta spretaque Ferdinandi amicitia, de vnanimi consensu & voluntate Ioannem, tanquam legitimũ filium, admiserint, neq. prius cessauerint, quàm vniuersam Transiluaniam Cæsariano milite liberauerint. At in Germania, nona die eiusdem mensis quo rex Eduardus supremum diem expleuit, atrocissimum prœlium inter ducem Mauritium & Albertum Brandeburgensem, à meridie summis copiis summaque vtriusque ducis virtute & alacritate commissum est. Alberti equitatus, etsi inferior Mauritij equitatu censebatur, tamen omni genere bellici apparatus præstabat, cùm ad decem & octo egregia haberet vexilla: peditatu certè multò superior fuisse dicitur. Inter dimicandum Albertus iussit præstantiores è suo equitatu quatuor vexilla cataphractorum Mauritij inuadere: quod factum est vtrisque propinquantibus, vt lanceas infringere propter locorum angustias non possent. certatur sclopettis, magno animo, singulari virtute, atque incredibili fortitudine. Albertus postea cùm pluribus è partibus inuaderetur, magna suorum clade debilitatus, eò tandem redactus est, vt, quemadmodum causæ æquitate inferior, sic etiam fortuna eius cœptis atque conatibus aduersante, fuga sibi salutem quærere cogeretur, atque cum octo dumtaxat equitibus aufugiens, bellica tormenta, apparatus, omniaque impedimenta hostium arbitrio reliquit: quod bellum à meridie, vti diximus, siue, vt alijs placet, à prima luce inchoatum, ad noctem propè perdurauit, commissumque est haud procul à Visurgi flumine in planitie quæ inter principatum Brunsuicensem & Caucos populos interiacet. A multa dimicatione, penes Mauritium fuit eius diei victoria, sed ipse ænea glande transfixus ad ilia, biduò pòst naturę concessit. Desiderata sunt ad quatuor circiter millia, plerique omnes equites, pedites complures capti. Henricus Brunsuicensis eo in conflictu duos amisit filios, Carolum & Philippum. Hunc exitum habuit prœlium gestum à Mauritio aduersus Albertũ pro tutela ac defensione Germanicæ libertatis. Sepultus est Fribergi, oppido Misniæ, decimo quarto die post conflictum, iuxta parentem Henricum & filiolum Albertum. Excesserat annum trigesimum secundum. Signa militaria sunt hostibus erepta, & ad ipsum ex certamine relata, pedestria quidem quatuor & quinquaginta, equitum verò quatuordecim: nonnulla tamen propter nemorum propinquorum frequentiam & noctis interuentum seruata. Inter Mauritium & Albertum, cùm essent æquales, maxima semper fuerat necessitudo, sic sanè, vt nihil

Transiluania deficit à Ferdinando.

Conflictus exercitus Mauritij & Alberti.

Ducis Mauritij mors.

nihil esset illis coniunctius. Tribus enim bellis ambo simul militarant, Gallico, Smalcaldico, Magdeburgico: deinde quartum atque postremum hoc in Cæsarem susceperunt. Sed natis offensionibus, hunc tam funestum habuit exitū ipsorum amicitia. Non defuerunt qui memoriæ prodiderint, Mauritij mortem nonnulla prodigia præcessisse, nempe sanguineas guttas in foliis arborū hærentes, canum importunissimos latratus, & mutuas dilaniationes, equorum veluti fremitus, & concursationes armorum, & pleraque alia terroris plena: deinde tabernaculum eius turbine disiectum, ceteris intactis, & quasdā ipsius voces veluti præsagas futuræ mortis atque prænuntias. Et sanè quantum ad guttas illas cruentas pertinet, multis in locis conspectas fuisse, à nonnullis traditum est, & Argentinæ quidem sub initium Iunij, cùm super herbas, frondes, tegulas atque saxa decidissent. Volitabat tunc ingens papilionum turba; neque deerant qui cruorem hunc ab iis emanare dicerent: alij contrà, portendi aliquid atque significari iudicabant. Huius quidem inclyti atque illustrissimi Principis tanta fuit animi excellentia, atque in ferenda vtraque fortuna constantia & robur, vt meritò cum summis quibusque Principibus atque Imperatoribus conferri & comparari possit. Nam, præter augustam corporis staturam, & venerandam oris, ac planè totius vultus serenitatem, tanta emicuit bellica virtute & gloria, vt iure ab omnibus pro vero Martis alumno, hoc est, in Martis Bellonæque sinu educatus haberetur. Cuius certè fortitudinis exempla nisi extarent, & omnium bonorum scriptorum monumentis celebrarentur, aliquid dicerem. Sed cùm illa, citra controuersiam, omnem inuidiam superarint, satis habuero, si in præsentiarum dixero, huic excellentissimo Principi AVGVSTVM, eius germanum fratrem, nunquam mihi absque summa honoris præfatione, gratissimique animi cum obseruantia, tum recordatione, nominandum, statim post eius obitum successisse. cuius me herculè Principis tanta est iustitiæ, prudentiæ, ac ceterarum virtutum flagrantia, vt præstantissimorum Principum omnium ætatum exemplo, summam legum morumque disciplinam, in sua ditione, quam habet augustissimam, latissimeque patentem, tanta cum omnium subditorum suorū securitate induxerit, & constabiliuerit, vt nemini mirum videri debeat, hunc Principem sapientissimum non solùm diu in pace, atque rerum omnium affluentia & vbertate floruisse, & indies magis atque magis florere; verumetiam contra omnem ingruentis belli & conuersionis tempestatem adeò extitisse, & etiamnum esse præmunitum, vt facili cum negotio se suosque tueri, ac contra omnium aduersariorum suorum potentiam & iniurias propugnare possit, sic mediusfidius, vt in hoc Principe admirari subeat, vtrum illi maior laus propter omnium disciplinarum atque bonarum artium peritiam & conseruationem, vel ob summam heroici animi magnanimitatem, æquitatem & imperij moderationem debeatur. Neminem enim latet, nisi penitus humanarum rerum ignarum, ipsum non semel intestina bella, atque domesticas turbas, in grauem suam perniciem ac exitium haud dubiè erupturas, summa iudicij rectitudine & consilij maturitate, statim ab initio cum graui & seuera illarum auctorum animaduersione restinxisse, ita certè, vt inaudita propemodum prudentia longas & occultatas, à non paucis perditissimis, & iure à sacro imperio proscriptis hominibus, deliberationes, & exitiosa consilia, summa felicitate, ac magno totius Germaniæ beneficio repressérit. Quod etiā facilè animaduertere licet in illa funesta Gothæ coniuratione, in qua plures, effascinato consanguinei Principis animo, aduersus hunc Principē dira & execranda moliti fuerant, quæ omnia cùm non minùs verè quàm luculenter in literas à multis relata sint,

Prodigia ante Mauritij obitum.

Augustus, Mauritij frater, & hæres.

sint, non est quòd his diutius immorer: satis & abunde fuerit, huius augustissimi Principis præclaras animi virtutes, atque egregiè excogitata, & facta ob omnium oculos, veluti in communi quodam theatro quàm breuissimis verbis exempli gratia posuisse. Id verò interim haud quaquam mihi silentio prætereundũ est, videlicet, non absque singulari Deorum omnium immortalium beneficio euenisse, vt, quò tanti Principis felicitas omnibus suis, quod aiunt, numeris absoluereturconiugem se planè dignam, ANNAM scilicet, CHRISTIANI Sereniss. Daniæ, &c. regis filiam, lectissimam Principem, ac multis heroicis tam animi, quàm corporis virtutibus, cum quibuslibet citra aliquam exceptionem, Christiani orbis heroinis decertantem, in matrimonium duceret, ex qua, felici quadam fecunditate, multam, ac ferè numerosam inclytam prolem, prorsus talibus tantisque parentibus dignam, etiamnum maiori ex parte ad retinendum perpetuum auitum Germaniæ decus, propagandumque Imperij limites, superstitem procreauit. Nec etiam prætereundum, quamuis alioquin magna festinatione ad inchoatæ nostræ historiæ comtextum properemus, hunc optimum iuxtà & sapientissimum Principem, cuius splendor in laude vera, & dignitas in animi atque consilij magnitudine perpetuò eluxit, eos semper apud se plurimi fecisse, ac sibi potissimùm ad intima consilia & arcana adhiberi voluisse, quos ceteris optimarum artium studiis, prudentia, fide ac integritate præstare animaduertit, ita profectò, vt nemini mirum videri debeat, si eius ditio & florentissima sit, & illius subditi, summa tranquillitate atque otio perfruantur. Et tametsi tam politica, quàm œconomica eius administratio omnibus ferè nota sit; tamen quò magis eluceat, quibus auctoribus atque consiliariis non solùm in rebus arduis atque perplexis, verùm etiam in communi rerum administratione vti assueuit, hîc aliquot hac nostra tempestate eius Celsitudini inseruientes, raptim & cursoriè, honoris causa, ascribere non pigebit: quorum certè præstantissimorum virorum quamlibet magnam habeat frequentiam, nihilominus tamen primas partes sibi obtinet generosus atque illustris vir D. Burchardus ex antiqua & planè illustri Comitum à Barbi familia oriundus, qui etiam tum propter spectatam fidem, tum propter singularem rerum omnium cognitionem & vsum, per vniuersam ditionem Principis vices gerit. Proximus ab hoc meritò omnium iudicio habetur D. Hugeboldus ab Einsidel, Nomophylax, ac planè eo munere dignus, cui cum magna sua laude, nec minori omnium satisfactione tanquam supremus Cancellarius adhibetur. Ioannes verò à Bernstein, Hieronymus Pflugh, Zebotẽdorfius, & Won Berlipsick, ita vt sunt nobili genere orti, sic planè eiusmodi, qui meritò à tanto taliq. Principe in consilium in omnibus rebus adhiberi debeant. Nec inferioris sunt notę propter etiã iamdudum spectatã atq. agnitam fidem, nec minorem bonarum artium atq. disciplinarum omnium scientiam Ioannes Eilenbechus, Laurẽtius Lindemanus, Iustus Mudorfius, Andreas Pauli, Dauid Peiferus, Hermannus Pistorius, ac pleriq. alij, quorum etsi eximia & singularis virtus meretur, vt silentio nõ inuoluantur; tamen, ne longiori digressiuncula aliud vltra institutũ agere videar, breuitatis causa hoc tẽpore eos nominatim recensere supersedebo. Nec hic Princeps tam præclaro magnorum virorum cœtu, ac planè (vt verum dicam) vero Amphyctionio contentus, armamentarium habet longè instructissimum, necnon opulentiss. ærarium, cui à multis retroactis annis cũ singulari & inexpugnabili animi integritate præfuit præclarissimus vir Iohannes Harrer, mihi multis modis suspiciendus. Reliquum est, vt de Ioanne Ienitzio, viro sanè, de quo dubitari liceat, vtrum ingenij, doctrinæ, ac eloquentiæ artibus,

an fidei ſtudijque integritate ſit præſtantior, non conticeſcat mea oratio. Ita eſt enim omnibus partibus atque numeris abſolutus, vt piaculum, meo quidem iudicio, foret, tantum virum tantis enumeratis viris non connectere, eò magis, quòd ipſi Principi à ſecretis epiſtolis ſit, cui etiam Ioannes Schemerus, tanquam collega, & officij conſors, meritò propter egregias eius animi dotes conſociatur. Sed, antequam ad inſtitutam noſtræ hiſtoriæ ſeriem reuertar, haud abſurdè adijciendum eſſe arbitror, ex hac illuſtriſſima & antiquiſſima Saxoniæ Ducum familia, cuius primos conditores, ſicuti multis grauibus ſcriptoribus placet, Duces de Engern, & Marchiones de Within, vnde Landtgrauij Thuringiæ fuiſſe dicuntur, tres præſtantiſſimos Duces, nimirum Othones, ceu ex equo Troiano, ad ſupremum Cæſareum faſtigium euectos eſſe, qui ſibi cognomines dicti ſunt. Deinde ſucceſſu temporis, germinante nobiliſſima ſtirpe, quaſi diuiſa per latè diffuſos ramos, quàm latiſſimè altas radices egit, ac ſic vbertim maximos ac præclariſſ. Principes produxit: quorum nomina & geſta hîc comprehendere infiniti laboris eſſet. Hi verò quos nominauimus, quàm multa egregia cùm ad vtilitatem, tum dignitatem imperij Romani excogitauerint atque geſſerint, non eſt quòd multorum teſtimonia requiramus, fo-tiſſimùm, cùm nullus ſit hiſtoricus, licet Germaniæ laudibus parum fauens, qui his aliquid, in tam manifeſta actarum rerum claritudine atque memoria, derogare audeat, vel poſſit, ſic me herclè, vt incertum ſit, cui potiſſimùm, propter animi magnitudinem gloriæque flagrantiam, maior laus iure tribui debeat. Horum poſtremus multis elogiis, ſcilicet propter omnium fermè heroicarum virtutum concurſum, paſſim celebratur, adeò, vt ob ſingularem ingenij præſtantiam, acin deſpiciendis rebus & temporum cõdicionibus incredibilem quandam prudentiam, Mirabilia mundi, inepto, ſed vulgari tamen recepto nomine, vocaretur. Tanto ſiquidem cum omnium populorum atque gentium terrore & ſtupore victricia arma circumtulit, vt depopulatis ac planè deuictis multis infeſtis barbaris nationibus, tandem Gregorium v. Romanum Pont. ſibi natione & affinitate coniunctum, à populo Romano, conſule Creſcentio, eiectum, vi atque armis priſtinæ dignitati reſtituerit: cuius quidē merito vt parem gratiam referret Pontifex, ac ſibi deinceps tantorum Principum gratiam & fauorem conciliaret, magiſque deuinciret, ſanctionem tulit, quæ in hunc vſque diem integra & inuiolata conſeruatur, in hæc verba.

Saxonicæ familiæ origo.

Saxonica familia tres Imperatores protulit.

Gregorij v. de Imper. eligẽdis ſanctio.

Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem vendicato.

Principes ſex, ſacri ordinis tres, profani totidem, eum deligunto.

Hi diſcordes ſi fuerint, Bohemiæ regem cooptanto.

Hanc formulam, & ordinationem, quæ fertur incidiſſe in annum reparatæ ſalutis milleſimum primum, poſtea Imperator Carolus quartus, ad diploma Pontificium, quod paſſim Bullam auream vocant, quæque hodie extat, redegit, ac ſingula ſignificantiùs expreſſit. Quam quidem ſanctionem Galliarum reges omnibus ſtudiis atque artibus ad Imperium aſpirantes, iniquiſſimo animo tulerunt. Sed quia regium ſtemma Caroli Magni in Ludouico Lotharij filio vltimo defecerat, regia dignitate in Hugonem Caputium tranſlata, cum Germanis de imperio amplius contendere neutiquam auſi ſunt. Hæc eò libentiùs adieci, quò certius comperi, hos tres, quos recenſui, Imperatores, ſemper optimè erga vniuerſam Italiam, atque adeò Rempublicam Genuenſem, affectos extiſſe, ac præclaram ſui memoriam, propter immenſa in illam collata beneficia, apud omnem poſteritatem nominis Liguſtici reliquiſſe. Ceterùm, vt ad

vt ad reliqua progrediar, hic annus, Caroli quoque Ducis Sabaudiæ iamdudum è suo Principatu Gallicis armis iecti, mortem associauit, qui paulò ante obitum, Philippum Philibertum filium hæredem instituit; cui Cæsar, pro se in Belgicis finibus militanti, paternaque hæreditate destituto, quò Principis personam aliquo modo tueretur, Astensem ditionem vectigalem ac tributariam concessit. Interea temporis in Gallia subalpina Brisacco duce grauissimum bellum aduersus Cæsarianos gerebatur, & in Etruria itidem Senensium causa, quorum tutelam & defensionem rex Galliæ susceperat, eoque Thermeum cum lectissima iuuentute ac nobilitate præmiserat; omnia sæuissimis & cruentissimis bellis flagrabant, adeò sanè, vt hic annus cùm ob multorum Principum necem, tum etiã ob plurimas conuersiones subsecutas, maximè insignis ac memorabilis extiterit. Nam, præter ceteros, quos nominauimus Principes, humanis rebus exemptos, intercidit etiam Petri Toletani mors, qui Cæsaris nomine habito militari delectu, longis itineribus in Etruriam properabat, vt sese Ascanio Cornienfi vniuersi illius exercitus præfecto, maturè coniungeret. Ceterùm, vbi Ligurnum applicuisset, atque inde Florentiam æger proficisceretur, paucis pòst diebus, viuis subtractus est. At mihi in tot insignium & diuersarum rerum in variis mundi partibus vno eodemque fermè tempore gestarum enarratione occupato, illud iam pænè, quod mei operis præcipuum argumentum est, exciderat, nempè Thermeum Gallicarum copiarum ductorem, virum singulari prudentia & laude militari insignem, rebus Senensibus compositis, iussu ac mandato sui regis ad classem Gallicam descendisse, quæ stationem habebat ad portum Herculis, & cum Turcica sese coniunxerat, in eaque, præter ceteros, erat etiam Salernitanus Princeps, cuius superius meminimus. Hæ classes in Cyrnum insulam delatæ, quòd Genua Cæsaris partes foueret, Casalium sinum occuparunt; eoque potiti, mox portum Syracusanum, qui est in altera parte insulæ, ab eo per diametrum ferè longitudinis distantem, crebris tormentis diuerberarunt. Genuenses, audita eius insulæ præter omnem spem oppugnatione, summa celeritate exploratoriam nauiculam expediuêre, simulque per fidelem internuntium, Præfectum Syracusani portus adhortati sunt, vt sese alacriter, & quoad eius fieri posset, aduersus vim hostilem & conatus defenderet, quòd maturrimè auxilia missuri essent. At verò cùm catascopium in potestatem hostium deueniret, resignatæ sunt literæ, magnaque pecuniæ copia promissa illi qui afferebat, si adulterinas literas pro legitimis afferret. quod negotium cùm in se recepisset, literæ à Thermeo scribi iussæ sunt, in quibus continebatur, vt præfectus portus sese, quibus melioribus posset conditionibus, dederet: quandoquidem Respub. Auriarum & Fliscorum internis seditionibus mirum in modum diuexata, non posset, eo quidem tempore, ad tanti belli magnitudinem subsidia transmittere. atque illæ literæ eodem sigillo, quod fuerat legitimis scitè detractũ, consignantur, in quo imago D. Georgij expressa erat: tum portu Syracusano ita per fraudem occupato, vniuersa propè insula, præter Ropicum, & Mantinos, potitur: atque Iordano Vrsino viro strenuo, ac rerum bellicarum peritissimo, huius insulæ administrationi cum prorogia potestate substituto, in Galliam reuersus est. Insequenti anno, scilicet supra mille quingentos, quarto & quinquagesimo, Britannia propter externum Principem accersitum, nuptiasque inter Philippum Hispaniæ Principem, & Mariam Angliæ reginã contractas, ciuili & pernicioſissimo bello conflagrauit, eo tandem exitu, vt præcipuis seditionum auctoribus circa eiusdem anni initium captis, aut fuga elapsis, citra vllum obstaculum sese postmodum Philippo coniugali vinculo se-

Caroli Sabaudiæ Ducis obitus.

P. Toletani mors.

Corsica insula capitur à classe Turcica.

Portus Syracusanus dolo à Turcis & Gallis occupatur.

1554.

Anglia ciuili bello diuexatur.

lo ſeptimo Cal. Sextilis, regia pompa & ſplendidiſſimo apparatu aſſociauerit. In eos autem qui capti fuerant, inter quos primi Suffoltius Dux, & Thomas Viatus equeſtris dignitatis vir, & manu conſilioque promptus, extiterunt, publico ſupplicio animaduerſum fuit. At in Belgio iiſdem temporibus inter Carolum quintum, & Henricum Galliarum regem, atrociſſimum bellum, fortuna ipſi Henrico longè benigniore, ſicuti etiam in ſubalpina Gallia Briſſaci Mareſchalli & trib. mil. virtute & auſpicio, gerebatur. Ceterùm hæc in Italia, plurimum aduerſata, non dubium ſuæ inconſtantiæ ac leuitatis exemplum præbuit, Petro Strozza Senenſium Duce, ac Prorege in Italia, tertio Non. Sextilis, in limitibus Florentini & Senenſis agri, in ea conualle quæ inter Martianũ, Lucinianũ, & Foianũ media relinquitur, à Iacobo Medico Mariniano, Cæſariani, & Coſmi Florentini Principis exercitus præfecto, ingenti clade affecto, ita ſanè, vt minimum abfuerit, quin ipſemet Strozzius in pugna viuus caperetur. qua deſperata, Lucinianũ primò, duplici glandine plumbea percuſſus, ſe recepit, indeque ſtatim ad Alcinoi montem, vt illic curaretur, eſt introductus. Sub eiuſdem fermè temporis tractum Gallica claſſis cùm in Cyrnum inſulam appuliſſet, Caſanum ſinum, oppidum S. Florentij vocatum, & Syracuſanum portum, quem S. Bonifacium appellant, commeatu, rebuſque ad bellum neceſſariis communiuit: quæ loca, vti proximè enarrauimus, à Gallis occupata fuerãt paulò antequam Thermeus regulus Sena diſceſſiſſet, & ab eodem Thermeo in Galliam proficiſcente, munitionibus atque aggeribus confirmata. Is enim cũ nonnullos mẽſes in inſula moratus eſſet, effecerat, vt pænè vniuerſa, præter pauca caſtella, in Gallorũ manus ac poteſtatẽ deueniret: & cùm mare Liguſticum hoſtili claſſe plurimum diuexaretur, Genuenſes ob ingentia damna inflicta, arma in Cyrnum inſulam ipſis Gallis intulerunt, ſuaſque arces, atque oppida quæ adhuc in fide retinebantur, tam validis præſidiis communiuêre, vt non repellendis modò, verùm etiam infeſtandis hoſtibus idonea eſſent. Siquidem Thermeus, priuſquam in Galliam adnauigaret, eorum oppidorum arciumque expugnatione ſæpiùs nequicquam tentata, Iordanum Vrſinum, virum, præter natalium ſplendorem, rei bellicæ peritiſſimum, in ea inſula rebus regiis, vti prædiximus, cum proregia poteſtate atque imperio reliquit. Claſſis verò, cui tunc temporis Leo Strozza Petri frater præerat, vbi commeatus, reſque neceſſariæ inſulanis præſidiis fuiſſent expoſitæ; ad portũ Herculis applicuit, quò ibi claſſem Gallicam opperiretur. Et quoniã per idem tempus, Strozza, adauctis viribus, Florentinum agrum, cum ſex millibus peditum, & quingẽtis expeditiſſimis equitibus populabundus deuaſtabat, ipſe interea, vti aliquod egregium, pro animi ſui celſitudine, virtutis ſpecimen ederet, loca hoſtium maritima cum ſuis triremibus inquietare conſtituit: & mox ad Scarlinum, Tuſciæ ac Populonicæ ditionis municipium, deſcenſione facta, dum eius loci expugnationem diligentius explorat, ab oppidanis præſidiis ærea glande transfixus, breui pòſt ex vulneris dolore mortalitatem expleuit. At claſſis Leone duce orbata, illicò tumultuari & diſcordia crebriſque contentionibus vexari cœpit, adeò, vt P. Strozza ad res componendas cum magna peditum manu illuc proficiſceretur, quo etiam tẽpore tamdiu ibi ſubſtitit, vt Gallica claſſis diu expetita, qua vehebantur Aquitani & Germani, Maſſiliam applicuerit, rebuſq. omnibus ad bellum neceſſariis præparatis, denuò magni & grauiſſimi conflictus vtrimque habiti, ac poſtremùm ad quartum Nonas Sextilis crudeliſſimum prœlium inter eoſdem duces cõmiſſum fuit, eo ſucceſſu, vt tandem Marinianus iterum de hoſte victoriam, multò priori illuſtriorem atque inſigniorem, retulerit. Iiſdem fermè diebus, Othomanica

Senenſium clades.

Galli, Corſicæ oppida inſularibus occupata, præmuniunt.

Leonis Strozzæ interitus.

Prœlium inter P. Strozzii, & March. Marinianum.

nica classis ex angustiis Byzantij per Bosporum Thracium ad Christiani nominis perniciem egressa, primò in Apuliam, deinde ad sinum Floræ vocatum, non longè à Neapoli distantem, peruenit; militeq. in continentem exposito, Vestam, & Bestizzen agri Neapolitani oppida, sub auroram inuadũt ac diripiunt, omniaque sacris profana immiscent, ita sanè, vt ad vnum oppidanos classe aueherent: & mox ad Calabriæ, siue magnæ Græciæ Salentinorumque littora, & alia loca maritima adiacentia præteruecti, quamplurimos iterum in captiuitatem abduxerunt, atque æstate iam præcipitata, classis multa præda, multisque captiuis onusta, Byzantium reuersa est. Inter hæc, Iulius tertius nono Cal. Aprilis fato subtractus est. Cui post multas Patrum controuersias, Marcellus Ceruinæ familiæ Card. S. Crucis, ciuis montis Politiani, vir sanctitate vitæ, integritate, prudentia, & disciplinarum cognitione præstans, cum incredibili omnium bonorum lætitia, præter omnium spem, tertio Calendas Iunij, successit, & Marcelli secundi nomen sibi assumpsit. Verùm is, qui cum tanto omnium populorum applausu, & congratulatione ad summum dignitatis apicem diuina potiùs quàm humana opera prouectus videbatur, breui aduersa valetudine tentari cœpit, donec tandem paulò pòst syncope correptus, decidente grauissimo rheumate, visus est primùm dormire vel ipsis medicis. At cùm nimis diuturna quies videretur, excitantibus, immobilis, & propè sine sensu inuentus est, & mox Calendis Maij, cum summo omnium mærore & lachrymis, naturæ concessit. Paucis pòst diebus, nempe nono Cal. Iunij, patrum purpuratorum consensu, Petrus Carafa, Neapolitanus Card. deinde Paulus quartus dictus, supremus Pontifex designatur. Brissacus interim, subalpinæ Galliæ procurator, nihil omninò reliqui ad summam diligentiam faciebat, quò Cæsarianis incommodaret: breuique temporis interstitio, Casalem, Mantuanæ iurisdictionis vrbem, Pado vicinam, opera in primis Saluazonis viri nobilis, atque ibi summis opibus & auctoritate florentis, occupauit, & postmodum infra octo dierum spatium arce etiam potitus est. His peractis, exercitum in Montisferrati ditionem produxit, & pleraque loca eius prouinciæ, sui regis imperio adiecit. Quo quidem tempore, Dux Albanus cum summo rerum Cæsarianarum imperio in Italiam profectus est, qui breui ingenti exercitu in togata Gallia ac Taurinis coacto, mox mense Quinctili Vlpianum longa Gallorum obsidione extenuatum, noua munitione & commeatu firmauit ac refecit. Post quæ, nulla mora interiecta, sub fanum Iacobi mouit, ibique castra posuit. Sed eo frustrà aliquandiu per tormentorum grandinem oppugnato, cùm præsertim hostem in campo versari exploratores referrẽt, & militem tum æstiuis caloribus, tum perpetuis laboribus defatigatum haberet, accepto magno detrimento castra mouit. Galli, eius victoriæ facilitate elati, conuersis signis Vlpianum repetunt: vbi 24. dierum oppugnatione Vlpianenses fatigati, x. Cal. Sept. ad pactiones descenderunt. Cuius victoriæ laus militum contentione stetit: insignia verò militiéque præmia regulus Daumalæus, quo auctore expeditio illa & suscepta, & confecta erat, reportauit. Is deinceps Vlpiano mœnibus nudato, eiusque arce funditus excisa, Moncaluum tormentis cõcussum obtinuit, & præsidio communiuit. Dum hæc in Italia geruntur, mense Sextili Cæsariani cum Gallis memorabili nauali pugna ad angustias Britannici Oceani à nona eius diei hora ad tertiam vsque pomeridianam varia & ancipiti fortuna dimicarunt: isque tandem huius cruentissimæ pugnæ fuit exitus, vt Galli quinq. aduersariorum naues ceperint, & nauis vna prętoria ex Gallica classe depressa mersaque fuerit; sex autem incendio, totidemque ex Belgicis conflagrarint. Eorum verò qui

Classis Turcica Neapolitana oppida depopulatur.

1555.

Iulij tertij Pont. mors.

Marcellus secundus Pont. renuntiatur.

Eiusdem obitus.

Paulus quartus Carafa Pont. designatur.

Galli Casalem ac eius arcem occupant.

Dux Albanus cum Imperio in Italiam ablegatur.

Albanus in Gallia trãsalpina infeliciter dimicat.

Vlpiani deditio.

Naualis pugna inter Cæsarianos & Gallos.

in eo conflictu perierunt, numerus dispar fuit. Belgæ socios nauales trecentos, Galli plusquàm mille, & in his præfectum classis desiderarunt. Circa eadem ferè tempora, Henricus Nauarræ rex supremum diem clausit: cui Vendomius in assem ex dote vxoria in reliquas fortunarum ac regni successit. Nam eius regni meliorem partem anno supra sesquimillesimum duodecimo Ferdinandus Aragonius occupauerat. Iisdem quoque diebus, Ioanna Cæsaris mater, è vita migrauit. Hoc statu rerum, Salarais nobilis archipirata, cum nonnullis rostratis biremibus ac myoparonibus vniuersa littora maris mediterranei deuastare cœpit, ac in primis Etruriæ imminebat. Antequam ergo longiùs procederet, & Gallorum sese copiis adiungeret, Marinianus portum Herculis, quem Galli tenebant, inuasit, & interfectis præsidiariis, virtute militum arcem Idibus Iunij expugnat. Turci postea Plumbinum obsident; & cùm, accepta haud exigua clade, non succederet, Iluam, Florentini Ducis insulam, tentant: sed consimili successu. Deinde proxima quæque loca populationibus & incendiis replet, ac etiam Adriaticum mare infestat, multaque castella Christiani nominis, colonis ad transtra catenatis, acerrimè depopulatur. Quibus rapinis non mediocris terror vniuersæ Italiæ littoribus est iniectus, adeò vt Veneti, his prædationibus commoti, suæ classis quæ erat ad custodiam sinus Adriaci, præfectum, ad tantam audaciam & incursiones piratarum reprimendas, tantaque calamitatum incendia restinguenda, miserint: cuius singulari industria ac fortitudine effectum est, vt piratæ fuga sese in sinum Adrumenti subduxerint, omnesque Adriatici littoris oras tutas indigenis reliquerint. Porrò hac æstate non solùm Italici littoris loca Turcicis incursionibus infestata, verùm etiam ab iisdem pleraque oppida & vrbes inferioris Pannoniæ, plurimum damni atque incommodi acceperunt; præsertim verò Zigetani, quorum oppidum atque arx durissima obsidione pressa fuit, eo quidem successu, vt ipsi ex toties repulso hoste, ac tandem profligato, insignem laudis palmam reportauerint. Constat enim in ea obsidione aduersariorum ad duo millia & amplius cæsa, cùm eorum vix centum ac sexdecim desiderati esse dicantur.

Hērici Nauarri regis obitus.

Salarai archipirata mare Tyrrhenū & Tuscum infestat.

Plumbinum oppidum à Turcis frustra obsidetur.

Zigeti obsidio.

Eiusdē propugnatio.

1556. Secuto anno supra mille quingentos quinquagesimo sexto, de pace inter Cæsarem Gallumque agi cœptum est. Siquidem mutuis incommodis fracti, ac debilitati, iam vel sua sponte, licet prius haud parum per Romanum Pont. & Britanniæ reginam de reconciliandis animis allaboratum esset, ad pacis cōsilia inflecti videbantur. Sed cùm Carolus Lalanius Hannoniæ præses, à Cæsare; Gaspar Castallonius regiæ classis præfectus, à Gallo, ea de re legati missi, cōtrouersias omnes prorsus eximere, aut pacē planè constituere nequirent, id tantum effecēre, vt apud Vacculam Samarobrinis finitimum municipium, Non. Feb. quinquennales indutiæ fierent: interim quisq. sibi retineret quod ex alterius iurisdictione præteritis bellis vsurpasset. Eiusdem anni mense Martio, die quarto, ingens & luridum sidus spatioso limite flammiferum crinem trahens, in octauo Libræ gradu, & in opposito Martis, conspici cœptum, XII. ferè dies arsit. Id funebrem oblongamque caudam principiò versus Orientem extendebat. Sed cùm ab Ecliptica Aquilonem versus velocissimè indies moueretur, cœpit eam versus Meridiem porrigere. Hoc simulatque Carolus V. aspexit; Istis indiciis, inquit, me mea fata vocāt. Secuti sunt paulò pòst insignes calores, & deinde ingentes pluuiæ: in Noricis verò finibus & in regionibus Sueuorum ac Bohemorum, tanta, tamque formidabilis exorta est tempestas, & ventorum tanti turbines, vt multa ædificia prostrata sint, & solo æquata: conuulsæ arbores radicitus, assiduus propè fulgorum splendor, tanquam nictus oculorum interposito interuallo; igneisque crebri & chasmata

Quinquennales indutiæ inter Cæs. & Hēricum.

Cometa cōspectus.

chasmata in aëre visa, quæ ad aliquot dies perdurarent. At Cæsar interim, siue honorum pertæsus, cùm rerum omnium denique sit satietas; vel cupiens iam post innumeros bellorum labores exantlatos, ceu emeritus miles, exautorari; vel quòd subinde aduersa valetudine tentaretur, præcedenti anno Philippum filium ad se accersiri iussit, vt, abdicato imperio, ipsum, omnium suorum regnorum hæredem constitueret. Philippus, cognito sui patris decreto ac voluntate, sub finẽ mensis Augusti ex Anglia in Belgium, cum magno procerum Anglorum comitatu deuectus, Bruxellam ad Cæsarem parentem venit. Deinde mense Octobri totius Belgij optimatibus omnium ordinum eôdem euocatis, deque sua valetudine locutus, inter cetera, se in Hispaniam profecturum demonstrans, per publicam stipulationem in Philippum filium omne ius ac potestatem confert, eosque multa oratione ad fidem atque obsequium adhortatur. Ea fama per omnem Europam longè lateque disseminata fuit, & classis iam in procinctu erat, dieque ad Idus Nouembris constitutus. Paulatim verò is rumor deferbuit. Et quia tempus anni minùs tam longinquæ nauigationi aptum atque opportunum videbatur, in hunc præsentem annum reiecta fuit, eaque postmodum suscepta est xv. Idus Septembris. Proinde Cæsar, prius regi Philippo totius Belgij administratione tradita, & fratri Ferdinando regi, Germaniæ Repub. commendata, literisque ad septemuiros Proceres datis, quibus petijt, vt eundem pro Romanorum Imperatore agnoscerent, ac ei obtemperarent, in Hispaniam traiecturus, cum Eleonora & Maria reginis sororibus conscensa naui, circiter sexaginta triremibus comitantibus, in Zelandiam peruenit, indeque Cantabriam versus adhauigans, prosperis ac secundis ventis in portum Laredi, quod est oppidum eius regionis, applicuit: qui cùm primùm descensionem fecit, in genua procidens, dicitur gratias Deo egisse, quòd sub finem vitæ suæ diuina clementia sibi concessum esset, in eam prouinciam altricem non minus victoriarum, quàm corporis, peruenire; cui in tot beneficiorum remunerationem ossa sua se largiturum promittit. Postea regni proceres, qui ad eum excipiendum vndique confluxerant, perhumaniter complexus, lecticam ingreditur, & in vrbem Pintiam Hispaniæ nobilissimam, vbi Carolus nepos erat, concessit. Inde Carolum ad paternarum auitarumque virtutum imitationem cohortatus, paucorum dierum interiectu, in regionem, Extremaduram vocatam, ac desertum locum se recipit in monachorum D. Hieronymi cœnobium eremitarum, atque illinc sororibus in vrbem Pintiam dimissis, paruoque ministerio contentus, quod reliquum fuit vitæ, omnibus humanis curis relegatis, in diuinarum ac cælestium rerum speculatione transegit. Interim Germaniæ Principes, penes quos Cesarem eligendi potestas consistit, Ferdinandum regem, in vrbe Francfordia decimo oct. Cal. Octob. Cæsareo diademate insigniuerunt. Proximè ostendimus, Philippo à patre euocato, & Bruxellas proficiscenti, complures Angliæ proceres illi sese honoris gratia comites præbuisse. Porrò inter ceteros, qui cum à natalium splendore, tum etiam à præstantissimis animi corporisque dotibus commendabantur, fuit in primis Eduardus Cortenæus, quem ex multorum annorum captiuitate regina superioribus aliquot mensibus liberauerat; deinde ob suspicionem initæ coniurationis denuò in arcem Londinensem coniici iusserat, & breui pòst, cùm omni culpa & crimine vacaret, pristinæ libertati restituit. Vt verò aliqua ex parte innotescat, à quibus parentibus originem traxerit, oratione paulò altiùs repetita, id quàm paucissimis ostendam. In præcedenti libro, cùm in Mustaphæ, Solymani filij, iussu patris interfecti, mentionem incidissem; inter reliqua, ostendi, Eduardum quartum Anglia

Philippi Hisp. regis in Belgium profectio.

Cæsar Philippo regna, & insignia imperij Elect. consignat.

Eiusdem cũ vtraque sorore in Hispaniam nauigatio.

Cæsar in cœnobium Eremitarum se recipit.

Ferdinandus Imperator renuntiatur.

Eduardus Corteneus à Maria Angliæ Regina pristinæ libertati restituitur.

gliæ regem, post Clarentianam cædem paulò antequam mortem obiret, liberos suos pupillos tutelæ fratris Gloceſtrij reliquiſſe; qui deinde cupiditate regnandi, ſublatis maribus, filias in Veſtalium collegium intruſerit, vt hoc pacto ipſe ſolus regno potiretur. Ceterùm Comes Richomontius, qui plurimum apud ſuos gratia valebat, regis ſæuitiam veritus, naui conſcenſa, in Galliam profugit: ſed tempeſtas aduerſa in nauale quoddam Britoniæ detulit. Vbi à Franciſco Duce captus, qui regi Angliæ pro affinitatis vinculo gratificari ſtudebat, ad illius vſque Ducis mortem manſit. Carolus poſtea octauus cùm eius filiam Annam, Duciſſam Britoniæ, vxorem duxiſſet, liberum Rochomontium eſſe voluit, & honeſta penſione, qua ſe ſuſtentaret, donauit. At cùm Richardus rex tyrannicè atque inſolenter ſe gereret, primores totius Angliæ, in primis verò frater maior natu Ducis Sothfolci, (hic autem ex familia Polana erat oriundus, genus ducens ex gente Lanclaſtria, cuius ſymbolum erat alba roſa; quemadmodum contrà, gens Yorcana, vnde Richardus rex ortum habebat, geſtabat rubram;) qui ex Anglia profugus, Ludouico XII. Galliarum regi militabat, Richomontio miſſis clam nuntijs ſpem faciunt, ſi à rege obtinere poſſet, vt claſſem illi inſtrueret, grauem armaturam quadringentorum equitum, & peditatum ad duo millia ad occupandum in Anglia portum traderet, fore, vt plurimis in illius partes tranſeuntibus, Richardus tyrannus regno pelleretur. Rex, atque itidem Anna Ludouici ſoror, Ducciſſa Borboniorum, quæ propter fratris ætatem, in procuratione regni erat, poſtulatis perfacilè aſſenſi ſunt: nullaque mora interpoſita, Deppæ ſummo ſtudio claſſis adornata eſt, cui, regis nomine, Candecius Delphinas, Franciſci Comitis Vindocini legatus, & nauis dominus, cui nomen erat Equuleo Deppæo, cum imperio præpoſitus fuit: in eaq; expeditione fortuna illorum incepta & conatus mirificè ſecundauit: quandoquidem ſi ipſi, quò ab initio decreuerant, appulſſent, protinus Richardum cum quadraginta hominum millibus ſibi obuium habuiſſent. Sed ventus adeò opportunus illis fuit, vt in oppoſitam partem delati, & in Waliæ fines appulſis nauibus, facili negotio militem in continentem exponerent. Biduo pòſt, rumor increbuit, Richomontium, cum ſuis copiis Waliam diuaſiſſe: ad quam famam, qui illum accerſiuerant, nihil reliqui ad ſummam diligentiam hãbuêre, quo minus ſtatim ſeſe ipſi cum omnibus ſuis clientibus ac fœderatis adiungerent. Igitur adaucto exercitu, rebuſque omnibus ad bellum neceſſarijs diligenter diſpoſitis ac præparatis, Richomontius rectà Londinum proficiſci conſtituit, ea potiſſimùm ſpe inductus, quòd videlicet, ea vrbe totius inſulæ primaria, & regum ſede, occupata, facile ſit, vniuerſo regno potiri. At Richardus, per fideles internuntios de aduerſariorum conſiliis commonefactus, ea præuenire operæ pretium fore duxit, adeò vt ſumma celeritate cum ſuo exercitu, qui, vti ſuperiùs commemoraui, amplius quadraginta millium hominum armatorum numerum explebat, illis obuiam proceſſerit, eoſque in itinere Londinum verſus offenderit. Tum acie vtrimque ad prœlium inſtructa, maior pars regiarum copiarum, ipſo rege derelicto, ad Comitem tranſiit. Rex tamen ſingulari quadam animi alacritate ac fortitudine cum reliqua parte copiarum, quæ ſibi ſupererat, hoſtem inuadit, eo tandem exitu, vt poſtquam ſuos, poſt dirum atque atrox certamen profligatos, ſeque cum paucis relictum animaduertit, memor generis, atque priſtinæ dignitatis ſuæ, in confertiſſimos hoſtes incurrerit, atque acriter pugnans, confoderetur. Richomontius hac inſigni victoria potitus, confeſtim cum victricibus copiis Londinum contendit, ibiq. coacto Senatu, de omnium ordinum ac procerum conſenſu Eduardi filias ex Parthenone educit, quarum

Bellum inter Richardum regem & Richomontiũ Comitẽ.

Rex Richardus in bello pugnans interficitur.

rum natu maiorem ipse sibi coniugali vinculo associat, simulque regia corona insignitur: minorem verò Comiti Vonshero ex illustri ac veteri Cortenæorum prosapia oriundo, postmodum Marchioni Excestrio, huius, de quo nunc sermonem instituimus, Cortenæi progenitori in matrimonium collocauit. Ceterùm *Cortenæorũ familia.* is, nouercâte fortuna, vbi tandem Henrico octauo in affectati regni suspicionem deuenisset, maiestatis reus, capite damnatur, vnico filio impubere, quippe qui vix XI. ætatis annum attigerat, superstite relicto, qui præfecto turris Londinensis in arce asseruandus traditur, ibique ad multos annos arcta custodia detentus est, donec tandem Maria ad supremum Britannici regni fastigium euecta, illum infontem, omnisque culpæ ac facinoris expertem, pristinæ libertati, atque paternis bonis restituerit. Is verò, postquam Philippum regem Bruxellas cum plerisque aliis Britannicis proceribus & lectissima iuuentute comitatus esset, atque ibi aliquandiu substitisset, mira cupiditate incensus, Italiam, ceteraque Christiani orbis loca perlustrandi, assumptis secum aliquot ex primaria nobilitate Anglicana, & emensa Germania superatisque Alpibus, Venetias profectus est, vbi à Serenissimo earum Principe, atque adeò vniuerso illius illustrissimæ Reip. Senatu honorificentissimè susceptus fuit, & quandiu ibi commoratus est, multis priuilegijs atque immunitatibus donatus. Siquidem apud Venetos, quemadmodũ Genuæ, atque adeò in omni Rep. probè instituta, veteri & longa consuetudine receptum est, vt principes viri, ac præsertim regiæ stirpis, vt hic erat, benignè, omnique hospitalitatis atque humanitatis genere excipiantur. Breui autem ab hoc spatium intercessit, cùm ipse, Illustriss. Principem Herculem Atestinum, & plerosque alios Italiæ regulos, honoris causa adiuit, à quibus omnibus magnificè splendideque habitus fuit, ac etiam summis honoribus exceptus. Postremò, vbi, perlustratis fermè celebrioribus eius regionis ciuitatibus, Venetias tanquã postliminiò rediisset, breuique pòst, Patauium concederet, ibi statim acutissima febri correptus, decimo die ab ægritudine, in ipso ætatis flore, miserabili, ac planè, vt ex certissimis signis atque indiciis apparuit, detestando morbi genere extinctus est. Erat hic iuuenis Princeps, nulli ex Britannicis proceribus, siue generis splendorem, & immensas opes, siue egregias animi corporisque dotes consideres, secundus. Deplorandum est, illum, tam aduersa fortuna à primo quodammodò ætatis gradu, ad supremum vsque diem conflictatum fuisse. Nam, præter sui parentis inclyti viri funestum & calamitosum exitum, ac deniq. captiuitatem eius diuturnam, nulla sua culpa aut proprio merito contractam, quis non summoperè indolescat, & multis lachrymis prosequatur tantæ virtutis atque exploratæ spei iuuenem, omninò feliciori sorte atque exitu dignum, paucorum æmulorum suorum conspiratione extra patriam impurissimorum hominum opera tabifico veneno occubuisse? Expirauit namque crudeli suo fato ante iustum naturæ terminum, nec minori suæ patriæ detrimento, &, quod grauius est, inimicorum suorum fraudibus circumuentus, non antea dolum & parricidiales manus sentiret, quàm nulla remedia malo sibi inflicto relinquerentur, atque ita in manibus suorum domesticorũ imperterrito animo, ac mente ad Deum conuersa, languidum spiritũ exhalauit. Huius generosissimi herois de me optimè semper meriti memoria mihi & grata, & semper acerba erit. Grata quidẽ, quòd me, licet immerentem, & tanti viri amicitia planè indignũ, tam feruenti amore prosecutus sit, vt non solùm omnia veri amici officia à me poposcerit, verùm etiã me dignum duxerit, cuius arcani silentij fidei multa persæpe crederet. Acerba rursus erit perpetua eius recordatio, quòd immatura morte prereptus, tam æstuans sui desiderium mihi, *Eduardi Cortenæi mors.*

mihi,aliiſque eius generoſam indolem exploratam habentibus, reliquerit. Cuius tamen doloris acerbitatem ſubinde ſolari ac mitigare ſoleo, quotieſcunq. mentis oculos in illuſtriſſ. viros,& à me nunquã ſine honoris præfatione nominãdos, Franciſcum Roſſellum,Deuoniæ & Cornubiæ regium gubernatorẽ,Gulielmum Cæcilium,Burlay Baronem,ſupremum Britanniæ Theſaurariũ, nec non Franciſcum Walſyngamum, equeſtris ordinis ac dignitatis virum,atq. omnes Sereniſſ. Angliæ Reginæ ab intimis conſilijs, conuerto. Quorum certè tanta eſt erga inuictiſſimam & potentiſſ. Reginam ſuam intemeratæ fidei conſtantia & veneratio, tanta denique in vniuerſam patriam ſuam amoris magnitudo & promerendi ſtudium, vt neſciam mediusfidius, quiſnam illorum,ſi ſolidas virtutes introſpiciamus, alteri præferri debeat: ita inter ſe hi tres heroës tritam à maioribus ſuis viam æquis paſſibus incedunt, vt mutua quadam æmulatione commiſſi videantur,qui inter ſe pro veri honoris gloria & dignitate diſceptarent. Quorum ſanè laudibus diutius inhærerem, niſi illorum ſolida & perſpecta virtus hanc confeſſionem ab omnibus, etiam inuitis, expreſſiſſet, in ambiguo eſſe, vtrum illi magis patriæ debeant, an patria ipſis; tantus eſt mutui meriti concurſus, vt facilè illa ambiguitas tolli nequeat. Ceterùm, de Walſyngamo, qui nunc, cùm hæc ſcriberem, magna cum ſua laude vnà cum illuſtriſſ. D. Gulielmo Broock, Barone de Cobham, viro, præter antiqui generis claritudinem, præſtantiſſimis animi corporiſque dotibus inſigni,atque omni virtutum genere conſpicuo,regiæ Britanniæ apud Sereniſſ. Principem Matthiam Archiducem Auſtriæ, &c. Belgij gubernatorem, & ad Belgicos ſtatus atque Ordines oratorem agit, ſolùm breuitatis cauſa dixero, huius præclariſſimi atque ampliſſ. viri memoriam, tam altas in me radices egiſſe, vt paſſim in omnibus meis actionibus ſeſe ingerat, eò maximè,quòd reliquæ huius vitæ meæ vſuram maiori ex parte illi debeam; quòd me videlicet (horreſco referens) in crudeliſſ. illa carnificina Pariſienſi me rabidorum hominum enſium mucronibus expoſitum, totque armis & anguſtiis conclusum,tum temporis regiæ Maieſtatis orator,immenſa ſua bonitate liberauerit, & exanguem ſpiritum imis, vt aiunt, labris tantummodò reſidentem, benignè gratioſeque reſtituerit, & non ſecus quàm mortuum, à ſepulchro ac tenebris in lucem ac vitam reuocarit. Huius porrò tam ingentis beneficij recordationẽ nulla vnquam ex meo pectore delebit obliuio, eamque, quoad ſpiritus hos reget artus, perpetuò cum ſcriptis, tum ſermonibus grati memoriſq. animi teſtimonio proſequar: ſiquidem vt viris principibus aſſentari, turpe ac indecorum eſt; ita quoq. beneficium non agnoſcere, vbi locus poſtulat, acceptæque ſalutis auctorem non apud poſteros prædicare, barbarum planè atque impium ſemper iudicaui. Ceterùm, priuſquam aliò digrediar,mihi neutiquam per obliuionem tranſmittendus erit Robertus Belus,illuſtriſſ. regio conſilio à ſecretis, vir cùm ab ingenij elegantia morumque probitate, tum etiam ſingulari quadam induſtriæ, eruditionis ac fidei præſtantia commendatus; cum quo etſi nullum mihi hactenus neceſſitudinis vinculum intercederet, quod tamen iamdudum haud vulgare,nec modicis beneuolentiæ ſtudiis confirmatum intercedit; illius tamen plurimas ob cauſas habenda eſſet mentio, cùm iam omnibus innotuerit, quantam ſibi ob eximias dotes non ſolùm apud regiam Maieſtatem gratiam pararit, verùm etiam apud exteros potentiſſimos Heroës ac Principes,penes quos publico nomine varias legationes obiit,in quibus ſumma ſedulitate atque animi præſentia cum pari fide ſubnixa, negotium ſibi concreditum expleuit, ſimulq. ex his perennem ſibi gloriam comparauit. Verùm, vt eò ſe recipiat vnde digreſſa eſt oratio, ſuperius enarrauit

rauimus, Thermeum, Turcicis Galliciſque viribus, ac etiam Principis Salernitani induſtria & auctoritate innixum, maiorem Cyrni inſulæ partem ſui regis imperio adieciſſe. Id verò Genuenſium animos mirificè anxios atque ſollicitos tenebat, adeò me herclè, vt ad eam recuperandam omnes animi cogitationes atque arma conuerterent. Proinde inſtructa claſſe, totius expeditionis negotium principi Auriæ commiſſum, qui proſperis ventorum flatibus in Corſicam delatus, & milite in continentem expoſito, Caſalum ſinum vndiquaque obſedit, ac tormentorum glandibus diuerberauit, donec tandem præſidiarij milites, deſperatis auxiliis, cum eo his condicionibus pepigêre, vt videlicet liberi cum armis & impedimentis excederent. Ea munitione Auria potitus, nihil in mora habuit, quo minùs portum Syracuſanum inuaderet. Cùm verò propter egregiam defenſorum virtutem ſuos conatus in irritum cadere animaduerteret, ab oppugnatione receſſit, & adulta iam æſtate, Genuam remigrauit. Ceterùm appetente vere ſubſecuti anni, Genuæ iterum de vnanimi patrum voluntate atque conſenſu, Auria nouis viribus adauctus, cum valida claſſe in eandem inſulam prætereuectus, Mantinos & Ropicum aduerſus Gallicas vires fortiter ac ſtrenuè defendit, nouiſque ſubſidiis obſeſſos iuuit, ac etiam Vrcinium rebus neceſſariis communiuit. Interea temporis, quinquennales illæ egregiæ indutiæ, quarum paulò antè meminimus, circa initium eiuſdem anni præter omnium ſpem & expectationem ruptæ violatæque ſunt, ac ſubinde diſputatum eſt acerrimè, vter regum, ruptarum indutiarum violator dici deberet. Contendebat pro ſuæ quiſque gentis gloria, & prout erga alterum erat animatus, ita alterius factum vel laudare, vel reprehendere. Qui partes Philippicas tutabantur, diſſerebant, Galliarum regem, exercitum in Italiam duce Guiſio tranſmiſiſſe: Valẽtinum, Inſubrum ſociis Philippiq́ue confœderatis vim intuliſſe: Catuacorum vrbem, hodie Duacum vocatam, tentaſſe; Lenſam expugnatam, direptamque combuſſiſſe: Arteſiam flamma ferroque infeſtaſſe: denique priùs cum telo fuiſſe, quàm à Philippo aut belli inſtrumenta parari poſſent, aut conturbatarum indutiarum ſignum apparuiſſet. Proinde collatis inter ſe litigatorum cauſis, atque arbitri partibus ſibi aſſumptis, ſecundum Hiſpanum aduerſus prouocatorem Gallum ſententiam ferebant, ea potiſſimùm ratione innixi, quòd ſcilicet minimè ciuile eſſet, aut ex forma æqui boniq. cenſendum, vt, nulla præcedẽte iniuria, quicquam inſidiosè, aut per vim ageretur. E diuerſo, qui ſtabant à partibus Gallorum, ratiocinari, Hiſpanos, Roſetum, & mõtem Alcinoi in Italia indutiarum tempore per proditionem tentaſſe. Ad hæc, ne tranſacto quidem primo indutiarum menſe, à miniſtris Philippi regis Vaſcones nonnullos, vt accepta pecunia Bruxellis, Bordeum, vrbem celeberrimam, ad mare Occiduum Galliæ, adque os Igmani fluminis ſitam, proderent, mitis artibus ac dolis tentatos fuiſſe. Inſuper Sabaudi reguli opera miſſos fuiſſe, qui oppidum S. Quintini hoc ipſo indutiarum tempore ad expugnationem, ſimulque Peronam, Dorlantium, & Mezzieram, aliaque munitiſſima oppida in finibus Galliæ, ſedulò explorarent, quorum ſpeculatores cum ipſis formis deſcriptionibuſque capti eſſent, flumina tunc etiam ad vadum explorantes. Quin etiam certa & conſtanti fama compertum, Lucemburgi gubernatorem, paucorum menſium interiectu, Marimburgi puteos veneno infici curaſſe, quò ægrotantia præſidia ſub indutiarum finem prorſus inualida efficerentur. Poſtremò Diuodurum, vrbem opulentiſſimam, ab eodem Præfecto per proditionem hoc ipſo indutiarum tempore ſummo aſtu atque verſutia tentatum. Proinde, his ceteriſque grauiſſimis iniuriis regem concitatum, iure merito inſidioſis atque fallacibus

Auria Caſalum ſinum obſidet, ac potitur.

Portus Syracuſanus fruſtrà ab Auria tentatur.

1557.

Quinquennales indutiæ violãtur.

lacibus indutiis bellum prætuliſſe, cùm ſæpè vſu venire ſoleat, vt hæ multò magis quàm apertum bellum, ſint periculoſę: quod ſanè Galliarum regnum hac noſtra tempeſtate ſuo magno malo expertum eſt. Ceterùm, vtcumque ſeſe res habeat, equidem haud tantum mihi arrogare auſim, vt hac in re tanti ponderis ac momenti, vllo modo arbitri partes deſumam. Id tantùm obiter dixerim, Romanum Pont. ad hoc bellum, quod poſtmodum toti Galliæ calamitoſiſſimum ac funeſtiſſimum fuit, magnas faces ſubminiſtraſſe, cùm conſtet, regem, eius potiſſimùm hortatu atque impulſu Neapolitanam expeditionem ſuſcepiſſe, in qua nihilominus aut ipſe, aut ſaltem ipſius nepotes in iuſtiſſimam reprehenſionem incurrerunt, adeò ſanè, vt Guiſius, vir bellica virtute, rerumque geſtarum magnitudine inſignis, cùm poſt aliqua loca Hiſpanicæ ditionis occupata, Citadellam, vbi Sfortia Sanctoflorus cum præſidio agebat, obſideret ac oppugnaret, aduentante Albano, & Sfortiæ opem adferente, vaſis conclamatis, multa Pontifici eiuſque miniſtris dira imprecatus fuerit, quòd nec pacta auxilia, nec reliqua bello neceſſaria, vti promiſerat, maturè, ſicuti decebat, ſuppeditaſſet: ecq. factum eſt, vt præclari Gallorum conatus nulla cum gloria tanti ducis lectiſſimęque nobilitatis, ac fortiſſimorũ bellatorum, quorum amplius duo ac viginti millia numerantur, in irritum ceciderint; cùm præſertim ipſe vnà cum ſuis à rege in Galliam reuocaretur, quò patriæ per idem tempus ab Hiſpanico & Britannico milite mari terraque mirum in modum diuexatæ, nutantique regno ſuppetias ferret. Quandoquidem Angli, in Philippi Regis gratiam, ſeptimo Idus Iunij regi Galliæ bellum indixerant, ac deinde horum viribus atque armis, & virtute auſpicioque Egmundani Principis, atque Ducis Allobrogum, Gallicus exercitus, qui amplius quindecim millia peditum, equitum verò quatuor millium, licet non deſint, qui multò ampliorem fuiſſe tradiderint, numerum æquabat, ipſo D. Laurentij die, ad Sanquintinum, quæ vrbs veteribus Samarobrina eſt, ſiue, vt aliis placet, Auguſta Veromanduorum, perturbata militari diſciplina, diſſipatiſque ſignis atque ordinibus, ingenti clade affectus eſt. Ex proceribus ac principibus viris capti ſunt in ipſo prœlio ſtrenuè ac fortiter dimicantes, Momorantius Magiſter equitum, glande plumbea ſummo in femore ſecundum nates traiectus, & vnà cum ipſo duo filij, Dux Mompenſerius qui in capite vulnus acceperat, Dux Lingonum ſiue Longauillæus, Mareſchallus Sanctãdreas, Princeps Cenomanorum, Ludouicus Mantuani reguli frater, Cortonius, Reingrauius Germanorum dux ſummus, & Royſperger tribunus, Angiemus regulus, Rupefucaltus, Obigninus, Lanſaccus, Foganius, Mombronius, Thameſus, Villarius, Sienius, Vaiſſeus, ac reliqui complures: nobilium circiter duo millia, varij generis militum ad quatuor millia capta, vexilla peditum quinquaginta & duo: equitum decem & octo cataphractorum, viginti vexilla leuiorum, & tormenta viginti, decem muralia, reliqua campeſtria, carri trecenti apparatuum bellicorũ cum magno equorum numero. Occiſorum numerus variè traditur. Sunt enim qui aſſerant, è Gallis ad ſex millia hominum deſiderata. Quidam verò dumtaxat duo millia & quingentos referunt; ex aduerſa parte vix mille, inter quos illuſtres fuerunt Benincortus caſtrorum magiſter, duo Principes Germaniæ, alijq. nonnulli; Comes Mansfeltius vulnus accepit in femore, Mombreus regulus in genu. Hac victoria poſt captum ad Ticinum Frãciſcum regem, nullã illuſtriorem ex Gallis Auſtriacos hactenus cõſecutos fuiſſe, euẽtus declarauit. Hanc deinde Sanquintini, & aliarum Gallicarũ vrbium expugnatio cum ſumma Philippi laude ac perenni gloria ſubſecuta eſt. Qui profectò ſi ea vti, ac fortunam perſequi ſciuiſſet, procul-

Gallorum clades ad Sãquintinũ.

proculdubiò vniuersam Franciã ad summas angustias fuerat adducturus. Quando illa non modò afflicta, sed etiam viribus pænè exhausta, ipse etiamnum firmissimum exercitum ac victorem, XXX. siue, vt aliis placet, quadraginta acerrimorum pugnacissimorumque peditum millibus; equitum verò quatuordecim millibus ferè constantem, & in his lectissimos duces haberet, ac subinde nouas copias ex Burgundia, duce Nicolao Boluillero, præstolabatur. Sed Philippus diutius quàm par erat, in Veromanduis commoratus, pulcherrimæ rei gerendæ, non secus quàm olim Hannibal Carthaginiensium dux celeberrimus, de quo verè dictũ fuit, ipsum quidem sciuisse vincere, at minimè vti victoria, sicuti etiam plurimorum iudicio idem cõtigit hac superiori æstate Ioanni Austriaco, qui post Belgicum exercitum ad Namurcum tam facilè profligatum, occasionem è manibus dimisit. Illud planè in confesso est, & citra omnem controuersiam, Lutetianos ad eius cladis tam triste nuntium consternatos, fugam parare, & de vertendo solo iam cogitare incepisse. Habeo non incelebres scriptores, qui literis consignarint, eam cladem Gallorum, à Michaële Nostradamo, rerum astronomicarum nostræ ætatis peritissimo, cum multis inde secutis calamitatibus, in quodam prognostico multò antè visam & prædictam fuisse. At verò, quoniam non simplex accidit plerumque infortunium, sed ea multiplicantur quæ accidunt aduersa; non minus infeliciter pugnatũ est in mari à Gallis. Nam Britannica classis cum Hispana coniuncta, per Gallicana littora oberrans, obuias habuit nonnullas onerarias naues è noua Gallia antarctica Indicis mercimoniis, & aromatibus onustas, quæ vbi cruentum prœlium commisissent, post multa nauigia à Gallis succensa, Hispani deniq. victores euadunt, multisque opulentis nauibus potiuntur, & pleraque itidem nauigia demerguntur. Inter hæc, Veneti Senatus ac Florẽtini reguli intercessione, inter Romanum Pont. & Philippum Hispaniarum regem pax XIII. Cal. Octob. apud Caueam castellum, certis quibusdam conditionibus inita & constituta fuit: inter quas præcipuè cautum fuerat, vt fide publica instructo Guisiano in Taurinos ex Latio quà cõmodum ei esset, etiam per officiosam Philippo Italiam, liceret tutò exercitum traducere. Dum verò ipsi Pontifici per suos delegatos & procuratores pacem compositam nuntiatur, eaq. de causa plurima lætitiæ ac mutuæ congratulationis signa in proximum diem pararentur, insequenti nocte continuis imbribus ita fuit auctus Tiberis, vt stagnantibus aquis vniuersam Romam nauigabilem fecerit; multaque ædificia collapsa, & plurima ac propè incredibilia damna in ipsa vrbe, adeoque in vniuerso Latio propter huiusmodi inundationem illata; sic mediusfidius, vt hæc ipsis Romanis tam atrox & calamitosa extiterit, vt nõ minùs malorum hæc vna nox vniuersæ vrbi & finitimis locis cælitus attulisse dicatur, quàm vis humana, & crudelis armatorũ hostiũ acerbitas afferre potuisset. Nec sanè ager Bononiẽsis & Florẽtinus huius cladis immunis atq. expers fuit. Interea tẽporis, Henricus rex mira quadam vltionis cupiditate atq. ardore incendebatur, quippè qui tot calamitates vno eodemq. tempore perpessus, prout erat excelsi animi, & aduersis rebus imperculsi, noctes dieſq. secũ meditabatur, quonã insigni ac memorabili facinore suæ dignitatis ac existimationis, non parũ, vt ipse sibi omninò persuaserat, labefactatæ atque collapsæ, vulnus aliqua ex parte sanaret. Hunc assiduis curis & cogitationibus æstuantem, Gradiuus & Bellona conspicati, simulque alumni sui, quem paulò antè multis inclytis trophæis hostilibusque manubiis insigniuerant, vicem indolentes, protinus modum & rationem adinuenerunt, qua recens infortunium, totque illatas iniurias egregiè vlciscereturꝰ. Quocirca ipsis patrocinanti-

Conflictus nauals.

Pax inter Pont. & Hispanum.

Tiberis inundatio.

1558

nantibus breui effectum est, vt rex, præter omnium spem deimprouisò Caletum, antiquissimam Gallorum ciuitatem, in extremis Belgarum Morinorumque finibus ad Britannici Oceani angustias positam, olim Iccium portum ac promontorium vocatam, mense Ianuario Anglis eriperet, suoque imperio rursus adiiceret, quam ipsi ducentos & vndecim annos ab anno Christi 1347. Philippo Gallorum regi ademptam, in sua possessione atq. dominio retinuerant. Vnde nõ solùm vicinis Morinis, sed & Galliæ ipsi frenos & compedes inijciebant. Ineunte Aprili, Lutetiæ Francisco Valesio, Henrici filiorum natu maximo, Maria Stuarda, vnica Iacobi v. Scotici regis filia, & regni ex asse hæres, nupsit, & continuò maritus, cùm ad eum diem vsque Delphinus appellaretur, glorioſum regis nomen sibi desumpsit. Paucis pòst diebus, Galli cum instructissimo exercitu, Belgas duabus ex partibus, nempe à Mediomatricibus, & Caletibus aggrediuntur, breuique spatio interiecto, Guisianus, & Petrus Strozza, Diuodurum, vulgo Teonuillam, obsederunt: in qua obsidione P. Strozza, vir eximiis virtutibus, & in primis bellica virtute longè clarissimus, mense Iulio, ænea glande ictus, viuis subtractus est. Inter quæ, Thermus Flandriam infestat: sed rursus, fortuna Gallorum conatibus aduersante, ab Egmundano ad Grauelingam III. Idus Quinctil. fusus fugatusque est. In hoc prœlio nouum illud atque admirabile fuit, quòd in eo cum æquabilitate & omnium ordinum paritate, consimilique planè commissione pugnatum fuit, qualem ne à sæculo quidem militaris rei scientissimi incidisse ferebant. Quo certamine cùm neutri faciem verterent, casus quidam fortuitus ac mirificus interuênit. Præteruehebantur forte fortuna decem bellicæ naues Britannorum, qui procul ex vndis conspecto conflictu, in littus appulerunt, & Gallici exercitus latera, tormentorum tempestate eminus percusserunt. Hac rei nouitate Thermi exercitus perculsus, ab hoste acriùs vrgente profligatus est. Ipse Thermus, accepto graui vulnere, captus, tormenta, signa, & præcipuè præda è Flandricis municipiis collecta, ab hoste recepta est. Huius prœlij aduerso casu, graue toti Franciæ vulnus illatum est: quo etiam illa, quæ vix consenuisse videbantur, recruduerunt. Nam si leue certamen ad Rentinum commissum omittamus, intra quadriennium tribus grauissimis prœliis victi sunt, primò ad Martianum in Etruria, deinde ad Sanquintinum in Veromanduis, ac tertiò ad Grauelingam in Pleumosijs: his tamen tot tantisque aduersitatibus effici nunquam potuit, vt illarum atrocitate Henricus rex vlla ex parte succumberet, aut bellicos apparatus remitteret, adeò vt, qua erat animi celsitudine, semper quodammodò auctis viribus, & nouis copiis cum ex Germania, tum Heluetia euocatis, seipso indies maior appareret. Ceterùm, ambo reges, imaginem rei totius considerando, si omnibus viribus concurrissent, ex eo conflictu Rempub. Christianam tanquam fulmine conflagraturam prouidebant. Et quoniam sui exercitus robur ex peregrinis bellicosissimis gentibus constaret, ciuitates suas exteris prædæ futuras minimè addubitabant. Igitur ad communem salutem respicientes, confirmatis tandem rationibus, ad pacificationes rem deducere constituerunt, legatique ea de re vtrimque missi sunt. Interim commeatus inopia vterque exercitus laborare, obque autumnales tempestates, impendentemque hiemem non oprimè habere cœpit: eaq. de causa, exacto Octobri, melior pars militum castris excessit, quibus Nouembri statim secuto, missio data est, sic tamen, vt delectum aliquem certum reges præsidiorum loco sibi retinerent, atque in hibernis disponerent. Interea temporis, dum in Belgio de pacificatione agitur, Maria Britanniæ regina, Henrici octaui ex Catharina Caroli v. Cæsaris matertera, filia, xv. Cal. Nouembris naturæ

Galli Caletũ vrbẽ captũt.

Maria Stuarda nubit Francisco Valesio.

Petri Strozzæ interitus.

Prœlium ad Grauelingã.

Gallorum clades.

Henrici Galliæ regis magnanimitas.

Mariæ Britanniæ reginæ obitus.

naturæ conceſſit. Huius tanta fuit heroici animi excellentia, omniumque virtutum ſtudium atque ardor, vt multorum populorum ac Principum oculos in ſeſe conuerterit, adeò, vt Philippus Hiſpaniarum rex, tam ampli imperij vnicus relictus hæres, & deſignatus ſucceſſor, eam ſibi in coniugem expetiuerit. Quæ citra aliquam ſobolem, cùm prouectiori ætate eſſet, vita exceſſit. Huic in tanti auiti regni poſſeſſionem legitimo hæreditatis iure ſucceſſit eius ſoror Eliſabetha, lectiſſima heroina, & nunquam ſatis amplis laudibus celebranda; quæ, de Procerum atque omnium ordinum conſenſu & ſuffragio, in Reginam Britannici regni, cum fauſtiſſima omnium acclamatione, Londini XVII. Cal. Febr. inaugurata fuit. Cuius quidem ſereniſſimæ atque adeò potentiſſ. Reginæ incredibiles & planè inauditæ virtutes, me, alioquin breuitatem profeſſum, & feſtinantem, admonent atque in ſe morari cogunt, nec ſanè inuitum, cùm grauiſſimum piaculum admitterem, & me iugi ac ſempiterna ingrati animi nota onerarem, ſi talis tantæque Reginæ hîc per occaſionem mentionem faciens, præclariſſima eius virtutum ornamenta & meritas laudes tacito ſilentio ſupprimerem, præſertim cùm olim me immerentem, præſtantiſſimi Regis Eduardi feliciſſ. memoriæ ſumma liberalitas & munificentia, ſibi, atque adeò vniuerſo Britanniæ regno ita obſtrinxerit & obligauerit, vt vel hoc ſolo nomine plurimũ huic laudatiſſ. Reginæ, tam excelſi regis ſorori, ſimul & ſucceſſori, in perpetuum debere confitear & agnoſcam, eo certè magis, quòd ad priſtinam illam obligationem, recẽtibus ſuis beneficiis me non ſemel nouo grati animi conſtantiſque fidei & humillimi obſequij ſacramento obſtrinxerit. Ceterùm, vt ille de Carthagine loquens, ſilere melius putat, quàm parum dicere, ſic etiam proculdubiò mihi agendum eſſe intelligo, partim quia me tantis laudibus recenſendis prorſus imparem cognoſco, partim etiam quia hæ iuſti ponderis volumen ſibi expoſcunt. Quocirca innumerabilibus animi & corporis dotibus, quibus ipſa hactenus in ſapientiſſ. ſui regni adminiſtratione immortalem ſibi gloriam apud omnes nationes comparauit, omiſſis, illud dumtaxat obiter adiecero, Britanniæ regnum nunquam ab vllo (pace aliorum dixero) vel retroactis ſæculis, vel patrum noſtraque memoria, maiori cum prudentia, nec minori felicitate, fuiſſe adminiſtratum. Quod ſanè hi omnes mecum vnanimi cõſenſione haud dubiè fatebuntur, qui, quótnam procellis ac tempeſtatibus hoc regnum antea per multos annos agitatum fuerit, quantiſue ærumnis & calamitatibus pleraque Europæ regna & prouinciæ afflictè ferè hucuſque laborauerint, atque etiamnum ijſdem cõflictentur, ſecum animis reputauerint. Quòd ſi à veteribus haud immeritò dictum eſt, Magiſtratum virum oſtendere, profectò quiuis facillimè intelliget, huius reginæ laudes nunquam ſatis pro dignitate exprimi poſſe, præſertim ſi exactiùs expendatur, quomodò his fermè viginti annis, quibus citra inſignem aliquem tumultum vel defectionem, quàm feliciſſimè ac moderatiſſimè regnum adminiſtrauit, ſeſe geſſerit. Non immeritò igitur Plato ſapientiſſ. ac planè diuinus Philoſophus, dicere ſolebat, illa Imperia & Reſpub. quàm diutiſſimè ac proſperrimè ſtare, quæ à Philoſophis vel regerentur, vel earum rectores Philoſophiæ operam impenderent. Proinde Britannia habet quo ſibi non immeritò gratuletur, nimirum quòd iſto infeliciſſimo ſæculo, & planè in tanta rerũ omnium confuſione, tantaq. bonorũ Principũ (abſit dictis acerbitas) raritate, tam rarum & præclarum ſidus incredibili Dei prouidẽtia & bonitate ſibi illuxerit: cuius certè radij, hoc eſt præclaræ actiones, ſi cum noſtri temporis aliarum heroinarum actionibus conferantur, quis vſqueadeò eſt ſtupidus, vel tam iniquus humanarũ rerũ æſtimator, qui non facilè vi-

Eliſabetha, Britannico regno præficitur.

Eiuſdem heroicæ virtutes.

lè videat, illas vel penitus obscurari, vel saltem multis parasangis à tergo relin-
qui; adeò vt peculiari quodam fato accidisse omnibus cordatis viris videatur, vt
hac nostra turbulentiss. ætate hæc Regina daretur; cuius virtutes eò clariùs elu-
cerent, quò nonnullarum Heroinarum vitia essent manifestiora. Et quoniam,
teste Solone, ciuitates atque Imperia duabus potissimùm rebus, ceu necessariis
instrumentis, continentur; nempe pœna, & præmio, ipsa omnibus modis & ra-
tionibus, vt hæc duo in vniuersa sui regni administratione quàm diligentissimè
adhiberentur, allaborauit: vt boni scilicet ad virtutem præmiis incitarentur, &
improbi legibus à peccandi libidine deterrerentur. Verùm enimuerò tanta eius
animi extitit moderatio atque innata clementia, vt non immeritò de illa dici pos-
sit, quod veteres de Seuero Alexandro, Mammæa matre genito, posteris tradide-
re; nempe anæmaton, hoc est, citra sanguinem gessisse imperium, cùm suapte
natura semper à cædibus & crudelitate abhorrens, numquam adduci potuerit, vt
aliquem, nisi publico iudicio damnatum, ad suppliciũ rapi pateretur. Neminem
autem ignorare puto, incredibilem eius clementiam & singularẽ humanitatem,
quã inde statim ab regni sui primordio hucusque erga omnes declarauit. Vnum
tamen, instar omnium, præclarũ eximiæ mansuetudinis testimonium subijciam,
qua hactenus vsa est, ac etiamnũ vtitur in Mariam Stuardam, Iacobi regis Sco-
tiæ filiam, & quondam Francisci secundi Galliarum regis coniugem; quæ, tam-
etsi regni eius æmula esset, & multis nominibus ipsam offendisset, nihilominus
tamen egregia animi constantia & fortitudine omnium offensarum immemor,
illam semper omni officiorum genere prosecuta est; existimans, longè sacius &
glorioſius esse, laudem ex vera liberalitate atque clementia quærere, quàm priua-
tas iniurias vlcisci. Nec est mediusfidius, quòd absoluta huius reginæ lenitas tra-
ducatur, vel in dubium aliquo modo vocetur ex eo, quòd ipsam Mariam adhuc
in libera custodia retineat, cùm id non tàm ex suo, quàm illius vsu sit, si rerum
status penitius introspiciatur. Quandoquidem summoperè verendum esset,
ne pristinæ libertati atque auito regno restituta, maximis concitatis turbis, peri-
culosam regni sui conuersionem faceret, ac sese funesto & tragico vitæ exitu, Diis
vltoribus, implicaret, propter innocentissimi sanguinis regis, sui mariti, tacito
consensu, à perfidissimo simul & nequissimo Comite Bodwillo interfecti, effu-
sionem: quod sanè crudelissimum ac ferè inauditum scelus, eò atrocius atque
detestabilius omnibus videri debet, quò ipsa, omnis diuini humaniq́ue iuris ob-
lita, flagitiosissimo parricidæ postmodum nupserit. Quarum certè calamitatum
& funestorum casuum initium ortum esse tradunt à Dauide Ricio Pedemonta-
no, quem infimo genere natum, & nullis virtutum præsidiis subnixum, fortu-
na eò dignitatis extulerat, vt inter aulicos proceres nullus fermè esset, qui apud
illam plus auctoritate & gratia valeret, ita vt postmodũ contrucidatus, omnium
iudicio ac testimonio damnatus sit, & iurè interfectus esse dicatur. At rege indi-
gnissima nece interempto, Bodwillus perpetrati sceleris stimulis non secus quàm
infernalibus furiis concitatus, effugium & latebras quærens, quòd rebus suis
diffideret, ac incertis consiliis subinde ferretur, vna atque altera naui elapsus,
Diis simul atque hominibus inuisus, è patria soluens, in Northuegiam delatus
est. cumque casu in portum appelleret, vbi tunc temporis speculatoriæ quædam
regis Daniæ naues stabant in anchoris, à classis istius præfecto interceptus, con-
tinuò in Daniam missus, & præter merita humaniter exceptus, in ipsa arce
Hafnienſi sic satis splendidè habitus est, ita tamen, vt, cùm gliscente fama atrocia
eius scelera nonnihil retegerentur, aliquantulum solito arctiùs astringeretur.

In illa

Quibus rebus ciuitates atq. imperia potissimùm cõtineantur.

Henricus Scotiæ rex suæ vxoris consensu à Com. Bodwillo interficitur.

Maria Stuarda nubit parricidæ.

Dauid Ricius, omniũ mortalium improbissimus, vnicè amatur à Maria Stuarda.

Eiusdẽcædes. Comitis Bodwilli fuga ex regno Scotiæ.

In illa arce aliquandiu asseruatus est, ac tandem perductus Malimogium, vbi ad aliquot annos detentus fuit. Verùm, etsi ei nihil omninò quod ad liberaliter viuendum deesset, atra tamen bili excruciatus, simulq; omnem corporis curam & cultum abiiciens, efferato similis, brutalem vitam, & omnis humanitatis expertem, aliquandiu vixit, donec tandem phreneticum spiritum ab huius corporis custodia retractum, miserè exhalauit. Ceterùm priusquam de hac inclyta, & laudatissima heroina dicendi finem faciam, vnum hoc adiunxero, quòd sicuti florentissimum Britanniæ regnum, propter saluberrimam eandemque sapientissimam administrationem illi plurimum debet; sic etiam ipsam non minus diuinæ clementiæ ac bonitati summoperè obstringi, quòd scilicet inter tot & tam præclara munera, quibus ea diuinitus donata est, huiusmodi viros semper hactenus in consilium adhibuerit, quorum doctrina, prudentia, fidei integritas, iudicij rectitudo, rerumque bene gerendarum peritia, extra controuersiam eximia & planè singularis extiterit. Hinc proculdubiò accidit, ipsam nō solùm omnes impendentes tempestates ac turbines maturè præuidisse, verùm etiam illas magna cum sua laude, neque minori vtilitate semper fortiter ac tempestiuè, ceu ex alta & longinqua specula, præuidisse ac repulisse. Nec tanta hæc felicitas solis Anglis obtigit: sed etiam Hibernis, vt vicinis, ita eidem imperio parentibus, communis est. quippe huic prouinciæ semper ab hac sapientiss. regina procuratores huiusmodi dati sunt, qui illam non minori cum prouincialium emolumento, quàm tranquillitate hactenus administrarunt. In quorum certè numero instar omniū mihi erit Henricus Sydneus, vir non modò natalium splendore, fortunarumque amplitudine, sed etiam animi corporisq. virtutibus insignis. Hic tanta nimirum prudentia, æquitate, atque animi temperamento hanc sibi demandatam prouinciam cum superioribus temporibus, tum hac etiam nostra tempestate, procurat atque sustinet, vt admirari nō semel subeat, vtrum illi maior laus propter æquam administrationem, an propter militarem disciplinam debeatur, cùm in vtroque foro, hoc est, & pace, & bello, semper eas virtutes attulerit, sine quarum ministerio neutrum commodè ac feliciter geri potest. quo profectò nomine illi plurimū ab omnibus non immeritò tribuitur. Verùm, quòd filium habeat generosissimæ ac planè heroicæ indolis adolescentē, paternis vestigiis quàm proximè insistentem, de quo sibi plurimum spondere iure possit, ac debeat, priuatim equidem illi gratulor, quòd videam infallibilibus argumentis, aliquandò futurum, vt hic auitæ domus suæ splendori non parum luminis (si quid addi potest) collaturus sit, præsertim cùm in hac iuuenili prorsus ætate ijs fungatur muneribus, quæ nunquam citra consilij maturitatem, & verè diuini ingenij capacitatem absolui possent. Nec sanè hîc loquor ad gratiam, vel assentationem, cùm iam planè manifestum sit, & multa recentia testimonia omnium oculis obuersentur, illum suo Principi, atque adeò vniuersæ suæ patriæ in hoc immaturo ætatis suæ gradu tàm insignem operam nauasse, vt ex his primis negotiorum rudimentis, ac quasi grauiorum actionum tyrocinio, maxima quæque expectari possint. In illa siquidem splendidissima & honorificentiss. legatione, quam elapsis iam pænè duobus annis, ad nouum designatum Cæsarem, congratulandi causa, reginæ suæ nomine habuit, tàm euidens dedit cùm heroici animi, tum prudentis atque bene instituti iuuenis documentum, vt vel hinc facilè quiuis coniicere valeat, quorsùm ea præcox & rara indoles aliquandò sit euasura, adeò me herclè, vt ego hoc ad absolutæ felicitatis huius Sereniss. Reginæ cumulum accessisse iudicem, vt in hac tanta fidei angustia, & in tanta præstantium virorum paucitate, habeat nō solùm viros

Bodouilli Com. mors.

Henrici Sydnei Hibernię proregis præclarissimæ dotes.

graues longo vſu & rerũ cognitione inſtructos, ſed etiam heroicos iuuenes tanta fide ac virtute conſpicuos, vt illorum opera in maximis quibuſque negotiis, & deliberationibus quàm feliciſſimè vti poſſit. Sed me tantæ Reginæ, totque dignissimorum heroum laudibus inhærentem, reuocat inſtitutæ hiſtoriæ ſeries. Hoc tamen obiter adiecero, me eò libentiùs atque fuſiùs de rebus Britannicis locutum fuiſſe, quò manifeſtiùs deprehendam, haud exiguum familiaritatis & neceſsitudinis commercium huic genti cum Genuenſibus ſemper extitiſſe. Vltra enim mercimoniorũ atque nauigationis mutuam familiaritatem, quę etiamnum cum maximo vtriuſque populi emolumento conſtat & viget, fidem mihi faciũt Reip. inſignia huic genti communia, nempe in argenteo campo tranſuerſam rubeam crucem priſtinæ ac mutuæ amicitiæ, atque adeò hoſpitalitatis firmiſsimæ extitiſſe iura: quæ quidem inſignia non ſolùm in omnibus ædificiis publicis vtriuſque nationis viſuntur, ſed etiam vndique in eorum nauibus collucent, ac ſeſe oſtendunt. Accedit huc, quòd vterque hic populus D. Georgium tanquam Deum tutelarem, ſibi peculiarem ac proprium, retinuerit. Quæ omnia inuicem collata, haud dubiè antiqua, vti diximus, amicitiæ argumenta præ ſe ferunt, & præſtant. Vt verò ad ſeriem orationis reuertar, hic annus itidem Caroli v. ac Mariæ & Leonoræ, eius ſororum, quæ, vti prædiximus, regi Franciſco primo nupta fuit, interitu clarus ac memorabilis fuit. Nec minùs etiam proximus annus excellentiſsimorum Principum morte, ac in primis Henrici regis funeſto exitu apprimè nobilitatus. Hic enim, poſt optatiſſimam pacem inter ipſum & Hiſpanum, tandem ad Cambreſiam III. Non. Apr. de mutua vtriuſq. voluntate iniram & conſtitutam, poſtque illud calamitoſiſſimum bellum, quod ferè continenter viginti quinque annis inter vtrumque regem vario atque ancipiti Marte geſtum erat, feliciter compoſitum: ad cuius quidem ſtabilimentum, ſimúlque ad iniuriarum ſuperiorum obliuionem ſanciendam, Philippo Iſabella, Galli regis filiarum maior natu II. annorum, cum dote CCCC. millium aureorum: Allobrogi verò Margarita, ipſius regis ſoror, quæ præter doté CCC. milliũ aureorum, Ducatu Barrenſi frueretur, deſponſa eſt, in decurſione equeſtri à Mongomerio lethali vulnere ſauciatus, decimo Iulij in maximis miſerrimiſque dolo-ribus vitam finiit. Eodem anno, Bona Sfortia, Sarmatiæ regina; Chriſtiernus, & Chriſtianus Daniæ: præterea duo Duces, Laurentius Priulus Venetus, & Hercules Ateſtinus Ferrarius, deinde Pontifex Romanus Paulus quartus, in cuius locum poſtea Pius quintus ſubſtitutus fuit, ordine quodã ſucceſſionis, ita humanis exempti ſunt, vt eorum mortes propè connexæ, & quodammodò conſectariæ fuerint. Quod quidem occultarum cauſarum ignoratione, in reno-ua plurimorum admirationem auxit. Tot regum, reginarumque ac Principum, vno fermè eodemque tempore vita emigrantium, obitus haud leuibus ſignis atque prodigiis cælitus prænuntiatus fuit. Siquidem præcedenti anno circiter Idus Maias veſperi ſereno cælo viſi ſunt ardere longiſſimis tractibus ſupra Lutetiam maximi clariſſimique ignes. Eodemque, Laye celebri vico, conſpectum autumno, ſummo manè, grande inſolitumque cælo numen magnitudine amplæ trabis. Item Cometes, ſidus, vti antea ſæpè diximus, maiori ex parte terrificum, & regnis exitiale, apparuit. At regis Galliæ luctuoſus ac funeſtiſſimus caſus, non modò his quæ recenſui, portentis, verùm etiam pleriſque aliis peculiaribus præmonſtratus. Quandoquidem, vt omittam vxoris ſomnium, quæ eadem nocte viſa ſibi fuerat regem vulnere confectum & exanimem videre, eo ipſe die antequam concurreret, puer ſexennis, qui ludos ſpectatum cum parentibus iuerat, velut

Inter Anglos & Genuẽſes vetus neceſſitudo intercedit.

Caroli v. & Mariarum eius ſororũ obitus 1559.

Pax inter Philippũ & Henricum reges.

Henrici regis mors.

Multorum Principum vno fermè tempore obitus.

Prodigia quæ apparuerunt.

Trabs ignita. Cometes.

Præſagia quæ mortem Henrici regis præceſſerunt.

velut impos sui, flens clamitauit: Heu regem volunt interficere. Quendam etiam vaticinatum ferunt, regnaturum filium maiorẽ intra decimum sextum annum, quæ vaticinatio confecta putabatur, cùm reginam Scotiæ in matrimonium duxit. Denique Gauricus Astrologus Italiæ celeberrimus, obseruata quinquennio antè ipsius genitura, perinde ac si hominum fata secũdum conditiones stellarum disponerentur, monuerat per literas, vt circiter vnum & quadragesimum ætatis annum vitaret duellum: astra minari vulnus in capite, quod vel cæcitatem, vel mortem continuò afferret. siue igitur præsensio quædam & scientia rerum futurarum est, siue superstitione implentur animi, ad talia temerè credenda proni; communis certè fortunæ & humanorũ casuum memorabile exemplũ, in quo se Principes cõtemplari, & ad cuius cogitationem suas actiones instituere debeant, ne fortunæ flatibus ac successibus ebrij, rebus prosperis efferantur, aut supra humanam sortem quicquam sapiant, quando Henricus hominis fortunam quodammodò transgressus, pro felicissimo Principe totius orbis, haud dubiis præiudiciis, se numerabat æstimabatque: nusquam non suam magnificentiam ostentans, & tanquam in arce prosperitatis ac extra fortunæ aleam iam positus, omnibus suis inscriptionibus titulum summæ felicitatis præferens. Sed huic tãtæ prosperitati Deus frenum iniecit, quo ille ad communium humanæ vitæ casuum normam & regulam reuocatus, in ipso ludo, in ipsis deliciis, atque animi sui affluentibus voluptatibus suæ mortalitatis testimonium ferre coactus est. Sed habuit rex ille suas quoque præclaras dotes. In primis enim bellicosus atque magnanimus fuit, mira etiam comitate atque sermonis affabilitate, qua sibi populariũ animos mirum in modum conciliabat, singulari iustitia, & ceteris cum animi, tum corporis dotibus quàm maximè insignis; ob quas sanè, sicuti viuum naturali amore prosequebantur Galli, nec nisi optimo erant in eum animo; ita quoque tenerrimè mortuum deplorarunt, adeò sanè, vt ad multos dies luctum publicum regni viduitas & solitudo consequeretur, Franciaque omnis impendentium calamitatum tempestates præsagiens, grauissimis angoribus & molestiis implicata iacuerit. Nam etsi tum ab externis bellis & tumultibus requieuit; in seipsam tamen vires suas postmodum conuertit: quorum omnium malorum initium & protasis in Franciscum secundum, Delphinum & Scotorum regem, qui natus annos 15. menses quinque, in paterni auitique regni possessionem hoc anno suffectus est: epitasis verò & summa periculi in Carolum nonum, & Henricum tertium incidit. Henricus, vt etiam hoc obiter dicatur, liberos omninò nouem post se reliquit; quorũ ex coniuge mares quatuor, femellas tres; extra ordinem verò duos vtriusque sexus sustulit. Iisdem fermè temporibus, grauissima Reipub. Genuensi cum Marchione Finario controuersia intercessit; quam ipse neutiquam hîc prætermittendam sum arbitratus; nec, vti spero, à quoquam temeritatis, vel præiudicij accusabor, si eã noluerim, licet breuibus verbis enarratam, silentio præterire. Hoc enim nõ eò spectat, vt aliquid mihi in re tam grauis iudicij arguam: sed potius quò magis atque magis elucescat, quãta Reipub. cum imperio Rom. omnibus temporibus fuerit cognatio atque coniunctio. Senatus igitur grauissimis de causis adductus, eo quo diximus anno, ipsum Marchionem, valdè insolescentem, atque suorum querimoniis ad Senatum multis nominibus delatum, primùm satis habuit, ipsum ad meliorem mentem, ostensis multis grauibus adhortationibus inflectere, quò eum eius vassallis & subditis in gratiam reponeret. Verùm vbi ipse refractario ac contumaci animo salubriter monita aspernatur, & indies ferocior factus, in suos impunè grassari contendit, Se-

Memorabile exemplum humanæ infelicitatis.

Henrici natura & ingenium.

Franciscus secũdus Henrico patri in imperio succedit.

Marchionis Finarij expulsio.

natus indignitate rei commotus, operæpretium se facturum existimauit, vt, ad reprimendos ipsius Marchionis impetus & manifestam vim, aliquot cohortes militares conscriberet: decretumque Senatus consulto, vt, nisi resipisceret, & ad saniora consilia rediret, eædem cohortes contra ipsum educerentur, ipseque communibus Reipub. armis in ordinem redigeretur, prout etiam protinus, cùm in sententia perseueraret, factum fuit, ita vt, paucis interiectis diebus, cùm omnibus ad bellum necessariis propemodum esset destitutus, & sustinendo aduersus tantam Rempub. bello, opibus ac potentia esset impar, longeque inferior, ac etiam in primis congressibus aduersam fortunam, aliquot ex suis cæsis & profligatis, experiretur, relicto dominio, vel potiùs propria culpa exactus, & exutus ditione, ad Cæsarem Ferdinandum implorandi auxilij causa, queribundus se contulit, penes quem acerbissimam querimoniam, atque adeò grauissimam actionem contra Senatum populumque Genuensem instituit. At Cęsar, cùm suapte natura esset Princeps iustissimus, ad dicendam causam per publicum fecialem Senatum Genuens. ad se euocauit. Res ea in Senatu tractata, vt per se erat noua, sic Patres in varias sententias deduxit, adeò, vt post longas deliberationes, ex parte Senatus nuntiatum fuerit caduceatori, Senatum quidem causæ suæ cognitionem Cæsari tanquam arbitro, non verò tanquam iudici permittere. quo responso intellecto, Cæsar, iterum remisso feciali, Senatum denuò sub graui pœna, ac planè sub aperta proscriptionis cõminatione, denuntiauit, vt, nisi Senatus ad statutam diem ad dicendam causam compareret, se in fauorem partis querentis pronuntiaturum, & id quod iuris foret, executurum. Proinde Senatus, adhibitis consiliariis, aliisque grauibus viris in huiusmodi rebus versatis, statuit tandem pro causæ suæ defensione oratores ad Cæsarem ablegare, qui tantisper æquitatem causæ Reip. contra ipsum Marchionem tutati sunt, & iure contenderunt, donec Cæsar, adhibitis in consilium super ea re quatuor celebrioribus Academiis, introspectis & examinatis totius causæ meritis, pro tribunali sedens, secundum Marchionem pronuntiauit: quod scilicet iniquè & perperam fecissent Genuens., quòd vasallo Imperij, non delata prius ad Cæsarem, vel Cameram Imperialem querimonia, inaudita causa, quasi indemnatum, armis statu atque ditione deturbassent & exegissent. A cuius quidem sententiæ pronuntiatione, cùm oratores Reipub. excepissent, & ad summum Pontificem, tanquam supremum competentem iudicem, appellarent, postmodum de iurisperitorum sententia cognitum est, huiusmodi interpositam appellationem friuolam, ac temerè factam fuisse, cùm nimirum noti & planè manifesti iuris sit, Pontificem ipsum nullum sibi ius in imperio, præsertim in rerum forensium atque causarum cognitione, vendicare posse, vel debere, sic mediusfidius, vt Senatus, ad remouendos vlteriores sumptus, & litibus in posterum ansam præcidendum, non grauatè renuntiata interposita appellatione, Cæsaris iudicio atque sententiæ steterit, eique locum in omnibus præbuerit. Statim enim post renuntiationem factam, Marchio postliminiò in amissæ ditionis possessionem introductus fuit. Hæc ideò eò libentiùs atque fusiùs adieci, quò intelligam, multos esse in hac sententia, vt putent, Rempub. Genuens. multasque alias Italiæ vrbes, nullo modo, vel iure imperiali iurisdictioni esse subiectas, cùm hic error non tam ex hoc recenti exemplo, quàm ex multis aliis retroactis temporibus datis, euincatur. Postero anno, Franciscus secundus Gall. rex, occasione tumultuum in Scotia, illud regnum occupare conatus fuit. Sed cùm ab Anglis Letha obsideretur, & classis Gallica lentè moueret, ab Scotia per Anglos exclusus est. Tumultus cõtra regem Amboisiæ duce Renaudio quodam excita-

Cæsaris in fauorem Finarij aduersus Genuens. sententia.

1560. *Galli excluduntur ab Anglis è regno Scotiæ.*

Tumultus Amboisianus.

excitatus mense Martio: sed auctores è medio sublati: reliqui vario mortis genere affecti. Rex primò consilium ad fontem Abelleium de religione, deinde Aureliæ indixit, vbi Condæus Princeps ob suspiciones quasdam captus. Rex autem in morbum ex apostemate secundum sinistram aurem incidens, Non. Decembr. vita emigrauit. Cuius inopina mors Cõdæum vinculis exemit. Nam statim post eius obitum liberiore laxioreque custodia vsus, donec à Carolo nono, qui vix decimum ætatis annũ ingressus, fratri Francisco successit, ad fontem Abelleium euocatus, causamq. dicere coactus est. Vbi Roberteto defendente ac perorante, pridie Idus Martij subsequentis anni, à rege ac præcipuis regni consiliariis, ab iis accusationibus quibus grauabatur, liberatus, & in integrum restitutus, conspicuum atque insigne suæ integritatis & innocentiæ testimonium retulit. In idem ferè tempus incidit clades illa toti Christianæ Reipub. funestissima, ad Meningem accepta, in qua Philippus Hispaniarum rex, vltra quinque armatorum millia, inter quos multi alarum centuriones, & clari nominis viri extiterunt, & vltra bellicos apparatus, qui fermè omnes in hostium potestatem deuenerunt, nouendecim triremium iacturam fecit. Huius expeditionis, præter reliquos, meminit etiam Antonius Frãciscus Cyrnus, qui de hac peculiarem libellum Etrusco idiomate conscripsit. Iisdem fermè diebus, Ferdinandus Imperator, princeps singulari sapientia, pietate, animique fortitudine, ac ceteris regiis virtutibus quàm maximè suspiciendus, fatis concessit. In cuius locum, eius filius Maximilianus secundus de mutuo Septemuirûm Procerum consensu ac voluntate substitutus fuit. Porrò, vt hoc etiam obiter addatur, XXI. Augusti eiusdem anni fuit Solis eclipsis statim post vndecimam horam ante meridiem, finis post primam, min. 23. locus in septimo gradu Virginis magnit. punct. 7. cum dimidio ferè. Visa est eodem anno lux ingens 30. Ian. hora 7. vesperi cum subobscuro terræmotu. Totius anni status ventosus admodum, tempestatibus multis atq. procellis infestus. Mira tempestas grandinis, fulgurum, tonitruorum, Leodij quinta Iunij, homines & multa armẽta oppressit. Item circa decimãquintam Augusti, papilionum exercitus. Volabant hæc animalia propter aquas, ea frequentia, vt cursum fluminis obscurarent, potissimùm post occasum Solis. hinc sese sub noctem referentes, per vicos velut instructis copiis vagabãtur, nihil ferè à tineis differentes.

Condæus Princeps capitur.

Francisci II Gall. regis mors.

Condæus liberatur.

Philippi clades ad Meningem insulam.

Ferdinandi Cæsaris obitus.

Maximilianus II. Cæsar designatur

Solis defectus.

Papilionum exercitus.

At postero anno, & deinceps, quantis regnum Galliarum sub Carolo IX. & Henrico III. eius successore adhuc superstite, simulq. haud multo pòst, Germaniæ inferioris prouinciæ sub Albano Duce, & Commendatore Requezenio, deinde in consecuto mox interregno atque anarchia, & postremùm hac tempestate, qua in Belgio infestissimæ acies ac potentissimi exercitus ex multis variisq. gentibus instructi, nihil præter aduersæ partis extremam perniciem ac exitium moliuntur, rerum omnium conuersionibus obnoxiæ fuerint, ac etiam in præsentiarum sint, quantis intestinorum & plusquam ciuilium bellorum fluctibus ac procellis vtraque regio vndique diuexata, quoties vtrimque ad arma concursum, quoties pax inita, & mox, nulla iurisiurandi ratione habita, perfidè violata; quot direptiones vrbium, agrorumque ac municipiorum vastationes, ædium ac templorum diuulsiones; optimorum quorumque ac innocentissimorum suis è sedibus eiectorum exilia & proscriptiones; sanctissimarum legum profanationes; quæ cędes, latrocinia, incendia, funera & lanienæ; quæ denique matronarum ac virginum constuprationes, ac cetera his consimilia, quæ olim Roma Sullanis Marianisque temporibus cum ingenti sua calamitate experta fuit, nunc enarrare, vt minimè nostri instituti est, sic etiam omnino superuacaneum;

1561.

Gallici regni, ac inferioris Germaniæ calamitates.

caneum; præsertim cùm de his egregia præclarissimorum virorũ scripta extent, è quibus, ceu limpidissimis fontibus, hæc omnia affatim & abundè, quatenus quidem ad res Gallicas pertinet, haurire liceat. Interim sperandum est, non defuturos eruditione ac eloquentia excellentes viros, qui olim etiam res Belgicas, remotis affectibus, scriptis ac literarum monumentis, pro rei dignitate ac magnitudine, illustrabunt, tametsi plerosque haud parum deterret quod ad Asinium Pollionem scribit Horatius, qui belli causas, vitia & modos, grauesque Principũ amicitias, & arma nondum expiatis vncta cruoribus periculosæ plenũ opus aleæ tractat, incedere per ignes suppositos cineri doloso. Has verò Belgicas calamitates, quas hactenus perpessa est, ac etiamnum patitur, quot chasmata & prodigia præcesserint, quótue subsecuta fuerint; quot crinitorum siderum apparitiones; quot Lunæ, Solisque defectus; quínam denique terræmotus, hiatus, fulgura, & procellæ; clarissimus iuxtà ac præstantiss. philosophus & medicus D. Cornelius Gemma in opere cui titulus est, De naturæ diuinis characterismis, præter ceteras, admodum accuratè ac disertè enarrauit.

1562. *Solymanus mittit munera ad Maximil. Cæs. designatum.*

Proxima æstate, Turcicus legatus, cui nomen fuit Ebrahimus Strotius, cum ingentibus muneribus, equo gradario, & quatuor camelis, nomine Solymani Turc. Imper. Maximiliano in regem Rom. ibi in comitiis electo, gratulaturus, Francofurtum, vbi Status ac Proceres Germaniæ conuenerant, profectus est; ibique post orationem Sclauonica lingua habitam, (hanc verò breuitatis causa in præsentiarum reticeo) legatus denuò ad Cæsarem cõuersus, ea quæ secum attulerat munera, nempe duos pretiosissimos ex natiuo crystallo & gemmis longè nobilissimis elaboratos crateras, ceu pocula, & caballum Turcicum generosissimum, aureis planè phaleris, gemmis, catenisque ex purissimo auro ornatũ, tum quatuor camelos ex tota vrbe Constantinopoli exquisitissimos, Cæsareæ suæ Maiest. offerre, ac summis laudibus efferre cœpit, fassus interim & excusans, quòd & equus ille, & cameli iam ob longinquam terra marique profectionem, quam inde à 4. mensium spatio fecissent, macie & defatigatione confecti, & attenuati esse conspicerentur.

1563. 1564.

De his autem quæ anno supra mille quingentos sexagesimo tertio contigere, nihil planè occurrit quod ipse in medium afferre possim. At insequenti æstate, munitissima arx, vulgò del Penol di Velez appellata, sub Turcico dominio ad Africæ oram sita, oct. Idus Sept. à Garsia Toletano Hispanicæ classis præfecto expugnata. Superius à nobis demonstratum est, sub Henrico II. Francorum rege, Ligures à classe Gallica, Turcicæ associata, pænè vniuersa Corsica multatos fuisse. Huius autem cladis præsagium fuit, vt narrat Hier. Cardanus, balenæ caput, repertum Genuæ anno 1554. quod quidem eius iudicio nihil aliud portendere videbatur, quàm, Cyrna amissa, caput truncum velut amisso corpore permansurum. Ceterùm quò id pleniùs intelligatur, adijciam eiusdem auctoris verba, quæ extant lib. XIIII. cap. LXXIIII. de rerum varietate. Ni fallimur, inquit, audiuimus à familiari nostro iam duobus annis exactis, Genuæ caput balenæ extractum à mari, in littore diu iacuisse: quod adeò prægrande fuit, vt à fauciũm imo ad os, decem nouem passus numerarentur. Quid aliud hoc est, quàm quòd Cyrna amissa, significabatur, caput amisso corpore remansurum? Nam Genua capitis & dominij ratione & paruitatis vicem subiit, Cyrna corporis. Id ostentum, cùm post annum contigerit, si interpretati tempestiuè fuissent, aduersus Turcicam classem arces munire poterant; vnde neque insula ipsis, neque tantum pecuniarum periisset. nunc hoc facto, tota Europa in metu constituta est, atque etiam in periculo. Vt igitur omina superstitionis partes sunt, ita ostenta cum natu-

Balenæ caput, repertũ Genuæ, quidnam portenderit.

naturali prudentia coniuncta, ad conseruandam Remp. vtilissima cura obseruantur. Neque enim tantæ belluæ caput abscindi, vel à maiore bellua potuit, nec tormento bellico, nec vllo alio casu. Sed si modò ea casu aliquo aut impulsu occisa simul, & contorto collo computrescente corpore relictum caput, quonam pacto caput ipsum non priùs computruit? aut quomodo collum abrumpi potuit, quod in cetaceo genere maius non parum est capite, adeò vt pisces collo carere dicantur? Demum in tam vastis littoribus quænam singularis vis caput Genuã adegit? nisi conscia quædã fati mens, opportunè pro casibus singula signa distribuens? Hactenus Cardanus. Et si verò hæc insula, rebus inter Philippum Hispaniarum & Henricum Galliæ reges compositis, ad Genuenses, legitimos dominos, sub quorum ditione tot retroactis sæculis extiterat, tanquam postliminiò rediisset, nihilominus tamen paucorum annorum interiectu nouas turbas dedit, in eaque memorabilis Corsorum defectio, auctore Sancto-Petro Corso excitata: cui vt aliquam lucem adferamus, operæpretium erit, meo equidem iudicio, quàm paucissimis potero verbis, hominis originẽ, ac quasi incunabula ob oculos ponere, vt cuiuis constare possit, à quàm paruis initiis nonnunquam maxima rerum momenta atque conuersiones periculosissimæ oriantur. Extra dubium igitur est, ipsum Sanctum-Petrum Corsum in Cyrno insula modicis natalibus, obscuroque loco fuisse genitum; ingenij tamen acumine, atq. animi motibus tam acribus fuisse præditum, vt omnes rerum familiarium difficultates, suis ausis obstantes, non solùm superarit, verùm etiam, quasi cum fortuna pacis-cens, per omnes ætatis gradus, secundum vitæ cursum, perpetua illius indulgentia consecutus sit, adeò profectò, vt indies magis atque magis inclarescceret, suique nominis obscuritatem, ab omni ignoratione egregiè vindicarit. Neque tantùm hæc eius nominis fama vnius insulæ angustiis inclusa stetit, sed longè lateq. excurrens, hominem in tantam admirationem penes omnes ferè nationes & gentes adduxit, vt Franciscus primus Galliarum Rex fortissimus, insignis virtutum æstimator, intellectis acerrimi viri bellicis artibus, ceterisq. eius tum animi tũ corporis dotibus, ad se euocarit, & deinceps in maximis quibusq. expeditionibus eius strenua opera atque consiliis vsus sit: tanta erat siquidem in ipso S. Petro fortitudo, verumque animi robur & decus, vt omnes suos æquales spontanea omnium confessione ac iudicio, militaris disciplinæ scientia superaret, aut certè adæquaret. Quo sanè postmodum factum fuit, vt, Francisco Rege viuis subtracto, Henricus secundus, tanti Regis in tam amplo regno successor & hæres, ipsum multis honoribus auctum, fortunisque haud pœnitendis instructum, in grauissimis bellicis deliberationibus pari modo adhibuerit, nec vnquam aliquid de summa belli illo inconsulto determinarit. Proinde maximis quibusque belli præfectis dignitate ac opibus par, tantam de se hominum opinionem peperit, vt etiam Solymannus Turcarum Imperator, vnicus etiam magnorum ingeniorum admirator, ipsum ad se accersitum, in deliciis habuerit. Quibus rebus ac expeditionibus supramodum ditatus, cùm amore patriæ flagraret, ac deinceps otio & tranquillitate se frui posse speraret, quasi nullum honestiorem ipso patrio solo inuenire posset secessum, in Cyrnũ postliminiò rediit; ibiq. aliquamdiu vitam quietam agens, in gratiam Gallorũ, vti existimatur, regis, cuius beneficiarius erat, Insulanos, se auctorem atque belli ducem professus, aduersus Remp. Genuens. rebellionem solicitare cœpit. Cuius certè defectionis fama vsque adeò Senatum, atque planè totius ciuitatis animũ consternauit, vt non citra magnam trepidationem & multam difficultatem, arma ad retundendam potentiam, & oppri-

Corsorum auctore San-Petro Corso defectio.

opprimendos primos motus sint expedita. Verebantur siquidem Patres, ne in Corsica, tanto Duce exorto bello, finitimæ gentes diuturno odio iuxtà ac inuidia Reip. gloriæ emulæ, ansam ex mediis rebus aliquid attentandi arriperent, prout certè res ipsa haud ita multò pòst ostendit. Veneti enim Corsicorum rebellione audita, aliquid molituri haud dubiè iam non occultè videbantur, nisi tandem Reip. opibus atque industria oppresso auctore, sumptoque de rebellibus supplicio, insula ad officium rediisset. Satis constat, in hoc bello, quod ad triennium ferè durauit, post multa vltrò citroque illata damna, vltra quatuor millia peditū, paucis diebus antequam bellum finiretur, ex hostili agmine cecidisse. Hæc victoria licet esset magna, & summam ferè totius belli aleam includeret, non fuit tamen Genuensibus incruenta, cùm ex illorum parte vltra quadringentos equites desiderari dicantur. Effecit nihilominus huius vltimi prœlij in Cauri planitie commissi successus, vt S. Petrus Corsus, amissis ferè omnibus copiis, tandem à Raphaële Iustiniano, clarissimo illius expeditionis duce, atque patriæ amantissimo ciue, egregiè ac strenuè dimicans, interficeretur. Cadaueri dudū fuit illusum, & postquā per ludibrium ad militum exaturandam iram, aliquandiu esset instar trunci volutatum, tandem frustatim ferè discerptum, auctore Germanico milite, cuius tanta erat hominis videndi admiratio & desiderium, vt sclopetarij ferè singuli ad fortitudinis specimen in galeis aliquod frustum cadaueris instar plumæ appensum haberent: inter quos, vnus fuit singulari militari licentia & immodestia lasciuiens, qui per iocum mentulam eius ab testiculis euulsam, dum oppidatim, ac tandem Genuæ, donec scilicet exaresceret, ornamenti, vt ipse dicebat, causa gereret. Sunt qui tradant, ipsum Sanpetrum penes se, cùm vltimò dimicaret, sexaginta equites, & nongentos sclopetarios habuisse: sed inter conserendum manus, cùm Angelus Dormanus alæ equitum Genuens. Præfectus, adiutus à suis fratribus, ita Sanpetrum circumsepsisset, vt nullus elabendi daretur locus, fortiter occubuisse. Felix sanè ac planè beatus hic iurè esse poterat, si, parta gloria, immensisque opibus, quas in Gallia Narbonensi potissimùm habebat, contentus, dira illa ambitione, quæ multos exitio dedit, non flagrasset. Sed auri sacra fames, quid non mortalia cogis pectora? Hic certè alter Sulla extitisset, si rerum suarum felicem cursum tam funesto exitu, propria culpa quæsitum, non interrupisset, ac miserè deturpasset. Et hæc summatim de S. Petri Corsi gestis ac rebus delibasse sufficiat, cùm non ignorem, plenos hac de re conscriptos esse, atque hominum manibus versari commentarios. Annum eiusdem sæculi quintum ac sexagesimum egregia equitum Rhodiensium fortitudo, ac singularis virtus in strenuissima insulæ Melitensis, à potentissima Turcarum classe acerrimè obsessæ ac sæpius oppugnatæ defensione, clarum atque illustrem, cum perpetua ipsorum laude, ac maximo Christiani orbis beneficio, reddidit. Hoc bellum longè grauissimum, eleganter descriptum est à Cælio Secundo, qui hac nostra tempestate ex ingenij monumentis haud mediocrem sibi gloriam comparauit. Iisdem quoque diebus inter Maximilianum Cæsarem, & Ioannem Vayuodam Transiluaniæ regem, atrocissimum bellum exarsit; quod quidem ab initio, vt nonnullorum est opinio, facilè restingui potuisset. Ceterùm, vt paruus ignis & succrescens, adhuc minimo negotio supprimitur, qui postea latendo, vbi ampliores vires sumpserit, proxima quæque deuastat, neque potest nisi cum summo resistentium periculo retardari: sic belli exordia aliquandò supprimere facillimum est; at vbi paulatim accedentibus auxiliis maiora incrementa suscipiunt, non nisi cum summis populorū periculis opprimuntur. Huic expeditioni nomine

Sanpetri Corsi cædes & interitus.

1565.

Melita à Rhodiens. defensa.

Bellū inter Cæs. Maxim & Vayuodā.

nomine Cæsaris Lazarus Swendius, vetustæ familiæ reiq. bellicæ ornamẽtis lõgè clarissimus, cũ suprema potestate atque imperio præfuit, eiusq. ductu & auspiciis arx Pannoniæ munitissima, Zathmarum, Vesprinium, Tata, Gester, & pleraque alia loca in nostrorum potestatem deuenerunt. Sed quia Solymanus Turcarum Imperator Vayuodam, suum clientem ac beneficiarium, defendendum suscepe- 1566.
rat, atque ipsemet cum ingenti exercitu, superato Drauo, in Vngariam profectus est, Cæsariani, præter Iulam, deditione occupatam, Sigethum, eiusque arcem, firmissimum totius regionis propũgnaculum, amiserunt. At Solymanus triduò ante hanc victoriam, quarta Septembris à meridie circa horam primam, in loco quem indigenæ Siclihouum appellant, quarta parte milliaris à Sigetho distanti, prope vineas Sigethanas supremum diem expleuit. Huic Selymus filius nono Cal. Oct. in imperio successit, qui postmodum ad Sigethum nouam vrbem in memoriam patris summa perpetuaq. habitatoribus immunitate proposita, ædificari iussit. Proximè insecuto anno Germania grauissimo bello implicata est, sus- 1567.
cepto imperij decreto, ac etiam communibus omnium ordinum impensis atque sumptibus gesto aduersus Grumbachianæ conspirationis præcipuos, atque horum receptatores, duce Illustriss. Principe electore Saxoniæ Augusto. Huic enim sententiæ in proscriptos promulgatæ executio, ac tota belli summa ab Imperatore ceteriśque ordinibus vno consensu demandata fuit. Huius autẽ belli causæ & occasiones, adeoque vniuersa historia de capta vrbe Gotha, & castro Grimnestein Idib. Aprilis funditus excisо, à generoso & clariss. viro D. Huberto Langueto, qui ob singularẽ eruditionẽ ac ceteras eximias virtutes ab omnibus iurè cõmendatur atq. suspicitur, Latinè descripta est, ac etiã typis excusa. Id autẽ breuiter annotauerim, hanc expeditionẽ, eum tandẽ exitũ sortitã fuisse, vt videlicet Augustus Princeps, captis primoribus cõspirationis auctoribus, in quos, Duce Ioanne Friderico excepto, qui iussu Cæsaris captiuus in Austriã perductus est, publico iustissimoq. supplicio animaduersum fuit, inclytã ac singularẽ cum perẽni sui nominis gloria, nec minore totius Germaniæ beneficio victoriã reportauerit. Decimaquarta die Ianuarij eiusdẽ anni, Zaduar arx munitissima Georgij Bebeck, qui à fide Imperatoria deficiens, belli inter Cæsarem & Vayuodam funesta fax fuerat, in Swendij Ducis potestatẽ concessit. Arx quidem rebus omnibus, præterquàm præsidio, instructissima erat. Quare cùm Bebeckius, ea relicta, clàm aufugisset, præsidiarij paucitate diffisi, vitam & supellectilem pacti, eam dedidêre. Vxor profugi illic deprehensa, cum suo mundo muliebri comiter ac benignè dimittitur: at bellicæ munitiones Imperatori seruantur. Quinto Cal. Nouembris etiam eiusdem anni, iussu Albani Ducis cœpta est prima arcis delineatio in fronte ciuitatis Hantwerpianæ, quæ postmodum anno eiusdem æui septuagesimo septimo, ac mense Augusto, cum admirabili indigenarum consensu & lætitia, ab ea parte quà vrbem respicit, solo tenus deiecta fuit, adeò vt iam vix vllum vestigium prioris formæ conspiciatur. Ceterùm de his quæ ab hoc tempore vsque in annum septuagesimum eiusdem sæculi contigêre, nihil equidem habeo quod in præsentiarum commemorem. At sexto Cal. Aprilis huius anni, Turcicus legatus Constantinopoli Venetias missus ad repetendum regnum Cypri, vel eo denegato, ad bellum denuntiandum, vna triremi illuc peruenit, & proximo die in Senatum intromissus, sedeque prope sereniss. Principem assignata, primò literas sui Imperatoris exhibet, sigillatas bulla aurea, quas tenebat in summitate capitis, in pileo, quem illi Turbantem vocãt, & alteras Mahometi purpurati, quas in sinu tenebat. Summa verò earum hæc erat: Se videlicet repetere à Venetis, iniustis vsurpatoribus,

Lazarus à Swendy Cæsareo exercitui præficitur.

Solymani Imp. obitus. Selymus patri in imperio succedit.

Bellum Germanicũ aduersus Grumbachiũ, eiusque confœderatos.

Zaduar arx capta.

Bebekij fuga.

Arcis Antwerpianæ prima initia eiusdemq; demolitio.

Turcicus legatus Venetias venit, eiusq; bellum denuntiat.

Turcarum Imp. literarum Venetijs missarum tenor.

bus, Cypri regnum, iure suum, ac Othomannicæ ditionis. Id si restituant, pacem & gratiam; sin minus, horrendam indignationem ac bellum denuntiare, ferro ignique eos, ac ipsorum omnia persecuturum, simulque etiam effecturum, vt illorum immensæ opes ac thesauri, quibus præcipuè confidant, torrentis instar diffluant, seroque eos lacessisse potius hostem potentissimum, quàm eidem cessisse pœniteat. Has literas Constantinopoli datas scribens, vbi ipsorum maiores propter superbiam, atque effrenatam inobedientiam contra antecessores suos ignominiosè cæsi ac profligati fuerint; id quod & ipsis consimiliter breui euenturum sit. Ceterùm, vbi Selymus ex legato Byzantium reuerso didicit, frustrà se petiisse Cyprum à Venetis, prævalidam classem duce Hali Bassa in Cyprum emisit, eo tandem successu, vt Nicosia expugnata, deinde insequenti anno Famagusta post 65. dierum obsidionem deditione capta, vniuersum regnum suo imperio adiecerit. Hac ætate Anna Austriaca, inuictiss. Imperatoris filia, Philippo regi Sereniss. desponsata, ventisq. secundis mare ingressa, in Hispaniam enauigauit.

Veneti regno Cypri multantur.

Annæ Austriacæ Maximil. II. filiæ in Hisp. enauigatio.

1571. Post hæc, septima Oct. quæ erat D. Iustinæ sacra, pugna naualis inter Christianam & Turcicam classem ad Echinadas insulas committitur, in qua admirabili diuini numinis prouidentia & bonitate Christiani tantam victoriam retulêre, quanta vix hominum memoria vlla contra barbaros Christianis concessa fuerit. Et hæc quidem à me in præsentiarum breuiter ac summatim recensentur, cùm præsertim studiosi habeant vnde hæc omnia plenissimè intelligant, partim ex aliorum scriptis, partim etiam ex meis, Basileæ impressis, quibus titulus est De bello Cyprio, ac bello Pannonico, cum Epitome variarum rerum &c. At 24. Augusti proximè subsecuti anni, qui dies incidit in festum D. Bartholomæi, Lutetiæ, regiarum nuptiarum prætextu, paulò ante lucem Gaspar Colinius Castelionius, magni quondam Franciæ Admiralij, ac multis rebus domi foriscque gestis clarissimus, quàm crudelissimè interfectus fuit: eodemque temporis articulo, cùm in ipsa vrbe Lutetia, tum in diuersis partibus Galliarum regio edicto perpetrata est cædes horribilis, & ad exemplum Sichemitarum in historia Dinæ, ac Mithridatis in Asia, vno quasi momento innumeri fato crudelissimo, & laniena virorum, coniugum, liberorum, omnis sexus, conditionis atque ætatis, his quidem traiectis globo, gladioue confossis, aliis in præceps datis, aut furca, aut saxi congerie, aut vortice fluminis suffocatis, non secus atque olim de Siculæ noctis infandis tragœdiis monumenta historica prodiderũt, contrucidati sunt. Dum ita in Galliis immanitate plusquam Scythica, & in propria viscera desæuitur, Hispani qui erant in Belgio, paucis pòst hebdomadis, nempe Cal. Oct. Mechliniam ciuitatem, aliis in turpem fugam sese vertentibus, aliis nequicquam ad obsistendum paratis, inuadunt, atque diripiunt. Quæ verò per dies noctesque tres integras, vbi cuncta effreni licentiæ ac libidini patuêre, commissa fuerint, quisq. suo cum animo facilè cogitabit. Mihi verò hæc, atque itidem ea quæ Nardenses, Harlemi, & postremùm Antuerpiani, anno eiusdẽ sæculi septuagesimo sexto, ac Nouembri mense pertulerint, memoria repetenti, calamũ horror excutit, adeò vt quemadmodum olim in depingendo Iphigeniæ sacrificio fecisse Timantem, Val. refert lib. 8. cap. 12., præ stupore malim hæc omnia silentio præterire. Illud tamẽ haudquaquam reticendum, scilicet mense Nouembri eiusdem anni, contra mundi totius ordinem & naturæ cursum, nouum sidus prodigiosum sub asterismo Cassiopeæ admirabili specie, splendore ac magnitudine apparuisse; quod figura ipsas stellas referebat, fulgore, puritate luminis & magnitudine vtrasque tam fixas, quàm errantes, Venere excepta, multis parasangis superabat; hæsitq. immobile in vno

Exemplum crudelitatis, nulli hactenus horroris magnitudine comparandum.

Noctes Siculæ in prouerbium abierunt.

Mechlinienſium cladeſ atque direptio.

De noui ſideris apparitione.

1572.

in vno cæli loco instar inerrãtium, quas scintillatu etiam ac tremore luminis expressit, cùm Planetæ non scintillent. In situ verò, motuque, nullam ferè mutationem fecit, inde vsque ab initio: & numquam à sua sede deflexit, nimirum inter Cephei sidus & Cassiopeæ: quam multi Calliopen voluerunt. Stabat in recta propemodum linea, cum insigniore in lumbis Cassiopeæ, cum clara Meduſa atque Pleiadibus; rursum ex alia parte cum stella polari, atque ea quæ est in natibus Vrsæ maioris, exactissimè verò in eandem rectam lineam incidebant cum sidere nouo cauda cygni, & superior in capite Cephei intra circulum Galaxiæ. Item versus Austrum sinistri cruris Andromedæ lucidior stella, cum trianguli stellis in angulo Boreali, nec erant aliæ propiores magnit. 2. aut 3. quæ inter se melius potuerint comparari. Primum autem obseruationis tempus, nonnullis 8. siue 9. Nouembris, aliis 16. eiusdem mensis, quibusdam verò 26. Huius astri noui apparitio multa erudita & præclara ingenia in se sui admiratione conuertit, vt, quænam illius esset natura & proprietas, quídue iuxtà portenderet, sedulò inuestigarent, ac etiam ad commune beneficium in literas referrent. Fulsit hæc in summo splendore, plus quàm mensibus 4. deinde sensim lumine diminuta, donec circa Febr. principium anni 1574. omninò euanesceret: claruit autem totis mensibus 15. semper loco stabilis & fixa. Initio fuit maior Ioue, postea ei æqualis facta, magis magisque decreuit. Color fuit Iouialis, mixtus Martiali, vtpotè candidus, rutilans, lumineque densus. Formam habuit instar sideris alicuius fixi, ferè vt arcturus. Sunt qui asserant, illam habuisse propriũ motum, licet tardissimum, versus eam partem quæ est inter ortum æstiuum & Septentrionem. Nonis Octob. anni supra mille quingentos tertij ac septuagesimi, quo quidem die ante biennĩ felicissimè ad Chinadas insulas à Fœderatis contrà Turcas dimicatũ fuerat, Ioan. Austrius cum insigni classe Philippi Hispanię regis soluit Drepano Siciliæ portu, & cum 105. triremibus armatis, & 40. nauibus in Africam circiter meridiem diei sequentis appulit, quem rectà sequebatur Andreas Auria cum 29. Hispanicis, & aliquantò pòst, Dux Sessianus cum 14. triremibus Pontificiis & Florentinis. At cùm Guletæ Austriacus intellexisset, Mauros & Turcicũ præsidium Tuneto discedere, postridie milite in terram exposito, confestim intellectum est, circiter 40. millia oppidanorum abiisse. Itaque nullo resistente, vrbem capiunt. Erant in arce ducenti fortè Mauri ab Amida rege custodiæ causa collocati, qui Austriacum postero die cum exercitu aduenientem, in arcem intromiserunt. Ibi à Bisertanis certior fit, orta inter ciues dissensione, quadringentos Turcas ex præsidiariis Bisertam, olim Vticam, occupatum venisse. Et cùm vi ingredi vellent, & ab oppidanis prohiberẽtur, acriter pugnatum, dum Bisertani 150. captiuos Christianos, qui erant in duabus triremibus Turcicis, catenis soluerunt, & armarunt. quorum auxilio captis triremibus, Turcas profligarunt. Quocirca de oppidanorum voluntate Salazaram Hispanum illuc misit, qui eos in fidem regis Hispaniæ susciperet. Amidam regem, quòd factiones fouisset, verisque regni hæredibus eiectis, Turcas solicitasset, captiuum cum vxore ac liberis in triremem detrusum, in Siciliam ablegauit, eique Mulcassem adolescentem, iureiurando ante se, vt vasallum regi Hispaniæ obstrictum, cuius imperata facturus, propositasque conditiones seruaturus esset, successorem in regno destinauit, vrbisque munitioni Serbellanũ præfecit. Anno 1574. ducenti Serbellani pedites & 150. equites, adiunctis sibi auxilio 4000. Mauris, Tuneto eruptione facta, circiter 1500. Turcas, & 3000. Arabum, qui variis incursionibus Tunetanos diuexabant, in primisque commeatu ac ceteris rebus necessariis prohibere conabantur, magno impetu aggressi

1573. *Austriaci expeditio in Africam.*

Turcæ Tunetũ discedunt.

Turcæ à Bisertanis repulsi.

Christianorũ & Turcarum conflictus ad Tunetum.

gressi sunt: sed Mauris pugnam detrectantibus, & in fugam conuersis, 150. Christianos cum duobus tormentis captiuos ceperunt, quos statim libertate donarunt. Tertio Idus Martij eiusdem anni Franciscus Barbarus Byzantio Venetias attulit ratificationem & confirmationem pacis 11. die Febr. inter Turcam & Venetos factæ. Inter ceteras condiciones transactum fuit, vt quæ vtrimque quisque superiori bello occuparit, in suam subijceret potestatem, eaque sui iuris atque imperij permanerent, sic tamẽ, vt Veneti Turcæ restituerent Sapotum, nec vllum ius sibi in castellum Xemenicum vendicarent; Turca vicissim ipsis Venetis ad duo milliaria territorij circum laderam, & tantundem circa alia loca suæ ditionis cederet: Item vt Veneti Dalmatiæ, & vicorum aliquot in regione laderensi, Turcæ annuum tributum penderent. Iisdem fermè diebus, tres naues à Turca regi Galliæ dono missas fuisse proditum est, in quibus erant equi, leones, pantheræ, & pleraque alia. Quod sanè idcircò fecisse existimatur, vt classis sua se in portum Zolonensem in hiberna recipere posset. Ceterùm intellecta regis morte, quę circa hoc tempus subsecuta est, cum vna ex his Constantinopolim reuectum, vt Selymo regis morte significata, quid sibi agendum esset, plenius intelligeret. Sub eiusdem fermè temporis tractum, inter Maximilianum Cæsarem, & Turcarum Imper. indutiæ ad quinquennium transactæ. At proximo vere, Turca instructissimam classem, 300. triremium ac biremium numerũ æquantem, aduersus Africanos, ducibus Occhiali rege Algierensi & Piali purpurato, amandauit, quæ prospera nauigatione tertio Idus Iulij ad Guletam præteruecta est. Duces, nulla mora interposita, eximprouisò milite incontinentem expositò, ad arcem castra posuerunt; eamque tanta æneorum tormentorum grandine breui tempore verberarunt, vt Hispanicæ copiæ præsidiariæ illam hostibus relinquere coacti fuerint. Guleta 23. die Augusti vi capta, soloque æquata, & Hispanica præsidia partim capta, partim interfecta. Porrò inter Guletam & Tunetum Cæsariani notiam arcem construxerant, quæ itidem Idibus Septemb. expugnata fuit; milites præsidiarij ad vnum ferè omnes contrucidati, duobus tantùm ducibus exceptis, Gabriele Serbellione, & Pagano Auria. Hunc ferunt ab Afris, qui ipsi spem vitæ fugæque fecissent, capite truncatum, atque illud ad Sinam Bassam allatum, atque ab eo 1000. aureorum munere compensatum. Alterum, qui duobus tormenti manuarij ictibus grauiter in ipsa pugna fortiter dimicans, vulneratus esset, ad eundem Purpuratum adductum, duobus ab eo colaphis, grauibusque præterea verborum iniuriis affectum esse, vt qui superbè oblatam gratiam & clementiam respuisset, seque cum omnibus suis turpiter perdere, quàm honestis condicionibus dedere maluisset. Abductum inde, iussu eius iectis compedibus in triremem fuisse, ac postea Byzantium perductum. Arx verò, vt paulò antè Guleta, solo tenus deiecta, tormenta maiora pleraque classi, vt aueherentur, imposita. Hoc rerum tractu, Margarita Valesia, Francisci primi soror, ac serenissimi Emanuelis Philiberti Allobrogum Principis coniunx, heroina, omni virtutum genere insignis, cum incredibili sui dilectissimi coniugis, atque omnium bonorum dolore, decimoseptimo Cal. Octob. viuentium oculis subtracta, mortalitatem expleuit. Paucis pòst diebus, tertio scilicet Nonas Octobris, Guidobaldus Feltrius, Vrbini Dux, fato sublatus est. At Venetiis quarto Idus Octobris cum aliquot diebus pluuiæ pænè continuæ, ac interdum etiam imbres fuissent, mare præcedenti nocte vehementissimis ventis inflatum, æstu inusitato in vrbem ita inundauit, vt infernè domos ferè omnes, & officinas aqua compleuerit, & nauiculæ, quas Gondolas vocant, per mediam Diui Marci aream & vicum

Veneti & Turca pacẽ ineunt.

Selymus Galliæ regi munera mittit.

Caroli IX. Galliæ regis obitus.

Inter Maximilianũ & Turcarum Principem indutiæ.

1574.

Guleta & Tunetum à Turcis expugnatur.

Arx noua vi capitur.

Pagani Auriæ interitus

Gabriel Serbellio captiuus Byzantium deducitur.

Margaritæ Valesiæ obitus.

Guidobaldi Vrbini Ducis mors.

Venetæ inundatio.

& vicum mercatorum, aliasque vrbis plateas & regiones, quæ fundamenta appellantur, nouo prorsus spectaculo, veluti medio mari expedito, nauigarent. Ventus etsi remissior aliquantò, aquam tamen, quo minùs horis solitis recederet, sustinebat, periculumque erat, ne, si is, redeunte maris æstu, siare non desisteret, inundatio maior consequeretur, quæ bonam magnamque vrbis partem submergeret. Viam enim sibi iam ad extremam eius perniciem aperuerat, eaque littora quæ veluti murum Venetiis & munimentum præbent, ad Fossam Clodiam, Malamoccum, & vicinum littus, quod Lio nominant, perruperat. Sed diuina clementia factum est, vt & ventus cessaret, & mare, non vt solet, sed 12. horas continuas refluere: vis enim maior in mare hinc refluentis aquæ ad fluxum eius impediebat. Damnum si à singulis æstimetur, quia plurimorum, non magnum; si vniuersum, mediocre fuit. Æstimatum autem probabiliter Reip. datum 400000. aureorum; priuatis non multò minus, vel maius etiam. Senatus Venetus reficiendis littoribus quæ dixi, summa auctoritate viros quinq. creauit, remigesque octo triremium ei operi statim adhibuit, ne si ex vrbe, vt nonnulli conijciebant, operæ conducerentur, populus rumoribus suis maiora omnia efficiens, metu ac perturbatione vrbem compleret. Padus quoque locis septem extra alueum erupit, vicinosque agros maximis detrimentis affecit. Item Medoacus, & alia hinc inde flumina locorum vicinorum, ita me herclè, vt reclusis omnibus valuis, omnibusque repagulis perfractis, Deucalioneum sæculum impendere videretur. Omen hinc qui mitissimum coniiciebant, pestilentiam seuereri aiebant, quæ Tridenti, ac finitimis locis mirum in modum grassabatur. Ceterùm qui ita sentiebant, haud sanè decepti sunt opinione sua, cùm hæc breui pòst totam vrbem, adeoq. vniuersam Venetam ditionẽ tantoperè afflixerit, vt ea ciuitas paulò antè florentissima, nulliq. in orbe terrarũ secunda, hoc diro cõtagio & tabifica lue, amplius centũ millibus hominũ è medio sublatis, in tristissimam vastitatem & admirabilem solitudinem redigeretur. In hoc rerum cardine subsecutus est annus supra mille quingentos septuagesimus quintus, in quem incidit inuictissimi Cæsaris Maximiliani secundi obitus, qui, Ratisbonæ celebratis comitiis, anno ætatis suæ circiter vno & quinquagesimo, Imperij ferè quinto decimo, quarto Idus Oct. cum summo omnium Ordinum atque prouinciarum dolore, expirauit. Fuit namque hic Cæsar, vt obiter quàm breuissimis verbis totius eius vitæ cursum perstringam, animi celsitudine, prudentia, iustitia, pietate, clementia, ceterisq. heroicis virtutibus ita insignis, vt meritò inter præcipuos & laudatissimos Imperatores connumerari possit ac debeat. Pacis enim ac tranquillitatis Christianæ conseruandæ studiosissimus fuit, nec minore imperij limites propagandi desiderio tenebatur. Qua certè in re, fortuna, & administrandi imperij summa dexteritas, eius volũtati haud parum obsecuta fuisse videtur. Siquidem satis constat, ipsum tanta prudentia regni habenas moderatum esse, vt quàm pauciissimi motus ac turbæ in Christiana Repub. sub ipso enatæ sint. Si quæ verò temporum iniquitate excitatæ fuerunt, tanta sollertia & consilij rectitudine eas superauit, vt proculdubiò vel hinc summum eius iudicium ingenijque præstantia eluxerit. Nec est quòd eius gubernationis felicitatem interrumpat clades Hungarica, ad Sigethum & Iulam accepta, cùm ipse per suos Duces & in primis quidem per inclytum heroëm, & hac nostra tempestate alterum Scipionem, D. Lazarum à Swende, cuius suo loco meminimus, clarissimos de iuratissimo Christianæ religionis hoste reportauerit triumphos; nempe Tokay arce, vti diximus, expugnata, Vesprinio capto, nec non Sakmario, Tata, Muncatio, ceteris-

Quantam cladem inundatio Veneris attulerit.

Padi, Medoaci et aliorũ fluminum exundatio.

Venetiæ atrõci pestilentia diuexantur.

1575.

Maximiliani Cæsaris II. obitus.

teriſq. oppidis ad Bodrok flumen in deditionem receptis. Quorum ſanè acceſſio tanti fuit momenti, vt multorum temporum aſſidua quodammodò infelicitas maiori ex parte compenſata videatur. Deceſſit Cæſar, ſi ad naturæ humanæ curſum reſpexerimus, immatura quodammodò morte, cùm alioquin ſic ſatis firma vteretur valetudine. Sed cùm his poſtremis annis articulari morbo, & cordis tremoribus ſæuè atque acerbè admodum exerceretur, naturam ſuperante malo, laboribus pariter ac vita defunctus eſt. Succeſſorem habuit Rudolphum primogenitum, primum à ſe, de omnium Ordinum conſenſu, regem Romanorum renuntiatum; qui ſtatim poſt patris diſceſſum (quod Chriſtianæ Reip. felix fortunatumque ſit) imperij moderationem ſuſcepit. Præterea filios quinque, omnibus regiis dotibus & laudibus exornatos: filias verò tres, ita vt fecunditate ſobolis etiam nõ parum felix & beatus dici mereatur. Et licet ipſius Cæſaris obitus multorum ſcriptis celebretur & minutim recenſeatur; tamen quia cùm hæc ſcriberem, & chalcographiæ hoc noſtrum opus cõmitterem, Sereniſsimus Archidux Matthias, eximiæ expectationis ac generoſiſsimæ indolis Princeps, cum mirabili totius Belgij applauſu & ſatisfactione has inferiores partes procurabat, ac etiamnum procurat: idcircò mearum partium eſſe putaui, aliquantò fuſiùs Cæſaris deplorare interitum, ſimulque glorioſiſsimæ domui Auſtriacæ, tot Principum atque Imperatorum ſtemmatibus claræ atque illuſtri, haud mediocriter congratulari. Tam magna enim in hoc Principe, vt alios eius fratres, laudatiſsimos Principes, breuitatis cauſa ſileam, eminent in verè excelſo & heroico animo veræ Cæſareæ ſobolis indicia & teſtimonia, vt vel hinc magna nobis affulgeat ſpes, imò planè certa quædam fiducia, vt eius moderatione atque adminiſtrandi feliciter omnes difficultates, quæ tantum non hanc Rempub. peſſum dedêre, cùm totius Chriſtiani orbis beneficio ſuperari debeant, & conſopitis tandẽ tot tantiſque controuerſijs, alma pax, ac diuturna tranquillitas his miſerè exhauſtis atque defatigatis tot tantiſque aduerſitatibus regionibus, cum manifeſto publici boni ſenſu poſtliminiò reſtitui atque conſtabiliri: alioquin non video, quomodò ſuſtinendis oneribus deinceps pares eſſe queant. Optandum eſt igitur, & ſummis votis à Deo opt. max. aſsiduè contendendum, vt has celeberrimas prouincias, neſcio quo fatali modo ad interitum quodammodò properantes, quaſi iniecta manu, à præcipiti curſu retrahat, atque ſiſtat; conuerſiſque rebus, ac in melius commutatis, florentiſſimus tantæ Reip. ſtatus iterum conſpici, atque omnibus admirationi eſſe poſſit, cùm nulli mortalium dubiũ ſit, harum Prouinciarum inferiorum tantam eſſe vbertatem, & rerum omnium abundantiam, vt nulli regioni, vel etiam regno, licet opulentiſſimo, cedere debeat. Quod niſi eſſet, fieri profectò nequiret, vt tantam, ac propemodum infinitam hominum multitudinem, totque ac tantas peregrinorum militum copias per tot annorum volumina diutius alere, atque commodè ſuſtentare poſſet. At niſi tandem clementiſſimus Deus, illarum miſertus, præſentes calamitates, & quæ etiam mox impendere videntur, pro immenſa ſua bonitate auertere dignabitur, ſummoperè verendum eſt, ne vllus ſit finis miſeriarum. idque vt omnibus rationibus præcauetur, Cæſarea Maieſtas, pro ſua paterna in huius inferioris Germaniæ Ordines propenſione ac beneuolentia, generoſum atque illuſtrem virum, omnique genere laudis excellentem D. Othonem-Henricum, Comitem in Swartzemberg, ad eos miſit, qui ſuo nomine apud ipſos legationis munere fungeretur. Idem quoque hactenus à Britanniæ Regina per ſuos Oratores, partim ad Philippũ Hiſpaniarum regem, partim etiam ad Ioannem Auſtriacũ, dum adhuc in viuis eſſet, nec non

Rudolphus, Maximiliani 2. primogenitus, Imp. deſignatur.

Sereniſſ. Archiducis Matthiæ heroicum ingenium & virtus.

nec non ad ipsum Sereniss. Principem Matthiam Archiducem Austriæ, &c. atque status & proceres harum regionum, variis temporibus ablegatos, summa diligentia & studio allaboratum fuit. Ceterùm, vt quod reliquum est, quàm breuissimè absoluam, Selymus II. Turcarum Imp. pænultima die Nouembris eiusdem anni, vitæ suæ terminum expleuit: in cuius locum Amurathes tertius legitimo paternæ hæreditatis iure suffectus fuit. Hic verò imperij sui incunabula atque primordia confestim à sæuitia & horribili crudelitate auspicatus, tres quatuor innocentissimos coram se strangulari iussit, ne scilicet, vt quondam post Mustaphæ interitum, fama increbesceret, aliquem ex illorum numero adhuc superstitem esse, vnde sibi in posterum aliquid incommodi atque periculi immineret. Anno eiusdem æui septuagesimo sexto, Romæ sub finem Ianuarij, Gregorio tertio decimo rebus sacris præsidente, visus ignis magnus basilicæ D. Petri insidere, quem subsecuta grando tempestasque dissipauit, ac breui pòst, draco flammeus, qui Ostiam & Centumcellas versus suum volatum inflectebat. Et quoniam nihil planè aliud, quod ad præsentem hunc annum spectat, memoria dignum occurrit, hoc etiam obiter adiiciendum putaui, nempe decimo oct. Cal. Iulij purpuratum Budensem, inter reliqua spectacula, iussisse, militem quendam Agriensem rei capitalis damnatum, palo alligari, & leonem ferocissimum dimitti, qui eum laceraret. Belluam, vbi hominem cominus inspexit, sensim ac placidè ad eum, iam propè metu exanimatum, accessisse, ac dumtaxat perones, quos ille in pedibus gestabat, citra vllam tamen pedum ac corporis læsionem, dilacerasse, & mox in suum custodem ac magistrum qui Turca erat, terrifico fremitu irruentem, in eum omnem atrocitatem exercuisse, adeò vt illum rabidis morsibus atque vnguibus continuò in frusta discerperet. Begos, quæ vox dominum sonat, adstantes, hoc animaduerso, apud Bassam intercessisse, vt vinctũ dimitteret, cùm fera ei pepercisset. idque ab ipso facilè impetratum. atque ita liberum dimissum, omnique pœna solutum fuisse narrant. At media nocte inter 26. & 27. Septembris proximi anni, fuit maxima eclipsis, quæ contigit in gradu 13. & 15. min. Arietis, signo trigonoque igneo, Marte tunc Ioui congrediente in 27. Virginis, circa viam Regiam, eclipticam scilicet, & in finibus Martis; Ascendente tunc 10. grad. & 52. min. Leonis, signo igneo, culminante 22. Arietis signo etiã igneo, termino domoq. Martis, & in domo cæli nona. Post hãc eclipsim, toto octiduo fuit æstiua omninò cæli constitutio, calida scilicet, sicca & serena, spirante continuo Euro, quæ omnia ad proximè subsecuti Cometæ generationem, ac ætatem, seu longæuitatem, materiam amplissimam suppeditarunt, attractis scilicet sursum ad æthera vi siderum exhalationibus multis, crassis, viscosisque vaporibus intermistis, &c. Hæc verò eclipsis maximas non solùm in politicis rebus, verum etiam in his quæ ad religionem spectant, conuersiones prænuntiauit: nec minus Cometa ipse qui cœpit apparere 14. Nouembris eiusdem anni sub horam quintam post meridiem, seu statim post solis occasum, vultu horrendo ac funesto, cùm collectus, seu ortus esset in prima Capricorni decuria, domo Saturni, circa Tropicum hibernum, & caudam longissimè latissimeque diffusam, & ad corpus propemodum Lunæ, quæ tunc in tertio gradu Aquarij voluebatur, semperque in Orientem protenderet. His cælestibus præsagiis haud dubiè præmonstratæ sunt ingentes calamitates, quæ proximo anno, innumeris planè fatali ac exitioso, euenerunt, & quæ etiamnum variis locis impendent. Notum est autem, quanta clades hac præterita æstate Lusitanis, atque adeò vniuersæ Christianæ Reip. per Mauritanos, infensissimos Christiani nominis hostes, inflicta fuerit.

Selymi Turcarum Imp. mors. 1574

Exemplum singularis sæuitiæ.

1576. *Romæ portentum conspicitur.*

Rarum exemplum de leone.

1577. *Eclipsis.*

Cometæ apparitio.

1578.

Lusitani regis clades. Cùm enim Sebastianus Lusitaniæ rex, iuuenis heroici animi, & generosissimæ indolis ac virtutis, inclyta suorum prædecessorum vestigia imitatus, miroque cùm fidei, tum imperij propagandi studio incensus, cum instructissima classe, qua circiter quadraginta expeditissimorum virorum millia, & inter ipsos, quadringenti illustres viri, quorum etiam complures equestri ordine ac dignitate insignes, deuehebantur, mense Iulio in Africam soluisset, coque secundis ventis delatus, ac milite in continentem exposito, rectà cum suo exercitu ad expugnationem oppidi Alcazari contenderet, ibi Muleum Malucum Fessanorum regem cum valida equestrium ac pedestrium virorum manu obuiam habuit, & pridie Non. Augusti hora circiter nona ante meridiem conserto prœlio, diu ancipiti Marte atque acerrimè pugnatum est, donec tandem fortuna ad Mauros inclinante, Lusitanus rex cum omnibus suis copiis fermè ad internecionem vsque deletus fuerit, omnibusq. impedimentis & castris exutus, ita me herclè, vt vix centum sibi fuga salutem pepererint. Vltra ipsum regem, qui postquam certaminis initio grauissima & disertissima oratione suos cohortatus esset, omniaq. magnanimi ducis ac strenui bellatoris munia & partes obiisset, fortissimè dimicans, in acie ab hoste interfectus fuit, præcipui extitêre Dux Auerus, D. Antonius N. Alfonsus Aguilaris Cordubæ eques, & D. Ludouici Cordubensis tribunus, necnon septingentorum Italorum ac totidem euocatorum militum Castellæ præfectus, Damianus Diarius, Diegus Menesius, Georgius de Silua, magnus Lusitaniæ Procurator ac præses, Franciscus Vimiosi reguli, atque alter eiusdem nominis, Tendriæ Comitis filius, Ferdinandus de Silua Comitis Sortellæ filius, & pleriq. alij, maiorum imaginibus atque amplis ditionibus clari. Numerus eorum qui in hostium potestatem deuenerunt, variè narratur. Ex celebrioribus tamen nominantur Dux de Barcellis, Bargantiæ Ducis filius, Duartus Menesius, regiarum copiarum Imperator, ac etiam eius filius Franciscus Castrus, Diegus de Silua, & Petrus Menesius. Quòd verò ad Lusitani regis corpus attinet, non desunt qui tradant, hoc ab ipsis Mauritanis Alcazarum fuisse delatum, eosque pro illius redemptione, vrbem Tangerum, vel Argilam vnà cum bellicis machinis postulare. Prædam omnis generis fuisse prędiuitem atque opulentam, & multum auri, argenti, ac pretiosæ supellectilis in ea repertum fuisse, nemo sanæ mentis addubitabit. Ceterùm ex aduersa parte, vltra haud exiguum numerum eorum qui aut grauissimis vulneribus variè affecti sunt, vel etiam in ipso prœlij ardore conciderunt, Malucus Barbarorum rex, & Charissæus Amel, vir magnæ nobilitatis inter suos, vnà cum ijs omnibus quos patrio idiomate Alaleyos vocant, desiderati; adeò vt hic atrocissimus & memorabilis conflictus, præter clarissimi nominis proceres, ac primipilares & centuriones, atque etiam lectissimum pulcherrimæ iuuentutis florem, ex variis nationibus collectum, duorũ potentissimorum regum interitu quammaximè nobilitatus fuerit. Antequam verò huic operi de politico Reip. statu, ceterisque rebus insignioribus, quæ hoc nostro sæculo, ac patrum memoria contigerunt, extremam, vt dicitur, manum imponam, non ab re fuerit, si etiam quod Budæ, inferioris Pannoniæ metropoli, paulo ante hoc funestissimum prœlium, nempe 14. Cal. Iunij, accidisse compertum est, quàm breuissimè inseruero. Sunt etenim haud infimæ existimationis viri, qui mihi retulerunt, eo die primò ingentem ibi terræmotum fuisse, qui vniuersam vrbem concusserit, & post exiguum temporis interstitium, horribilem tempestatem secutam, ac fulmen cælitus delapsum in castri, seu summæ arcis puluerem tormentarium, quem copiosissimè illuc adferri iusserat Turcarum Imperator, vt expeditionem

Insigniores mortui in pugna.

Budæ ingens terræmotus ac tempestas.

Eiusdẽ arx cælitus tacta.

tionem in noſtros vel hoc ipſo anno, vel poſtero ſaltem, faceret; ſic totam arcem & magnam ciuitatis partem euertiſſe, vt mœnia in Danubium proiecerit, & ſupra quinque hominum millia contrucidarit. Chriſtianos captiuos, quorũ haud exiguus numerus in ipſa arce aſſeruabatur, ad vnum omnes occubuiſſe, ac etiam maximam partem oppidanorum, quorum capita, brachia, pedes, & membra inutilia, ad multa deinde milliaria proiecta, fuiſſe reperta, atque ita Deum auertiſſe futuram calamitatem, quæ noſtrorum ceruicibus imminebat. Hæc quidem, & quæ hactenus retulimus, quæque hac noſtra tempeſtate in Belgio conſpiciuntur, omninò tragica & lugubria ſunt, neque minima pars eorum quæ prodigia, à me ſuperius commemorata, ceu non obſcuri diuinæ vltionis internuntij, ac, vt ita dixerim, feciales, portendunt, non quidem vt cauſæ effectrices, ſed tantummodò, vt ſigna quæpiam & eiuſdem cauſæ ſoboles; quibus ſanè admonemur, vt mente in cælum erecta, noſtrum conditorem agnoſcamus, eumque aſſiduis atque indefeſſis precibus oremus, vt nos benigno ac placido vultu reſpicere, nec non mitigatis pœnis, in iuſtiſſima ſua indignatione atque ira, clementiæ, quam hactenus humano generi, ac ijs præſertim quos vaſa miſericordiæ eſſe voluit, ampliſſimis teſtimoniis declarauit, meminiſſe non dedignetur.

DE PRIMA CHRISTIANORVM IN SYRIAM EXPEDITIONE.

CVM populus Genuensis inde statim ab initio multis egregiis factis atque casibus inclaruerit, suumque nomen æternitati celebrandũ singulari quadã virtute tradiderit, necessarium profectò esset, vt, ad immortalem omnis vẽturæ posteritatis vtilitatem, omnes illius res gestæ literis consignatæ, ab omni obliuione vindicarentur, præsertim cùm satis ex veterum scriptorũ monumẽtis deprehendere liceat, Ligures omnium Italiæ populorum fermè in Italia primos extitisse, qui fidei atq. religionis nomen, & Christianã lucẽ receperint. Qua certè in re, vt lectori fidem faciã, non est quòd anxiè multa inquiram testimonia: satis & abundè fuerit, breuiter annotasse tempora, quibus hæc gens, discussis veteris erroris tenebris, diuini numinis fauore, ad meliorem mentem vocata sit. Quæ sanè singularis felicitas incidit in annum imperij Neronis ferè pænultimum. Cuius truculentissimæ bestiæ & immanissimi tyranni tempestate, tanta fuit fidelium omnium persecutio, vt nullus ferè totius Romani imperij esset angulus, in quo miserrimæ horribilesque carnificinæ & lanienæ iussu tyranni assiduè non exercerentur, ita profectò, vt multi, diuino instinctu commoti, ad deuitandum tam atrocem persecutionem, relictis patriæ penatibus, diu incertis sedibus oberrarint, non tam glorioſissimi nominis Christiani tædio, vel pudore, quàm quòd suæ vitæ vsuram in meliores vsus, & ad religionis Christianæ pomœria proferenda, reseruarent. Quorum certè tanta fuit multitudo & copia, prout sacræ literæ testantur, vt cateruatim multi, nomen Christianum professi, pro eodem extremum spiritum effundere non recusarent, quin potius sese vltrò libentissimis animis carnificum manibus terribilissimisq. cruciatibus obiicerent atque offerrent. Proinde inundante indies atque augescente Christiana fide & religione, anno octauo ac septuagesimo à partu virginis Nazarus, natione Græcus, cum collega suo Celso, variis in locis diuini verbi mysterium annuntiauit, tanto me herculè cum incremento, vt vlterius progressi, & maris longa spatia emensi, tandem Genuam, stabiliendæ Christianæ religionis causa appulerint, vbi benignè excepti, tantum diuino potuêre eloquio, vt statim ab initio absterritis ac pedetentim retractis à Paganismo multorum animis, plures fuerint, qui militiæ Christianæ libenter nomen darent: ac demum factum fuit, vt sensim præualeret melior doctrina, & breui temporis curriculo vniuersa ciuitas in vnius fidei Christianæ sacra coalesceret, adeò vt ab hoc potissimùm tempore, tanquam perenni limpidissimi fontis scaturigine, Respub. Genuens. meritò inter florentissimas Christiani orbis vrbes non solummodò celebrari, verùm etiam hoc potissimùm nomine multum ab omnibus suspici, & venerari debeat; cùm nulla sit in vniuersa Europa, quod equidem sciam, quæ religionis antiquitate cum hac conferri meritò possit. De vrbis autem vetustate, quan-

Nazarius & Celsus Genuens. populũ ad Christianam fidẽ conuertunt.

quam ordo requirebat, vt ſtatim ab initio recitatis gentis incunabulis, temporis ſeriem adnotarem; tamen neſcio qua obliuione factum ſit, vt hucuſq. diſtulerim. Quocirca, ne tam excellentis vrbis origo ignoretur, operæ pretium eſſe duco, hîc pauciſſimis verbis tempus aſcribere quo illa condita ſit. Multorum itaque clarorum virorum, & in antiquitate verſatiſſimorum, ea ſemper fuit opinio, vt Genuam aliquot ſæculis ante conditam vrbem ædificatam fuiſſe aſſerant. Multi etiam arbitrantur, illius primordia in annum mundi 3692. incidiſſe. Nec mihi de illius antiquitate inquirenti hæc opinio diſplicet, & variis rationibus adductus, commoueor, vt facilè credam, Genuam, florentibus tunc maximè in Italia Ligu-ribus, tùm propter loci commoditatem, tum etiam propter indigenarum potentiam, multis annis ante Troianorum in Italiam aduentum, ſcilicet quo tempore Dardanus primò Troiæ imperauit, conditam fuiſſe. Qua tamen in re ne ſim prolixior, vel curioſior, hæc vniuſcuiuſque iudicio liberè permiſerim. Cetèrùm cùm ea quæ Hieroſolymitanam expeditionem vnanimi Chriſtianorum Principum conſenſu anno milleſimo vndecenteſimo ſuſceptam præceſſerunt, exceptis iis rebus quas in noſtri operis exordio quàm breuiſſimè recenſuimus, temporum iniuria prorſus interciderint, difficile me herclè fuerit, ex perexiguis fragmentis (rudera potius vocaueris) quæ neſcio vbinam gentium deliteſcant, aliquid veri de tanta re tradere ac pronunciare. Quocirca his poſthabitis, quorũ nulla certa haberi poteſt cognitio, ea dumtaxat, quantum in nobis erit, pro fidei veritatiſque dignitate explicabimus, quæ Reſpub. vnà cum reliquis Chriſtiani orbis Principibus pro ſacra militia variis temporibus ac populis ſuſcepta, queque itidem in Hiſpaniis contra Saracenos non minus ſtrenuè, quàm feliciter geſſit, quibus maiori quo fieri poterit compendio abſolutis, ea bella quæ mox huic cum Piſanis, deinde cum Venetis, vario euentu interceſſêre, & quibus tandem ſucceſſibus vtrumque terminatum fuerit, recenſebimus. Quantum verò ad ſacrum hoc bellum, cõmuni, vt dixi, omnium Chriſtianorum Principum voluntate & ſuffragatione ſuſceptum, attinet, licet diffusè à multis præclaris ſcriptoribus tradatur, & ſic poſteritati mandatum ſit, vt meritò hac in parte vnicuique ſatisfactum eſſe poſſit & debeat: tamen cùm in hac ſacratiſſima expeditione populus Genuenſis non exiguum ad Rempub. Chriſtianam cùm tuendam, tum propagandam, operæ & laboris ſuſceperit, nec parum præſidij & momẽti ad rem feliciter gerendam, planeque victoriam conſequendam attulerit, abſurdus omnino viderer, ſi Genuenſium res domi foriſque geſtas, literis complectens, hanc clariſſimam expeditionem aliquo modo ſilentio ſupprimerem. Nemini igitur dubium, vel etiam mediocriter in hiſtoria verſato, videri debet, Principes Chriſtianos de barbarorum in Oriente incrementis admonitos, non ſemel de hac ſacratiſsima expeditione ſeriò cogitaſſe; nimirum quòd intelligerent, barbaram gentem Chriſtiano nomini infenſiſsimam, ſenſim atque paulatim ampliſsimum regnum ex Chriſtiani imperij ruinis ſibi cum maxima totius Reipub. Chriſtianæ iactura & calamitate indies condere, & magis atque magis ſeſe in eo conſtabilire, ita vt niſi ſtatim illis omnibus viribus obuiam iretur, fieri non poſſe, vt ipſi nouis acceſſionibus aucti, & temporis interuallo confirmati, in poſterum excindi, vel aliquo modo Chriſtiana potentia infirmari poſſent. Verùm tanta fuit nonnullorũ Principum ambitio, vel oſcitantia, ſiue à publica vtilitate animi alienatio, vt, dum ipſi dira cupiditate alienis opibus inhiant, eaque de cauſa graues motus & turbas excitant, ac inter ſe aſſiduè digladiantur, mutua illa conſenſio, quæ maximè in tam arduis rebus requirebatur, coaleſcere non potuerit

Quo tempore Genua condita ſit.

tuerit, ita certè, vt cum graui totius Reipub. Christianæ detrimento, ac non minori religionis nostræ iactura, propter Principum animorum distractionem hoc sacratissimum bellum in hæc ferè tẽpora delatum fuerit. Et nescio mediusfidius, num vlterius dilatum foret, nisi multorum cohortationibus, & præsentium periculorum magnitudine Principum animi ad hanc sacrosanctã militiam fuissent inflexi, & tanquam ab alto veterno excitati. Vrgebant siquidem multi qui rerum Orientalium non ignari, impẽdentem Christiano orbi calamitatem, ceu intento digito, Dynastis atque Principibus nostris, si vlterius priuatis commodis studentes, publicum bonum negligerent, commonstrabant; inter quos Petrus quidam Eremita, ex Gallijs oriundus, magnæ nobilitatis ac existimationis inter suos vir, recèns ex Palæstina reuersus, literas Simonis Patriarchæ Hierosolymitani ad Vrbanum Pontificem secundum attulerat, quibus ille damna, contumelias, & grauissimos cruciatus, quos Christiani sepulchrum Domini inuisentes, à Saracenis quotidie patiebantur, narrabat, atque ab eo perditis Christianorum rebus auxilium implorabat. Quibus sanè literis commotus Põtifex, cùm totius rei periculum ex ipsius Eremitæ sermonibus longè pleniùs cognosceret, facilè passus est sibi persuaderi, vt hoc maximè necessarium bellum susciperet, & Principum Christianorum animos ad hoc sollicitaret. Proinde huius rei gratia proposito diplomate, concilium toti Occidenti Claromontij Auernorum oppido indixit, ibiq. magno diuersorum procerum atque antistitum interuentu, celebratum est, & in vsum huius belli auxilia de communi omnium consensione decreta. Et quamuis multi Principes religione commoti, in hanc sacrã militiam consentirent, tamen longè ceteris imperij atq. opum dignitate præstabant, inter Gallos quidẽ, Hugo, Philippi primi, regis Galliarũ frater, Gothifredus Eustathij Bononię Belgicę Comitis filius, Lotharingiæ Dux, cũ duobus suis fratrib., scilicet Balduino ac Eustathio. Duo præterea Roberti, alter Normãniæ Dux, Guilielmi Anglorum regis filius, alter Flandriæ Comes, quibus Raimundus Tolosatium, & Stephanus Blesensium & Carnutum Comites, sese socios addiderunt. Nec minori Italiæ Principes studio & religione tenebantur: inter quos quidem præcipui extitêre Gulielmus Montisferrati regulus, & Otho Vicecomes Mediolanensis, Eliprandi filius, à corporis proceritate Longa-spatha dictus, qui voluntariorum equitum ac peditum delectæ nobilitatis viginti millia ad Boëmundum à Brundisio in Syriam transfretantem adduxere, inter quos auxiliariorũ septem millia Insubriæ fuisse dicuntur. Sunt qui memoriæ prodiderint, Anselmum Mediolanensium antistitem, incredibili religionis zelo sese ceteris Italiæ Principibus coniunxisse, vt scilicet suo exemplo alios sui ordinis viros ad hanc sanctissimam expeditionem, omni viro Christiano dignam, accẽderet atque inflammaret, adeò vt in ipsa sola Italia, ducibus prædicto Boëmundo Rogerij Ducis Calabriæ fratre, & Tarentinorum Principe, ac etiam Tancredo Rogerij nepote, ad quinquaginta lectissimorum hominum millia concurrerent, qui huic bello nomina certatim darent. Tanta fuit horũ Ducũ proximè dictorũ sanctimonia, & suscipiẽdi belli ardor, vt ipse Boëmundus veste sua serica per frusta dissecta, suos nobiles & curiales crucibus purpureis, tanquã vero & decenti Christiano symbolo, exornaret ac insigniret. Pari diligentia & alacritate Ademarus Pontificius legatus, qui, vt nonnulli scribunt, Anicien sis præsul fuit, cum Petro Eremita huius belli præcipuo, vt dictum est, auctore, suos animabat & instruebat. Et quia neminem ferè latere potest, in hac expeditione multarum gentiũ infinitam quodammodò fuisse multitudinem, & concursum, quæ ad proferendum Christianum

Petrus Eremita Christianos Principes ad sacram expeditionem sollicitat.

Qui præcipui Principes huic sacræ expeditioni interfuerint.

Anselmus Mediolanens. Antistes militat.

Boëmundi Ducis zelus.

nomen & imperium, spreto omni vitæ periculo, relictis domi pignoribus, aliisq. quæ inter præcipua numerantur, hoc vnum agebant, vt, repulsis barbaris gentibus, magnam vastitatem & stragem in Christiano imperio indies magis atque magis facientibus, bene de Christiana caritate, ac deinde de tota ipsa posteritate promererentur. Tamen in tam magna scriptorum varietate non desunt qui pro vero asserant, in hac militia circiter sexcenta millia peditum, equitum loricatorum centum millia fuisse, qui omnes diuersis itineribus, & per varias regiones, tandem Byzantium peruenêre, vbi tunc Alexis Græcorum Imperator, omnes huius belli proceres humaniter ac splendidè excepit. Res proculdubiò, quæ fidem ad primum intuitum planè excedere videatur, cùm verisimile non esse existimari possit, tantam gentem per tot locorum interualla & longorũ itinerum emensa spatia posse in vna eademque regione coire, præsertim cùm nulla regio tam fertilis esse per se possit, quæ tantæ multitudini sufficere, vel omnia vitæ necessaria suppeditare queat. Ego tamen vt hoc credam, adducor, quòd satis constet, Cyrum, Xerxem, Darium, & postremò Tamerlanem, exercitum habuisse huic parem, ac etiam longè superiorem. Postquam Constantinopoli vniuersus exercitus in vnum quasi corpus coaluit, citra longam moram transmisso Bosporo Thracio, Nicæam Bithyniæ metropolim signa mota sunt, eaque post duorum & quinquaginta dierum obsidionem, & acerrimam barbarorum defensionem, hac tandem condicione mense Iulio anni septimi & nonagesimi supra millesimum ac centesimum, in potestatem recepta est, vt defensoribus, vnà cum armis aliisque impedimentis, vibe impunè excedere integrum esset. Nicæa recepta, duobus belli expedire videbatur, exercitum in duas partes distribuere, quò scilicet agminatim commodiùs progrederentur. deinde Antiochiam Pisidiæ & Iconium Lycaoniæ vrbem adorti sunt, quę pari felicitate ac celeritate in deditionẽ receptę. Sed mox propter itinerum difficultatem, & exercitus impedimenta, copiarum pars Lyciam, & Pamphiliam, altera verò Ciliciam petiit, in qua Tarsum, regionis illius primariam vrbem, non ita difficulter occuparunt. Inde Mamistram, vrbem validissimam ditissimamque, imperata facere abnuentem, expugnarunt. Eodem etiam tempore Armenia minor in potestatem redacta, breuique post Edessani & Samosatenses deditionem fecerunt; & paulò pòst Sororgia, & Maresia præclaris vrbibus aucti sunt; parique ratione Artasia, quindecim ab Antiochia Syriæ milliaribus distantem, occuparunt: in quo successu rerum ad duodecimum Cal. Nouembris Antiochiam, primariam Syriæ ciuitatem, peruenêre. Ad huius vrbis tanquam præcipuæ, & capitis totius Syriæ defensionem, barbari septem millia equitum, & viginti millia peditum lectissimæ iuuentutis præmisserant, vt illam, alioquin natura loci & arte munitissimam, & propè inuictam, contra nostri exercitus multitudinem & iniurias acerrimè defenderẽt ac propugnarent; eamque hac de causa omnibus ad defensionem opportunis ac necessariis rebus instruxerant. Verùm fœderati nullis omninò difficultatibus ac periculis deterreri potuerunt, quin eam inuaderent, & castra portis mœnibusq. admouerent, adeò vt in ea obsidione plurimi vtrimque conflictus habiti, & quàm plures interempti sint. Nec minori cum alacritate & diligentia mari res gestæ fuerunt: quandoquidem Veneti, Pisani, & Genuenses, rerum naualium apparatu inter se mutua æmulatione certantes, instructissimam classem ad huius belli expeditionem adornauerant; quæ certè in vnum coëuntes, longè omnium, quæ vllo vnquam tempore Christiana potentia armata fuit, præclarissima extitit. Veneti quidem circiter ducentas omnis generis naues, quanta classe ad eam diem nunquam nauiga-

Christianorũ numerus in hac sacra expeditione.

Nicæa deditionem facit.

Armenia minor in Christianorum potestatem redacta.

Antiochiæ obsidio.

Naualis Christianorum classis.

nauigarant, præfectis Henrico Contareno, vrbis Præsule, & Michaële Vitale Duacis filio, instruxerant. Pisani interim Rhodum occuparant, & Ligures, vt Antiochiæ obsessoribus ex propinquo opem ferrent, proximam maritimam oram ad ostia Orontis, qui eam ciuitatem interluit, classe sociis naualibus militeq. egregiè instructa ornataque, obtinuerant. Veneti etiam, descensione in Ioniæ oram facta, Smyrnam cepêre. Quo rerum successu Itali maris possessionem nacti, ac etiam vt terrestris exercitus à classe Italica aliqua ex parte iuuaretur, Tarentinus & Tolosas cum quinque millibus peditum profecti, à Genuensibus commeatu aliisque rebus ad bellum vtilibus ac necessariis instructi sunt, ita vt vrbs tandem pridie Cal. Iunij, post octo mensium obsidionem capta sit, anno scilicet nonagesimo octauo eiusdem sæculi. in cuius quidem expugnatione ad decem millia Turcarum interempta esse dicuntur. Post expugnatam Antiochiam, dira pestis in nostro exercitu grassari cœpit, & magnam hominum stragem facere, adeò vt ad quinquaginta hominum millia absumpta esse dicantur. quæ certè tabifica lues haud mediocriter cursum bene gerendarum rerum remorata est, cùm cogerentur nouum ex Europa supplementum expectare; quo aucti, non pauca alia oppida & vrbes, partim vi, partim deditione, Christiani imperij fecêre, & inter alias quidem, mense Martio, Seleuciam, vrbem Syriæ maritimam, vigesimo ab Antiochia lapide distantem, & Gabullam, ipsam quoque maritimam, & celebrem, vrbi Laodiceæ proximam, recepêre. Tandem emensa Syria, superatisque multorum itinerum difficultatibus, in Palæstinam venêre, & ad primum huius regionis ingressum, Ramulam, & Nicopolim obsidione cinxerunt, eo euentu, vt deditione facta, nostro iuri cesserint; quibus potiti, rectà Hierosolymã, motis vndique castris, contendêre. Antequam huius vrbis expugnationem describam, non silebo, exercitus nostri ingentes copias, vti diximus, ad summam angustiam & paucitatem redactas fuisse. quandoquidem cùm ad hanc expeditionem multæ nationes & populi confluxissent, ita vt incredibilem multitudinem constituerent, mirum profectò omnibus videbitur, tantam hominum multitudinem tam exiguo ac breui temporis spatio ad tam paruum numerum deuenire potuisse. Satis enim liquet in nostris castris sub primum in Palæstinam aduentum, non vltra quadraginta hominum millia extitisse, & eorum quidem maiorem partem bello inutilem, & magis oneri quàm vsui fuisse, adeò certè, vt si prior numerus cum hoc conferatur, vix decima pars superfuisse reperiatur. Quæ res eò minori carebit admiratione, si cogitauerimus, in bello ita vsu venire, vt maior pars vel ferro absumatur (Mars enim fortem quemque pignerari solet) vel corporis languore atque variis morbis intereat. Adiice huc, quòd nausea maris, regionum diuersarum condicio, & aëris intemperies facilè robustissimum quemque de medio tollere consueuerint. Felicissimo nihilominus omine Palæstinæ limites ingressi nostri videbantur. siquidem breui pòst certissimo nuntio intellectum fuit, Genuensium Venetorumq. classem ad propinqui maris oram appulisse. & præterea dum vrbs ipsa arctissima obsidione cingitur, Gulielmum Embriacum, cum sua classe omni bellico apparatu, omniq̃ue machinarum genere instructissima, Ioppen, portus commoditate nobilem & celebrem, appulisse. Genuenses enim, miro Christianæ religionis prolatandæ studio, nullis sumptibus pepercerant, vt hanc sacram expeditionem promouerent, néue aliqua ex parte Venetis, ac reliquis potentatibus inferiores viderentur. Nostris Ducibus expedire summoperè videbatur, vt vrbis expugnationem, nulla mora interposita, vrgerent, ne scilicet hostium vires temporis opportunitate & cunctatione augerentur. Ligures, quò

Antiochia expugnatur.

Pestis in Christianorum exercitu.

Nostri Seleuciam recipiũt.

Ramula & Nicopolis deditione occupata.

Genuẽses classis pro Hierosolymitana expeditione.

Genuenſ. mirò artificio turrim expugnandis vrbibus idoneam inuentunt.

vrbs faciliùs expugnari poſſet, miro artificio ingentis molis turrim plicatilem inuenerunt atque fabricati ſunt, quæ ita ſuis compagibus erat coagmentata, vt interdiu maximus eius vſus eſſet, noctu verò per partes ſoluta, particulatim in caſtra deferri poſſet, ac ſequenti die facili cum negotio inſtauraretur: cuius quidem turris latera ita variis & multiplicibus tabulatis erant conſtrata, vt, cùm à frontiſpicio recentibus, ac præcrudis coriis cõdenſata eſſent, facilè inde tormentis tela in vrbem ingererentur. Aduerſus hanc nouam Genuenſium machinam defenſores malum in muro erexerant, trabemque tranſuerſam ſuſpenderant, vt eius interiore capite reducto, ac mox magna vi remiſſo, exterius in appropinquantem machinam, velut aries, incuteretur. Contrà, Ligur ſe falcibus muralibus inſtruxerat, ac ex propinquitate retinaculũ trabis cum horribili ſonitu ingruentis abſcidit, & humi ſtratam in tabulatum ſuſtulit, ac in muros hoſtium porrexit: ſed frons turris ita ſcitè ſtructa erat, vt ſuperior eius pars paruo molimine inclinari, ac tanquam pars protendi, cùm vſus & neceſſitas poſtularet, in hoſtem poſſet. Et tanta erat trabis pondus & illud ſuperimpoſitum ſuſtinentis firmitudo, vt Bullionius omnium primus in muros hoſtium tranſcẽdere non ſine ſumma & incredibili omnium noſtrorum admiratione auſus fuerit, ac mox Euſtachius eius frater, circa aliquam moram, fraterna virtute ac exemplo inuitatus, retineri nõ potuit, quin ſtatim parem laudem ex pari facinore promereretur: quem deinde complures alij imitati ſunt, ſic vt poſt exiguum temporis ſpatium magna mœnium parte diruta, atque occupata, noſtri per illorum ruinam ſibi irruptionem & aditum in vrbem facerẽt, qua potiti, magna inſecuta eſt fortunę mutatio.

Gothifredus primus omniũ Hieroſolymorum mœnia conſcendit.

Hieroſolyma à Chriſtianis Principibus expugnata.

Quandoquidẽ tanta erat defenſorũ ſtrages, vt promiſcuè inſtar pecorũ, cadauera ſemimortua, & languidum adhuc ſpiritum ducentiũ, proſtrata iacerent. Verùm Barbari proceres, & illi qui inter eos alicuius nominis & exiſtimationis erãt, ſtatim poſt noſtrorum in vrbem illapſum, in tẽplum Salomonis, quod munitiſſimũ erat, ſui tuendi gratia confugerant, in quo etiã ſeſe aliquandiu contra noſtrorum iniurias defendêre. Itaque ſanctiſſima & præclariſſima vrbs poſt vnius ferè menſis obſidionem, in noſtram poteſtatem redacta. Nam ſatis conſtat, ipſam octauo Cal. Iunias, anno ſalutis milleſimo vndecenteſimo obſideri cœptam, & quarto Non. Iulias eiuſdem anni expugnatam fuiſſe. Poſt Hieroſolymitanæ vrbis expugnationem, Gothifredus, quia omnia fortiſſimi ducis & militis officia obierat, de communi omnium procerum & Ducum cõſenſu & ſuffragiis, Hieroſolymorum, ac totius Palæſtinæ regionis rex deſignatur. Quem ipſe honorem tãta moderatione temperauit, vt titulo atque inſignibus regiis prorſus abſtinuerit, iudicans, Chriſtiano Principe indignum eſſe diademate aureo ea in vrbe exornari, in qua Chriſtus, communis noſtræ ſalutis aſſertor & redemptor, tot probris & contumeliis affectus, coronam ſpineam geſtaſſet. In ceteris verò regiam poteſtatem exercuit ac retinuit. Longum eſſet enarrare, nec paruam diligentiam, & intentum fortitudinem & inſignem operam hac in expeditione nauatam, minutim quiſitionem requireret, ſi omnium Ducum, aliorumque ſtrenuiſſimorum militum vellem recenſêre. Verùm, cùm ea tempora non caruerint præclaris ſcriptoribus, nemini dubium eſſe poteſt, quin fortia eorum facta literis fideliter ſint comprehenſa. Proinde cùm ego tantummodò huius expeditionis ſucceſſum ſummatim enarrare in animo habeam, ſuperuacaneum mihi omninò viſum fuit, circa particularia procerum geſta diutiùs inhærere. Proximo anno, qui fuit milleſimus centeſimus, orta Hieroſolymis grauiſſima eſt peſtis, quæ adeò latè atque diu graſſata eſt, vt magnam hominum multitudinem abſumpſerit; inter quos & ipſe

Gothifredus regiũ titulum auerſatur.

Hieroſolyma diuexatur peſte.

1100.

Gothi-

Gothifredus quintodecimo Cal. Augusti, magno sui desiderio, sanctaque etiam apud ipsos hostes sui memoria relicta, fatis concessit. in cuius locum Balduinus eius frater de communi omnium procerum consensu suffectus est, qui omnium primus ex Christianis Principibus Hierosolymorum rex numeratur. Ipse itaque nouo Ligusticæ classis aduentu erectus, animum ad reliquam Syriam occupandam adiecit. Genuenses enim, post captam Antiochiam, instante iam hieme, cùm in patriam redirent, in itinere Myram, Lyciæ haud incelebris nominis vrbem, occuparant. Et postero anno, classe denuò, quæ viginti septem triremium, & sex onerariarum numerum explebat, ductu & auspiciis eiusdem Gulielmi Embriaci adornata, in quibus octo lectissimorum virorum millia deuehebantur, in Syriam rediêre, vt Balduinũ in omnibus suis expeditionibus vsui atque præstò essent: qui sanè, horum potissimùm viribus atque industria fretus, vrbem Assur, priùs Doram, deinde alio nomine Antipatridam, summo impetu est aggressus; tãtumque terroris omnibus iniecit, vt oppidani animis consternati, ac summoperè veriti, ne atrocia reliquarum expugnatarum vrbium exempla paterẽtur, post triduanam defensionem deditionem facerent. Mox Cæsarea Stratonis vi capta & direpta. ex cuius quidem expugnatione & direptione opima præda & pretiosissima supellectile ditati sunt. Paruo temporis tractu interiecto, Ligures, anno scilicet millesimo centesimo secũdo, & Gulielmo Embriaco, Ido Carmandino, Guidone Rustico, & Guidone Spinula Cos. summo & incredibili quodam Christianæ fidei promouendæ studio indies magis atque maris flagrantes, rursus classem quadraginta triremium comparatam, eamq. omni bellico apparatu egregiè instructam, eduxêre, ac in Syriam præteruecti, vrbes Acheron & Gibellum, licet non sine aliqua clade, expugnarunt, multaque alia præclarè ac fortiter gesserunt, quæ singulatim prosequi non est nostri instituti. Deinde anno eiusdem sæculi centesimo quinto, cum Balduino pacti, vt oram maritimam tuerentur, eôdem cum valida & præpotenti classe reuersi, Ptolemaidem, totius Syriæ celebertimam & nobilissimam vrbem, in qua erant frequentissima diuersarum gentium commercia, occuparunt. Balduinus ob egregiam toties in expugnanda Syria nauatam operam, quò se illis gratum ac memorem exhiberet, magnam partem maritimorum vectigalium, & plerasque vrbes atque oppida, multaque iura & immunitates eis concessit. Et quò Ligusticum nomen in illis regionibus magis inclarescceret, & in maiori pretio haberetur, iussit in sacro sepulchro Seruatoris nostri, tanquam in loco illustri omnibusque conspicuo, super arca altaris hæc verba inscribi:

PRAEPOTENS GENVENSIVM PRAESIDIVM. quod sanè huius gentis elogium vsque ad Balduinum tertium, integrum & intactum remansit. quo quidem humanis rebus subtracto, cùm ei Almericus frater in regnum succederet, & inscriptum elogium deleri iussisset, Genuenses de hac iniuria apud Alexandrum tertium Pontificem grauiter conquesti, impetrarunt, vt ibi denuò incideretur.

Interea temporis cùm indefessis animis pro Reip. Christianæ salute & dignitate conseruãda excubarent, & nihil prorsus de suo ardore ac studio remitterent, iterũ anno eiusdem æui centesimo septimo, classem septuaginta triremium sub Ansaldi & Hugonis Embriacæ familiæ præfectura & imperio exornarunt, qui Genuæ rebus omnibus expeditis, secũda nauigatione vsi, in Syriam appulerunt, ibique ad primum suum aduentum Tripoli validissima obsidione frustrà tentata, vlterius progressi, Biblium in Phœnicia, alio nomine Gibellũ maius vocatum, profecti sunt, eamque vrbem, per aliquot dies acerrimè oppugnatam, deditione, defensoribus tamen vita & fortunis reseruatis, obtinuerunt. Cùm verò Tripolis subinde

Gothifredi interitus.

Balduinus Gothifredo succedit, & primus Hierosolymitanorum rex nominatur.

Gen. Myram vrbem occupant.

Iidem nouam classem instruunt.

Antipatrida & Cæsarea à Genuens. occupata.

1102.

Noua Genuens. classis.

1105.

Ptolemais à Ligurib⁹ capta.

Genuens. præclaro elogio à Balduino celebrantur.

Almericus Balduini successor.

Noua Genuens. expeditio.

1107.

Genuens. Biblio potiuntur.

à regio exercitu, duce Raimundo Tolosatium regulo, eoq. defuncto, à Bertranno eius filio diu exaretur, & postremùm graui obsidione premeretur, classis Ligustica, ad accelerandam eius expugnationem, cõdem reuersa est: illiusque demum ope & auxilio in nostrorum potestatem vrbs ipsa deuenit. Propter quæ sanè eximia in Christianam Rẽpub. merita, Cæsar illis permagnos honores decreuit, suoque diplomate sanciuit, vt ipsi ea in vrbe forum, Prætorem, templum & tribunalia priuata seorsum haberent. Tertia etiam portoriorum, publicorumque ex mari fructuum pars illorum esset. Subsecuta est Beryti, ac etiam vrbis cui nomen Malmistra, in confinibus sinus Laiacij versus Ciliciam posita, deditio, quæ ambæ, Venetæ classis auxilio, iugũ nostrum recepêre. Eadem etiã tẽpestate ex Dania, quæ olim Cimbria fuit, & Noruegia, haud exigua classis in mari Orientali ad communem Christianam Rempub. iuuandam conspecta fuit: quæ certè tàm opportuno tempore subsidio nostris missa est, vt eius vsus maximè nobis fuerit vtilis & necessarius, vtpotè cuius auxilio atque virtute Sidon vrbs inter Berytum, & antiquam Tyrum nobilissima, recepta fuerit, quamuis valde pauci scriptores reperiantur, qui vllam huius Septentrionalis classis mentionem faciant, cùm tantùm Venetam & Genuensem commemorent; quarum auxiliis Balduinum fretũ, adeò fortiter feliciterq. rem cũ hoste gessisse narrant, vt vigesima obsidionis die vrbe potitus sit, moxque Ptolemaide recepta, pari felicitate Sidonem in suam potestatem redegerit. Deinde post septem mensium interuallum, Berytus, quæ iterum defecerat, expugnata atque euersa esse traditur, & in eius defensores, quòd mira cum pertinacia, & multis exhibitis crudelitatis barbaricæ testimoniis, oppugnationem illam diutius sustinuissent, aliquantò magis quàm in ceteros sæuitum. Verùm tamen breui pòst, propter singularem soli vbertatem restaurata fuit, & Christianorum postmodum colonia eò deducta. Cuius quidem belli cum magno ac euidenti Reip. Christianæ incremento opinione omnium citiùs terminati fructum maiori ex parte Venetæ classi acceptum Balduinus retulit. Annales etenim tradunt, ipsum, quò illis tanti meriti acceptique beneficij aliquam gratiam referret, statuisse, vt Venetis Ptolemaide, in plerisque aliis Syriæ oppidis, cũ Gallis rerum omnium communionem, ac planè mixtum imperium indiscriminatim haberent; licet non desint pauci, qui hanc laudem, exclusis Venetis, solis ipsis Genuensibus meritò deberi asserant; quippe quorum potissimùm opera atque industria Ptolemaidem receptam velint. Verùm cùm scriptores super hac re inter se varient, mei non fuerit instituti, alicuius gentis gloriæ quicquam detrahere, vel laudi inuidere, cùm historicum candorem professus, nihil perinde aueam, quàm simplicitate ac fidei veritate omnibus placere. Ceterùm, anno supra millesimum centesimum decimo, Gulielmo Bufferio & Guidone Spinula Coss. Senatus Genuensis classem duarum & viginti triremium ad Christiani nominis propagationem in Syriam ablegauit. Cuius quidem tanta fuit virtus, roborisque ac fortitudinis constantia, vt breui temporis interstitio Malmistram, sinus Aiatij vrbem, Ioppen, Rissæum, Ascalonem, ac pleraque alia oppida & vrbes summa felicitate occuparint, & Christiano imperio adiunxerint. Nec mirum me herculè, cùm Respub. Genuẽsis, vt retroactis sæpè temporibus, sic etiam potissimum huius sacræ expeditionis tempore tria illa potentissima vincula & instrumenta, sine quibus parum, vel nihil geri, vel effici potest; vtputa, religionem, potentiam, & fortitudinem coniunxerit; quæ inuicem copulatæ, adeò fortem neruum efficiunt, vt difficulter possit incidi, aut debilitari. & in primis quidem tam ardens in eis extitit religionis zelus, vt in huius gratiam nihil non laboris

Tripolis expugnatio.

Genuensi priuilegia.

Beryti & Malmistræ deditio.

Danorum classis.

Sidõ recepta.

1110.

Genuens. religio, potẽtia & fortitudo.

boris vel discriminis susceperint, aut adierint. Potentia ipsa in bellicis apparatibus perbellè non semel illuxit. Quanta autem fuerit animorum alacritas & magnitudo, nec non rei bellicæ, præcipuè verò naualis peritia, tunc demum emicuit, cùm nunquam vel hostium potentia, & multitudine, vel rerum difficultate deterriti, adduci potuerint, vt aliquid de pristino animi ardore atque animositate, quauis de causa, remitterent. Quo sanè factum est, vt huius nostri populi gloria per se quidem immortalis, regio diplomate ad perpetuam rei memoriam, ceu gratissimo animi testimonio, ac elogio literis consecrata, vti diximus, fuerit, quod etiam hac nostra tempestate inter alia Reipub. monumenta extat, & videre licet; cuius etiam tenorem cùm haud dubiè non parum ad illius ornamenta pertineat, de verbo ad verbum, quod dicitur, subiecimus. Quòd populus Genuensis pro eius perpetua & contestata pietate ac religione, toto sacro bello præpotentibus classibus, firmissimisque terrestribus copiis Christianam rem iuuerit, in sacraque vrbe Hierosolyma, Antiochia, Laodicea, Dertusia, expugnandis, plurima opportunitatis atque operæ pars in illius virtute & industria fuerit, solique Genuenses, celebres vrbes Cæsaream, Ascalonem, Solimum, Biblium, Hierosolymitano imperio ac sacro Christi sepulchro adiunxerint, summos labores exhauserint, maxima discrimina subierint, sanguinem profuderint, mortem fortiter oppetierint, nullis impensis pepercerint, nullis difficultatibus sint debilitati, nullis iacturis fracti, sed aduersus omnia mala inuictam virtutem & patientiam præstiterint, vt à nullo omninò Christiano populo promptior, fidelior, constantior, magis multiplex opera Christo Domino, Christianæque Reipub. nauata sit. Hæc tot ac tanta merita Balduinus rex inuictus, Damberto Patriarcha laudante atque approbante, & præclaro elogio ad memoriæ æternitatem testanda, & amplissimis præmiis remuneranda censuit, tertia ditionis & vectigalium parte vrbium Cæsareæ, Acronis, Assuris, in perpetuum concessa, ad hoc singulis vicis in vrbibus Hierosolyma, & Ioppa, cum iurisdictione illi tributis. Datum in vrbe sacra, decimo Kal. Maias, anno à Verbo homine facto, millesimo centesimo quinto.

Balduini Regis diploma datum Genuensi.

DE SECVNDA CHRISTIANORVM IN SYRIAM EXPEDITIONE.

SECVNDA hæc in barbarum populum, mira fecunditate atque incrementis in Syria, aliisque Asiæ locis cum summa
1147. pernicie Reipub. Christianæ exundantem expeditio, cũ magno omnium Principum Christianorum consensu, saluberrimoque consilio, anno millesimo centesimo, quadragesimo septimo, regnante Chunrado secundo, & Ludouico septimo Galliarum rege, instinctu atque hortatu in primis Eugenij Pontificis tertij, suscepta fuit, tanta certè cum aduersitate, vt quamuis omnibus rebus ad bellum necessariis & requisitis essemus longè quàm optimè instructi, nihilque obstare videretur, quominus præclaram nobis victoriam de hoste meritò polliceri possemus; nihilominus tamen, siue Deo nobis propter admissa scelera subinde nouas calamitates infligente, siue fatali quadam vi omnia humana consilia superante, atque miris inuolucris contegente, factum fuit, vt citra omnium spem & expectationem omnia infelicissimè gesta & administrata fuerint. Subsecutæ nimirum fuerunt tantæ calamitates, & clarissimorum virorum interitus atque indigni casus, vt longum & arduum esset, huius expeditionis successum pro rei dignitate exprimere. Satis enim constat, ex ducentis armatorum millibus qui ad hanc sacram militiã profecti fuerant, vix decimam partem cum Cæsare domum rediisse. Ludouicus etiam Gallorum rex, aliquantò seriùs quàm Cæsar, ex Galliis vnà cum Vidone Cardinali Florentino, Pontificio legato, mouerat, & eodem, quo Cæsar, itinere, sed paulò feliciore, in Asiam contenderat, eo certè euentu, vt superato Mæandro fluuio, cum Saracenis vlteriorem ripam incolentibus, necessitate quadam adductus, conflixerit, ac feliciter, licet numero longè inferior esset, dimicauerit. Cuius prœlij successu commotus, cùm suas copias propter montium vndique circumiacentium asperitatem, in duas partes diuidere cogeretur, nõ parum incommodi ab ipso hoste itinerum & viarum angustiarum gnaro, priusquam à suis, qui agminatim processerant, iuuari posset, accepit. Verum enimuerò cùm temerè nihil agendum esse statueret, & mirum in modum hostium insidias locorum opportunitate fretorum, vereretur, commutato itinere, versus oram maritimam ea qua potuit celeritate ac diligentia contendit, & tandem non sine magna difficultate & periculo in Attaliã peruenit. Ad cuius rei famam Gallica classis, quæ ad eam diem stationem Rhodi ad regis sui nutum & arbitrium habuerat, de ipsius in eum locum appulsu, simulque voluntate edocta, quamprimum soluit, & summa celeritate ventorum flatu adiuta, ad regem enauigauit. Rex cùm intelligeret, & videret, fortunam pro aduersariis stare, & se vnà cum sociis nequicquam fortunæ aduersitate obniti & reluctari, classem suam conscendit, & totam Syriæ maritimam oram circumuectus, cum ad Orontis ostia venisset, Raimundum Antiochensium Principem obuium habuit, à quo humaniter ac perbenignè exceptus, Antiochiam cum plerisque suis proceribus & magnatibus deductus fuit, ibique splendidè ac magnificè habitus, & omnia hospitalitatis iura expertus, inde Hierosolyma religionis & Dominici sepulchri visendi gratia iter suscepit, mõteque Libano superato, Damascum, celeberrimam Syriæ vrbem in plano sitam, petiit, eo consilio, vt eam armis expugnaret. Verùm, postquàm vrbem obsidione cinxisset, hostique conserendæ manus potestatem sæpiùs faceret; ille tamen se mœni-

Damascus nequicquam à Christianis impugnata.

mœnibus vrbis continens, nunquam eruptionem facere ausus fuit, ita vt post longam obsidionem cùm vrbs ipsa, vltra naturam loci, etiam omnibus ad bellum sustinendum necessariis esset mirificè instructa, desperata eius expugnatione, re infecta, Christianus exercitus illinc discedere coactus sit. & Cęsar quidē ora maritima petita, classem conscendit, Byzantiumque reuectus, inde in Germaniam rediit. Gallus verò, quòd præcipitata iam æstas foret, totam hiemē in Syria transegit, vereque appetente, classem Ioppe soluit, deinde in Siciliam, indeque in Gallias remigrauit. Hunc exitum secunda hæc sacra expeditio habuit: quæ vti prorsus infructuosa & ingloria fuit, sic etiam eam non mediocris rerum inclinatio passim in Christiano imperio insecuta est, vti mox dicemus. Ceterùm, quia non paucos scriptores inter se super huius belli aduersus barbaros decreti suscęptione dissentire animaduerto, non absurdum fuerit, quamuis non ita multum ad rem faciat, controuersiæ ansam enarrare. Sunt enim multi qui tradant, Chunradum Cæsarem Ratisbonæ conscensa triremi, secundo Danubio Byzantium delatum fuisse. Alij verò, ijque etiam non pauci, arbitrantur, ipsum ex Italia in Syriam transfretasse, ac Genuæ instructissima classe soluisse, tantaque Genuensium humanitate & hospitalitate fuisse delinitum & obligatum, vt eorum Reip. in perpetuum munificentiæ Imperatoriæ symbolum & monumentum aureæ monetæ signandæ & cudendæ auctoritatem & gratiam concesserit. Mihi, penitiùs gentium annales euoluenti, multò verisimilius esse videtur, in quo mihi cum multis conuenire scio, Cæsarem in hac expeditione Danubij commoditate omninò fuisse vsum, præsertim cùm Hungaria, & tota Thracia in nostra adhuc potestate tunc temporis esset, nullisque barbarorum incursionibus tentaretur. extantque probati auctores qui asserant, ipsum inter nauigandum tam aduersa cæli tempestate, tamq. sæua vicini amnis intumescentis iniuria fuisse conflictatum, vt armis, impedimentis, militibusq. multis amissis, inde Constantinopolim naufrago similis venerit, atque ibi recreato opportuna Manuelis affinis liberalitate exercitu, mare traiecisse, & ita vlteriùs progressum esse.

Qui verò Genuensi aurea signata moneta commoti, ratiocinantur, Cæsarem per Italiam profectionem instituisse, nihil solidi in se habet, quo nitantur, fundamenti. cùm vero multò proximius sit, Genuenses hanc gratiam, quòd ingentia sua tam in Cæsarem quàm in totam Rempub. Christianam merita & beneficia extarent, retulisse, ac meritò promeruisse.

DE

DE TERTIA CHRISTIANORVM IN SYRIAM EXPEDITIONE.

PRIVSQVAM de huius tertij Orientalis belli à Friderico primo, vulgò Barbaruſſa, à Latinis Aenobarbo à rubea barba cognominato, aduerſus Sultanum Saladinum ſuſcepti euentu, aliquid dicamus; non abſurdum, neque alienum ab inſtituto videtur, paucis verbis deſcribere, quiſnam, & qualis hic Saladinus, cum quo Cæſari, ac pleriſque aliis Chriſtianis Principibus negotium fuit, extiterit, & quàm breuiſſimè illius originem, vitam atque mores perſtringere. Hic itaque Saladinus fuit natione Medus, Negemendi filius, qui patriis legibus, ingenuè ac liberaliter ab ineunte ætate ad adoleſcentiam vſque inſtitutus & informatus, deinde cùm ex ephebis excèſſiſſet, patruum, nomine Syrachonum, ſummum belli ducem, in diuerſis expeditionibus ſecutus, ſub eius auſpiciis militiæ ſuæ tyrocinium poſuit. Ægyptiis enim, quotidianis tumultibus atque ciuilibus bellis laborantibus, & nouum dominum anxiè atque certatim expetentibus, ipſe Syrachonus, ab iis, velut communium iniuriarum vindex futurus, pro domino, ſummo cum honore exceptus fuerat; qui, vt ibi maiorem ſibi auctoritatem pararet, & ſibi imperium aſtrueret, Sauarem, qui ſecum in Ægyptum deſcenderat, tanquam gloriæ ſuæ æmulum, vbi primũ illi opportunũ fuit, occidit; & à Calipha Sultanus ſalutatus eſt, eo tamen ſucceſſu, vt non diu imperium obtinuerit. Nam aliqui tradunt, ipſum, ante vnum in dominatu exactũ annum, obiiſſe. Saladinus itaq. patruum ſecutus, & inde in magna exiſtimatione habitus, per ſimulationem adorandi Cairenſis Antiſtitis, introductus, eum clam, quam veſte abdiderat, ſtratum interemit, adeò vt hoc interempto, rerum potitus fuerit, & ita ampliſſimi regni auſpicia parricidio polluit atq. contaminauit. Sunt qui aſſerant, ipſum, cùm infans pro patrio inſtituto circumcideretur, Iosephum vocatum fuiſſe, poſtea immutato nomine, Saladinum, hoc eſt, correctorem legis nuncupatum. Hic proculdubiò vniuerſos ſuæ religionis Principes non ſolùm acumine ingenij, quo plurimum præſtabat, ſed etiam opibus atque animi fortitudine, rerumq. proſperè geſtarum gloria & memoria longè antecellebat, ita vt vniuerſæ Aſiæ quàm maximè formidabilis, occupata Ægypto, arma in Syriam vſque protulerit, & magna felicitate ipſe Chriſtiano nomini infenſiſſimus, Tiberiadem, Cæſaream & multas alias præclaras ciuitates imperio noſtro ademptas, ſuo adiecerit, ſic quidem, vt nemini dubium eſſet, quin breui tempore tractu omnia in poteſtatem ſuam redegiſſet, niſi vniuerſis ferè armati Occidentis opibus aliqua ex parte fuiſſet repreſſus. Hieroſolyma enim vix vno menſe oppugnata, ſuæ ditionis fecit anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo, cùm per annos vndenonaginta ſub Chriſtiani nominis imperio extitiſſet: in cuius quidem vrbis expugnatione tanta Chriſtiano nomini calamitas & ignominia illata fuit, vt nullius vrbis excidium funeſtius nobis vnquam fuerit. Taceo enim, breuitatis cauſa, funeſtiſſimi prælij inter ipſum & Vidonem Luſinianum Hieroſolymorum regem, commiſſi ſucceſſum; in quo quidem multi præclariſſimi Duces & magni nominis Principes, cecidêre, & in fœdam ſeruitutem abducti; inter quos, ipſe Rex, & Bonifacius Montisferrati regulus in primis, hanc miſerrimam barbarici iugi condicionem, non ſine Chriſtianæ religionis ignominia, & omnium bonorum gemitu, ſubire coacti ſunt. Fortunam eius deſcripſimus. Pauca de natura

Saladini origo, fortuna, & ingenium.

Hieroſolyma à Saladino expugnata.

tura & moribus subtexemus. Omnes scriptores in hoc consentiunt, ipsum à primis annis summa gloria, adeoque immensa imperij cupiditate flagrasse. Ceterùm acrem, impigrum, sollertem, audacem, liberalem, ac in acie ferocem, in victoria verò mitem & clementem fuisse constat, &, quod mirum, præsertim in barbaro, tanta animi, licet alioquin excelsi, & ad res magnas nati, moderatione, vt in omnium rerum affluentia, & tanti imperij libidine, voluptatibus suis modum non solùm constituerit, verùm etiam non secus ac si priuatus, legum reuerentia ita ab omni effreni rerum cupiditate retractus fuerit, vt vel hoc solo nomine maximis quibusq. Principibus par meritò cẽseri debeat, ipsumque, magni iudicij virum, & rerum humanarum diligentem inquisitorem fuisse, vel ex eo patet, quòd in tabellis testamentarijs inter cetera, consignari paucis diebus ante obitum iusserit, vt in suo funere vexillifer, qui in prœliis & expeditionibus suum vexillum præferre consueuerat, lancea sublimi interulam suam circumferret, & præco præiret, qui alta voce inclamaret; Hoc vnum spolium ex Asiæ atque Orientis domitore supereſſe. Magnum profectò ac memorabile humanæ fragilitatis recordationis exemplum, & tanto rege dignum, cui nihil aliud ad summam laudem, præter Christi fidem, defuisse putatur. Numerosa sobole auctus, quippe qui, vt historiæ tradunt, ad nouem filios, & eos quidem superstites omnes, post se reliquit, quos Saphadinus patruus omnes, præter vnum sibi cognominem, Napaliæ Sultanum, fide virtuteque amicorum paternorum tutum, necauit. Quis verò fuerit Sultanum creandi ritus, quæue eius magistratuum ratio, & militia, ex his quæ Leo Africanus libro octauo memoriæ ac posteris tradidit, perfacilè cognosci ac intelligi poterit. Sultani, inquit, dignitas & potentia mirabilem olim in modum excelluit, verùm à Selymo Turcarum Imperatore, anno, ni fallor, M. D. XVII. euersa est, immutatis Sultani vniuersis institutis ac legibus. at quoniam statim ab ea rerum & fortunæ vicissitudine ter mihi Ægyptũ peragrare contigit, non abs re facturus videor, si de Sultani aula quæ compertissima habui, nonnihil dixero. Ad hunc dignitatis gradum eligi solebat nobiliorum Mamaluchorum vnus. Mamaluchi porrò omnes ex Christianis constabant, in pueritia apud Circassiam Ponti Euxini prouinciam, à Tartaris furto sublatis & Caphæ Tauricæ Chersonesi oppido diuenditis, vnde Alcairum à mercatoribus abducti, à Sultano emebantur, quos baptismo confestim abiurato, in Arabico ac Turcico idiomate militarique disciplina institui procurabat, vnde paulatim per singulos honorum gradus euehebantur, donec ad Sultani dignitatem pertingerent. Huiusmodi verò consuetudo, qua Sultanum, & Mamaluchum, & condicione seruum esse cauetur, semitrecentis abhinc annis initium cepit, nempè cùm potentissimi illius Saladini familia, cuius nomen Christianis adeò formidabile extitit, ad paucos iam redacta, intermoreretur. Cùm vltimus Hierosolymorum rex de Alcairo occupanda cogitaret, quæ propter Califæ, aut Pontificis, qui solus præerat, ignauiam, ei se tributariam facere meditaretur, legisperiti ac iudices Pontificis consensu Azedudin Principem Asiaticum ex Cordis gentibus, qui, vt Arabes, in tentoriis habitabant, cum Saladino filio & l. equitũ millibus euocarunt: Saladinum verò, tametsi ætate inferiorem, ob insignem eius fortitudinem atque in re militari præstantiam, exercitus Imperatorem crearunt: facultate permissa, vt cuncta Ægypti vectigalia & reciperet, & pro suo arbitrio expenderet. Facta tandem in Christianos expeditione, incruentam de iis victoriam adeptus, Hierosolyma, totaque Syria exegit. Saladino autem Alcairum reuerso in mentem subiit, eius dominium vsurpare: quamobrem trucidatis Pontificiæ custodiæ

Factum Saladini insigne ac memorabile.

Sultanum creandi ritus, deq; eius magistratuũ ratione.

Mamaluchi.

Præfectis, penes quos rerum ſumma apud Ægyptios verſabatur, Califam ſeu Pontificem, è medio ſuſtulit; quòd is præſidio deſtitutus, venenum illi propinandum curaſſet, ſeque confeſtim in Califæ Bagaded legitimi Pontificis clientelam dedit: quo tempore Alcairi Califæ principatus, qui Pontificatum annis CC. XXX. perpetua ſucceſſorum ſerie protraxerat, intercidit, ac penes Bagadedæ Califam legitimum Pontificem remanſit. Sublato hoc Califarum aut Pontificum ſchiſmate, exorta eſt inter Bagadedæ Sultanum & Saladinum diſcordia, qui Alcairi principatum inuaſerat: quòd Bagadedæ Sultanus, olim Mazandraniæ & Euariziniæ prouinciarum ad Gangem Princeps, Aſiatica quadam gente ortum trahens, ius in Alcairi dominium referret; qui Saladino bellum inferre cogitans, à Tartaris in Coraſana regione excurſiones facientibus detinebatur. Saladinus viciſſim veritus, ne Chriſtiani acceptam à ſe iniuriam vlturi, expeditionem in Syriam pararent, copias perpẽdens ſuperiori bello magna parte tum occiſas, tum peſtifera lue, præter nonnullos, qui regni gubernationi præerant, ſublatas, mancipiis in Circaſſia coëmendis, quos Armeniæ reges tum temporis rapiebant, & Alcairum vendendos mittebant, intentus eſſe cœpit; quos abiurata fide, militari diſciplina, Turcicoque idiomate, nempè Saladini proprio, imbui faciebat: quæ quidem & fortitudine, & numero in tantum excreuerunt, vt & ſtrenui militis, & periti militiæ ductores, regnique adminiſtri euaſerint. Saladino in fata conceſſo, principatus penes ſuam familiam annis CL. remanſit, ſucceſſoribus eandem emendorum mancipiorum conſuetudinem obſeruantibus: at collapſa Saladini familia, ſerui Piperem magnæ fortitudinis Mamaluchum, conſentientibus ſuffragiis, in ſuum Principem ac Sultanum cooptarunt: quam exinde conſuetudinem adeò inuiolatè obſeruarunt, vt nec Sultani filius, nedum Mamaluchus, eum dignitatis gradum conſequi potuerit, niſi olim Chriſtianus & firmdem abiuraſſet, & linguas Circaſſiam ac Turcicam exactè loqui didiciſſet. Multi autem Sultani ſuos in pueritia filios in Circaſſiam, morum ruſticorũ, ac linguæ perdiſcendæ gratia ablegarunt, vt Principatui aliquando forent accommodi, ſpe ſemper tamẽ ſua, Mamaluchis diſſentientibus, eluſi. Hęc obiter de Mamalucho-rum regno, eorumque Principe Sultano patria voce ad hæc vſque tempora nuncupato, dicta ſufficiant. De Sultani verò militia idem auctor paulò pòſt ſic refert.

Sultani militia.

Sultani porrò militum quatuor erant ordines: Primus ex equitibus viris bellica virtute præſtantibus conſtabat: è quibus ciuitatum arciumque præfecti à Sultano creabantur. Stipendium pleriſque ex Sultani ærario in prompta pecunia, pleriſque in vicorum & arcium vectigalibus aſſignabatur. Secundus erat pedeſtris militiæ ordo, nulla, præter enſem, gerens arma, quibus pariter è Sultani fiſco ſtipendium perſoluebatur. Tertius ordo gratis militabat, nihil præter victum referens; verùm concedente in fata Mamalucho quopiam, ex eorum numero quibus neceſſariis de rebus ad vitam prouiſum eſſet, hi in eius locum ſuccedebant. Vltimo ordini Mamaluchi tyrones inſcribebantur, Turcici aut vernaculi idiomatis adhuc ignari, & qui nullum ſuæ dexteritatis adhuc ſpecimen ediderant. Hactenus Africanus. Quatenus verò, vt etiam hoc obiter dicatur, ad Turcicam diſciplinam & ſingulare ſtudium bellandi attinet, multa quidem ſunt quę faciũt ipſos Turcas formidabiles; primùm obſeruatio militaris diſciplinæ, quam ad vnguem obſeruant: tum exercitatio & ſtudium tractãdorum armorum, quibus à pueris exercentur: neque alia ſtudia magis curant, cùm ea maximè neceſſaria ſint defendendis imperiis. Sic igitur optimi fiunt milites apud Turcas, at ex optimo milite non difficile eſt bonum fieri Imperatorem: quippe cùm apud eos milita-

Turcarum militaris diſciplina.

militares honores non opulentiæ, neque nobilitati, neque splendori familiarum, sed strenuitati & fortitudini sint propositi: neque vllius maledicentia, aut inuidia viris fortibus præmia eripiat, aut retardet; cùm idem dies sæpè & res bene gestas, & remunerationem videat. Nam præfecturæ honorificentissimæ insignibus virtute viris deferuntur, cùm parua sit nobilitatis ratio sine virtute; at maxima virtutis vel sine nobilitate. Populi autem omnes & subditæ gentes libenter parent, proruuntque vel in manifesta pericula non solùm ob spem præmiorum, neque metu tyrannicæ crudelitatis, sed incredibili quadam in Principem beneuolentia compulsi, quòd nullum iniquum iudicium eo conscio fiat, æquumque ius omnibus dicatur, & Princeps contentus sit suis decumis, nullo alio imposito tributo vel belli, vel pacis tempore. Quòd illis gentibus persuasum sit, omnem potentiam, omneque imperium esse à Deo, cui qui resistat, videtur Deo resistere: quòd præterea nemini liceat frumẽtum in priuatum horreum includere, dum pretium augeatur; sed tolerabili pretio omnibus fiat annonæ copia. postremò si cui fiat iniuria, Princeps ipse acerrimè in iniquos animaduertit, cui accessus ad colloquiũ nemini in itinere dum obequitat, est interclusus. Proinde cùm præmia fortibus, ius æquum vniuersis populis, exercitatio rei militaris, commeatus atque annonæ copia omnibus eadem sit apud Turcas; quis non videat, incredibilem in Principem concitari beneuolẽtiam? aut quis nesciat, nullum populum posse difficiliùs expugnari, quàm eum qui concordibus animis ad defendẽdum Principem conspirarit? Et de his quidem satis in præsentia dictum sit. Vt verò ad inceptum rediam, Fridericus, princeps magnanimus, armorumque peritissimus, & miro propagandæ Christianæ religionis studio flagrans, rebus domi compositis, & Pisanis ac Genuensibus, inter quos, vti suo loco explicabitur, funestum atque atrox bellum ea tempestate exarserat, mutuò reconciliatis, vt ambo, coniunctis viribus, hanc sacram militiam, sicuti etiam ab vtroque populo strenuè allaboratum fuit, adiuuarent ac promouerent, in Syriam aduersus Saladinũ pro imperij Christiani dignitate cum ingenti exercitu profectus est, atque Hungaria & Bulgaria emensa, in Lycaonia castra-metatus, Philomelum & Iconium, ac pleraſque alias Asiæ vrbes expugnauit atque diripuit; fortunæque suæ successum prosecutus, infelici ac prorsus infausto itinere in Armeniam transmisit. Sunt enim qui tradant ipsum, castris ad amnem Serram, antiquitus Selephium, positis, restinguendi caloris gratia, quo, propter feruentissimum anni tempus, ac Solis ardorem, quàm maximè flagrabat, in flumen sese refrigerij & sudoris abluendi causa coniecisse; & siue quòd natandi non bene peritus, siue quòd fluminis impetus violentior esset, quàm reniti posset, siue fatalis hic casus fuerit, vorticibus rapidi fluminis in omnium conspectu esse abreptum, atque ita submersum, quarto Idus Iunij, salutis anno post millesimum cẽtesimum nonagesimo, imperij trigesimo septimo. Sunt verò è contrario non pauci, qui asserant, ipsum, cum magna nominis sui gloria, & non mediocri hostium terrore, cùm ad Selephium fluuium peruenisset, cùm illius vadum incertum esset, equo inter transmittendum, vt fieri solet, cespitante, iam grauem ætate lapsum, magno animi horrore fuisse affectum, & ita commotum, vt attonito similis, inter suorum manus sublatus, paulò pòst, non citra magnum suorum omnium dolorem, summumque Christianæ Reip. detrimentum, expirarit. Quorum quidem posteriorum sententiæ, ceu verisimiliori, & rationi magis consentaneæ, ego mea ex parte accedo, præsertim cùm vix credi possit, quòd ipse, deuexa iam ætate, positis armis & veste ad leuandũ æstum in fluminis alueo sese confouere voluerit, præcipuè cùm id non citra magnam

Friderici Aenobarbi aduersus Saladinum infausta expeditio.

Eiusdem interitus

maiestatis suæ neglectionem fieri posset; licet Alexandrum Macedonem idem in Cydno flumine ex Tauro monte orienti, & mediam Tarsum intersecante, sed tamen ætatis gradu excusatum fecisse, in comperto sit. Cæsare extincto, magna continuò rerũ conuersio subsecuta est, & tam magnus exercitus ad proferendos Christiani imperij limites cõparatus, magna ex parte dilabi cœpit. Henricus nihilominus Friderici filius, enixè operam dedisse dicitur, vt exercitũ per partes diuisum, atque agminatim palanti similem dispersum, summa cum celeritate iterum colligeret, & maiori ex parte Antiochiam reduceret. Verùm tanta erat, tamque diuersa climatum, & variarum regionum ac cæli intemperies nostris sustinenda, vt, dum aëris constitutionem ferre nequeunt, in varios ac planè pericu-losos morbos, præsertim cùm neglecta victus ratione pleriq. inciderint, & multis diuersis morbi generibus absumptis, exercitus ad extremã propè paucitatem redactus fuit, ita vt ipse Henricus, qui post patris obitum de procerum consensu à Cælestino tertio in Cęsarem inauguratus, Henricus sextus dictus fuit, necessum habuerit, ne totus exercitus ad internecionem deleri vellet, eius reliquias nauibus imponere, & Ptolemaidem vsque deuehere. Tanta siquidem subsecuta erat strages, vt, dum ipse milites recensęt, vix mille & octingenti iustis armis ornati, ex tanta multitudine reperti sint. Ipse patris corpus Tyri summo honore prosecutus, sepeliuit, & iusta non sine lacrymis persoluit. Pari modo etiam Friderico Duci Sueuiæ suo fratri, qui patris auspicia in hac expeditione secutus obierat, parentauit: ipse interim milite atque omnibus bello necessariis destitutus, derelicta tam egregia & necessaria expeditione, quasi à rerum bene gerendarum cursu fatali quadam necessitate retractus, domũ repetere coactus fuit. Sed ne erroris, vel negligentiæ aliqua ex parte penes curiosum lectorem, vel historiæ peritos, adeam periculum; non grauabor aliorum opinionem coniungere. Sunt enim qui asserant, statim post Imperatoris obitum, exercitus, atque adeò totius expeditionis summam non Henricum, sed Fridericum natu minorem Sueuiæque Ducem, cum imperio de omnium consensu suscepisse. qui dum strenuissimus esset Princeps, & à paterna virtute ne latum quidem vnguem degeneraret, non solùm patris cadauer Tyri honorificè sepeliuisse dicitur, sed illũ eius vestigiis insistentem, nullis recusatis laboribus, contemptisq. omnibus periculis, cum paterni exercitus reliquiis in Armeniam perrexisse, eo animo, vt Ptolemaidem obsideret. Ibi vel aëris intemperie ac peste, vel ciborũ insuetorum vsu, hunc Fridericum cum multis aliis clarissimis Principibus, qui patrem in hac expeditione secuti fuerant, repentina quodammodò morte extinctum esse.

Henricus VI. Friderico in imperio succedit.

DE QVARTA CHRISTIANORVM IN SYRIAM EXPEDITIONE.

HENRICO, demortui Friderici filio, in Italiam ex Asia reuerso, Philippus Galliæ, & Ricardus Angliæ potentissimi reges, cùm ad suam dignitatem haud parum pertinere existimarent, si labefactatam atq. multis vulneribus confossam Rempub. Christianam restituerent, atque pro viribus sanarent, communicatis consiliis, contractisque ingentibus, priuatis sumptibus, vndique copiis, multisq. Principibus ac regulis in belli societatem pellectis, nouam expeditionem in Orietem adornarunt: quæ sanè ita celebris & illustris fuisse traditur,

Philippi & Ricardi regũ expeditio in Syriam.

ditur, vt ſuperiorum temporum expeditiones vel obſcurauerit, vel ſaltem egregiè adæquauerit. Nã, vt de apparatibus bellicis militumq. copiis nihil dicatur, tantus fuit inter maximos & potentiſſimos Principes concurſus, vt nunquã antea maior extiterit; inter quos, qui huic ſacræ militiæ nomina dederant, potentia & nominis ſplendore facilè Odo Burgundiorum Dux, excellebat. Siquidem cùm multis Comitibus aliiſque illuſtribus viris eſſet concomitatus, haud parum ad huius belli neruum conferebat. Philippus itaque ſub proximi veris initium, ex Sicilia in Syriam ſecunda nauigatione delatus, velut cælo miſſus, ab exercitu, omnium ferè rerum neceſſariarum pænuria laborante, & in vltimam ac extremam anguſtiam redacto, vtpotè qui Ptolemaidem per totum ferè biennium aſſidua & arctiſſima obſidione preſſerat, incredibili cum omnium lætitia & fauſta acclamatione exceptus eſt, nimirum cùm ad eius aduentum obſeſſores ipſi non ſolùm commeatu aliiſque vitæ neceſſariis recreati ſint, verùm noua auxiliariũ acceſſione facta, omnia in melius mutata. Caſtra etenim firmiori munimento circumuallata, obſeſſique arctiùs premi incepêre; machinæ etiam, tormentaque expugnandis vrbibus recèns aduecta, ſumma cum feſtinatione expoſita, aliaque omnia ad propugnationem vrbis neceſſaria, ſummo ſtudio ac diligentia præparata. Verùm, quia recèns auxiliaris miles magna ex parte nauigationis nauſea, & diuturni otij tædio ſummoperè torpebat, belli Ducibus admodũ expedire viſũ fuit, illum quotidianis exercitamentis ad alacritatem & laborem, ac planè ad omnem virtutem bellicam excitare & exercere. At Britannus, paucis interiectis diebus, Gallum cum ſua claſſe ſubſecutus, longè diuerſa fortuna vſus eſt: quippè Meſſana ſoluens, aduerſa tempeſtate diſiecta claſſe, Cyprum petere per aduerſum ventorum flatum cõpulſus eſt: verùm cùm ab ea, à quodam tyranno, Chriſtiano illo quidem, ſed Saladini amico, prohiberetur, in continentem vi & armis deſcenſionem fecit, atque ipſum cum ſuis copiis tanto impetu aggreſſus eſt, vt eum bello ſuperatum ceperit, inſulamque ipſam ſui iuris fecerit; impoſitiſque pleriſque locis præſidiis, inde digreſſus, dum Ptolemaidem curſum dirigit, naui eximiæ magnitudinis occurrit, quæ ex Ægypto commeatus, telaq. ad obſeſſos comportabat. Erant in ea, præter magnam frumenti copiam, aliaque ad vitam neceſſaria, ducenti quinquaginta ſcorpiones, & quàm plurima vaſcula igne Græco, vt vocant, referta. Sunt nonnulli qui adijciant, in caueolis fuiſſe reconditos venenatos ſerpentes, qui in noſtros tempore prælij emitterentur. Hanc ipſe adortus, & expugnatam depreſſit, ventumque ſecundum nactus, ad reliquum exercitum, Ptolemaidem, vti diximus, obſidione arctiſſima prementem, ſe coniunxit: eiuſq. denique potiſſimùm auxilio factum eſt, vt tandem poſt longam atque tædioſam obſidionẽ, Ptolemais quinto Idus Sextilis à noſtris recepta ſit. Galli quoq. prope Tyrum pari ſucceſſu in nauim quandam hoſtilem, huic, quam cõmemorauimus, nulla ex parte magnitudine, vel apparatu inferiorem, inciderunt, & occuparunt. Ceterùm Philippus, cùm breuiſſimo tempore, nimirum quindecim dierum ſpatio, multa præclara ac memoria digna, incredibili quadam felicitate in hac ſua expeditione vſus, geſsiſſet, & expugnatæ Ptolemaidis auctor maiori ex parte extitiſſet, ita vt nemini dubium fuerit, ſi victricia arma per ipſam Syriam, atque adeò totum Orientem circumtuliſſet, quin facilè, & breuiſsimi temporis tractu, repulſis atque ſuperatis Barbaris, haud exiguam Aſiæ partem veteri Chriſtiano imperio adieciſſet, neſcio quibus legitimis de cauſis ab inſtituta expeditione ſeriò auocatus, nõ ſine magna omniũ admiratione pariter & dolore è Syria diſceſſit. Ricardus nihilominus, etſi ſocij & vicini Regis repentinam abi-

Odo Burgundiorum Dux.

Ptolemaidis obſidio.

Cyprus ab Anglis expugnata.

Ptolemais à Chriſtianis recepta.

Philippus Galliarũ rex, Syriaca expeditione relicta, ad ſuos reuertitur.

tionem valdè haberet ſuſpectam, cum ſuo exercitu aliquãdiu in Syria, prout vſus ferebat, moratus eſt. Tandem & ipſe veritus, ne Philippus cum ſuis in patriam reuerſus, per ſuam abſentiam aliquid per occaſionem moliretur, ac Normanniã, vel aliquã aliam ſuæ ditionis partẽ, prout res poſtularet, inuaderet, ab ipſo petijt, vt fidem ſibi, iureiurando interpoſito, religiosè obligaret, ne aliquid huiuſmodi vi, vel fraude, tacitè, vel apertè, contra ſe, quandiu regno abeſſet, moliretur, quod cum ſuo incommodo vel detrimẽto coniunctum eſſet. Philippus in re tam iuſta committere non potuit, quin Britanno ſatisfaceret; quinimò omnia præclara atque magnifica de ſe ad maiorem ſecuritatem illi pollicitus, conſcenſa claſſe, cum ſuis Italiam verſus adnauigauit, & mox Romam viſendi Cæleſtini Pontificis gratia appulit, à quo reddita inſtituti ſui ratione, multa humanitatis atque beneuolentiæ officia, hoſpitalitatiſque iura expertus eſt: pauciſque diebus ibi cõmoratus, ac blandè ab ipſo Pontifice dimiſſus, domum reuerſus eſt. Sunt aliqui qui exiſtiment, cum ante ſuum diſceſſum, cum Pontifice egiſſe, vt ea fide & iureiurando, quo ſeſe Britanno in Syria obſtrinxerat, liberaretur; tantamque fuiſſe Pontificis æquitatem cum honeſtate coniunctam, vt nunquam ſe in illius gratiam tanto ſcelere polluturum palàm profiteretur: nec mirum, cùm Regis poſtulata non ſolùm cum ipſa humanitate, & Chriſtiana religione, qua ceteris antecellere debebat, pugnarent, verùm etiam omnium gentium bene conſtitutarum legibus ex diametro aduerſaretur, ita vt paucis quidem verbis, ſed grauitate plenis, increpitum regem, ad fidem conſeruandam Britanno pro Reip. Chriſtianæ bono aduerſus religionis noſtræ hoſtes iugiter excubanti, hortatum dicant. Ricardus ſtatim poſt Galli è Syria diſceſſum, nulla intermiſſa cura, hoc vnũ agebat, vt Ptolemaide munimentis, aliiſque præſidiis firmata, reliquas maritimas vrbes partim vi, partim verò tranſactione tentatas, ad deditionem compelleret. Proinde ab inſtituto curſu nequaquam diſcedens, proximo menſe Septembri, cum ſuo exercitu ad Aſſur, non obſcuram ac incelebrem Syriæ vrbem, contendit, eamque obſidione cinxit. Verùm, Saladinus cùm hanc vrbem, cùm propter loci opportunitatem, tum quòd opibus maximis floreret, ſummoperè ſaluam & incolumem vellet, ac multum eius intereſſet, vt in ſua poteſtate retineretur, ad eam obſidione liberandam, ſeptimo Idus Septembris, cum noſtris congreſſus eſt, eo ſanè ſucceſſu, vt noſtri ſuperiores facti, de eo præclaram atque omni memoria dignam victoriam retulerint. In eo namque certamine multi hoſtium viri fortes, & magnæ inter ſuos exiſtimationis, ceciderunt. Ex noſtris verò, præter Iacobum Auenium, virum bellica gloria & virtute inſignem, ſtrenuiſſimè in primæ aciei frontiſpicio dimicantem, & occumbentem, pauci deſiderati ſunt, ita vt Dei opt. max. beneficio hæc victoria incruenta quodammodò noſtris extiterit. Hoc rerum ſucceſſu, Ricardus alacrior, & ad ceteras res conficiendas animoſior factus, Ioppen ab hoſtibus deſertam, reſtaurauit, & omnia prouidi ac circumſpecti Ducis munia adimpleuit, adeò profectò, vt omnes hanc expeditionem planè felicem, habituram exitum, ſibi pollicerentur. Interrupit tamen rerum bene agendarum curſum oborta in caſtris Chriſtianorum ſeditio, & Conradi Montiſerrati reguli, Tyri per dolum à duobus ſicariis occiſi cædes, quod magnam deinceps rerum conuerſionem in Oriente, vti ex hiſtoriis patet, attulit. Ceterùm Ricardus, poſt multa egregiè edita facinora, & exantlatos Reip. Chriſtianæ nomine labores, cùm iam videret, maiorem partem exercitus ſibi commendati, partim morbo & ferro, partim verò inedia, & laboris intolerantia eſſe conſumptam: ſimulq. ſummoperè vereretur, ne, dum ipſe procul domo pro Rep. Chriſtiana

Singulare exemplum æquitatis.

Inſignis Chriſtianorũ victoria cõtra Saladinum.

Conradi Montiſerrati reguli cædes.

stiana bellaret, proprij regni iacturam faceret, præsertim cùm Philippus, contra datam atque oppignoratam fidem, non solùm clandestinis consiliis illi grauis esset, sed iam apertè & palàm hostis factus, Normanniæ, eius ditionis prouinciæ maximi momenti, imminere, Ioannesque eius frater minor natu Britanniæ prouincias ad defectionem solicitare, vt ipse regium nomen & potestatem nefariè transferret, diceretur; tantis in vnum confluentibus causis, necessitate summa coactus fuit, cum Saladino pacisci, accum eo, quibuscunque potuit modis, in quinquennium, siue, vt nonnullis placet, in triennium indutias constituit. Nam harum indutiarum condiciones cùm essent mera quadam temporis necessitate expressæ, erant prorsus huiusmodi, vt non solùm præteritarum gestarum rerum gloriam obscurarent, verùm etiam magna ex parte pristinam Christiani nominis ac imperij dignitatem læderent atque labefactarent. Siquidem, vt cetera breuitatis causa sileam, Saladinus obtinuit, vt nostri, omnium earum vrbium, quarum post receptam Ptolemaidem domini erant facti, citra aliquam moram vel difficultatem ius atque dominium exuerent, mœniaque & munimenta demolirentur, ac solo æquarent, adeò vt hæc ignominiosa transactio haud dubiè effecerit, vt huius susceptæ expeditionis successus nobis magis detrimento & dedecori, quàm honori vel vtilitati, omnium grauiorum virorum iudicio, fuerit. Incusetur, & inculpetur tamen potius fatalis illa ratio, omnia pro arbitrio disponens, quàm Principum istorum imprudentia, vel temeritas; quandoquidem si aliquis penitiùs secum reputauerit, constitutarum indutiarum cum Saladino condiciones, proculdubiò inueniret, nostros, hac quidem in parte, culpa vacare, & temporis necessitatem nostris imposuisse, vt duorum præstantissimorum regum præclari conatus, & validissimi exercitus labores, incassum omninò susceptì videantur, potissimùm cùm aliàs non verisimile sit, eos tam demissi animi fuisse, vt aliquo modo aliàs passuri essent, vt omnes illæ ciuitates, quæ sibi, summis cum laboribus & periculis, accesserant, in Barbarorum potestate remanerent, & eò magis illorum arbitrio subiicerentur, quò ex illorum præscripto ac libidine omnia tum in Syria, tum in ipsa Phœnicia, quas sanè regiones maiori ex parte ipsi sibi subiecerant, agerentur. Obtinuit enim Saladinus à Ricardo abitionem parante, vt in his duabus celeberrimis regionibus nostri nullum firmum munimentum, & iustum propugnaculum vel vrbem haberent, Tyro, Ptolemaide, & Antiochia exceptis: videbatur nihilominus Ricardo, præclarè, aut saltem non vsquequaque infeliciter secum esse actum, quòd à tam potenti & formidabili hoste, tam necessario quidem tempore impetrasset, vt imperiũ Christianum his tribus nobilissimis ciuitatibus, salua nominis dignitate, consisteret. Rebus ita constitutis, ac de reliquis non parum solicitus, Cyprum, nuper electo tyranno, vti enarrauimus, armis subactam, præsidiisque firmatam, Vidoni Hierosolymitano regi ea condicione donauit, vt ipse, posterique sui deinceps in perpetuum Hierosolymitani regni titulo insignirentur. quo sanè iure factum est, vt omnes Britanniæ reges ad hanc nostram vsque tempestatem huius inclytæ vrbis appellationem sibi vsurpauerint, & non immeritò retinuerint, vt etiam videre est ex omnibus regum Britãnorum diplomatis ac edictis. Constituto igitur hac condicione Vidone Cypri rege, ipse cum classis suæ reliquiis, nauigationem Italiam versus instituit: sed inter nauigandum, atroci tempestate oborta, tantum vitæ periculum cum suis adiit, vt, disiecta atque dispersa classe, parum abfuerit, quin fluctuum procellis absorberetur, & omnes sui naufragium facerent, adeò vt ventorũ flatibus huc illuc impulsus, diu incerto cursu errabundus velificauerit, do-

Quibus conditionibus nostri pacẽ à Saladino redemerint.

Cur Britanniæ reges Hierosolymitani regnĩ titulo insigniantur.

nec tandem ventorum rabie eam Ionij maris partem tenere coactus fuit, quæ Epiro & Macedoniæ proximior est,& eodem venti flatu in Illyricum breui pòst delatus,ac tandem cum paucis suis elapsus,mense Decembri,terrestri itinere mutato habitu,& quò faciliùs omne periculum declinaret, ementita priuati homis persona , superiorem Pannoniam,quæ nobis Austria est, contendit. Verùm, tametsi sese priuato similem gereret, diu tamen latêre non potuit,quin agnoscerefacie maiestas quædam,vt plerumq.in heroibus accidere solet, eluceret; siue quòd ille certis indiciis, vtpote annulo regio,vel huiusmodi aliquo argumento,vt nonnullis placet, se proderet; seu fatali & arcana vi, cui rarò reluctari datur,hospiti apud quem diuerterat,in suspicionem venit,quòd priuato maior esset,& ementito habitu Principis alicuius personam sustineret, ita vt ipse, comparandæ sibi Leopoldi Ducis Austrię Principis sui gratiæ,vel lucri & quæstus causa,eum indicauerit. Verùm, ne in iustam reprehensionem apud aliquos incidam, non gratuabor aliquot scriptorum opiniones attexere. Quandoquidem sunt qui tradãt, ipsum à Duce Austriæ Leopoldo & Hadmaro II. Domino de Chuenring in villa de Erpuech prope Viennam Austriæ captum fuisse, & ab ipso Domino, vicissitudinis rerum humanarum immemore, contra omnia pietatis & humanitatis exempla protinus custodiæ traditum, & in arce Tyrenstein tantisper asseruatum, donec Henrico Cæsari, qui, minis & vi ostensa, ipsum Leopoldo duci extorsit, traderetur. Nam cùm ipse Ricardus tam ampli regni successor ac hæres relictus esset, Cæsarem non latebat, illum non commissurum,quin libertatem suam magna auri vi atque pondere redimeret. Proinde spe quæstus & lucri irretitus, studiosè curauerat, vt sibi consignaretur, adeò certè, vt multi sint qui non minùs super eius liberatione,quàm eius captiuitate varient, cùm non pauci idonei scriptores asserant, ipsum libertatem centum millibus marcharũ auri ab Imperatore emercatum esse. Sunt demum qui asseuerent,centum millibus & quingentis auri pondo libertatẽ redemisse. Quocunque sese res pacto habeat,non addubitauerim Ricardum graui præsenti pecunia multatum fuisse. Cuius aliquam partem, vtputa tertiam, vt nonnullis videtur, in ipsum Leopoldum Ducem , sicuti cum Cæsare transegerat, deriuatam esse tradunt. Multorum scriptorum Annales referunt, & in hoc planè omnes inter se consentiunt, non citra magnam difficultatem pecuniam liberationi Ricardi destinatam , cùm magna & immensa esset, fuisse in Anglia expeditam, adeò vt aliqui reperiantur qui dicant,regiam supellectilem aliqua ex parte hac de causa fuisse diuenditam . Sunt præterea, qui etiam addant,pecuniæ pænuria ita tunc temporis fuisse in Anglia laboratum , vt vasa sacra in regis gratiam conflata sint . Non caruit Cæsar graui , & ea quidem iusta, omnium Principum, in primis verò Pontificis reprehensione, & passim magnam auaritiæ notam subiit, quòd scilicet, præstantissimum regem optimè de Christiana Repub. meritum, & à sacra expeditione reuertentem, contra omnium gentium bene institutarum mores, & legum reuerentiam, nulloque belli iure captum, non solùm in vinculis habuerit; sed non antequàm graui pecunia multatum dimittere voluerit, tantum abest, vt clarorum Cæsarum more ipsum omnibus humanitatis officiis exceperit, vel saltem eo loco habuerit, quo Principes etiam ignotissimum quemque inuicem habere solent . Incidit huius Ricardi calamitas & fatalis casus in annum millesimum centesimum nonagesimum quartum, ac prout diligenti inquisitione inuestigare potui,constat,eum duodeviginti menses à Cæsare in custodia asseruatum , in quo non citra magnam admirationem

Ricardus à sacra militia reuersus,capitur in Germania.

tionem reputare animum meum subit, cum quanta fortunæ inconstantia & lubricitate rerum humanarum status coniunctus sit. Nam licet hæc longè latéque rebus humanis dominetur, rarò tamen regibus illudit, sic vt eos tanto ludibrio afficiat, sicuti hunc præstantissimum & Christianissimum regem affectum esse docuimus. Ceterùm, priusquam huius sacræ expeditionis exitum absoluam, id obiter annotauerim, nempe Philippo & Ricardo regibus, antequam è Sicilia soluerent, de illius successu Ioachimum Abbatem, tum in Calabria apud monasterium Floris eximia laude florentem, consulentibus, eum respondisse, illos quidem ituros esse; at parum certè profecturos, quòd nondum diram belluam sua fata appeterent, nec terræ sanctæ recipiendæ dies illuxisset. Nec verò falsus extitisse vates Ioachimus, siue illorum contentione motus, siue cælesti numine afflatus, videri debet, cùm eius vaticinium cum rerum successu non parum quadret. Sunt qui putent, illum hæc eadem Friderico, arma contra barbaros expedienti, prædixisse.

Ioachimi Abbatis vaticinium.

DE QVINTA CHRISTIANORVM IN SYRIAM EXPEDITIONE.

INTEREA temporis, cùm Henricus Cæsar intelligeret, summam tum crudelitatis, tum etiam auaritiæ labem ab omnibus sibi esse aspersam, quòd Regem Britannum optimum Principem, ac optimè de Rep. Christiana meritũ, non solùm in vinculis coniecisset, sed etiam nõ ante, quàm ingenti pecunia persoluta, liberasset: quò ergo nominis sui existimationẽ mirum in modum obscuratam, atque labefactatam, pristino splendori restitueret, vtque sese Pontifici ac etiam reliquis Christiani imperij Principibus hoc nomine valdè à se alienatis, in gratiam reponeret, expeditionem in Asiam decreuit, rebusq. orientalibus, præsertim verò Syriæ, mirificè afflictis atque aceisis, instructa classe, & valido exercitu auxilium ferre statuit. Fatis siquidem concesserat Saladinus, cum quo Ricardum Regem indutias, necessitate temporis adductum, constituisse docuimus, adeò vt tam præpotenti atque feroci hoste sublato, Pontifex, ceteriq́ue Principes rerum Asiaticarum non ignari, in spem venirent, cùm egregia bene agendarum rerum ansa nostris præberetur, vt repetitis plerisque locis, cum nostro dispendio nec minori ignominia vel amissis vel traditis, Palæstinæ regnum facilè armis posse recuperari: Pontifex etiam secum reputans, quantum Respub. Christiana ex superiorum temporum Principum Christianorum dissidiis, & proximi belli infelici successu esset labefactata, quantumq́. periculi illi ab hoste immineret, si eo statu, quo tunc res erant, relinquerentur, modis omnibus Christianis Principibus & populis volebat esse auctor, vt res Orientales communibus viribus repeterentur. Et Cæsari quidem in primis non exiguum stimulum subinde addebat, vt ipse, depositis omnium aliarum rerum curis, expeditionem in Syriam destinatam acceleraret. Sed Cæsar tum temporis aliquot grauissimis rebus, imperij sui summã concernentibus, perplexè implicatus, eas pro animi sui sententia tam citò absoluere nequiuit; earumq́ue magnitudo planè effecit, vt à destinata expeditione non parum retraheretur. Interim tamen, ne Christiana Resp. ex nimia cunctatione in aliquod maius discrimen adduceretur, néue rei bene gerendæ

Saladini obitus.

occasio

occasio aliquo pacto amitteretur, habita prius cum Principibus septemuiris aliisque imperij ordinibus super hac re grauissima deliberatione, constitutum fuit, vt quamdiu Cæsar componendis rebus in Occidente hæreret, Asiaticæ expeditionis summa penes Chunradum Archiepiscopũ Moguntinum Electoré cum summo imperio esset. Ille igitur suscepta prouincia, associatisque sibi præstantissimis Germanię proceribus, vtpote Chunrado Herbipolensi Cæsaris cancellario, Henrico Duce Saxoniæ, Leupoldo Duce Austriæ, N. Duce Brabantiæ, Hermanno Landtgrauio Thuringiæ, Episcopo Patauiensi, Ratisponensi, & Halberstatensi; aliorumque multorum illustrium virorum magna frequentia stipatus, cum valido exercitu in Syriam profectus est. Et quia statim à Saladini obitu magna vbique rerum conuersio facta erat, barbarorum milites munimentis ac præsidiis impositi, multo segniùs quàm anteà, stationes suas obseruabant, ita vt plerisque locis desertis, vel saltem negligentiùs custoditis, facilè nostris ad eas aditus patêret. Proinde occupato Beryto solitis suis præsidiis destituto, quòd illa ciuitas omnium iudicio opportuna belli sedes esse videretur, aggeribus, ceteriscque ad defensionem necessariis summo studio ac celeritate ante omnia munita atque instructa, deinde in Syriam vlterius progressi, cùm Ioppenses adhuc graui barbarorum obsidione premerentur, expedire nostris visum fuit, vt illa ciuitas maritima, & totius Palæstinæ antiquissima, ab inimico exercitu liberata, in pristinam libertatem & securitatem reponeretur, præcipuè quòd propter portus opportunitatem, huius ciuitatis vsus cum primis nostris necessarius esse videretur. Admotis igitur castris, hostes, cùm se & numero & viribus multò inferiores viderent, nostrorum aduentu non expectato, spontè obsidionem soluerunt, adeò vt nostri rerum successu, ad cetera conficienda non parum incitati, citra aliquam temporis intermissionem, indies magis atq. magis magnos progressus facerent; vnde certè non parua Christiano imperio fiebat accessio, & haud exigua spes subberat; nec minor occasio ostendebatur, Solyma armis recuperari posse, nisi malo nostro fato idem vnumque ferè tempus, in medio bene gerendarum rerũ cursu, duorum præstantissimorum Principum mortem consociasset. Cælestinus enim Pontifex Romæ, Henricus verò, sub cuius auspiciis hæc expeditio suscepta erat, Panormi fatis concessêre. Quorum sanè interitus magnam Christianis rebus, vt fieri plerumque solet, immutationem attulit, & res Syriacæ sensim repescere, ac segniùs tractari cœperunt. Germani namque, qui ad hanc sacrã militiam profecti erant, statim diuulgata Cæsaris morte, variis seditionibus laborare inceperant: quæ etsi fortiter & magna cum prudentia reprimerentur, assequi tamen nequiuêre, vt illas penitus extinguerent, vel superarẽt; quippe qui ita tumultuarentur, vt nec Principum auctoritate, neque militaris disciplinæ seueritate in officio retineri potuerint. Quo sanè factum est, vt propter refractariæ multitudinis contumaciam, res proximè præclarè gestæ, mutuis nostrorum dissensionibus & cædibus mirum in modum obscurarentur & extenuarentur, ita me hercle, vt omnibus in deterius prolapsis, relaxataque militari disciplina, in tantum, vt nullus ferè vsus seditiosi militis esset, nostri tandem illam expeditionem in medio propè cursu relinquere coacti sint, nec eã ex dignitate vel vtilitate Reip. Christianæ, vti quàm maximè requirebatur, ad prosperum ac felicem exitum perducere potuerunt, sed magno cum nostrorũ Principum dolore, ab instituto & designato scopo vi quodammodò retracti, semiperfectis rebus, non citra magnam ignominiam, & graue Christiani nominis dispendium, domum redire compulsi sunt. Hunc ergo ferè exitum habuit quinta Christianorum in Syriam expeditio.

Beryrus & Ioppa à nostris receptæ.

Cælestini Pont. & Henrici Imper. mors.

Militaris seditio in Christianorum castris exorta, omnem victoriæ cursum interrupit.

DE

DE SEXTA CHRISTIANORVM IN SYRIAM EXPEDITIONE.

INVALESCENTIBVS indies barbarorum viribus, atque ex nostris dissensionibus augescente illorum imperio, Christiani Principes summa necessitate adacti, verentes nimirum, vt nisi peropportunè illorum incursionibus vnanimi consensu atque coniunctis viribus & armis obuiam iretur, ne res Christianæ valdè in præsens debilitatę ac extenuatæ, planè conciderent atque euerterentur, habitis super re tanta longis ac maturis in comitiis deliberationibus, publica consensione constitutum fuit, vt noua expeditio aduersus Saracenos & barbaros citra vlteriorem moram susciperetur, quam prolixè & copiosè enarrare, cùm multorum scriptis comprehendatur, ad institutum nostrum non valde pertinere mihi videtur. Quocirca, rem leui tantummodò, vt aiunt, brachio percurram, ne nos, ad alia festinantes, huius historiæ notæ enarratio diutius quàm par est, remoretur.

Anno supra milleſimum ducenteſimum decimo ſeptimo, Andreas inferioris Pannoniæ rex, cùm in auitum regnum, defuncto iam patre, ea condicione successisset, vt non antea regni administrationem sibi desumeret, vel regio diademate insigniretur, quàm patris defuncti supremæ voluntati tabellis testamentariis comprehensæ obtemperasset, qua, inter cætera, illi iniunxerat, vt sacram in barbaros expeditionem ad nominis Christiani gloriam atque vtilitatem susciperet. Ipse paterni voti, atque recepti mandati memor, nulla ratione sibi melius optimo & gratissimo parenti parentari, vel iusta persoluere putabat, quàm si hanc pijssimam iussionem citra aliquam moram, vel detractionem adimpleret. Verùm cùm in re tàm ardua & difficultatis plena, plurimum ipse laboraret, non potuit itares suas expedire, quin multò magis quàm existimaret, vel Reip. Christianæ ex vsu esset, negotium differre cogeretur. Igitur Pontifex, missò ad illum Cardinali Columna oratore, mirificè instabat, vt hanc sacram sibi impositam militiam recusare, vel vlterius differre non grauaretur. Proinde eluctatus suis negotiis, ac nihil prius habens, quàm Pontifici, aliisque Regibus & Dynastis, hoc quidem valde requirentibus, placere atque prodesse, associatis sibi aliquot magnis viris, & inter ceteros quidem, Bauariæ atque Austriæ Ducibus, post multorum dierum periculosissima & tædiosissima itinera, in Asiam cum instructissimo exercitu contendens, tandem Ptolemaidem, in quam vrbem, amissis Hierosolymis, Orientalis Latinorum imperij sedes, gazæ & diuitiæ præcipuæ, vti non semel diximus, translatæ erant, peruenit: vbi Ericum, Niuernensium Comitẽ, & Gualterum, Philippi secundi Galliarum regis cubicularium, cum magna Gallorum manu recèns adductorum inuenit. Quibus Ioannes Brennus, Gallicæ nobilitatis eques, belli atque pacis artibus clarissimus, qui postea, propter inclytam, & quasi inauditam virtutem animique fortitudinem, Hierosolymorum rex declaratus fuit, sese coniunxerat: qui sanè Principes atque præclarissimi Duces cum vnà cum suis copiis coiuissent, & in certis quibusdam consiliis atque consensione coaluissent, magna spes proculdubiò omnibus de Christiana religione atque salute bene ominantibus, affulgebat, in tanta Procerum frequentia, tantis ac tam præclaris copiis confirmatorũ, & vnanimitate aliquid præclari, ac quod ex vsu Reip. esset, geri posse: & respondebant certè exorsi belli auspicia. Nam tanta cum celeritate & rerum successu nostri res gessêre, & progressi sunt, vt

1217.

Andreæ Hungariæ regis in Syriam profectio.

Ioannes Brennus.

in

in Palæſtinam vſque citra magnum negotium vel difficultatem perrexerint. ibi cùm aliquot barbarorum turmas habuiſſent obuias, qui illorum conatus & iter impedire auſi erant, tanta cum ſua ſtrage & turpi ignominia, à noſtris fuſi fugatiq́ue ſunt, vt vel hoc quidem ſucceſſu deterriti, non temerè cum noſtris poſtmodum congredi auderent, adeò vt multi tradant, quòd hæc Hungarici regis expeditio cum ſumma cùm vtilitate, tum dignitate Chriſtiani nominis coniuncta fuiſſet, ſi fortunæ ſuæ curſum ac proſperitatem proſecutus eſſet. Ceterùm ipſe, vel inſtituti ſui variis de cauſis pertæſus, vel metuens, ne ſi, dum regno ſuo diutiùs quàm vellet, abeſt, aliquid detrimenti inferretur, domum cogitans, ſe Iordani fluuio perluit, arbitratus, ſe hac ratione voti religione exſolutum, atque Pontificis edicto ſatisfactum eſſe. Hîc annotare licet ſtultam quorundam Principum credulitatem, qui ſe magnis rebus implicatos, & cum ſumma religione aſtrictos, liberatos eſſe exiſtimant, ſi nouis atque inuſitatis mediis & artibus, atque adeò ſummis impoſturis, quandoque viris, quibus maximè obligantur & debent, illudant, & ſpecie boni ac veri improbè imponant. Solutus igitur, vt ipſe rebatur, voto, Ptolemaidem vnà cum ſuis copiis rediit; nec ita multò poſt, nullis ferè in expugnatis atque receptis locis relictis præſidiis, cum reliquiis ſui exercitus in Pannoniam reuerſus eſt. Germanici Proceres de Pannonici reditu certiores facti, cùm viderent Aſiaticum bellum propter repentinum eius atque inopinatum diſceſſum valdè eſſe interruptum, atque maiori ſui parte eſſe mutilũ & mancum, noluerunt committere, quin tanti inchoati, & feliciter ſuccedentis belli curſum deinceps proſequerentur. Nec ſanè ab his languidè ea quæ ad hanc ſacram militiam forent neceſſaria & requiſita, tractata, vel procurata fuêre; ſed bono totius Chriſtiani orbis fato contigit, vt conſentientibus Germaniæ ordinibus, tantus militum delectus pleriſque in locis haberetur, vt breui temporis ſpatio magna ac ferè infinita hominum multitudo coacta ſit: quæ, poſtea quàm variis in locis ad vexilla & Duces confluxiſſent, mira cum diſciplinæ militaris ſeueritate recenſiti atq. inſtructi fuerunt, ne ſcilicet incaſſum ſumptus atque pecunia hoc potiſſimùm nomine ferè in toto Chriſtiano orbe imperata atque erogata, abſumeretur. Præparatæ erant etiam in huius expeditionis vſus variis in Italiæ locis triremes, aliaq́. nauigia portãdis militibus cõmoda & opportuna, in quibus ſub variorũ Ducũ auſpiciis delecta iuuentus, ceteriq́. veterani milites huic mixti, impoſiti vno eodemq́ue tempore fuerunt. Et non ſolùm Germania in hoc bellum intenta, ſed etiam Britannia, & Gallia ipſa fuit. Angliæ ſiquidem rex, Chriſtiani imperij regum nulli ſecundus, ad religionis Chriſtianæ, atque veteris imperij noſtri reliquias tum propagandum, tum etiam tuendum, priuatis ſumptibus, nullo ferè inſtigante, inſignem ac præpotentem claſſem inſtruxerat; cuius exemplo inuitati Galliæ Principes, certatim ad hanc ſacram militiam confluebant, & nullo habito expenſarum, vel moleſtiarum reſpectu, tam pio & Chriſtiano bello nomina dabant, vt tres præclari, ac ferè totius regni præcipui, vtpura, Pariſiorum, Æduorum, & Lexouiorum Præſules, comparata egregia atque inſtructa manu, ſeſe ceteris Principibus ſocios & comites adderent. Conſtiterant claſſes in plurimis Italiæ portibus, & diu ſtationem ad ancoram habebant, priuſquàm cognita præcipuorum Ducum voluntate ſeſe velis committerent. Vbi verò de vnanimi conſenſu conſtitutum fuit, vt niſi certis rationibus, atque expeditis conſiliis, hoc à Pannonico inceptum bellum, deinceps perficeretur, in hoc tandem omnium ſententiæ conuenêre, vt primùm in Ægyptum tranſmitterent, atque Damiata, quæ doctioribus Peluſium eſt, ac poſtmodum ab Ælio Princi-

Hungarici regis inſana perſuaſio.

Principe, qui eam triplici muro cinxit, particulaque Nili deducta, in insulæ formam redegit, nuncupata fuit, omnibus armis atque viribus obsideretur. Hæc enim vrbs omnium iudicio digna videbatur, quæ propter non tantùm nominis celebritatem atque decorem, quàm portus aliarumque rerum opportunitatem, in nostram potentiam redigeretur. At cùm esset & loci natura atq. artibus summoperè munita, multum temporis insumptum, antequã expugnari posset, adeò profectò, vt magna sanguinis effusione atque cæde vtrimque facta, huius vrbis deditio ad postremum redempta sit. Nam cùm magis iustis viribus, quàm vlla defensorum ignauia vel languore expugnaretur, nostri Duces suspicabantur, id quod erat, barbaros statim sub nostrorum aduentum maiorem commeatus aliorumque ad bellum sustinendum necessariorũ partem in vrbis arcem validis præsidiis ac propugnaculis præmunitam, intulisse. Proinde maior illorum pars, licet multi contrà sentirent ac repugnarent, non prius cessandum esse statuebant, quàm arx armis etiam esset recepta. Nec vana fuit, vel aliqua ex parte irrita nostrorum Ducum opinio: quippe expugnata arce, tanta rerum omnium ad vitam necessariarum fuit inuenta copia, aliæque diuitiæ pretiosissimi pretij, vt hæc vrbs facilè cum præstantissimis Europæ vrbibus certare, & meritò omni rerum affluentia comparari potuerit. Incidit huius vrbis eiusdemque arcis expugnatio in annum ferè eiusdem sæculi vndeuigesimum, licet sint qui lustrum vnum adimant: quippe multi sunt qui litteris consignarint, nostros, anno eiusdem sæculi decimo quinto, vel circiter, potitos esse. Qua in re, vt in plerisque ceteris, scriptorum mirari subit discrepantiam, qui, licet exiguis ætatibus à nobis remoti sint, ita inter se variant, vt vix citra magnam difficultatem rei veritas in plerisque rebus erui possit. Recepto Pelusio, & valido præsidio communito, belli Duces, quamuis non satis sibi conueniret, quòd multi eorum essent qui domum cogitarent, tamen instigati crebris Pontificis, aliorumque Principum de Christiana religione solicitorum, literis ac precibus retenti, quasi inuiti ac reluctantes, in hac sua instituta expeditione fuêre. Quandoquidem Pelagius recèns ad supremam illam Pontificiam dignitatem euectus, vt sibi maiorem nominis splendorem à Christiani nominis propagandi zelo ac studio compararet, enixè contendebat, vt nostros Principes aduersus barbaros in Asiam profectos, quàm diutissimè modis quibus posset omnibus in administrando bello foueret; ratus, se hoc pacto non solùm Europam clandestinis atque ciuilibus bellis & dissensionibus mirificè dilaceratam, respirare atq. recreari per interuallum posse; sed etiam imperium nostrum in tam angustos terminos redactum, aliqua ex parte constabiliri, vel si potis esset, proferri. Quocirca nostri vlteriùs progressi, celeberrimam Ægypti vrbem, quæ sanè terrarum maxima est, Chære ab incolis, à nostris verò Cairum vocitatam, quæ vox victricem sonat, anno Mahumeticæ superstitionis trecentesimo & duodeseptuagesimo, à Ioar Sultano multiplici victoria inclyto cõditam, ac decem millibus passuum à vetustissimæ nobilissimæque vrbis Memphis vestigiis distantem, arctissima obsidione oppressêre. Sed nequicquam tentata eius expugnatione, re infecta, non citra magnam nostrorum cladem atq. ignominiam discedere coacti sunt: quoniam, vt ceteras difficultates, quibus nostri tunc temporis laborabant, fileam; sunt qui tradant, nostros ad tantam deueniisse rerum omniũ angustiam, & ita omniũ rerum necessariarum aditum & facultatẽ fuisse interceptam, vt Sultano Ægyptio, quem Memphiticũ regem appellamus, noua cum eo trãsactione facta, Damiatam, vti diximus, captam, præsidioq. firmatam, restituerent. Quod certè nemini mirum videri debet. Nam multorum grauissi-

Damiata tunà cum arce à nostris recipitur.

Cairus nequicquam à nostris obsessa.

morum obtinuit opinio, multis ſcriptorum annalibus corroborata, vſqueadeò res noſtras fuiſſe anguſtas atque acciſas, vt Coradinus, Damaſci & Hieroſolymorum Sultanus, noſtris per ſuos oratores conditiones pacis pro ſuo libito, ac pro ſua & Memphitici voluntate atque arbitrio præſcripſerit. Ac quò magis noſtros irretiret, & in ſuam ſententiam pertraheret, miro lenocinio atque verborum artificio vſum fuiſſe dicunt. Pollicebatur ſiquidem, ſi negotium ex voto & ſententia ſibi ſuccederet, ſe præter ea quæ ſub pacis formula comprehendi debebant, vltrò ſacroſanctam crucem, & quicquid de noſtris in Syria, & Phœnicia ipſe, ſuique maiores per vim, vel iure belli abſtuliſſent, redditurum. Quæ ſanè poſtulata cùm ab ipſo decoro atque ratione non abhorrerent, digna omnium iudicio viſa ſunt quæ complecterentur. Solus erat inter omnes Pontificius legatus, qui ſe fortiter omnium ſententiæ ac voluntati opponebat, adeò vt huius auctoritas, vel potius morositas, &, ſi mauis, imprudentia obtinuerit, vt Sultani oratores, pace infecta, cum omnium noſtrûm dolore dimitterentur. Proinde Coradinus nõſtrorum peruicacia mirum in modum irritatus, ſimulque veritus, ne, ſi Peluſium à noſtris deinceps aliquo modo recuperaretur, ipſe Hieroſolymis facilè excideret, nimirum, quòd eam vrbem ſe tueri poſſe propè diffideret; ſeueriter edixit, vt muri, aliaque eius vrbis ſplendidiora ædificia, & monumenta diruerentur, ac penitus euerterentur. Itaque barbarus hoſtis, nulla habita tam præclaræ ac ſacræ vrbis ratione, vel reuerentia, Scythico more in illam debacchatus eſt, ſic, vt ipſam maiori ex parte deformauerit, & deplorandam vaſtitatem intulerit. Mirum tamen in tam barbari & efferati hominis animo aliquam diuini noſtri cultus ſcintillam vel reuerentiam exiſtere potuiſſe. Edixerat enim ſub graui pœna, vt à Turri Dauidis, templo Solomonis, ac deinde ſacro ſepulchro abſtineretur. Quod ſanè temperamentum ego non tam ad immaniſſimi hominis humanitatem, vel pietatem, quàm ad Chriſtianorum demiſſiſſimas preces, ea loca tunc temporis inhabitantium, referendum eſſe iudico: nimirum cùm in confeſſo ſit, hunc adeò noſtris ſacris fuiſſe crudelem atque immanem hoſtem, vt nunquam ab iis, niſi oſtenſo quæſtu, & multa pecunia retentus, abſtinuerit. Conſtante bello, Ligures, Piſani ac Veneti egregiam operam Reipub. Chriſtianæ nauarunt. Etenim ſtatim ſub illius belli initiũ, prævalidas claſſes, aliaque ad tam longinquum & periculoſum bellum neceſſaria, ſponte, nullaque præmiorum ſpe illecti, miſerunt. In primis ſiquidem, Liguribus non poſtrema laus meritò debetur, vel eo potiſſimùm nomine, quòd paulò antequam hæc ſacra expeditio ſuſciperetur, ad Niuernenſem, Ducem conſanguinitate & propinquitate Galliarum regibus longa ſtemmatis ſerie coniunctiſſimum, ſacræ militiæ ergò honorificentiſſimam legationem habuerint, miſſis ad eum Lanfranco Roſſo, & Gulielmo Embriaco præclariſſimis viris. Quorum auctoritate atque dignitate ipſe commotus, omnem ſuam operam Reipub. Liguſticæ, aliiſque Principibus & Rebuſpub. huic ſacro bello fauentibus, ſeriò pollicebatur; vti poſtea euentus ipſe edocuit. Adornata namque iam profectione, cùm Genuam delatus eſſet, tamdiu ibi conſtitit, donec reliquæ, quas conſcripſerat, terreſtres copiæ commodè ſubſequerentur. Nec ſanè hic ardor iuuandæ Reip. Chriſtianæ vnquã poſtea Genuenſibus, licet multis nouis moleſtiis implicarentur, refrixit, ſed aſſiduo quodam iuuandi ſtudio, omni tempore euigilarunt; adeò vt ſtatim Pelagio ad ſupremum Pontificatus faſtigium euecto, eius hortatu decreto Aſiatico bello, ducibus Ioanne Roſſo Cataneo, & Petro Auria, decem triremes ſubſidiarias omni genere commeatus, validoque præſidio inſtructas, in Orientem miſerint. Noſtri enim graui atque

Hieroſolymorũ demolitio.

diutina

diutina oppugnatione defatigati, iam fermè Peluſij occupandi ſpe exciderant. Verùm Liguſticarum triremium aduentu adeò fuerunt recreati & confirmati, vt in nouam ſpem erecti, inſtauratis nouis oppugnationibus, tãdem cum exigua ſuorum cæde vrbe potiti ſint, & præclaram de hoſte victoriam retulerint; tametſi hæc ciuitas ſub finem proximi anni, Chriſtianorum rebus malè ſuccedentibus, iterum amiſſa fuerit.

DE VII. CHRISTIANORVM IN ASIAM EXPEDITIONE.

Friderici II. Cæſaris in Aſiam expeditio ac ſucceſſus.

HÆc ſeptima expeditio ſuſcepta fuit à Friderico ſecundo, Henrici Auguſti filio, qui Cæſareo diademate inſignitus, (id verò incidit in annum poſt mille ducentos tertium decimum) pacatis in Germania rebus, nihil prius, magiſque in votis habuit, quàm vt in Aſiam ad Palæſtinæ recuperationem traijceret. Ceterùm hoc ſanctiſſimum atque optimum eius inſtitutum plurimis & grauiſſimis de cauſis vſque in annum eiuſdem ſæculi quintum ac viceſimum, retardatum fuit, quo ipſe in Italiam reuerſus, filium Henricum in Germaniam ablegarat, vt indicto conuentu de conſilio patris, ad Principes frequenti Senatu referret, & horum opera atque auxilio neceſſaria ad expeditionem compararet: & conſcriptis atque armatis copiis ducibuſque delectis, horum præcipuus fuit Ludouicus Turingiæ Landtgrauius, maritus S. Eliſabethæ. Poſtquam igitur conueniſſet Brundiſij magna multitudo ſacrorum militum ex diuerſis gẽtibus, at potiſſimùm ex Germania, Imperator primò detentus inualetudine affecti corporis ex aëris inclementia, quæ & Landtgrauium cum pleriſque aliis crudeli fato abſumpſit: deinde inter Peloponẽſi & Cretæ anguſtias contraria vi ventorum repulſus, aliquandiu Brundiſij ſubſtitit, ac tãdem claſſe refecta, tertio Idus Auguſti, anno eiuſdem æui duodetrigeſimo, præmiſſo cum maxima copiarum parte Reinoldo Bauaro equitum magiſtro, & Italiæ gubernatione Reinoldo Duci Spoletano commiſſa, illinc ſoluit, & ſecunda nauigatione Cyprum delatus eſt, atque hinc Ptolemaidem incolumis peruenit, vbi à Genuẽſibus & Piſanis, ac toto exercitu, qui eum auidiſſimè præſtolabatur, honorificè exceptus. deinde vlterius cum victricibus armis progreſſus, indutias pepigit cum Sultano Babylonico in annos decem optimis & honeſtiſſimis conditionibus, receptis ex tranſactione ſine cæde Hieroſolymis, captiuis omnibus ſine pretio impetratis, & regni poſſeſſione occupata. Cumque refectis oppidis Nazareth & Ioppe, militeque, & commeatu inſtructis, cetera regni conſtituiſſet, & probè contra hoſtes obfirmaſſet, in Italiam poſtliminiò cum ingenti gloria, atque ouanti ſimilis, reuerſus eſt. Ab hoc tempore qui Siciliæ ac Neapolis regnum poſſederunt, Hieroſolymitani regni nomen & inſignia ſimul vſurparunt. Siquidem Fridericus, poſt Conſtantiæ reginæ Aragoniæ obitum, Iolem, Ioannis Comitis Brennæ regis Hieroſolymitani filiam, ex Iole Conradi March. Montisferrati & Iſabellæ filia ſuſceptam, quam ei pater, in Europam cum ceteris Chriſtianis Principibus reuerſus, in matrimonium deſponderat, vxorem duxit, addito dotis loco regno Hieroſolymitano, obligatoque hac ſponſione genero, vt mox à nuptiis dux belli ſacri ad vrbem recuperandam, ac vindicandum contra Saracenos regnum proficiſceretur. ſicuti etiam ab eo factum eſt. Vnde perpetuus hæreditario iure titulus eius regni ad poſteros peruenit.

Hieroſolyma à Friderico recepta.

Reges Hieruſalem.

DE VIII. ET VLTIMA CHRISTIANORVM IN SYRIAM SEV PALAESTINAM EXPEDITIONE.

1249. POSTREMA expeditio à Ludouico IX. Galliarũ rege ſuſcepta fuit. Hic enim anno ſupra milleſimum ducenteſimũ, vndequinquageſimo, regni cura Blanchę matri Alfonſoque germano cõmiſſa, cum valida & expedita manu, in qua, præter ipſos procereſ atque illuſtres viros, duo ac triginta lectiſſimorum virorum millia extitiſſe dicuntur, Liguſticæ claſſis ope atque præſidio potiſſimùm innixus, octauo Cal. Septembris ſoluens, ad XI. Cal. Octobris Cyprum tenuit, indeque Syria, Phœniciaque emenſa, & in Ægyptum delatus, primo appulſu Æliopolim, ſeu Damiatam, cuius ſuperiùs mentionem habuimus, poſt aliquot dierum acerrimam obſidionem, vi tandem expugnauit. In vrbe prædiuiti & celeberrima, vis ingens ceterarum rerum, & in primis magnus numerus frumẽti repertus. Ludouicus interim hoc proſpero ac felici rerum ſucceſſu alacrior atque animoſior factus, de mutuo Procerum conſenſu Cairum verſus, primariam regni ſedem ac domicilium, caſtra promouit. At barbari de ipſorum victoria & progreſſu per fideles internuntios admoniti, coacto ingenti exercitu, illis, duce Sultano Meledino Memphitico rege, obuiam proceſſerũt; & bis conſerto prœlio, fortiſſimè vtrimque dimicatum eſt, eo tandem exitu, vt aduerſarij poſt multam cædem in turpem fugam conijcerentur, & ipſemet Saladinus acutiſſima febri correptus, in caſtris obierit. At Melexala eius filius, illicò poſt patris mortem Sultanus Ægypti ſalutatus, nihil in mora habuit, quo minùs nouis copiis inſtauratis, in noſtros impetum faceret. Qui exigui numero, & iniquis locis ab hoſtili multitudine circumuenti, eò redacti ſunt, vt ijs conditionibus ſeſe dederent quæ ab hoſte victore conſcribebantur: Videlicet, Vt noſtri Damiata cederent: Vt captiui vtrimque redderentur: Vt indutiæ in decem annos fierent: Vt ingens vis auri penderetur, &c. Octo millia pondo auri pretium regis ſalutiſque communis fuiſſe dicitur. Rex quatuor millibus ſolutis, pro altera parte Carolum fratrem obſidem reliquit. Et licet ſibi iuxta mutuas pactiones procul abire integrum eſſet, nihilominus non antè, quàm reliqua ſolutione facta, infra ſpatium ſcilicet nouendecim dierum, diſcedere conſtituit. Tunc Damiata deceſſum, & qui ſupererant regij milites Genuenſium nauigiis in Syriam præteruecti. Sunt qui aſſerant, ipſum regem fermè quinquennio in partibus Orientalibus ſubſtitiſſe, priuſquam ad ſuos tanquam poſtliminiò rediret: quo quidẽ tempore, præter ceteras vrbes, Sidonem, Cæſaream, Ioppen, & pleraq; alia loca inſtaurauit; & nihil ſibi vnquam antiquius duxit, quàm vt Chriſtianã fidem ac religionem propagaret, adeò vt cùm in ea cogitatione dies ac noctes verſaretur, iterum anno eiuſdem ſæculi vndeſeptuageſimo, rebus domi conſtitutis, nouum exercitum conſcriberet, & claſſe à Genuenſibus conſtructa & præparata, cum tribus filiis, nempe Philippo, Ioanne, ac Petro, & lectiſſima Gallicæ nobilitatis iuuentute, in Africam ſoluit, atque vrbem Carthaginem, non citra tamen ſummam difficultatem, deditione recepit. Poſt hæc, Tunetum caſtra promouit; & in ipſo itinere cum rege illius gentis pugnatum: in quo prœlio circiter decem millia Maurorum cecidiſſe conſtanti fama aſſeritur. Interea temporis, ciuitas Tunetana mari terraque obſeſſa, omnique ſpe inuehendi frumenti excluſa, iam in

Damiatæ expugnatio.

Saladini obitus.

Ludouicus Gall. rex capitur à Saladino.

Damiata recipitur à barbaris.

1269.

Ludouici regis in Africã expeditio.

Ludouici victoria. Tuneti obſidio.

in sextum mensem continua obsidione clausa, de deditione agendi per oratores initium fecerat. Dum verò de condicionibus disceptatur, in Gallorum castris dira pestilentia exorta, quamplurimos, & in his Ioannem regis filium, atque adeò ipsum regem cum incredibili totius exercitus dolore, ad octauum Calendas Septembris è medio sustulit. *Ludouici regis interitus.* At breui pòst, Carolus Siciliæ rex cum delecta manu superueniens, Francorum animos, sui optimi ac sanctissimi regis morte mirum in modum consternatos atque perculsos, confirmauit, simulque hostes feroces, necnon crebris eruptionibus leuibusque præliis superbam fiduciam ostentantes, in iustam obsidionem rursus coërcuit. Continuò etiã Anglica classis appulsa, copias piorum, spemque adauxit, & barbaris nouum terrorem iniecit. Siquidem Henricus, Angli regis filius, Cornubiæ Comes, ignarus regem viuis subtractum esse, cum prævalida classe ex Oceano Britannico soluens, in Africam per id tempus descensionem fecit, vt, quod futurum propediem spes erat, Tuneto regia vrbe, quæ piis ad eam diem variis excursionibus mare infestum reddidisset, in nostrorum potestatem redacta, coniunctis classibus, in Syriam ad Eduardum paruelem cursum dirigeret: nec inde recederetur, nisi ea prouincia confecta. Hostes ab Anglis, Gallis, atque Italis, terra marique oppugnati, ac fame grauiùs quàm vt eam diutiùs ferre possent, laborantes, denuò pacis mentione iniecta, cum illis tandem, præsertim cùm dira lues in nostrorum exercitu supramodum desæuiret, his condicionibus inter cetera transactum est, nimirum: *Anglorum classis.* Vt nostros *Tuneti deditio.* suis vrbibus reciperent, hisque liberum suæ religionis exercitium permitteretur: Vt rex Tunetanus quadragena aureorum millia Siciliæ regi quotannis numeraret, quantam summam Siculus Romano Pontifici ex formula debebat. His peractis, continuò in Siciliam adnauigatum; quò ex mutatione cæli, grassantis morbi vis atque contagium aliqua ex parte leniretur. iamque insulam in conspectu tenebant, cùm de improuisò atrox tempestas coorta classem disiecit, nec pauca nauigia submersit, donec tandem remittentibus ventis, reliquæ incolumes ad optatum littus appulêre.

DE BELLO SARACENICO SEV MAVRITANO, PER GENVENSES GESTO.

HACTENVS ea qua potuimus breuitate, Christianorum Principum, & aliorum confœderatorum populorum, præsertim verò Genuensium, in prima Syriaca expeditione, atque item in reliquis subsecutis, res gestas complexi sumus. Et quoniam à prima sacra militia, dirum atque atrox bellum inter Ligures ac Pisanos, vti diximus, exarsit; temporum ordo ac historiæ series requirere videtur, vt hoc bellum suis cõsignatum literis ac locis describam. Verùm cùm circa eadem annorum volumina & decursus, inciderint ea prœlia quæ Respub. Genuensis contra Saracenos, longè lateque Africam & Hispanias depopulantes, quàm felicissimè gessit; non videbor rerum ordinem inuertere, vel historiæ dignitatem atque contextum lædere, si hanc, reseruato aliquantisper Pisano

bello, adiecero. Sed ante omnia mihi de Saracenis pauca enarranda reſtant. Ex Moſe haud obſcuris verbis datur intelligi, poſteros Iſmaëlis, qui ex Agar natus eſt, tenuiſſe Arabiã. Inde Agar vrbs nominata eſt ab Agar matre Iſmaëlis; & gens Agræi, qui in 1. lib. Paralip. cap. 5. nominantur Agareni, vbi & limites vicini Gaiaad monſtrãtur. Nomen idem Agareni extat Pſal. 82. In ea regione, in qua fuiſſe Agarenos certum eſt, collocat Ptolemæus Saracenos, & nomen Saracenorum extat in hiſtoria Zenobiæ in victoriis Aureliani. Et à principio quidẽ Iſmaëlitæ, & quandoq. etiam ab eius matre, Agareni dicebãtur. Sed quia glorioſius erat dici ortos à Sara legitima Abrahami cõiuge, quàm ab ancilla Agar, ab illa ſeſe Saracenos appellarunt, & à regionibus itidem, quas incolebant, Arabes dicebantur. Ipſe Mahometus etiam poſtea glorioſi nominis mentione cõfirmauit exercitum, vociferans pertinere ad eos promiſſionem regni mundi, Abrahæ poſteris traditam, quia eſſent filij Saræ, ſicut prætextu religionis ſæpe homines incitantur. Hi ſub Romanis Imperatoribus ſæpenumerò ſtipendia meruerunt: vltimò autem conducti fuêre ab Heraclio aduerſus Coſroën Perſarum regem, quo tempore eidem Heraclio Mahometus, itidem Saracenus celebris, cum aliquot copiis militabat, qui finito poſtea bello, pro eius gentis more, in montana ſe receperat, & excurſionibus atque latrociniis victum ſuis quærebat. Victo igitur Coſdroë, Saracenus quidam inſtabat apud Eunuchum, Heraclij quæſtorem, vt ipſis ſtipendia ſolueret: cumque nimis importunè vrgeret, Eunuchus iratus inquit, ſe non poſſe canibus iam dare, quod filiis domeſticis deberetur. Quamobrem excandeſcens Saracenus, Nos igitur, inquit, canes ſumus? & ſubitò conſcenſo equo, ad ſuos reuerſus, quos Numarius quidam Saracenus itidẽ ducebat, Redeo, inquit, pecuniis vacuus, ſed iniuriis onuſtus. Quapropter, vbi illa quæ Eunuchus dixerat, intellexiſſent, indignati, omnes ab Imperatore defecerũt, & oppida Damaſco vicina diripere inceperunt. Multi inopes etiã à Mahometo adiuti, qui, ducta vxore ditiſſima, largitionibus perfecit, vt milites eum audirent: & ſuaſit, vt ducẽ crearent, vtque firmior eſſet conſenſus, tollerent religionis diſſidia, eligerent doctrinæ genus vtile concordiæ. Ipſe doctrinæ formam propoſuit, addidit ſe habere colloquia cæleſtia, & enthuſiaſmos, vt augeret auctoritatem. Creatus igitur Dux, initia regni confirmauit in vicinia Damaſci. Initium autem regni Mahometi collocatur in annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum tertium. Succeſſit ei Amiras gener, qui Damaſcum cepit, & regni caput cõſtituit. Deinde capit Gazam, & Hieroſolymam obſeſſam biennio. Ahumar tertius rex magna Syrię parte domita, occupat Ægyptum. Muhanias quartus rex, Cæſaream Palæſtinæ ſeptenni obſidione capit, & victo Coſroë filio Orimaſda, Perſiam regno Saracenico addidit, eique legem Mahometicam impoſuit. Ita intra annos triginta Saraceni potiti Arabia, Palæſtina, Phœnicia, Syria, Ægypto, & Perſia, magnam potentiam adepti ſunt. Poſtea Africam totam occuparunt, ac paulatim in Aſiam proceſſerunt, ac latè cum imperio legem Mahometicam propagauerunt. Et ſi autem inter ipſos quoque ſeditiones & regnorum diuiſiones ſecutæ ſunt, vt in aliis regnis, tamen Saracenorum Principes Sultani præcipuam potentiam in Syria, Ægypto, Africa, & magna parte Aſiæ retinuerunt circiter quadringentos annos, donec rex Saracenicus, qui Perſiam tenuit, contra Babylonicum Turcos attraxit, qui paulatim accepta lege Mahometica, excuſſerũt ex regno Perſico regem Saracenicum tempore Conſtantini Monomachi, ſeu Chunradi Franci, non multò ante Gothifredi expeditionem ſuſceptam ad Palæſtinam. Hæc modò de huius Saracenicæ gentis primordiis, ſimulque illius progreſſibus & incrementis breuiter

Saraceni à quibus orti, & vnde dicti.

Saraceni Mahumetũ ſibi Ducem creant.

Regni Mahumeti initium.

breuiter recensui; ex quibus sanè cuiuis perspicuum est, hunc ferocem & barbarum populum adeò fecundum extitisse, vt præ ingenti multitudine & frequentia, miraque proferendi imperij cupiditate, nouas subinde quæreret sedes, & post aliquorum temporum interualla, non solùm haud mediocrem Asiæ partem, verùm etiam successu temporis pestifera eluuione maiorem Africę partem, vt dictũ est, armis subegerit, ac incredibilem vastitatẽ & solitudinem circumuicinis gentibus & regionibus intulerit. Quo certè rei successu immanissima hæc gens elata, & abblandiente fortuna lasciuiens, firmum sibi imperium astruere & constabilire posse existimans, omnem Libyci maris tractum longè lateque euagata, tandem arma in Hispaniam ipsam, non absque nostrorum Principum domi oscitantium, vel mutuis ac funestissimis bellis & dissidiis implicatorum, intulit, ac modico temporis spatio magnam impressionem in eam fecit. Cuius rei indignitate commoti Genuenses, cùm non obscurè intelligerent, Saracenicam gentem Christiano nomini exitiosam, non sine immensa Christiani nominis ignominia, & inexplicabili Christiani imperij detrimento atque dedecore in Hispania diutius morari, vel hærere posse; tametsi domi pacata non ita essent omnia, vt vera pace fruerentur: nihilominus tamen quia sua interesse in primis existimabant, vt pro veteri maiorum suorum instituto, Reip. suæ gloriam proferrent, & laudem accumularent, amplius expeditionem in barbaros differendam esse, nulla ratione existimarunt. Igitur anno supra millesimum centesimum quadragesimo sexto, instructa domi duarum & viginti triremium classe, in Hispanias, vbi tunc Saraceni sibi imperium condiderant, profecti sunt, quamuis multorum literis admonerentur, vt ab instituto discederent, néue ea tempestate aliquid aduersus eos molirentur, præsertim cùm omnibus palàm esset, barbaricam classem ita esse instructam & præparatam, vt multis parasangis numero & viribus Ligusticam superaret. Accedebat huc, quòd Maimonus Almeriæ regulus, qui tantum opibus, & nominis celebritate tunc temporis pollebat, vt facilè inter præcipuos suæ gentis Principes annumeraretur, propriis suis fortunis subnixus, quò magis inclarescceret, contracta validissimorum quorumque manu, priuatis sumptibus, classem seorsum etiam instruxerat, qui tanta fortunæ prosperitate, sic fatis nostris, vel potius Deo permittente, vsus fuerat, vt crebris & præclaris de rebus Christianis reportatis triumphis, nobis formidabilis, suis verò admirationi esset. Hic, etsi classe, & omnibus ad bellum necessarium sustinendum esset instructus, tamen de Ligusticæ classis expeditione certior factus, nescio quo casu factum sit, vt exarmata sua classe, de bello sustinendo cogitationes abiecerit. Quocirca Ligures vlterius progressi, superatis omnibus difficultatibus, ac emensis totius Hispanici littoris regionibus, & nullarum occasionum segnes, aliquot diebus in Balearibus insulis stationem habuerunt, ita vt post aliquot dierum decursum, cùm iam temporis ratio omnem proferendi nominis, vel reportandæ de Saracenis victoriæ spem adimeret, incursionibus aliquot tantummodò in hostem factis, domum reuersi sint. Ceterùm, cùm nostri Principes mutuò inter se, vti diximus, digladiarentur, Saraceni, animaduersa nostrorum dissensione, neminemque obstare, cuius viribus atque potentia ab vlterius proferendo imperio impedirentur, huiusmodi opportunitatem oblatam nullo modo negligendam rati, & Hispaniis nullo pacto exsatiati, crebris factis excursionibus, non solùm totũ Oceanum Hispanicum mirè diuexarunt, sed etiam pleraque maris Mediterranei oppida, portus, & loca, haud sine magna Christiani populi strage, atque fortunarum omnium amissione, quàm miserrimè inquietarunt, & diripuerunt, adeò me hercule,

Saraceni Hispaniam inuadunt.

1146.

Genuensium classis aduersus Saracenos.

Saracenorũ excursiones.

culè, vt Ligures, cùm ſua ſponte, tum auctoritate & conſilio Eugenij Pontificis, qui iamdudum impendentem Chriſtianæ Reipub. tempeſtatem præuiderat, inflexi, Balearium inſularum minorem adoriri ſtatuerint, quò meliùs atque commodiùs peſtifera Saracenorum potentia ab Hiſpaniis aliiſque Chriſtiani nominis regionibus excinderetur. Exornata itaque ſex onerariarum nauium, & duarum ac viginti triremium claſſe, eaque omnibus bellicis apparatibus tam ad inferendum, quàm ſuſtinendum bellum neceſſariis inſtructa, ductu & auſpiciis præclariſſimorum virorum Vberti Turrij, & Hugonis Caffari viri conſularis, poſt vota publica pro re feliciter gerenda magna cum religione nuncupata, educta claſſe, in barbaros nauigationem ſuſceperunt, & citra aliquam intermiſſionem, vel moram vllam, ventorum beneficio in eam inſulam delati, in portu vulgò Fornello dicto, ſtationem habuerunt. Graui ibi vtriuſque Præfecti conſilio, aliorumq. Ducum iudicio decretum fuit, vt equites in continentem expoſiti, totius inſulæ tractum incurſionibus infeſtarent, & ſi ita vſus ferret, cum hoſte velitarentur: quandoquidem ad bene gerendæ rei opportunitatem non parum iuuare intelligebant, ſi vno eodemque tempore, exploratis hoſtium tum animis, tum viribus, etiam de inſulæ ſitu, & indigenarum voluntate cognoſcerent, ac edocerentur. Emiſſis igitur equitibus, & ad ſuos, qui caſtra iuxta littus ad hoſti formidinem incutiendum poſuerant, cum opima præda & amplis ſpoliis reuerſis, redentè trecenti Arabes equites, non parua peditum manu conſtipati, ſumma cum celeritate noſtros inſecuti ſunt, adeò vt parum abfuerit, quin mox in itinere eos aſſecutos, ad prœlij neceſſitatem impellerent. Sed poſtquam in caſtra noſtros reuertiſſe viderunt, magna cum temeritate in ipſis caſtris oppugnare veriti non ſunt, eo tamen ſucceſſu, vt noſtri non modò illorum impetum fortiter ſuſtinerent, ſed tanta violentia reprimerent, vt omnes ad vnum in fugam coniecti, palantibus ſimiles, nullis obſeruatis ordinibus, hinc inde, multis eorum contrucidatis, circumcurſitarent. Quo fortunæ beneficio Ligures alacriores facti, depopulata tota ipſa inſula, & primaria eius vrbe Polentia potiti, tantis prædiis & manubiis ditati ſunt, vt ex huius expeditionis primo ſucceſſu facilè ſibi de ceteris bene ominarentur, & bene ſperarent. Quare, haud ita multò pòſt, auctoritate ipſius Pontificis, & Alfonſi ſeptimi Hiſpaniarum regis, ac etiam Barcinonæ reguli, qui indies multis damnis pariter & iniuriis à conterminis & circumuicinis Saracenis afficiebantur, literis ſubinde ſolicitati, & quotidianis precibus ad hoc bellum magis magiſque incenſi, adaucta claſſe, nouam aduerſus barbaros expeditionem inſtituêre: quoniam cùm ſerias cogitationes hæc Reſpub. de communi Chriſtiana religione & dignitate ſolicita, ad excindendum & abolendum Saracenicum nomen afferret, longè maiori quàm antea apparatu claſſem comparauit. In ea enim ſexaginta tres triremes, & centum ac ſexaginta nauigia omnibus nauticis inſtrumentis, commeatu, aliiſque tormentis & machinis, expugnandis vrbibus neceſſariis, inſtructa fuiſſe dicuntur; tantuſque præterea delectorum militum numerus, vt nullam claſſem validiorem, aut inſtructiorem ad eum diem è Liguſtico ſinu ſoluiſſe conſtet. Huic autem præfecti ſunt Anſaldus Auria, Vbertus Turrius, Philippus Longus, ex Longorum familia, quæ nunc in Iuſtinianam familiam tranſiit, Anſaldus Pizo, Balduinus, & Ingo; quorum duorum poſtremorum familiæ nomen ex annalibus eruere nequiui. Hi ergo, rebus omnibus ex animi ſententia diſpoſitis & comparatis, è Liguria ſoluentes, proſpero ventorum flatu ad Gattæ, vt vocant, promontorium, non procul Almeria, maritima regni Granati vrbe, peruenerunt: ibique pauliſper, Alfonſum, & Barcinonæ

Genuenſium claſſis pro expugnatione minoris Balearis, quam vulgò Minoricam appellant.

Baleatis minor à Genuenſ. expugnata.

Validiſſima Genuenſ. claſſis pro expugnatione Almeriæ.

cinonæ regulum præstolati, substiterunt, qui se eôdem cum suis copiis venturos receperant. Alfonsus verò, prout postea cognitum est, hanc expeditionem à Genuensibus ea æstate minimè susceptum iri arbitratus, paucis pòst diebus suũ militem exautorarat. Sed classis præfecti Balduinum cum quindecim expeditis triremibus præmiserunt, qui oram maritimam eius insulæ perlustraret; cui graviter ac seuerè iniunctum fuit, ne militem vllo pacto in terram exponeret, prorsúsque ab omni certamine abstineret. Hostes verò, cùm ex minimè obscuris indiciis atque argumentis hos tam validos apparatus ex omnibus Hispaniis finitimis excitos, in se conuersum iri animaduertissent, quàm maximas copias in Almeria contra Christianorum vim & potentiam coëgerant, omnemque spem in terrestri pugna collocantes, sua nauigia, potissimùm sibi ad hoc delecta fede, ne quid ab hoste incommodi ac detrimenti acciperent, in tutos recessus eduxêre: moxque cum equitatu iuxta oram littoralem egressi sunt, eo quidem consilio, vt Balduinum cum suis aduentantem, ad manũ conserendam prouocarent. Verùm ipse, cùm ne latum quidem vnguem à mandatis iniunctis discedendum sibi esse statueret, nullis vnquam rationibus vel hostium artibus adduci potuit, vt ab instituto recederet. Sed magna cum prudentia aduersariorum consilia & progressus obseruãs atque explorans, mora hostem ludificandum esse iudicauit, donec Barcinonius regulus cum magno nauigiorum copiarumque numero sese Ligusticæ classi coniungeret. Quarum certè copiarum accessione Ligures confirmati, & parum spei vel præsidij in Alfonsi auxiliis reponentes, vrbis oppugnationem diutius differendam, ex re Christiana non esse censuerunt, maturaque super hac re deliberatione habita, plerisq. veteranis Ducibus aliisque militaris scientiæ peritis, expedire visum fuit, vt antequam vrbs obsidione premeretur, præsidiarij milites eius defensioni destinati, aliquo stratagemate, vel nouo militari artificio extra vrbis munimenta euocarentur. Sic enim sperabant fore, vt è vestigio facta cõgrediendi cũ hoste facultate, vrbs ipsa defensore debilitata, faciliùs in nostram potestatẽ deueniret. Nostri enim quãuis equitatu vincebantur, pedestribus tamẽ copiis, quæ cum maximo delectu conscriptæ fuerant, quàm plurimum fidebant. Proinde vlterius cũ sua classe progressi, Barcinonensi iniunctum fuit, vt statim cũ suo pedite, & aliquo equitũ numero ibi intra aggeres modici fluminis, ex vicinis montibus in proximum mare influentis, delitesceret, & Balduino quidem, vt cum quindecim triremibus iuxta incurui littoris fauces, quas miro gyro amnis efficiebat, à tergo remaneret: eaque ratione sperabant, hostem, nostrorum paucitate illectum, faciliùs eruptionem facturum. Balduinus itaque summo studio rerum satagens, cum suis copiis strenuè ac diligenter hostem obseruabat, qui cùm nostrorum paucitatem valdè suspectam haberet, insidias veritus, egredi temerè non audebat, donec præmissis exploratoribus, qui penitiùs de nostrorum viribus atque potentia cognoscerent: quorum tandem verbis & relatu confisus, nihilque doli subesse suspicatus, protinus confusè, & militaribus ordinibus neglectis, cum magna multitudine egressi, summo impetu in Balduini castra irruerunt. Qui, vt erat præmonitus, se cum suis sensim mare versus subducens, hostium impressionem citra aliquam magnam suorum iacturam sustinuit; quãdoquidem traditur, illum vltra octo ex suis non desiderasse. Ansaldus interim Auria, ne ad opem suis ferendam esset remotior, cum quinque ac viginti triremibus non ita procul ab hostium conspectu constiterat: atque, quò diligentiùs tempus opportunum obseruare posset, ex puppi suæ triremis, quæ littori vicinior erat, ceu ex alta specula, totius prœlij euentum expectabat, & se ad suppetias suis ferendum

Insigne Genuens. stratagema.

rendum cum ſociis parauerat; ita vt cùm animaduerteret, noſtros mirum in modum premi, & non mediocriter laborare, confeſtim ſublato ſigno, Barcinonenſibus militibus, quos in inſidiis diſpoſitos fuiſſe oſtendimus, ſignificauit, vt noſtris, citra aliquam moram, præſtò & auxilio eſſent: qui profectò magna celeritate vſi, vnà cum reliquis, qui nondum in continentem expoſiti erant, vno eodemque tempore ſeſe intrepidiſſimis animis coniunxerunt; & in vnum conglomerati, ita fortiter hoſtilem impetum ſuſtinuêre, vt reliquis Auriæ collegis & ſociis temporis ſpatium concederetur, vt cum ſuis copiis in terram deſcendere, nouamque pugnam inſtaurare poſſent, eo quidem ſucceſſu, vt, cùm hoſtes ſe amplius contra Ligurum ſagittarios & ſcorpiones tueri nequirent, terga verterint, & celeri fuga ſalutem ſibi quærere coacti fuerint. In hoc prælio ſupra quinque millia barbarorum cecidiſſe, vltra eos qui inter fugiendum in Oceano ſubmerſi ſunt, multi ſcriptores aſſeuerant. Præclara certè victoria, & ſempiterna cum laude Liguſtici nominis celebranda; cuius proſpero prælij ſucceſſu noſtri animati, & ſibi lætiſſima quæque pollicentes, vrbem ipſam adoriri, & hoſtem funditus, iis quidem in locis, excindere ſtatuerant; ſed obſtitit præclaris auſis fortuna: Obortis quippe ventis, tanta cum violentia per aliquot dies aſſiduos flarunt, vt ſtationem mutare omninò coacti ſint: parumque abfuerit, quin propter aduerſam tempeſtatē claſſis noſtra planè obrueretur; adeò in graue periculum ac diſcrimen incidit. Proinde commutata ſtatione, ne de improuiſo ab hoſte, proximam cladem omnibus conatibus vindicare & vlciſci connitente, opprimerentur, machinas murales, aliaque defenſioni neceſſaria ſummo ſtudio atque induſtria comparabant, ſic vt harum præſidio hoſtium inſultus & crebras excurſiones fortiter reprimerent, ſimulque equitem illorum noſtras machinas militares exurere annitentem, magna cum alacritate ſubmouerent atque repellerent. Superius diximus, Alfonſum Aragonium in huius expeditionis ſocietatem iure fœderis deueniſſe, qua etiam de cauſa opem ac ſubſidium pollicitus erat, & cōferre omninò debebat: quod tamen, certis rationibus impeditus, tempeſtiuè ſuppeditare nequiuit. In hoc igitur rerum ibi geſtarū ſucceſſu, licet ipſe ſeriùs omninò quàm requireretur, auxiliares ſuas copias adduceret, Genuenſibus nihilominùs mirum in modum carum fuit, tam opportuno tempore nouis præſidiis firmari, & recenti milite adaugeri. Adduxerat quippè ipſe ſecum ad quadringentos equites, ac mille pedites, qui, poſteaquàm rationem moræ ſuæ Præfectis reddidiſſet, etiam oſtendit, ſe condicione temporis præpeditum fuiſſe, quo minùs tantum auxilij, quantum omninò ſtatuerat, ſecum adduceret. Noſtri, Aragonij acceſſione aucti, magnum pauorem & metum Arabibus iniecerunt; quòd exiſtimarent, noua ſubſidia longè maioris momenti eſſe, quàm reuera exiſterent. Quare cùm viribus iam diffidere inciperent, ſuis fraudibus atque dolis omnia tentanda eſſe ſtatuebant. Huic quippe genti valdè familiare eſt, vt pro veteri maiorum ſuorum inſtituto, non tam æquo Marte, quàm technis & dolis cum hoſte contendant & belligerent. Cùm itaque in Aragonij comitatu plures eſſe ſcirent, qui linguæ Arabicæ gnari, Punicam etiam perfidiam perbellè callerent; per hos, multis antea præmiis inuitatos, & deinde amplis largitionibus corruptos, procurare annitebantur, vt regius animus per illos, ceu commodos adminiſtros, ab inſtituto bello retraheretur; ſperantes futurum, vt Aragonio ab ea expeditione alienato, facilè Barcinonenſis eius exemplum ſequeretur, & ſic Ligures ſociis deſtitutos, nequaquam amplius contra ſe aliquid tētaturos, præſertim cùm iam adulta æſtate, ſæuitia hiemis, naualibus expeditionibus prorſus incommoda & aduerſa, inſtaret.

Inſignis Chriſtianorū aduerſus Mauritanos victoria.

Alfonſi Aragonij auxiliares copiæ.

Mauritanorum ingenia.

staret. Verùm Arabes de regio animo atque fide iniquè statuentes, fefellit opinio & euentus. Nam rex ipse adeò sese constantem amicis & sociis præbuit, vt nullis rationibus commoueri, neque vlla largitione, licet ampla, ab instituto abduci vnquam potuerit. Nihilominus tamen cùm Genuenses, regis ac sociorum animos in haud mediocrem suspicionem tacitè hac de causa deuocarent, huic expeditioni summam, quod aiunt, manum, summa cum celeritate imponendam esse censuerunt. Et ne hostis ex temporis mora aliquam bene gerendæ rei opportunitatem nanciscerétur, præcisis ansis omnibus, machinas, aliaque tormenta bellica mœnibus admoueri actutûm iusserunt, & tam violentis & crebris ictibus vrbis munimenta defatigarunt, vt duas turres cum magna murorum parte prosternerent. & cùm sibi vrbis inuadendæ facultatem factam esse conspicerent, Aragonium regem, & Barcinonensem multis precibus rogarunt, vt bene gerendæ rei tam necessario quidem tempore neutiquam deesse vellent. Habebant ipsi Genuenses ad duodecim ferè lectissimorum virorum millia, inter quos non paruus peritissimorum sagittariorum numerus erat. Sociorum verò auxilia superiùs descripsimus, quæ, etsi non essent omninò contemnenda, victoriæ tamen spes in solis Genuensibus iurè ab omnibus reponebatur. Proinde Ansaldus Auria cùm suis plurimum fideret, antequam vrbis oppugnationem adoriretur, quò eos magis ad alacritatem & laudem consequendam inflammaret, concionem in hunc ferè modum habuit. SI VESTRA me virtus, atque iustæ laudis assequendæ cupiditas, strenui commilitones, latêret, vos equidem meo collegarumque nomine prolixioribus verbis hortarer, vt hac tempestate vobis ob oculos poneretis, quanta vos gloria maneat, si contra immanissimum & longè omnium truculentissimum hostem, nominique Christiano infensissimum, & nostris opimis spoliis ac manubiis exultantem, feliciter & alacriter dextras & arma expediueritis. Nunc, cùm vestram fidem, rerum agẽdarum peritiam, ac fortissimum robur, animique constantiam non semel cum magno nostro, ac totius Reipub. Christianæ beneficio expertus sim, non est me herculè, quòd vos longa & artificiosa oratione ad rem fortiter & strenuè agendam commoueam & inflammem. Quis enim est tam stupidus, & tam parum in re militari versatus, quin facilè intelligat, quantum interst, cum veteranis & emeritis militibus, & cum tyronibus & nouitiis agere? Hi enim, quia neque vsum, neque rerum experientiam habent, licet fortes suapte natura sint, crebris tamen admonitionibus sæpiùs indigent, & non parum ad alacritatem oratione inflammandi. Sed vobis, qui tantummodò laude & gloria commouemini, nõ tam verbis & exemplis, quam rei bene gerendæ occasione opus est. Igitur si ad vestra magna merita, adeoque ad recentem, quam retulimus, vestro beneficio de hoc hoste victoriam, etiam hoc tempore opulentissima hac vrbe, partim interfectis, partim in miseram seruitutem abductis hostibus, potiti fuerimus, næ non intelligo, quæ virtus cum vestro hoc præclaro facto iurè æquiparari atque conferri possit. Nam, vt nihil grauius hac tempestate breuitatis causa dicam, néue retroacti temporis incommoditates ingrata commemoratione ob oculos ponam vestros: quis est, rogo, vestrûm, qui ignoret, hanc feram, barbaram, truculentam, & plusquàm beluinam gentem, ita rerum successu esse elatam, & nostris spoliis ditatam, vt hoc vnum in primis agat, idque assiduè cogitet & meditetur, vt nos, ciuilibus domi contentionibus implicitos, subinde per occasionem adoriantur, & victricibus armis sui iuris faciant? Cùm ergo hæc ita se habeant, & nunc, Deorum omnium beneficio, temporis occasio nobis offeratur, vt non solùm præteritas acceptasq. iniurias & clades probè vlcisci; verùm etiam gloriæ immortalitatem, strenuè ac

Alfonsi regis constantia.

Almeria obsidio.

Genuensis militaris copia.

Ansaldi Auriæ oratio.

fortiter

fortiter prœliando, acquirere & cõparare poſſimus, rogo, atq. vos omnes nomine Reip. Chriſtianæ, per omnia religionis noſtræ iura obteſtor, vt hæc dies apud omnẽ venturam poſteritatẽ teſtetur, quanta cum religione, & fidei noſtræ Catholicæ propagandæ ſtudio hanc expeditionẽ mecum ſuſceperitis. Quandoquidem cùm nihil à vobis fieri, nec cogitari quidem aliquid præclarius poſſit, quàm bene de Chriſtiano nomine ex tanta occaſione mereri, piaculum fuerit, ſi tãtam occaſionem diuinitus nobis oblatam, elabi nobis ſiuerimus. Non cõmemoro hîc vobis immẽſas opes, pretioſiſſimã ſupellectilem, ac cetera quæ iure belli, ſi victores fuerimus, in noſtram poteſtatẽ deuenient; cùm ſatis conſtet, & planè in confeſſo ſit, hanc vnam vrbem inſtar omnium Hiſpaniarũ eſſe, in quam ſcilicet omniũ rerum pretioſarũ aceruus reconditus ſit, & aſſeruetur. Agite igitur, & vos ipſos tales oſtendite, quales ſemper extitiſtis, & pro quibus hactenus ſemper vos cum ſummo exiſtimationis veſtræ merito apud omnes gentes geſſiſtis. Hinc vobis, & Reipub. noſtræ, adeoque vniuerſo Chriſtiano orbi ſuprema gloria cum ſumma vtilitate coniuncta parabitur. Interim me vobis, vt expeditionis, ſic omnium laborum & periculorum ſocium indiuiduum offero, & experiemini. Hac Auriæ oratione militum animi tantoperè ad pugnam ſunt accenſi, vt nihil, præterquàm prœlij ſigno expectato, vrbem maximo impetu inuaſerint, & ſummo animi ardore viriliter pugnauerint, magnaque ſtrage edita, incredibilem impreſſionem fecerint. Defenſores verò, tametſi non parùm ad noſtrorum impetum & irruptionem conſternarentur; tamen cùm intelligerent, ſe pro aris, pro focis, & libertate, ac denique pro iis omnibus quæ inter cara & præcipua apud homines habentur, dimicare & prœliari, reſumptis animis, omnia ſtrenuè ac intrepidè, quæ ad ſui vrbiſque defenſionem pertinebant, aggreſſi ſunt, ita vt & noſtros magna clade afficerent, & rarò inulti caderent. Siquidem noſtri miram oppidanorum virtutem, atque alacritatem admirati, non parum de priſtino ardore remittebãt, & languidiores facti, non pauci contrucidabantur: verendumq. omninò erat, ne res prorſus infeliciter ceſſiſſet, niſi à Coſs. aliiſque copiarum Ducibus acerrimis verbis confirmati, & planè in officio retenti, nouis auxiliis adiuti fuiſſent. Mira namque prudentia atque Ducum induſtria ordines ſub ſignis & legitimis progreſſibus retinebantur, adeò vt ſi aliqui caderent, quamprimùm eorum loco noui ſuccederent. quo ſanè factum eſt, vt huius vrbis expugnationis ſucceſſus maiori ex parte ipſis Conſulibus & copiarũ ductoribus accepta referri debeat; quorum quidem in militari diſciplina retinenda ſeueritas tanta fuit, & tanto cum rigore, eo præſertim die, exercita, vt quamuis milites fortiter atque animosè in hoſtem pugnarent; nihilominùs ſi ordinum neglectio aliqua fuiſſet, facilè inferiores extitiſſent, præſertim cùm nullæ vires, niſi certo ordine & diſciplina nitantur, tantum valeant, quin facilè aliqua prudentia ſuperari & extenuari poſſint. Expugnata eſt tandem Almeria XVI. Cal. Nouemb. anno eiuſdem ſæculi 47. in cuius expugnatione ad viginti Saracenorum millia cecidiſſe fama eſt. Captiuorum verò omnis ætatis & ſexus, ſupra triginta millia in ſeruitutem abacta referuntur, præter illos qui ſtatim ſub initio obſidionis ſeſe metu in arcem recepe-rant; qui expugnata vrbe, tranſactione cum noſtris facta, libertatem triginta millibus aureorum redemerunt, ſic vt præda in vniuerſum centum viginti millibus aureorum æſtimaretur, quæ inter milites Genuenſes rata portione diſtributa fuit. Cùm verò hæc victoria præcipuè Ligurum armis & virtute parta eſſet, Reipub. Genuenſis nomine Othobonum, cognomẽto Bonuilanum, cum valido præſidio ad eius, illiuſque tractus defenſionem relinquere, omnibus expedire viſum fuit, quò ſcilicet, hoſtium motus, & noui conatus commodius, maioriſque cùm

Peroratio.

Conſulum ac Ducum Genuenſ. ſingularis virtus.

Almeriæ expugnatio.

Cæſorum & captiuorum numerus.

cum noſtrûm ſecuritate deinceps reprimerentur. His rebus conſtitutis, Conſules cum reliqua claſſe Barcinonem ſe receperunt; quò appulſi, cùm ex dignitate Reipub. eſſe exiſtimarent, vt de rerum geſtarum ſucceſſu quamprimùm Senatus certior redderetur, Anſelmum Auriam, & Vbertum Turrium, cum duabus triremibus Genuam ablegarunt, qui tantæ victoriæ oculati teſtes, de totius expeditionis ſumma, & victoriæ ſubſecutæ ſtatu pleniùs & copioſiùs referrent. Ceterùm, quia Liguſticæ claſſis Præfecti, tam ab ipſo Pontifice, quàm à Barcinonenſi regulo aſsiduis precibus ſolicitabantur, ne in patriam cum claſſe redire vellent, priuſquàm Tortoſam, ſiue, vt aliis placet, Dertuſiam vrbem citerioris Hiſpaniæ, ad amnem Iberum ſitam, & ab eo littore quindecim millium paſsibus diſtantem, Maurorum poteſtati eriperent, & à tetro barbarorum iugo ac ſeruitute ereptam, in priſtinam libertatem reponerent; Conſules, cum graui iudicio perpenderent, hanc prouinciam cum honeſto coniunctam eſſe, & non parùm ad Reipub. ſuæ dignitatem & maieſtatem pertinere, facilè hoc iuſtis vtriuſque poſtulatis conceſsêre, vt, refecta & inſtaurata claſſe, hunc laborem Reipub. Chriſtianæ iuuandæ & propagãdæ gratia propenſiſsimis animis ſubirent. Quocirca ſub 1131.
initium proximi veris, rebus omnibus ad bellum neceſſariis ſumma cura & ſtudio præparatis, nouoque militum ſupplemẽto Genua tranſmiſſo, quarto Cal. Iulij, poſtquam pro proſperitate & re feliciter gerenda ſacris operati eſſent, & vota nuncupaſſent, rectà Dertuſiã verſus, explicatis velis, curſum nauigationis direxêre, paruoque interiecto tempore illuc ſalui & incolumes peruenerunt. Verùm quia huius vrbis ſitus non ſolùm natura loci, ſed etiam arte atque opere communitus erat, magnam expugnãdæ illius difficultatem noſtris ad primum intuitum oſtendebat. Pars enim in planitiem vnà cum illorum Moſchæa, recenti propugnaculo, quà flumen elabitur, valdè communita porrigebatur. Altera verò in collem, vbi erat arx vulgò Sueta, aſſurgebat, ita vt architecti, alijque locorum & munitionum peritiores, præfectis Genuenſibus auctores forent, vt Ligurum militum dimidia pars in planitie, in quam vrbs ipſa excurrebat, locum ſibi caſtris deligerẽt: quorum conſilio obtemperatum fuit, atque aliquot Barcinonenſis copiæ cum paucis Britãnicis equitibus, quos Templarios vocabant, coniunctæ. Alterã verò vrbis partem, Gulielmus Montiſpeſſulani regulus cum reliqua manu militari obſedit. Graui pœna per omnia caſtra de more, à Coſs. edictum erat, ne quis extra ordinem & iniuſſus pugnaret, néue in hoſtem, niſi ſublato ſigno, inuaderet: ſed tanta fuit Ligurum pugnandi cupiditas & ardor, vt Imperatorum iuſſa negligentes, in Moſchæam, valdè, vti diximus, munitã, impetum facerent: quæ cùm diu acriter & magna cum barbarorum alacritate defenderetur, eo euentu dimicatum eſt, vt multi vtrimque caderent. At Conſules vehementer commoti & indignati, cum iurgiis & commonefactionibus parùm proficerent, nec eos ab inſtituto auocare poſſent, iuſsêre, vt arietes concutiendis mœnibus præparati, quamprimùm Moſchææ munimentis ceteriſque vrbis partibus admouerentur. Quorum miniſterio tam feliciter vſi ſunt, vt infra breue temporis ſpatium aliquot turres, & non exiguam murorum partem proſternerent, ac tam latam ruinam facerent, vt, quamuis defenſores ſeſe quàm acerrimè tuerentur, & propugnationi incumberent; ſibi tamen aditum in oppidum facerent. Obſeſſi noſtrorum multitudine ac frequentia deterriti, cùm ægrè illorum vim & impetum ſuſtinere poſſent, in arcem, in qua ſibi plurimum præſidij ac ſpei repoſuerant, profugerũt, eamque omnibus viribus contra noſtrorum potentiam & conatus omninò defendere ac tueri conſtituerant. Erat quippè, vti meminimus, arx ipſa natura & arte munitiſſima, & propter valli foſſarumque, quibus cingebatur, pro-

Dertuſia obſidio.

Dertuſia expugnata, atq; obſidetur.

funditatem & altitudinem, ægrè & admodum difficulter machinę bellicæ admoueri poterant, ita vt, nisi adimpletis & complanatis ipsis fossis, oppugnari nullo modo posset. Hac difficultate Præfecti animaduersa, euestigio iussêre, vt iectis sarmentis, aliisq. vepribus & humo vallum impleretur: quod magna cum omnium alacritate perfectum est, cùm nemo ferè esset in tãta militum frequentia, qui vllum laborem, quamuis alioquin arduum & periculosum, recusaret, vel detrectaret. In huius etiam expugnationis vsum arx lignea eximiæ molis & magnitudinis fabricata fuit, trecentorum militum capax, quæ rotis versatilibus architectonica proportione volubilis ita promouebatur, vt citra magnam militum molestiam commodè vlteriùs propelli posset. cuius quidem machinæ beneficio haud mediocribus incõmodis barbari affecti fuerũt. Sed cùm huius machinæ latus hostes immensis lapidibus, quos densissimæ grãdinis instar, creberrimos è pinnis prouoluebant, dilacerassent, statim retibus ex rudentibus, aliisq. magnis funibus contextis, & in hunc vsum præparatis, concussam & labefactatã partem summa cũ celeritate instaurarunt, & resarciuerunt, ne iterum facilè lædi posset, ita vt in oppugnatione arcis pertinaciùs nostri inhęrẽtes, defensoribus maxima & grauissima damna infligerent, omnemq. spem vlterioris defensionis per hanc adimerent. Interea Barcinonenses milites, quòd sibi mẽstrua stipendia militaria exsolui quererẽtur, sub hoc prætextu sese ab hac expeditione subduxêre, ita vt ibi soli ferè Ligures contra tam potentẽ hostem relinquerentur. quo sanè factũ est, vt arcis expugnatio seriùs quàm optaretur, & expediret, succederet. Verùm Cos. Barcinonensium abitione nullo modo commoti, vel consternati, nihil prorsus de solito studio ac virtute remittere, sed superioribus victoriis confisi, pro felici rerum bene gerendarum successu incumbere & inuigilare, ceteraque alia veri ducis & militis munia obire, & perficere, adeò vt Mauri nostrorum diligentiam & indefessos labores conspicati, seq. ita in angustum redactos animaduertentes, vt nullus propugnationi locus amplius relinqueretur, de cõdicionibus dedendæ arcis agere inciperent, & indutias deliberationibus habendis ea lege & conditione datis obsidibus postularent, vt nisi infra quadraginta dierum spatium nouo suorũ auxilio subleuarentur, citra vlteriorẽ moram se arcem, & eam vrbis partẽ quam ipsi in potestate adhuc retinebant, tradere pollicerẽtur. Facilè Ligures hostis indutias hac, qua diximus, lege & condicione admiserunt: sed cùm post elapsum & statum indutiarum terminum nulla auxilia defensoribus præberẽtur, tandem arx tertio Cal. Ian., prout pactum & mutua stipulatione inter eos transactum erat, in potestatem Genuensium recepta, scilicet, vt hostes, saluis præsentibus fortunis, & incolumi vita, arce excederent, & ad suos redire integrum esset. Quibus constitutis, Ligures victores, defixis vexillis, nouo præsidio arcem firmarũt. Reperio, huius vrbis & arcis obsidionem sesquiannũ ferè durasse, adeoq. fuisse obsessoribus grauem, vt post multos exantlatos labores, & deuoratas molestias, nemo in tãto exercitu fuerit, qui constanter nõ affirmaret, se nunquã maiori cum periculo & grauiori vitæ tædio militasse. Sunt qui tradãt, recepta vrbe, illam in tres portiones fuisse diuisam; quarum quidem duæ Barcinonensi regulo hereditario quodam iure attributæ: tertia verò Genuensibus tum iure belli, tum etiam propter nauatã insignem & præclaram operam, & tam magnos toleratos sumptus, cessit. Quę postea cum beneplacito Senatus ipsi regulo, suimmoperè id petenti & instãti, diuẽdita fuit. Ceterùm Ligures rebus feliciter in Hispaniis gestis, & hac recenti pręclara victoria magis atq. magis nobilitati, cũ ingenti sua laude & immortali gloria, nec non opimis & amplissimis spolijs, prædis atq. manubiis in patriã, biennio, vel circiter, cõtinuæ expeditioni & militiæ insumpto, reuersi sunt.

Genuenſ. in media expeditione à Barcinonenſ. deſeruntur.

Arx Dertuſiæ deditione expugnata.

Genuenſium poſt præclaras victorias in patriam reditus.

DE

DE BELLO PISANO,

LIBER I.



ENARRATIS ijs expeditionibus & bellis quæ populus Genuensis pro Reipub. Christianæ conseruatione & propagatione cum fortiter & indefessis animis, tum etiam prosperè ac feliciter, cum magna sui gloria, & immortali laude contra barbaros & capitales nostræ fidei hostes in Syria, & Saracenos in Hispaniis, & plerisque aliis finitimis locis susceperit ac gessit, nunc reliquum est, vt ea bella commemorem quæ huic populo cum Pisanis, vt vicinis & conterminis, summisque opibus subnixis, ac rerum gestarum gloria florentibus, sic perpetua æmulatione mutuoque odio inuicem flagrantibus, per varia temporum interualla intercesserè. Verùm, priusquam hæc bella exordiar, operæ pretium mihi facturus videor, si rebus paulò altiùs repetitis, mutui odij, ac planè subsecuti belli causas & prætextus sub oculos posuero. Carolus, à rerum maximarum prosperè gestarum magnitudine & continua felicitate cognomentum Magni adeptus, postquam anno Christianæ salutis septingentesimo septuagesimo quarto, Desiderium Longobardorum regem vltimum, qui cum pernicie atque magno imperij Romani dedecore in Italia, aliisque Europæ locis per ducentos & sex ferè annos regnarant, bello atque armis deuicisset, inter cetera præclara eius facta & instituta, vrbem Genuam ab his gentibus euersam, & per multos annos tetra solitudine propter subsecutam barbaricam vastitatem quodammodò damnatam, cùm nõ ignoraret multum Italiæ interesse, si hæc ciuitas in pristinam dignitatem reponeretur, denuò instaurari iussit. Cùm verò, multis aliis rebus implicitus, Pipinum maiorem natu filium regni sibi socium destinasset, eumque regem in Italia reliquisset, hanc vrbem Pipinus Comitum gubernationi subiecit, qui fermè ad annos centum ibi cum summo imperio ac potestate præfuerunt; quorum quidem primus dictus est Audomarus, ipsi Principi consanguinitate coniunctus, qui anno sexto & octingentesimo eiusdem sæculi Pipini iussu, atque ope Genuensium præpotenti classe instructa, in Sardiniam, à Saracenis, Hispanias incolentibus, occupatam, secunda ventorum nauigatione peruenit; indigenasque rebellantes & ad noua studia spectantes, statim repressit, & prœlio fusos, ad pristinum officium atque obsequium redire compulit, tametsi ipse in acie, vti diximus, occubuerit. Sardiniam ex hostium manibus ereptam, Pipinus, vt huic Reipub. propter immensa eius erga se merita gratificaretur, Genuensium imperio subiecit. Cetèrùm progressu temporis Saracenica potentia vsque adeò aucta est, vt illorum arma non solùm in Hispaniis & Africa omnibus essent formidolosa, verùm etiam tanta rerum prosperitate & successu vsi sunt, vt, reportatis de nostris assiduis quodammodò triumphis, toti Christiano imperio graues essent, ac magnum terrorem omnibus Principibus & populis indies magis atque magis incuterent, adeò sanè, vt solita sua fortuna confisi, denuò ad subiugandam Sardiniam, à quâ nuper, vti ostendimus, repulsi fuerant, arma expedirent, & citra magnam difficultatem, conniuentibus nostris Principibus, occuparent. Quæ res tantam omnibus circumuicinis populis consternationem attulit, vt Genuenses, hortante atque instigante potissimùm Siluestro secundo Pontifice, communem Reip. Christianæ

Causa & origo belli Pisani.

Carolus M. Genuam à Longobardis euersam, instaurari iussit.

Genua sub Comitum gubernatione.

Pipinus rex Sardiniam Genuens. imperio subijcit.

Sardinia iterum à Saracenis occupata.

interitum commiserati, in Sardiniam aduersus barbaros arma protulerint. Comparata enim Senatus consulto instructissima classe, & prospera nauigatione vsi, in eam insulam traiecerunt, vbi fortiter cum hoste cōgressi, tanto robore ac prosperitate vsi sunt, vt truculentum hostem, fortunæ suæ indulgentia exultantem, & ferocientem, fuderint, & ad internecionem quodammodò deleuerint, ita vt insignem & præclaram victoriam reportauerint. Quo quidem tempore, Pisani etiam pari æmulationis gloriæque studio, cohortante etiam Pontifice, Sardiniam ad delendum & extinguendum Saracenicum nomē, magnis instructis copiis, sed tristi euentu, inuasêre. Tanta siquidem fuit barbarorum, Musacto rege duce, robur atque alacritas, vt Pisanos iniquo loco & Marte pugnantes, fortiter, & cum multo damno repellerent, sic, vt re infecta, multisque illorum desideratis, illinc recedere sint coacti. Verùm ipsi tantæ acceptæ cladis memores, ad inflictam iniuriam & calamitatem probè vlciscendum, & sarciendum, postero anno Rhegium ad Pharum Siculum oppidum, in Calabria positum, & Saracenico iugo oppressum, arctissima obsidione cinxêre. Sed Musactus, tumens ambitione, ac de recenti reportata victoria ferociens, suos tam necessario tempore non derelinquendos esse statuens, ex Sardinia cum instructa classe soluens, quò Pisanam classem ab instituto domum retraheret, Pisas adnauigauit; ad cuius conspectum valdè perturbata, & deterrita ciuitas, cùm nihil spei in armis suis foris occupatis, vel aliquid præsidij insanis consilijs, vt in tanta rerum omnium perturbatione fieri consueuit, haberent, desperatis quodammodò rebus, derelicta ciuitate, ad propinquos colles aliaque deserta & imperuia loca, salutis suæ anxij atque soliciti, profugerunt. Barbarus hostis hanc occasionem nactus, vrbem ipsam hostiliter diripit, ac direptam incendit. Ad cuius quidem tantæ cladis acceptæ nuncium Pisani vltramodum consternati, ac iniuriarum impatientes, relicta Rhegina oppugnatione, nihil habuêre antiquius, quàm euersæ patriæ atque nouis calamitatibus oppressæ, suis ciuibus viriliter sucurrere, ita certè, vt depositis omnibus externis bellis, Pisas euestigiò reuersi sint, & dirutam vrbem, ac tetra vastitate horribilem, summa cum diligentia reparauerint, & in pristinam formam, quoad fieri licuit, restituerint. Et ne in posterum pari iniuria vel calamitate per absentiam ab aliquo affici possent, ingenti cura & studio prospectum. Ceterùm, quamuis Pisani domestica clade & recenti patriæ infortunio supramodum essent attenuati, & ferè ad summam rerum omnium inopiam atque angustiam deuenissent, & quiete ac pace sibi in primis opus esset, nihilominus tamen cùm Pontifex eos assiduis precibus ad bellum in communes Christianæ fidei hostes suscipiendum solicitaret, eaque de causa recèns Ostiensem Præsulem Legatum Pisas misisset, vt ea Respub., huius auctoritate commota, faciliùs ad eam expeditionem accenderetur; tandem ipsi tam piis cohortationibus & salutaribus consiliis non amplius reluctandum esse arbitrati, rursus arma in Saracenos, anno eiusdem æui XII. verterunt, ac in Sardiniam instructa classe impetum fecêre, eo quidem euentu, vt Deorum beneficio insulam in potestatem redigerēt, & Musactum, suosque summa clade affectos, ad suos magna cum ignominia, nec minori detrimento redire compulerint. Sed quia huius insulæ, vti etiam Corsicæ, subinde mihi mentionem facere pro contextu historiæ necessarium est, non absurdum fortasse fuerit, si vtramque, licet à multis præclaris geographis, & historicis delineatam, & explicitam, quàm breuissimis verbis descripsero. Sardis Hercule procreatus, cum magna multitudine à Libya profectus, Sardiniam occupauit, & ex suo vocabulo insulæ nomē dedit. Hæc in Mediterraneo mari, facie vestigij humani, tam in Orientem, quàm

Genuens. aduersus Saracenos victoria.

Pisani à Saracenis repelluntur.

Pisæ à Musacto Saracenorum rege direptæ atq. incensæ.

Earundem instauratio.

Pisani Sardiniam expugnant.

Sardiniæ descriptio.

quàm occidentem latior prominet fermè paribus lateribus, quæ in Meridiem, & Septentrionem vergunt. Terra patet in longitudine milliaribus 140. in latitudine 40. frumenti ferax, vtcumque populosa, ciuitates non paucas habet; quarum præcipua Calaris, vulgò Cagler, sita in monte iuxta mare, Africam respiciens, magnum & pulcherrimum habens portum, in quo semper varia nauium genera inueniuntur, vltrò citroque in Orientem & Occidentem volitantia, merceſque portantia. Diuiditur in quatuor partes: media, quæ fortissimo septa est muro, propriè vocatur Calaris: ea verò quæ Orientem spectat, Nouum oppidum: quæ verò Meridiem, La Gliapola, seu la Marina: & quæ ad Occidentem vergit, Stampax nominatur. Eiusdem administratio. Residet ferè semper in ea Prorex, vnà cum Baronibus, Comitibus, & multis diuitibus. Habet autem ciuitas ipsa suæ Reipub. administrationem, exque ipsis decuriis quotannis sorte quinque eliguntur Coss. qui soli Reip. præsint, eiusque annuos reditus, qui haud sanè mediocres censentur, consilijs cum ipsis ciuibus communicatis, pro sua prudentia & integritate dispensant. In ea neque lupus, sed solifuga tantùm, animal exiguum, hominibus pernicioſum, inuenitur. Venenum quoque ibi non nascitur, nisi herba per scriptores plurimos & poëtas memorata, apiastro similis, quæ hominibus risum contrahit, & quasi ridentes interimit. Fontes habet calidos, infirmis medelas præbentes, furibus cæcitatem, si, vt ferunt, sacramento dato, oculos aquæ eius tetigerint. Hactenus de Sardinia. Quatenus verò ad Corsicam spectat, hæc quoque maris Mediterranei insula, cui exordium Ligures dedisse dicuntur, eam ex Ducis nomine appellantes. Corsicæ descriptio. Nam mulier quædam Ligur, Corsica nomine, cùm taurum ex grege, quem prope littora regebat, transnatare solitum, atque per interualla, corpore aucto, remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum è ceteris digredientem, vsque ad insulam nauigio prosecuta est; cuius regressu insulæ fertilitatem cognoscentes, ligneis ratibus illuc profecti sunt, eamque nomine mulieris auctoris & ducis appellauerunt. Corsicæ vnde nomen inditum sit. hæc Græcè Cyrne dicitur, à Cyrno Herculis filio inhabitata. Hodiè recentiores in duas partes eã distinguunt: plagam quæ orientem Solem respicit, Latus interius; partem verò huic obuersam, Latus exterius vocant. Pars quæ Italiæ propinquior est, Cismõtana: & quæ Sardiniam versus excurrit, Vltramõtana dicitur. Incolæ tamen, alter alterum Vltramontanũ, seipsum verò Cismõtanum, ad montiũ situs respicientes, appellant. Insula est ab omni parte aditu difficilis, cùm præruptis vndique collibus comprehensa sit. Interius similiter magna ex parte montosa; ideoque frumenti non adeò fertilis est. Vino tamen commendatur, quod illinc Romam exportant, Corsicumque à loco nomen habet. Gignit etiam equos feroces, & canes venaticos spectatæ magnitudinis, & Musinum quoque animal, vt Plin. auctor est, arietis gẽus, quod lanæ loco villum fert caprinum, Mosoli hodie appellatũ; licet hoc animal Strabo Sardiniæ, vt huic proprium, attribuat. Incolas pro strenuis militibus Italia habet. Mel amarum veteres hîc inueniri scribunt. Hæc insula primum à Tyrrhenis occupata fuit, deinde à Carthaginiensibus. His eam eripuerunt Romani, qui eam tenuerunt, donec inde à Saracenis expellerentur. hos ex ea profugarunt Ligures. Tandem capta à Pisanis, Pontificibus cessit. Vltimò ad Genuensium iura rediit; in quorum ditione atque imperio adhuc constanter perseuerat. Et hæc circa vtriusque descriptionem sufficiant. Pisani insula potiti, & per totum ferè triennium pacifica possessione gauisi, graui Senatus iudicio statutum fuit, vt insula ipsa, quò commodiùs & accuratiùs administraretur, & contra omnium iniurias defenderetur, in quatuor Toparchias, ceu in quatuor præcipuas partes, geometrica

proportione dimensas, diuideretur, in Caralitanam scilicet, Arborensem, Turritanam, & Galluritanam; quæ sanè Toparchiæ, non secus ac si singulæ priuatæ prouinciæ fuissent, seorsum suos priuatos iudices & rectores habuêre. Ægrè hoc interim ferebat Musactus, nec effrenis eius ambitio tam turpẽ & ignominiosam perpessam eiectionem concoquere poterat. Erat siquidem suapte natura vltramodum ambitiosus & cõrumax, adeò vt stulta quadam persuasione non solummodò Asiæ, verùm etiam Europæ imperium iurè sibi deberi in animum induceret. Proinde citra aliquam vel temporis vel animi remissionem, assiduè secum volutabat; qua potissimùm ratione sese vlciscereturs, & præteritarum rerum gestarum gloriam nonnihil labefactatam & obscuratam, recenti aliquo facto restitueret ac illustraret. Imploratis igitur à reliquis Saracenorum regulis nouis auxiliis, eximprouiso cum magna & ingenti manu in Sardiniam celeriter contendit, ibique tantam impressionem fecit, vt nostri, segniùs forsitan quàm par erat, illam insulam administrantes & propugnantes, cum haud mediocri Christianorum ignominia & incredibili detrimento hac potentissima insula exciderint. Christiani Principes, in primis verò Pisani, licet non mediocriter ad huius famæ nuncium, & alternantis fortunæ cursum commouerentur, & summoperè, vt æquum erat, dolerent; attamen resumptis animis, atque omnib. periculis, damnis & detrimẽtis viriliter contemptis, hoc vnum ante omnia anxiè & enixè contenderunt, vt Sardiniam ab hostili iugo liberarent, ac gentem, Christianæ fidei infensissimam, hac insula exactam, cum magna sua gloria funditus delerent ac exterminarent. Quapropter Genuensibus in belli societatem vocatis, coniunctis viribus atque consociata classe, tertiũm expeditionem in Sardiniam aduersus barbaros fecêre, tanta cum prosperitate ac fortunæ beneficio, vt deletis, vel saltem maiori ex parte abductis in seruitutem hostibus, Musactum ipsum regem, cuius potissimùm auspiciis hactenus bellum contra nostros motum & gestum fuerat, ceperint; & captiuum Genuam, indeque in Germaniam ad Cæsarem, vt quibusdam placet, transmiserint. Superatis ac repulsis barbaris, & Sardinia communibus vtriusque populi armis recepta, nonnulli non ita obscuri auctores tradunt, de mutua vtriusque populi sententia & consensu Sardiniæ possessionem Pisanis, prædam verò ac hostiles manubias, & alia quæcumque iure belli recepta erant, Genuensibus cessisse. Quorum sanè sententiæ vt non planè assentiar, facit, quòd res postmodũ insecutæ manifestè doceant, statim post hanc victoriam, & proximè insecuta tempora, Sardiniam ita in se fuisse diuisam & distractam, vt partim Pisani, partim Genuenses, partim verò Saraceni in ea regnarint, & singuli seorsum per se imperium exercuerint. At progressu temporis inter vtrosq. populos de Sardiniæ possessione graues exortæ sunt contentiones & rixæ, ita vt Ligures domesticis suis opibus freti, eã armis, expulsis Pisanis, obtinuerint. Ipsi verò, quò hanc iniuriam & illatum damnũ vlciscerẽtur, Corsicam, Ligustici imperij insulam, inuasêre, ac vi oppressêre, adeò vt inter vtramq. gentẽ ex mutua super hac insula altercatione grauissima atq. atrocissima bella sint postmodum enata. Accedebat huc, quòd nõ satis illis cõueniret, vbinã Episcopi huius insulæ consecrari, & sacris initiari deberent, magnam altercationis prębente ipso Pontifice ansam, cùm mira inconstantia, modò in hanc modò in illam partẽ propenderet. Et Ligures quidẽ, magna cũ pertinacia ius inaugurãdi Sardiniæ Antistites, penes suum Archiepiscopum, ceu metropolitanum Præsulem, esse contẽdebant, cò magis, quòd ipsi diu ante Pisanos Sardiniam armis tentassent & occupassent. Ipsi cõtrà, multas rationes adducere, quibus causæ suæ æquitatem probare enixè stude-

Musactus Saracenorũ rex, vir excelsi animi.

Sardinia à Saracenis iterũ expugnata.

Sardiniæ Genuensium & Pisanorum armis recuperata.

Graues contentiones inter Genuens. & Pisanos propter Sardiniæ possessionem.

Inter eosdem acerrima controuersia propter inaugurationẽ Episcopi Sardiniæ.

studebant; & cùm neuter alteri cedere vellet, res in apertum bellum erupit. Nam hæc de sacris disceptatio multò magis vtrosque, quàm si de profanis fuisset, irritauit, & ad sæuissima bella attraxit, quæ cum multo vtriusque populi sanguine redempta fuerunt. Quippe tantus fuit vtriusque furor & rabies, vt inuicem expilationibus, direptionibus, atque assiduis excursionibus sese defatigarent, & non antea mutuis iniuriis modum statuerent, quàm defessi, vel saltem aliquo modo repressi, meliorem opportunitatem expectarent. Igitur anno supra millesimum centesimo vigesimo, Ligures iusta, vti existimabant, causa suscipiendi belli commoti, validissimam classem, octoginta scilicet triremium, quatuor corbitarum ingentis magnitudinis, & sexaginta minorum nauigiorum contra Pisanos instruxerunt ac eduxerunt; constansque multorum est opinio, in hac expeditione Genuens. vltra duo ac viginti millia lectissimorũ hominum habuisse. At Pisani his tantis apparatibus exterriti, cùm sese imparatos, & viribus hosti, qui se vsque ad Arni flumen intulerat, inferiores viderent, graui de totius belli sustinendi ratione & modo habita deliberatione atque consilio, expedire in præsentiarum sibi visum fuit, vt omisso bello, certis sub honestis condicionibus pacem ab aduersariis peterent, quam etiam citra magnam difficultatem hac conditione impetrarunt, vt Ligures quidem ab armis discederent, si ipsi iuri inaugurandi Episcopos prorsus cederent, & de eo inposterum non repetendo iuramentum silentij præstarent; quod vt summa necessitate ab illis expressum fuit, sic Genuenses, qui hac potissimùm de causa bellum hoc susceperant, consopita iam illa controuersia, nihil grauius per id tempus in eos moliti sunt, nisi quòd captiuos iure belli à Pisanis in vinculis detentos repeterẽt, & pristinæ libertati restituerent. Verumenimuerò statim post Ligurum discessum, Pisani metu præsentis belli liberati, pactorum ac fœderis condicionum immemores, earum iniquitatem cauſantes, mutatis consiliis, Ligusticũ agrum subinde infestare atque armis inquietare cœperunt: quòd dicerent, votum metu armorumque violentia extortum, non esse seruandum. Vsu enim venire sæpiùs, vt aliquid temporis condicioni sit condonandum, & tum maximè, cùm Reipub. status ita est comparatus, vt alioquin alicuius discriminis ansam subiret. Maiorem igitur publicæ vtilitatis, quàm iuramenti necessitate expressi, rationem habendam esse. Ceterùm, Genuenses indignitate rei, & summa hostis perfidia supra modum excandescentes, cùm sibi datam & præstitam fidem, violatã esse cognoscerent, & præterea magnis incommodis & damnis affici se manifestò experirentur, instructa classe, quò inflictas iniurias & damna vlciscerentur, Pisanorum ausis & temeritati tanto impetu obuiam iuêre, vt multis illorum interemptis & contrucidatis, magnum etiam captiuorum numerum secum Genuam abducerent, quem supra mille fuisse tradunt; pariqúe successu cùm non multò pòst duæ Ligusticæ triremes totidem hostilibus occurrissent, post longum atque atrox certamen, illæ superiores euaserunt, & multa diuiti præda potitæ sunt. Dum hæc gerentur, Romæ Eugenio Pontifice è viuis subtracto, de communi Purpuratorum cõsensu Calixtus secundus successit, qui vbi primùm ad summum dignitatis apicem euectus est, nihil habuit antiquius, quàm Principum populorumq. animos ad pacem & concordiam reuocare, & Reipub. Christianæ tranquillitatem pro viribus constituere, adeò vt cùm hos duos potentissimos vicinos populos leuibus de causis inter se commissos esse videret, ægerrimè ferret, eos nulla ratione hactenus commoueri vel adduci potuisse, vt, consopitis controuersiis, inuicem reconciliati, ad mutuam concordiam redirent. Quare, cùm publicæ quietis magnam rationem haberet,

1120.

Præpotens Genuens. classis aduersus Pisanos.

Quibus cõdit. Pisani pacem à Genuens. redemerint.

Pisanorum in violandâ pace perfidia.

Genuens. nauis apparatus contrà Pisan.

Duæ Pisanorum triremes à totidem Ligusticis intercepta.

Calixtus II. singulare studium in pacando vtroque populo.

ipsis imperauit, vt missis ad se oratoribus, de disceptatione & controuersiæ summa ipse cognosceret. Quibus missis, totiusque litis statu ad ipsum delato, & peniti⁹ introspecto, post multas & longas vtriusque partis altercationes, secūdum Genuenses pronuntiauit. Qua sententia & Pontificis iudicio tantum abest, vt Pisanis oratoribus satisfactum sit, vt etiam hac de causa supramodū indignati, confestim domum redierint; & rem ipsam apud Senatum exaggerantes, effecerunt, vt Liguribus iterum bellum indiceretur: octoque triremes instructæ, quibus in Liguſticum sinum delati, reliquam suam classem expectabant. Ex Sardinia nimirum duæ ac viginti triremes domum paulò antè reuocatæ, in eo portu in quo ipsi stationem habebant, singulis momentis expectabantur. Genuenses de nouis aduersariorum suorum consiliis edocti, citra aliquam moram septem triremes oppidò rebus necessariis omnibus ornatas, contra eos eduxêre; qui etsi classem suam iam coniunctam haberent, & his longè superiores essent; nihilominùs tamen vt primùm in horum cōspectum venêre, quia existimabant, quòd fortuitò eodem temporis puncto aliquot nauigia in alto mari velificantia conspicati essent, ipsos Ligures longè superiores fore, nouoq. stratagemate cum tam exigua classe sibi occurrisse, insidias veriti, desertis nauigiis, omnibus necessariis instructis, ac in fugam conuersi, domum versus festinarunt, ita vt hi facili negotio maiori classis parte potiti sint, & opima præda magnisque manubiis onusti, cum immensa sua gloria domum redierint. Ceterùm recrudescente bello, & Pisani nihilosecius ad omnem occasionem intenti, miro studio atque animi contentione Corsicam, nuper, vti diximus, Genuensibus ablatam, tuebantur. Ligures interea iniuriarum ac moræ impatientes, incredibili cum ardore bellum renouabant, & sese omnibus, ad hoc necessariis, instruebant; quò scilicet amissam prouinciam, eiectis aduersariis, recuperarent, veterique suo imperio adijcerent. Anno itaque quarto ac vigesimo eiusdem sæculi in Corsicam traiecerunt, ibique castrum D. Angeli natura loci & arte munitum, expugnarunt; ac illud firmatum præsidiis, in potestate aliquandiu retinuerunt. Idem quoq. annus huic Genuensium victoriæ Calixti Pontificis mortem coniunxit, cui Honorius secundus Cardinalium suffragiis successit. At Ligures recenti victoria aucti, & fortunæ prosperitatem prosequendam rati, statim duodeuiginti triremium classem adornarunt, qua in Sardiniam secunda nauigatione deuecti, hostem plurimis incommodis & detrimentis affecerunt, ac in reditu nauim quandam hostilem eximiæ magnitudinis, quæ circiter quadringentos homines vehebat, ad Arnipam conspicati, illam tamdiu insecuti sunt, donec eam tandem ad ostium & fluminis fauces, captis omnibus fermè vectoribus, transuersam agerent. Quo recenti damno Pisani valde exacerbati, vt illud vindicarent, paucis interiectis diebus, octo nauigia peregregiè instruxerunt, contra quæ Ligures non vltra septem, licet longè maiorem numerum ad manus haberent, ductu atque auspiciis Caffari viri consularis eduxerunt, plurimum de ipsius ducis, aliorumque præstantissimorum virorum qui eum comitabantur, virtute confisi. Siquidem huic expeditioni quamplurimi lectissimæ nobilitatis iuuenes cùm proferēdi nominis, tum iuuandæ Reipub. studio Caffari auspicia secuti, nomina dederant. Verùm tametsi pugnandi ardore tenerentur, ac omnem mouerent lapidem, vt hostem per occasionem inuaderent; is nihilominùs fuit rerum ibi successus, vt Pisanis ea tempestate aliis nauigationibus intentis, coniungi nō potuerint: Vnam tamen eorum nauim, omni mercium genere onustam, dum domum repetunt, habuerunt obuiam; quæ licet sese ad primum illorum conspectum, periculi euitandi studio

cum

Calixtus secundus Eugenij Pont. successor, secundum Genuēs. pronuntiat.

Pisani nouum bellum Genuens. indicunt.

Eorundem fuga.

Genuens. inuadunt Corsicam à Pisanis occupatā.

Calixti Pont. mors.

Honorius II Pont. renunciatur.

Pisani à Genuens. maximo incommodo affecti.

Noua Genuens. classis.

cum summa celeritate in Plumbini portum subducere conaretur, permodico tamen negotio, nequicquam obnitentibus eius loci præsidiariis, in illorum potestatem redacta est. Nam cùm ipsi omnibus ad gerendum bellum, & in primis quidem valido milite, essent instructi, tanto impetu in Plumbini castrum crebris tormentorum ictibus impressionem fecêre, vt perexiguo temporis spatio arcem ipsam vnà cum suburbanis tectis maiori sui parte diruerent, ita vt defensores denudati, hostiumque telis expositi, deditionem facere cogerentur. Quibus rebus feliciter gestis, Consules, quorum consiliis & auctoritate Respub. tunc temporis potissimùm administrabatur; cùm viderēt nullum bello modum ab hoste, licet subinde magnis detrimentis & laboribus supramodum defatigato, constitui, sed magis atque magis eum irritari & grassari; extrema esse tentanda censuerunt. Proinde reparata classe, aliisque necessariis comparatis, terra marique Pisas inuadere statuerunt, eamque per integri anni spatium arctissima obsidione pressērunt, eo quidem successu, vt tandem oppidani diuturna ac grauissima oppugnatione supramodum defatigati, pacem vel iniquissimis condicionibus redimere coacti sint. Nam, præter cetera, illis ab hoste ad maiorem infligendum contumeliam imperatum fuit, vt domorum fastigia ad primam contignationem vsq. demolirentur. Hac verò clade, quæ in annum eiusdem æui vigesimum septimum incidit, tantum abest vt Pisanorum animi vlla ex parte frangerentur vel debilitarentur, vt etiam deinceps longè maiori contentionis ardore & alacritate aspertima bella moliti sint. Quandoquidem breui instauratis viribus, nouaque adornata classe, sub initium proximi veris Ligusticum agrum solitis excursionibus & populationibus grauiter infestarant. Ligures econtrà, vt hostilem audaciam & conatus retunderent, continuò tredecim triremium classem eduxerunt, atque in Siciliam, vbi hostem esse acceperant, enauigarunt: eique iuxta hanc insulam occurrentes, acie instructa, illum protinus adoriri & inuadere constituebant, sed is detrectato prœlio, celeri fuga Messanam, Ligure nequicquam illum insequente, contendit; quò appulsus, cùm se incolarum ope ac præsidio tueri contra hostium iniurias posse confideret, classem cōtinenti admouit. Ligur verò plurimum momenti in diligentia esse situm iudicans, quamprimùm descensione facta, hostem confuso ordine in suburbanis locis vagantem, summo impetu & animi ardore aggressus est, ac eo euentu prœliatus, vt direptis suburbiis; cùm Pisani se in extremis periculis versari conspicerent, in regium vsque prætorium salutis causa profugerint, ita vt Genuenses victores illorum nauigia incendere ac exurere parārent; quos tamen Rogerij tertij Sicaniæ regis, illuc subitò cum suis accurrentis, inhibuit auctoritas ac reuerentia, adeò vt etiam in eius gratiam prædam in hoc conflictu Messanensibus ablatam, benignè restituerint. Hisce rebus hoc pacto se habentibus, nouisque iurgiis ac simultatibus vtriusque gentis animos ad noua prœlia incendentibus, Innocentius secundus, qui paucis antè mensibus à Guielmo Calabrię Duce, ac huius Rogerij Sicilię regis filio, quòd magna manu militari collecta bellum in eos moturus videbatur, cum magno Purpuratorum numero captus fuerat, ab ipso tamen multis diuersorum principum intercedentibus precibus, humanissimè dimissus, in Galliam profectionem adornabat, vt ibi indictæ Synodo interesset, quò Anacleti, sui aduersarij & æmuli, consilia, qui nuper multorum suffragiis ad pontificatum, dum ipse in vinculis esset, euectus erat, anteuerteret. Proinde Romæ paratis occultè nauigiis, secundo Tiberi cum his Purpuratis qui pro eius partibus stabant, Centumcellas vsque delatus est, indeq. duabus Pisanis triremibus Pisas, & illinc Genuam enauigauit, & in vtraque vrbe summis

1126. *Plumbini castrum à Genuens. deditione occupatum.*

Pisæ à Genuēs. obsessæ, & condiciones impositæ.

1127.

Pisanorum ac Genuens. noui apparatus.

Ligurum victoria.

Innocentius II ad Genuam profectio.

summis honoribus exceptus fuit. Ipse accepti beneficij memor, vt vtrique genti gratiam aliqua ex parte referret, obnixè dabat operam, vt, conciliatis animis, vtrumque populum ad mutuam pacem & concordiam reduceret. Verùm, cùm propter contumaciam, & incredibilem animorum vtriusq. partis distractionem, in gratiam tam citò redire nequirent, hoc vnum tamen summa diligentia & auctoritate impetrauit, vt tantisper ab armis vterque populus abstineret, donec ipse è Gallia in Italiam postliminiò rediisset: quæ sanè indutiæ summa cum fide & religione vtrimque illæsæ & inuiolatæ obseruatæ fuerunt, adeò vt statim sub ipsius Pontificis in Italiam reditum, qui incidit in annum supra millesimum centesimum trigesimum secundum, pax inter eos ad aliquot annos ipsius Pontificis potissimùm auctoritate & interuentu constituta sit. Ceterùm Pontifex quò sibi arctiùs Rempub. Genuensem deuinciret, vrbis Antistitem in Archiepiscoporum numerum transcripsit & cooptauit, ita certè, vt Respub. hoc nouo beneficio obligata, multum illi deinceps se debere confiteretur, eò quidem magis, quòd ipse Innocentius, vltra hoc recèns collatum beneficium, nouo vrbis Archipræsuli pleroscque Corsicæ Episcopos, vsque ad dimidiam scilicet eorum partem, illi subiecerit, & vt in posterum sub eius potestate, vel, vt ipsi dicunt, iurisdictione esset, ordinauerit; quo quidem titulo ac dignitate primus omnium Syrus, tunc temporis eiusdem vrbis Præsul, insignitus fuit, quem postmodum insecuti successores, ad hanc vsq. diem assiduè retinuerunt. Ne etiam Pisanos aliqua ex parte negligere, vel his inferiores iudicare videretur, ad tollendam in perpetuum inter eos omnem controuersiam, omneque belli seminarium radicitus auerruncandum, Pisanam Ecclesiam in metropolitanam erexit, attributa illi altera Episcoporum Corsicæ parte. Constituta itaque hac ratione inter eos pace, nihil ab eo tempore, vsque ad annum eius sæculi sexagesimum secundum vtrimque attentatum fuit: sed vtraque Respub. his intermediis annis pacem initam cum summa fide ac integritate inuiolatam retinuit. Quibus elapsis, Genuensis Respub. nouis rerum turbinibus & tempestatibus agitari & implicari cœpit, ex quibus funestũ ac exitiale bellũ renatũ est; cuius quidem causam atq. originem hanc fuisse, veteres annales commemorant. Quod cùm Byzantium plurimi vtriusque gentis negotiatores, & ciues, mercium & exoticarum rerum emendarum commutandarumque gratia confluerent, Pisani, ob priuatas quasdam lites & controuersias inter aliquot suos ciues & Genuenses exortas, numero circiter mille in vnum conglobati, contra Ligures qui ea tempestate ibi aderant, arma expediuêre; tantoque impetu eos aggressi sunt, vt nisi cuestigiò vtriusq. concitatæ gentis ardor aliquot honestorum ciuium opera & auctoritate restinctus fuisset, verendum erat, ne, conturbata iam tota vrbe, magna hominum strages eo die subsecuta fuisset. Verùm motus isti in præsentiarum ita consopiti fuerunt, vt Pisani, Venetis & Græcis coniuncti, haud ita multò pòst denuò ad arma concurrerent, & Genuensium publicum negotiatorum domicilium (vulgò Fundicum vocant) iuuene quodam inter Liguslicæ nobilitatis non postremi nominis, propter exortam contentionem interfecto, diriperent. Hoc tam tristi & atroci nuntio Genuam perlato, cùm Senatus indignitate rei cõmotus, censeret, nullo modo ex dignitate Reip. esse, vt hostes impunitate cõfirmati, talibus exemplis in posterum grassarẽtur, nulla interposita mora, Senatus consulto super nouo bello inferẽdo facto, missisq. Pisas fecialibus, qui pro sollemni maiorum instituto, recitatis legitimis causis, bellum denuntiarent, atque illi populo aqua & igni interdicerent, statim de vnanimi omnium consensu & voluntate, triremes duodecim omni bellico apparatu ad huius belli vsum

1132. Pax inter Ligures ac Pisanos.

Syrus primus Genuæ Archiepiscopus.

Belli inter Pisan. ac Genuens. initium, origo, & causa.

vsum instructæ fuerunt. Quibus in portum Pisanum delati, cuestigiò in turrim in eiusdem vrbis conspectu positam, adhibitis machinis, tantam impressionem fecerunt, vt illius munimenta maiori ex parte conuellerent, & ita prosternerent, vt in defensorum potestate non esset, quò minus vlterius progrederentur, prohibere. Diruta namque turri, Genuenses, portus quodammodò domini facti, citra magnum aliquod obstaculum, vel difficultatem, nonnulla nauigia omnibus necessariis instructa, nihilque, quàm secundos ventos ad ancoram expectantia, inuaserunt, ac remulco extra portum eduxêre; adeò vt cum Pisani nominis contumelia in illorum vrbis conspectu opima præda potiti sint, & pristinam gloriam non parum recenti de tantis hostibus victoria adauxerint. Hoc rerum successu incredibili gaudio perfusi Ligures, nihil ad summam diligentiam reliqui fecerunt, quò aduersarios, numquam domi, vel foris quietos, subinde nouis cladibus & detrimentis afficerent: summaque contentione instabant, vt illos extrema necessitate adductos, vel ad pacis studium conuerterent, vel, si hoc minus assequerentur, saltem, propter toties commissam perfidiam, ac intolerandam fœderis & pacis violationem, debitas pœnas persoluerent. Quod vt fieret commodiùs, quatuor nouas triremes construxerunt, quibus totius Ligustici maris tractum à Pisanorum iniuriis tutabantur & defendebant, sic, vt cum magno totius Italiæ beneficio horum conatus reprimerentur: casuque accidit, vt vna Pisana triremis, in qua Bonacursius, illius vrbis Consul, vehebatur, à Genuensibus interciperetur. Quo sanè factum est, vt illo Genuam captiuo perducto, rebusque iam summoperè acciſis, Pisani eò necessitatis redacti tandem sint, vt ad vires reparandas, & quò suum Consulem in hostium potestate detentum, liberarent, de inueterata illa atq. assidua animorum pertinacia cum summa arrogantia coniuncta, nonnihil remitterent, ac multis precibus apud Cæsarem instarent, vt suam auctoritatem apud Senatum Genuensem interponere non grauaretur, quò suo consuli vita incolumis conseruaretur. Cæsar vt eis gratificaretur, per Chunradum Moguntinum Archipræsulem, septemuirum, & totius Romani imperij nomophylacem, seu, vt vulgò loquimur, Cancellarium, tantum apud Genuensem Remp. egit, vt ille in suam gratiam saluus atque incolumis in pristinam libertatem restitueretur. Ceterùm, Pisani immortali odio & inextinguibili ira contra Ligures flagrantes, & nihilo seciùs rerum suarum aduersarum casu fracti, nulla habita sumptuum, vel laborum ratione, omnia extrema experiri statuerunt, & quadraginta sex triremium classem breui temporis interuallo præparârunt, partim quò aliquot nauibus suis, quas tunc temporis ex Sardinia præstolabantur, commodiùs subsidio irent; partim vt illatas recèns iniurias omnibus viribus vindicarent & rependerent. Educta igitur classe, omnem Liguſticæ oræ tractum continuò infestabant; quo non contenti, maritimumque imperium sibi vendicantes, circumuicina loca crebris excursionibus subinde inquietabâti captisque duabus onerariis Liguſticis, ad nouam bene gerendarum rerum fiduciam mirificè sunt accensi. Quod cùm ad Liguſticæ classis præfectum, qui tunc temporis stationem in portu Veneris habebat, innotuit, tanta celeritate classem suam emisit, vt parum abfuerit, quin Pisanum imparatum, & nihil minus expectantem, opprimeret. Hic tamen quamuis classem haberet neque numero, neque apparatibus hostili inferiorem; tamen quòd ita expedire sibi videretur, nullam prœliandi potestatem fecit: ita vt vtrimque, nulla re memorabili gesta, discessum fuerit. Christiano imperio ea tempestate præerat Fridericus, cognomento Aënobarbus, vulgò Barbarussa dictus, qui recèns Chunrado tertio Impera-

Nouum bellũ inter vtrũq. populum.

Genuenſ. Piſanam turrim demoliuntur.

Bonacurſius Piſanorum Conſul, à Genuenſ. capitur.

Piſani confugiunt ad Imp.

Iidem nouũ bellum inſtaurant.

peratori defuncto de suffragiis septemuiratus collegij successor factus, nihil prius habebat, quàm Christiani orbis Principum animos ad mutuam cõcordiam constituendam, pacemque publicam conseruandam, adhortari & inflectere, adeò certè, vt cùm has Resp. in mutuam perniciem omnibus conatibus conuersas esse videret, misso Moguntino, de quo proximè diximus, vtrique populo auctor esse volebat, vt, cõsopitis pristinis odiis & bellis, serias cogitationes ad pacem ineundam afferrent. Moguntinus itaque, vbi primùm iussu Cæsaris hanc prouinciam suscepit, grauissima oratione illius animum vtrique populo declarabat, multisque propositis ac recitatis exemplis, ostendebat, hanc tam contumacem vtriusque æmulationem, & cõtentionis studium, nõ solùm in alterutrius exitium euasurum, verùm etiam toti Italiæ, atque adeò vniuersæ Reip. Christianæ non leue damnum & detrimentum inflicturum, præsertim cùm in tanta rerum omnium confusione, Resp. Christiana esset eo loco, vt Turca præpotentissimus hostis, indies magis atque magis ob Christianorum Principum distractionem, nouis victoriis insolesceret, magnaque imperij accessione ferociens, breui temporis tractu Europam vndique inuasurus esset. Cuius quidem imminentis periculi magnitudine aliisque demonstratis sufficientibus & legitimis causis, Moguntinus enixè apud vtramque Remp. contendebat, vt missis vtrimque ad Cæsarem, qui tum temporis Taurini in Cisalpina Gallia agebat, oratoribus, ipse de præteritarum controuersiarum rationibus pleniùs edoceretur, eiusque graui iudicio controuersiæ omnes tollerentur, vt tandem firma atque summoperè necessaria pax eius auctoritate constabiliri inter eos posset. Verùm Cæsar numquam, licet hoc enixè studeret, & maximè cuperet, impetrare potuit, vt recõciliatis animis vtrimque in gratiam rediretur. Hoc tamen vnum ægrè obtinuit, vel potius extorsit, vt indutiæ tantisper inter eos constituerentur, donec ipse ex Germania, quam cogitabat, in Italiam rediret. adeoque erant vtriusque populi animi ab omni firma concordia & vnione auersi, vt nisi Cæsaris auctoritas sese seueriter interposuisset, nullorum Principum consiliis, nullisque prouinciarum precibus ad has indutias ineundum, quæ postmodum Pisis, & Genuæ, à ducentis ex præcipua nobilitate ciuibus, de mutuo consensu & voluntate, sollemni more ac pro veteri instituto, vt in posterum sartæ tectæ retinerentur, confirmatæ sunt, adduci, vel commoueri alioquin potuissent. Ceterùm neque Cæsaris auctoritas, penes quem arbitrium rerum erat, neque vlla iuris, vel fœderis reuerentia, tantum valuit, vt inhibere potuerit, quin vterque populus haud ita multò post Cæsaris discessum ad veterа odia, & mutuas simultates turpiter recurreret, atque arma in mutuam perniciem expediret, ita vt abruptis indutiis, & instauratis viribus, vtrimque atrocissimum bellum, potissimùm propter Sardiniam, in qua vterque sibi possessionem vendicabat, exoriretur. At ad Cæsarem in Italiam, anno M. C. LXIIII. reuersum, & in Marchiam Anconitanam profectum, Ligures quatuor legatos, nempe Baldizonum Vsusmarium, Corsum Sigismundum, Bonuasallum Antiochium, & Guielmum Iordanum, misère, qui noui suscepti belli rationes redderent. Hi itaque ipsum ad fanum Fortunæ, vbi constiterat, assecuti, atq. in colloquiũ admissi, graui & diserta oratione ostendebant, quantis iniuriis & damnis à Pisanis, nullam rationẽ fœderis vel pacis publicæ habentibus, affecti, & assiduè lacessiti, necessariũ potius, quàm spontaneum bellum recens resumpsissent. Sibi igitur extra culpam positis non succenseret, sed eam omnem in hostes, perduelles ac tranquillitatis publicæ perturbatores, reijceret. Se namque nihil magis, quàm pacem semper optasse, & etiamnum optare, ac vt ea salua & incolumis seruaretur, studiosè desisse

Friderici Cæs. studiũ erga Pis. ac Genuens.

Moguntini ad pacem cohortatio.

Indutiæ inter Gen. & Pis.

Bellum renouatum.

1164.

Genuens. legatio ad Friderici Cæs.

disse operam. His & similibus se Resp. illa apud Cæsarem purgabat. Et quia rumor diuulgauerat, ipsum in Siciliam arma moturum, legati, quò magis illius beneuolentiam atque gratiam demererentur, vltra debitum & pristinum obsequium Imperatoribus deferri solitum, Reip. suæ nomine classem, aliaque ad bellum necessaria, se ad eius arbitrium & voluntatem paratissimis animis instructuros quàm officiosissimè pollicebantur. Quo sanè verborum lenocinio, & oblata liberalitate adeò Cæsaris animus fuit delinitus, & in hanc Remp. propensus, vt ipse, rogante Senatu, acceptisque quatuor marcharum millibus, in illius gratiam Sardiniam prouinciam in Regnum erigeret, & Barisonem toparchiæ Arboreæ, nomine Reip. in ea insula tunc temporis Iudicem, Regis titulo insigniret; ratus, illum, eiusque posteros, Sardiniæ administrationem ad dignitatem & vtilitatem Romani Imperij haud dubiè instituturum & conuersurum. Eodem etiam tempore Pisanorum legati nomine Reip. suæ, causæ suæ æquitatem etiam apud Cæsarem probare, atque tueri contendebant: valdeque cum Genuensibus oratoribus expostulantes, graui ter coram ipso Cæsare de perpessis iniuriis conquesti sunt, ita vt, exorta inter eos summa contentione, ipsi palàm & apertè, in publica multorum magnorum virorum corona, dicere ac perclamare non vererentur, hanc nouam Genuensium dignitatem, Cæsaris beneficio impetratam; cum sua graui iniuria, nec minori dispendio coniunctam esse: nimirum cùm sibi nõ minus iuris, quàm illis in Sardinia competeret. proinde se nunquam laturos, vt deturata tanta contumelia, illi pacifica possessione fruerentur. His & similibus vocibus cùm sese Pisani fortiter opponerent, & nulla ratione adduci possent, vt Cæsaris decreto assentirentur; Cæsar proximè insecuto anno Ticinum profectus, inter cetera quæ ibi ex vsu & dignitate Romani imperij constituit, hunc Barisonem Sardum, Regem, vti diximus, declaratum, ac originem à Pisanis, vt nonnullis placet, trahentem, sed recentibus multis beneficiis Genuens. Reip. deuinctum, primò Genuam, indeque cum egregio comitatu ad se perductum, pactaque pecunia, nempe quatuor millibus marcharum argenti consignata, tertio Non. Augusti Regem Sardiniæ inaugurauit, ac sollemni cærimonia regio diademate insigniuit. Sunt qui asserant, Cæsarem non tam spe emolumenti inductum, hac noua gratia Genuensem populum afficere voluisse, quàm commotum tam longæ & periculosæ disceptationis tædio, adeò vt nihil expeditius ad tollendas rixas, & belli seminaria existimaret, quàm si secũdum Ligures, recẽti beneficio sibi deuinctos, pronunciaret, & ex illorum nutu & arbitrio Regem constitueret. Ligures itaque, præteritis aduersariis, voti compotes facti, nouaque dignitate aucti, Barisonem, nouum Regem, Genuam honorificè reduxerunt, omnique honore ac munificentia prosecuti sunt. pauciscque dehinc interiectis diebus, præparatis ad hoc tribus onerariis, ac septem triremibus, ipsum in Sardiniam, duce Picamilio consulari viro, reuehi iusserunt. Verùm quia illa pecunia, quam à Rep. cùm ad tanti honoris apicem eueheretur, mutuò sumpserat, nondum erat restituta, nauarchus, cui seuerè à Senatu iniunctum erat, ne antè illinc cum suis recederet, quàm sese ære alieno liberasset, (nam Senatus, præter illam summam pecuniæ, cuius mentionẽ habuimus, regi insuper mille ac ducentas libras mutuò dederat) cùm nullã expediendæ pecuniæ rationem Regem inuenire, aut etiam à Sardis vel Pisanis, siue alia de causa immutatum, nolle animaduerteret, ipsum Genuam retraxit, vbi iussu Senatus in custodia habitus est, ac ferè ad septẽnium in hac miserrima condicione, non sine incredibili Pisanorum lætitia, qui hoc prius cum Sardis enixè egerant vt in regnum non reciperetur, néue aliqua pecunia subleuaretur, asser-

Pisanorũ ad Cæs. legatio.

1164.

Barison Sardiniæ rex à Friderico inauguratur.

Barisonis infelicitas.

uatus fuit. Sic tandem infeliciſſimus Rex, poſt ſeptennalem captiuitatem, magno ſuo cum incommodo expertus eſt, quàm arduũ regnare ſit, & quàm difficulter ad pacificam rerum ſupremarum adminiſtrationem perueniatur. Ex hoc etiam tam infelicis Regis ſucceſſu ſatis manifeſtè deprehendi poteſt, nouæ dignitatis ambitum magis populo Genuenſi nocuiſſe, quàm aliqua ex parte profuiſſe.

Piſani pace neglecta Corſicam inuadunt.

Quippè Piſani nullarum occaſionum ſegnes, arbitrati, ſe hoc modo legitimam belli anſam eſſe nactos, non ſemel interim Sardiniam ingreſſi ſunt, ac non paucis incommodis Ligures affecerunt, ita profectò, vt, dum ipſi quandam Liguſticam nauim ad Aſinariã inſulam, non procul Sardinia diſtantem, expilaſſent, non alio prætextu ſe hoc facere apud Cæſarem aſſeuerarint, quàm quòd illi iniuſtè Regem Bariſonem in vinculis detinerent. Quapropter Cæſar, datis ad vtramque Remp. literis, ſeuerè iniunxit, vt ad portum Veneris aliquot viri conſulares conuenirent, de quorum ſententia & conſenſu inter eos paciſceretur. Ipſe etiam hac de cauſa Cancellarium ſuũ eò miſit, quò faciliùs vtriuſque populi animi ad pacem & cõcordiam inflecterentur. Ceterùm res ea hunc exitum tulit, vt exaſperatis vtriuſque partis animis, ſinguli ſeſe ad ſuam triremim reciperent; ac vix portum egreſſi, inuicem, nõ ſine Cæſarei legati incredibili admiratione ac ſeuera expoſtulatione, inuaderent. Spectaculum rarum, & mirum haud dubiè erat, vtriuſque populi Coſſ. ad pacem conſtituendam ablegatos, inter ſe ibi turpiter commiſſos, non ſecus ac ſi de totius ſtatus ſuprema gloria & adminiſtratione dimicaturi veniſſent, acerrimè prœliantes videre: nimirum cùm nihil magis ipſos perinde decuiſſet, quàm eam quam ſuſtinebant perſonam, grauitate quadam tueri, & ne latum quidem vnguem à prouincia ſibi impoſita diſcedere. Ligur tandem ſuperior

Repentinus conflictus inter Conſulem Genuẽſ. ac Piſanum.

factus, victoria, licet non incruenta, potitus eſt. Annalium ſcriptores vnanimi conſenſione tradunt, in hoc repentino conflictu tanta contẽtione vtriuſque gentis fuiſſe dimicatum, vt Conſul quidem Ligur grauiter vulneratus; Piſanus verò Genuam vnà cum ſua triremi captiuus perductus ſit: vbi liberaliter habitum, ac breui cum omnibus ſuis dimiſſum fuiſſe dicunt. Verùm non ita multò pôſt, Piſani octo triremes, ad Genuenſibus annonæ & commeatus facultatem adimendam, verſus Galliam Narbonenſem eduxerunt. His detectis conſilijs, Senatus

Atrox prælium inter Gen. ac Piſ. inſtauratum.

ſtatuit, vt ad reprimendum talem conatum, omnemq́ue vim coërcendum, quatuordecim triremes, duce Amico Grillo viro cõſulari, inſtruerentur: qui educta claſſe, cùm hoſtem flumen Rhodanum ingreſſum intelligeret, eum vſque ad illius oſtium inſecutus eſt. At cùm aſſequi citra magnum periculum & difficultatem non poſſet, ibi tantiſper ſubſtitit, donec ille regrederetur; ſperans, ſe facili negotio, occupatis iam fluminis faucibus, hoſtili claſſe potiturum. Ceterùm hoſtis, eius opinionem & ſpem fefellit: quandoquidem periculo animaduerſo, ſtatim ex altero eius fluminis oſtio egreſſus, ſaluus atque incolumis euaſit, & mox, adaucta claſſe, quæ vnius ac triginta triremium numerum æquabat, eadem æſtate, anni videlicet 1165. per oram occidui maris quamplurimas excurſiones ac populationes fecit, vrbemq́. Ingaunorum, nullo, vel ſaltem modico præſidio firmatam, deimprouiſo adortus, diripuit ac incendit. Quod ſanè Ligures eò moleſtiùs tulêre, quò indigenas, paulò antè, vt ſibi ab hoſtilib. inſidiis ſedulò caueret, diligenter præmonuiſſent. Proindè ad huiuſmodi cladem vindicandam, confeſtim, ſcilicet quatridui ſpatio, quinque ac triginta triremium claſſem armarunt, atque eiuſdem Conſulis auſpiciis eduxerũt; qui ſumma celeritate in prouinciam delatus, cum tota claſſe Rhodanum penetrauit, ac ſumma cum difficultate & periculo, S. Ægidij oppidum, vbi ſe hoſtem obuiam habiturum non ignorabat,

Albingaunũ à Piſ. direptũ

multa

multa iam nocte peruenit. Nam cùm classis in sicco & arenoso fluminis alueo propter aquarum depressionem hæreret, parum abfuit, quin haud paruam nauiũ suarum iacturam faceret. Consul ibi appulsus, cùm exploratum haberet, oppidanos, alioſque quibus cum necessitudo & commercia Genuens. intercedebant, atque adeò ipsum S. Ægidij dominum clandestina consilia, & occultas fraudes recèns cum Pisanis iniuisse, spe dubius, & quid agendum foret, consilij anceps, aliquandiu in fluuij ostio substitit. tandem inde sibi non soluendum statuit, priusquam de ipsius oppidi reguli voluntate atque animo penitius cognouisset. Proinde Gulielmũ Bisaceam ad eum misit, vt, explorata eius fide, de toto rerum statu penitiùs cognosceret & edoceretur. Cùm igitur ipse regulus sese bene animatum erga Ligures ostenderet, & nullis rationibus se illis incommodaturum polliceretur, eoque nomine fidem suam summa cum religione, iureiurando interposito, obstringeret, præfectus, multò magis quàm antea securior factus, citra moram institutum nauigationis cursum ad hostilem classem inuestigandam prosecutus est. Verùm cùm hæc continenti ita esset applicata, vt non sine ingenti incõmodo & graui periculo inuadi atq. oppugnari posset, vtriusq. classis nauarchi suas copias in subiectã littori planitiem eduxerunt, & feruenti cũ animorum vtriusque partis ardore ad vesperum vsque pugnatum, & nõ antea cessatum fuit, quàm ingruentis noctis tenebræ pugnam dirimerent. Postera luce tametsi Ligur variis modis, atque multiiugibus irritamentis hostem ad certamen prouocaret, nunquam tamen efficere potuit, vt manus rursus consereret, adeò vt cùm per totum triduum nequicquam se defatigasset, & illum summoperè ab vlteriori certamine abhorrere videret, suo iam muneri, ac Reip. suæ dignitati sese abundè satisfeciſſe arbitratus, egregia bellicosi ducis, ac strenui militis, parta laude, in patriam reuersus est. At Pisani in hoc rerum statu, ne quid inausum ac intentatum relinquerent, viginti triremes ad portum Veneris occupandum magna calliditate destinarant, ea spe & consilio, vt Genuensibus foris aliis rebus implicitis, ac bellis occupatis, facilè eum locum in potestatem suam redigerent. Cùm verò illud oppidum longè firmius atque maiori cum præsidio quàm existimarant, communitum esset, & defensores egregiè animati, sese viriliter, ac præter eorum expectationem defenderent, relicta obsidione, adductoque nauigiorum suorum numero, Leuantum orientalis littoris oppidum adorti sunt, ibique pari fortuna, & nihilò secius quàm antea pugnatum, adeò vt cùm nihil proficerent, incensis suburbanis locis, conuersaque nauigatione, ad portum Veneris redierint: & ne incassum illuc reuersi viderentur, statim portum ipsum, instar insulæ in mare excurrentẽ, vndiq. obsidione cinxerunt. Sed feliciori fortuna destituti, omniaq. aduersa experientes, iniecto igni, oppidi suburbia, atque magnã portus partem depopulati sunt. Superius demonstrauimus, Ligusticæ classis Præfectũ, quòd Pisani belli aleam ad Rhodanũ subire noluissent, Genuã, re infecta, repetiisse. Proinde & ipsi statim post eius discessum metu quodammodò liberati, secundo flumine deducta classe, Pisas redire properabant. Sed coorta dira & atroci tempestate, multorũ nauigiorum & triremiũ naufragium fecerũt, ita vt vix cum tredecim triremibus integris & saluis domũ incolumes peruenerint. Genuæ interim, post vtriusq. classis reditum, creati noui cõsules, & aliquot grauia dissidia, quæ periculosissimã Reip. conuersionem allatura videbantur, magna prudentia, atq. consiliorum grauitate consopita & superata. Sedato ac composito politico Reip. statu, Senatus decreuit, vt quatuor nouarum triremium supplementum fieret, quæ ceteræ classi coniunctæ, præsidio ac tutelæ tam Ligusticæ oræ, quàm prouinciæ Narbonensi

Naualis pugna.

Inanes Pisanorum conatus in portu Veneris, & Leuantẽ obsidionẽ.

Pisanorum clades propter naufragium.

Genuæ creãtur noui Cons.

essent, quæ assiduè à piratis, & ab hoste, ad hoc conductis & euocatis, diuexabantur. Ceterùm, quia sæpiùs commemorauimus, Sardiniæ possessionem in summam controuersiam ab vtroque populo fuisse deductam, eamque seminarium quodammodò belli extitisse, Senatus Genuensis ad declinandum hominum inuidiam, simulque euidentiùs testandum, quòd optimi iuris titulo dimidiam eius possessionem sibi vendicarent, Vbertum Ricalatum virum consularem, & eximia auctoritate in ipsa Rep. præditum, cum tribus nauigiis ad vectigalium, aliorumque censuum rationes exigendas misit: qui cùm esset vir prudens, & multarum rerum vsum atque cognitionem haberet, nihil temerè agendum ratus, ac exactam quandam rationem in consilium adhibens, adeò temperanter & leniter cùm insularibus egit, vt illius moderatione & humanitate inflexi publicani & officiales toparchiæ Alborensis, quam vulgò Iudicatum vocant, non inuiti omnium censuum Ligustici iuris rationem redderent, & in numerata pecunia persoluerent, tanto equidem cum omnium consensu & animorum promptitudine, vt ipse, recepto tributo, postmodum cum ijsdem publicanis & portitoribus nomine Reip. suæ transegerit, & ipsi cautione præstita, omnia vectigalia ad quadriennium redimerent. Hæc noua insularium cum Genuens. pactio, non parum Pisanorum animos commouit, & ad maiora odia inflammauit, qui nescio quo iuris prætextu sibi totius insulæ possessionē legitimè deberi, seq. eiusdem veros dominos & possessores esse, enixè, tam apud Cæsarem, huius controuersiæ & disceptationis de vtriusque populi consensu arbitrum ac iudicem electum, quàm apud alios Italiæ principes, hanc acerrimam contentionem tollere studentes, palàm & apertè prædicabant. Quocirca cùm lædendi studio, & vindictæ cupiditate ad rabiem vsq. tenerentur, nec tamen satis illis virium esset, vt Genuens. hostes aperto Marte adoriri auderent, vel vt tam citò bellum, accisis iam rebus suis, reparare possent, quò faciliùs respirarent, & ex mora, temporis opportunitate ad hostinocendum iuuarentur, ad imposturas, & præstigias, vt in rerum omnium extremitate sæpe vsu venire consueuit, decurrerunt, ac Genuam, vti quorundam Annales referunt, Gorgonæ Abbatem summa tunc famæ veneratione, propter vitæ morumque sanctimoniam in Italia florentem, associatis ei aliquot aliis id genus viris, pacis constituendæ prætextu mittunt. Is, quò magis sibi fidem, auctoritatemque apud eum populum pareret, & vitæ integritatis opinione Senatum ordinesque ceteros in partes suas abduceret, mira calliditate & astu, instar solitarij hominis, abiecto habitu, impexa barba, demissoque vultu simplicitatem magnam ementiebatur, pietatemque Christianam non vulgarem forinsecus præseferebat, ita me herclè, vt cùm passim apud omnes huius viri commendaretur & prædicaretur Christianæ sinceritatis, & publicæ pacis constituendæ zelus & feruor, & singulos seorsum variis exhortationibus, & artificiosa oratione, commiserationis & lachrymarum plena, omnes ad quietis publicæ studium interpellando cōcitaret, dicto citiùs adeò omnium animi, tanti impostoris artificio inflexi fuerunt, vt Pisanorum iustis postulatis prorsus obtemperandum esse dicerent, & vnanimi cōsensu ad mutuam concordiam cōstituendam serias cogitationes adferendas esse iudicarent. Ceterùm tanti præstigiatoris fraudes atque doli, licet perbellè ab ipso occulerentur, latêre non potuerunt, quin breui postquàm in vrbē venisset, erūperent & detegerentur, ac illum hoc vnum agere deprehensum sit, vt, Senatu Genuensi ad ineundum pacis rationes cum Pisanis distento & occupato, ipsi interim tempus & otium haberent, quò sibi cùm de omnibus ad bellum necessariis prospicerent, tum etiam, si ita vsus ferret, vt nouis belli sociis adaugerentur.

Exemplum singularis prudentiæ.

Sardi pacis-centur cum Genuens.

Pisani vniuersam Sardiniæ insulā sibi solis vendicabant.

Eorundem fraudes atq. insidiæ.

Gorgonæ Abbatis simulata sanctimonia.

Pisanorum fraudes Genuæ detectæ.

Quod

Quod vbi primùm Genuæ innotuit, & diuulgari cœpit, tam magna & incredibilis subsecuta est plebis indignatio, vt parum abfuerit, quin hic tam piæ & præclaræ, vt asseuerabat, pacis auctor, in compitis frustatim discerperetur. Et fuisset proculdubiò ab incitata multitudine interemptus, nisi paucorum optimatium beneficio vulgi iræ & manibus sedulò subtractus fuisset. Nec satis fuit Pisanis, tam industrium fraudum suarum architectum & administrum in vrbem misisse, sed omnis moræ impatientes, ne aliquid interim temporis sibi efflueret, quod nõ cum Genuensium damno esset coniunctum, vno eodemque ferè tempore quo probus iste Abbas Genuæ negotiatur, & Senatũ prętextu pacis occupat, ipsi duas triremes speculatum emiserant, quæ omnem Ligusticam oram ad explorandum hostium consilia circumuagantes, sibi temperare non poterant, quin tam necessario tempore ab iniuriis saltem tantisper abstinerent, donec rei negotiationisq. suæ exitum retulissent. Proinde Pisanorum nouis fraudibus cum summa perfidia coniunctis detectis, tanta confestim Genuæ omnium ordinum voluntatis consensio subsecuta est, vt nemo ex tanta hominum frequentia esset, qui non iustissimo odio in tam callidum aduersarium sese flagrare profiteretur, adeò, vt Senatusconsulto sancitum & decretum statim fuerit, vt non prius ab armis discederetur, quàm Pisani capitales hostes debellati forent: eaq. de causa extemplò Ansaldo Tauclero strenuo viro à Senatu iniunctum fuit, vt septem nauigiis quæ in portu ea tempestate hærebant, omnibus ad bellum opportunis contra hostes quàm primùm instructis, proficisceretur. At Pisani, multum spei & præsidij in diligentia reponentes, & summa celeritate hostium conatus antecertendos esse rati, septẽ triremium firmitudine, & præstantia confisi, in sinum Ligusticũ delati sunt, & non procul à Plumbino aduersariã classem obuiam habuêre, quæ nonnullarũ scapharum, casu tunc velificantium, conspectu deterrita, quòd illas à tergo ad insidias relictas esse arbitraretur, mutato cursu pugnã detrectauit. Verùm illi hanc *Genuenses quatuor triremibus multantur.* profecuti, duabus triremibus captis, quæ soeias remigio æquare nequibãt, potiti sunt. Paucis interiectis diebus, Ligures acceptæ cladis memores, reparata classe, sese illatum incommodum æquali nauigiorum numero sarcire posse sperantes, duce Balduino Guercio, Pisanam classem, quæ tunc tẽporis recenti victoria læta, per totius Ligustici sinus tractum prædabunda excurrebat, adorti fuerunt, & tam acri vtriusque partis impetu & contentione concursum, vt, licet statim sub prælij initium, Balduini ducis prætoria, & altera Gulielmi Galletti triremis supremã Pisanorum triremim magno cum robore inuaderent, nihilominus tamen cùm reliquæ sociæ languidiùs sese defenderẽt, haud sanè meliori, quàm proximis diebus euentu, ac cum totidem ferè triremium iactura, Pisanis iterum victoriam reliquerint. Talibus successibus elati, cum opimis spoliis, & diuiti præda ad suos redierunt. Superiori loco diximus, actionem super Sardiniæ possessione & iure vtrinque institutam, Cæsaris iudicio fuisse permissam. Ipse igitur cùm videret nullum contentionibus finem neque modum statui, sed vtramque gentem, in mutuum exitium, non sine totius Italiæ graui detrimento, ruere, operæpretium se facturum existimauit, si, disceptatione & rei cognitione ad iudicij trutinam deuocata, ad finem bellis imponendum, prout iuris esset, hac in re pronunciaret. Quæ sanè Cæsaris voluntas postquam diuulgari cœpit, vtraque Resp. valdè solicita, ne causa caderet, hoc vnum agebat, vt suum ius gratia Cæsaris, & aliorum Principũ patrocinio defenderetur, ita vt ambæ seorsum multis muneribus atq. largis pollicitationibus Cæsaris animum in partes suas pertrahere conaretur. *Pisani Cæsaris animũ largitione sibi deuinciunt.* Sunt qui pro vero asserunt, Pisanos ad præoccupandum atque inflectendum

Cæsaris animum, ipsi ad tredecim librarum millia in parata pecunia numerasse. Qua sanè largitione factum esse dicunt, vt, patrocinante in primis ipso Moguntino Septemuiro, quem etiam pecunia fuisse corruptum constat, Genuensibus legatis ex parte Cæsaris tunc pro tribunali sedentis, iniunctum publicè fuerit, vt in posterum superhac re nullam litem & controuersiam Pisanis amplius moue-rent. Ad quam vocem cùm aduersæ partis oratores fortiter sese opponerent, & iustis recitatis causis, multisque allatis rationibus, Cæsarem, ne aduersus se pronunciaret, commouerent; ipse, infecta re, nullaque sententia pronunciata, è tribunali suo discessit, ita tamen vt inhiberet, ne quid, alterutra ex parte, causa sic indecisa pendente, noui attentaretur. Ipse etiam ad euitandam omnem suspicionem, quòd tam graues altercationes temporis mora confirmare, vel alere vel-le videretur, sui muneris esse iudicauit, vt missis ad vtrumque populum legatis, eos seorsum ad honestas mutuæ concordiæ condiciones inflecteret. Et Pisas quidem, Moguntinum; Genuam verò Reinaldum, qui illi à secretis erat, ablegauit. Quorũ prior in mandatis habebat, vt Pisanis captiuos Genuenses pristinæ libertati restituendos persuaderet, atque adhortaretur. Hic verò, vt Reip. auctor omnibus modis esset, vt in gratiam Cæsaris aliquid de suo iure remitteret, & maiorem publici boni, quàm priuati rationem haberet. Sed quamuis vterque magno studio & industria, vt ea res ex animi sententia perficeretur, contenderet; nihil tamen omnimò impetrari potuit. Proinde rursus ad arma decursum, & anno quidem eiusdem æui septuagesimo septimo, vterque populus in mutuam perniciem conspirans, & summa animorum contentione classem præparans, aliquid moliturus videbatur. Sed nescio qua inconstantia, vtriusque gentis animis itemorum spe pacis ab instituto detractis, nihil inter ipsos, hoc quidem tempore, memorabile gestum fuit. Ceperat enim eos, vti arbitror, diutini belli tædium, ac tantorum sumptuum rationes haud mediocriter commouebant, ita quidem, vt etiam vtraque Resp. quiete & otio mirum in modum indigeret: nec facilè respirare poterat, nisi præteritæ calamitates aliqua temporis ratione, ceu necessario quodam temperamento, lenirentur & subleuarentur. eoque factum est, vt de vtriusque populi voluntate & consensu quinque ciues vtrimque delecti sint, quorum iudicio atque auctoritate omnes publicæ simultates & controuersiæ in posterum tollerentur. Hi ciues, quamuis per se quisque enixè daret operam, vt, quoad eius fieri posset, sanis consiliis ac prudentia, Reip. suæ prodesset, & non aliò quàm ad pacem publicam, respiceret, tanta tamen & tam ardua super Sardiniæ possessione fuit contentio, & vtriusque partis discrepantia, vt nullo pacto concordia inter eos coalescere potuerit: sed infecto negotio discessum. Quod sanè non paucos magni nominis atque existimationis viros ex vtraque parte valdè commouit, quòd partim quàm ægerrimè ferrent, partim verò mirificè dolerent, opes Reip. suæ vsibus non necessariis insumi, illamque sensim summoperè labefactari, sic me herclè, vt horum potissimùm auctoritate vtriusque vrbis Antistites, ab aliquot etiam optimatibus sollicitati, commune negotium tractandum susciperent. Hi, quò maiorem sibi auctoritatem pararent, Lucensem Præsulem, virum optimum, & neutri Reip. addictum, tanquam collegam omni suspicione carentem, assumpserunt, & cum tanta fidei integritate omnia sua consilia & industriam, ad vtilitatem ac tranquillitatem publicam direxerunt, vt vel hoc solo nomine æterna laude & memoria digni iudicandi meritò sint. Sed Sardiniæ possessionis & iuris disceptatio vsqueadeò magnam & inextricabilem perplexitatẽ attulit, vt, licet omnem mouerent lapidem, quò pacem mutuò constituerent, domum

Cæsaris studium pro pace inter vtrumque populum constituenda.

1177.

Vterque populus bello defessus, pacẽ expetit.

domum tamen citra aliquem fructum, cum ingenti omniũ bonorum virorum dolore, reuersi sint, adeò sanè, vt inter eos longè grauiora quàm antea certamina orirentur. Lucensis etiam Resp. communem vtriusque huius populi interitum miserata, sese huic negotio immiscuit, ac vtrique auctor esse contendebat, vt, depositis pristinis omnibus simultatibus, simul in mutuam gratiam redirent. sed tanta erat vtriusque, præsertim verò Pisanorum, pertinacia, vt nullis prorsus studiis vel artibus ad pacem vel saniora consilia inflecti potuerint. Exiguo etiam interposito tempore, Lucenses multis rationibus adducti, Pisanis bellũ indixerunt: cuius quidem belli ansam, ipsi in Ligures, ceu capitales hostes, detorquebant; existimantes, arcano quodam iure fœderis Lucenses arma cum Liguribus contra se coniunxisse, vt hoc pacto faciliùs opprimerentur. Quam quidem conceptam suspicionem nõ parum confirmauit clades ipsis à Lucensibus ad castrum Actianum (hodie Nozzanum vocant,) illata. Eo namque tempore arx illa, Pisanorum armis atque præsidiis tenebatur. Sed Lucenses, per occasionem sibi ablatam, illam adorti, feliciter expugnarant; compluribusque contrucidatis, magnum hostium numerum in captiuitatem secum abduxerant; ex quorum numero decem, Senatui Genuensi gratificandi & placendi studio, ceu prædæ partæ dono, miserunt. Ceterùm Pisani, statim post acceptam cladem summa contentione dedêre operam, vt se aduersus omnes aduersariorum suorum incursus & iniurias præmunirent ac præpararent. & cùm constanti fama intelligerent, vndecim Liguslicas triremes non ita pridem in Galliam Narbonẽsem ablegatas esse, quamprimum ad tredecim triremes, duce Nicolao Rodulpho viro consulari, & magnæ auctoritatis, summa celeritate expediuerunt, qui summa cum diligentia instituto nauigationis cursu, non antea substitit, quàm hostes ipsos assequeretur. Cumque animaduerteret, eos Orientalem plagam versus deflectere, ne aliqua ratione sibi elaberentur, protinus remis velisque contendit, vt eorum classem, terræ se applicare conantem, præueniret; quòd non ignoraret, idcircò abeis hoc fieri, vt, cùm in illo maris tractu quamplurimos clientes haberent, horum viribus atque auxilio ipsi haud mediocriter, si ita vsus ferret, iuuarentur. Qua de causa omnem refugiendi opportunitatem illis præripiendam statuens, omnem ad continentem enauigandi facultatem ademit, ita vt cogerentur, obuersis proris, mutato cursu, altum petere: quas ille insecutus, quatuor triremes segniùs remigantes, intercepit, multisque manubiis, & non paruo nobilium captiuorum numero ditatus, domum reuersus est: quorum quidem captiuorum postea permutatio cum iis facta, quos paulò antè à Lucensibus dono Reip. missos fuisse significauimus. Ceterùm Ligures ad auertendum à se paulisper bellum, ac quò magis Lucenses aduersus Pisanos excitarent & inflammarent, operæpretium se facturos arbitrati sunt, si illos aduersus hos ad continuandum bellum instruerent, nec sanè imprudenter, cùm nihil ea tempestate illis quicquam vtilius vel commodius accidere potuerit, quàm vicinum & grauem aduersarium, & nunquam quiescentem, cum alio populo, nondum belli difficultates experto, nedum defatigato, committere. Proinde in illorum gratiam, paucis interiectis diebus, sexdecim nauigiorum supplementum fecêre, quibus freti, Duce Ido Contardo, Pisanos varijs incommodis affecerunt. At hi de rebus suis summoperè solliciti, ac veriti, ne à duobus vicinis hostibus inuicem coniunctis, vno eodemque tempore opprimerentur, quò magis ad omnem coërcendam vim essent paratiores, summo cum silentio ac celeritate triginta triremium classem omnibus necessariis instructam eduxerunt; ad cuius repentinum aduentum valdè commoti Ligures, vt præsens

Pax frustrà tentata.

Lucens. Pisanis bellum indicunt.

Pisanorum clades à Lucens. illata.

Quatuor Liguslicæ triremes à Pis. interceptæ.

Fœdus inter Ligures ac Lucẽses, aduersus Pisã

periculum declinarent, ſubitò conuerſa nauigatione, Genuam verſus iter direxêre. Quippe cùm ſe nauigiorum numero & viribus longè inferiores tunc eſſe cognoſcerent, omnem ſalutis ſpem in ſola fuga reponentes, non antea quieuêre, quàm, ludificato hoſte, qui eos magno impetu inſequebatur, in portum peruenirent, ita vt Piſani, ſpe fruſtrati, nulla re tunc temporis inſigniter geſta, poſt aliquot excurſiones, & haud leuia detrimenta Liguſticæ oræ illata, ſeſe domum conferre coacti ſint. Lucenſes interim, ne illis vel domi vel foris vlla requies relinqueretur, omnibus viribus contendebant, eos maioribus moleſtijs inuoluere, & à bene gerendarum rerum curſu retrahere. Quod vt fieret commodiùs, Genuenſes in ſubſidium belli ipſis aliquot auxiliares copias, duce Rogerio Malaboto viro conſulari, & pace ac bello claro, præmiſerunt. Ac quò magis ab omni maritima excurſione impedirentur, Nicolaus Rutius, pari dignitate ac auctoritate in ipſa Rep. florens, iuſſu Senatus in Prouinciam Narbonenſem cum quatuor triremibus iiſdem diebus profectus eſt, eo quidem ſucceſſu, vt, licet omnium iudicio ea expeditio aliquid magni momenti allatura videretur, attamen nihil præclari geſtum ſit. Pari euentu & vix melioribus auſpiciis, Anſelmus Garius, qui Rutio in militari expeditione cum imperio ſucceſſit, prouinciam ſibi commiſſam adminiſtrauit. Nam præter aliquot aduerſariorum rates incendio abſumptas, nihil prorſus effecit, quod laudem mereatur, vel meritò literis conſignari debeat. In hoc rerum tractu, Piſani de hoſtis reditu edocti, confeſtim ſex triremes omni bellico apparatu exornatas, in ſinum Liguſticum ad ipſum inuadendum eduxêre. Cuius rei fama vbi primùm Genuam perlata eſt, nulla mora interpoſita, ſeptem triremes duce Othone Caffaro conſularis dignitatis viro, expediuerunt, qui, rebus omnibus ex animi ſententia conſtitutis, quarto Idus Auguſti, è Genuenſi portu in altũ præteruectus, in hoſtem incidit: eumque ſummo animi ardore & alacritate adortus, dirum & atrox prœlium commiſit. Piſani, etſi vna triremi inferiores eſſent, cùm tamen nauigia optimè inſtructa haberent, mira quadam animi fiducia & alacritate ſibi victoriam pollicebantur. Ligur contrà, numero ſuperior, ac præteritarum victoriarum de ipſo hoſte non ſemel relatarum memor, enixè operam dabat, vt accepta incommoda & illatas iniurias vlciſceretur, nouamque gloriam ex recèns egregiè factis compararet. Conflictum eſt diu vtrinque acriter, & ſummis viribus. Tandem Conſul qui ſumma cum prudentia & artis militaris diſciplina illam triremim, qua ipſe vehebatur, neceſſitati reſeruarat, illamque quaſi ſubſidiariam, extra aciem poſuerat, cùm diligenter obſeruaret, qua parte ſui magis laborarent, & hoſtes maiorem impreſſionem facerent, illicò cum ſummo impetu ſeſe certamini intulit, & ſumma cum omnium ſuorum alacritate in prætoriam hoſtilem triremem inuaſit, tanto certè cum robore & impetu, vt illam in tranſuerſum actam, in ſuam poteſtatem redigeret, adeò vt reliqui prætoriæ exemplo & caſu conſternati, paulatim ac ſenſim ſeſe ſubducerent, & pugnam tergiuerſatione detrectarent. Conſul igitur ſuperior ſua prudentia & robore factus, magnam ſibi gloriam & virtutis opinionem, tam apud ſuos, quàm ipſos etiam hoſtes peperit, ita vt deinceps his formidabilis, illis verò ſuſpiciendus & admirationi eſſet. Qua de cauſa cùm Genuam ouanti ſimilis nouiſque ſpoliis onuſtus reuerteretur, magno honore, vltra fauſtas plebis acclamationes & amicorum congratulationes, etiam ab omnibus ordinibus, atque adeò ab ipſo Senatu exceptus fuit. His rebus foris eo quo ferè diximus, modo ſeſe habentibus, Genuæ ijſdem fermè diebus, tanta annonæ, omniumque rerum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariarum caritas fuit, vt in foro rerum venalium nihil propè extaret, quod ad

Nauale conflictus.

Militare ſtratagema.

Ligurum victoria.

Genuæ mira annonæ caritas.

ad vitæ alimoniam vel subsidium faceret. Quæ sanè rerum omnium penuria ferè ad semestre durauit; atque ex eo potissimùm orta esse fertur, quòd cùm Resp. in Friderici Cæsaris fide atque obsequio constanter perseueraret, Mediolanensium odium attraxerat, ita vt ab illis omni annonæ præsidio Liguſticus ager interclu-deretur. Quare cùm nullũ subsidium vel subleuamen tam angustis temporibus ab Insubribus sibi sperarent, ad Gallorum solitam humanitatem, quam non semel experti erant, confugêre; breuiq. pòst, illorũ beneficio re frumentaria, aliisque humanæ vitæ vtilibus ac necessariis ex Gallia Narbonensi subleuati sunt. Suberat tamen non parua difficultas, quòd scilicet commeatum tutò trànsuehere ac transportare nequirent. Pisani enim, capitales hostes, & ad omnem lædendi occasionem intenti, enixè operam dabant, ne ipsis rerum extremitate laborantibus aliquid adferri posset; eaque de causa magnum nauigiorum numerum destinauerant, & plerosque illius maris sinus insederant, ita vt nisi cum summo vitæ periculo vlli nauigandi potestas daretur. Ad auertendam igitur à Repub. tantam pestem, & ne maiori domi calamitate & strage, quàm foris ab hoste afficerentur, ac quò tutiùs & maturiùs suis supramodum laborantibus succurrerent, præualidam classem tum publicis, tum priuatis sumptibus instruxerunt, quæ per partes distributa, in diuersis oræ Liguſticæ tractibus, stationem ad inhibendam hostilem vim habuit. Iniunctum etiam seueriſſimè à Senatu, supremo classis præfecto fuit, omnibus viribus daret operam, ne aliquam cum hoste congredien-*Noui Genuens. apparatus.*
di opportunitatem, si qua daretur, negligeret. Proinde ipse mandati sui memor, omnibus artibus hostem ad conserendam manum alliciebat, atque, habitis leuioribus prœliis, res tandem hunc exitum tulit, vt Genuenses, quibus se Trepidicinus, ea tempestate, ob rei naualis scientiam, admodum celebris, quique antea Pisanis strenuam & multam operam nauarat, recèns cõiunxerat, superiores euaderent, ac iuxta Ligurnum duas hostiles triremes; in quarum quidem altera Consul Pisanus cũ multis aliis Reip. suæ nobilibus erat, dolo potius & stratagemate, quàm æquis viribus caperent. Multi, ac ferè omnes præcipui omnium ordinum viri, huic expeditioni tam necessariæ interfuêre, quorum omnium recensere nomina, difficile, tum etiam tædiosum esset: inter ceteros tamen qui se præclarè ac fortiter gesserunt, primam omnium iudicio laudem meretur Ricius Passanus, huiusque extat Passanæ præclarissimæ familiæ auctor & conditor, qui ab ineunte ætate inter suos æquales ita egregiis moribus & præclaris actionibus enituit, vt facilè à prudentioribus sit annotatum, & animaduersum, tam insignem illius indolem aliquandò Reip. vtilem & salutarem futuram. nec fefellit ipse maiorum suorum iudicium. Nam postquam adoleuit, & capessendis honoribus idoneus factus est, tanta fidei integritate munia & prouincias quas sustinuit, tutatus est, vt quantum præclarus ciuis bene institutus, ciuitati suæ, atque adeò toti Reip. debeat, non semel exemplo docuerit. Quandoquidem satis constat, ipsum laboranti Reip. multis bellis & calamitatibus fessæ, sese, ceu nutanti ædificio, fortiter ac pro virili sua parte sæpius opposuisse, ita certè, vt in hac postrema ciuitatis quodammodò desperatione ac egestate, non solùm nomen suum tam necessariæ expeditioni dederit, verùm etiam priuatis sumptibus, insigni instructa triremi, classem Reip. adauxerit; vnde certè & propter reliqua præclara sua in hac expeditione feliciter gesta, incredibilem ac ferè immortalẽ sibi gloriam comparauit. Quippè quòd mare Liguſticum ab hostilibus concursionibus repurgatum, & ciuitas ipsa re frumentaria, aliisque necessariis subleuata & recreata fuerit, id totum beneficij huic vni maiori ex parte acceptum referri debet. Ceterùm, huius expe-

Ligurum victoria.

Ricii Passani præclara virtus.

ditionis

ditionis maritimæ ſucceſſum non æquauit belli in Etruria geſti fortunæ euentus. Porrò Piſani fortunæ aduerſitatem ſuperiori æſtate contra Ligures mari experti, contra Lucenſes, quibus tum illi, vti demonſtrauimus, fœdere coniuncti erant, æquiori Marte pugnarunt. Nam poſt longum & atrox, ac planè dubium certamen, Lucenſes ab eis fuſi, & incredibili clade affecti ſunt. Quo quidem ſucceſſu elati, omnia tentantes, & infeſtantes, breui pòſt, ipſis Motroni arcem eripuêre: quam, ne nouis bellis præſidium, vel hoſtibus receptaculum eſſe poſſet, funditus euerterunt. Genuenſes interea, cùm eorum maximè intereſſet, vt inter hos duos populos recèns commiſſos, bellum aleretur, omni cura & ſtudio ſeriò allaborarunt, vt Lucenſes ſibi confœderatos nouis auxiliis contra Piſanos, communes aduerſarios inſtruerent; adeò vt illi noua Ligurum acceſſione, & priuatim nouo ſupplemento facto, freti, nuper amiſſum caſtrum, licet ſemidirutum & euerſum, non citra tamen magnam difficultatem & moleſtiam, recuperauerint. Et quòd ibi ſedes bello ſic ſatis cõmoda & idonea omnium iudicio, propter loci opportunitatẽ videretur, illud ſumma celeritate, & munimẽtis aliiſq. neceſſariis ita inſtaurarunt, vt impoſitis præſidiis cõmodè contra hoſtiles conatus & iniurias defendi ac propugnari poſſet. His oppidò peractis, Lucenſes crebris excurſionibus Piſanum agrum diuexarũt, & magna cum indigenarum clade depopulati ſunt. Verùm propter ingruentẽ hiemem, cùm tẽporis ratio gerendis bellis minus foret idonea, tantiſper ab armis vtrimq. temperatum, donec per meliorem temporis occaſionem liceret. Superius demonſtrauimus, Fridericũ Cæſarem ſtatim cùm in Italiam maximis & grauiſſimis de cauſis euocatus veniſſet, de conſtituenda publica Italiæ tranquillitate non ſemel cogitaſſe, ideoq. cum Genuenſibus & Piſanis, & coràm, & per internuncios enixè egiſſe, vt, ſe auctore, vterque populus, ſublatis belli anſis, ad mutuam concordiam & gratiam rediret. Sed propter vtriuſque pertinaciam, nihil omninò conſtitui potuiſſe. Ipſe itaque ſub hoc ferè temporis tractu in Siciliam, quam imperio & ditione tenebat, profecturus, nihil de priſtino ſuo propugnandæ & conſtituendæ publicæ quietis ſtudio remittens, per Moguntinum ſeptemuirum iterum vtriuſque populi animos tentare cœpit, & experiri, num rationibus vllis ad ſaniora conſilia, atque adeò ad pacem inflecti poſſent. Verùm licet Moguntinus, demonſtratis temporis conditionibus & impendentibus neceſſitatibus, oſtenderet, cum quanta Cæſaris indignatione, & quàm magno totius Italiæ detrimento arma ipſi in mutuam perniciem expedirent, ac nihil omitteret, quod ad commouendum vtriuſque animos pertinere exiſtimaret; nihil tamen, cùm Piſani ab omnibus pacis conditionibus alieniſſimi eſſent, & nihil magis quàm bellum expetere viderentur, efficere potuit, ſic profectò, vt illorũ pertinacia animaduerſa, & quorſum illorum ſtudia erũperent, diligẽter perſpiciens, magna prudẽtia de Cæſaris volũtate paucis interiectis dieb. comitia habuerit, & in iis inter cetera conſtitutũ, vt Piſani, quòd rebelles & Cæſaris dicto minimè audientes eſſent, omnibus priſtinis ſuis immunitatibus ac priuilegiis exuerentur, ſimulq. omni Sardiniæ iure, quod ſibi arrogabant, excidèrent: ac præterea vniuerſa illorũ bona, tam publica, quàm priuata, Cameræ Imperialis fiſco adiudicata & aſcripta. Ligures verò ab his multum diſſimiles, Cæſaris gratiam omnibus artibus atque ſtudiis indies magis atque magis promerebantur, ita vt ipſe in eorum gratiam Piſanum quendam conſularis dignitatis virum, apud ſe aliquamdiu in cuſtodia aſſeruatum, Senatui Lucenſi id roganti dono daret. Quibus Cæſaris decretis tantum abeſt vt Piſani aliquo modo conſternati vel deterriti fuerint, vt longè præcipitantiùs & ardentiùs ad bellum

Piſanorum victoria cõtra Lucen.

Piſanorum bona Imperiali fiſco adiudicata.

Piſani neglectis comminationibus Cæſaris, bellum aduerſus Ligures ſuſcipiunt.

bellum ruerent, eueſtigioque potentiſſimam claſſem ad Liguſticum agrum diuexandum compararent. quorum quidem pertinacia & nouo apparatu cognito, Ligures de ſumma omnium voluntate Sigiſmundum Corſum cum octo triremibus expediuêre; qui ſumma ſagacitate animi hoſtium conſilia ſubodoratus, & præueniens, atq. admirabili quadam feſtinatione vſus, ad Arni oſtium adnauigauit; flumenque ingreſſus, prius oppidum, vulgò S. Crucis, occupauit, quàm hoſtibus quicquam de ſuo aduentu innoteſceret. At Piſani, mox valida manu militari comparata, cùm illud poſt multas rapinas & incendia adoriri vellent, ipſe de hoſtilibus apparatibus certior factus, ne quid à maiori multitudine incommodi pateretur, ſtatim ad fauces illius fluminis retroceſſit, eo ſanè euentu, vt quamuis hoſtem in propinquo haberet, qui eum ſumma celeritate inſequeretur; tamen illius manus, citra vllum diſpendium vel cladem, elaberetur. Poſtea diuiſa claſſe, cùm tres Piſanæ triremes Liguſticam nauim pretioſis mercibus onuſtam, & Genuam recto curſu tendentem, conſpicatæ ſequerentur; fortè accidit, vt in ſex illas triremes, quas paulò antè Gulielmus Biſaccius Genua eduxerat, incidérent. quo ſanè factum eſt, vt harum beneficio illa nauis periculo eximeretur, & Piſanæ in hoſtium poteſtatem deuenirent. Cùm ergo ipſis, tot rebus iam vndiq. pertentatis, nihil pro voto ſuccederet, noua conſilia & rationes iniuerunt, quibus hanc Rempub. affligerent. Proinde ſolicitatis omnibus propemodum Liguſtici imperij ac nominis ad noua ſtudia aduerſariis, primò cum Opizone Maleſpina Marchione, & mox cum oræ Lunigianæ indigenis fœdus ac ſocietatem icerunt; qui omnes magna conſpiratione viribus coniunctis, arma contra Ligures expediuerunt. Hi verò tantis apparatibus nullatenus exterriti, ſumma induſtria & diligẽtia variis in locis ſuæ ditionis delectu habito, magnum peditum & equitum numerum coëgerant; quibus freti, cum aduerſariis iuxta Clauarum ea fortuna conflixêre, vt non ſolùm hoſtilem impetum ſtrenuè ac fortiter ſuſtinerent, verùm etiam magna eos clade afficerent. Ceterùm cùm ipſi, paucis diebus interpoſitis, reparatis viribus, nouiſque auxiliis à Piſanis inſtructi, cõdem redirent, ac etiam plurimi ex vallis Airanæ incolis, horum inſtinctu ſubinde à Genuenſibus deficerent, tanta temeritate omnia circumuicina loca circumuagati ſunt, vt, omni ſublato metu, in vallem vſque Rapalinam excurſione facta, Monleonis arcem ſummis viribus inuaſerint: in cuius quidem expugnatione dum pertinaciùs inhærent, Genua iterum nouus exercitus in eos, duce Ingone Fleſſa, tunc temporis vrbis Conſule, adiuncto centum cataphractorum præſidio, quorum maior pars ex vrbana multitudine conſtabat, tranſmiſſus eſt. Hoſtis autẽ vbi primùm de nouis auxiliis certior fieret, nulla mora poſthabita, fugienti haud diſſimilis, ſoluta obſidione diſceſſit. At Ligur, neutiquam ſibi quieſcendum ratus, Marte propitio ac fauente, vlteriùs progreſſus, caſtrum Paſſani, ab inimicis paulò antè occupatum, recuperauit: quod quidem propter ſpontaneam deditionem illis factam, funditus, ad reliquorum exemplum, euerſum eſt: tantuſque fuit Genuenſis Præfecti contentionis ardor, vt antè non quieuerit, quàm vniuerſam Liguſticæ ditionis oram pacaſſet, eamque in priſtinam fidem atque obſequium redegiſſet. Huiuſcemodi motibus tandem hoc pacto ſuperatis atque compoſitis, Conſules nihil prius habuêre, quàm foris partam quietem omni cura atque perenni ſtudio conſeruare; eaque de cauſa in Sardiniam recèns pacatam, & in ordinem, vti enarrauimus, redactam, Lanfrancum Albericum ſtrenuum virum, cum octo nauigiis, vt hanc Prouinciam in officio contineret, ablegarunt: ad tutelam verò ſuperi atque inferi maris Otho Caſſarus, & Ingo Fleſſa ſummæ auctoritatis ac

Tres Piſanorum triremes à ſex Liguſticis intercipiuntur.

Paſſani caſtrum à Genuenſ. recuperatur, & diruitur.

exiſti-

exiſtimationis viri, cuius quidem poſterioris proximè meminimus, cum aliquot nouarum triremium præſidio & ſupplemento miſſi ſunt. Hi quamlibet ad omnem occaſionem intenti, etſi diligenter hoſtium aditus obſeruarent, & nihil perinde quàm confligere auerent, nullis tamen irritamentis efficere potuerunt, vt illos ad pugnam ineundam adducerent. Nam cùm ſeſe inferiores cognoſcerent, ſummam belli aleam committere non ſunt auſi, ſed nouis conſiliis atq. artibus, alios nouos motus atque turbas in Liguria ciêre ſibi expedire viſum fuit, vt ſic ipſos aduerſarios foris externis expeditionibus vacantes, domeſticis occuparent. At Ligures interim enixè operam dederunt, vt March. Opizum Maleſpinam ſibi reconciliarent, cum quo etiã tantum egêre, vt ſibi Erycis collem, & quædam vineta diuenderet, eo conſilio, vt illo venditionis titulo ſui iuris facto, Piſanos etiam poſtmodum commodiùs infeſtarent. Et quò externos Principes foris pacatiores, minuſque infenſos haberẽt, ſummo ſtudio ſingulos promereri ſtudebant, & ad Gulielmum quidem Siciliæ regem, qui cum ad illam diem ſibi nonnullæ haud ita leues controuerſiæ interceſſerant, Othobonum Albericum miſere; cuius viri dexteritatem ac ſingularem quandam prudentiam tantam fuiſſe tradunt, vt ſuum populum pacato regi in gratiam reponeret, ita vt, conſopitis omnibus ſimultatibus, omnia deinceps amicè cum ipſa Repub. egerit. quam quidem mutuam reconciliationem in annum milleſimum centeſimũ ſeptuageſimum quintum incidiſſe, Annales teſtantur. Ceterùm vtroque populo ad bellum intento, & ad rabiem vſque in mutuum odium atque perniciem exaſperato, Ligures cùm animaduerterent, ſibi cum inquieto ac prorſus implacabili hoſte negotium eſſe, & vix aliquam belli vacationem ſperandam, omnibus viribus illius conatus impedire, atque nouorum initorum conſiliorum rationes inuertere & labefactare ſtudioſè atque anxiè contendebant: eaque de cauſa inſtructa noua claſſe, compa-ratiſque ad nouum gerendum bellum omnibus neceſſariis, ſub Rogerij Caſtelli auſpiciis cum ſex triremibus in portum Piſanum præteruecti, maximis eos damnis affecerunt, ac præter alia, oneraria quadam eximiæ magnitudinis ad anco-ram ibi ſtationem habente, potiti ſunt: quam non ſatis fuit in ipſius ciuitatis Piſanæ conſpectu ſpoliaſſe, niſi ad maiorem hoſti iniuriam & contumeliam infligendam, etiam incenderent. cumque aſſiduè inter ſe diuerſis modis & depopulationibus graſſarentur, nec vllis incommodis vtrimque inflictis exſatiari, vel aliquo modo adduci poſſe viderẽtur, vt à tam diuturno bello, quod vtramq. Rempub. valdè afflixerat, & ferè per tredecim annos continuos durauerat, tetraherentur: tandem Genuenſes, acciſis iam vtriuſque Reipub. rebus, & pleriſque locis euaſtatis, vel defœdatis, diuturni & periculoſi belli pertæſi, ſecum reputantes, cum quàm graui Reipub. incommodo & inæſtimabili detrimento hic præſens rerum ſtatus & condicio coniuncta eſſet, de pace, licet ſerò, & neceſſaria potiùs, quàm voluntaria & expetita, cogitare cœperunt, ita vt non obſcurè præ ſe ferrent, ſe æquis condicionibus cum hoſte, ſi ita illi videretur, tranſacturos. Piſani contrà ſuapte natura immodicæ gloriæ atque honoris auidiſſimi, licet hoc idem & multò quidem magis quàm ipſi aduerſarij, expeterent; nihilominùs tamen eò difficiliùs ad hoc impellebantur, quò magis ſibi perſuaderẽt, ſuæ dignitati non parùm derogatũ iri, ſi aliqua ex parte ſeſe dimitterẽt, vel ſuis æmulis inferiores viderentur, adeò vt dum ſtulta & ambitioſa quadam cõtentione pares videri volunt, nec inuicem potentia atque dignitate cedere contendunt, ſub dubia ſpe pacis vtriuſque Reip. ſtatus mirum in modum fluctuauerit; quæ etiam omninò deſperata ab omnibus fuiſſet, niſi Cæſar in Italiam ſummo cum vtriuſque gentis beneficio rediiſſet.

Piſani detrectãt pugnam.

Reipub. cum Gulielm. Siciliæ rege conciliatio.

1175.

Nauis Piſana à Liguſticis occupata & incenſa.

Hoc bellum inter Genuẽſ. ac Piſan. 13. continuis annis productũ.

diisset. Fridericus enim Cæsar, ob recentes motus, & excitatas per nonnullos publicæ quietis perturbatores, turbas, cum ingenti exercitu ad eas reprimendum per alpes Rhætias in Italiam venerat, ac totius ferè Romani Imperij optimatum florem, inter quos Henricus Saxo, nepos eius fuit, secum adduxerat. Ipse vbi primùm Italiam attigit, singulas ferè ciuitates adeundo, nihil omisit quod ad quietem publicam constituendam pertineret. & postquam in Papiensi agro constitit, inter cetera præclarè ab eo administrata, conterminos populos, vtputa Pisanos, Lucenses, Ligures, Florentinos, ac Senenses, grauiter inter sese, vt sæpiùs enarrauimus, variis de causis dissidentes, euocauit: & intellectis per oratores ad hoc per singulas gentes missos, controuersiarum causis, nihil prius habuit, quàm, consopitis omnibus dissensionibus & litibus, eos pace mutuò coniungere, ac sempiterno concordiæ vinculo quàm religiosissimè inter se deuincire, ita certè, vt potissimùm Cæsaris auctoritate atque opera, inter ceteros, Genuenses cum Pisanis anno eiusdem sæculi septuagesimo quinto in gratiam redierint, ea conditione, vt quicquid Pisanis antea per Moguntinũ de Cæsaris iussu & voluntate ademptum esset, restitueretur, interim tamen Genuensibus vniuersæ Sardiniæ possessio, ceu propria & legitima, attribueretur; tametsi multi scriptores super hac re nõ parùm inter se varient. Nam apud multos opinio obtinuit, Cęsarem magno tẽperamento hac in re fuisse vsum, adeò vt æqua portione Sardiniã in duas partes diuisam, vnam quidem Liguribus, alteram verò Pisanis adiudicarit. Quocumque tamen pacto res sese habeat, non dubium est, quin post diuturna bella, hac eadem tempestate, qua Cæsar in Italia agebat, inter hos duos populos illius arbitrio atque auctoritate pax fuerit constituta, & vtriusque Reipub. animi in mutua amicitia ita coaluerint, vt ferè per vndecim annos continuos hæc pax inter eos illæsa, summaq; cum religione constiterit. Post quorum quidem annorum volumina, anno scilicet millesimo centesimo octogesimo septimo, cùm Pisani magnam sibi potentiam & auctoritatem in Sardinia comparassent, opibusque & gratia ibidem plurimum valerent, violato fœderis iure, ac nihil mutuæ amicitiæ pensi habentes, mercatores Genuenses in Caralitano tractu frequentãtes, summa cum violentia exegerunt, & fortunis suis omnibus euerterunt. Cuius quidem rei indignitate Ligures mirum in modum, vt par erat, commoti, omni cura & studio tam grauem iniuriam cum non leui detrimẽto coniunctam, propulsare, & quo ad eius fieri posset, vindicare statuerunt: habitisque in Senatu maturis deliberationibus, de Patrum sententia atque decreto statutum fuit, vt ad conseruandam Reip. dignitatem, & coërcendam in posterum Pisanorum insolentiam, qua indies magis magisque ferociebant, quamprimùm nulla sumptuum habita ratione, militares copiæ describerentur. Quapropter designatis ad hoc ducibus, & tam domi, quàm foris coacto milite, summa diligentia effectum fuit, vt Genuæ præparata iam maxima classe, atrocissimum bellum aduersus antiquos hostes renasceretur. Incredibile enim dictu est, quàm promptis animis ab omnibus municipalibus, aliisque Ligusticæ oræ accolis, ad tam iustum bellum nomen dandum sit concursum, adeò mediusfidius, vt illorum temporum scriptores in hoc perbellè consentiant, alterutram Rempub. in extremum deuenisse periculum, nisi arma, contra ipsos Pisanos iustis de causis suscepta, Henricus Friderici Cæsaris filius impediuisset. Fieri siquidem aliter non poterat, vt Ligures iusto odio flagrantes, ab instituto cursu, nisi tanti viri auctoritate, reuocarentur; præsertim cùm non tantum spei atque fiduciæ in copiis, quas habebant maximas, quàm in ipsa rei causæque æquitate sibi reponerent. Cæsar itaque intellecta noua

Friderici Cæsaris in Italiã rẽditus.

Pax inter Genuenses ac Pisanos.

Pisani redeũt in gratiã cum Cæsare.

Pax inter vtrumq. populum in XI annos producta.

1187.

Pax denuò per Pisanos violata.

vtriusque gentis contentione, ad auertendum præsens bellum, quod secum magnæ ruinæ instar, multos in dirum exitium attracturum videbatur, summa cum prudentia filium suum Genuam ablegarat, vt hic eius nomine seriò apud illum Senatum ageret, ne, licet grauibus iniuriis affectus, vlterius progrederetur, vel aliquid armis decerneret. Statui enim atque inueniri rationes non illegitimas posse, quibus Pisanorum temeritas, & in obseruanda pace perfidia castigaretur, & deinceps cum magna illorum ignominia retardari posset. Vltra publicum quietis studium, quò Cæsar ipse quammaximè flagrabat, accedebat, vt nonnullis placet, priuati commodi ratio. Constituerat enim, Siculi regni possessionem fortiter armis vindicare, & ideò vtrumque hunc populum quàm pacatissimum dotmi esse, neq. aliquo priuato ac domestico bello distineri cupiebat, vt foris vtriusque opera in rebus suis necessariis commodè vti posset. Valdè nimirum indignabatur Cæsar, sibi per absentiam tanti regni possessionem perfidia paucorum esse interceptã. Paucis enim antè annis auctoritate ac beneficio Cælestini tertij Pontificis, illius dominium adeptus erat. Pontifex enim iniquo animo ferebat, Tancredum Rogerij Ducis Calabriæ filium, ex concubina susceptum, in Gulielmi secundi defuncti locum de procerum cõsensu in regnum subrogatum esse, adeò vt ad ipsum Cæsarem in eo regno stabiliendum, constantiam Gulielmi sororem, qui nulla relicta prole, vita excesserat, tunc in sacris agentem, omni religione solutam, Henrico Cæsaris filio, in matrimonio locauerit, Siciliamque cum Calabria & Apulia illi ea condicione attribuerit, vt Romanæ Ecclesiæ beneficiariæ ac feudatariæ essent. Cùm igitur hoc regnum Tancredus, vti diximus, occupasset, & Fridericus Cæsar Henrici pater, Syriacam expeditionem cogitaret, omni studio atque opera ad Siciliæ recuperationem intentus, multum præsidij ac emolumenti in huius vtriusque populi classe atque viribus collocabat, adeò vt quamuis Genuenses nõ ita prorsus retineri potuissent, quin impressione in Corsicam, duce Fulcone. Iustiniano facta, Pisanis Bonifacium adimerẽt, quod postmodum multis motibus atque bellis ansam dedit: nihilominùs tamen diligentia atque auctoritate Cæsaris ad præsens ita ab institutæ expeditionis susceptione retracti fuerunt, vt ipse Henricus, electo Tancredo regni æmulo, expetiti regni possessionem adiret; Cæsarque in Syria postmodum aduersus Saladinum pro imperij Christiani dignitate militans, vtriusque populi opera vsus sit. Quorum certè vires, atque rei militaris scientia non parum auxilij Cæsarianis expeditionibus, vti prædiximus, attulêre. Post Friderici Cæsaris in Asiam profectionẽ, Henricus eius filius, qui mox patri defuncto, septemuirorum suffragiis Imperator designatus fuerat, ad Siculi regni possessionem intentus, omnibus viribus contenderat, vt hoc regnum, expulsis æmulis, atque aduersariis, in suam potestatem vendicaret. Proinde cùm multum spei & subsidij in Italorum Principum armis reponeret, præsertim verò in Genuensium & Pisanorũ auxiliis, quò vtrumq. populũ, inter se, vti sæpiùs commemorauimus, assiduo bello & contentionibus decertantem, ab vlteriori certamine & contentione retraheret, atque in mutuam gratiam collocaret, Othonem Archiepiscopum Rauennatem, & Ansaldum Strettum Placentinum, viros graues, & tunc auctoritate & gratia maximè apud se florentes, ad vtramque Rempub. legatos misit; quorum deinde opera effectum est, vt ipsi, diuturnis bellis defatigati, huiusmodi oblata occasione, nõnihil à mutuis odiis conquiescerent, & Cæsaris voluntati, hac quidem in parte, obsequerentur. Ligures nihilominùs, antequam Cæsaris iussu classem præpararent, Idonem Picium, & Vgonem Cataneum ad eum ablegarant, vt immunitates, ac priuilegia à Friderico patre

Fridericus Cæsar suũ filium Henricũ Genuam mittit.

Henrici VI. legatio ad Pisanos ac Genuenses.

patre sibi concessa, ipse nouo diplomate confirmaret & constabiliret. Quod quidem prompto ac benigno animo se facturum verbotenus recepit, licet re ipsa nunquam postea præstiterit. Solet enim non rarò vsu venire, vt Principes, (bonos hic semper excipio) aliqua temporis iniquitate adducti, præsentis status conditioni inseruientes, largi & liberales pollicitationibus esse consueuerint: sed tamen postea concessæ liberalitatis immemores, composito rerum suarum statu, ad suum institutum reuertantur. Itaque Genuam reuersa legatione, cùm Senatus sese à Cæsare quod prætendebat, impetrasse arbitraretur; constituit, vt summa cum celeritate classis triginta trium triremium omnibus rebus naualibus, aliisq. rebus necessariis instrueretur, quæ ducibus Orlandino Carmandino & Bellobruno Iustiniano educta est; qui decimo octauo Cal. Septemb. è sinu Ligustico soluentes, prospera nauigatione vsi, versus Castellum maris, maritimum Campaniæ oppidum, vbi tunc temporis Tancredi regis classis, cui Margaritus præfectus erat, stationem habebat, cursum direxerunt. Hic, vbi primùm de Ligustica classe cognouit, suarum virium sibi conscius, licet Pisani Tancredi rebus clam fauere dicerentur; tamen cùm se inferiorem conspiceret, nihil habuit antiquius, quàm vt abducta classe, tutiorem sibi portum & stationem à Ligusticæ classis conspectu atque iniuriis remotiorem quæreret. Hanc occasionem nacti Genuenses, nullo prohibente, opportunitate illius portus vsi sunt, multaque bello opportuna atque vtilia, Henrico tunc temporis Neapolim arctissima obsidione premenți, subministrarunt. Verùm, quia iam æstas præcipitarat, nec suæ classis aliquem necessarium vsum ipsi Henrico fore existimabant, de illius consensu & voluntate Genuam redierunt. Sed coorta inter nauigandũ repentina quadam ac atroci tempestate, necessitate adacti fuerunt classem ipsam bipartiri; & ita diuisi, diuersa nauigatione quodammodò vti: quod postquam hostis, qui non ita procul in insidiis delitescebat, intellexit, eam classis partem quæ vicinior erat, quæque ferè tribus ac viginti triremibus constabat, celerrimo cursu insecutus est. quo sanè à Genuensibus animaduerso, licet nauigiorum numero aduersariis essent inferiores, prœlium tamen neutiquam detrectarunt: sed conuersis euestigiò proris, omnibusque necessariis ad manum conserendum expeditis, intrepidi, ac fortissimis animis sese ad certamen compararunt, adeò vt Margaritus, conspecta Ligurum animositate & alacritate, spe lapsus, eos adoriri nulla ratione ausus fuerit. sed protinus tergiuersatione facta, nauigationem suam aliò instituit, ac sensim sese ab eorum conspectu subduxit, ita vt hac in parte magnum pusillanimitatis suæ indicium reliquerit. Multi sunt, qui repentinum Genuensium discessum nõ tam ad id referant, quòd propter temporis condicionẽ nullus eorum vsus esset, quàm quòd statim ab illorum ad Castellum maris appulsu, constans fama percrebuisset, Henricum in Neapolitana obsidione trimestri tabifica pestis vi, ea tempestate in eius castris mirum in modum grassante, extinctum esse, adeò vt ipsi, hoc rumore diuulgato, decepti, domum potissimùm cogitauerint. proinde inter nauigandũ, cùm ad Circeios Margaritũ, cum sua classe offendissent, ab eo ad prœlium irritati, licet viribus impares, summo tamen animi ardore, dimicandi potestatem illi fecisse: verùm hunc, illorum animositate deterritum, summa cum festinatione se inde proripuisse. Vtri sententiæ magis accedam, cùm ambæ suos assertores habeant, in ambiguo sum; licet illorum mihi magis probetur, qui dicunt, propter instantem hiemem, Ligures ab Henrico cum gratiarũ actione esse dimissos, & rumorem illum falsò de ipsius morte dispersum, vanitatis & mendacij statim conuictum fuisse. Asserunt etiam, Cæsarem rebus suis parùm feliciter

Genuens. classis pro Sicula expeditione in gratiã Henrici Imp.

Margaritus prœlium cũ Genuens. detrectat.

Henrico Cæsari Neapolitana obsidio infeliciter succedit.

citer tunc in Italia, præsertim verò Neapoli, procedentibus, exhausto iam ferè suo exercitu, aliisque omnibus ad bellum continuandum necessariis destitutum, coactum fuisse, præter spem & opinionem, ac etiam contra animi sui sententiam, derelicta expeditione, Germaniam repetere. Verùm enimuerò, vtcumque se res habeat, cùm multum spei ac subsidij in Genuens. Reipub. armis atque opibus reponeret, & nihil sese præclarè in Italia, vel alibi, absque huius florentissimæ Reipub. auxiliis gesturum crederet, operæpretium se facturũ existimauit, si per Liguſticum agrum in Germaniam concederet. Genuam itaque sub hiemis initium anno supra millesimum centesimum nonagesimo primo cõmoda nauigatione delatus, ac honorificentissimè splendidissimeque à Senatu exceptus, graues consultationes cum illo habuit, & variæ consiliorum rationes de redintegrando contra Siculum bello agitatæ atque initæ, ita certè, vt ipsi Senatus non parum satisfecerit, cùm omnem sese præstiturum operam atque fidem ad omnem occasionem polliceretur. Sic ipse ibi constitutis rebus, paucorum dierum interuallo transcensis Alpibus, in Germaniam reuertit. Ceterùm triennio, ab Henrici in Germaniam ex Italia reditu, interposito & transacto, Rogerius Tancredi regis filius, omni virtutum genere ornatus, ac eximiæ expectationis Princeps, immaturo vitali aura subtractus est; cuius quidem obitum adeò acerbè & immoderatè tulit Tancredus pater, vt dum nimia filium indulgentia prosequitur, dolori ferendo quodammodò esset impar. Quippe, nullis admissis solatiis, vel remediis, tantum in illo naturalis illa storga potuit, vt mortem suam filij morti paucis diebus ab eius discessu copulauerit, relicto tantummodò vnico filio, Gulielmo scilicet, planè puero, tanti regni successore, quem mox Sibylla mater omni cura & studio educatum, regem Siciliæ Panormi de procerum consensu creandum curauit. Rogerius enim maior natu, qui sic iubẽte patre, Irenen, Isaaci Græcorum Imperatoris filiam, vxorem duxerat, nulla relicta prole, vita excesserat: eoque factum est, vt iure hæreditario regni Siculi possessionem Gulielmus ipse adiret. Henricus itaque, intellecta æmulorum & aduersariorum suorum morte, breui temporis interstitio inuicem subsecuta, idoneum sibi tempus prætensi regni repetendi datum esse arbitratus, nihil potius habuit, quàm cum Ordinibus imperij seriò agere, vt omnia ad nouam belli expeditionem necessaria peropportunè pararentur. Illi, tametsi rerum Germanicarum status ita esset comparatus, vt multa forent eiusmodi, quæ magis otium & quietem, quàm bellum requirerent; nihilominus tamen noui Cæsaris iustis precibus atq. auctoritate inflexi, illi omnẽ operam vltrò detulêre. Ipse verò, quò omnia tutiora atq. pacatiora in Italia haberet, néue aliquid esset eiusmodi, quod remorari posset, operæ pretium se facturum existimauit, si ad componendum inter Insubriæ ciuitates discordias & contentiones, Tronsardum, vnum ex aulicis suis præcipuum, in Italiam mitteret. Pari consilio Marcoaldum dapiferum suum ad Genuenses & Pisanos ablegauit. Qui seriò vtrique populo sui Principis nomine iniunxit, vt rem naualem, prout se facturos receperant, expedire sedulò curarent. Cæsar, constitutis in Germania rebus, comparatisque omnibus ijs ad bellum necessariis, cum validissimo exercitu summa diligentia vsus, emensis Alpium iugis, in Italiam rediit, & mense Iunio Genuam appulit, vbi splendidè ac supramodum honorificè à Senatu ceterisque Reip. Ordinibus exceptus est. Postero die admisso Senatu in colloquium, blandis & humanissimis verbis, largisque policitationibus Patres ad præparandam classem animauit, sic vt ipsi omni studio, antequam discederet, ad illam comparandam incumberent. Pisani Genuensium exem-

Einsdem ad Genuam profectio anno 1191.

Rogerij ac Tancredi Sicilię regis obitus.

Henricus Cæsar in Italiam reuertitur.

Eiusdem ad Genuam aduentus.

Genuens. ac Pisanorum naualis apparatus pro Cæsare.

exemplo incitati, idem obsequium atque officium ipsi præstiterunt. Liguſticæ classi iam instructæ nihil deerat, præter supremos duces ac præfectos. Cæsaris itaque nomine Marchio Montisferrati, & imperij Maresçallus, Reipub. verò nomine nouus Prætor, qui recèns in gratiam Marcoaldi, abrogatis consuetis Coss. creatus fuerat, cum plerisque lectissimæ nobilitatis iuuenibus præfecti fuerunt. Cæsar celeriter rebus omnibus ex animi sententia constitutis, Idibus Augusti cũ Genuensium ornatissima classe, è sinu Liguſtico soluit, atque assumptis in itinere Pisanorum triremibus, prospero ventorum cursu Caietam delatus est, eaque sine vllo certamine in potestatem accepta, inde Neapolim decimo Cal. Sept. appulit. Neapolitani de Cæsaris tam repentino aduentu ac eius classe certiores facti, ità fuêre animis consternati, vt, cùm rebus omnibus ad bellum necessariis essent destituti, missa ad eum legatione, se eius voluntati atque mandatis obtemperaturos, debitumque officium præstituros pollicerentur. Quorum exemplum circumuicinæ gentes imitatæ, illius fidem sequi potius, quàm arma experiri maluerunt. Calendis inde Sept. in Siciliam præteruectus, Messanam, quæ tunc temporis eius studia sequebatur, cum sua classe peruenit: vbi cùm Pisani cum sua classe, quæ ferè erat duodecim triremium, stationem haberent, exortis nouis simultatibus, ac veteribus odiis repullulantibus, graues dissensiones & tumultus inter eos ac Ligures concitatæ sunt, adeò vt ab armis & cędibus nõ fuerit temperatum. Verùm, cùm Cæsaris valdè interesset, ne hæ gentes inter se commissæ, vlterius digladiarentur, summo studio allaborauit, vt depositis armis, inuicem reconciliarentur: qua certè in re Marcoaldus, qui tũ, vti diximus, auctoritate & gratia apud ipsum Cæsarem florebat, tantum operæ præstitit, vt eius potissimùm industria & auctoritate omnis tumultus repressus censeatur. Eo etiam tempore, quo Messanæ ab vtroq; populo tumultuatũ est, Liguſticæ classis præfecti mors incidit; cui è viuis subtracto, de cõmuni ceterorum ducũ consensu alius tantisper subrogatus fuit, donec Senatus decreto alius cũ maiori potestate designaretur. Cæsar deinde vlterius progressus, cùm intelligeret, Catanea, insignem illius insulæ vrbẽ, validis præsidiis Sibyllæ relictæ viduæ Tancredi regis teneri, allaborandum sibi statuit, vt illa, quò ceteræ aliæ ciuitates ab omni defensione faciliùs abstinerent, armis reciperetur. Proinde admoto exercitu, cùm oppidani sese ad obsidionem tolerandam esse viribus impares animaduerterent, citra longam moram vel deliberationem, deditionem fecerunt. Hac in fidem & deditionem recepta, Syracusas præstantissimam & celeberrimam eiusdem prouinciæ vrbem, contendit. Sed cũ hæc vrbs non solùm loci natura, verũ etiam arte atque opere valdè communita esset, ita vt facilè propugnari & defendi posset, ac præter hæc, validissimo præsidio teneretur, Cæsar summam difficultatem subiit, priusquam illam expugnare potuit, sic vt eam non citra magnam vtriusque partis cædẽ in suam potestatem redegerit. Erat fortè Syracusis obsidionis tempore Sibylla ipsa Tancredi vidua, quæ cùm videret, defensionem vrbis amplius sustineri non posse, declinandi periculi gratia, sese cum Gulielmo filio & Archiepiscopo Salernitano suisque fratribus, in vrbis arcem situ opereque munitam subduxit: missisque ad Cæsarem oratoribus, hoc vnum studiosè agebat, vt honestis conditionibus cum illo paciscereture. verùm cùm hoc difficilius quàm sperarat, impetraret, necessitate adducta, quò Cæsaris animum emolliret, atque ad beneuolentiam inflecteret, ostendebat, sese libenter regno abdicaturam, modò ipse Gulielmum filium suum Tarenti Principem constitueret. Cæsar secum reputans, hanc reginæ postulationem cum æquitate & honesto coniunctam esse, passus est se exorari, ita vt, data acceptaq.

Genuæ nouus Prætor creatur.

Neapolis deditio.

Nouæ simultates inter Ligures ac Pisanos.

Eorundem reconciliatio.

Catanensium deditio.

Syracusarum expugnatio.

fide, reginam, ceteroſq. eius comites in fidem receperit, Syracuſisq. relicto firmo præſidio, Panormum progreſſus eſt, quam vrbem mari terraque obſidione preſſam, & modico certamine expugnatam, ſuo imperio adiecit. Panormus integræ præmium victoriæ fuit. Siquidem ea recepta, & Conſtantiam vxorem ſuam à Salernitanis ſuperiori bello aduerſus Neapolitanos infeliciter geſto, cùm ipſe Germaniam repeteret, captam, cuſtodia liberauit, ſeque Sicaniæ regem cum ea coronari maximo totius regni concurſu imperauit. Præterea, cùm Irenen Alexij Græcorum Imperatoris filiam, ſiue, vt nonnullis placet, ſororem, in palatio Panormitano Rogerio Tancredi filio deſponſatam reperiſſet, Philippo fratri ſuo vxorem dedit. A quibuſdam etiam poſteris ac memoriæ traditum eſt, illic ingentem Northmanorum theſaurum fuiſſe repertum, quē paucis pòſt diebus in Germaniam iuſſu Cæſaris tranſmiſſum eſſe aiunt. Hanc tam illuſtrem atque inſignem, tantaque demum felicitate diuino beneficio partam victoriam incredibili poſtmodum perfidia atque ſæuitia ipſe polluit ac deformauit. In primis ſiquidem Genuenſibus, quorum potiſſimùm opera atque auxilijs Siciliæ regnum adeptus fuerat, non modò promiſſa non præſtitit, ſed eos etiam priuilegiis ac immunitatibus illis à patre ſuo indultis atque conceſſis multauit. Sibyllam verò cum prolibus, atque adeò ipſum Antiſtitem ac fratres iniquiori arctiorique cuſtodia coërcuit. Et quòd proximo ânno conſpirationes aliquot aduerſus ſe compertas prætexeret, veluti iuſtam iræ ac ſæuitiæ ſuæ materiam nactus eſſet, immaniter in omnē Tancredi familiam eiuſq. amicos & familiares graſſatus eſt. Nam Sibyllam, & Archiepiſcopum perpetuo carceri emancipauit, Gulielmum exectis teſtibus, Veneri ideò inutilem atq. ineptum fecit, ne ſtirps regia vlterius proferri ac propagari poſſet. Et hac inaudita carnificina non contentus, adeò crudeliter ſuā tyrannidem exercuit, vt, aliquot obſidibus ſibi ex præcipua nobilitate ad regni ſecuritatem traditis, cōmunis lucis vſuram inuiderit, ita vt, effoſſis ocu-lis, eos perenni cæcitate damnauerit. Quoſdā excoriauit: nonnullos palo ac ſtipite affixit terræ. aliquibus, quòd affectati regni rei inſimularētur, igneis coronis redimiuit. quamplurimis indigenarum bona & fortunas, per vim cōtumeliamque eripuit. Eccleſias aut grauiſſimis tributis, aut fœdiſſimis expilationibus dilacerauit. nec Epiſcopi quidem ab eius carnificina immunes, vel exempti: ſed in eos ac in reliquos ſacri iuris homines variis tormentis ac ſuppliciis animaduertit. Hoc modo per omnes crudelitatis gradus debacchatus Henricus, antequam in Germaniam remearet, ad noui regni ſui tutelam atque ſecuritatem Chunradum, recèns Ducatus Spoletini faſtigio à ſe honoratum, Siciliæ; Thebaldū verò Campaniæ Apuliæque adminiſtrationi cum valida manu ac præſidio præfecit. Verebatur enim, ne hi populi recèns vi atque armis ſubacti, multiſque incommodis atque iniuriis affecti, per ſuam abſentiam impoſitum iugum excurere, & ſe in priſtinam libertatem aſſerere conarētur. Proinde cùm his duobus ſuis beneficiariis, & conſanguinitate ſibi iunctis, plurimum fideret, nullum incommodum ſibi tamdiu metuebat, quamdiu ipſi cum imperio Prouincias iſtas procurarent. Ipſe interea cum ſua coniuge Conſtantia, nec non vidua Tancredi eiuſque liberis ac Salernitano Pręſule, ceteriſq. datis ōbſidibus, in Germaniam per Italiam contendit, & menſe Maio anno ſupra milleſimum cēteſimum nonageſimo quinto, in Galliam Ciſalpinam peruenit. Ticinum inde progreſſum, Genuenſiū oratores adierunt; pertentatoque eius animo, miro artificio ac lenocinio orationis, hoc vnum conabantur efficere, vt ipſum hac in parte ſibi refragantem, incredibili quadam humanitate & obſequio ad promiſſa præſtanda inflecterent. Verùm

Panormi expugnatio.

Henricus regno Siciliæ potitur.

Exemplum ſingularis perfidiæ & crudelitatis.

1195.

cùm

cùm natura, vti multi tradunt, non solùm esset austera & atroci, sed supramodum refractaria atque ingrata, sese nequicquam rogitando defatigarunt, adeò vt cum magno suo impendio atque incommodo experti sint, quantis imposturis lubricus humanarum rerum status pateat, & quàm sæpè specie recti homines, alioquin non prorsus imprudentes, fallantur. Ipse, vbi tandem summa cum diligentia rerum Italicarum statum cõposuit, citra aliquam temporis intermissionem in Germaniam vnà cum coniuge vterum gerente, profectus est; quæ etiam breui post suum in Germaniam aduentum, Fridericum enixa est, qui postmodum ad imperium euectus, Fridericus secundus dictus fuit. Opinio penes multos graues scriptores omninò obtinuit, ad huius Henrici Cæsaris expeditionis celeritatem, & suscepti belli felicem successum, non parum momenti ingentem illum pecuniæ aceruum, qua Richardum Britannum recèns ab eo multatum fuisse ostendimus, attulisse. Multi etiam reperiuntur, qui constanter asseuerant, ex hac eadem pecunia Viennam, superioris Pannoniæ metropolim, mœnibus vndique cinctam fuisse: quod vt credam, faciunt statuæ lapideæ, quæ etiamnum in exteriori muro locatæ, captum ipsum regem repræsentantes, extant, & conspiciuntur.

Fridericus secundus.

DE BELLO PISANO,

LIBER II.

NVPER commemorauimus, dissensiones ac tumultus inter Ligures ac Pisanos, Messanæ recèns exortos, opera atque auctoritate Marcoaldi ea tempestate apud Henricum Cæsarem summa gratia & dignitate florentis, compositos, atque magna sui parte sublatos fuisse. At breui interiecto tempore, anno scilicet ferè millesimo centesimo nonagesimo quinto, vetera odia temporum interstitio nonnihil intermissa, atque bonorum virorum diligentia suppressa, iterum inter vtrumq. populũ repullularunt. Pisani enim iniquo animo ferebant, Bonifacium Corsicæ insulæ oppidum à Genuens. sibi ereptum, atque euersum esse. Proinde cùm nullis recusatis laboribus vel periculis intantum allaborassent, vt recuperato oppido, præteritæ cladis memoria maiori ex parte deleta videretur, nihil habuêre antiquius, quàm oppidum ipsum omnibus munimentis aliisque propugnaculis ad sustinendam & arcendam vim hostilem necessariis, summa cum celeritate instruere atque fulcire. Quamobrem Genuens. vltra modum irritati, nulla interposita mora, classem sex magnarum nauium ac trium tritemium cum pleriſque minoris notæ nauigiis, conuehendis commeatibus commodis, Iacobo Mainero ciue Mediolanensi vrbis præturam gerente, instruxerunt, ac expeditionem maritimam ducibus Henrico Carmandino, Othone Polpo, & Ingone Flesca, adornarunt. Qui, rebus omnibus ad eam expeditionem necessariis comparatis & diligẽter dispositis, secunda nauigatione in Corsicam delati, paucis interiectis diebus, Bonifacium ipsum, nondum firmis præsidiis & munimentis firmatum, facili negotio iterum expugnarunt, & in potestatem redegerunt. In hoc rerum tractu, Cælestinus tertius Romanus Pont. cùm animaduerteret, nouis dissidiis atque recèns exortis turbis pacem publicam cum ingenti Christiani nominis iactura & dispendio mirum in modum

Bellum inter Gen. ac Pisanos immoratum.

1195.

Bonifacium à Liguribus recuperatur.

perturbari, nullumque gerendis bellis finem imponi, Christiana pietate pro eo, quo fungebatur, munere, commotus, mense Martio Pandulphum Cardinalem inter purpurati ordinis virum, tum auctoritate, atque longo rerum gerendarum vsu & peritia excellentem, ad vtrosque populos ambitiosè inter se decertantes, eo consilio misit, vt ipsi Pontificia auctoritate adducti, ad mutuam beneuolentiam & concordiam redirent. Pandulphus, cùm pro rei magnitudine auctoritatem suam penes vtramque gentem, conuocatis & in concilium adhibitis præcipuis quibusque eorum, interponeret, in multis locis, præsertim verò in Eryce, orationem grauissimam de mutua reconciliatione habuit: sed cùm negotium adeò esset intricatum & perplexum, vt propter summam difficultatem indies protraheretur, nec alium suæ diligentiæ fructum, quàm longæ expectationis tædium, reportaret, de totius negotij summa ac statu ad Pont. rescripsit, ostenditque, rem maiori deliberatione indigêre, nec in sua potestate esse, vt pacem inter eos constitueret. Pisani nimirum, cùm mira ambitione & vlciscendi studio Bonifacium repentino potius Genuensium incursu quàm iustis viribus expugnatum & amissum, in suam ditionem iterum redigere anxiè optarent, omnem nectendæ moræ protrahendique temporis ansam quærebant, & speciosis quidem verbis pacem pollicebantur, re verò ipsa bellum crudelissimum gerebant, adeò vt Ligures longo vsu atque magna rerum gerendarum prudentia aduersariorum consilia & conatus probè rimari & inuestigare edocti, facilè intelligerent, quónam illorum studia euaderent, & quibus potissimùm de causis rem ipsam extraherent. Quapropter summa celeritate Drudum Marcellinum, Reip. suæ Prætorem, in alterius locum recèns subrogatum, cum multis nauigiis peropportunè instructis, in Cyrnum ablegarũt. Qui cùm citra aliquam moram in insulam adnauigasset, & nullam hostilem classem, vel aduersariũ offenderet, Sardiniam cogitauit; ad quam mutato cursu, celeri nauigatione aduectus est, ea potissimùm de causa, quòd certò deprehendisset, Marchionem Gulielmum Iudicem Caralitanum, toparchiam, cui nomine Senatus Iudicis nomine præerat, contra pacta & mutuas conuentiones tyrannicè sibi attribuisse, & occupasse, mutatisq. studiis, & neglecta Reip. Ligusticæ auctoritate & amicitia, tota animi propensione Pisanis fauere atque patrocinari. Gulielmus interea, veritus, ne propter fidem suam turpiter contra omnem æquitatis regulam violatam, magnum cùm status, tùm etiam honoris ac vitæ periculum incurreret; nimirum cùm non ignoraret, Genuens., insignes alioquin iniuriarum vltores, nunquam impunè tantam iniuriam deuoraturos, summa calliditate rebus suis adeò prospexerat, vt non solum modò Sardos, verùm etiam Tarraconenses, & aliarum gentium notissimum quemque, rerum suarum studiosos & fautores haberet; quorum viribus & auctoritate fretus, initiò omnem Genuensium impetũ quàm fortissimè sustinuit, & pari quodammodò virtute ac fortitudine repulit atq. repressit. Verùm cùm ad eũ armis profligandum, adeoque Sardiniæ regno exigendum, noua subinde Genuensi duci præsidia & auxilia mitterentur, Pisani, qui ea tempestate cum instructa classe, magnaque militum & armatorum manu in Corsicam appulerãt, de salute Marchionis non parũ solliciti, fortiter arma in ipsos Ligures expediuêre, eo certè successu, vt atroci inter eos prælio commisso, dudum ancipiti Marte vtrimque dimicatum sit; sed tandem fortuna in fauorem Genuensium inclinante, expulsis Pisanis, sumptaque de temerariis Marchionis ausibus vindicta, Ligures quieta illius prouinciæ possessione potiti & gauisi sint. Quibus rebus feliciter constitutis, & expeditis, Prætor cum vniuersa sua classe Bonifacium versus eo animo contendit, vt illud

Genuens. victoria.

illud oppidum firmo præsidio communiret, ac totum illius insulæ tractum ab hostilibus iniuriis tutum ac securum redderet: quod sanè summa cum diligentia & dexteritate executus, Genuam prospera nauigatione reuersus est. At Pisani Bonifacij iacturam impotenti ac prorsus iniquo animo ferentes, citra aliquam quietem, vel temporis intermissionem, omnem curam atque consilia ad illius recuperationem iugiter conferebant. Habebant tunc temporis ipsi in promptu multos myoparones, aliosque faselos exercendæ piraticæ cõmodos, & opportunos, quibus crebris excursionibus totius insulæ oram circumuagari, & omniũ portuum aditus diligenter obseruare solebant. Horum igitur commoditate freti, rem animo destinatam summa industria & festinatione sese assecuturos omninò sperabant, priusquam Genuæ innotesceret. Proinde instructa classe, conuocatisque in auxilium sociis, ac confœderatis, eorumque nauigiis adhibitis, in Corsicam summo cum silentio transmisêre, Bonifaciumque repentino impetu facto, adorti sunt: sed quòd præualido præsidio, ac omnibus ad obsidionem sustinendam necessariis esset instructum, expugnare nequiuêre, licet, citra remissionem vllam, omnibus viribus & conatibus oppugnarent. Ceterùm, vbi Genuæ de hac noua & occulta Pisanorum expeditione nunciatum est, Senatus decreto Præsidi iniunctum fuit, vt, nulla mora interposita, omnia quæ ad hostem profligandum, ac defensores adiuuandum necessaria & opportuna essent, pararentur. Prætor statim, quòd periculum in mora esset, nec ratio temporis admitteret, vt maiores apparatus fierẽt, illuc nauim, omni commeatus atque armorum genere onustam, duce Montanario Auria, præmisit, quæ per aduersam tempestatem ab instituto cursu secus ac existimarant, remorata, ab hoste animaduersa fuit; & cùm nullus effugij locus daretur, intercepta. Haud multò pòst, ad liberandã hostilibus incursibus Corsicam, iussu Senatus Ansaldus Guaracus, vir clari nominis, cum septendecim triremibus etiam amandatus est. de cuius quidem aduentu vt Pisani intellexêre, veriti, ne propter summam temporis angustiam ab hoste vel opprimerentur, vel saltem in ipsa obsidione intercluderentur, muralibus machinis aliisq; impedimentis in continenti relictis, confestim à Bonifacij oppugnatione recesserunt, paucis tamen interiectis diebus, restauratis viribus, ingentique animi fiducia, eiusdem oppidi obsidionem repetierunt. Sed Ligures ibi stationem adhuc habentes, statim intellecto hostium aduentu, summa cum alacritate illis obuiam processerunt. & quamuis Pisani duabus nauibus egregiè instructis superiores essent; nihilominus tamen singulari Genuensium virtute, solidaque præfecti illorum animositate, intrepidè belli aleam subierunt, eo tandem successu, vt ipsi trium nauigiorum, Pisani verò vnius iacturam facerent; in quo, præter ceteros, Girardus Vicecomes nobilis Pisanus captus fuit, Genuamque perductus. Incidit hoc prœlium iuxta Bonifacium circa annum eiusdem æui nonagesimũ sextum; à quo quidem tempore vsque ad annum tertium supra millesimum ducentesimum, hoc est, per totum ferè octennium, nihil inter vtrosque populos memoratu dignum, quod equidẽ inuestigare potuerim, gestum fuit. Aliquorum tamen Annales commemorant, intermedio hoc tempore multas vtrimque excursiones & velificationes esse factas, & piraticam circa Sardiniam & Galliam Narbonensem vario euentu atque inconstanti fortuna fuisse exercitam. Interea temporis Cæsar Augustæ Vindelicorum comitia indixerat, ad quæ cùm multi Germaniæ Principes conuenissent, per amicos egit, vt pænè omnes Fridericum filium, quadrimum, ac pænè in cunis vagientem, Regem assumerent; idque literis & iuramento firmarent. Quo impetrato, paucis pòst diebus, cum vxore ac filio in Siciliam

Pisani Bonifacium nequicquam adoriuntur.

Nauis Ligustica à Pisanis intercepta.

Prœlium inter Gen. ac Pis.

liam reuersus est: ibique cùm venationi indulgeret, ac mense Augusto in quodam nemore, vbi erant frigidissimi fontes, calorem, quo maximè æstuabat, lenire vellet, in terram noctu stratus, ex frigore cœpit infirmari, ac statim se Messanam transferri iussit; vbi haud multò pòst, diarrhœa correptus, morboque indies ingrauescente, fatis concessit, anno imperij octauo, superstite hærede vnico Friderico filio, quem Philippo fratri cum Siculi regni administratione, atq. insignibus Imperialibus commendauit. Sunt etiam qui tradant, ipsum, antequam obiret, Innocentio tertio, successori Cælestini, vxorem & filium commendasse. Arbitrati sunt præterea nonnulli, eum veneno ab vxore exhibito sublatum, quòd potes ac propinquos, nobilioresque obsides sibi datos, & magnam prosapiæ partem cruciatibus torsisset. Ceterùm familiares qui ei à cubiculis quàm fidelissimè inseruierunt, id constanter pernegarunt. Eius corpori in vrbe Panormitana honorificentissimè parentatum anno supra millesimum centesimum nonagesimo octauo, cùm regnare cœpisset M. C. XCI. Henrico humanis rebus exempto, Pisani subinde cum aliquot myoparonibus ceterisque nauigiis piraticam exercentes, per varia loca prædabundi excurrebant, & postremò in Siciliam præteruecti, plurima damna insularibus, ac præsertim ijs Genuensibus, qui eam insulam rerum exoticarum & commutandarum gratia frequentabant, intulère, adeò vt tandem Syracusas celeberrimam, atque vnam ex præcipuis totius regni vrbem, post sic satis diuturnam & durissimam obsidionem expugnarent; potitique vrbe, tanta crudelitate in oppidanos alioque Syracusani agri indigenas grassati sunt, vt, nulla sexus, ætatis, vel dignitatis ratione habita, promiscuè in omnes sæuierint. At Ligures hoc atroci & barbaro facto supramodum exacerbati, & iusta ira atque odio accensi, habitis super hac re, tanquam omnium grauissima & atrocissima, comitiis centuriatis, de communi omnium Ordinum voluntate & suffragiis, decretum & Senatusconsulto confirmatum fuit, vt ea qua fieri posset celeritate, prævalida classis ad tam magnarum iniuriarum vltionem cõpararetur. Et quò celeriùs atque tutiùs hæc expeditio perfici posset, noua cõsilij ratio ab iis qui Reipub. administrationem & curam gerebant, excogitata fuit. Paucis enim antè diebus, in Siciliam aliasque conterminas regiones, plurimæ naues atque triremes, sub diuersis ducibus ac præfectis ablegatæ erant, eo prætextu, vt classi è Syria reliquisque Asiæ partibus reduci, subsidio essent. His igitur omnibus ac singulis seorsum iniunctum seueriter à Senatu fuit, vt viribus collatis, in vnum quasi corpus coirent, vt sic coniunctis nauibus & armis, Pisanos noua victoria in Sicilia exultantes, inopinatò adorirẽtur, & recèns potita vrbe exuerent, simulque de tam nefario atque horribili flagitio pœnas sumerent. Nauarchi cùm in vnum, prout constitutum erat, conuenissent, imploratoque Henrici, Malliacæ oræ Principis, cognomento Pistatoris, Reipub. suæ fidelissimi socij, subsidio, qui hoc tempore cum aliquot suis nauigiis inde haud procul aberat, anno supra millesimum ducentesimum quarto, circa finem Iulij, cum vniuersa classe Syracusas profecti sunt: eoque cùm octauo Idus Augusti incolumes appulissent, statim duas prægrandes Pisanorum naues, vnam illarum Florem, alteram Rosam nuncupatas, in ipso portu interceperunt; moxque vrbem ipsam, licet Reinerus Comes, vir vt generis splendore, sic etiam militari disciplina celebris, Pisanis confœderatus, ex Etruria cum valido ipsis subsidio aduenisset, tam arcta obsidione pressérunt, vt illam septem dierum spatio expugnarent. His rebus nõ minùs properè, quàm feliciter gestis, continuò huius vrbis Antistitem, ceteroque ciues à Pisanis expulsos, variisque in locis exulantes, pristinis honoribus & fortunis restitue-

Henrici Cæsaris obitus.

Syracusæ à Pisanis expugnantur.

1204.

Genuens. septem dierum spatio Syracusas capiunt.

stituerunt, ita vt recepta vrbe, ibiq́ue constitutis rebus, & Alamanno Costa cum valido præsidio ad vrbis custodiam nomine Reipub. relicto, Genuam ouantibus similes, cum incredibili totius Reip. lætitia atque applausu redierint. Ceterùm Pisani, huius vrbis iacturam iniquissimo animo ferentes, nihil habuêre antiquius, quàm ad eam recuperandum totis armis atque viribus incumbere. Proinde summa celeritate vsi, decem onerarias, ac duodecim triremes optimè instructas, duce Reinero Comite, cuius suprà meminimus, Syracusas amandarunt, qui commoda nauigatione illuc appulsus, continuò milite in terram exposito, æneas machinas & varij generis tormenta mœnibus admoueri atque vrbem oppugnari iussit. Vrbem Alamanus Costa Genuensium beneficiarius, vir impiger ac fortis, ad eius tutelam cum præsidio, vti proximè diximus, relictus, summis viribus propugnabat, primosq́ue hostiles impetus fortissimè sustinuit ac repressit. Verùm Pisanis in ea obsidione pertinacissimè inhærentibus, Costa suis viribus diffisus, cùm propter temporis angustiam commodè Genua auxilia excire nequiret, Henrici Malliaci Reguli fidelissimi Reip. socij opem atque auxilium implorauit. Ille statim per fideles internuncios edoctus, quãto in discrimine Syracusani à Pisanis obsessi versarentur, nulla mora interposita, Messanam cum quatuor triremibus, ac omnibus rebus ad bellum opportunis, præsertim verò magna pecuniarum summa instructus, adnauigauit; ibiq́ue cum plerisque ciuibus Genuensibus, qui ea tempestate mutandarum mercium gratia illuc profecti erant, solicitè ac enixè operam dedit, vt militarem manum conscriberet: breuiq́ue effecit, vt classem hostili nulla ex parte inferiorem, omniq́ue bellico apparatu quàm maximè exornatam in promptu haberet; qua rectà Syracusas contendit. At Pisani nouo Ligurum præsidio neutiquam deterriti, summa animorum alacritate illis obuiam processêre: confestimq́ue acie vtrimque ordinata, datoq́ue prœlij signo, infestis armis inter se concurrerunt. Malliacus, cùm nauigiorum numero, & militum frequentia se ab hoste superari animaduerteret, naues aliquot præmisit, eo consilio, vt illæ sese tantisper hostilibus nauigiis opponerent, earumq́ue impetum sustinerent, quoad ipse, qui sibi cum quatuor triremibus à tergo, tãquam in nouissimo agmine locum delegerat, si grauius periculum immineret, vel ita vsus ferret, ibi præstò esset. Verùm, cùm ipse nullũ militaris disciplinæ ordinem ab hoste obseruari conspiceret, minimè sibi cunctandum, occasionemq́ue sibi diuinitus oblatam, nullo modo prætermittendam ratus, quò minùs belli aleam subiret, prœlio secum decertare voluit, suaq́ue prætoria in latus aduersariæ acri impetu præteruectus, tam strenuè dimicauit, vt ea potiretur. Cuius quidem casu atque fortuna reliqui consternati, & par periculum metuentes, sese protinus in fugam coniecerunt, adeò vt cùm hi qui nauibus aduehebantur, nihil, aut certè parùm resisterent, fortuna prorsus ad Ligures inclinarit, & vniuersa Pisanorum classis, exceptis quinque triremibus Insubro milite instructis, in eorum potestatem deuenerit. Alamanus interim ex hoc prospero rei naualis successu animi fiduciam cum suis sumens, eruptione facta, hostem in vrbis obsidione adhuc persistentem adortus est, faciliq́. negotio fudit & dissipauit. cuius memorabilis victoriæ fama vniuersam Italiam exiguo temporis spatio peruagata, effecit, vt Nicolaus Cataneus, & Gulielmus Nigrius, qui cum tredecim triremiũ supplemento in Siciliam proficiscebantur, quò maturè obsessis suppetias ferrent, conuersa nauigatione, se statim ad suos reciperent. At Pisani ob acceptam cladem haud parùm animis consternati, summa diligentia decem onerariarũ, & octo triremium classem instruxerunt, quibus in Sardiniam transfretarunt, vt ibi nouas turbas & tem-

Pisani rursus inuadunt Syracusas.

Naualis conflictus inter Pisanos ac Genuens.

Pisani infeliciter pugnãt.

Vterque populus nouã classem instruit.

tempestates concitarent. Quod quidem vbi primùm Genuæ innotuit, pari diligentia & celeritate totidem nauigia, duce Nicolao Auria, expedita sunt, ita vt Pisani de his apparatibus certiores facti, vt hosti omnem decertandi ansam præciderent, confestim sese in eum insulæ tractum subducerent, quem vulgò Calaritanum vocant. Ibi quippe plurimos socios & clientes habebant, quorum ope ac præsidio freti, se longè tutiores arbitrabantur. Ligur verò tametsi eos pertinacissimè insequeretur, vt ad certamen eliceret; nihilominùs tamen, cùm ipsi sese intra munitissimum vallum atque aggeres continerent, frustrà in hoc ab eo elaboratum est. Pari successu & infelicitate in exurendis ipsorum nauigiis omnem operam & studium incassum consumpsit. Interea temporis, cùm Pisis nuntiatum esset, suos à Genuensibus obsideri, nec in paruo discrimine versari; Senatus summa festinatione ad septendecim triremes auxiliares cum multis validis manipularibus copiis ad eos misit. Senatus etiam Genuensis, vbi de hoc nouo Pisanorum subsidio intellexit, pari sedulitate quatuordecim nauigia perbellè instructa, duce Fulcone Iustiniano, eôdem destinauit. Sed is fuit tandem rerum exitus, vt cùm Pisanum præsidium, Ligusticum anteuerteret, Auria veritus, ne à duplici hostili classe circumueniretur, obsidionem solueret: breuique pòst, coorta atrocissima tempestate, classis Ligustica in duas partes distraheretur. Quo sanè factum est, vt tria Genuensium nauigia in hostium manus ac potestatem deuenirent; quæ quidem iactura, cùm Genuæ multò grauiora metuerentur, paruo æstimata est: moxque de Senatus volũtate missum est ad Iustinianum, qui haud procul aberat, vt quamprimùm sese domum reciperet. In hoc rerum curriculo, Gorgoni & Tyleti Præsules, his duobus populis finitimi, enixè procurabant, vt eos in mutuam gratiam reponerent. Verùm, cùm nullis artibus vel consiliis aliquid proficerent, Pontifex eis grauiter iniunxit, vt hanc rem seriò tractãdam susciperent. Proinde ipsi Genuam profecti, Senatui post multas ostẽsas graues rationes & causas, tandem auctores fuerunt, vt, licet ipsi multis nominibus Pisanorum fidem valdè suspectam haberent; nihilominùs tamen temporis condicione adducti, quòd Venetos aliquid erga se moliri audirent, passi sunt à se impetrari, vt in Erycis portu, constituendæ mutuæ pacis gratia, vtriusque Reipub. legati conuenirent. Eò cùm veniissent, post longas disceptationes, & haud leues controuersias, intercedentibus ipsis Episcopis pax inter eos constituta est, & iureiurando interposito summa cum religione vtrimque sancita & confirmata. Ceterùm Pisani constitutæ pacis ac obligatæ eo nomine fidei immemores, post paucorũ dierum decursum, intercepta Ligustica naui multis pretiosis mercibus onusta, sese immani scelere propter violatum contra ius gentium fœdus tanta religione initum, polluerunt. hæc tamen à Gulielmo Rosso cum duodecim triremibus è Syria reuertenti, recuperata est. Inter quæ, Veneti, naturali quodam odio cum hac nostra Repub. multas simultates nõ apertè quidem, sed occultè exercebant; successu verò temporis tandem diu occultatum & concoctum domi malum, in apertum bellum, hac potissimùm de causa exarsit, quòd Ligures Henricum, Malliacæ oræ Principem, cuius proximè mentionem habuimus, suum amicum, & beneficiarium, ac Venetæ Reipub. infensissimum hostem, denuò in Cretensi bello armis iuuissent, sicuti suo loco ac tempore fusiùs explicabitur. Interim Senatus existimans, Pisanos, nouis auxiliis fretos, bellum maiori cum fiducia reparasse, magna cum prudentia ac celeritate delectum per totum agrum Ligusticum, ac pleraque alia circumuicina loca, haberi imperauit, tanta mediusfidius diligentia & studio, vt exiguo temporis interuallo ad duo millia peditum egregiè armatorum sub vexillis habe-

Tria Ligustica nauigia à Pisanis capta.

Pax inter Genuens. ac Pisanos.

Pisanorum perfidia.

haberent, eosque ad aduersariorum opprimendos conatus terrestri itinere præmittere, expedire visum fuit: & quadraginta nauigiorum classem vno eodemque tempore contra eos eduxerunt. At Pisani, tanti momenti susceptum bellum infelicibus successibus auspicati, statim post acceptam cladem vsq. adeò pristinum ardorem remiserant, vt belli exitum ex infausto initio metientes, omninò eam expeditionem sibi deserendam esse statuerint. Ipsis itaque domum reuersis, Ligures haud multò pòst idem fecerunt. Ceterùm Pisani, quibus ea noua cum Venetis dissensione, nihil omninò gratius vel optatius euenire poterat, assiduè ad portus Veneris expugnationem intenti erant, & cum duodecim nauigiis egregiè instructis, ad insulam è regione illius loci positam, summo silentio perrexerunt: militeque in terram exposito, solutaque obsidione, quicquid otij ac temporis dabatur, illud totum vrendis ac excindendis arboribus insumebant. Quod vbi primùm illius portus ac finitimi oppidi indigenis innotuit, repentè cum quibusdam hemioliis eò delati, ab ea parte vbi non erat hostilis classis, descensionem fecerunt, ac quàm plurimos, inter quos & Tegrinus ipsorum præfectus erat, per insulam passim dispersos, palantesque inuentos, statim summo cum impetu adorti sunt, eo successu, vt, cùm à suis propter loci distantiam nulla ope subleuari possent, omnes vel trucidati, vel capti sint. Tegrinus illorum Præfectus, deinde cum Lanfranco Scotto fratre illius qui portum Veneris tutabatur, permutatus est. Porrò quamuis res ea feliciter cecidisset, quòd tamen inconsultis & insciis Cos. rem tanti momenti & periculi plenam aggressi essent, Senatus antiquæ disciplinæ seueritatem imitatus, huius oppidi Præfectum, cuius iussu & auctoritate res gesta erat, temeritatis conuictum & reum, prætura multauit, & ignominiæ causa illius ædes funditus euerti iussit. Nec satis erat, vno eodemque tempore duplici bello, eoque quidem atrociſſimo, nempè Pisano, ac Veneto, implicari, accessit & tertium, à Gallis Narbonensibus motum: quæ, licet magnis molestiis Rempub. afficerent, nec minoribus sumptibus & curis inuoluerent; nihilominùs tantum abfuit, vt animum desponderent, vt ad patriam defendendam summa virtute certatim accurrerent. Expeditis enim octo triremibus, quibus Gulielmus Embriacus cum imperio præerat, cum his postremis aduersariis nauali prœlio congressi sunt, eo quidē exitu, vt, fusis Gallis, septem eorū nauigia caperent. Qui clade accepta aduersarij, haud mediocriter animis fracti, cùm sese impares sustinendo bello agnoscerent, Hugonem Bustum præcipuæ nobilitatis virum, associatis illi aliquot prudentissimis collegis, Genuam rogatum pacem miserunt, quam etiam sub certis condicionibus impetrarunt: multisque deinceps annis salua & incolumis inter eos stetit. Vix ex hoc bello Repub. eluctata, mox aliud præcedenti haud minùs molestum, successit. Gulielmus namque & Chunradus ex Malespinarum nobilissima & antiquissima familia oriundi, quòd illis arcis Croüaræ à Genuens. nuper facta coemptio valdè displiceret, ad eam armis recipiendam aliquot militares copias clanculum conscripserant. Proinde Ligures, cognitis eorum studiis, confestim ducentos cataphractos, & aliquot subitarias auxiliares copias ad reprimendum eorum conatus eduxerunt: quorum aduentu inopinato deterriti, nec cum eis, armis decernere ausi, pacem etiam certis condicionibus redimere & pacisci coacti sunt. Et quia Nicææ reguli superiori bello Galliæ Narbonensis populis auxilia cōtra Ligures dederant, ne publicæ iniuriæ neglectæ, vel impunitate confirmatæ à quoquam videri possent; Senatus decreuit, vt contra illos nouem triremes sub diuersis trierarchis ac Prefectis educerentur. Verùm illi Genuensium armis atque copiis deterriti, ita se suis arcibus communi-

Pisanorum cædes.

Exemplum militaris disciplinæ.

Ligures eodē tempore cum Pis. Venetis, & Gallis Narbonēsibus belligerant.

Pax inter Ligures & Gallos Narbonēs.

Bellum Genuens. contra Marchiones Malespinas.

Eorundem reconciliatio.

tos & abditos continebant, vt de illorum promeritis pœnæ sumi nequirent. Interea bellum Venetum, recèns, vti diximus, renatum, indies magis atque magis rectudescebat. In Orientalibus quippe partibus quamplurima Liguſtica nauigia diuersis quidem temporibus ipsi interceperant; ob quas calamitates & iniurias iusto dolore & ira commoti Genuenses, omni cura & solicitudine in nouis comparandis copiis aliisque ad bellum necessariis incumbebant. Et cùm non ignorarent, Pisanos inteſtinis odiis ac simultatibus ea tempestate conflictari, quò bellum aduersus Venetos commodiùs sustinerent & prosequerentur, Reipub. operæpretium visum fuit, vt missa Pisas legatione, indutiæ vtrimque constituerentur: quæ tandem de mutuo vtriusque populi consensu ad quinquennium, & solemniter interposito quingentorum ciuium Genuensium, ac totidem Pisanorum iureiurando, constitutæ & pactæ fuerunt. Pari ratione per idem fermè tempus cum Venetis in triennium transactum est. Rebus itaque foris compositis atque sedatis, Senatus, cùm multa domi essent eiusmodi, quæ diligentem curam & administrationem requirerent, serias cogitationes ad earum compositionem contulit. Nam cùm ærarium publicum & vectigalia, propter superiorum temporum bella, mirum in modum essent partim exhausta, partim labefactata, Patres conscripti summa cum diligentia eorum omnium rationem & curam habendã esse censuerunt, sine quibus Reipub. neruus nec consistere nec cõtineri potest. Ceterùm Pisani, paucis pòst mensibus, consueta perfidia vsi, omnisque religionis immemores, quandam Reipub. triremim, quæ, cùm inter nauigandum commeatu destitueretur, Arnum flumen subierat, per insidias adorti, sui iuris fecerant. Hi præterea eodem fermè tempore, scilicet, anno supra milleſimum ducenteſimum quinto decimo, nouo fœderis iure cum his Venetis qui tum erant Constantinopoli, contra Ligures, veteres æmulos & aduersarios, coniuncti, cum duabus triremibus ac totidem nauibus optimè præparatis atque instructis, Byzantio in Siciliam adnauigarunt; & pleraque Liguſtica nauigia multis ac pretiosis mercibus onusta, quæ recèns ex partibus Orientalibus illuc appulerant, prædonum ac piratarum instar, interceperunt, adeò vt hac potissimùm de causa nouum atque acerrimum bellum inter Ligures ac Pisanos cum maxima vtriusque gentis clade instauraretur. Quod quidem vt auerteret Honorius tertius Innocentij tertij successor, prædecessorum suorum secutus vestigia, enixè allaborabat, idque vnum contendebat, vt, extinctis omnibus simultatibus atque odiis inter Principes Christianos, vera animorum consensio atque vnanimitas coalesceret, & publica pax cõstitueretur, præsertim cùm Saraceni, alijque Christiani nominis hostes, summis viribus indies Imperij nostri limites infestarent atque attererent, adeò vt nisi illorũ conatibus maturè obuiam iretur, nemini dubium esset, quin Christiana religio vnà cum imperio in extremum periculum adducta, sensim extingueretur. Proinde, quò Principum animos crudelibus bellis intentos, ab instituto retraheret, & ad saniorem mentẽ inflecteret, passim missis legatis, boni & Christiani pastoris munus atque officia obibat. Et quia horum duorum populorum contentio totam ferè Italiam ad arma cõcitabat, diuersisq. studiis & factionibus implicabat, graui consilio ad eos legationem mittendam esse censuit. Nam etsi aliàs sæpiùs vtriusque Reipub. Senatum literis admonuisset, vt ad mutuam reconciliationem redirent, tantum abest, vt aliquid profecisset, vt etiam irritatiores, & proniores ad bellum ruere viderentur. Quamobrem cùm Reipub. Christianæ status in tam difficili cardine versaretur, vt nullam moram, quamlibet exiguam, citra magnũ periculum tolerare posset, Hugolinum Card. Ostiensem, qui

1212. *Iudutia inter Ligures ac Pisanos.*

Eadem à Pisanis violata

1205.

Hugolinus Cardin. Hostiens. mittitur legatus Genuam ab Honorio tertio Rom. Pont.

postea

postea in Pontificem electus, Gregorius IX. dictus est, legatum ad vtrumque populum misit, vt tanti viri auctoritate & reuerentia, exasperatæ mutuis odiis & iniuriis gentes, commonstratis periculis & tempestatibus, quæ toti Christiano orbi impendebant, nisi ab armis discederent, ipsi meliora & saniora consilia amplecterentur. Legatus igitur, quia mirificè suspicabatur, ne si prius hos vel illos adiisset, alterutri in aliquam suspicionem deueniret, summam tractando negotio prudentiam adiunxit, conficiendisque rebus, quas in mandatis habebat, sedem adeò opportunam delegit, vt nullam suspicionis ansam neutri propter loci vel temporis rationem relinqueret. Conuocatis itaque vtriusque partis oratoribus, inter quos vtriusque vrbis Antistites erant, & multis aliis præcipuæ nobilitatis viris, quorum potissimùm auctoritate res definiri debebant, hæc ferè pro concione dixit:

Eiusdem oratio ad legatos.

CONSIDERANTI mihi, Amplissimi Patres, vosque præstantissimi ciues, atque penitiùs maiorum vestrorum præclaras actiones ac studia introspicienti, quibus sæpenumerò multis præclaris ac bene institutis ciuitatibus optimo exemplo non modò præluxerunt, verùm etiam dubiis temporibus nutanti Reipub. Christianæ aduersus immanes atq. barbaras gentes, huic nostro imperio auidè inhiantes, nulla habita laborum vel sumptuum, vel periculi ratione, tam strenuam operam nauauêre, vt eorum potissimùm beneficio Respub. Christiana à tam crudelium hostium faucibus quodammodò semilacerata, erepta atque seruata sit, mirari proculdubiò subit, quænam vos causæ vel rationes à tam egregio & sapienti maiorum vestrorum instituto abduxerint, vt concitatis & exacerbatis vtrimq. animis, ad belli necessitatem deueneritis. Equidem, vt verum fatear, dum dissensiones, & mutuarum vestrarum controuersiarum summas diligentiùs apud me perpendo atque examino, nullam certè, vel saltem valdè exiguam legitimam causam subesse video, quæ vos meritò ad tantas concitandas turbas, si res vtrimque in consilium admittatur, propellere atque concitare possit. Nam quid est, per Deum immortalem, in tota vestra actione, quam tamen prætenditis legitimam, & multis exaggeratis & palliatis rationibus, huiusmodi, quod vero iure ac rei æquitate subnixum sit? Porrò attento ac diligenti iudici, & de controuersiæ vestræ fundamentis diligentiùs inquirenti, satis, vti equidem existimo, constabit, dissidiorum vestrorum initia, & quasi omnium subsecutorum cum grauissimo vestro detrimento & damno, bellorum seminarium, non aliunde emanasse, quàm à mutua quadam potentiæ, atque adeò virtutis æmulatione & inuidia. ita fit, vt dum inuicem cedere nolitis, vosmetipsos in graues & inextricabiles molestias conijciatis; ex quibus, cùm difficillimæ sint, ægrè vobis eluctari dabitur, nisi tandem modum atque finem mutuis odiis constitueritis. Quis est enim tam stupidus, vel rerum humanarum ignarus, quin facilè videat, & intelligat, quorsum vestra studia eruptura sint, si per impotētiam atque ægritudinem animi deinceps, prout hactenus feciſtis, pergatis? Nec est quòd hac in re aliquis vobis maiorem fidem faciat, quàm vosmetipsi, qui iam, vti puto, vestro periculo probè didiciſtis, quo in statu res vestræ domi foriſque collocatæ sint. Nec sanè ista eò pertinent, vt vestras opes vel publicas, vel priuatas aliqua ex parte eleuem, aut deprimam: sed hoc dico, neminem vestrûm latêre, cum quanta pernicie ciuium hæ mutuæ vestræ simultates cōiunctæ sint. Proinde Pontifex publicæ tranquillitatis diligens atq. sollicitus auctor, cùm videat, vniuersam Italiā vestra potissimū de causa ad arma cōcitatam, & quasi propter

diuersa studia in transuersum rapi, sui muneris esse putauit, vt vos huius periculi auctores, & publicæ, vt liberè quod in animo habeo, eloquar, quietis cõturbatores, mea opera & fide ad mutuã & pristinã concordiã traduceret, atq. hortaretur. Cui, si pro solita vestra humanitate, atq. pro maiorũ vestrorũ in omnes Põtifices reuerentia & obseruantia auscultabitis, nõ cõmittetis vnquã, vt famã pristinamq. gloriam vestram egregiis atque fortibus factis partam, domestico ac ciuili bello obscuretis, præsertim cũ hoc tam necessario & periculosissimo tẽpore, Turcæ, ac reliqui religionis nostræ immanissimi hostes, indies impunitate confirmati, & nostra socordia securi, cum æterna nominis nostri ignominia imperium suum proferant, & abducta in fœdam seruitutem infinitorum hominum multitudine, nostris ciuilibus dissensionibus exultent. Quæ omnia cùm vos minimè ignoretis, & res ipsa loquatur, non est, vti existimo, vt vos subinde admoneam; satis abundeque fuerit, vt vobiscum expensis periculis aliisque calamitatibus, quæ vos citra dubium, si pertinaces in posterum esse pergitis, maneant, rerum malorumque magnitudo ab instituto bello & contentionibus retrahat: quippe cùm nihil difficilius sit, licet cetera vobis ex voto fluerent, & citra aliquam difficultatem suppeditarentur, quàm de belli exitu atque successu aliquid certi, præter infinitas calamitates, & multarum miseriarum agmina, sibi polliceri, vel determinare. Quocirca immutatis animis atque studiis, potius hunc animorum ardorem atq. tantarum expensarum profusionem in meliores vsus, cumprimis vobis, & Reip. Christianæ salutares conuertite, & impendentes ærumnas, ac periculosissimos turbines vestris consilijs, opibus, ac strenua opera depellite. Nam, nisi tam truculentus & ferox hostis, consociatis Christianorum Principum animis, atque armis, à nostri imperij limitibus coërceatur, non video, quo modo Italia integra, vel incolumis conseruari possit, adeò profectò, vt inde pericula, quæ vos circumstant, facilè metiri & conijcere possitis. In quibus commemorandis essem mediusfidius prolixior, si vel temporis ratio, quæ quàm angusta sit, sæpè diximus, vel animi vestri natura, quæ quàm benigna & beneuola sit, sæpè ostendistis, paterentur. Epilogi loco tantum subiecero, si pacem & concordiam magis quàm bellum & dissensiones amplexi fueritis; depositaque omni contentione, in mutuam gratiam redieritis; vos non solùm pacis commodis, vt puta domestico otio, rerum prosperitate, ceterisque similibus bonis fruituros, sed etiam hac in parte Pontificis animum, & veterem in vestram Remp. paternam pietatem promerituros.

Peroratio.

Pax inter Ligures ac Pisan. 1217.

HAC SVA oratione plerorumque animos ita commouit, vt ad mutuum amorem & beneuolentiam flecterentur. tandemque pax inter eos de mutuo consensu & voluntate certis sub conditionibus inita atque constituta: quæ etiam aliquandiu salua & illæsa vtrimque permansit. Et quò huius cõstitutæ pacis capita firmiùs cõstabilirentur, Nicolaus Barbauarus, & Raimundus Cataneus Reipub. Genuensis nomine Pisas, Scortius verò Lupus, & Aldobrandus Suauimacus Pisanorum nomine Genuam missi sunt, qui vtrimq. seorsum in Senatu magnis cum cærimoniis iureiurando interposito, publico nomine pacem de more sollemni sanciuerunt. Pontifex etiam, quia summoperè verebatur, ne hi duo populi ex pristinis contentionibus & odiis, licet constituta pace & vtrimque iureiurando confirmata, ad bellum, vti sæpius antea factum fuerat, recurrerent; magna prudentia per suum legatum sic egit, vt non priùs comitia, vti diximus, constituendæ pacis gratia habita, dissoluerentur, quàm vtraque ex parte sufficienter cautum sit, se in perpetuum veræ pacis atque concordiæ vinculũ etiam ad ipsum Ponti-

Pontificem Romam legatos missuros, qui eam coram ipso Pontifice vtriusque Reip. nomine, pari religione & solennitate confirmarent: & ex parte quidem Genuensium Fulco Iustinianus, & Vbertus Spinula Romã oratores destinati sunt, quos Papa humaniter exceptos, omni hospitalitatis & beneuolentiæ genere prosecutus est, ita vt ad quotidiana ferè colloquia admissi, varios sermones cum eis miscuerit, ac super Syriaca expeditione multas rationes & grauissima consilia contulerit, præsertim quòd non ignoraret, Ligures propter diutinam ac ferè assiduam cum Orientalibus populis consuetudinem probè intelligere, quibus potissimùm rationibus & mediis, ibi pro dignitate Reipub. Christianæ, atque cum totius imperij nostri emolumento bellũ geri atq. administrari posset, sic vt ipsi oratores, ostensis præcipuis difficultatibus, quæ necessariò interponi possent, nomine Reip. suæ omnia studia & obsequia promptissimis ac demississimis animis offerrent, quorum verbis cũ Pontifex fidem summam haberet, & sibi non parum gratularetur, quòd sua potissimùm opera, has duas, quas suprà recensuimus, Respub., inuicem in gratiam reposuisset, in spem erigebatur haud mediocrem, vt pari dexteritate & diligentia Ligusticus populus cum Venetis, bellum ante transactas indutias in plaga Orientali, vti superius diximus, renouantibus, reconciliaretur, sicuti etiam postmodum euenit. Pax verò cum Pisanis transacta, vsque ad annum eiusdem sæculi quadragesimum primum conseruata, donec tandem ipsi in gratiam Pontificis ac Friderici secũdi bellum redintegrarunt. De his autem quæ inter Ligures atq. ipsum Fridericum gesta sunt, absoluto præsenti libro, seorsum Deo adiuuante explicabitur. Pisani interim, veteres & capitales Reip. hostes, non solùm Cæsarem in his omnibus expeditionibus, quas terra mariq́ue aduersus Ligures suscepit, præualida classe adiuuerunt, sed etiam præter cetera damna Genuensibus illata, ipsis Erycen ac Trebianum, Liguſticæ ditionis oppida, abstulerunt, eaq́ue de causa, Cæsare humanis rebus exempto, nouæ ac recentes controuersiæ inter vtrumque populum intercedebant. Hæ licet non essent parui momenti, & eiusmodi, quæ armis vindicari iurè possent, nihilominus tamen, ne ipsi soli publicæ constitutæ tranquillitatis viderentur noui perturbatores, de communi vtriusque gentis voluntate, controuersiæ causæq́ue cognitio ad Florentinos, ceu æquos & iustos arbitros, ac in neutram partem propendentes, delata fuit. Et quò magis illis constaret, sibi decidendæ litis facultatem factam esse, neue quid temerè in præiudicium alterutrius partis attentasse, incusari à quoquam deinceps possent, Senatus Genuensis hac potissimùm de causa Lanfrancum Marocellum & Hugonem Fliscum Florentiam ablegauit. Florentini igitur constituti & confirmati iudices, introspectis, & exactiùs pensiculatis causæ meritis, secundum Genuenses pronunciarunt, & Pisanis occupatorũ locorum restitutionis necessitatem irrogarũt. Quam sententiã cùm hi ceu suspectam non admitterent, & consueta morositate iniquam esse prædicarent, Ligures horum contumaciam pertæsi, ad nouum illis inferendum bellum vnanimi voluntate consenserunt; & mox Nicolaum Grimaldum, & Perciualem Auriam ad ipsos Florentinos, ac Lucenses sibi conterminos, & antiquo amicitiæ iure deuinctos, ablegarunt, vt veterem amicitiam ac bellorum societatem nouo fœderis iure confirmarent. Et in huius belli vsum, præter haud exiguas auxiliares equitum ac peditum copias, triginta triremium classem Erycen transmiserunt. Fœderati itidem coactis summa celeritate aliquot subsidiariis copiis, hostem non ita procul à Librafacta Thusciæ municipio adorti sunt. Ceterũm ipsi, his tantis apparatibus nequaquam consternati, magna animorum temeritate potiùs quàm

Pisani Erycẽ ac Trebianũ Genuensibus adimunt.

Florentini secundum Genuẽs pronunciant.

Bellum inter Ligures ac Pisanos instauratur.

1256. *Pisanorum clades.*

fortitudine sese illorum conatibus obiecêre, eo tamen prorsus euentu, vt ipsi primo quidem terrestri congressu, post longum ac periculosum certamẽ, superati ac fusi sint. Huius rei feliciter gestæ nuncium cùm ad eos qui classi nauali præerant, esset perlatum, statim Erycis oppidum à Pisanis antea sæpius fortiter defensum, & propugnatum, acri impetu inuaserunt; ac post crebros telorum ictus, & bellicarum machinarum impetus tandẽ expugnarunt. Quo expugnato, pari etiam successu arcem eiusdem oppidi, sui iuris fecerunt. Hanc cladem Pisanis inflictam, per se alioquin grauem, & non leuis momenti, mirum in modum exaggerauit, & adauxit iusta indignatio ab omnibus iure, vt videbatur, suscepta; quòd Iudex agri Calaritani, se insciis, & nihil minus volentibus, vel expectantibus, Remp. Genuensem Castro Sardiniæ municipio, priuata ac propria auctoritate donasset. Incuius rei gratiam Senatus Oggerium Scottum & Ioannem Panzanum cum duabus triremibus euestigiò ablegarat, vt ibi Reip. nomine donati oppidi possessionem, prout fieri solet, caperent. Quæ sanè repentina & spontanea donatio non mediocres turbas in Sardinia dedit, cùm vna ex parte Calaritanus Præfectus à Genuensibus; Alborensis verò toparchiæ procurator ex altera pro Pisanis starent, adeò vt cùm nemini dubium foret, quin diuisi inter se diuersis studiis insulani ad arma decurrerent, vtraque Respub., ne ibi sui essent inermes, vel ad aliquem casum imparati, noua præsidia, nempè, Pisani quidem octo, Ligures verò duodecim triremes bene instructas & præparatas miserunt, quò vtraque suam ditionem commodiùs tueretur & conseruaret. Sed fatali quodam casu accidit, vt, dum vtraque classis eodem ferè tempore in Sardiniam traijceret, mutuò sibi obuiam darent, ita vt, neutra pugnam detrectante, inter se confligerent: & post acrem & diuturnam pugnam, Pisani numero & viribus inferiores, cum tota sua classe in hostium potestatem deuenerunt. Hac tam præclara & insigni victoria potiti Ligures, Genuam cum incredibili omnium lætitia triumphantibus similes reuersi sunt. At Senatui, ceterisque, publicam vtilitatem penitiùs conseruare contendentibus, summoperè expedire visum est, vt, adaucta classe, reliquias belli conficerent. Proinde Patrum decreto Simon Guercius & Nicolaus Cicada cum quatuor ac viginti triremibus in Erycen amandati sunt, vt inde in Sardiniam nauigarent. Hi inter nauigandum, Pisanum portum subire audentes, tres onerarias & aliquot minoris notæ nauigia ceperunt & abduxerunt; qua præda potiti, institutum cursum in Sardiniam vsque prosecuti sunt. Quia verò Calaritanus Iudex viuis excesserat, cum Gulielmo eius nepote quem hæredem ex asse instituerat, Prefecti nomine Reip. antiquum fœdus renouarunt & confirmarunt. Ipse etiam paulò pòst, certorum negotiorum causa Genuam profectus, in morbum incidit, ex quo ibi, paucis interiectis diebus, postquam appulerat, fatis concessit, supremisque tabellis testamentariis Senatum totius ditionis suæ hæredem conscripsit & designauit. Quæ omnia ferè in annum supra millesimum ducentesimum sextum & quinquagesimum inciderunt. At proximè insecuto anno,

1257. Repub. grauissimæ dissensiones, ac intestini motus aliquandiu intermissi, recèns coorti sunt; quorum originem & causas suo loco & tempore assignauimus. Hoc vnum interim dicemus, institutæ historiæ prosequendæ causa, tantis studiis in ipsa ciuitate fuisse certatum, vt tandem vincente populari factione, Gulielmus Buccanigra supremo muneri suffragiis popularibus admotus fuerit. Ceterùm cùm bellum in Pisanos motum nondum deferbuisset, quò illud citiùs & feliciùs finiri & consopiri posset, sexdecim triremes instructæ sunt, ductoribus Nicolao Vento, & Iacobo Nigrio, qui rebus omnibus domi expeditis, in Sardiniam cursum

Erycis oppidi & arcis expugnatio.

Castrũ Sardiniæ Genuens. donatum.

Octo triremes, & plerague alia Pisanorum nauigia à Gen. occupata.

Calaritani iudicis ditio Genuens. donata.

sum direxêre. Sed cùm oppidum Castri, quod paulò antè Reip. donatum ostendimus, à Pisanis oppugnaretur, Liguſtici Præfecti nihil habuêre antiquius, quàm omnibus viribus atque conatibus obsessis opem ferre, ac hostem, cum septem triremibus, hanc expeditionem circa ea maria impedientem, inuadere. Is tamen vbi primùm de Liguſticæ classis aduentu cognouit, se protinus in quoddam illius insulæ municipium in suas partes propensum, recepit. At Castrenses ad extremam rerum omnium necessitatem adacti, desperatis tandem rebus, Iudici Alborensi, à quo arctissima obsidione ab initio pressi erant, dedidêre. Cuius loci iacturam cùm Ligures quàm ægerrimè ferrent; multumque Reipublicæ interesset, si illud in sua potestate haberet, ad eius recuperationem omnes neruos & vires intendêre. Ipsis igitur hac de causa non parum soliciti, ac omnes consilij rationes huc deducentes & explicantes, quidam ex Insulanis ipsi Iudici aduersario affinitate quidem coniunctus, sed ob priuatas offensas & simultates quàm maximè inuisus, Genuam properat, ac Senatui ostendit, quibus potissimùm modis & artibus possit expugnari. Cuius quidē verbis quòd ratione niterentur, cùm ipsi fidem haberent, illuc statim aliquot naues & militaria præsidia summa celeritate expediuerunt, quæ licet in Sardiniam saluæ & incolumes appulissent; nihilominus tamen, exortis ibi quibusdā difficillimis & periculosissimis tumultibus, res, prout sperabatur, geri, neque feliciter confici potuit. In hoc rerum in Sardinia statu, iterum bellum à Venetis nouatum. Nam tametsi pax inter eos & Ligures constituta, hactenus illæsa & inuiolabilis, prout vterque populus receperat, conseruata esset; nihilominus tamen repentino quodam motu, inter vtrosque in Syria leuissimis de causis nouæ altercationes, atque dissidia exorta sunt, quæ paulò pòst, sicuti suis locis enarrabimus, in atrocissima bella eruperunt. Inter Ligures autem & Pisanos, ab hoc tempore, vsque in annum millesimum ducentesimum octogesimum secundum, nihil omninò, quod equidem sciam, memorabile vtrinque attentatum, vel gestum est; sed à mutuis armis temperatum. Deinceps verò tam pernicioſa bella vtrinque recruduerunt, & tanta mutua æmulatione animique contentione longa serie gesta sunt, vt tandem Pisani, sicuti mox enarrabitur, accisis, & penitus attritis rebus, inferiores euaserint, & planè huiusmodi, qui sustinendo & gerendo bello cum tam præpotenti & pertinaci aduersario prorsus essent imbecilliores ac impares. Primi igitur huius, post tam longam atque diuturnam pacem, renouati belli causam atque originem, hanc potissimùm fuisse commemorant: quòd iisdem ferè diebus, Siculi conspirarant in Gallos, quibus ad vnum interfectis, protinus à Carolo Andegauensi primo, ad Petrum Aragonium regem defecerant. Amissa Sicilia Carolus, eam vi atque armis recuperare instituit, & Messanam primò inuadit. In hoc autem bello cùm plurimi ex Genuensibus & Pisanis, cum suis nauigijs militarem operam, alij Andegauensi, plerique Aragonio impenderent, inter vtrumque populum, ob vetera odia & simultates, dissidia & altercationes innouatæ sunt; quæ postmodum diri & funestissimi belli seminaria extiterunt. Exacerbabat etiam iustam Genuensium iram, quòd Pisani præstantissimum quendam Calui oppidi ciuem, qui ab illorum fide desciuerat, apud se retinerent, summisque studiis fouerent. Qua quidem de causa non leues per totam Corsicam motus ac tempestates concitatæ sunt, adeò vt cùm ipsi subinde perduelles, & ceteros à Senatu Genuensi proscriptos, omni ope tueri ac propugnare pergerent, animis vehementissimè exulceratis, omnem belli molem in eos vertere statuerunt. Itaque partim quò iniurias in vtraque insula sibi illatas vindicarent & vlci-

Castrum oppidum à Pisanis obsidetur.

Causa & origo belli renouati inter Ligures ac Pisanos.

scerentur, partim etiam, vt hostiles conatus propulsarent, tres ac viginti triremes & duodecim onerarias quàm celerrimè instruxerunt, quamuis variis multisque de causis illa expeditio in commodiorem temporis rationem reijci necessariò debuerit, præsertim quòd adulta iam æstate, habenda non postrema messis ratio esset; deinde etiam, quòd constanti fama diuulgatum passim vbique esset, Pisanos valida classe ad omnes hostiles impetus atque conatus reprimendos, instructos esse, & nihil magis quàm pugnam exposcere. Itaque cùm Corsi, Pisanis pactis auctoribus, sensim à Genuensium fide atque obsequio sese subducerent, nec interim vlla inter ipsos ineundæ pacis ratio inueniretur, iterum Pisis duæ ac viginti triremes ductu Ginicelli Sigismundi expeditæ sunt, qui longè lateque oram Liguſticam peruagatus, indigenas exiguo temporis tractu quàmplurimis & grauissimis detrimentis affecit. Deinde cùm breui pòst, per exploratores certior fieret, Genuæ præpotentem classem instructam, & mox inde soluturam, protinus illinc recedens, & domum versus nauigatione directa, iuxta Motronum tam sæua atque atroci tempestate iactatus est, vt ibi septendecim triremium cum maiori parte sociorum naualium ac remigum iacturam fecerit. Et quia inter alia proximè à nobis enarrata, Siculam etiam à Gallis defectionem attigimus, quæ in hæc ferè tempora, scilicet anno octogesimo secundo supra millesimum ac duocentesimum, incidit, haud sanè ab instituto alienum videbitur, eius originem atque successum quàm breuissimis verbis perstringere, & quasi summatim delibare. Galli sub Carolo Andegauensi Ludouici fratre, in Sicilia & vniuerso Apuliæ Campaniæque regno rerum potiebantur. Verùm quòd ipsius præfecti ac ministri subditos iniquiùs tractarent, & in eorum fortunas liberè debaccharentur, adeoque in eorum vitam non secus ac si mancipia vilia fuissent, supramodum tyrannicè & crudeliter sæuirent, ac muliebri pudicitiæ passim insidiarentur, Ioannes Procul Salernitanus, qui Manfredi regis medicus fuerat, indignitate rei commotus, inito cum Siculis clandestino consilio, eam insulam ex Gallorum seruitute eripere, ac in pristinam libertatem vindicare prorsus penes se constituit. Quarè Constantinopolim profectus, Michaëli Palæologo tunc Græcorum imperio potiunti, ostendit, Carolum breui contra ipsum arma sumpturum, atque hac potissimùm ratione non solùm Cæsaris, verùm etiam aliorum Græcorum procerum gratiam & beneuolentiam sibi conciliauit. Quibus peractis, mox in Cataloniam contendens, Siciliæ regnum Petro Aragonio, qui Constantiam Manfredi filiam in matrimonio habebat, obtulit: binisque profectionibus, Romam eodem tempore susceptis, tantum apud Nicolaum tertium Pontificem egit, vt in Petrum Constantiæ nomine, totius insulæ iura contulerit: tantaq. fuit huius medici sagacitas & solertia, vt octodecim mensium spatio exorsam telam pertexuerit, tanto certè silentio, vt ante indictum diem, quo sub vesperam ad primum campani æris sonitum arma aduersus Gallos sumere, & omnes trucidare constituerant, ipsi de huiusmodi insidiis nihil penitus olfecerint. Cùm igitur dies atq. hora cædi præstituta adesset, omnes statim inter se conuenerunt, & correptis armis, tertio Cal. Apr. Gallos per totam insulam eodem ferè temporis momento ex improuiso inuadunt, magnamque inter eos lanienam & carnificinam exercent: tantumque erat insulanorum in ipsos odium iustiss. de causis concitatum, vt illorum cruentas manus nemo euadere potuerit; quin etiam, siquas Siculas mulieres Gallorum compressu grauidas suspicarentur, illas ferro transfixas, vnà cum fetu subitò enecabant. Atque hac quidem barbarica feritate Sicilia Gallis adempta, & deinde à Petro Aragonio occupata fuit. Inde in vulgare

Septẽdecim Pisanorum triremes naufragio pereunt.

Gallorũ clades in Sicilia, quo potiss. auctore perpetrata fuerit.

vulgare prouerbium abiit, Siculas vesperas celebrare; quotiescumque crudelem aliquam & repentinam hominum oppressionem significare volumus. Cui non immeritò adiungi potest atrocissima illa Gallica laniena; quæ per totam Galliam sub Carolo IX. recèns accidit. quæ sanè si cum hac Sicula conferatur, eò erit detestabilior & atrocior, quò & crudelior, & etiam innocentior fuit. Siquidem satis constat, Siculos, libertatis pristinæ vindices, & iniuriarum indignitate ac magnitudine obrutos, longaque quodammodo patientia victos, supplicium de tam crudelibus tyrannis sumpsisse. Carnificina verò Gallica nescio quo prætextu legitimè à quoquam defendi ac excusari debeat, vel possit, cùm ibi ferrum in propria viscera, nullo habito delectu, nullaque legitima de causa conuersum strictumq. sit, & lanienæ crudelitas non solùm impunitate confirmata, sed contra omnium gentium mores & exempla, carnificibus ipsis ampla & opima præmia cõstituta fuerint, ita me herculè, vt nunquam, quod equidem sciam, vllibi terrarum tantum innocentissimi sanguinis inter proprios parietes ab iis ipsis, quorum patrocinio ac viribus omnibus propugnari & cõseruari debebant, miserè contrucidati, & citra aliquem sexus, ætatis, vel ordinis delectum interempti, effusum sit funestissimo illo anno, meritò inter nefastos referendo, & atterimo, vt dicitur, carbone, vel si quid nigrius inueniri potest, notando. Ascribatur igitur huic nostro Siculo, trito iam, & quasi obliuione obsoleto prouerbio, recens hæc funestissima, & plusquam Scythica immanitas, quæ etiam pari modo in paræmiam transiit. Quandoquidem dum alicuius cædis atrocitatem, vel inauditum aliquod scelus denotare volumus, dicimus Matutinas Gallicas celebratas fuisse. Hæc, frequentiorem ac veriorem famam secutus, commemoraui. Ceterùm non desunt, & illi quidem non contemnendi auctores, qui asserant, cædis initium à Panormitanis ortum, cùm die Dominicæ Resurrectionis, ad templum, quod ad Montem regiũ tertio à Panormo lapide abest, religionis causa promiscuè perueniretur; Gallos, cùm pro solita sua tyrannide scrutandi morem, si quis cum telo esset, introduxissent; etiam matronas ac virgines excutere, licentiusque illarum sinus pertentare cœpisse. Qua de causa ab ipsis viris iusta ira inflãmatis, vt in populari seditione fieri solet, lapidibus aliisq. obuiis armis in eos sæuitum, & Gallos ad internecionẽ cæsos, eaq. fama Siciliã totã peruagante; à nullo eius nationis vsquã in eo regno temperatũ fuisse. Vt verò ad institutũ reuertamur, suprà ostendimus, fataliter propemodũ accidisse, vt neuter hic populus vnquã tã firma vel stabili pace inter se deuinciri potuerit, quin post aliquot annorũ decursum iterũ ad arma decurreret, & pro veteri suo instituto in mutuam perniciem exarderet; varioque belli successus & fortunam fuisse. Sequitur postremum Pisanum bellum, vnum quidem nomine & titulo, sed victoria multiplex. Hoc enim omnium longè fuit crudelissimum, & ipsis Pisanis, vt mox dicemus, funestissimum. Cùm enim Genuensis Respub. progressu temporis immensis opibus excresceret, rerumque gestarum gloria mirum in modum floreret, necnon multis iniuriis atque incõmodis subinde ab iisdem, vrbis felicitatem incrementaque ægrè ferentibus, afficeretur, omnium animi ad illos atterendos & expugnandos vehementissimè inflammabantur. Proinde quò illius belli administratio commodiùs ac feliciùs perficeretur, à Senatu noua Magistratus forma excogitata & introducta est, quam ipsi vulgò Credenzam appellabant, eaque quindecim ciuium numero constabat. Huius sanè auctoritatem haud mediocrem vel ex eo fuisse patet, quòd præcipuè horum iudicio atq. voluntate, omnibus & singulis ciuibus & oppidanis, aliisque Ligustico nomini & imperio, aliquo modo subie-

Postremum bellum aduersus Pisanos.

Genuæ noua Magistratus forma introducitur.

subiectis, seuerè ac sub graui pœna sancitum ac edictum fuit, ne quis ea æstate vsquam gentium enauigaret. Quò etiam naualis ordo ac militia ad seueriorem disciplinam reuocaretur, Senatus consulto cautum est, ne quis in posterum Amiralij titulo insigniri, vel D. Georgij vexillo vti, vel erigere auderet, nisi idem de Senatus voluntate decem triremium Præfecti titulo & munere esset declaratus, & honestatus. Insuper, ne quis Reipub. ciuis, vel ei aliàs aliqua de causa subditus, huius suscepti belli ignarus esse, vel aliquo quæsito colore militiæ vacationem prætexere posset, Senatus præcones per omnes ferè Ligustici imperij ditiones misit, qui hoc sollemniter denuntiarent. Erat ea tempestate Genuæ magna nauigiorum pænuria. Quocirca summo studio & cura allaboratũ, vt euestigiò quinquaginta triremes in Petri Arenarij littore exædificarentur. Pisani etiam, exploratis aduersariorum consiliis, protinus & ipsi noua nauigia fabricari atque instrui iusserunt, exque mutuo consensu vtraque Respub. scribam cum quatuor nuntiis ad manus atque in promptu habebat, qui suos de his omnibus quæ quotidiè vtrimque gerebantur, seorsum summa fide & diligentia edocebat. Bello itaque inter eos magis ac magis flagrante, Ligures secum reputantes, quantum Reipub. interesset, si Bonifacium Corsicæ oppidum in sua potestate permaneret, confestim illuc aliquot subsidiarios sagittarios cum quatuor triremibus ablegarunt. Quod vt Pisani olfecerunt, cum septem nauigiis ad eas in reditu capiendum in insidiis delituerunt: illæ tamen remigij sui robore atque alacritate hostiles conatus frustratæ, atque elapsæ sunt. Ceterùm, anno ducentesimo octogesimo tertio supra milleſimum, nonnullæ Pisanorum naues multis ac pretiosis mercibus onustæ, in ipso ferè Pisani littoris conspectu, à Genuensibus interceptæ sunt. Hi verò vt illatam iniuriam resarcirent, sexdecim triremes sub Rossi Buscarini præfectura in hostem eduxerunt, quibus Ligusticæ ditionis tractum variis populationibus diuexarunt. In Corsicam etiam nouam expeditionem suscepêre, additis huic classi nouem aliis triremibus, & aliquot onerariis strenuo milite aliisque rebus ad bellum necessariis, egregiè instructis. Ea tempestate nulla Genuæ iussu Senatus classis adhuc præparata erat. Verùm intellecto Pisanorum nouo supplemento atque in Corsicam traiectu, Patres veriti, ne periculum maximum in mora esset, summa festinatione vsi, nouem triremes, quæ ibi in promptu erant, & quas Isedius Cataneus, & Montanarus Squarciaficus priuatis sumptibus extruxerat, cum omnibus ad bellum necessariis, in illam insulam ablegarunt, fortè & in itinere hosti occurrentes, conserto prœlio, propter disciplinæ militaris neglectos ordines, cum insigni detrimento ac ignominia sese domum recipere coacti sunt, nullaque mora interposita, ex Patrum decreto quinque ac triginta triremium classem omni bellico apparatu instructam sub Thomæ Spinulæ, viri singulari prudentia & bellicæ virtutis gloria insignis, ductu & auspiciis eduxerunt. Quod quidem vt Reipub. Pisanæ innotuit, cum summa celeritate quatuor & quinquaginta nauigiorum classem duce Andrea Saraceno expediuerunt, qui soluens, diuersam omninò à Genuensibus nauigationem tenuit. Hic enim Sardiniam versus, & Ligur ad Planasiæ, tunc Pisanæ ditionis insulam, iter flexit. Huc itaque appulsus, militeque in continentem exposito, quasdam turres ab hostibus erectas, & valido præsidio firmatas, durissima obsidione pressit, nec antea destitit, quàm eas occupauerit: quas demùm, captis in eisdem supra centum & quinquaginta defensoribus, solo æquauit. Pisanus contrà, eodem temporis tractu in Sardiniam præteruectus, Largherum vrbem à Genuensibus propugnatam, arctissimè obsedit, nec prius eam soluit, quàm præsidiarium militem ad deditionem compulit: captoque oppido, contra

Pisanorum insidiæ.

1283.

Largherum à Pisanis deditione occupatum.

contra ius gentium & contra pacta neglectis transactionis condicionibus, perfidè ac iniquè cum deditis egit. Spinula interim de hac obsidione certior factus, quòd tamen nauigiorum militumque numero longè inferior esset, quàm vt obsessis citra graue & manifestum periculum opem ferre valeret, aliò nauigatione conuersa, in aliam classem hostilem incidit; & cum hac intrepidè congressus, post longum & cruentum certamen, præclara atque insigni victoria potitus est, compluribus nauigiis Pisanorum captis; prædaque ingentis pretij comparata, adeò vt à nonnullis memoriæ ac posteris traditum sit, ipsum Genuam reuersum, præter nongentos captiuos, octo & viginti marcharum argenti millia ex præda in ærarium publicum intulisse. His interim non obstantibus, Pisani cum præpotenti & ingēti classe Cyrnum & Sardiniam subinde variis excursionibus inquietabant, omniaque citra aliquam temporis intermissionem (nunquam enim se domum receperant) infesta reddiderant, ita vt Ligures ad illorum conatus atq. ausus reprimendum, classem quatuor & quinquaginta triremium comparare & instruere summa celeritate cogerentur, cui ex Senatus voluntate Conradus Auria, Vberti filius, cum imperio præpositus fuit. Illa valdè præclara atq. insignis fuisse traditur, vtpotè in quam totius ciuitatis robur ac lectissimæ iuuentutis omnium ordinum & factionum flos conscendisse, mira animorum alacritate dicant; qui omnes immensæ gloriæ ac proferendi nominis studio incitati, nihil prius vel habuêre antiquius, quàm veterem & capitalem hostem de summa imperij maritimi perpetuò cum Rep. decertantem, prima quaque data opportunitate cunctis viribus inuadere atque opprimere. Proinde Auria cùm per suos speculatores intelligeret, hostilē classem in Populoniæ, olim portus Traiani sinu, stationem subinde habere, eò recto nauigationis cursu contendit. Sed Pisani intellecto, classem Ligusticam haud ita procul abesse, cōfestim sese in portum Phaliscum iuxta Populoniam, intra quosdam aggeres & munimenta, vt minùs iniuriis atque incommodis recipiendis paterent, subduxerunt; ibique à Liguribus confestim obsessi. Auria interim certior factus, per idem fermè tempus, quindecim hostiles triremes è Sardinia soluisse, Pisasq. rectà contendere, sibi eiusmodi occasionem neutiquam prætermittendam ratus, eustigiò classis parte ad hostis, qui occlusus detinebatur, obsidionem relicta, ipse cum reliquis nauigiis eò cursum itineris direxit, quà omninò transituros existimabat. Verùm cùm in illorum conspectum deueniret, hostes, pugna detrectata, sese illicò in turpem ac celerem fugam coniecerunt, adeò vt propter aduersam tempestatem repentè subortam, dumtaxat quatuor triremium præda potitus fuerit; reliquæ tamen, dum præsens periculum declinare & euitare student, in aliud longè maius inciderūt. Nam omnes vi ventorum & tempestatis dissectæ, & in continentem euadere adnitentes, subito naufragio perierunt. His peractis Auria cùm victricibus armis inchoatam expeditionem prosequeretur, seque aliis coniunxisset, aquandi causa sese ad Arni fauces recipere, & mox Euronoto vehementer flante, illinc prorsus recedere, & classem in portum Veneris inferre coactus est, sic tamen, vt breui pòst eòdem reuerti staueret. Sed cùm ea vis tempestatis per totum quatriduum sæuiret, aduersariis occasio præbita est, vt obsidione, omnique metu liberati, ex ea statione ad suos redirent, seque intra portum intra catenas & alias munitiones communirent: quod sanè haud sine maximo Auriæ dolore ac indignatione factum esse creditur. Ipse etenim de hostium discessu edoctus, ægrè ferebat, per sęuientis maris procellas factum esse, vt tam egregia bene gerendæ rei oblata occasio sibi esset extorta. & sic postquam aliquantisper in Veneris portu substitit, inde cum amplius quingentis captiuis

Thomas Spinula victor Genuam reuertitur.

Pisanorum infortunium.

captiuis Genuam reuersus est. Dum res ita geruntur, vterque populus indies magis atque magis in mutuam perniciem excubabat: & Pisani quidem eò fiduciæ deuenerunt, vt se maritima potentia & fortunæ prospero successu, Ligures superaturos confiderent. Proinde iterum ad nouos apparatus animum adijcientes, summa & incredibili celeritate sexaginta triremium classem omnibus rebus opportunis armarunt, eique Rossum Buscarinum, cuius proximè habuimus mentionem, præfecerũt: tantaque erat & tam inaudita eorum temeritas cum summa ferocia coniuncta, vt sese cum vniuersa sua classe in portum vsque Genuensem venturos gloriabundi palàm & apertè iactarent. Primùm itaque in portum Veneris delati, illud oppidum grauissima obsidione vndiquaque cingere ac premere cœperunt. At quod illud, contra opinionem, valido præsidio teneretur, re penitus infecta, accepto non mediocri incommodo ac detrimento, illinc recedere compulsi sunt. Interea Ligures, cùm indies magis atq. magis re ipsa experirentur, cum quàm præpotenti ac funesto hoste res esset, & quantis artibus in suum exitium ac perniciem incumberet, summa etiam vigilantia, & haud mediocri industria opus esse intellexerunt, vt non modò ab illius iniuriis tuti essent, verùm etiam vt omnibus modis illius vires potentiamque attererent. Proinde Senatus, tridui spatio (quod sanè haud mediocri admiratione caret) septuaginta triremium classem instruxerunt, atque illi Vbertum Auriam, virum ea tempestate singulari virtute ac rei militaris scientia, rebusque gestis clarum atque insignem, ad quem summa rei naualis respiceret, præfectum constituêre; qui educta classe, rectà ad portum Veneris contendit, quòd intelligeret, frequenter in ista ora hostem esse solere. Is tamen, de Auriæ aduentu admonitus, & cũ quanta classe Genua egressus esset, exploratum habens, nihil ad summam diligentiam fecit, vt se statim subduceret: solutaque obsidione, sese diuerso itinere Pisas contulit. Hac igitur spe frustratus Ligur, classem Genuam, quòd præcipitata iam esset æstas, reduxit, eaq. breui pòst exarmata, omnibus pro arbitrio & voluntate nauigandi facultas permissa. Ceterùm, paucis interiectis diebus, Genuæ intellecto, Petrũ Rimenarum, Genuensium clientem ac beneficiarium, ab aduersa factione Sassaro Sardiniæ municipio eiectum fuisse, Patres summo studio & cura dedère operam, cùm maximè sua interesset, vt is maturo subsidio iuuaretur: summaque cum festinatione Senatus iussu Henricus Marius cum tribus triremibus & quinque longioribus nauibus, quas vulgari idiomate Galeones vocant, illuc amandatus est: quem breui pòst Caccianimicus Cataneus cum vnius & viginti triremium classe, magno militari præsidio instructa, est cõsecutus, adeò vt si hæc postrema classis ad computum redigatur, hoc anno ducentas triremes & amplius, sub diuersis ductoribus aduersus solos Pisanos instructas ac eductas fuisse, veterum Annales memoriæ tradant. Postero anno, qui fuit supra millesimum ducentesimum octogesimus quartus, ex communi omnium ordinum consensu, publicè ac priuatim in ijsdem naualibus apparatibus sedulò perseueratum est, & primò quinque triremes à priuatis ciuibus egregiè instructæ fuerunt, quibus in Syriam adnauigarent. Pisani etiam nihil prorsus de pristino suo studio atque in Ligurem odio remittentes, Vgolino Comiti, qui in illa Rep. non minùs natalium splendore, quàm opibus ac dignitate principem locum obtinebat, & Andreotto Saraceno, de sui Senatus voluntate totius rei naualis expediendæ negotium demandarunt: quorum quidem industria & opera effectum est, vt breui quatuor ac triginta naues iga sub Ioannis Caualcæ auspiciis educerentur. At Genuenses de suis quinque triremibus, quarum proximè meminimus, non parum anxij atque solliciti, ne quid

Portus Veneris frustrà à Pis. tentatus.

Genuæ septuaginta triremes tridui spatio instructæ.

Genuæ infra vnius anni spatium ducentæ atque amplius triremes adornantur.

1284.

quid grauioris incommodi ab hoste paterentur, summo studio ac celeritate septemdecim nauigia, in quorum velocitate plurimum confidebant, exornarunt; quibus Henricus Marius earum præfectus, summa diligentia vsus, exiguo temporis interuallo sese illis coniunxit. Pisani interea, de classe Ligustica edocti; postquam illam numero longè sua inferiorem intellexêre, quò expeditiùs & celeriùs rem ageret, quatuor duntaxat, & viginti triremes ex vniuersa sua classe selectas, nouoque milite ac rebus ad bellum necessariis egregiè instructas, contra nostros eduxerunt; & in Sardiniam appulsi, in mutuum conspectum deuenêre. Marius verò, vbi hostem adesse, sibique decertandi facultatem ab eo fieri cõspexit, haud exiguo conserendę manus studio inflammatus, statim classe bipartitò distributa, sese ad prœlium præparauit. Ex aduersò, pari militari disciplina atque ordine, Pisani suam aciem instruxêre: & cùm nauigiorum numero militeq. fermè æquales vtrique essent, dato prœlij signo, magno cũ animi ardore ac alacritate vtrinque concursum fuit, & à prima luce, vsque ad Solis propemodum occasum, vario planeque dubio Marte dimicatum, eo successu, vt post longam & cruentam dimicationem, Genuenses tandem præclara victoria potiti sint, captis octo triremibus, & vna suppressa: moxque reliquas fugientes insecuti, breui temporis tractu, sex alias in suam potestatem redegerunt: & nulla prorsus eorum manus effugisset, nisi noctis ingruentis beneficio euasissent. Marius hac re tam feliciter, & cum magna sui ac Ligustici nominis laude gesta, cum classe in Corsicam ad Bonifacij oppidum perrexit, vt eam ibi reficeret; interim, quinque triremium, quæ priuatorum ciuium erant, præfectis liberam potestatem faciens, vt institutum iter prosequerentur. Ipse etiam, haud ita multo pòst, cum magno ex præcipua Pisanorum nobilitate captiuorum numero, & diuiti præda ac spolijs Genuam, ouanti similis, reuersus est. Hac tam insigni clade Pisanorum animi vehementiùs exacerbati, de noua expeditione consilia & rationes iniuerunt. Et quia tempus instabat, quo quidem sibi de more iam recepto nouus Prætor creandus esset, Petrum, siue, vt aliis placet, Albertum Maurocenum eximiæ inter Venetos nobilitatis virum, & singulari virtute reiq. naualis fama illustrem, ex vnanimi Patrum atque omnium Ordinum consensu & suffragiis, ea potissimùm ratione designarũt, vt cum ipsis Venetis, ea tempestate neutri parti adhærentibus, fœdus atque amicitiã eius opera inirent. Huic itaque totius belli, aliarumque rerum, quæ in ea Repub. domi foriſque maioris erant ponderis, imperio ac suprema potestate demandato, nihil habuêre antiquius, quàm summa celeritate præualidam classem exornare. Et ne aliqua in parte domi vel foris externis amplius innecterentur bellis, eodem tempore cum Tarraconensibus, Ligustico nomini natura alioquin infensissimis hostibus, nouum fœdus contraxêre. At Genuenses, de hostium consiliis & bellicis apparatibus edocti, vt eorum cogitata præuenirent, haud multò post reditum Henrici Vsusmarij ad vrbem, triginta triremes ductu Benedicti Giacarij omnibus rebus expeditas eduxerunt. Ille primò in Corsicam nauigatione directa, ibi aliquot Aragonias & Pisanas circum-euagantes, de improuiſò intercepit. Cùm verò Genuam allatum esset, hostem cum duarum ac septuaginta triremium classe, strenuo bellatore, omnique machinarum ac militarium instrumentorum genere instructa, in altum enauigasse; veritus, ne ab eo, aliquo insigni detrimento afficeretur, statim actuarium nauigium in Corsicam ad Giacarium expediuêre; vt, nulla mora interposita, classem Genuam reduceret. Ipse itaque, tametsi in animo haberet, non antea ex Corsica soluere, quàm Sassarum armis expugnasset: intellecta tamen Senatus voluntate, protinus derelicto suo

Naualis conflictus.

Genuens. victoria.

Noui bellorum apparatus inter vtrumque populum.

instituto, ad vrbem iter reflexit. Cumque ad caput montis, à veteribus Simiarium Promontorium vocatum, peruenisset, ibi inimicam classem iuxta Varagium cõspicatus est, sed celeri, præualidoque remigum suorum beneficio, saluus & incolumis cum vniuersa classe, eodem fermè temporis puncto Genuam appulit, quo hostilis classis in totius ciuitatis oculis haud procul ab ipso portu, prospecta est. Hoc effecit, vt Giacarius nemini in continentem descensionem facere permiserit, quò scilicet promptior & parator cum suo milite, si ita vsus ferret, esset: tantaque fuit in noua adornanda classe omnium contentio & alacritas, vt cùm inuicem labore & industria superare contenderet, ab hora diei ferè tertia (quod summa vtique admiratione non caret) vsque ad Solis occasum, duodesexaginta triremes, vltra numerum eorum de quibus superius locuti sumus, cunctis suis armamentis expeditæ sint; additis etiam octo nauigiis ex his quæ vulgò Pamphilos appellant. Tam magnæ ac præpotenti classi cum summo imperio Vbertus Auria præpositus fuit: cui etiam, præter Conradum Spinulam, Vberti sui collegæ filium, & plerosque alios illius familiæ, duo etiam eius filij, & non pauci alij Auriæ familiæ, ac multorum lectissimæ iuuentutis nobilium, sese comites adiunxerunt, adeò vt quidquid floris, quidquid roboris & nobilitatis, in vtraq. Rep. fuerit, in armis ea tempestate conspectum fuerit. Auria cum vniuersa classe, quæ, præter cetera varij generis nauigia, amplius octogenarum triremium fuit, Varagium, vbi hostis subsistere dicebatur, contendit. Verùm, cùm illum, inter nauigandum, in Corsicam profectum esse per exploratores suos intelligeret, confestim & ipse, licet incassum, eò perrexit. Nam ibi appulsus, reperit hostem rectà domum celerrimo cursu reuertisse. Id ipse ægerrimè ferens, ac parum in Corsica commoratus, cùm nullam sibi inuadendi hostis occasionem præberi conspiceret, summa festinatione ipsum domũ properantẽ est insecutus, eumq. ad Lamellam insulã, vulgò Maloram, iuxta portus Pisani fauces sitã, est assecutus. Et quia ipsum nõ latebat, Pisanum nunquam secum congressurũ, si suæ classis numerũ & multitudinem haberet exploratam, ideò summa cum prudentia ac peritissimi Ducis iudicio operæ pretium esse duxit, vt ad ludificandũ & fallendum hostẽ aliquam suæ classis partem à tergo relinqueret, & ab hostium conspectu semoueret; quò scilicet illos faciliùs hoc modo ad pugnam pertraheret. Proinde hoc vsus stratagemate, relicto Giacario cum triginta triremibus in insidiis, ipse cum reliquis sese in hostium conspectũ obtulit, eo ordine, ac loci interstitio, vt, si ita necessitas postularet, Giacarius à tergo relictus, breui temporis spatio ac citra aliquam difficultatem sibi coniungi posset. Ceterùm Pisanus ita sub turribus, aliisque portus munimentis classem suam dispoſuerat, vt nihil sibi metuens, belli aleam subire non multum detrectaret. Quod cùm animaduerteret Auria, tanto ordine & disciplina triremes illas, quas ad primam aciem reseruauerat, dispoſuit, vt quasi per duo cornua inuicem seiunctæ, primum quasi pugnæ cuneum repræsentarent. Et in dextro quidem, prætoria, qua ipse Auria deuehebatur, quatuor triremibus stipata, præcedebat. quam subsequebatur illa quæ ea tempestate D. Matthæi titulo insignis atque clara erat, qua potissima nobilitas deuehebatur. In sinistro autem cornu erat Conradus Spinula, cuius latus totidem, scilicet quatuor triremes cingebant & comitabantur. Reliquæ, suo ordine, & prout iussæ erant, subsequebantur. Pisani etiam non minori diligentia vel disciplina suam classem distribuerant. Nam primæ aciei dextrum cornu Maurocenus vndique alijs nauigiis stipatus tuebatur. In altero verò, Hugolini Comitis filius, qui prætoriam cum vexillo Pisano ducebat, magna iuuentute & nobilitate comitatus, conspicuus erat.

In portu Genuens. 58. triremes, & 8. phaseli ab hora diei tertia vsque ad solis occasum instructæ atque in promptu habitæ.

Vbertus Auria toti classi præficitur.

Exemplum militaris disciplinæ.

Ordo ac distributio vtriusque classis ad prælium.

erat. In mutuum conſpectum poſtquam deuenêre claſſes, dato vtrinque prœlij ſigno, tanto animorum ardore, atque armorum ſtrepitu congreſſi ſunt, vt illud certamen cum maximis quibuſque naumachiis meritò conferri poſſet. Quippè tanta contentione, diſciplina & ordine vtrinque dimicatum eſt; & tam præclari viri fortiter pugnando ex vtraque parte cecidêre, vt nunquam neutra Reſpub. in maius diſcrimen adducta fuiſſe, iudicari queat: nimirum, cùm præter antiquam & priſtinam mutuam æmulationem & odium, ex illius prœlij ſucceſſu, reliquam futuri temporis tranquillitatem prorſus metirentur. Proinde cùm Piſani ſeſe maiori hoſtilium nauigiorum numero premi animaduerterent, potiùs pro ſalute, quàm pro victoria prœliabantur. Ligures verò pro ſola victoria, neglectis omnibus periculis, decertabant. Tanta erat ſiquidem ignitorum telorum & ſagittarũ vis, atque lapidũ fragor, vt aër ipſe vndiquaque, ceu denſiſſimis tenebris ac tetra caligine inuolueretur, adeò vt cùm poſtea in medio conflictus ardore Giacarius vnà cum ſuis præſtò eſſet, in hoc accerſitus, vt pugnam reſtauraret, horribilis & inſolita quædam prœlij facies inſecuta & conſpecta ſit. Auria, & Maurocenus mutuò inter ſe congreſſi ſunt, & diu vtrinque vario certamine ac dubia fortuna dimicatum. Et quia vniuerſi certaminis alea potiſſimùm dextri lateris viribus, atque præſidio nitebatur, ea præcipuè parte Piſani maximè inſtabant, ac totum claſſis robur & feruor eò transferebatur. Longum tamen eſſet & planè laboriosum, ac difficile, huius certaminis congreſſus deſcribere, cũ ambæ claſſes fuerint, vt diximus, cum numero, tum ſumma animorum contentione ac pertinacia quodammodò pares. Minutioribus igitur breuitatis cauſis præteritis, vnum adiecero, Piſanam prætoriam, quæ Reip. ſuæ vexillum gerebat, valido cum robore atque ingenti impetu, dudum cum quadam Liguſtica, vulgò D. Matthæi dicta, concurriſſe, & tam ancipiti fortuna dimicaſſe, vt niſi huic Finaria, quæ ea tempeſtate remigio ac velocitate facilè præ ceteris commendabatur, ſubſidio veniſſet, verendum erat, ne hoſtilis, cum validiſſimo atque acerrimo milite eſſet communita, eam ſuperaſſet. Miro ſiquidem ordine ac incredibili ſollertia & prudentia præuiderat Auria, ſtatim ab initio pugnæ, vt ſingulis triremibus celox vna, præſidij cauſa ad omnem caſum adiungeretur; nimirum quòd intelligeret, illius vſum valdè neceſſarium & commodum eſſe, cùm huc illuc, prout conueniret, magna agilitate impelli poſſent, illarumque beneficio, & opera effectum potiſſimùm fuit, vt Conradus Spinula ſuis in prima acie valde laborantibus maiore nouoque ſubſidio ſubueniret, & tandem prætoria Piſana à Liguſtica ſuperaretur, quæ Reip. vexillum, licet ſemilacerum, & maiori ex parte fruſtatim diſcerptum, nihilominus tamen quòd duplici ferro haſtæ eſſet affixum, tamdiu erectum retinuit, donec ſumma vi penitus fuerit conuulſum atque proſtratum. Diſrupto ſublatoque vexillo, aduerſarij valdè conſternati, ſpem omnem bene gerendæ rei abiêre. Ita ſenſimque ita elanguerunt, vt, fortuna ad Ligures tranſeunte, integra prorſus victoria potiti ſint. Fuit illa proculdubiò, licet non planè incruenta, maximi tamen ponderis atque momenti; nimirum cùm tradant, in Ligurum poteſtatem duodetriginta triremes vel circiter, deueniſſe, vltra ſeptem, quæ in ipſo conflictu ſuppreſſæ interierunt. Reliquæ verò, quòd ſeſe intra portus Piſani munimenta vrgente periculo abdiderant, incolumes euaſerunt. Sunt etiam qui aſſeuerent, in hoc prœlio quinque Piſanorum millia fuiſſe deſiderata, & tantum captiuorum fuiſſe numerum, vt, connumeratis iis qui ſparſim in cuſtodia diuerſis in locis aſſeruabantur, nouem millia efficerent, ita vt non minùs mordaci & contumelioſa, quàm vera parœmia Etruſci multis ſæculis vſi ſint, Genuam eundum eſſe, ſi

Acerrimus cõflictus inter duas potẽtiſſ. claſſes.

Auriæ ſingularis ſollertia.

Prætoria Piſana à Liguſtica expugnatur.

Piſanorum vexillum conuulſum atque proſtratum.

Inſignis Genuenſ. victoria.

Triremium captarum numerus.

quis Pisas cernere cupiat. Inter præcipui nominis captiuos fuit ipsemet classis præfectus, & Hugolini Comitis filius. Ex Genuensibus verò paucos interiisse, constans fama obtinuit. Auria hoc modo victor, velis vento secundissimo datis, Genuam cum Patrum totiusque Reip. admiratione & congratulatione reuersus est, & vrbana multitudo agminatim effusa, victricem classem in patriam reducem faustis acclamationibus in ipso portu, singulos, ob res præclarè gestas compellando, excepit. Qua sanè lætitia, an vnquam maior ab eo tempore quo bellum cum Pisanis gestum fuit, cum maiori omnium declaratione vel publico testimonio demonstrata fuerit, planè ignoro. Dux etenim ipse prætoriam triremim egressus, cum summo iuuentutis ac nobilitatis flore obuiam toti Senatui progressus, magna hilaritate exceptus, ac deinde in Curiam omnibus concomitantibus deductus fuit; ibique publico nomine gratiarum actio illi habita, ac vltra auitam gloriam solitaque familiæ suæ priuilegia, multis laudibus & immunitatibus decoratus & insignitus fuit. Quibus peractis, statim pro tam insigni victoria ad Deorum puluinaria supplicationes passim habitæ sunt, ac Senatus consulto decretum, vt octauo Idus Augusti, quo die à Genuensibus tam prospero ac felici Marte dimicatum esset, sollemni sacro anniuersario ad ædem D. Sixto sacram, cum aurei paludamenti dono, eius memoria celebraretur, & vexillum ex hoste captum, vnà cum Pisanæ Reip. sigillo, in Matthæi fano, ceu perenne præclarissimæ victoriæ monumentum, asseruaretur: moxque per vniuersam vrbem plurima communis lætitiæ signa tam publicè, quàm priuatim edita. Ceterùm, vt primum tam funestæ cladis nuntium Venetias perlatum est, Senatui istius Reip. expedire visum fuit, vt Ioannes Dandulus Principis filius, cum duobus aliis præcipuæ nobilitatis viris, Genuam confestim mitteretur, vt suæ Reip. nomine apud Senatum Genuensem pro Mauroceni & sociorum liberatione intercederet. Huius etiam tam prosperi commissi prælij successus planè effecit, vt Lucenses, ac Florentini, Genuensium fortunam, magis hac in parte quàm fidem, vti plerumque fieri solet, secuti, cum illis aduersus Pisanos fœdus ac societatem inirent, tametsi ea non dudum firma inter eos steterit. Florebat ea tempestate Pisis indies magis atque magis opibus & auctoritate Hugolinus Comes, Welfi nominis inter eos præcipuus fautor, & columen; ad quem, quòd plurimum eius industriæ tribuerent, ex vnanimi vtriusque factionis consensu, vrbis principatum detulêre. Verum enimuerò cùm Pisani propter acceptam clademnulla ratione adduci, vllisue incommodis inflecti possent, vt bellum, tanta periculorum & molestiarum agmina secum trahens, intermitterent, & cum hoste in gratiam redirent, Ligures intolerabilem illorum contumaciam pertæsi, ac fortunæ suæ prosperitatem prosequendam rati, aliquot triremes, atque omnis generis nauigia instruxerunt, ad semel bello finem imponendum: pariqué cura & diligétia à Pisanis allaboratum, qui, tantum abest, vt animis fracti essent, vt etiam in nouam spem erecti, perpessæ calamitatis memoriam recenti aliquo egregio facinore obliterare minimè addubitarêt. Proinde sinum Ligusticum denuò variis excursionibus inquietantes, temeritatis suæ grauiter à Genuensibus plerisque in locis excepti, iustissimas pœnas persoluere. Iisdem temporibus, Vbertus Auria, quo nullus inter Genuenses bellica virtute, rerumque gestarum magnitudine clarior atque insignior fuit, rei naualis præfecturam, quam sæpe antea cum summa, sui nominis celebritate & gloria, patriæque beneficio gesserat, in Conradum suum filium egregiæ indolis adolescentem, ac planè æmulum, transferre cupiens, ea se vltrò abdicauit: quæ tamen prouincia cùm ardua esset, de Senatus voluntate non

Genuæ incredibilis lætitia propter adeptam victoriam.

Pisanorum vexillum cũ Pisan. Reip. sigillo Genuæ in D. Matthei fano asseruatur.

Hugolini Comitis potentia & auctoritas.

Vbertus Auria nulli Genuensium secundus.

non aliter demandata est, quàm adiuncto Spinula, ad quem etiam in omnibus expeditionibus, ceu pari auctoritate collegâ, summa imperij respiceret. Sub horum præfectura, anno supra millesimum ducentesimũ octogesimo octauo, Pisanorum nobilium, qui adhuc Genuæ captiui asseruabantur, diligenti opera & cõsilio, pax tandem cum Pisanis, de qua superiori anno agi cœperat, decimo sept. Cal. Maij, certis quibusdam condicionibus transacta est. Quapropter Ligures breui pòst, aliquot sua nauigia in vsum huius belli fabricata, & in hostem paulò antè educta, conciliatis vtrimque animis, domum reuocarunt. Verùm cùm ea pacificatio parum Hugolino Pisanorum Principi approbaretur, illam summo studio impedire atque dissoluere conabatur: qua certè in re insignem illi operam prouinciæ Galluritanæ in Sardinia præfectus præstitit. Quandoquidem ipse ab Hugolino multis precibus & literis solicitatus & defatigatus, in illius grâtiam summo cum silentio cum quibusdam in Sardinia piraticam exercentibus astutè egerat, vt ipsi vniuersæ Liguſticæ oræ tractũ variis populationibus diuexarent. Quod quidẽ vt primũ Genuæ rescitũ est, protinus iussu Senatus legati ad Pisanos missi sunt, qui de tam graui contumelia cum ingenti perfidia coniuncta grauiter quererentur & expostularent. Pisani quanquam intelligerent quantum existimationis periculum adirent, si, violatis pacis condicionibus, ad tam manifestam Hugolini fraudem supini conniuerẽt, tamẽ cùm plus odium & liuor, quàm recta & honesta ratio penes eos posset, Genuensium postulata & querimonias neglexerunt, adeò vt Ligures, ne quid incommodi ab ipsis piratis acciperetur, haud exiguum nauigiorum numerum instruxerint. Dumque Patres de maiori faciendo supplemento in Senatu consultant, Pisani, missis ad eos fidis internunciis testantur, se nihil perinde ac pacis conseruationem petere. Quòd si post eiusdem constitutionem, aliquid paucorum perfidia, se insciis, & nihil huiusmodi approbantibus, contra pacta peccatum vel delictum sit, se ab omni culpa esse remotissimos; eamque ob causam quicquid hactenus detrimenti illatum sit, breui bona fide resarturos, ingenuè pollicentur: pauciſque interpositis diebus, cum Hugolinus, commutata sorte, omnibus fortunæ pristinæ ornamentis excideret, miserrimoque, vt mox dicetur, fato interiret, sedulò ab eis elaboratum est, vt quod antea verbis receperant, fideliter atque accuratè re ipsa præstarent. Et sic aliquandiu ab armis vtrimque temperatum, paciſque consilia bellicis tempestatibus prælata, potioraque habita. Priusquam verò vlteriùs progrediar, minimè silentio prætereundum videtur, si ea quæ varij scriptores de huius celeberrimi viri summa in humanis rebus felicitate, & in ijsdem suprema miseria, posteris ac memoriæ prodiderint, quàm breuissimè perstrinxero: vt etiam vel hinc rerum humanarum lubricum, & pronum ad lapsum statum esse, manifestò appareat, & omninò intelligatur, Deos immortales plerumque consueuisse, quò grauiùs homines ex commutatione rerũ doleant, quos pro admisso scelere eorum vlcisci velint, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Hic sanè Pisis, ex nobili & peruetusta familia Girardesca oriundus, & Guelpharũ partiũ princeps, initio aduersa factione partim pulsa, partim deterrita, eò potẽtiæ domi apud suos peruenerat, vt ibi omnia eius nutu atque imperio regerentur, patriæque dominus & reuera esset, ac simul ab omnibus haberetur; opibus, generis splendore, ingenij fama, auctoritate, vxore, liberis, nepotibus, ac denique omnibus ijs rebus quæ inter mortales summæ & præcipuæ haberi solent, vndiquaque fortunatissimus & felicissimus, horumque omnium crebra commemoratione haud sanè mediocriter gestiebat. In festo frequentique natalis sui celebrandi

Pax inter Ligures & Pisanos. anno 1288.

Hugolinus pacem initã auersatur.

Pisanorum deprecatio.

Hugolini comitis summa felicitas, & extrema miseria.

conuiuio, ad quod sanè præcipuos quosque ex suis intimis & familiaribus inuitarat, dum ipse suam fortunam variis sermonibus attollit & admiratur, atque ita exaggerat, vt sese cum felicissimis quibusque comparare nō dubiter, Marcum quendā ex suis penitioribus amicis rogauit, ecquid sibi ad summā & absolutam prosperitatem deesse videretur, qui statim, vel rerum humanarum, quàm fluxæ, fallaciq́ue specie, & quàm volucri orbe circumagantur, reputatione commotus, vel fatidico spiritu afflatus respondit, solam diuini numinis iram diu abesse à tam secundis rebus non posse. Et necesse erat, tot bona in vnum hominem, alterius fortunæ expertem, congesta, ingenti aliquando excipi calamitate, sicuti etiam breui pòst contigit: Nam subinde eorum viribus, qui à partibus Guelforum stabant, magis magisq́ue consenescentibus, Gibellini, ope atque auxilio Gulphi Pisanorum Antistitis, de vnanimi consensu & voluntate armis correptis, illius palatium circumsistunt & oppugnant, vnum ex suis liberis, & vnum ex nepotibus, vim arcere conatos, repentè occidunt; ipsum verò, & duos præterea filios, tresq́ue alios nepotes comprehensos, in turrim obseratis foribus, clauibusq́ue in Arnum flumen illi contiguum ac propinquum, deiectis, includunt: atque ibi fame in oculis & in suo gremio charissima pignora parens moriēs morientia vidit. Turris, in qua tandem extrema inedia peremptus est, nomē adhuc remanet, adeò vt etiam hac tēpestate Famelica turris appelletur. Hæc tam dira & barbara inhumanitas Gibellinorum studia vsque adeò inuisa effecit, ac vniuersam Etruriam tantoperè commouit, vt inde haud multò pòst grauissimum bellum oriretur, quo durante, Carolo Andegauensi duce in Typhernate agro ingens conflictus habitus est, in quo tria millia Gibellinorum cecidisse, & duo millia capta esse, Annales referunt. Hugolinus tamen, insigne ac memorabile humanæ fragilitatis & calamitatis exemplum omni posteritati fuit: de quo sanè cùm plurimi auctores luculenter scripserint, non est quod hîc eius historiam prolixius prosequar: sed me ad alia festinantem, belloq́ue Pisano finem, ac vltimam manum imponere volentem, remorantur res in Syria proximo anno, nempe eiusdem sæculi vndenonagesimo, gestæ. Elpis etenim Ægyptius Imperator, quem nonnulli Alfirum vocant, assiduis nostrorum Principum dissensionibus, magnaq́ue nostra ignauia fretus, Tripolim, nobilissimam totius Syriæ vrbem, arctissima obsidione cinxit. Multum intererat vniuersæ Reip. Christianæ, & præsertim Genuensium, ea tempestate in Asia opibus atque auctoritate plurimum præstantium, tam præclaram atque amplam ciuitatem ab insatiabilibus immanissimorum barbarorum faucibus tutam & incolumem præseruare. Proinde cùm Ligures Tripolitanis iam extrema rerum omnium inopia laborantibus, propter nimiam locorum distantiā, maturo subsidio, vt maximè auebant, præstò esse nequirent, Ligures qui Caphæ negotiationis causa morabantur, hanc prouinciam summo studio susceperunt, comparatisq́ue ac instructis summa cura & celeritate ad hoc multis nauigiis aliisq́ue ad bellum necessariis, sub Pauli Auriæ tunc temporis ibi consulatum gerentis ductu & auspiciis in Syriam ad soluendam obsidionem alacriter enauigarunt. Huius tamen expeditionis is tandem fuit successus, vt, cùm inter nauigandum pro certo multorum fide dignorum rēlatu comperissent, eam vrbē post aliquot dierum obsidionem vi expugnatam, ferroq́ue ac igne deletam esse, infecto negotio, se quamprimū eôdē, vnde prius soluerant, receperint. Ceterùm Memphiticus postquam ad Tripolim felici Marte dimicasset, suæ fortunæ benignitatem prosecutus, exiguo temporis tractu, Sidonem & Berytum, eadem blandientis fortunę aura & prospero successu, nullo interim sese opponēte, nedum tantam Christiani nominis

Insigne exemplum humanæ calamitatis.

Prælium in Typhernate agro.

Tripolis ab Ægyptio rege obsidetur.

Eiusdem expugnatio.

Memphitici regis infelix successus.

nominis cladem vindicante, occupauit, summo tamen miserorum Christianorū, qui partim barbari victoris sanguinolentas manus Tripoli aufugerant, partim metu consternati, parumque securi, omnem illius oræ tractum deserebant, beneficio factum est, vt Benedictus Giacarius, eodem tempore quo Tripolis expugnata est, cum aliquot biremibus Ligusticis in eam oram delatus fuerit. Hac enim opportunitate vsi, nauib usque impositi, ab eo in insulam Cyprum delati incolumes sunt. Ipse etiam hostem multis incommodis, variis quidem in locis, pro rerum præsenti condicione, affecit: quod ægrè ferens barbarus, adeò exacerbatus est, vt maximam & incredibilem in omnes Ligures indignationem atque odium conceperit, adeoque vindictæ cupidus, & nocendi studio exæstuans, vt omnes, quotquot Ligustici nominis vel imperij in illis oris essent, comprehendi, & illorum bona proscribi iusserit. Tam grauis iniuria cum summo detrimento Reip. coniuncta, Senatum non parum commouit: planeque effecit, vt cuestigiò Albertum Spinulam in Syriam enauigare ad tam immanis & atrocis hostis animum ad mitiora & humaniora consilia inflectendum iusserit. Spinula, vt erat dexterrimo ingenio, & facundo eloquio, munus suum non solùm diligenter, prout in mandatis habebat, executus est, verùm singulari quadam industria, & tanta ingenij promptitudine, barbari regis animum deliniuit atq. placauit, vt non modò Reip. illi mutua reconciliatione facta in gratiam reponeret, sed etiam, quod singulare industrij ac prudentissimi viri argumentum extitit, omnes pristinæ libertati cum bonorum restitutione asseruerit, multosque alios diuersarum nationum à barbarica impendente feritate multisque cruciatibus eripuerit. Superius demonstrauimus, Genuenses, qui Caphæ agebant, aliquot subsidiaria nauigia instruxisse; quibus, Tripolitanis obsessis opitularentur. hac de causa Senatus magna liberalitate, & immortali gratitudinis memoria eos propter singulares conatus, licet nulla ex parte profuissent, prosecutus est, ex dignitate Reip. esse existimans, si homines bene de se meritos, & præclarè de Christiana religione sentientes, omni beneficiorum genere amplecteretur. Proinde, quo deinceps reliquos simili beneficentiæ genere ad parem animi promptitudinem prouocaret, neue impendiò à succurrenda Rep. necessario tempore aliquo modo deterreri possent, imperauit, vt illis sumptus atque expensę Tripolitanæ obsidionis soluendæ gratia factæ, quamprimùm parata pecunia; cuius quidem summam dicunt fuisse supra triginta duo millia librarum; rependerentur. His rebus in Syria confectis, atque pro præsenti rerum condicione pacificatis, cura ad Cyrnum insulam conuersa. Pleræque etenim eius insulæ vrbes à pristina fide ac veteri obsequio recèns turpiter defecerant, ita vt Pisani hac rebellionis ansa vsi, ad ciendas maiores turbas, ac totum Reip. Ligusticæ statum ad arma concitandum, non semel per suos internuncios enixè agerent, vt Iudex Ginarcanus, semper Genuensibus suapte natura infensissimus, magnaque auctoritate apud suos pollens, concitatos insulanorum animos planè ad absolutam quandam defectionem solicitaret atque impelleret. Quo etiam nomine largitionibus ampliscque pollicitationibus corruptus ferebatur, adeò vt ipse spei plenus, & de bene conficiendo negotio iam quasi securus, quam plurima haud leuis momēti loca occuparit, mutua inter illos pactione facta, vt si Ligures illorum locorū recuperationem armis tentarent, ipsi Pisani in sumptuum communionem pro dimidia rata portione venire deberēt. At Senatus iussu Lucas Auria ad reprimēdos motus, & ad pacandam insulam, cū aliquot militaribus cohortibus ac nonnullis equitum turmis ablegatus est. Ad cuius quidem aduentus famā exterriti hostes, actutū omnia loca per se occupata,

Albertus Spinula mittitur ad Sultanum.

Respub. virtute atque industria Alberti Spinulæ Sultano reconciliatur.

Exemplum singularis benignitatis.

Corsorum defectio.

nullis præsidiis relictis, deseruêre, ac per montosos anfractus sibi fuga consulue-
runt, ita vt ipse Auria breui temporis spatio vniuersa loca vnà cum arce Istriæ &
Ginarcanæ, quæ tunc in ea insula non parui erant ponderis, munimenta recupe-
rauerit; nouisque præsidiis, prout vsus & necessitas ferebat, ad futuri temporis se-
curitatem firmauerit. Ipse in potestatem receptis locis paucorum temeritate oc-
cupatis, vlteriùs cum suis copiis Aleriam vsque progressus, paruo negotio plera-
que eius regionis loca auxilio Corsici Antistitis, atque Cortingorum, quorum
familia eo tempore nobilissima erat, summisque opibus & auctoritate subnixa,
occupauit: pariq. fortuna in oppidi Petrelatæ, quod iã obsidere inceperat, expu-
gnatione vsus est, adeò vt Balnij reguli, hominis felicitatẽ & industriã admirati,
depositis armis omniq. hostili animo, illi sese vltrò dederent, atq. subijcerẽt. Cor-
sicis igitur motibus cõsopitis, nihil planè Genuensib. ad pristini splẽdoris decus &
dignitatẽ deesse videbatur, quàm vt à Pisanis arcẽ Calaritanã, quã secundũ pacis
vtrimq. constitutæ condicionẽ & formulam recipere debebant, armis repeterent.
Tempus namque restitutioni præscriptũ iamdudũ effluxerat, neque Pisani ad re-
stitutionem aliqua ratione permoueri poterant, sed indies prætextis falsis occa-
sionibus, tempus extrahentes, pro maiori, vt ipsi dicebant, totius negotij securi-
tate, aliquot oppida cum turribus, quas in suo portu erexerant, & Gorgonam ar-
cem offerebant. Huius rei difficultas summoperè torsit Patres, ac in Senatu super
his nouis propositis condicionibus, variis sententiis decertabatur, cùm multi
essent, qui rogati sententiam, dicerent, condicionẽ à Pisanis propositam, non esse
temerè contemnendã: alij verò contrà dissererent, negarentque aliquid, nisi pactis
starent, esse admittendum. Ceterùm, cùm Pisani sibi vlla ratione temperare ne-
quirent, quin nouam expeditionem clàm molirentur, res eò deuenit, vt saniora
iudicia & probabiliora consilia in patrum consessu præferrentur. Itaque Sena-
tus consulto statutum, vt Lucensibus in belli societatem receptis, omnia extrema
aduersus tam scelestos ac perfidos hostes experirentur. Hac etiam de causa statim
Nicolaus Buccanigra ac Henricus Marius, designati communibus suffragiis Præ-
fecti, circa initium anni eiusdem qui nonagesimi, cum aliquot triremibus egregiè
instructis, in Iluam insulam, Pisanorum imperio tunc parẽtem, traiecerunt, eam-
que breui temporis spatio occuparunt, ac eò necessitatis adegerunt, vt imperatis
obsidibus, sese Senatus voluntati atque imperio submitterent. Ceterùm, quò fa-
ciliùs eos iam defatigatos & semifractos omninò protererent, ac viribus omni-
bus ita denudarent, vt respirare postmodum nulla ratione valerent, cum Lucen-
sibus confœderatis actum fuit, vt noui apparatus militumq. supplementum fie-
ret. Hoc cùm ipsi facilè concederent, subsidiarias suas copias Ligurnum versus
terrestri itinere produxerunt. Ligures etiam eôdem cum triremibus quadragin-
ta, Conradi Auriæ ductu, contenderũt, atque consociatis viribus, eius portus tur-
rim omniũ munitissimam, magna cum defensorum strage sexto Idus Septemb.
expugnarunt. quippe satis constat, eos omnes ad vnum vel interfectos, vel capros
fuisse. Ligurnum etiam pari successu expugnatum atque direptum est, sic tamen,
vt militari licentiæ modus in ipsa direptione constitueretur, vetito, ne quis sacræ
ædi vim aliquam quocumque modo inferret. Huius turris expugnatio, cùm ho-
stes vnicam quasi suam spem in eius præsidio semper collocassent, prorsus effecit,
vt reliquarum munitionum Præfecti Conrado deditionem facerent, qui etiam in
testimonium tam insignis victoriæ, decorisque parti memoriam, ferream cate-
nam ingentis ponderis, qua portus Pisanus muniebatur, per frusta & plures in
partes fracta, Genuam detulit, eiusdemque nexus, & partes, ad hęc vsque tempora
multis

Corsici motus auctore Luca Auria compositi.

Senatus icto fœdere cum Lucens. nouum bellum aduersus Pisanos decernit.

Ilua insula Pisanis erepta.

Maior turris portus Pisani à Genuens. dirnta.

Ligurnum ab iisdẽ expugnatum ac direptum.

Ferrea catena Pisani portus fracta, & Genuã delata.

multis in huius præstantissimæ vrbis locis & valuis suspensæ conspiciuntur. Pisani igitur, tam diuturnis bellis supra modum exhausti & debilitati, ac tot tantisque cladibus affecti, eò tandem deuenerant angustiæ, vt bellum diutiùs aduersus Ligures nullo pacto sustinere possent: quippe propter superiorum temporum assiduos quodammodo improsperos successus, res eorum adeò erant acisæ & diminutæ, vt nunquam posteà vires, licet enixè contenderint, ad pristinam fortunam & antiquum nominis splendorem redire aliqua ex parte potuerint, adeò vt euersa domi foriſque pristina illa potentia, summus ille animi ardor, atque incredibilis quædam ambitio & æmulatio penitus fracta, sensim conciderit, & extincta fuerit, magna me herclè cum admiratione, cùm ipsi nunquam antea vlla fortunæ aduersitate, vel detrimenti magnitudine ab instituto vel incepto bello abduci vllis consiliis vel cohortationibus potuerint. Hinc videre & adnotare licet, primùm rerum humanarum lubricitatem, deinde fortunæ inconstantiam, ac postremùm fatales imperiorum ac ciuitatum periodos; vltra quas rarò, vel nunquam progrediantur: quippe cùm Pisanæ Reipub. extrema illa inclinatio, dicam, an planè euersio, potiùs peculiari quodam suo fato, quàm alia aliqua manifesta de causa subsecuta esse videatur. Fuit nimirum Pisa olim felix admodum & beata, nõ solùm ante Romani imperij florem, supremamque rerum omnium potentiam, verùm etiam illa iam vigente, ac item postea multis annis. Docent id insignes victoriæ nauales, quas diuersis quidem temporibus de variis gentibus & hostibus reportarunt. Testantur hoc felicissima illa arma, quibus, victis & summo cum dedecore profligatis Saracenis, Sardiniam receperunt. Nec his limitibus, tametsi amplis, fortunæ Pisanæ felicitas sese continuit: sed diu longeq. euagata, tam superi, quàm inferi maris omnem tractum victrici classe circumuagata est. Carthaginem namque, Romani imperij atque potentiæ vnicam æmulam, vincto eius rege, & ad Pontificem Romam abducto, perdomuit. Panormũ etiam Siciliæ metropolim, diu à Saracenis occupatum, superatis cæsisque barbaris, in pristinam libertatem & splendorem, defixis ad templorum omnium vestibula hostilibus manubiis atque spoliis, restituit. Diu incerta & prorsus ambigua fortuna contra Ligures, veteres ac ferè domesticos hostes, vsi. Constat enim eos sæpè in diuersis prœliis tam terra quàm mari superiores extitisse, donec tandem ad extremum Reipub. Genuensis singulari beneficio, annuentibus diis, eo quo diximus modo superati & victi sunt. Quorum victorias aliaque gesta, si quis curiosiùs requirat, & efflagitet, Leandrum, ceteroque qui res Pisanorum literis comprehenderunt, consulat. Ego, initio breuitatem professus, singula speciatim non prosequor, cùm mihi sufficere videatur, præcipuarum rerum gestarũ capita non neglexisse, vel saltem consultò præteriisse. Et intra has metas sese nostra oratio contineat. Restat nunc, vt de his quæ supersunt, pari diligentia & fide dicamus.

Pisanorum vires penitus acisæ.

Pisanorum potentia & victoriæ.

BELLI PISANI FINIS.

DE BELLO ADVERSVS FRIDERICVM SECVNDVM IMPER. GESTO LIBER.

EX veterum Annalibus constat, inter Fridericum secundum Imperatorem, & Ligures, asperrima & periculosissima bella extitisse. Etsi verò tam magni atque inopinati Cæsaris in Remp. odij, multæ eædemque grauissimæ tradantur causæ; tamen post longam inuestigationem, has ferè præcipuas fuisse reperio, quòd ipsi Genuens. sibi Prætorem ex Mediolanensi agro oriundum creauerant, & cum Insubris, quibus cum illi ea tempestate pessimè conueniebat, fœderis societatem atque amicitiam iniuerant. Mediolanum siquidem cum plerisque aliis Insubriæ nobilibus mira & repentina quadam conspiratione consenserat, vt Cæsaris imperium atque auctoritatem detrectarent. Qua etiam de causa hæ omnes, illarumque sociæ, præcipuè verò Mediolanum, ab illo, tanquam perduelles & contumaces habitæ atque declaratæ sunt. Et hæc quidem inter præcipuas, prima. Secundam esse dicunt, quòd Ligures, pro veteri suorum instituto, Romano Pont., ipsi Cæsari tunc temporis infensissimo, fauerent, & illum solita reuerentia prosequerentur. Pontifex etenim in Cæsaris odium, Matthæum & Tusciæ Comites, qui Castrum, & nonnulla agri Mediolanensis propugnacula & munimenta cum non pœni tenda Insubrum manu occuparant, omni studio atque fauore amplectebatur, adeò vt ipsi, eius potissimùm auctoritate freti, indies aliquid nouiin Cæsarem molirentur: quos tamen ipse superatos atque fractos, tanquam rebelles, cum magna illorum ignominia in fugam coniecit, & proscriptos bonis omnibus multauit. Hi cùm nihil spei, vel præsidij reliquum, nisi in Pontifice haberent, ad eum, tanquam ad tutissimum asylum & refugium, Romam contendêre, à quo etiam humaniter ac liberaliter excepti. Hoc vnum namque studebat Pontifex, vt multa submini strata pecunia, aliisque ad reparandum bellum necessariis præbitis, hos contra Cæsarem modis omnibus instrueret atque irritaret. Insuper etiam, quò crudelius odium atque virus suum in Augustum effunderet, cum nouis telis, puta, anathematis fulmine, petiuit. Solent enim ipsi Pontifices, quotiescunque putant ita ex suo vsu esse, Principes, ac ceteros, suæ voluntati minimè obtemperantes, hoc terriculamento in officio continere, & eos à communi Christianæ ecclesiæ gremio atque communione diuulsos, diris, nisi commonstrata pœnitentia, ad obsequium redeant, deuouêre. Cæsar contrà, vt Pontificis ausis, atque conatibus commodiùs obuiam progrederetur, anno supra mille ducentos trigesimo primo, Rauennæ in hoc rerũ tractu Italiæ Principibus conuentus diem indixerat, in quo certè admodũ grauiter de Pontificis nouis attẽtatis studiis, quotidianisque insidiis conquestus, ostendit, ipsum, præcipuum auctorem esse, qui nouo Italiam inflammando bello facem submini straret. Satis enim iam constare, & ferè per omnes nationes diuulgatum esse, Pontificem, tantis, & tam magnis sibi illatis iniuriis non contentum, omnibus artibus hoc vnum anxiè prospicere atque contendere, quò se nõ solùm in odium atque indignationem apud omnes Principes poneret, verùm etiam, vt nouis submini stratis subsidiis, debilita-

Causa & origo huius belli.

Conuentus Rauennensis indictus à Cæsare.

1231.

litatum, Italia exigeret, ac demum toto imperio spoliaret. Ad hæc Rauennæ celebrata Comitia, Genuenses etiam suos oratores, Cæsare ita postulante, miserant, nempe Rossum Cataneum, Ioannem Guercium, Theodorũ Fliscum, Ansaldum Nigrium, Rubaldum Albericum, Alinerium Pansanum, Ansaldum Marium, & Ioannem Spinulam, quibus etiam Reip. nomine sese adiũxit Hugolinus Rossus ciuis Parmensis, tunc temporis prætor. Cum his Cæsar, postquam eos honorificè ac humanissimè excepisset, grauiter expostulauit, quòd Senatus Genuens. in sui cõtemptum, atq. Pontificis & ceterorum eius sociorum ac fœderatorum gratiam, Præsidem ex Insubria delegissent. quod cùm esset cum magna sua contumelia coniunctum, se id quàm ægerrimè tulisse, & ea propter, animi sui erga eos alienationem, hinc tamquam ex prima scaturigine emanasse. Verùm cùm Cæsar adeò esset magnis negotiis obrutus & intricatus, vt propter eorum magnitudinem singula absolui atque constitui nequirent, nihil circa res Ligusticas eo quidem tempore ab ipso definiri potuit. Ceterùm cùm Ligures proximo anno rursus, neglecta Cæsaris voluntate, pristinæque eius indignationis immemores, Prætorem sibi ex eodem Mediolanensium agro desumpsissent, ipse mirum in modum, tanquam iusto odio concitatus, ac maximè illis propter animi contumaciam offensus, excanduit; præsertim cùm videret, Mediolanẽses, reliquosque Insubriæ populos in pari contumacia perseuerare. Proinde, vt hos omnes ab instituto deterreret, & ad pristinam Cæsaribus haberi consuetam reuerentiam reuocaret, aliquid durius in eos statuere atque moliri velle videbatur. Quandoquidem non modò in Siciliæ regno, verùm & in Syria, Tuneti, aliisque locis, in quibus Imperatoriæ dignitatis, vel amicitiæ iure aliquam auctoritatem, vel imperium habebat, omnes Ligures, quorum magnus numerus fuisse traditur, per edictum in vincula conijci, atque bonis per suos administros, ceterosq. sua studia secutos, partim multari iussit, partim verò vt proscriberentur, per alios procurauit. Quibus quidem rebus haud mediocriter commoti & consternati Ligurũ animi, hinc fœderis cum Mediolanensibus initi religione mouebãtur, illinc verò periculorum & inflictorum malorum magnitudo assiduè ob oculos versabatur, adeò profectò, vt variis distracti sententiis, difficulter reperirent, quas nam potissimùm rationes & consilia sequerentur, sic vt in tanta omnium ambiguitate, & haud mediocri perplexitate, cùm viderent, Cæsarem nihil de pristino suo odio aduersus se remittere, & nullis legationibus ad mansuetudinem & reconciliationem inflecti posse: tandem communi consensu decretum est, vt maior amicitiæ atque fœderis initi, quàm priuatarum fortunarum, ratio haberetur. Quapropter statim Senatus consulto decretum fuit, vt duæ onerariæ, quæ solitam magnitudinem excedebant, & quinque triremes auspiciis atque ductu Gulielmi Catanei viri strenui ac prouidi, in Siciliam, & illam Libyæ partem quæ Tuneto finitima est, mitterentur. Nec satis habuit Senatus, quò facilius amissa sua bona recuperaret, Cataneum ita instructum emittere; sed magna prudentia statuit, vt vno eodemque tempore citra aliquam moram totidem naues cum decem triremibus optimè præparatis, sub Anselmi Boletti & Bonifacij Pamphani præfectura, in Syriam ad liberationem atque recuperationem suorum ciuium de Cæsaris voluntate, vti proximè ostendimus, in vincula coniectorum, ablegarentur. Verùm, priusquam hæc postrema classis in Syriam delata est, cùm Cæsar per idem tempus Syriacam expeditionem iamdiu meditatam, aggressus, in Saracenos arma, vti memorauimus, expediuisset, Genuenses facili negotio maritimis illis oris potiti sunt, & sic breui temporis spatio assecuti, vt tam apud Ptolemaidem, quàm

etiam

etiam pleriſque in alijs Aſiæ partibus res ſuas ex animi ſententia conſtitueret. Hæc vbi primùm Cæſar intellexit, veritus, ne ſubinde maiora ſibi incommoda in partibus Orientalibus à Liguribus, ſi illis infenſus eſſe pergeret, orirentur, mutato conſilio, ſe multò benigniorem & faciliorem ſolito exhibuit. Nam, noua miſſa Genua ad ipſum legatione, cuius Montanarus Marinus, & Picamilius N. præcipui erant, Senatus publico nomine ab eo anxiè contendebat, vt ſui ciues ac ſocij & confœderati, in Sicilia, aliiſque in locis, vti diximus, captiui, liberarentur: quod non ſolùm facilè conceſſit, ſed inſuper voluit, vt, præter priſtinam libertatem, etiam bona & facultates ademptæ redderentur. Eodem tempore Gregorius IX. Romanus Pont., antea Hugolinus Oſtienſis epiſcopus dictus, qui Honorio in Pontificatu ſucceſſerat, valde ſolicitus, vt compoſito Chriſtiani orbis ſtatu, bellum de communi Principum voluntate atque auxilio contra Saracenos, immortales Chriſtianæ Religionis hoſtes decerneretur: cùm intelligeret, indutiarum tempus inter Ligures ac Venetos conſtitutum, effluxiſſe, modis omnibus apud vtrumque populum contendebat, vt perpetua inter eos pax, vel ſi hoc minus, propter temporis difficultatem eſſet integrum, nouæ ſaltem indutiæ conſtituerentur. Videbat ſiquidem, nullam expeditionem aduerſus Barbaros ſuſcipi, vel feliciter ad optatum exitum perduci poſſe, niſi huius vtriuſque gentis opera atque auxiliis promoueretur, ſic vt tandem miſſis ad eos ſuis oratoribus, eius potiſſimùm auctoritate atque opera effectum fuerit, vt nouæ indutiæ inter eos, ad nouennium paciſcerentur: ſicut ſeorſum ſuo loco fuſiùs explicabimus. Pontifex interea, vt bene ſentire de ſua dignitate & bene intelligere ſuum munus videretur, omnia ſua ſtudia contulit, vt placatis Principum animis, extinctiſque paſſim bellis & diſſenſionibus, quæ ad illam diem vbique terrarum, cum maximo Chriſtiani orbis detrimento, flagrabant, communia arma atque vires contra Barbaros expedirentur, Romæ conuẽtum, ſiue, vt vocant, Synodum quandam generalem, indixit. Et quia ea tempeſtate multi epiſcopi, aliique ſacri iuris viri, ex Gallia, aliiſque circumuicinis prouinciis atque locis, Nicæam Galliæ Narbonenſis vrbem ſeſe contulerant, Pontifex ipſe ad Senatum oratorem habuit, qui ab eo impetraret, vt ipſi Liguſticis triremibus aliiſque nauigiis Romam deueherentur. At Cæſar vbi primùm Pontificis conſilia deprehendit, ſummo ſtudio atque diligentia, illa impedire conabatur, planeque efficere, vt nullum locum habere poſſent. Hoc vt commodiùs faceret, multos Principes in ſuas partes mira arte atq. noua facilitate pertrahere conabatur, adeò, vt cùm Pontificius legatus Genuam eſſet profectus, vt claſſem ab hoc Senatu ad deuehendos Patres obtineret, magna inter ciues coorta fuerit diſceptatio, quæ, vt videbatur, in apertam ſeditionem eruptura erat. Nam plerique, qui populares factiones ſequebantur, dicebant, Rempub. in nullum diſcrimen, Pontificis fauorem atq. gratiam retinendi cauſa, deducendam eſſe. Alij verò, qui Pontifici fauebant, ſeſe his fortiter opponebant: adeò vt variis ſententijs paſſim per totam vrbem decertaretur. Porrò Cæſar, vt ibi nouas turbas & factiones concitaret, ſuos oratores cõdem, paucis antè diebus, ablegarat, qui aſſiduis precibus & pollicitationibus Senatum defatigabant, ne Pontificis poſtulatis locum conſtituere vellent. Poſt longam deinde altercationem & periculoſam diſceptationem, licet Cæſar multos haberet ſuffragatores, qui non tam fauore ac ſtudio ipſius, quàm impendentis periculi magnitudine commoti, in ipſo Senatu dicerent, & conſtantiſſimè aſſeuerarent, ex vſu & dignitate Reip. non eſſe, vt in ſolius Pontificis gratiam odio Cæſaris extimulati, tantam belli anſam ſuſtinerẽt, præſertim cùm Reſpub. tantis Principibus à partibus Cæſaris

Cæſar in Genuenſ. mitior factus, captuos dimitti iubet.

Gregorius IX. Romæ Synodum indicit.

1241.

In Senatu variæ diſceptationes.

Cæſaris legatio ad Genuenſ.

Cæsaris stantibus, multis nominibus esset inferior. Vicit nihilominus in Senatu eorum sententia, qui dicerent, nulla ratione à maiorum instituto recedendum esse: sed pristinam Pontificis gratiam & obedientiam, quoad eius fieri posset, mordicus retinendam esse. Quippe maiores suos ita semper fuisse erga Romanã Ecclesiã animatos, vt non temerè, etiã præbita summa occasione, ab eius gremio desciuerint. Proinde nõ cõmitti debere, vt ipse Pontifex tã necessario tẽpore obsequium, & obnixè requisitũ studiũ in illa Repub. desideraret. Optimates tamẽ, ac hi qui nobilitati fauebant, supra modũ hoc Senatusconsultum, quod in Pontificis gratiam latum esset, detestabantur. Intelligebant siquidem, si prorsus gratia apud Cæsarem exciderent, quantum annonæ, præsertim verò rei frumentariæ, incommodum Respublica adiret, cùm Sicilia, quæ tunc in Cæsaris potestate erat, instar communis vniuersæ Italiæ horrei, omnem ferè annonæ copiam Genuensibus liberaliter quotannis suppeditare consueuisset. Proinde valdè erant anxij & solliciti, ne Cæsar superior factus, ipsi postmodum difficultatibus quamplurimis inuoluerentur. Hæc omnia licet essent maximi ponderis, ac etiam in Senatu magna cum attentione recitarentur, nihil tamen auctoritatis obtinuêre. Verùm decretum, vt in Põtificis gratiam, nulla habita sumptuum ratione, quamprimùm septem & viginti, siue, vt aliis placet, triginta triremium classis omnibus necessariis instrueretur. Sed cùm frequenti & constanti fama esset passim vbique diuulgatum, Cæsarem validissimam classem, vt eam Pontificiis eiusque sociis opponeret, comparasse; Senatus hoc nuntio cõmotus, ea præcipuè de causa octo aliarum nauium supplementum fecit, quò tutius sacri Antistites in vrbem ad concilium properantes, transfretarent. Cæsar namque probè intelligebat, tam ad regni Siculi defensionem, quàm ad multorum æmulorum propulsandas iniurias, præpotenti atque valida classe opus esse, præsertim, quòd non ignoraret, multorum Italiæ Principum animos, licet nondum inchoato bello, adeò Pontificiis sollicitationibus atque artibus huc illuc distrahi atque impelli, vt quamuis in incerto adhuc fluctuarent, sesecq. nondum apertos inimicos declararent, nihilominùs tamen ita esse animatos, vt fidei constantiam ex rerum futurarum successu metirentur. Quocirca eorum fidem valdè suspectam habens, simulq. aliorum populorum inconstantiam veritus, ad sui securitatem, si ita vsus ferret, præpotenti classe, vti diximus, præmunierat, cui Nicolaum Spinulam, virum consilio & bellica virtute insignem, cum imperio præfecerat. sed hoc è viuis sublato, Ansaldum Marium Genua ad se clam excitum, defuncti loco substituit. Fidebat enim Cæsar Ansaldi non solùm integræ fidei constantiæ, quippe qui semper sua studia esset secutus, sed quòd rerum naualium insignem atque absolutam quodammodò peritiam haberet, multum illi tribuebat, adeò vt ipsum Amirantis titulo, sicuti Spinulam, insigniret atque condecoraret. At Genuæ præparata iam re nauali, & Iacobo Marocello, à Senatu eius designato Præfecto, classis in Galliam Narbonensem Nicæam versus transfretauit, ibique impositis Præsulibus aliorumq. Principum oratoribus, prosperis ventis paucis pòst diebus Genuam nõ sine magno periculo rediit. Cæsar quippe Vberto Marchioni Palauicino, & Marino Ebulo, præstantissimis viris, belloque ac pace clarissimis, seriò iniunxerat, vt statim descripto exercitu, coactisque aliquot subitariis copiis in agro Ligustico aliisq. maritimis locis, ad omnem occasionem intenti stationem haberent, vt, si ita vsus ferret, illorum opera classis Ligustica commodius deleri ac expugnari posset. Hæc quamuis Senatum non laterent, nihilosecius tamen institutum suum prosecutus est, Cæsarianisque copiis nullo modo deterritus, delectum etiam habuit, vt ad

Genuensis classis in Põt. gratiam instituitur.

Nicolaus Spinula Cæsarianæ classis Præfectus.

Ansaldus Marius in locum demortui Spinulæ substituitur.

omnem casum paratus esset. Interea classis, quæ præter Pontificios, simul etiam Othobonum Cataneum, & Trincherium Ismaëlem Reipub. legatos Romam deuehebat, è sinu Ligustico prosperis ventis soluit. Et quia statim à classis discessu Genuæ nuntiatum erat, septem ac viginti triremes Cęsarianas in Pisanum portum præteruectas eo consilio, vt Pontificios interciperent, Pisanosque in Cæsaris gratiam priuatam classem coëgisse, euestigiò iussu Senatus octo triremes reliquæ classi subsidio missæ sunt. Ceterùm, tametsi Genuēses, antequam in portum Veneris appellerent, de hostium aduentu simulque Pisanorum apparatibus essent præmoniti, ita vt probè intelligerent, quantum periculi adirent, si vlterius progrederentur: tanta nihilominùs fuit illorum temeritas, vt, nullo expectato subsidio, quamprimùm soluerent, & Cæsarianis magno nauigiorum numero auctis, ad Gillianam insulam occurrerent. Hostili classi tunc temporis præerat Andreolus Marius Ansaldi filius, à patre propter aduersam valetudinem, siue, vt aliqui volunt, quòd grauioribus tunc implicaretur rebus, cum imperio substitutus, qui gloriæ studio incitatus, simulque vt belli tyrocinium aliquo præclaro & insigni facinore auspicaretur, paternę scilicet virtutis & fortitudinis æmulus, summa animi alacritate, contemptis omnibus periculis, Martis aleam subire decreuit. Ligures, etsi multis parasangis hostibus sese inferiores esse intelligerent, quòd tamen vsqueadeò essent progressi, vt difficulter retrocedere possent; volentes nolentes, hosti pugnæ potestatem fecerunt. Itaque militibus se armare, atque in foris triremium fortiter ac viriliter pugnare iussis, summo impetu, cum summa omnium alacritate Cæsarianæ classi occurrêre, eo quidem successu, vt post longum & periculosum, ac planè anceps certamen, ipsi, quòd pleræque triremes & nauigia onustiora essent, quàm vt commodè huc illuc agi atque impelli possent, sensim cedere coacti sint. Quod cùm à Cæsarianis esset animaduersum, multò acriùs quàm antea instabant, ne aliqua elabendi ratio tutò illis relinqueretur. Acuebat enim Cæsarianorum militum animos præter vetus Pōtificis in Cæsarem odium, opima præda, quæ omnium oculis obuersabatur, adeò vt modis omnibus extimulati, summo cum animi ardore Ligures resistentes ac defensionem parantes, vulnerarent, ac non paucos contrucidarent; satis enim constat in hac clade, quæ in annum supra millesimum ducentesimum quadragesimum primum incidit, illos duabus & viginti triremibus potitos esse. In quibus certè, vltra manubias, præclaramq. omnis generis supellectilem, duo Purpurati, legatus etiam Pontificius, ac multi insuper magnæ auctoritatis Præsules in victorum potestatem deuenere. Nec minor numerus ex aliarum gentium, præcipuè verò Genuensium fuit. Quippe præter multos alios insignes ciues, Gulielmus Embriacus, Petrus Ventus, Othobonus Mallo cum duobus suis liberis, Henricus Demicottus, & Andreas Bulgarus capti sunt. Classis tamen Præfectus, vnà cum quinque triremibus ac reliqua ciuium parte, magno Deorū beneficio incolumis euasit. Huius infelicis pugnæ, atque acceptæ cladis tristis fama Genuam perlata, tanto mœrore iræ commixto, vniuersam vrbem affecit, vt nihil aliud præter vltionem assiduè meditarentur. Verumenimuerò cùm ea tempestate nauigiorū pœnuria laborarēt, summa ope adnisi sunt, vt incredibili celeritate prœualida classis, nempe duarū & quinquaginta triremiū, vltra alia omnis generis nauigia, fabricarentur. Cui quidē rei perficiendæ cùm diu noctuque sine vlla intermissione inuigilarent, summa diligentia assecuti sunt, vt breui temporis spatio totum opus compleretur. In hoc tam perplexo rerum Ligusticarum statu Genuæ classis è Syria multis pretiosis mercibus onusta, singulis ferè momentis expectabatur. Verùm, quia improspero re-

Nauale conflictus inter Cæsarianos ac Genuens.

Cæsarianorū victoria, anno 1241.

Genuens. noua classis.

ro rerum ſucceſſu valdè erant ſolliciti, ne illa à Cæſarianis intercepta, in par diſcrimen per ipſos adduceretur, myoparonem præmiſerunt, quo, tanquam indice & exploratore vſi, oſtenderunt, qua maximè parte nauigandum eſſet, vt tutò in portum deduceretur. Præmonebant etiam, vt ſi nondum ſoluiſſent, ſeſe non antea nauigationi crederent, quàm valido ac firmo præſidio eſſent inſtructi atque muniti. At Cæſar, ſecundo ac felici rerum ſuarum ſucceſſu incredibiliter lætatus, Pontificis ſtultam ambitionem multo cachinno irridebat & deteſtabatur, qui ſcilicet non intelligeret, quàm malè & imprudenter ageret, quòd potiùs bellum, quàm pacem, quam vnicè fouere debebat, amplexaretur, Italiæque Principes diuerſis ſtudiis & factionibus inter ſe ad bellum alendum committeret. Poſtea ad ſuos ipſe Duces conuerſus, ſingulis gratias agebat, quòd tam ſtrenuam atque neceſſariam operam ſibi nauaſſent, fortunæque ſuæ curſum proſequendum ratus, Vberto Marchioni Palauicino, cuius opera ſæpenumerò antea in arduis perplexiſque rebus feliciſſimè vſus erat, quique initio huius belli aliquot Liguſtici agri oppida inuaſerat, iniunxit, vt caſtra ſua verſus Occidentalis Liguſtici ſinus tractum producerer. Hic poſtea, indigenarum, præcipuè verò qui Voragium inhabitabant, opera atque auxilio, quamplurima circumuicina loca & munimenta occupauit. Ligures verò ad horum impetus coërcendum, ab Inſubribus, & Placentinis confœderatis ac ſociis, cùm milite tunc temporis deſtituerentur, per Guarnerium Iudicem & Nicolaum Cataneum, ſuos delegatos, opem atque auxilium implorarunt: quorum adminiculis freti, magna ex parte hoſtiles conatus repreſsêre. Pari modo portus Veneris præſidiarij atque incolæ, cùm Piſani pacem violaſſent, eorum agrum crebris incurſionibus inquietarunt ac depopulati ſunt; tanta me herclè cum violentia & ardore, vt intercepta ad Macræ fluminis oſtia vna Piſanorum triremi, omnes ad vnum, quotquot ea deuehebantur, perpaucis ſummæ auctoritatis exceptis, contrucidarint. Interim naues illæ quas indies ex Syria Genuæ expectari demonſtrauimus, cum incredibili omnium applauſu, ac totius vrbis mirifica lætitia & congratulatione, circa menſem Iulij ſaluæ & incolumes portum Genuẽſem ſubiêre, adeò vt hac de cauſa ciuitas ad omnium Deorum puluinaria grates perſoluerit. nec ſanè immeritò. nam dubiis, & acciſis rebus, nihil ea tempeſtate Reipub. potuit accidere gratius, vel deſiderati vtilius, quàm tantarum nauium multis egregiis viris, omnique pretioſorum mercimoniorum genere onuſtarum, & tot, tamque variis periculis ereptarum, felici reditu augeri atque ſolari. Parum quippè abfuerat, quin illas à Cæſarianis ſumma cum celeritate inſecutis, ferè in ipſius ciuitatis conſpectu interciperentur. Imperatoria etenim claſſis nunquam procul poſt conſecutam naualem victoriam à ſinu Liguſtico receſſerat: ſed nouo ſupplemento & acceſſione per Anſaldum Marium eius Præfectum facta, adeò totam Italiam in ordinem redegerat, vt nulla ferè maritima eſſet ciuitas quæ non facilè metu in Cæſaris ſtudia propelleretur. Elapſis itaque bono Reipub. fato Syriacis nauibus, Anſaldus cum ſua claſſe, quæ fermè quadraginta nauigiorum erat, ſpe prædæ fruſtratus, ſpeculabundus totam maritimam Liguſticam oram euagatus eſt, ac tandem poſt multos gyros & circumflexus, Sauonã petiit. Quod vt reſciuêre Ligures, haud multum ob acceptam cladem animis fracti, vt vno eodemq. tempore cum hoſtilibus conſiliis atque conatibus obuiam irent, tum etiam vt acceptum incommodum & damnum rependerent, omniſque moræ impatientes, ſollerti induſtria & vigilantia procurarunt, vt triremes recèns fabricatæ, quamprimùm omnibus armamentis aliiſque neceſſariis inſtruerentur, ſic vt incredibile ferè dictu ſit, quàm inaudita & admi-

Cæſar terreſtri exercitu Genuam diuexat.

Genuenſium lætitia propter felicem ſuarum nauium appulſum ex Syria.

Cæſariana claſſis circa ſinum Liguſticum obertat, & Sauonam petit.

randa propè celeritate classem suam adornauerint. Quandoquidem satis litteris comprehensum est, ipsos, non citra magnam admirationem vnius diei noctisq. interuallo, ad multarum facium & tedarum splendorem, duarum & quinquaginta triremium numerum instruxisse. Hinc notare licet immensam illorum ac cum nullis nationibus (aliorum pace dixerim) in re nauali sæpius ostensam, & omnibus fermè expeditionibus exploratam industriam, cum summa potentia coniunctam. Siquidem neminem, vti puto, latêre potest, quin comparatione huius populi cum quouis alio facta, facilè eluceſcat, quanta industria, quotque nominibus in paranda & instruenda classe superiores fuerint ac excelluerint. Eam igitur classem strenuis bellatoribus omniq́ue militari apparatu exornatam, Anſaldus Soldanus & Iacobus Leuantus earũ Præfecti, è portu Nouium versus, eduxerunt, ad cuius obsidionẽ hostes adnauigasse rumor sparserat. Cetervm Cæsariani, simul ac de hostili classe, quæ, Georgiano vexillo erecto, veloci cursu ad eos contendebat, certa & constanti fama audiuêre, cõfestim repentino quodam, ac veluti Panico terrore compulsi, Nauli expeditionẽ reliquerunt: & quò se illinc celeriùs expedirent, anchoris præcisis, omnibusq́ue impedimentis, quæ institutũ cursum retardare possent, in mare proiectis, turpi fuga sese à certamine subtrahentes, in altum pelagus ad maiorem sui securitatẽ præteruecti sunt. Liguſticæ classis Præfecti, cùm animaduerterent, consiliorum suorum rationes, quas inierant, prorsus irritas atque inanes cecidisse, & de assequendo iam hoste desperarent, Fulconem Guercium ea in vrbe cũ sic satis firmo validoq́. præsidio reliquerunt, ac sese haud multò pòst, cum sua classe domum receperunt. Porrò Anſaldus, tametsi Cæsaris iussu semper classem rebus omnibus necessariis instructam haberet, cùm tamen aduersarios, viribus ac robore potiores animaduerteret, quicquid spei & præsidij habebat, in sola nauigiorum suorum celeritate reponebat, adeò vt cùm eminus, vel cominus cum illis congredi nullo modo auderet, ea qua sola nocere poterat ratione, crebris scilicet excursionibus, hostem ipsum inquietaret. Quòd tamen Liguſtica classis Genuam iam reducta, & exarmata esset, in spem potiundi Albingauni erectus, eius loci expugnationem, admota classe, multorumq́ue istius vrbis exulum ope atque consilio fretus, aggressus est, eo quidem euentu, vt, cùm illius oppidi arcis Præfectus, suas partes oscitanter & prorsus segniter obiret, statim illud deditione occuparit. Hoc rerum successu elatus, non secus ac si omnia in alta securitate ageret, & nihil sibi obstare posse existimaret; Cerui oppidi huic finitimi expugnationem pari celeritate & inaudacia tentauit. Verùm, cùm huius Præfectus, ab iis qui Dianæ oppidum incolebant, opportuno auxilio quàm primùm subleuaretur, Ceruini non solùm inimicorum impetus fortiter & magna cum alacritate sustinuêre, sed etiam tanta animorum præsentia & robore hostem repulêre, vt vnam hostilem triremem bellicis machinis deprimerent, ita certè vt ipse Anſaldus, cùm huius oppidi expugnationem valdè difficilem esse conspiceret, Sauonam, quæ tunc Cæsaris studia sequebatur, se statim cum sua classe conferret. Verùm Ligures interea dum inuadendo Cæsariano exercitu non parum soliciti, omnia consilia inibant, quò id commodiùs atque tutiùs facere possent, sic, vt cùm multum spei ac præsidij in sua classe collocarent, magna & admirabili quadam celeritate magnum nauigiorum numerum, superioris anni classem æquantem, instruxerint. Classe itaque adornata, & de Senatus voluntate Gulielmo Gabernia pro supremo præfecto illi imposito, multi, patricij ordinis viri, vsu ac militari disciplina, consiliorumq́ue rectitudine in primis præstantes, sese pro Reip. suæ salute ac dignitate vltrò in hac

Mira Genuens. celeritas in noua classe adornanda.

Cæsarianorum fuga.

Albingaunũ à Cæsarianis deditione occupatum.

Cerunm oppidũ frustra ab hostibus tentatum.

Sauona Cæsaris studia sectatur.

Noua Genuens. classis.

Eorundem incredibile studium erga Reip.

hac expeditione ſtrenuam ac fidelem Reip. operam nauarũt. Pari modo lectiſſimi ex omni ferè nobilitate iuuenes, tam præſtantium virorum exemplum ſecuti, ſeſe illis adiunxêre. Verùm quia nihil temerè in hac expeditione agendum P. C. cenſebant, penſitatis rebus, ac præſenti Reipub. ſtatu diligentius introſpecto, ſanioribus atque prudentioribus conſultum videbatur, vt in primis Cæſarianus exercitus Sauona fortiter remoueretur & expelleretur. Proinde educta claſſe, præfectus eam Liguriæ partem tenuit, quæ Galliæ Narbonẽſi magis eſt contermina. Cæſariani de claſſe Liguſtica certiores facti, veriti, ne aliquo nouo ſtratagemate ſuperarentur, relicta Sauona, ſtatim Genuam verſus adnauigarunt. Arbitrabantur enim, ſe per Liguſticæ claſſis abſentiam, quòd claſſem hoſtilem Nauli ſubſiſtere comperiſſent, multum incommodi nauibus, quæ in Genuenſi portu ad anchoram ſtabant, & quarum tunc vix aliquis vſus erat, illaturos. Verùm enimuerò cum portus, aliaque loca quæ in mare maiori ex parte excurrunt, ſumma cum diligentia & alacritate ab oppidanis defenderentur, omnibuſq. opportunis armis propugnarentur, tantum abeſt, vt aliquid damni ipſis nauibus vel oppidanis inferre potuerint, vt contrà, ipſimet multis incommodis grauibuſque detrimentis ab eis affecti ſint. Oppidani enim ignitis miſſilibus, aliiſque ſublatis ſignis atque indiciis, indigenis ceteriſque oram Liguſticam tutantibus, puncto quodammodò temporis ſignificabant, quo in ſtatu res ſuæ verſarentur, adeò vt Liguſtica claſſis de tanto vrbis periculo commonefacta, citra moram conuerſo curſu Genuam adnauigauerit, tanta me herclè feſtinatione, vt parum abfuerit, quin Cæſariani in ipſo portu circumſepti ſint: ſed magna ſupremi Ducis prudentia effectum fuit, vt cùm olfaceret quorſum res euaſura eſſet, confeſtim relicto portu, in altum enauigarint, & Sauonam, aſſuetam ſuam ſtationem, repetierint. Mirum igitur in modum torquebat Cæſarem, Ligures, nullis rationibus, vel belli detrimentis ab inſtituto poſſe deduci, nulliſque artibus in partes ſuas poſſe pertrahi, ſic, vt cùm videret, nullum modum bellis cum hac gente conſtitui poſſe, quandiu res mari gereretur, ad præcidendam omnem vlterioris belli anſam, ſimulq. Italiam tam multis incommodis liberandam, Genuam terreſtri exercitu adoriri conſtituerit. Qua de cauſa fœdere cum his populis qui adhuc in Inſubria ſuas partes fouebant, percuſſo, ſolicitè dabat operam, ne hi, tanquam vicini, & Liguribus finitimi, illis aliqua auxilia ſubminiſtrarent. Quo etiam conſilio ſuos præfectos partim in orã Lunigianã, partim ad alia confinia tranſmiſit. Multi etiã Reip. exules, ac Inſubres, duce Marino Ebulio, ſtatim ab initio Cæſaris partes & ſtudia ſponte ſecuti erãt; quibus etiam poſtmodũ Montisferrati & Boſchi Marchiones, vti diximus, acceſſêre, ita vt Cæſar, conſcriptis copiis, ſuiſque viribus in vnum collectis, caſtra ſua non ita procul à Pocifera valle, iuxta locum vulgò Vada dictum poſuerit. Ceterùm, Ligures ad tanti hoſtis apparatum & aduentum nequaquam attoniti, ſingulari quadam prudentia omnia in vrbe diligenter proſpicere, quæ ad ſui tutelam & defenſionem pertinerent, aliaque ad obſidionem tolerandam neceſſaria ſedulò in vrbem comportari iubere: quibus omnibus prouiſis atque proſpectis, illi qui rerum adminiſtrationi in hoc præſenti ſtatu admoti erant, validas copias Vulturium verſus miſêre, haud dubia fama commoti, quæ diuulgarat, hoſtilem exercitum mox eò venturum. Nec eos fefellit opinio; quippe Anſaldus claſſem eôdem admouerat. Et quoniam Palauicinus cum Gibellinis Etrurię & Maleſpinis regulis agrum Liguſticum ſeorſum nouis incursionibus inuaſerant, eouſque, vt oppidum Leuantum obſidione preſſuri videbantur, ſummis belli Ducibus expedire viſum fuit, vt concitatis illius oræ littoralis

Cæſarea claſſis à Genuenſi portu cum ignominia ac detrimento repellitur.

Cæſar terreſtribus et maritimis copiis Genuenſ. ditionem inuadit.

Genuenſ. fortitudo et magnanimitas.

ralis indigenis,eos omni vlteriori aditu prohiberent, & ab vlterioribus inferendis iniurijs coërcerent. Et ne hæ copiæ incertis ordinibus, citraq. militaris disciplinæ seueritatem, nullo adhibito duce, vagarentur, Senatui placuit, Prætorem vrbis eisdem ducem dare:qui vt aliquod specimen militiæ exhiberet, ac fortitudinis opinionem de se concitaret, operæpretium se facturum existimauit,si hostem potius anteuerteret,quàm diu opperiretur:& idcircò Vulturio contra omnes hostiles impetus & iniurias sic satis firmiter pro temporis opportunitate cõmunito,Vadam versus, vbi Cæsarem castra posuisse ostendimus, cum suis copiis contendit,eo consilio, vt per occasionem cum illis prœlio decertaret. Et correspondit votis fortuna: Nam tanta loci & temporis opportunitate vsus est, vt Cæsarianos nihil minus expectantes, fortiter adortus sit: qui tametsi numero & militũ robore longè superiores essent, nihilominus tamen tanta fuit prætoris, suarumque copiarum virtus & animositas, vt hostium ordines confuderit, eosque in turpem fugam verterit,necnõ duobus ab ijs reportatis signis militaribus,præclaram victoriam retulerit. Palauicinus etiam, ceterique eius auctoritatem secuti, qui Leuanto haud procul, sicut enarrauimus, aberant, de aduerso cum Cæsarianis prœlio recèns habito edocti, veriti, ne prætor exultans victoria,fortunæ suæ cursum & successum prosequeretur, summa celeritate Lunigianam se receperunt. Haud meliori fortuna Ansaldus classem suam Arentiano admouit. Etenim cùm vellet militem in continentem exponere,tantus fuit oppidanorum indigenarumque ardor & alacritas, vt quamprimum pedem referre non sine graui detrimento sit coactus. Ligures interea, vbi se terrestribus expeditionibus, quæ tot strages & vastitates antea denunciare videbantur, superiores ac liberos intellexêre, animum ad maritimum bellum pari Marte & successu conficiendum non desponderunt. Proinde,cùm classis Cæsariana mira insolentia indies magis atque magis Ligusticum mare excursionibus & depopulationibus inquietaret, huc omnes suas vires atque potentiam conuertêre. Verùm quia se se denuò Sauonam receperat, seque prægrandibus catenis atque cratibus, contra omnium aduersariorum impetum communiuerat, ita vt loco quàm maximè securo, & extra omne periculum esse videretur,Genuenses nouis artibus hostilem classem incendere conati sunt. Magno siquidem artificio faces pice,resina ex stupa, aliisque aridis & siccis tomentis confectas, summa vi in hostiles naues emittebant. Sed propter aduersantium ventorum flatum factum fuit, vt omnis vis flammæ in ipsos Ligures retorqueretur,ipsique longè maiori detrimento,quàm hostes,afficerentur. Accedebat ad hoc incommodum grauis & periculosa coorta tempestas, quæ adeò erat vehemens & atrox, vt relicta hostili classe in Sauonensi portu,Genuam redire coacti sint. Ansaldus itaque obsidione,omnique metu & periculo maiori ex parte liberatus, quia hiems instabat, illinc soluere, & in Siciliam, sibi suæque classi multò tutiorem & commodiorem,nauigare constituit; Pisisque appropinquans,Sorleonem Peuerem, & Ingonem Cataneum, ab illis qui Genua exulabant,Cęsarisque studia fouebant,ad ipsum Cæsarem,tunc temporis Fauentiam vrbem,Fidentiæ conterminam,obsidentem,legatos destinatos, in continentem exposuit, moxque suum institutum iter prosecutus est. Ceterum quamuis classis Cæsarea è sinu Ligustico recesserat,vrgebat tamen terrestris exercitus: siquidem Marinus,terrestrium Imperialium copiarum præfectus, in gratiam Gibellinorum & Sauonensium in oram occiduam cum instructo validoq. exercitu descenderat.Et quòd Signum,oppidum Naulo proximum,ad eam expeditionem feliciter conficiendam, haud leuis momenti fore censebatur, Ca-

retini

Genuenſis exercitus ſumma penes vrbis Prætorem.

Anſaldi fuga cum duorum vexillorum iactura.

Cæſareus exercitus haud leui detrimento afficitur.

Hoſtilis claſſis Sauonæ fruſtrà oppugnatur.

retini Marchiones huic finitimi, omnem dedêre operam, vt quibuscumque possent artibus, illud in suam potestatem redigerent. Cæsariani propter Marini aduentum, haud sanè difficulter Iacobum illius familiæ principem, ad eius expugnationem impulerunt. Illuc itaque castris promotis, oppidum arctissima obsidione cinxerunt. Quod sanè vt primum Naulinis, sub quorum fide ac tutela obsessi erant, significatum est, protinus auxilia ad subleuandos vicinos & socios decreuerunt. Verùm temporis angustia, & iniqua rerum omnium conditio effecit, vt milites ab eis descripti, omnino serius quàm rei præsentis necessitas postulabat, Voraginem, vbi recenseri, & sub signis coire debebant, venerint. Interim Prætor Genuam, ad reprimendum hostiles conatus eò profectus, illicò centum grauis armaturæ equites cum valido peditatu expediuit, vt horum aduentu ac robore, obsidio solueretur. Id tamen negotij nulla diligentia, vel industria cuiusquam ita maturari, vel perfici potuit, quin arcis præfectus, largitione corruptus, illam Carretino traderet. Hoc tamen haudquaquam impediuit, quo minus Fulco Guercius aliquot selectis militaribus cohortibus fretus, hostem inuaderet: sed inito consertoque prœlio, infeliciter pugnauit, ac cum multis aliis captus est. Ceterùm, quia Ligures, propter acceptam cladem haud parum metuebant, ne aduersarij ea victoria elati, pari successu Naulum quoque occuparent, Senatus-consulto decretum fuit, vt quatuor præcipuæ nobilitatis viri cum aliquot auxiliaribus cohortibus illuc mitterentur. At res tandem hunc exitum tulit, vt, cùm propter appropinquantem hiemem gerendis bellis inidoneam, Cæsariani se se in hiberna contulissent, nihil aliud ea quidem tempestate memoratu dignum subsecutum sit. His rebus peractis, sub initium anni supra millesimum ducentesimum quadragesimi secundi, Chunradus de Concessis Brixia vrbe oriundus, prætor Genuæ renunciatus est. Et quia mos iam longo vsu in Rep. inoleuerat, vt quinque iurisperiti, Doctoris titulo insignes atque clari, ad cognoscendum forenses causas constituerentur, totidem ab eodem Senatu lecti sunt, & in aliorum locum cooptati. In hæc etiam tempora Gregorij IX. mors incidit, cui Cælestinus v. qui tantummodo duodecim dierum, siue, vt aliis placet, octodecim spatio in Pontificatu vixit, successit. Hoc etiam repentina morte sublato, Romæ inter Purpuratos, graues dissensiones exortæ, & haud mediocriter inter eos tumultuatum est, initio ex hoc potissimum enato, quòd Cardinales, qui Friderici partes sequebantur, ægrè eos ferrent qui in Pontificem propensiores fuerant. Non ignorabant siquidem, Pontificis potissimum auctoritate atque instinctu multas turbas excitatas, complureſque populos inter se commissos fuisse; adeò vt illi, defuncto Pont. trepidi, non parum sibi metuerent, ne à Cæsarianis purpuratis malè exciperentur, insigniq. aliqua iniuria afficerentur. Solet enim non rarò vsu venire, vt Pontificis obitum magna Romæ subsequatur rerum conuersio, præsertim inter Ecclesiastici ordinis viros, cùm nullus ferè sit ex tanta religiosorum frequentia, qui non aliquem insignem patronum habeat quò potissimum floreat atque nitatur; cuius patrocinio tantisper fouetur, quantisper patroni illi apud Pont. auctoritate & dignitate valent. Hanc sanè fatalem vrbis genij sortem ea tempestate Cardinales persenserunt, qui maximè partibus Cæsaris aduersati fuerant. Ipsi tamen vt omne periculũ & impendentem tempestatẽ deuitarent, hoc vnum studiosè agebant, vt cum Cæsarianis in gratiam redirent. Quandoquidẽ Friderícus ipse præteritarũ iniuriarum memor, aliquid durius in eos statuere videbatur, & vniuersa ferè Italia diuersis factionibus iterum referuescebat, sic vt non immeritò Genuens. Resp. ad generalem hanc rerum commotionem excitata, longè

Signum oppidum à Cæsarianis obsidetur.

Eiusdem arx largitione occupatur.

Genuens. clades.

1242.

Gregorij IX. Pont. mors. Cælestini V. Pontificatus perbreuis.

Romæ defuncto Pont. magna fit conuersio.

maiori quàm antea, prudentia & vigilantia omnia administraret, præsertim tãto cardine, puta Pontifice destituta, cuius nutu præterita bella cum Cæsare gesta, vel susceperant, vel finierãt. Accedebat huc, quòd Gulielmus Spinula, qui facilè tunc temporis principem locum in sua familia tenebat, quique semper propensissimus in Cæsarem fuerat, tunc exul & proscriptus, municipiorum suorum commoditate, quæ multa habebat, fretus, subinde in gratiam Cæsaris Reipub. multis in locis incommodaret, ita certè, vt Genuæ multæ commotiones & turbæ, vt fieri plerumque solet vbi multæ factiones aluntur, à promiscua plebe excitarentur: quibus omnibus vt opportunè & commodè procederetur obuiam, decretum fuit, vt Præsidi vrbano, quem recèns subrogatum esse diximus, hæc noua Reip. pacificandæ cura demandaretur. Hic igitur, postquam Reip. administrationem & tutelam grauissima oratione Patribus conscriptis commendasset, cum lecta iuuenum manu vrbem egressus, & deinde nouis auxiliaribus copiis auctus, vltra Alpium iuga profectus est, exiguoque temporis interuallo omnium exulum & aliorum à senatu proscriptorum, castellis, oppidis, atque præsidiis potitus est. quibus in potestatem redactis, indeque extorribus profligatis, vltra alia detrimenta eis illata, Busonium oppidum, quò Spinula cum suis clientibus plerumque ceu tutissimo præsidio vti, quoque se quàm sæpissime recipere cõsueuerat, dirui, ac solo æquari iussit; & in vrbem reuersus, eius ædes, sicut etiam Sorleonis domos, cuius hic proximè mentionem habuimus, euerti atque excindi curauit. Quarum rerum gestarum prudentia & dexteritate tantam initio sui apud omnes opinionem peperit, vt nemo propemodum esset, qui eum non singulari obseruantia & veneratione prosequeretur. Et quia constantissima fama diuulgatum erat, hostem aliquot mensium spatio pro re nauali comparanda, exornandaq. ingentes apparatus fecisse; imperauit, vt præter nauigia quæ superiori anno iussu alterius Prætoris fabricata fuerant, summo studio ac celeritate quadraginta alia exædificarentur: nihilque sibi antiquius fore ostendit, quàm vt ea expeditio, quæ tum præ manibus habebatur, cum maximo Reip. emolumento ac dignitate perficeretur: tantumque eius auctoritas apud omnes ciuitatis ordines valuit, vt eius potissimum suasu huc omnes, ceteris studiis depositis, suas curas cogitationesq. cõuerterent, ne quibuscumque modis atque rationibus tandem superati, penitus excinderentur. Quippè pro certo constabat, paucis antea diebus, Ansaldum, Cæsareæ classis ducem, cum sexaginta triremium, & duarum nauium classe in portum Pisanum delatum esse; præterea etiam pro certo habebatur, Pisanos sese illis sub Buscarini, patriciæ nobilitatis viri, & in re bellica plurimum exercitati, præfectura atque imperio, cum duabus & quinquaginta nauigiis socios & comites addidisse, eo consilio, vt coniunctis viribus, Ligurem, ceu communem ac infensissimum hostem adorirentur. Proinde nauigiis recèns paratis atque instructis, denuò in mare eductis, breui temporis interuallo tres & octoginta triremes, tredecim Taridæ (hæ sunt naues longè maioris formæ, quas vulgò Galeatias appellant) cum tribus onerariis, siue Corbitis, quibus maritimos apparatus, & reliqua necessaria belloq. opportuna conueherentur, instructæ sunt. Priusquam verò soluerent, Prætor quò maiorem curam exactioremque totius rei militaris rationem se habere doceret, potiorem populi partem, in aream D. Laurentij fano proximam, conuenire iussit, ibiq. ipsemet sollemni quadã cærimonia D. Georgij vexillum erigens, vniuersorum animos ad patriam tuendam, & ab omnibus iniuriis propugnandam, seriò adhortatus est, disertaque oratione haud mediocriter inflammauit: accersitisque octo præcipuis vrbis regionum decurionibus, eorum singulis

Genuens. Prætoris fanfta expeditio aduersus rebelles.

Busonium à Genuens. euersum.

Classium vtriusque partis ingẽs apparatus.

singulis decuriatum seorsum sub certi vexilli coloribus & notis ab inuicem distinctum, & differentem, tradidit; eisque ceteros vrbis vexilliferos & antesignanos coniunxit, pariqúe diligentia de externo subsidiario milite habita fuit penes eum ratio, summoque populi applausu, & miro militum ardore, militaria signa distribuit, & per quasdam classes segregauit. His rebus ita peractis & constitutis, Præfectus ipse, vel, si mauis, supremus Reip. in hoc bello designatus Imperator, nihil reliqui ad suam diligentiam fecit, quod à prudenti & forti Duce requiri possit, adeò vt prospectis omnibus, nauim conscenderit: & illicò ad insequendum hostem contendit. Cæsariani verò, quòd militaribus copiis Marchionis Palauicini nuper essent aucti, portum Veneris, citra cuius opportunitatem difficulter bellum gerere poterant, adoriri statuerant, cùm non ignorarent, quantis incommodis Ligures afficere possent, si eo potirentur. Proinde omnibus viribus eò appulsi, & descensione in continentem facta, vndiquaque populabũdi excurrerunt; moxque oppidi mœnibus æneis machinis admotis, illud arctissimè oppugnare inceperunt. Attamen, re infecta, quòd validis præsidiis omnibusque ad defensionem necessariis firmatum & communitum esset, obsidionem soluere sunt coacti: mutatoque cursu, Leuantum versus classem intulêre; ibique locis suburbanis partim incensis, partim euastatis, cùm in eius expugnatione haud sanè minus laboris & difficultatis, quàm in superiori mense conspicerent, ac insuper hostilem classem ad omnẽ euentum paratam in propinquo circũuagari dicerẽtur, statim discessum, fugæ haud parum absimilem, contra multorum opinionẽ pararunt. Eos Præfectus, celeri cursu, ac cum summo animi ardore, per intempestam noctem nauiumque tarditatem assequi non potuit, sic vt spe frustratus, vnius tantùm Liburnicæ Pisanæ in hac expeditione pretium operæ fecerit. Palauicinus itidem, continuò receptui canens, vasisque conclamatis, dum signa reuocat, alioque iter capessit, ab indigenis Leuanti non mediocri incommodo ac detrimento affectus est. Buscarinus interim Pisanæ classis nauarchus, cùm se ad Arni fluminis ostium recepisset, propter admissam fugam, ignominiæ notam subire metuens, Pisas reuerti minimè est ausus: at procul à continenti vnà cum Ansaldo hemiolia deuectus, enixè operam dabat, vt hostium consilia & professiones destinatas exploraret. Ceterùm Ligures summoperè veriti, ne Leuantum aliquid incommodi ab hoste acciperet, euestigiò illuc regressi, oppidum & totum illius suburbanum tractum firmioribus præsidiis communiuerunt: indeque cõuersa nauigatione, Sextrum contenderunt; ibique, ne quid eos inter nauigandum remoraretur, ac expeditiùs rem naualem gererent, tredecim nauigiis à tergo relictis, rectà in Cæsarianos, quos paulò antè ad Erycen venisse ab exploratoribus didicerãt, cursum direxêre. Verùm de hostilis classis aduẽtu præmoniti, euestigiò sese in altum pelagus proripuêre: moxq. Sauonam delati sunt. Quod vt primùm Liguribus innotuit, summa cum festinatione omnem ferè illius tractus oram legentes, magno confligendi studio eos inuestigabant: sed oborta atroci tempestate, naufragium veriti, derelictis hostibus, in Genuensem portum se subduxêre, ibique ad integrum diem in anchoris subsistere coacti sunt, adeò vt aduersa maris tempestas causa præcipuè extiterit, quò minùs illinc Sauonam preteruecti, ibidem cum hoste congressi fuerint. Hac igitur spe Ligurum Præfectus frustratus, Albingaunum versus, nauigationem instituit, vt in Albingaunos, qui paucis antè diebus à Reip. fide ac debito obsequio desciuerant, grauiter animadueterret. Proinde agris illorum deuastatis, aliquot actuarias naues, multo sale onustas, intercepit. Cumque illi interim per Galliæ Narbonensis reguli duarum

Portus Veneris & Leuantum nequicquam à Cæsarianis obsidetur.

Palauicini inanes conatus.

trire-

triremium præfectum relatum esset, Cæsarianos rectà versus insulam vulgò D. Margaritæ dictam, cursum nauigationis tenuisse, ad præuertendum illorum conatus, omissa Albingauni expeditione, ocyus illos insecutus est; & Antibum, tutissimam illius regionis stationem, appulsus, ibi pro veteri maiorum instituto D. Georgij vexillum erexit, (Mos enim in Repub. iam longo vsu confirmatus, prorsus inoleuit, vt quotiescumque signa cum hoste conferenda, vel acie dimicandum sit, Reip. supremum vexillum equestri D. Georgij imagine conspicuum, in sublime erectum defigatur) postea in eam insulam cum tota classe appulit, eo quidem successu, vt parum, vel nihil proficeret. Siquidem Ansaldus, vbi per suos speculatores de hostium aduentu comperit, in tanta trepidatione fuit, vt incisis præ nimia festinatione rudentibus, relictisque maiori ex parte ancoris, in Stœchadas insulas traiecerit: quò etiam Ligur præliandi cupiditate flagrans, ne quid prorsus de pristino ardore ac studio remisisse existimari posset, perrexit. Verùm nequicquam eum insecutus, ibi paulisper reficiendæ classis gratia substitit. Quo quidem peracto, vt superiorum temporum immensos sumptus, quos Resp. assiduè sustinuerat, aliqua ex parte sarciret, bene suo muneri ac Reip. vtilitati consulere existimauit, si boni œconomi instar, publica onera priuata quadam industria subleuaret. Proinde plerisque suis nauigiis optimo candidissimoque sale onustis, vt optimè de publico bene meritus, Genuam idibus Septemb. cum sua classe rediit. Vix eo domum reuerso, per totum propè agrum Ligusticum rumor dispersus est, & postmodum multorum nuntiis confirmatus, Cæsarianam classem in Cyrno insula, quò se paulò ante receperat, exarmari, militesque ac ceteros rei nauticæ peritos, maiori ex parte exautoratos & dimissos esse. quæ famæ constantia magnam omnibus securitatem peperit, prorsusque effecit, vt Ligures hostium exemplum secuti, idem facerent. Sed quia ex minori Africa tres onerariæ naues omni genere mercium refertæ, indies expectabantur, & iam circa Arcritianum apparuerant, Senatus veritus, ne in aliquod periculum deuenirent, iussit duas & triginta subsidiarias triremes cum aliquot militaribus copiis, vt eis obuiam iretur, parari atque instrui. Verùm quòd deinde nunciaretur, Cæsarianam classem Sauonam repetiisse, destinatæ triremes vlterius non sunt progressæ. Mirum dictu est, ac magna cum omnium admiratione annotatum & obseruatum, fatali prorsus ratione contigisse, vt hæ duæ hostiles classes, tam longo temporis tractu inuicem prosecutæ, nunquam in mutuum certamen deuenerint. Quippè quamuis Ligures incredibili quodam præliandi studio atque ardore flagrarent, & Cæsaream classem indefessis laboribus assiduè persequerētur, nihilominus tamen nunquam assequi potuêre, vt sibi decertandi occasio & ansa, prout maximè in votis habebant, offerretur. Crescebat indies magis atque magis Cæsaris in Ligures odium, quòd præter præterita bella cum illis gesta, eos videret pertinaci quodam animi decreto ijs potissimum patrocinari qui sibi longè essent infensissimi. Proinde, vt tam graues iniurias & contumelias vlciscereturr, & hunc populum necessitate quadam & vi compulsum, ad quietem & tranquillitatem publicam adigeret, simulque ad vetus obsequium prædecessoribus suis præstitum, compelleret, Marino suo præfecto, & rerum bellicarum in Italia præcipuo administratori iniunxit, vt eos, iterum restaurato exercitu, nouoque militum delectu habito, cum valida manu sese classi, quę tunc Sauonæ, vti diximus, stationem habebat, coniungeret. Constituerat enim, vno eodemque tempore Genuam bipartito exercitu terra atque mari denuò inuadere. Marinus igitur Cæsaris voluntati obtemperans, tanta vsus est diligentia, vt suas copias Arentianum vsqui perdu

Ansaldi repentinus discessus.

Rarum exemplum fatalis decreti.

Cæsar instauratis copiis iterum Ligures aggreditur.

perduceret. Quod cùm à Genuensibus esset intellectum, Cæsariſque animum & consilia nullo pacto ignorarent, incredibili quodam studio atque admirabili celeritate tridui, vti tradunt, spatio classem septuaginta triremium, eodem vrbis Præside duce, præpararunt & instruxerunt. Hanc itaque, rebus omnibus mirè dispositis & constitutis, ipse Dux contra hostem illicò eduxit: quem in conspectum ciuitatis prodire ausum, eò necessitatis adegit, vt se iterum Sauonam in veterem suam stationem reciperet: cui cùm ob maris tempestatem, ventorumque rabiem nulla egrediendi portus facultas daretur, necessarium fuit, quò sese contra Ligurum iniurias protegeret ac tutaretur, portum nouis vallis, sepimentis atque aggeribus cõmunire. Qua sanè in re, terrestres copiæ illi insignem opem tulerunt. Quandoquidem obuersis ad mare puppibus, multò commodiùs quàm antea ab ipsis propugnari poterant, adeò vt cùm eius nauigia concatenatim per certas series connexa, continenti propiùs admouerentur, facilè omnem hostibus opportunitatem adimerent, quò minùs ab illis aliquid incommodi vel detrimenti acciperent. Ligur etenim cùm sese aditu portus omninò prohibere, atque omnem interceptam præliandi facultatem esse conspiceret, hoc vnum in primis anxiè agebat, vt modis atque artibus quibus posset omnibus, hostilem classem in ipso littore succenderet. Quod vt faceret commodiùs, aliquot nauigia Genuam misit, quibus omnia, quorum ministerio indigeret, adueherentur. Verumenimuerò etsi singulari studio omnia procurata ac tentata essent, quibus hosti sese intra portum & vallum continenti, incommodari posset; nihilominùs tamen omnis labor & industria incassum suscepta sunt. Tantus namque fuit, & tam violentus ventorum flatus, vt aduersarij nulla ratione lædi potuerint, cùm omnis vis flammæ igniſque ardor in ipsos auctores, vti prius acciderat, reclinaret, adeò sanè, vt nihil prorsus ex animi sententia successerit. Hinc facilè apparet, quàm vana & irrita sint humana cõsilia, vbi fata secus decreuerint. Nam etsi vniuersa exactissimo præstantissimorum hominum iudicio & præscripto sic essent præparata, vt nemo ferè ambigeret, quin res ex voto ac pro arbitrio gereretur; attamen eo die tanto fauore Cæsarianos fortuna prosecuta est, vt etiam ipsa elementa pro eis conspirasse viderentur; præsertim cùm vltra flammam ignis nocere ipsis reluctantem, Genuenses etiam alia via nocendi facultate, nempè fluctibus ac procellis impedirentur, sic vt, re infecta, Naulo se receperint, eo consilio, vt ibi ad exploranda hostium consilia aliquantisper subsisterent. Ansaldus verò, vbi sibi liberum egressum dari conspicatus est; nulla mora interposita, suorum nauigiorum agilitate fretus, & copiis terrestribus, quas Arbianum præmiserat, confisus, semper cum sua classe eidem oræ inhærebat, ita vt ne latum, quod dicunt, vnguem ab ea recederet, existimans, se hoc modo illarum copiarum vsum, si ita necessitas requireret, ad manus quamprimùm habiturum esse. Erat tota Cæsariana classis sexaginta ferè nauigiorum; quo numero confisus Ansaldus, sibi persuadebat, se multis incommodis atque haud leuibus detrimentis Ligures afficere posse; tametsi ipse magnorum ducum exemplo, potissimumque Fabium illum cunctatorem imitatus, Genuensium res magis cunctando, quàm dimicando atterere, & planè frangere in animo haberet. Vt verò Genuensis nauarchus intellexit, Cæsarianos Sauonensem portum dereliquisse, confestim Naulo relicto, seque à continenti in altum pelagus proripiens, abitionem Genuam versus miro astu & calliditate simulauit, eo potissimùm consilio, vt exploraret, num & ipse cum sua classe à continenti recederet; cùm nihil satius ac expeditius inueniret, quàm vt illi omnem remigandi Sauonam facultatẽ interciperet. Ansaldus tamen longo belli vsu

Genuæ tridui spatio 70. triremes instructæ.

Ansaldus relicto Arentiano, Sauonam profugit.

Ligures nequequam hostilẽ classem incendere conantur.

Fati ratio inenarrabilis.

Fortuna Cæsarianis propitia.

Ansaldus Fabij cunctatoris imitator.

vsu hostilium consiliorum rationes inuestigare & olfacere doctus, in veteri suo instituto constantissimè permansit, sic vt Ligur spe ac opinione deceptus, omnisque moræ impatiens, obuersis proris, summum impetum ac impressionem facere in eum statueret. Verùm ille aduersarium anteuertens, & miro artificio eludens, omnemq. prælij ansam callidè detrectans, protinus magna celeritate vsus, consuetam suam stationem & munimenta repetiit. Instabat hiems, mariscq. tempestas subinde atrocior fiebat, ita vt vix commodè vel tutò nauigari posset. Cæsariana etiam classis hac præcipuè de causa sese, vti diximus, in solitum portum suum subduxerat. Ligur, cùm non haberet hostem, qui cum, vt maximè auebat, congrederetur, animaduertit, sibi omne tempus quod foris absumeretur, citra aliquem fructum deperire. Proinde adhibitis super ea re collegis & sociis in consilium, de communi sententia & consensu constitutum fuit, ex vtilitate Reipub. esse, vt classis Genuam reduceretur. Sed inter domum redeundum, inter Vultubium & Arentianum repentè tam magna fuit coorta tempestas, vt aliquot triremes tempestate disijcerentur, quæ ibi vi tempestatis sabulo illisæ, naufragium fecerunt. Magna tamen felicitate & natandi peritia illi qui eis deuehebantur, incolumes euasêre. In par ferè discrimen paulò antè Cæsariana classis, cùm sese Vadum recipere vellet, aliquot triremibus submersis, inciderat. Domum reuersa Ligustica classe, Ansaldus cum aliquot triremibus ad salem, & reliqua ad vitæ necessaria & opportuna comportanda, in Galliam Narbonensem contendit, inque portu Tolonij duas Ligusticas naues, quæ multis ac pretiosis mercibus onustæ, ex Hispaniis Genuam versus adnauigabant, intercepit, ac deinde magno commeatu instructus, Sauonam rediit. Cæsar nimirum in animo habebat tantisper cum Genuensibus armis decertare, quoad viribus debilitati, impares sustinendo vel continuando bello essent. Quapropter cùm sequenti anno nouam expeditionem in eos suscipere decreuisset, consultum videbatur, vt Sauona recipiendæ classi propter portus opportunitatem valdè commoda & vtilis, omnibus præsidiis & commeatibus communiretur, ideoque Ansaldus Andream filium suum insigni ingenio ac præclara virtute iuuenem, paternisque vestigiis assiduè inhærentem, cum circiter quadraginta triremibus in Apuliam præmisit, vt Friderico Cæsari in re nauali, si ita vsus ferret, fortè operam nauaret, ac integræ fidei constantiam præstaret. Ipse interim ad communiendum Sauonam sedulò intentus, adeò securum illum locum ab omni hostili impetu & iniuriis reddiderat, vt citra controuersiam omniũ iudicio inexpugnabilis esse iudicaretur. Quibus peractis, ipse cum reliqua classis parte in Siciliam, vt ibi hibernaret, contendit. Animum haud vulgaris subit admiratio, quòd Ligures, nullis ferè aliis, quàm priuatis subnixi viribus, tam potẽtem & prævalidum hostem tot Principibus sociisq. confœderatum, sustinere tam longo temporis tractu citra aliquod graue aut memorabile detrimentum potuerint. Nam quanquam ipsi ea tempestate, qua cum Cæsare bellum gesserant, tranquillam maiorique ex parte pacatam domi habuerant Rempub. & cum Venetis fœderis iure in gratiam Pontificis fuerint coniuncti; tamen satis constat, ipsos nunquam ab his aliquod subsidium, licet difficillimo & maximè necessario tempore, accepisse. Quandoquidem, tametsi Veneti, intellectis maximis apparatibus, quos Cæsar, cum Pisanis multisque aliis Principibus & regulis associatus, contra Ligures fecerat, classem sexaginta triremium subsidio illis duce Andrea Teupulo mittere destinassent; cùm tamen de prosperis Ligurum successibus edocti & admoniti essent, non vltra sinum Hadriaticum classis pro-

Vtraque classis naufragiũ patitur.

Genuens. suis tantùm priuatis opibus Cæsarianæ potentiæ resistunt.

sis progressa est. Ab Insubribus itidem, quòd quædam dissidia cum ciuitate Mediolanensi vtrimque essent exorta, nulla sanè, vel certè perexigua ope adiuti fuerunt; ita vt si verum fateri velimus, dicendum sit, ipsos solos vniuersi belli molem tam longo tempore suis tantummodò viribus subnixos, infractis animis saluaque Reipub. dignitate atque potentia sustinuisse. Et quod admirationem non parùm augeat, facit, quòd ex omnium scriptorum Annalibus deprehendere liceat, hunc Cæsarem in omnibus contra ipsos expeditionibus totius naualis rei summam viris è Liguria oriundis, ac Reipub. subiectis credidisse & commisisse, inter quos vel præcipui fuerunt Nicolaus Spinula, Ansaldus Marius, & Andreas eius filius, quorum superius non semel meminimus. Horum certè nomen apud pleraque gentes ac nationes traduci, & ignominia haud exigua notari animaduerto, quòd scilicet aduersus patriam & proprios penates, hostem armis & consiliis iuuare atque instruere, fortemque ac fidelem operam præstare non abnuerint. Verumenimuerò qui res humanas penitiùs atque diligentiùs rimantur & introspiciunt, rerumque habent delectum, omniaq. maturo & graui iudicio expendunt atque examinant, ea in re nullam illorum nominis existimationi labem aspergunt, nihilque ipsorum rebus præclarè gestis & gloriæ detrahunt, asserentes, illos minimè in perniciem patriæ suæ dimicasse, vel arma expediuisse. At Guelfos Cæsaris hostes tum Genuæ rerum potientes, quòd ferè dimidiam ciuitatis partem superbè atque arroganter expulissent, oppugnasse, vt ea ratione sese ab illorum iniuriis vindicarent. Cæsarianæ etiam naualis victoriæ laus ad ipsos quoque Genuens. magna ex parte referenda est, cùm Cæsarianæ classis Præfectus bellique Imperator, Genuensis fuerit, in eaque complures trierarchi Ligustici agri extiterint, adeò vt si quis rem suis momentis ponderet, & ad trutinam, vt dicitur, atque amussim omnia diligenter metiatur, in his omnibus maritimis expeditionibus maiorē victoriæ gloriam penes Ligures, quàm penes hostem fuisse comperiet: qui cùm semel Genuensium virorum præsidio ac virtute vicerit, is tamen sæpiùs deuictus censeri debet, cùm toties de virtute Genuensibus concesserit, ac toties post rem semel in mari feliciter gestam prouocatus, certamen pugnamque tantoperè expetitam atque oblatam detrectarit. sed nos ad institutam orationis seriem reuertamur. Proximo anno, qui fuit supra millesimum ducentesimum quadragesimus tertius, Ligures Sauonam, quòd inde sibi tam multa magnaq. incōmoda sæpiùs illata essent, omnibus viribus & conatibus expugnare decreuerunt. Qua de causa cum regulo Montferratensi, cui ea vrbs in extremum odium plurimis de causis venerat, & cum Carreti ac Ceuæ Marchionibus, qui antea pro Cæsare steterant, societatem ac fœdus iniuēre. Proinde cùm tempus bellis gerendis aptum atque idoneum appropinquaret, abrogato veteri Præside, cui iam sui muneris tempus exactum erat, ac Emanuele Matio, nobili Brixiensi, in eius locum substituto, sub huius Præfectura huiusmodi expeditionem susceperunt. At Sauonenses impendentem sibi tempestatem nō obscurè conijcientes, statim ad Encium Cæsaris ex pellice Blanca Marchionissa Montisferrati filium, à patre recèns Sardiniæ regem declaratum, legationem habuêre, obnixè orantes, vt tempore tam necessario & dubio, sibi suppetias ferre vel quouis prætextu nō recusaret. Qua in re facilem se exhibuit, & sanè haud grauatim precibus locum constituit; missisque aliquot equitum ac peditum auxiliaribus copiis, illos non parùm subleuasset, nisi Genuens., posteaquam Sauonam arctissima obsidione cinxerant, omnes vias & aditus, ne aliquod subsidium obsessis importari quiret, obsedissent; adeò vt hæ copiæ vsq. ad locum vulgò Aquin progressæ, intellecta

Genuens. populi commendatio & virtus.

Fridericus Cæsar, Genuens. ope victoria potitus est.

1243.

Sauonensium obsidio.

tellecta progrediendi difficultate, in præsentiarum vlterius non processerint. Sed ibi occasionem tutò mouendi præstolati, tantisper substitêre, donec magno cum obsessorum beneficio per insidias sumimo cum silentio intempesta nocte intromissi sunt. Quorum sanè aduentu oppidani ceteriq; præsidiarij ita confirmati fuerunt, & in nouam spem erecti, vt breui pòst, eruptione facta, obsessores inuaderent, & quamplurimos eorum contrucidarent; & etiam haud exiguum numerum in captiuitatem abducerent. Ligures propter acceptam cladem exacerbatiores facti, vrbem ipsam longè grauiori, quàm antea, obsidione premere coeperunt: eoque necessitatis defensores redegêre, vt Cæsaris, qui eo tempore Pisis erat, & ruinosus ipsius Entij, cuius proximè meminimus, opem atq. auxilium implorare cogerentur. Cæsar itaque, intellecta illorum necessitate, in quam ipsos, quòd fidem suam secuti essent, præcipitauerat, nihil habuit antiquius, quàm eam vrbem sibi cum primis necessariam, & opportunam, citra aliquam cunctationem necessario auxilio ab obsessorum vi atque armis eripere, ac præsenti periculo liberare. Quapropter Ansaldo, antiquo suo Præfecto, tunc temporis in Sicilia agenti, imperauit, vt cum quinquaginta quinque nauigiorum classe Sauonêsibus actutum præsto esset: simulque Pisanos per internuntios obnixè rogauit, vt sibi suam operam & industriam hac in parte non denegarent. Ipsi reluctari nullo modo ausi, ingratiam summa celeritate octoginta triremium classem, duce Bonacursio Pallude suo Præfecto, coëgerunt. Ligures de his apparatibus certiores facti, infracto & excelso animo, quem in dubiis & aduersis rebus assiduè exhibuerant, protinus ad hostiles conatus reprimendos, & coërcendos, cogitationẽ adiecerunt. Verùm quia res erat maioris momenti, & adeò perplexa, vt citra consilij maturitatẽ nihil temerè in ea constituendũ esset, graui & accurata in Senatu cõsultatione super his habita, variis sententiis atq. diuersis studiis fuit diu decertatum. Nonnulli etenim, & illi quidem ex præcipuis Senatorij ordinis, censebant, minimè ab inchoata oppugnatione, licet ex Gallia Cisalpina auxiliares copiæ obsessis aduentare dicerentur, recedendum esse. At plerique alij contrà, præsentis rei difficultate ac periculo deterriti, magis ex vsu Reipub. esse iudicabant, si relicta in præsens obsidione, rei nauali tantummodò omni contentione & viribus incumberetur: quòd existimarent, facile fieri posse, vt superato hoste, qui mari acriter instabat, & vrgebat, Sauona, & reliqua oppida, quæ Cæsaris studia secuta, à Reipub. fide defecerant, in pristinum officium & obsequium redigerentur. Rem quippe longè difficillimam arbitrabantur, vno eodemque tempore contra potentissimum hostem diuersas expeditiones suscipere; nimirùm cùm neminem lateret, quantum detrimenti ora littoralis atque adeò vniuersus sinus Ligusticus quotidianis hostilibus populationibus & excursionibus obnoxius, acciperet, si terra mariq. simul bellum gereretur. Quorum certè sententia cùm veris rationibus niti, omnium iudicio videretur; effecit planè, vt licet Patres malè haberet, quòd victoria, quæ tunc quodammodò in manibus esse videbatur, & pro qua tot labores & pericula sustinuerant, in medio quasi rerum bene gerendarum cursu propter ostensam rei difficultatem desereretur: nihilominus tamen cùm in rebus arduis summam prudentiam adiungendam esse censerent, & belli successum fore valdè dubium & ancipitem: statutum fuit, vt relicta obsidione, omnem belli apparatum ad classem maritimam transferrent. Quocirca Prætori, quem summum exercitus Ducem designatum esse ostendimus, Senatus consultum quo omnes belli rationes comprehensæ erant, traditum fuit. Is tamen, priusquam obsidionem solueret, de aliquot nobilium virorum, qui secum erant, consensu atque consiliis periculum facere

Sauonensium eruptio in Genuens. castra.

Eorundem arctissima obsidio.

In Senatu varijs sententijs decertatur.

Genuens. relicta obsidione Sauonensi, tantummodò rem nauale prosequẽdam statuunt.

facere voluit, num sibi, oppugnatione iam instituta, potiundæ vrbis facultas aliquo modo daretur: ideoque confestim, instructis vndique cohortium cuneis, & summo cum impetu, maximoque animorum ardore admotis scalis, oppugnationem adorti sunt, eo certè successu, vt, cùm acies ipsa ex arte & disciplina militari nequaquam esset disposita, & in ordinibus disponendis valdè peccaretur, cum summo dedecore & ignominia repulsi sint, adeò vt Præfectus, Senatusconsultum hac quidem in parte transgressus, re infecta, non sine perenni temeritatis nota, Genuam reuersus sit, vt quæ ad rem naualem pertinerent, summo studio ac diligentia procuraret, ac prosequeretur. Ceterùm vix eo reuerso, multæ & graues Genuæ exortæ sunt inter promiscuam multitudinem, & populi feces, simultates & iurgia. Vrbs siquidem ipsa ob varias & inæquales fortunas rebus innouandis lubrica, facilè in partes & factiones, vt sæpenumerò contigit, deducebatur. Erant quippe non pauci, qui, dum nullis certis consiliis regerentur, sed solis affectibus ducerentur, nobilitatem alioque potentiores calumniis & dicteriis incesserent atque proscinderent, quòd causarentur, eos, ob priuata sua commoda, vel augendi honoris gratia obsidionem Sauonensem in longum productam, & segniter administratam fuisse. Quæ sanè plebis impuræ voces adeò erant assiduæ & intolerabiles, vt haud exiguos præstantes viros ad iustam indignationem & iram commouerint atque accenderint. Prætoris tamen sollertia & egregia seueritate cum singulari quadam humanitate temperata, concitatæ plebis animi magna ex parte sedati & mitigati sunt, ita vt postea de communi omnium consensu valida & præpotens classis adornata sit: de cuius quidem numero cùm nihil certi ex veteribus Annalibus eruere potuerim, non habeo quod hîc dicam. satis liquet, nullum illius ea tempestate vsum fuisse. Quoniã vbi primùm Cæsariani Sauonam obsidione liberatam esse cognouêre, destinatam in Liguriam profectionem, quasi superuacuam, vel saltem non vsque adeò necessariam, paulisper distulerunt, ita vt Ligustica classis iam parata & instructa, deposito omni metu, ac sui secura, omnibus armamentis non sine graui discrimine denudata sit. Parum quippè abfuit, quin Genuã, quòd classem suam citiùs quàm ratio temporis permitteret exarmassent, in summum periculum deuenerit. Postero siquidem die ab eo quo classis exarmata est, primo diluculo in alto mari ad centum & triginta quinque hostilia nauigia conspecta sunt. Quòd si Cæsariani classem exarmatã esse sciuissent, quis dubitat, quin tali præbita ansa, aliquam insignem cladem ipsis intulissent? At Prætor, ad repentinum hostium aduentantium nuntium, illicò hoc stratagemate vsus esse dicitur, quod sanè vniuersæ vrbi maximo beneficio extitit. Namq. vt primùm hostilis classis cominus prospecta est, omnes milites iam exauctoratos, prout temporis breuitas concedebat, ad vrbem reuocari atque accersiri iussit: ipseq. cum aliquot expeditis triremibus quamcelerrimè instructis, erecto Georgiano vexillo, cum his tam longè prouectus est, vt ab hoste facilè conspici posset. Ille, vexillo inspecto, veritus, ne ab vniuersa classe inuaderetur, longiùs sese obliqua nauigatione à continenti subduxit: Pisasque nauigatione conuersa, nihil sanè aliud eo quidem tempore moliri ausus fuit. His ergo artibus successibusque motus ac tumultus domi foriſque coorti, paulatim deferbuerunt, sensimq. extincti sunt. Superius diximus, statim post Cælestini quarti Pontif. obitum, magnam Romæ inter Purpuratos propter diuersa studia dissensionem animorumq. distractionem enatam fuisse, nimirum quòd maior pars pro Cæsare staret. Reliqui verò Pontificum beneficiarij, his summoperè aduersarentur. Cùm itaque nullum iurgiis vel litibus modum statuerent, simultates planè effecerunt, vt per

Prætor Genuens. cum ignominia à Sauonens. oppugnatione repellitur.

Dissidia inter populum & plebem.

Insignis stratagema.

Roma Anarchia.

totum ferè biennium Romæ anarchia cum magno vrbis periculo fuerit. Cardinales enim Pontificis beneficiis deuincti, palàm profitebãtur, seſe nunquam ſuffragia ſua ad aliquem renuntiandum Pont. præſtituros, niſi Antiſtites, cetericque ſacri ordinis viri à Cæſariana claſſe, vti diximus, intercepti, & in vinculis habiti, priſtinæ libertati reſtituerentur; nimirùm quòd hæc iniuria & contumelia, cum graui Apoſtolicæ ſedis, ac planè Chriſtianæ religionis iactura, & non leui periculo coniuncta eſſet. Proinde cùm hanc curam vt è vinculis liberarentur, ad ſe mirum in modum pertinere exiſtimarent, omnemque mouerẽt lapidem, vt quibuſcumque rationibus vel artibus, ipſos, etiam vel inuito Cæſare, veteri dignitati teſtituerent, graues proculdubiò paſſim per vniuerſam Italiam metuebantur tumultus, factaque fuiſſet haud dubiè, hac potiſſimùm de cauſa, aliqua publicæ tranquillitatis labefactatio, niſi Balduinus Imperator Byzantinus, ea tempeſtate, quòd imperio aliquot ſuorum fraude excidiſſet, in Italiam Cæſaris aliorumq. Principum arma & ſuppetias, quò in regnum reſtitueretur, rogatum veniſſet: cuius tandem auctoritate & precibus Cæſar inflexus, omnes Pontificios liberari permiſit. His in libertatem repoſitis, conuentus Ananiæ, Hernicorum vrbe veruſtiſſima, celebratus eſt; in quo quidem communibus omnium ſuffragiis Innocentius quartus patria Genuenſis, è nobili Fliſcorum gente, priſco Lauaniæ Comitum titulo inſignis, Sinibaldus nomine, Pontifex renuntiatus fuit. Quod vt intellexit Fridericus Cæſar, haud perinde, vt erat hominum exiſtimatio, lætatus eſſe fertur. Nam licet ipſe ſuperioribus annis gratia & familiaritate apud Cæſarem floruiſſet, & aliquamdiu in eius aula verſatus, inter intimos eius familiares crederetur; Cæſar tamen, vt erat exacto iudicio, & vir emunctæ, quod aiunt, naris, eius ingenium, ceu callidum & peruerſum, valdè ſuſpectum ſemper habuerat, adeò vt præſtantiſſimis viris, ſibi illius nouam dignitatem, quòd ipſum illi amiciſſimum exiſtimarent, congratulantibus, hoc commune ſcomma de eo protuliſſe dicant; Honores mutant mores. perinde ac ſi non obſcurè olfaceret, quin tantam dignitatem adeptus, ex amico ſibi inimicus euaſurus eſſet: nec fefellit eum, prout euentus multis in rebus comprobauit, vaticinium. Statim enim ab initio Pontificatus nihil habuit antiquius, quàm Rempub. Genuenſem miro verborum lenocinio adhortari, vt Romanam Eccleſiam propter Cæſaris potentiam & manifeſtam vim non mediocriter periclitãtem, pro veteri Reipub. ſuæ inſtituto propugnare ac tueri pergerent. Interim de ſe omnia magnifica & ſplendida Reipub. pollicebatur. Curam etiam poſtmodum, quòd ſibi valdè expedire videret, adiecit, vt ſibi cum Cæſare bene conueniret: eaque de cauſa vtrimque per internuncios valdè allaboratum fuit. Sed fruſtrà, cùm ipſe Pontifex pertinaci quadam contẽtione aliquot oppida Pontificij iuris à Friderico, vt prætendebat, occupata, repeteret. Quod ſanè facem atrociſſimo breui pòſt inſecuto bello ſubdidit. Cæſariani namque Pontificis pertinaciam & ambitionem pertæſi, ipſum in Sotris oppido agentem, & arctiſſima obſidione preſſum, in tantas anguſtias redegerũt, vt de ſalute ſua valdè anxius atque ſolicitus, Genuam per clandeſtinos nuncios cum Senatu egerit, vt ſummâ cum feſtinatione eius beneficio aliquot nauigiis præſenti periculo eriperetur. Fieri enim aliquo modo poſſe exiſtimabat, ſi ſibi maturo auxilio ſuccurreretur, vt incolumis euaderet. Quapropter Genuenſes cùm ad promerendã Pontificis gratiam, tum ad teſtandam integritatem fidei ac veteris obſequij, duas ac viginti triremes paulò antè, vt Anſaldi Mariij claſſi omnem Liguſticum ſinum crebris excurſionibus inquietantis, obuiam iretur, ductu ſui Prætoris inſtructas, ad Centum cellas miſêre. De cuius aduentu Pon-

Pontificij, Balduini Cæſaris interceſſione priſtinæ libertati à Friderico Imperatore reſtituuntur.

Innocentius quartus Pont. renuntiatur.

Rom. Pont. à Cæſarianis in Sotri oppido obſidetur.

Idem Liguſticarum triremium beneficio elabitur, & Genuam venit.

tu Pontifex certior factus, citra aliquam moram intempesta nocte cum summo silentio sex purpuratis & quibusdam aliis ex suis fidelioribus & intimis amicis comitatus, elusis obsessoribus, vrbe excessit, & Centumcellas concitatis equis profectus est, ibique conscensa triremi, mox ad portum Veneris, atque inde Genuam delatus est, vbi honorificentissimè, & cum totius ciuitatis effuso gaudio exceptus est. Ibi cùm aliquot diebus cõstitisset, quia Galliam cogitabat, eaq. vteretur valetudine, quæ nauseã maris, & nauigationis molestias ægrè perferre posset, terrestri itinere sibi Genua per Montisferratum in Gallias contendendum esse duxit. Senatus de eius voluntate commonefactus, ciuitatis Præsidi iniunxit, vt cum adiunctis sibi plerisque ex patriciis primæque nobilitatis viris, ad flumen vsque Rhodanum deduceret. Pontifex summo honore ad Rhodanum vsq. deductus, quòd vectitatione admodum defatigatus esset, aduerso flumine Lugdunum delatus est. ibi denique comitia celebrauit, ad quæ multorum principum & populorum legati conuenêre, & inter ceteros, Respub. Genuens. Simonem Marenum & Hugonem Fliscum ibi oratores habuit. In quibus præter alia, quæ ibi pro suo arbitrio ac voluntate constituit & ordinauit; Cæsarem quòd nullis precibus vel exhortationibus ad restitutionem Põtificiarum ciuitatum adduci posset, pro veteri Pontificum instituto, anathematis fulmine impetiuit, atque ab omnium piorum cœtu eliminauit, omnibusq. sacris interdixit: septemuiris etiam Germaniæ Principibus, quibus solis creandi Cæsaris ius & suffragatio cõpetit, liberam potestatem fecit, vt alium in ipsius Friderici locum crearent atque substituerent. His tantis iniuriis irritatus, ac supramodum ira inflammatus Cæsar, ne videretur tantam temeritatem impunitate confirmare velle, primum Mediolanenses, qui palam & apertè tunc temporis Pontificis partes & studia fouebant, summo apparatu bellico instructus, adortus est, quibus summa ferè rerum omnium difficultate laborantibus, Ligures, tanquam vicini ac socij, licet & ipsi grauissimo bello implicati, quingentos sagittarios auxiliares miserunt. Cuius quidem belli, Octobri mense susceptí, is tandem fuit exitus, vt Cæsariani diu ancipiti fortuna vsi, inferiores bello succumberent, ita vt multi eorum in hostium potestatem deuenerint, inter quos præcipuus fuit Encius Cæsaris nothus, cuius non semel facta est mentio. Sed non fuit hæc Insubribus victoria incruenta, at multo suorum sanguine redempta, plerisque eorum cæsis, & non paucis ex præcipua nobilitate Mediolanensium captis; adeò vt eandem ferè belli aleam & sortem cum victis subirent. Nihilominus tamen facta est vtrimque, vt in bellis plerumque fieri solet, captiuorum permutatio, licet impari & planè iniquiore conditione ac fortuna Genuenses captiui habiti sint. Nam quòd Cæsarianis essent antiqui & capitales hostes infensissimi, crudeliter, & quasi per exquisitos cruciatus contra belli morem in eos sęuitum atq. animaduersum. Sunt enim qui tradant, omnibus Ligustici nominis militibus alterum oculum, ac etiam alteram manum præcisam. Quibus ita multatis, tunc demùm factam fuisse ad suos reuertendi potestatẽ, horribili sanè & inaudito inter Christianos ad ea ferè tempora militiæ exemplo. Absoluto bello Insubrico, quia Parmenses pari temeritate & audacia cum plerisque aliis Galliæ Cisalpinæ ciuitatibus obstinatis animis Cæsaris imperium iugiter detrectabant, & ea propter cum Genuens. aliisque vicinis sese nouo fœderis & amicitiæ iure deuinxerant. Cæsar ad suam dignitatẽ quàm maximè pertinere arbitrabatur, si illos refractarios, quò ceteros etiam rebelles ac reluctantes exemplo deterreret, ab instituto retraheret atque in ordinem cogeret. Itaque post Fauentiam, quæ Pontifici fauerat, fame expugnatam atque direptam, Bononiamq. gra-

Innocentius Pont. Genuã Lugdunum proficiscitur.

Lugdunensia comitia.

Fridericus à Pont. diris impetitus, imperio exuitur. 1245.

Cæsaris aduersus Insubres expeditio.

Friderici sæuitia in Genuenses captiuos.

Parmensis obsidio.

uiter afflictam, exercitum Parmæ admouit, eamque arctissima obsidione premere incepit, quæ ferè totum biennium non citra obsessorum graues calamitates & incredibiles molestias durauit. Et quoniam Innocentius Pontifex Lugduni concilio coacto, ipsi diem dixerat, Imperator, qui antea missis legatis tempus definiri commodius petierat, cùm tandem intelligeret, sibi à Pontifice non modò sacris interdictum, sed etiam eius opera effectum esse, vt sibi à septemuiris Principibus imperium abrogaretur, ad Synodum proficisci constituit. Proinde Henrico iuniori, quem proregem Italiæ crearat, in Parmensi obsidione relicto, cum magna procerum atque illustrium virorum frequentia, nec paruo satellitio cõstipatus, institutam profectionem adornauit, & iam ad Taurinates vsq. accesserat: sed cùm de Innocentij implacabili animo & molitionibus, deque clandestina ac perfidiosa Sanseuerinatum Principum ac nonnullorum aliorum ex Pontificis instinctu in necem suam conspiratione, deq. crudeli cæde ab exulibus Parmensibus Guelfis in Gibellinos ipsi addictos patrata, atque vrbe recepta, cognouisset, mutato consilio rediit in Italiam, atque accersitis ex Apulia & Calabria recentibus copiis, cum sexaginta millibus hominum armatorum Parmam obsedit, noua vrbe foris circumuallatam, quam Victoriam vocauit, nouoque numismate celebrauit in honorem Victoris martyris, cui, si vrbe potiretur, templum vouerat. Victoriæ vrbi conditæ omnia ea affuêre quæ post Romani Imperij declinationem nulli vnquam Principes habuerint, nullaque postmodum ciuitas simul viderit, vtpote vestis varia & pretiosa, animantes feræ cicuresque diuersi generis, elephantes, dromedarij, pantheræ, pardi, vrsi albi, leones, lynces, molossi, buboneſque barbati, quos ex Africa, Asia, & Ægypto, legati Friderico adduxerant; hominum portentosæ formæ, & in iis Saracenicus miles, illi in primis acceptus. tanta præterea incolarum frequentia, commerciis etiam multarum gentium aucta: & cùm in ipsa ciuitate, tum in castris, tanta fuit annonæ ceterarumque rerum ad vitam necessariarum copia, vt nihil ad amplissimæ vrbis formam atque adeò felicitatem deesset. Hanc etiam fossa & vallo ita alto atq. profundo cinxerat, vt difficulter irruptio ab oppidanis fieri posset. Ceterùm post diutinam & durissimã obsidionem cum auxiliis, quæ à plerisq. fœderatis, & potissimùm à Genuensibus, qui fermè quingẽtos peritiss. sagittarios ad obsessos præsidio miserant, iuuarẽtur, noua virium accessione aucti, animisque incredibiliter confirmati, eruptionem in Cæsarianos palantes, atque in alta securitate positos, tanto impetu fecêre, vt eos, post non mediocrem pugnam, dissipatis ordinibus in turpem & ignominiosam fugam conuerterint, adeò vt qui prius summa omnium rerum pænuria laborabant, hostilibus prædis regioque thesauro ditati, rerum omnium abundantia diffluerẽt, Victoriamq. ciuitatem incenderent. Dum hæc Parmæ geruntur, Andreas Marius, Ansaldi, vt sæpe retulimus, filius, cùm explorasset, Genuens. portum solita classe esse destitutum, cum viginti triremibus bene instructis de improuiso illum ingressus est, eo animo & consilio, vt ipsam vrbem aliquo singulari detrimento afficeret. Verùm, cùm litteris nonnullorum Cæsari fauentium esset commonefactus, ne temerè aliquid aggrederetur, quòd iam ex Senatus decreto maiori ex parte classis esset comparata & instructa, veritus, ne in aliquod periculum incurreret, se Sauonam intra solitas suas munitiones recepit. Et quia classis Cæsarea tunc temporis erat solito longè minor, & planè huiusmodi, vt cum hostili congredi non auderet, ipse, vbi primùm Sauonam delatus est, vnam triremim Pisas imploratum suppetias ablegauit, quæ à Ligure conspecta, tanta celeritate insecuta fuit, vt, licet miris gyris tergiuersari & euadere

Vrbs Victoria à Friderico condita.

Cæsarianorum clades.

euadere conaretur, elabi nequaquã potuerit, sed summa necessitate in continentem impulsa, non ita procul à Varagio oppido, omnibus qui ea deuehebantur, captis, in hostium potestatem deuenit. Interim adornatam Genuæ classem illius Præfectus eduxit, vt Cæsarianam classem Sauonæ stationem habentem adoriretur. Verùm, quòd hostis pro sua veteri consuetudine sese intra vallum & munimenta contineret, ita vt nullis incommodis affici posset, post aliquot excursiones, postliminiò Genuam rediit & classem cũ summa festinatione comparatam exarmarunt. At ciuitate magna annonæ pænuria laborante, Senatus veritus, ne propter vicinam hostilem classem in maiores angustias conijceretur, ad omnem præcidendam ansam decreuit, vt iterum omni studio & diligentia quatuor ac viginti triremes expedirentur, quibus in Galliam Narbonẽsem aliaq; circumuicina loca annonæ subleuandæ & commeatus importandi gratia enauigatũ est. In hoc rerum tractu portus Veneris incolæ haud procul ab eo sinu Neapolitanam triremim conspicati, quæ rectà Sauonam cum nouo militum supplemento contendebat, tanto impetu & apparatu adorti sunt, vt eam expugnauerint, & ceperint, sic, vt præter captiuos, qui supra ducentos fuisse dicuntur, haud exiguam prædam retulerint. Cæsar, statim post acceptam in obsidione Parmensi cladem, veritus, ne in Sicilia, aliisque sui Imperij prouinciis ob rem infeliciter gestam, à Liguribus, quibus cum assiduè bellum gerebat, aliquid incommodi acciperet, omnes inibat rationes, quibus rerum suarum statum componeret, & Ligurum consilia exploraret ac præueniret. Quamobrem cùm nihil ea quidem tempestate, consultius sibi videretur, quàm vt eos domestico bello implicatos, ab omnibus externis expeditionibus retraheret, magna calliditate Lunigiani & Caferoniani agri incolas, simulque Carretinum regulum, ac Vbertum Palauicinum, multosque alios insignes viros, sui nominis studiosos, tantis artibus ac industria aduersus illos concitauit, vt eos inter se non mediocriter committeret. Et quò maioribus eos difficultatibus inuolueret, Neapoli quinque ac viginti nauigiorum supplementum fieri iussit, vt sinus Ligusticus securiùs atque validiùs per Andream Marium sui supremi Præfecti filium infestaretur. Pari diligentia & industria Genuæ allaborabatur, ne aliquid detrimenti à Cæsarianis acciperent. Verùm, quia illis de milite non erat vsq. adeò bene prospectum, Amicum Stregiam, cognomento Porcum, Ioannemque Turchium in agrum Placentinum summa celeritate expediuêre, vt nouo habito descriptoq. delectu, militem, ceteraque ad bellum opportuna cõscriberent ac præpararent. Quo facto, omnia loca finitima, quæ hostilibus iniurijs exposita erant, acri & validõ præsidio cõmuniuerunt. Et quia exules, qui Gibellinam factionem sequebantur, indies in gratiam Cæsaris aliquid contra patriam moliebantur, & indigenas ad defectionem subinde sollicitabant, Senatus consulto auctoritate Pontificia confirmato, decretum fuit, vt omnia ipsorum bona, & facultates fisco addicerentur, & in publicum ærarium redigerentur, ipsique, ac illorum posteri omnibus dignitatibus publicisque muneribus exuti, proscriberentur. His tantis iniuriis cum grauissimo damno cõiunctis, ipsi supramodum exacerbati, planè effecerunt, vt omnia Reip. machinamenta ac bellici apparatus parum prosperè succederent. Ceterùm, & si clades ad Parmam recepta, fuisset Cæsari omnino grauis & molesta; tantum tamen non potuit, vt animum eius, alioquin infractum & excelsum, prosterneret, vel languefaceret. Nam cùm se videret vndique Pontificiis insidiis ac telis esse expositum, & propter duarum funestarum factionum diuersitatem totam Italiam ad arma esse concitatam, ita vt vtraque factio virtutis gloriæque loco duceret, si ad

Gibellini patria ac bonis multantur.

ostendendum insigne factionis studium maximè in alteros sæuiret; his aliisque de causis cõmotus Cæsar summa cum celeritate reparatis viribus, ipse Parmam, vti ex præcipuis scriptoribus videre licet, ex vna quidem parte ad deditionem

Parmæ deditio.

compulit, ex altera verò duce Encio filio oppugnauit Bononiã; Vmbria enim, & tota ferè Etruria ipsius sequebantur partes, exceptis vnis soliſque Florentinis, apud quos tamen deinceps tantum inualuit Imperatoris auctoritas, vt Guelfos, Pontificiarum partium sectatores & propugnatores, sponte in eius gratiam eiicerent, ipsum tamen in vrbem suam non admitterent. Obsidio Bononiensis hunc ferè exitum habuit, vt Encius ipse ab obsessoribus prœlio superatus, viuus in ho-

Encius Friderici filius à Bononiens. capitur.

stium manus & potestatem deuenerit, apud quos in vinculis post annorum viginti duram captiuitatem, vt monumentum, quod adhuc Bononiæ extat, testatur, mortuus est. Cæsar, intellecta filij captiuitate, & improspero rerum ad Bononiam gestarum successu, videnſque se non solum ab amicis, quorum ferè voluntas cum fortuna mutatur, sed etiam ab ipsa fortuna, qua hactenus prospera & placida vsus fuerat, deseri; prætereaq. non obscurè subodoraretur, vitæ suæ insidias per veneficia aliasque occultas artes strui, in Siciliam reuerti statuit, adeò vt hoc ferè pacto feruentissima bella, quæ diuturno tempore nõ modò ipsam Italiam, sed totam ferè Europam miris calamitatibus inuoluerant, breui temporis tractu consopirentur & extinguerentur. Florebat eadem tempestate hac in Rep. magis solito Fliscorum gens, cùm summis per se opibus, tum etiam longè maiori quàm antea auctoritate subnixa, propter Innocentium quartum recèns ex sua familia in nouum Pont. creatum, ita vt cùm summum ferè rerum omnium arbitrium atque potestas penes eos esset, factum fuerit, vt propter affinitatem, quę sibi cum aduersæ factionis patriciis eo tempore à Senatu, vti demonstrauimus, proscriptis & pro hostibus iudicatis, non paruæ simultates atque odia enascerentur; quæ cùm indies diuersis modis & studiis alerẽtur, aliquandò in maximam Reip. perniciem eruptura videbãtur. His vt maturè obuiam iretur, & ne vlterius tacita contagione serperẽt, à Senatu summa cum diligentia, interposita sua auctoritate, sic planè allaboratum fuit, vt reconciliatis animis, in pristinam & mutuam gratiam redirent. Et quia illorum qui Gibellinæ factionis erant, bona fisco adiudicata diximus, Senatus huius controuersiæ iudicium atque arbitrium Pontifici ipsi permisit, de cuius postmodum voluntate & interceſſione proscripti exules patriæ pristinisque suis fortunis restituti sunt, accepta non exigua ex publico ærario pecuniarum summa; quòd se quererentur, multis incommodis ac detrimẽtis, durante bello, fuisse à suis affectos. Hoc modo veteres istæ ac diuturnæ controuersiæ, quæ publicam tranquillitatem non parum interruperant, ad tempus consopitæ atque compositæ. His rebus ita per Liguriam cõstitutis, Fridericus, cùm in Siciliam, vti meminimus, proficiscì vellet, in itinere ardentissima febre ex propinato, vti ferunt, veneno correptus, in arce quadam Apuliæ, vulgò Firenzola, vitam cum meliore cõmutauit. De genere mortis multi scriptores inter se variant. Maior tamen pars huc decurrit, vt affirment, Manfredum eius filium spurium, ex eadem Blanca Marchionissa Montisferrati, cuius superius mentionem habuimus, genitum, Tarenti Principem, & Siciliæ regem designatum, cùm medicorum diligentia vis veneni retusa aliquantulum & debilitata, non leuem spem de conualescentia præbuisset, tanta fuisse impietate ac inhumanitate, vt iniecto in os paternum sacrilegis manibus puluino, eum suffocasse, imitatum, vti puto, Caium Caligulam, qui Tiberium Cæsarem simili mortis genere, vt refert Suetonius, sustulit. Fato autem concessit Idibus Decembris anno à partu virginis supra millesimum

Proscripti exules patriæ restituuntur.

Friderici Imp. mors, et ingenium.

lesimum ducentesimũ quinquagesimo, à mũdi verò initio, quinquies millesimo ducẽtesimo duodecimo, ætatis suæ anno LIIII. Imperij XXXIII. Cadauer eius Panormũ transtulit Archiepiscopus Panormitanus, & sepulchro ibidẽ porphyretico cõdidit, licet aliqui existimẽt, Manfredũ, suspicionis à se remouendæ causa, id procurasse. Hic fuit exitus Friderici secundi, Principis summis illis omniũ temporũ heroibus annumerandi; qui cũ virtute & gloria bellica eruditionẽ coniunxerunt. Ingenio siquidem tanto fuit, vt, præter patriam linguam, Germanicã scilicet, plũrimas alias exactissimè didicerit, Latinam nempè, Græcam, Saracenicã, Gallicam, Italicam, & in singulis Philosophiæ partibus non tantùm rudimenta degustauerit, sed fontes ipsos introspexerit, & exhauserit: virosque doctos tanto in honore ac pretio habuit, vt de horum consiliis ac sententiis pleraque tempore pacis & belli instituerit, administrauerit, & in controuersiis pronunciauerit. Multa sapienter in imperio constituit cum de feudorum vsibus, tum alia, quæ XI. capitibus distincta, Codici Iustiniani sunt inserta. Et ne videretur ociosè, vel frigidè literas & studia tractasse, Neapoli Academiam condidit, & alibi, antè constitutas, exornauit & amplificauit. Hactenus plæclara eius instituta, & eximias virtutes recensuimus. Ingenij mores omittendos minimè existimo. Animo itaque fuit magno & excelso, inque periculis intrepido, in vtraque fortuna constans & moderatus. In prœlio acer, ac prouidus, manu pariter & consilio promptus, ac singularis munificentiæ. Has tamen egregias animi & corporis dotes, vti plerumque in maximis etiam Principibus vsu euenire consueuit, contaminarunt & obscurarunt, nempe sæuitia, qua, præsertim ætate iam ingraescẽte, promiscuè in plurimos vsus est, licet priùs à crudelitate alieniissimus videretur: ideoque potius aduersariorum pertinaciæ, atque hostilibus insidiis, quibus vndiquaque impetebatur, quàm eius naturæ hoc asscribendum censent; & libido immensa, qua ita flagrasse dicitur, vt præter gentis morem & consuetudinem, multas pellices apud se aleret ac foueret. Et hæc summatim de hoc præstantissimo Principe nũc dixisse sufficiat. Friderici subsecuta mors videbatur effeciisse, vt Italia diuturnis bellis fessa, atque variis calamitatibus oppressa, aliquantulum respiraret, & aliqua pristinæ tranquillitatis species non immeritò speraretur; Quandoquidem Pontifex, sublato tanto aduersario, facilè nemine resistente, partes suas tuebatur. Et Ligures domesticis ac externis bellis non parum defatigati, nihil, præter otium & quietem, optabant. Proinde, reconciliatis populis, qui ab eis desciuerant, atque in fidem reuocatis iis regulis, quibus cum, præteritis temporibus amicitia & necessitudo intercedebat, ab omni solicitudine liberati maiori ex parte videbantur. Restabant Sauonenses, qui soli digni censebantur, in quos aliquid durius statueretur, cùm ipsi statim ab huius belli initio Cæsaris fidem & studia essent secuti: sed cùm post longam consultationem, & variarum sententiarum rogationem Patrum consilia in hoc prorsus consentirent, vt ad remouendam omnem vlterioris belli ansam, aliquid temporum condicioni esset remittendum, omnium præteritarum rerum culpam sempiterna obliuione delendam esse duxerunt, ita me hercle, vt anno eiusdem sæculi vno & quinquagesimo, condonatis præcedentibus erratis, ipsi pristino suo iuri restituerentur, & deinceps pro ciuibus Genuensibus haberentur. Pari liberalitate & humanitate, cum plerisque ceteris Ligustici nominis hostibus actum fuit. Vt verò hæc Reip. tranquillitas multo plenior & cumulatior esset, accessit renouatio pacis cum Venetis, cum quibus, tametsi iam per multos annos nullũ omninò bellum intercesserat, cùm tamen postremæ reconciliationis terminus effluxisset, eius instaurandæ gratia mutuas vtrinque lega-

Friderici secundi natura & ingenium.

Genuensium clementia erga Sauonenses ac cæteros qui ab eorum fide recesserant.

legationes habuerunt, & Veneti Senatus nomine Petrus Gradinicus & Iacobus Didorus oratores fuerunt. Genuenſium autem, Hugo Fliſcus, & Guido Spinula, deſtinati ſunt; quorum ſingulari prudentia effectum eſt, vt in portu Veneris, vbi ex mutua conſenſione ſimul conuenerant, indutiæ in decennium conſtituerentur. In hac incredibili totius Italiæ lætitia, Pontifex Lugduno Maſſiliam, indeque Genuam ſecunda nauigatione præteruectus eſt, vbi eò amplioribus honoribus à Senatu atque ordinibus exceptus eſt, quo magis tum temporis Reſpub. ab omnibus ciuilibus ac externis bellis tandem conquieuerat, adeò certè, vt in eo excipiendo nihil omninò prætermiſſum fuerit, quod ad regium ſplendorem & magnificentiam ſpectaret. Inde, paucis diebus interiectis, Mediolanum conceſſit, vt eam vrbem, & Inſubriæ populos in Eccleſiæ Romanæ obſequio ac fide conſtabiliret: mox Peruſiam profectus, ibi aliquantiſper ſubſtitit, donec ſcilicet audita Conradi filij Friderici Cæſaris, cuius proximè mentionem fecimus, morte, cõtractis tumultuariis aliquot copiis, quibus ex lectiſſima equeſtri nobilitate Neapolitana Duces præpoſuit, Neapolim venit; vbi à Manfredo Tarenti Principe, ac omnibus fermè totius regni proceribus honorificentiſſimè exceptus eſt: breuique temporis interuallo multas vrbes atque oppida Pontificiæ ditioni ac imperio adiecit. Ceterùm hæc tantarum rerum inchoata, & procul dubiò ad optatum exitum perducenda initia, tantæque gloriæ curſus, immaturo ac repentino eius obitu interruptus eſt. Nam paucis pòſt diebus, fatis conceſſit, anno ſalutis poſt milleſimum ducenteſimum quinquageſimo quarto, menſe Ianuario, & Neapoli in Metropolitana Eccleſia, poſteaquam rebus ſacris ſummа cum dignitate vndecim annos & dimidium præfuiſſet, tumulatus eſt.

Pacis renouatio cum Venetis per decennium.

Innocentius Pont. Genuam proficiſcitur.

Eiuſdem obitus.

DE

DE BELLO VENETO

LIBER I.

HIs bellis, quæ à populo Genuẽsi cùm in Asia, tum in Europa diuersis quidem temporibus gesta sunt, ac præcipuè aduersus Pisanos, priuata quadam inuidia ipsorũ potentiæ ac virtutis æmulos, explicatis, ordo nunc exigere videtur, vt his etiam, quæ inter eosdem ac Venetos prœlia contigêre, annectantur, dum vterq. populus pari æmulatione & studiosæ cõtentionis ardore incitatus, maris imperium sibi ambitiosè & assiduè vendicare conatur. Cum his vtiq. non minus quàm cum priori hoste, vario & ancipiti euentu, sæpe ac diu decertatum est, adeò vt difficile pronũciatu sit, penes quos minori cum periculo, vel dispendio, victoria crebrior constiterit, præsertim cùm sæpe alternatis fortunæ ictus ambæ partes expertæ fuerint, quippè quibus, Clodia capta, diuturnaque, & arcta obsidione circumsessis, ac veluti faucibus oppressis, necessitas expresserit, conditiones pacis à Genuensibus bello tum quidem superioribus, ac tanquam victoribus, suppliciter petere. Priusquam verò hæc narrare incipiam, sermone paulò altiùs repetito, breuiter ostendam, vnde primùm odiorum simultatumque semina emanauerint, & longa postmodum propagine progressa, originem traxerint: quo facto, deinceps ad instituti operis enarrationem oratio relabetur. Innocentio huius nominis tertio Romæ supremum Pontificatum gerente, Balduinus Flandriæ Comes, cum plerisque proceribus atque dynastis, & inter ceteros quidem cum Ludouico Blesensi, Henrico D. Pauli & Ioanne Brennæ Comitibus, Bonifacio Marchione Monferratensi, & Ludouico Allobrogum Duce, societatem ac fœdus contraxit, eo consilio, vt in Asiam traijcerent, suasq. cõmunes vires in Turcas conuerterent. Verùm quia intelligebant, in ea expeditione Venetorũ operam sibi maximo adiumento, planeque necessariam futuram esse: cum eis deiciendo fœdere cõmunicatis consiliis decreuerũt, ita vt ipsis postea in amicitiam & rerum communionem acceptis, certis sub condicionibus inter eos transactum & pactum sit, vt inter reliqua, quæcumque ex hoste loca occuparent, dimidium Venetis rata portione cederet. Quibus rebus ipsi contenti, ex communi Patrum Senatusque decreto classis instructa est: quæ, vt aliquorum Annales referunt, ducẽtarum & quadraginta nauium, & sexaginta triremium, maximo bellico apparatu instructarum, adiectis septuaginta onerariis, & centum viginti anciliis fuit: sic enim Veneti nauigia conuehendis equis opportuna, Græci vernaculo gentis idiomate Hippagones vocant. Et ne tam præpotens classis suo duce carêret, Senatus Venetus ad suam dignitatem mirum in modum pertinere arbitratus, si illi Ducem & Imperatorem imponeret, qui tanto imperio sustinendo par esset & idoneus; Henricum Dandalum omniũ iudicio dignum iudicarũt, qui huic oneri par, ac tam arduæ prouinciæ capax destinaretur. Per idem ferè tempus, Byzantij Andronico Comnæno sæuissimo tyranno crudeliter interfecto, Isaatius Angelus è gente Comnæna, qui Angeli vocabantur cognomine, (nam reliqua Comnænorum stirps iam extincta erat) vir summæ iustitiæ ac æquitatis, necnon Christiani nominis amantissimus, ex communi omnium procerum consensu Cæsar designatus est. Hic, vbi aliquamdiu feliciter imperasset, à fratre Alexio, qui erat minor natu, non minus crudeliter, quàm perfidè, luminibus orbatus, & in vincula

Balduini Flãdriæ Comitis Constantinopolitana expeditio.

Eiusdem fœdus cum Venetis.

Potentissima Venetorum classis.

Isaatius Angelus à fratre Alexio in vincula conijcitur.

cula coniectus est, vbi tam diu detentus fuit, quoad filius Alexius, qui Gallorum ac Venetorum auxilium supplex & gemebundus implorauerat, patrem precibus lacrymisque tandem obtinuit, sed carcere post diuturnam captiuitatem eductus, longo nidore tristissimæque custodiæ situ mirificè debilitatus, licet pristinam libertatem recuperasset, accedente tamen grauis aëris intemperie, paucis diebus in morbum incidit, pauloque postea extinctus est, adeò vt post breuem temporis decursum ob insignes tum animi corporisque dotes, tum verò præcipuè ob præclaram in patrem ostẽsam atq. probatam pietatem, communibus votis Cæsar expeteretur, & Gallorum Venetorumque armis suffragantibus, Imperator diceretur, cum quibus, in perpetuum beneuolentiæ & amicitiæ argumentum, fœdus antea sanciuerat, ea certè condicione, vt Patriarcha Byzantinus Romano Pont. tanquam maiori parêret, & damna Francis Venetisque illata, prima quaque data occasione, rependeret atq. sarciret. Qui cùm rerum quas promiserat, satageret, datamque fidem liberare enixè contenderet, à Murziphilo quodam viro ignobili, ac de mediæ plebis fece, à plerisque Myrtilo vocato, paulò antè ad summum dignitatis gradum à demortuo Cæsare deuecto, cuique vt tutori res suas omnes vitamque concrediderat, admodum adolescens, vtpote qui vix ex epheobis excesserat, mense post restitutionem vix exacto, per fraudem & dolum innocenter & inhumaniter enectus est. Intereà verò Murziphilus imperio per vim ac sæuitiam occupato, vrbeque Byzantio amissa, cùm intempesta nocte cum vxore & pellicibus ac thesauro clàm aufugeret, paulò pòst celeri nauigatione in Peloponnesum delatus, Constantinopolim retractus, postremùm verò, postquam ibi nonnihil substitisset, per insidias captus est, atque per summam ignominiam & cruciatus miserè, vt par erat, interijt. Erutis enim oculis, & in accliuem locum deductus, ex eminenti saxo in præcipitium, Romano quodammodò more, datus est, dudumque, volutato prius ipsius cadauere, per omne ludibrij & cõtumeliarum genus, non antea cessatum fuit, quàm per frusta discerperetur, vindicibus ipsis diis, qui malè partum imperium pessimo fine infaustoque exitu obsignarunt. Vrbs tandem post duodeseptuaginta dierum perpessam obsidionem, à Gallis Venetisque recepta, vbi in potestatem redacta est, quindecim viri creati sunt, quibus Cæsaris eligendi facultas permitteretur, ea condicione, vt si Gallicæ nationis Augustus crearetur, Veneti darent quem ipsi vellent suæ gentis Antistitem. Veneti ex electorũ numero quinos dedêre, & D. Pauli Comites totidem, suffragiis summaque cõcordia Balduinus ex Belgio oriundus, Imperator, & Thomas Maurocenus ex Venetis, Antistes vrbis designantur; qui postea Balduinum Cæsarem diademate ceterisque insignibus Augustalibus exornauit. Hoc autem imperium Galli annos circiter septuaginta, siue, vt aliis videtur, sexaginta tres retinuerunt, scilicet vsque ad vltimum Balduinum, quasi fato euenisset, vt quemadmodum à Balduino auspicia regni cœpissent, sic in Balduino, Græcis, duce Michaële Palæologo, statum pristinum recuperantibus, conciderent. In hoc autem Palæologo duæ præclarissimæ domus Constantinopolitanæ, Lascarorum scilicet, & Palæologorum, commixtæ, diuersa fortuna, altera defecit, altera verò ad summum felicitatis gradum euecta est, & vsq. ad Constantinum octauum & vltimum eius familiæ floruit, ad annum videlicet supra millesimũ quadringentesimũ quinquagesimum tertium, eaque ex Italia, adeoque Viterbo ipso, Etruriæ ciuitate haud sanè ignobili, quæ olim Veiusa nuncupata, tanquàm trium vrbium septa vel mœnia in se complectens, originem traxisse, nonnullis placet, & continuata

Isaaci filius Cæsar renuntiatur.

Idem à Murziphilo interficitur.

Murziphili cades.

Byzantiũ à Christianis receptum.

Balduinus rex Cõstantinopolis designatur.

Græci, duce Michaële Palæologo, imperium recuperant.

Palæologorũ familia vnde genus traxerit.

tinuata quadam serie ex hac Cæsares imperio Constantinopolitano dati sunt, annis circiter centum nonaginta quatuor, donec tandem refrigescente pristina illa virtute pietateque Christiana, omnia segnitie quadam & diuersis studiis in deterius labi cœperint, sic vt florentissimum Græcorum imperium in Turcorum manus & potestatem deueniret, anno prædicto, quarto Cal. Iunij, quo tempore incidit clades Constantinopolis, postquam hoc vetustissimum imperium mille cētum ac nonaginta amplius annis incolume stetisset: cuius certè maxima inclinatio potissimùm sub Nicolao V. Romano Pont. & Friderico tertio rerum potiente facta est. Vt autem hoc imperium à Constantino Magno, Helena matre genito, qui hanc vrbem è ruderibus & nobilissimæ antiquitatis fragmentis planè nouam refecerat, miroque ornatu extruxerat, initium habuit; sic sanè in Constantino octauo, cui mater fuit eiusdem nominis Helena, desijt: quod quidem videtur non carere admiratione, præsertim cùm fatali quadam vi vnius imperij ortus & interitus sub duorum Principum longa temporum serie inter se distinctorum, cognominibus matribus inciperet ac interiret. Balduinus, Gallicis, Venetisque armis recepto Byzantio, ac deinde omnibus aliis locis eius imperij, exceptâ Hadrianopoli, in suam ditionem redactis, omnes insulas quæ in Ionio & Ægæo mari continebantur, Venetis ex fœdere adiudicauit. Cùm autem Creta insula Bonifacio Montferratensi ab Alexio paulò antè attributa esset, Balduinus ad semouendam litem, planeque tollendam omnem contentionem, vtque sociis pacta rata essent, & ex fide persoluerentur, Bonifacium Thessaliæ regem declarauit: insulaque Venetis tradita, qui eius loco ingentem auri vim, atque amplissima munera ipsi Montferratensi tradiderunt. Ceterùm anno milleſimo ducentesimo sexto, Henricus cognomento Pistator, Malliacæ oræ Princeps, hanc Venetis ademptam, suo imperio adiecit. Qua iniuria ipsi supramodum concitati, protinus validissimam classem ad eam recuperandam ductu & auspiciis Reinerij Danduli emiserunt. Qui primo appulsu Candiam, vrbem hodiè celebertimam, ac totius insulæ caput, & velut emporium, recepit, & mox pleraque alia oppida & arces pari fortunæ successu recuperauit. Malliacus interea, cùm se Venetis aduersarijs longè inferiorem animaduerteret, ita vt facilè superari, & ad internecionem deleri posset, Arnaldum Balduinum Genuam ad opem implorandam destinauit. Patres, audita legatione, de sua gloria, simulque socij & confœderati, ac etiam de se in Syracusana expeditione, sicuti antea retulimus, quàm optimè meriti, salute ac dignitate non parùm solliciti, ac valdè verentes, ne hoc modo bellum cum Venetorum satisfactione & gloria in Asiæ partibus restingueretur, quò illorum aduersarium in spem bene gerendæ rei erigerent, ipsum aliquot nauigijs subsidiarijs instruxerunt, & adiuuarũt; quorum præsidio innixus, continuò Venetæ classis Præfectum adortus est, eo quidem exitu, vt tandem ex hoste insignem victoriam retulerit, adeò vt præter ceteros, ipsemet nauarchus in eius potestatem deuenerit, quem dicunt, paucis pòst diebus, in carcere, vbi asseruabatur, extinctum, licet à quibusdam in litteras relatum sit, ipsum, dum strenui militis & magnanimi ducis munia exequitur, telo transfixum, atque ita è viuis subtractum esse. At Veneti, quibus pertinaci animi decreto etiam cum summo vitæ fortunarumque omnium dispendio constitutum erat, mordicus illam insulam ad extremum vsque vitæ spiritum retinere, rursus præpotentem classem coëgerunt, atque armarunt; cuius ope, haud multò pòst, quæcumque prius bello amiserant, strenuè armis recuperarunt, & Malliacum, quem norant, multorum Procerum gratia & beneuolentia sibi comparata, indies nouis turbis populum,

Clades Constãtinopolis.

Creta insula à Balduino Venetis tradita.

1206.

Bellum inter Venetos, & Henricum Malliacæ oræ Principem.

Malliaci ob victoria aduersus Venetos.

Eiusdem clades.

pulum, ſuapte natura ad ſeditionem nouaque ſtudia pronum, ad defectionem ſollicitare, hoſtiliter inſecuti, extremam eius perniciem atq. excidium omnibus modis & rationibus procurabant. Ipſe verò tametſi animo erat infracto ac excelſo, nihilominus tamen priuatis ſuis viribus prorſus diffidens, anno ſupra milleſimum ducenteſimum decimo Genuam auxilia imploratum venit, eumq. Reſpub. Senatuſconſulto tanquam ſocium & veterem amicum, non ſolùm ampliſſimis honoribus excepit, ſed etiam tempore tam neceſſario contra tam potentem hoſtem armis aliiſque rebus ad bellum neceſſariis fouendum ſibi ſtatuit. Quod nemini mirum videri debet, cùm hic populus ſemper fuerit adeò humanus & hoſpitalis, vt quotieſcumque vſus ferret, nulla habita ſumptuum, vel periculorum ratione, ſocios & confœderatos conſtantiſſima cum fide ſemper iuuerit. Accedebat etiam ad Senatus priſtinam beneuolentiam artificioſa atque diſerta Malliaci oratio, quam in ipſo Senatu locupletiſſimam, atque grauiſſimis innixam rationibus habuiſſe fama eſt. Oſtendebat enim, quibus potiſſimùm mediis Venetorum potentiam in Syria labefactari, & Barbarorum imperium, quod indies magis atque magis ex noſtris diſſenſionibus creſcebat & dilatabatur, excindi poſſet, adeò profectò, vt Senatus eius verbis haud mediocrem fidem haberet. Porrò cùm non futiles vel ſteriles adferret rationes, ſed de re tanta grauiter atque diſertè diſſereret, facilè intellexêre Patres, cum quanto Reipub. ſuæ diſpendio ac detrimento Veneti in partibus Orientalibus, opibus atque potentia præualerent. Hæc & ſimilia ab eo allata, ſapienterq. diſputata, non parùm commouebant Senatum vt illi ſuppetias decerneret, ſic vt ipſum laudatũ, & bono animo eſſe iuſſum, honorificè dimiſerint. Ceterùm bello cum Piſanis renouato, Pontifex per ſuos internuntios apud vtramque Rempub. anxiè procurabat, vt conſtitutæ pacis memores, quietem publicam non perturbarent. Qua de cauſa Senatus Genuenſis, ne temeritate aliqua peccaret, néue Pontificis animum ad pacem publicam cuſtodiendam intentum, aliquo pacto irritaret, operæpretium ſe facturum exiſtimauit, ſi, priuſquam Malliacus ſociis armis inſtrueretur, legationem miſſa, Venetorum animos pertentaret, atque illos ad pacem adhortaretur. Poſtquam igitur Oratores, qui ad illorum conſilia & ſententiam explorandum delegati erant, reuerſi ſunt, Venetorum animos ita ab omnibus pacis condicionibus abhorrere dixerunt, vt præ nimia impotentia quadam animi ſibi temperare nequiuerint, quin manifeſta ſigna implacabilis aduerſus Genuenſes odij apertè præberent, adeò vt Senatus, intellecta illorum peruicacia, neutiquam Malliacum deferendũ eſſe ſtatuerit. Quin potiùs, nulla mora interpoſita, ipſum octo triremibus & quatuor nauibus, omnibus rebus ad eam militiam pertinentibus quàm optimè inſtructis ac præparatis, adiuuit, ſic vt Malliacus Genuenſi præſidio firmatus, atrociſſimum bellum in Venetos reſtaurauerit. Huius rei fama vbi primùm ad eos perlata eſt, Senatus conſulto habito, ſumma celeritate Ioannes Triuiſanus cum nouem nauibus omni bellico apparatu exornatis, ad eius conatus inhibendos amandatus eſt. Porrò ex hac Genuenſium erga Malliacum propenſione, ac præſtitis auxiliis, initium atque originem habuerunt funeſtiſſima & cruentiſſima illa bella, quæ deinceps inter vtramque gentem variis temporibus cum maximo vtriuſque detrimento & calamitate ſubſecuta fuerunt: & ita quidem veteres Genuenſium Annales referunt. At Venetarum rerum ſcriptores, in primis verò Sabellicus, iſtæc diuerſa narratione commemorant, atque aiunt, mutuæ diſcordiæ atque diſſenſionis cauſam ex ſola imperij æmulatione ortam eſſe, adeò vt Ligures, ex quo Creta inſula Veneto nomini ceſſerat, nunquam cogitare

Malliacus Genuam proficiſcitur.

Exemplum ſingularis humanitatis.

Genuenſ. legatio ad Venetos.

Genuenſ. Malliaco ſuppetias ferunt.

Initium & origo belli inter Genuenſ. ac Venetos.

gitare destiterint, quibus artibus ac studiis Venetos ex illius possessione deturbarent; vixque illam per suæ gentis homines Veneto præsidio firmatam fuisse, cùm ipsi aliquot ad id nauibus instructis, eò ablegatis, & in his Leone Ventrano rei maritimæ peritissimo, qui cùm largitione, tum variis pollicitationibus prouincialium animos ad se pellicere tentaret. Hunc autem in sinu Hadriatico interceptum, statim Corcyram perductum, ibique ignominiosa morte, quippe cui laqueo gula perfracta sit, extremoque supplicio affectum. At Genuenses ad eam iniuriam vlciscendam, vtque insula commodiùs atque faciliùs potirentur, Malliacum ad eam inuadendam perpulisse, ipsumque Ligusticis opibus fretum, vniuersam insulam debellasse ac in suam potestatem redegisse, indeque postmodum hostilibus animis omnia inter eos gesta, donec tandem Veneti eam receperint, & mox, vt insulares in fide atque obsequio retinerent, ipsos sub Petro Ciano, qui Dandulo in Principatu successerat, noua præsidia & colonias, equitibus ex patriciorum ordine, peditibus verò è plebe selectis, quibus eius insulæ status constabiliretur, ad illum firmandum transmittendas curasse. Hoste nihilominùs summa contentione ac pertinacia suos conatus prosequente, quamplurima damna vltrò citroque illata fuêre. Vtcumque autem sese res habeat, hoc satis ex omnium veterum monumentis constat, ob res Cretenses animos vtrimque supramodum irritatos, nec multò pòst, acerrimis odiis ad arma decursum. In hoc rerum tractu qui Genuæ vtilitati publicæ fauebant, cum Venetis agendum censebant. Prætor enim, multiq. alij nobiles viri, sapientia & consilij grauitate præstantes, magnas & probabiles afferebant rationes, quibus ostendebant, omninò ex vsu Reipub. esse, vt honestis cõdicionibus cum Venetis transigeretur. Minimè enim indecorum sibi videri, vt qui priores iniuriam intulissent, eos etiam primos essequi pacem & reconciliationẽ efflagitarent. Qua in re cùm diuersis sententiis in Senatu certaretur, vicit tamen ea pars quæ Venetos ad concordiam flectendos diceret: huiusque rei gratia, anno eiusdem sæculi XIII. Vbertum Spinulam, & Lanfrancum Rossum celebres viros, cum amplissima auctoritate ad eos misere. Quorum quidem singulari industria & rerum tractandarum peritia effectum est, vt tametsi pax tam repentino tempore ob multas, easque quidem graues, difficultates coire non posset, indutiæ tamen ad triennium agitarentur. In quibus inter cetera cautum fuit, vt Henricus, cognomento Pistator, Malliacæ oræ Princeps, cuius aliàs mentionem fecimus, tanquam Reip. Ligusticæ socius in his indutiis comprehenderetur, & vt merces paulò antè ab ipsis Venetis in partibus Orientalibus ademptæ, citra aliquam recusationem vel fraudem suis dominis redderentur, sicuti etiam postmodum contigit. Ceterùm indutiæ cum Venetis, vti diximus, transactæ, vix finitæ erant, cùm hi, moræ impatientes, atque nocendi cupiditate vltra modũ inflammati, associatis sibi aliquot Pisanis, Hellespontiacum sinum cum nonnullis nauigiis egressi, aliquot Ligusticas naues mercibus onustas, ac domum properantes, occuparunt, & subinde Genuensibus omnibus viribus ac studiis noua damna atque detrimenta inferre non desistebant. Quod sanè cũm præter decorum Veneti nominis fieret, vtpote indutiarum tempore nondum elapso, Respub., vti par erat, has nouas iniurias quàm ægerrimè ferebat; ideoque summa celeritate, vt hostilibus conatibus maturè obuiam procederet, rem naualem expediuit. At Veneti cùm viderent sibi aditum ad nocendum esse maiori ex parte interceptum, socios & cõfœderatos Reip. infestare & inquietare non destiterunt. Proximè namque præteritis diebus nauem, ac duas triremes Alemani Constæ Syracusani Comitis, & Ligurum beneficiarij,

Leonis Ventrani mors.

Creta Venetorum colonia.

1213. *Alia Genuens. legatio ad Venetos.*

Indutiæ inter Venetos ac Genuens.

Alemanus Cõsta à Venetis captus.

in mari Cretico interceperant; in quibus cùm ipse Consta esset, & sese occulere, vel ementito habitu effugium quærere vellet, ab eis deprehensus, Venetias perductus fuit, atque ab eis malè mulctatus, sic mediusfidius, vt Ligures, hac potissimùm recenti iniuria extimulati, & ad necessariam defensionem prouocati, quò commodiùs hostiles conatus atque ausus prohiberent, Senatusconsulto decretũ sit; vt classis peropportuna, & reprimendis hostilibus iniuriis sufficiens & idonea adornaretur: Pontificis tamen interuentu, quem nil harũ rerũ latebat, ab instituto retracti fuerunt. Ipse enim, euocatis vtriusque Reipub. legatis Parmam, circa annum ferè millesimum ducentesimum duodeuigesimum, mẽse Martio, grauibus ostensis rationibus, suaque interposita auctoritate, tantũ valuit, vt vtrumque populum ad arma flagranter proruentem, in hanc sententiam pertraxerit, vt indutiæ inter eos ad decennium vsque constituerentur: quæ sanè vt integræ ac inuiolatæ permanerent, & vtrimque cõseruarentur, sub anathematis comminatione vtrimque iniunxit, ne interea temporis vis vlla quoquomodo ab alterutro fieret, sed ab omnibus hostilibus conatibus, dolis, atque studiis, domi vel foris abstineretur. Harum verò indutiarum tanta vis extitit, vt inter vtramque gentem ab hoc tempore, vsque in annum eiusdem æui duodesexagesimum, nullum omnino bellum intercesserit. Nam licet, post aliquot annorum volumina, ob mutuas quasdam dissensiones ac simultates parum abfuerit, quin ad arma concurreretur; nihilominus tamen Pontificis interuentu & auctoritate anno trigesimo octauo pacis renouatio subsecuta est, quæ postmodum vsque ad annum octauũ & quinquagesimum, vti diximus, firma atque illæsa permansit. Cùm autem illud pacti temporis spatium iam effluxisset, summo vtriusque partis studio & ardore maximus belli apparatus vndiq. conquisitus est, adeò certè, vt abiecta omni spe pacis, bellum in propinquo viderent. Proinde in tanta rerum omnium ibi perturbatione, Gregorius IX. qui inter ceteros Christianæ pietatis principes Asiaticã expeditionem mirum in modũ vrgebat, cùm has nouas turbas mirificè suis studiis, cõsiliisque aduersari animaduerteret, hoc vnũ dabat operã, vt consopitis omnibus controuersiis, ac reconciliatis animis, ad mutuã concordiam & gratiam redirent. Id verò vt commodius & minori cũ labore ac tẽporis iactura perficeretur, vtriusque Reip. decertantis Legatos Romam euocauit, & in primis quidem Genuensium nomine illuc profecti sunt Petrus Ventus, & Gulielmus Embriacus. Verùm enimuerò cùm rerum summæ viderentur esse huiusmodi, vt non citra grauem disceptationem, & exactam quandam consultationem expediri possent, conuocatis de more Patribus, Legati vtriusque partis postquam seorsum Pontificis animum intellexissent, summa fide & diligentia in ipso Patrum purpuratorum conspectu ostenderunt, quantum Reip. Christianæ interesset, si de communi consilio Pontificisque summa auctoritate, depositis armis, pax iterum introduci & stabiliri posset: quorum sanè orationis grauitate & belli periculo commoti ipsi purpurati, in primis verò Pontifex, communicatis consiliis, adhibitisque sollemnibus de more cærimonijs, nouas indutias certis quibusdam conditionibus sub annum salutis supra millesimum ducentesimum trigesimum septimum fecerunt, & Senatusconsulto sanxerunt, sic vt reuersis ad partes legatis, pacatis rebus, dudum tranquillitate fruerentur. Et licet multæ adessent causæ, quæ in disceptationem & controuersiam deduci potuissent; tamen nullæ verisimiliores & probabiliores tunc temporis ab vtraque parte ostendebãtur, quàm quòd vtraque Resp. sese negotiis Græci Imperatoris immisceret: vnde certè fiebat, vt inter ipsos haud leues suspiciones orirentur, & postmodum graues simul-

1218.

Decennales indutiæ inter Venetos ac Genuens.

Nouæ indutiæ inter Ligures ac Venetos.

1237.

tates

tates ac bella ingruerent. Quocirca ex vnanimi voluntate atque consensu inter eos constitutum est, vt neutra earum in posterum sine alterius consensu cum ipso Principe vlla consilia iniret, & siue de pace, siue de bello secũ ageretur, id citra mutuum consilium neutiquam fieri posset: eoque consecuti sunt, vt longo temporis spatio ab armis vtrimque supersederetur. Et quò renouatæ amicitiæ maius argumentum extaret, mutuo decreto sancitum est, vt in ipsorum nauigiis vtraque pars alterius vexilla erigere obligaretur. Cùm verò post aliquot annorum decursum, harum indutiarum terminus finiretur, vtriusque partis studio de perpetuandæ amicitiæ pacisque rationibus summa fide & diligentia allaboratum est: in cuius rei gratiam anno eiusdem sæculi LI. oratores vtrimque mitti placuit, Petrum Gradenicum, Iacobum Didorum, Hugonem Fliscum, & Guidonem Spinulam: quorum duo priores à Venetis, postremi verò à Genuensibus stabant. qui simul ac opportunis ventis in portũ Veneris delati sunt, cõuocato cõcilio, ita inter eos conuentum & transactum est, vt decennales indutiæ, præstito vtrimque sollemni iureiurando, certa etiam sub pacificationis forma, constituerentur: quæ nescio qua fatali vi ante præfixi temporis spatium violatæ fuerunt; quippe quæ vix ad sexennium ratæ constiterint. Cuius quidem violatæ pacis tempore nouæ simultates, vt plerumque fieri solet, ac inde noua iurgia & factiones, non solùm in nostris oris, verùm etiam sub remotissimi cæli climate, noua studia & commotiones excitatæ sunt, adeò vt totum planè terrarum orbem præpeditum & perplexum mirum in modum tenerent. Nam cùm mare à myoparonibus aliisque piratis indies magis atque magis ob diuersa studia infestaretur, factum fuit, vt cum summa omnium negotiantiũ iactura extremisque periculis merces exoticæ ad nos traducerentur; & si quæ, vt in commutatione rerum fieri consueuit, ad exteras, planeque à nobis semotas gentes mercimonia deferebãtur, impunè quodammodò ab istis cursoribus & maris velitibus interciperentur. Ceterùm, quò magis elucescat, quánam potissimum ratione effectum fuerit, vt tandem commotiones & turbæ præter omnium bonorum expectationem emergerẽt, lateque patentem postmodum campum occuparent; non alienum à nostro instituto fuerit, breuiter edocere, à quibus initiis tantum incendium tamdiu latè grassatum & peruagatum, originẽ traxerit. Duo erant totius Asiæ celeberrima emporia, quæ ob rerum omnium abundantiam & facultatem cæteris longè antecellebant: sed cùm in diuersorum Principum essent potestate, factum fuit, vt, propter mutuæ potentiæ æmulationem, summas dissensiones atque conturbationes darent. Damiata enim Ægypti, florentissima ciuitas, ab ipsis barbaris sub ditione tenebatur; Christiani autem Ptolemaide potiebantur, cuius quidem vires & potentia ex ruinis Palæstinæ creuerant: Amissis enim Hierosolymis, sedes regia omniumque Asiaticarum Christianarum opum aceruus in hanc vrbem, ceu firmissimam tutissimamque rupem, translata fuerunt, ita vt esset omnium propemodum nationum, & prẽsertim Latinarum receptaculum & domicilium, eò magis, quòd tempore pacis, vel indutiarum, nulla esset natio tam barbara, vel peregrina, quin hanc vrbem, mutandarum mercium gratia, non inuiseret & frequentaret; quippe cùm in tantarum variarum gentium concursu, Æthiopes, Arabesque, propter locorum vicinitatem, magna copia indies eò confluerent & cõmigrarent: ficque factum, vt ex hac vrbe, ceu ex omnium rerũ foro venalitio, omnis generis merces postmodum ad Genuenses ac Venetos cõmoda nauigatione exportarentur. Galli postquam potiti essent sacro regno, ac eius possessionem tranquillam retinerent, magnos, vti superius demonstrauimus, honores Venetis, nec certè in-

Pax cum Venetis firmata 1251.

Bellum renouatũ, anno 1258.

Causa multorum bellorum inter Genuenses, Venetos ac Pisanos.

Ptolemais celeberrimũ Christianorũ emporium.

feriores Genuensibus ob eorũ præclara facta, contulêre; sic sanè, vt Venetos dignos iudicarent, quorum nomini tertiam vrbium partẽ attribuerẽt: cuius honoris & liberalitatis parẽ rationem cũ Pisanis ac Genuensibus habuêre, ac per multas ætates constantissimè retinuerunt. Succedente tempore, rebusque Orientalibus diutina tranquillitate mirum in modum florentibus, cùm ad Iolen, Brenni Hierosolymitani regis vnicam relictam filiam, & hæredem, auitum imperium, atque adeò regnum ipsum Hierosolymorum esset deuolutum, cùm illa propter summas opes lateque amplam ditionem, ramaque corporis atque animi pulchritudinem, à multis præclaris Principibus mirificè ambiretur & in matrimonium expeteretur, in tam magna dignissimorum & lectissimorum Principum inter se riualium frequentia atq. concursu, Fridericus Augustus secundus, præcæteris dignus, vt par erat, visus, cui coniugali vinculo necteretur. Nam licet essent plures qui forsitan iuuenta, vel corporis maiestate illi essent pares, vel etiam superiores; nemo tamen videbatur esse, qui tam ingentis atq. ardui momenti regnum rege orbatum, ac ipse, melius tueretur & protegeret, cuiusue viribus magis esset fidendum & standum. Philippus interea à Monteforti cõmunibus Principum suffragiis Ptolemaidis Prætor delectus fuit, conciliante sibi hanc gratiam antiquæ familiæ gloria, quæ summos bello duces summa cum felicitate totius Christiani Imperij progenuerat, omnemque ipsam Asiam, & Europam periculosissimis bellis flagrantem, ab ipsa quodammodò internecione liberauerat. Quamobrem non mirum, si in tanta bonorum Principum & Ducum frequentia, hic vnus ceteris longè fauore & gloria præiret. Accedebat huc, quòd Brenna noua sponsa, Simoni Monteforti propter regis Angli sororem huic desponsatam, affinitate esset coniuncta, nimirum communi vtriusque Anglicæ stirpis confinio; nam Brenna ipsa ex Anglis materno genere orta, ipsum Montefortem propinqua affinitate contingebat. Interea temporis, proceribus Christiani orbis plerisque in locis propter dominia & prærogatiuas inter se decertãtibus, etiam inter ipsos Venetos & Genuenses perpetua vtriusque gentis æmulatione, nouum bellum exarsit; & dum quisque sibi studet maritimarum rerum gloriam laudemq. vendicare, multos Principes in diuersa, vt fit, studia deduxerunt, adeò vt Philippus, cuius nunc proximè mentionem habuimus, Genuensibus sese propensiorem atq. æquiorem ostenderet; licet vterque populus sub eius prætura in Ptolemaide suos apparitores, propria iudicia & tribunalia, ex quibus ius & leges diceret, aream-que suam priuatam haberet; quandoquidem cùm inter eos subinde variis de causis, iisdemque ferè inanibus atque profanis, exorirentur contentiones, postmodum euênit, vt de sacris scilicet oriretur contentio; hanc potissimùm ob causam. Erat in ipsa vrbe ædes D. Sabæ sacra, cuius septum atque aditum vterque populus sibi promiscuè attribuebant, tam magna cum æmulatione & studio, vt sæpius inter eos propter prærogatiuam, etiam in ipso templi aditu orirentur altercationes atq. dissidia, hinc iurgia & rixæ; & inde pedetentim, vt fieri solet, ad arma deuentum; tantisper tamen temperatum, donec Alexander quartus, qui rerum sacrarum Romæ potiebatur, pro ea quam in vtramque gentem, atque adeò in omnem Christianum orbem sibi vendicabat potestate, suo censeret decreto, fanum illud in altercationem deductum, debere deinceps, vt antea, vtrique genti citra aliquam nouam controuersiam esse commune. At Genuenses cùm pro antiquo suo more celeritatem adiungerent, Venetos ipsos præuenientes, fanum occupant, ac illius septa & aditus vndique instar iustæ arcis præmuniunt, propugnaculis, telis, tormentis, aliisque instrumentis bellicis instruunt, Philippo ipso

Philippus à Monteforti præficitur Ptolemaidi.

Contentio inter Ligures ac Venetos, etiam de sacris rebus.

ipso non solummodò in re tanta conniuente, verumetiam, vt multi præclari viri sentiunt, clancularių subsidium subministrante, tanta certè cum perturbatione, vt distracta ipsa ciuitate in duas factiones & studia, Veneta nauigia omnia quæ tunc in portu ad ancoram cõsistebant, quamprimùm abruptis rudentibus, incisisque omnibus impedimentis, in altum deferrentur, veriti ne repentino aliquo incursu à parte æmula, vel ab ipsis oppidanis opprimerentur: quod quidem eo animo & consilio faciebant, vt prima quaque data occasione, acceptum incommodum illatamq. iniuriam strenuè vlciscerentur. Proinde partim quatuordecim triremium, partim longarum nauium (vulgò Galeatias vocant) egregiè instructarum classem expediunt: quam sanè classem dudum in Tyro vrbe celeberrima exornarant; licet sint aliqui, qui illam Venetiis fuisse instructam, atque Laurentij Theupuli ductu recèns emissam velint. Paucis diebus interpositis, Ptolemaidem, secunda nauigatione vsi, peruenêre. Sed postquam portus conspectui obuersarentur, vbi intrandi potestatem sibi interceptam intelligunt, hac & illac in ipsius vrbis faucibus circumuagantes, hoc vnum præstare nitebãtur, vt catena illa qua portus aditus recludebatur, refracta, per vim in portum ipsum deueherentur: quod cùm semel atque iterum pertentassent, tãdem felici fortuna vsi, in portum penetrant, ac in eum summam impressionem faciunt, eo successu, vt duas triremes & viginti tres onerarias naues Liguscas, quæ tum temporis in littore morabantur, diriperent, atque gubernaculis, aliisque instrumentis omnibus spoliatis & circumcisis, subiecta flamma, omnes ad vnum incendio absumerent. Fanum etiam eodẽ fermè temporis puncto summa celeritate inuadunt, & qua parte à Genuensibus munitum erat, diruunt & radicitus demoliuntur. At Ligures graui cum gemitu, necnon minore cum magna omnium animi consternatione tantam cladem præter spem intuentes, indignitate rei ipsius magis irritati, quàm territi, eueſtigiò summo cum ardore ad arma concurrunt, sublatisque vocibus, dirum frementes, impetum in eos Venetos qui ibi paulò antè cum Pisanis fœdus icerant, tanta cum animi alacritate fecêre, vt magna eorum pars caderet, misereq. deperiret. nec antea à cæde & strage temperatum, quàm inimicorum sanguine viderentur quodammodò exatiati, adeò profectò, vt teterrimam ciuitati ipsi propter fœdum iacentium cadauerum aceruum, formam & imaginem inducerent. Cuius facti fama cùm locis circumuicinis peruagatis, etiam Genuam delata esset, confestim Patres conscripti in curiam conuocati, expositisque per legatos rebus in Ptolemaide gestis, ex communibus Ordinum tribuumque suffragiis & consiliis, constituti fuerunt viri, quorum auctoritate & diligentia ex publico ærario quadraginta nauigia bellica instruerentur, quorum pars triremes, pars verò onerariæ naues essent: quæ quidẽ cum summa celeritate exstructæ, omnique apparatu bellico exornatæ, quamprimùm in altum deductæ sunt. Verùm incommoda nauigatione propter diram & sæuam maris tempestatem repentè exortam, vsi, longa velificatione inter procellosos fluctus magno cum periculo transcurrentes, dissipata classe, quatuor sese Liguriam versus recipere coactæ sunt: reliquæ verò aduersis ventis & fluctibus reluctantes, summa cum difficultate iter institutum prosecutæ, sic tamen, vt infra paucorum dierum spatium in Tyri portum illæsæ & incolumes peruenerint. Quod postquam Veneti resciuerunt, nihil reliqui ad summam diligẽtiam fecêre, quin Ptolemaide classem vndeviginti nauigiorum educerent, eo certè consilio, vt Ligurem vbicumque sese obuium daret, inuaderent, summoque cum animi ardore adorirentur. Itaque haud ita diu incassum hostem expectantes, non longè à Tyri oppidi conspectu circa

Genuensium clades.

ipsum quodammodò littus in Genuensium classem inciderat, & cùm tanta animi concitatione,ac rei naualis dexteritate ipsam aggressi sunt, vt quamprimùm tres Ligusticas occuparent, & cum innumerabili omnis generis præda iterum postliminiò, vnde paulò antè soluissent, reuerterent. His rebus eo quo diximus modo gestis,indies magis atque magis vterque populus exacerbari,nouaque spe subinde ad meliorem fortunam aspirare & attolli, indeque nihil pensi habere, nisi quæ ad apparatum bellicum spectarent, adeò vt summa cum pertinacia, vltimoque voluntatis decreto ad arma vndique conclamaretur. Nec minori cum ardore & diligentia Genuæ tum tẽporis certabatur; Nam reliquis nauigiis tum ad ancoram, & in portu existentibus, ac ad omnem belli & pacis vsum paratis atque instructis, quinque & viginti triremes additæ & associatæ sunt, eo certè consilio, vt prima opportunitate in Syriam transfretarent, ibiq. sese ceteræ classi cõiungerent,ac toti classi Rossium Turcium, ex antiqua Turciorũ familia oriundum, cum imperio imposuêre. Cùm itaque ipsius Rossij auspiciis classis Genua in Tyrum salua & incolumis peruenisset, reliquæ parti,à nauali pugna elapsæ,sese addidit & coniunxit; renouatisque viribus,atque omnibus rebus opportunis instructus, pridiè diei D. Ioanni sacræ, nono scilicet Cal. Iulij, non longè à portu Ptolemaidis, Rossius Genuensium classem hosti ipsi ostendit, eo decreto & animo, vt cum ipso confligeret. Verùm cùm Veneti non auderent,nisi exploratis aduersariorum viribus, classem suam educere, aliquámue aleam belli subire; factum fuit, vt diem integrum Ligustica classis in ancoris consisteret,missis subinde speculatoriis scaphis leuibusque nauigiis, quæ de rebus Venetis cognoscerent ac explorarent. Proinde cùm Venetus de Genuensium apparatu esset cõmonefactus, cum Pisanis, aliisque gentibus negotiationis studio Ptolemaidi agentibus fœdus ac societatem icit,classeque comparata, quæ amplius, vt dicunt, octoginta nauigiorum omnis generis numerum excedebat, in eo littore sese pacifico tranquilloque similem continebat, ita vt negotiatores Ligures, qui longa iam consuetudine & commercio ciues vrbis facti, vel saltem ciuitate donati essent,sese domi suæ, licet in tam magna omnium rerum perturbatione continere non dubitauerint. Nam tametsi ab vtraque parte ancipiti & planè diuerso Marte iam sæpe antè esset pugnatum, nunquam tamen adduci poterant, vt relictis suis domibus, vrbem ipsam desererent; sed in præsidium tutelamque sui, domos suas, instar artium & propugnaculorum, clàm cõmuniuerant,ea spe,vt ad omnẽ repẽtinum & inopinatum casum haud imparati essent, coque certè maiori cum alacritate, quo certiùs indies Genua subsidia expectabantur: qua accessione putabant fieri posse, vt non solùm hostilibus conatibus sese facilè opponerent, verumetiam accepta incommoda sarcirent,probeque vlciscerentur. Veneti interea, classem Ligusticam illi littori diutius quàm antea arbitrati erant,inhærẽtem conspicati, proxima luce nauigia sua ducibus Andrea Zeno & Laurentio Theupulo è portu educunt, vt consertis manibus, de summa rei periclitarentur. Itaque vbi inuicem in conspectum venêre, summa ducum vtriusque partis audacia,reique militaris peritia,cum summo ardore & festinatione expedita arma fuêre,militesque per foros triremium & nauigiorum armis conspicui, egregiè & ordinatè dispositi, ac tanta me herclè cum alacritate ad manus vtrimque ventum est, vt dudum ambiguo Marte conflictum fuerit. Tanta siquidem fuit trierarcharum auctoritas, & rei bellicæ experientia, vt singuli manipuli sese ad exemplar suorum ducum componerent, hostique fortiter atque intrepidè obijcerent: sed protracta iam pugna, res Genuensium aliquantulum inclinare, victoriamque Veneti sibi polliceri

Rossius Turcius

Naualis conflictus.

polliceri audere, præsertim quòd Pisanorum opibus accessione iuuarentur, adeò profectò, vt horum potissimùm opera Genuenses ipsi non solùm inferiores euaderent, sed multam stragem perpessi, parum abfuerit, quin in ea pugna viginti quinque triremibus amissis, funditus ad internecionem cum magno omnium Venetorum & Veneti nominis sociorum gaudio delerentur. Quo sanè contigit, vt Ligures, re infeliciter gesta, salutis potiorem partem in subita fuga reponerent; mutatoque cursu, priorem nauigationem remensi, se cum reliquis copiis & nauigiis Tyrum receperint. Ceterùm, quanquam hæc victoria Venetis læta & fausta supramodum fuit, ac inde omnis alea futuri belli potissima ex parte pendere videretur, nihilominùs tamen tantum abfuit, vt Venetorum animos suapte natura ad iram & vindictam pronos expleuerit, vt etiam hoc quasi irritamento, ad maiora odia prouocati sint: nimirum qui hoc funesto Genuensium casu non contenti, perpetuis vigiliis in illorum perniciem dies noctesque excubabant, ac omnem ferè sæuitiæ modum excedentes, fœdè in Ptolemaide & in aliis plerisque locis debacchabãtur, ita vt omnium Genuensium ciuium priuatas fortunas inuaderent, ac in priuatas opes, si quæ recõditæ & occultæ fortè essent, inquirerent, ac tandem, post longam & curiosam inquisitionem diriperent, & occuparent, tanta sanè cum animi incandescentia & inflammatione, vt etiam negotiatorum horrea, præcones, apparitores, ceteraque pristinæ fortunæ ornamenta, ad illam diem illæsa & integra existentia, penitus tollerent atq. euerterent, nõ sine summo omnium Christianorum Principum dolore & gemitu; quorum nonnulli ex hoc duarum potentium gentium inter se æmularum certamine, humanarum rerum cursum fortunæque instabilitatem primùm agnoscere, deinde propter ambitionis atque diuitiarum auidam cõsectationem, humani ingenij inexplebilem sitim & auaritiam magna ex parte damnare didicêre. Nam, cùm Genuensium Resp. domi foriſque omnibus belli & pacis artibus, non solùm diu incolumis & quieta stetisset, verumetiam (prout in bene instituta & morata ciuitate fieri consueuit) latè in Syriam ipsam vsque dominationẽ & opes extulisset, post hanc cladem mirum in modũ labefactata, mirificè languere, deinde cũ summa omniũ, præsertim potentium iactura & dispendio, valdè imminui cœpit, eo cum maiori detrimento, quòd (vt in rebus perplexis & trepidis vsu venire solet) multi ex sociis amicitiæ vinculo inuicem ligatis, à societate discedere, & sese sensim ab antiquo fœderis iure subducere, hac potissimùm de causa, cœperint; qui omninò si in fide (prout debebant) permansissent, res hæc, licet per se grauis & immensa, non erat tamen per se tanti, vt tantam ac tam potentem Remp. tam citò, & quasi temporis momento, ita grauiter afflixisset. Verùm, cùm in rebus humanis nihil sit solidũ, nihil denique simplex, non ita mediusfidius mirandum, si in magna Reip. alicuius rei conturbatione, interdum etiam prudentissimis & sapientissimis quibusque sana consilia eripiantur, fatalique quadam vi extorqueantur, quibus procul dubio si locus relinqueretur, sæpe præstantissimæ ciuitates ab interitu conseruatæ, quamdiutissimè in florentissimo statu constitissent. Proinde cùm in hoc Genuensium populo alternantis fortunæ cursus sæpè omnium oculis obuersatus fuerit; non mirum, si tum potissimum temporis ex hac occasione summam conuersionem senserint, præsertim cùm propter assidua bella ærarium publicum valdè esset exhaustum & imminutum, adeò vt summa necessitate adducti, operæpretium existimarent, si ad Lucensium sinum, quorum beneuolentiam & integritatem sępius temporibus dubiis & difficillimis perspexerant, confugerent; & ab his subsidiariam certam pecuniæ summam, præsentibus rebus summoperè necess-

Genuenses infeliciter pugnant.

Genuenses Lucensium opem implorant.

neceſſariam,mutuò ſumerent atq.rogarent.In cuius rei gratiam lecti aliquot viri, qui communi Genuenſis populi nomine præſens periculum apud illum Senatum exponerent, ac veteris vtriuſque gentis commercia & amicitiæ iura commemorarẽt, à quibus certè nullam paſſi repulſam,omnibus rebus neceſſariis adiuti, ac pro præſentis temporis conditione,quoad eius fieri licuit,inſtructi fuêre. Interim Alexandro quarto Romæ ſacris præſidente,ab omnibus quodãmodo Chriſtiani orbis Principibus ſeriò elaboratum fuit, vt inter vtrumque populum ſubinde leuiſſimis quibuſque de cauſis inter ſe altercantem,miraſque turbas cum magna totius Chriſtianæ religionis iactura dantem , auctoritate potiſſimum ipſius Romani Antiſtitis,reconciliatis ad concordiam animis, contentio omnis tolleretur,ac ad certum amicitiæ fœdus & inuiolabile pacis vinculum denuò deuocaretur, non abhorrentibus vtriuſque Reip. Senatus animis,quippè cùm vterque hac potiſſimum de cauſa ad ipſum Pont. qui paulo antea Roma Viterbium commigrarat, ipſo auctore ſplendidam legationem miſiſſet. Genuenſium itaq. nomine Lucas Grimaldus, Perciualis Auria, Vbertus Paſius, & Hugo Fliſcus oratores miſſi ſunt: Senatus verò Venetus Reip.ſuæ nomine Ioannem Canalem, Philippum Sturlatum & Andream Zenum ablegauit,qui poſt honorificam coram ipſo Pontifice, ac in magna purpuratorum aliorumque nobilium corona concionem habitam,quiſque per ſe Reip. ſuæ ſtatum ac dignitatem mirificè tuebatur & commendabat,tanta equidem cum inuidia & æmulatione, vt aliquæ inter ipſos legatos (dum inuicem cedere nolunt) orirentur diſſenſiones, quæ adeò extitêre graues, vt niſi auctoritate Romanæ aulæ,& poſt haud exigui temporis interuallum tolli & conſopiri nequiuerint, cùm ægrè & valde difficulter ipſi legati in pacis formulam ab ipſo ſacro ordine propoſitam pedibus ire, & iurare vellent. Indutiæ tamen inter eos, auctoritate potiſſimum Pontificis, tranſactæ fuêre ; quibus inter cetera cautum expreſsè fuit, vt Ligures præcedenti bello cum Venetis,vti oſtendimus,in Syria geſto inferiores,ac illius de cauſa multas & graues calamitates perpeſſi,iterum ad conſueta commercia, & negotiationes pro priſtino ſuo iure redirent, ac intermiſſam Orientis nauigationẽ denuò pro veteri conſuetudine repeterent,& pro arbitrio exercerent . Cuius quidem funeſtiſſimi belli inter hos duos populos, diuerſis quidem temporibus , in Aſia geſti magnitudinem hinc deprehendere licet, quòd tametſi in ipſo Chriſtiano orbe multa fuerint retroactis temporibus inter varios populos & Reges grauiſſima certamina, exitioſaque multarum vrbium diſtractiones atque diſſidia, nihilominus tamen hactenus nullum bellum cum euidentiore, ac planè certiore Chriſtiani nominis periculo pernicieque geſtum fuerit . Quippe cùm inter cetera mala quibus Europam ipſam miſerè afflixit ac diuexauit,initium & quaſi primam ſcaturiginẽ calamitoſiſſimi illius belli attulerit,quod deinceps Latinorũ cauſa inter Græcos & Barbaros diu ancipiti Marte in pleriſque locis geſtum fuit, adeò vt tandem acciſis & profligatis ſupramodum Græcorum rebus, Imperioq. Orientali indies magis atque magis propter bellorum multitudinem & diuturnitatem inclinante, parum vel nihil abfuerit, quin harum duarum gentium continuis controuerſiis prorſus ad internecionem illud deletum atque extinctum à barbaris fuerit. Porrò cùm ſumma contentione vtriuſque gentis , vt antè diximus, de maris imperio ageretur,facile fuit,Græcos proceres,in tanta Italicarum gentium altercatione, aduerſus noſtros impellere atque concitare : qui poſtmodum amplam occaſionem nacti, crebris excurſionibus noſtros infeſtare & exhaurire, opeſque ſuas priuatas mirum in modum extendere ac dilatare cœpere : vti ſanè

Indutiæ inter Ligures ac Venetos.

eui-

euidenti ac manifesto exemplo declarabimus. Balduinus siquidem secundus, prævalentibus sensim Græcorum armis, & Michaële Palæologo summis viribus iunixo, in fines suos proprios redire, seque cum multis aliis Dynastis & Principibus sibi fœdere vel amicitiæ iure cõiunctis, in turpem fugam vertere coactus est, sic vt Græci statum pristinum maiori ex parte recuperantes, ipsum ad hanc necessitatem redegerint, vt neque domi, vel foris satis se tutum vel securum crederet, vrgẽte illum, vti arbitror, prorsus fatali necessitate, nimirum, vt quem, externam vim anxia contentione declinantem, domesticæ insidiæ, atque seruiles, vt aiunt, fraudes oppresserint, imperio à Michaële Palæologo, ingentis spiritus viro, acerrimoq. copiarum duce, Theodoro Lascaro Græcorum imperio potiente, occupato, cui, præter alias iuris rationes, etiam affinitate coniunctus erat: Designatus enim erat à Ioanne Bataza per tabulas testamentarias huius tutor. Verùm Palæologus contra fidem datam, atque omnium gentium mores, pessimo & inaudito ad id ferè temporis in ea familia exemplo, pupillum ipsum imperij gubernaculis destinatum, sublatis etiam prius ipsius fratribus, interficiendum crudelissimè curauit, imperiumq. per vim & summum scelus occupatum, ad se transtulit, ac inter cetera, à quibus regni sui nefarij primordia auspicatus est, Guilelmum quendam Gallicum, Achaiæ & Bithyniæ Principem, regno deturbauit, diuq. in vinculis asseruatum, ac tandem Adrianopolim perductum, ibidem in arctiori custodia tantisper retinuit, donec Maluasiam Peloponnesi castrum munitissimum, sibi traderet, cuius deditione facta, carceribus liberatus est. Qua victoria Palæologus elatus, confestim Balduinum in Græciæ oris latitantem, & subinde subsidia Principum implorantem, magna vi adortus fuit. Cuius quidem copiis cùm Balduinus se longè imparem & inferiorem videret, non expectato consertæ manus tempore, ad Pontici maris angustias, ad quas omne robur copiarũ, rendæ deductis ab omnibus vrbibus præsidiis, transportarat, celerrimè aufugit. Huius turpis fugæ ignominia effecit, vt quidam ex Græcis proceribus, Gallici nominis pertæsi, per clandestinos cum ipso Palæologo internuncios agerent, vt intempesta nocte ad certam horam illi assignatam, instructis copiis, adesse velit, vrbemq. ipsam Constantinopolim citra alicuius certaminis periculum, & planè absque aliquo strepitu recipiat. Quod cùm minimè neglexisset, ac intelligeret, quantæ dignitatis accessione ex hoc nouo facinore augeretur, si nullis interpositis moris, hanc leuissimæ gentis voluntatem non refrigêre pateretur, cæsis vigilibus, ac ducentis proditoribus, qui repentino quodam motu ad arma, (vt in tanta cõsternatione fieri solet) conclamauerant, vrbem ipsam, prout pactum erat, obtinuit, anno postquam à Venetis & Gallis fuisset capta, quinquagesimo octauo, vel, vt multis aliis videtur, sexagesimo tertio. Post huius præstantissimæ vrbis nefariam subsecutam seditionem, pari fortuna Pantaleon Iustinianus, vrbis Patriarcha vsus, repentino cursu cum omnibus suis, conuasata prius summa cum diligentia sua supellectile, transfretato Hellesponto, in eum sinum sese recepit qui propter multiplices mæandros Euripi nomen assecutus est. Interea Græci, intellecta Imperatoris sui fœda fuga, deposita omni pristina reuerentia, excussisque omnis obedientiæ frenis, pristinum imperij statum recuperant, ac sese in libertatem vindicant: sed Palæologus Byzantio potitus, ne aliqua in parte humanior, vel benignior videretur, statim sub initio captæ vrbis, pueros nobilissimos, fidei suæ concreditos, immaniter iugulat, ac per omne scelus & cædes turpiter grassatus, magnam præclarissimorum ciuium stragem facit. Nam sibi probè conscius, quòd per vim & fraudem arrepta imperia diu consisterenequeant, hoc vnum agebat,

Græci amissum imperiũ recuperant.

Michaël Palæologus expulso Balduino, potitur Byzãtio.

Exemplum horribilis sæuitiæ.

bat, vt, ſublatis de medio optimis quibuſque, mediam plebem in officio metu tetineret, ipſe tamen interim, quamuis capta vrbe, magnis & perplexis bellis continua quadam ſerie, vltoribus Diis, inuoluebatur; ſiquidem, vt cetera bella breuitatis cauſa hîc ſileam, cum Venetis diu acre & periculoſum prœlium geſſit; à quibus profectò non ſemel ſuperatus fuiſſet, niſi Genuenſium ope adiutus, dudum ancipiti caſu de alea belli cum ſumma totius imperij Græci iactura, periclitari auſus eſſet. Ligures enim ſingulari in Venetos odio, cùm ſibi à Palæologo haud vulgaria beneuolentiæ ſigna oſtendi obſeruaſſent, ad illius animum confirmandum magna prudentia vſi, Guarenum Iudicem, & Gulielmum Vicecomitem ad eum legatos habuêre, qui de fœdere icendo, atque amicitiæ iure agendo, ſeriò Reip. nomine tractarêt, eo ſanè euentu, vt Cæſar ipſe, ad deuinciendum ſibi Genuenſem populum ſuapte natura ad magna contendentem, & maioribus ſemper aſpirantem, Smyrnam, Aſiæ vrbem, atque etiam vt à pleriſque aliis hiſtorica fide traditum inuenio, Chium, Ægæi maris inſulam, Saches Turcis vocatam, ſumma liberalitate contulerit: cuius quidem beneficiis deuincti, vt & ipſi viciſſim aliquid conferrent, néue ſeſe liberalitate à Græco ſuperari paterentur, claſſe atque omnibus opibus difficillimis quibuſque temporibus contra ipſos Venetos, adeoque aduerſus omnes eius hoſtes, non citra grauem Reip. Genuenſis iacturam haud rarò ipſum tutati ſunt, refragante huic illorũ inſtituto mirum in modum Vrbano quarto Pont. Alexandri ſucceſſore; qui valde Genuenſium ſtudia, hac quidem in parte, improbabat & damnabat, ita vt eos etiam anathematis fulmine deterrere, ac poſtmodum omnibus diris & imprecationibus ab hoc fœdere abducere ſæpius conatus fuerit; licet nunquam tanta terriculamenta inijceret, vt eos ab inſtituta amicitia & ſocietate retrahere potuerit, non ſine magna quidem gentis conſtantia, quæ patriæ charitatem atque imperij amplitudinem longè pluris, quàm omnes Pontificias comminationes facere iam longo vſu didicerat. Hæc ferè ad annum ſupra milleſimum ducenteſimum ſexageſimum contigêre. Subſecutis deinde annis, pari pertinacia Genuenſes in hac Græcorum amicitia atque fœdere contra omnium Principum Chriſtianorum voluntatem permanſêre, tanta certè alacritate, & animorum propenſione, vt in ampliſſimo Genuenſis Reip. Senatu, conuocatis de more in curiam tribubus & decuriis, Senatuſconſulto decretum ſit, vt ſex naues, ac decem triremes ſubſidiariæ omnibus inſtrumentis bellicis & militari apparatu inſtructæ, ipſi Palæologo ſub auſpiciis Martini Buccanigræ, magni tum temporis apud eos nominis & auctoritatis, quàm celerrimè tranſmitterentur. Poſt hæc anno eiuſdem æui ſexageſimo ſecundo, decem triremes in Venetos, cõtra quos iam bellum inſtauratum fuerat, ſub Othouenti præfectura atque imperio emiſſæ. Qui adornata iam claſſe, ad primum ſecundi venti flatum nauigationem inſtituit, & Byzantium verſus curſum tenuit. Cumque eſſet in conſpectu Helleſponti, non procul ab eo ſinu qui propter vtriuſque ripæ anguſtias Boſporus vocatur, in nauem Venetam multis pretioſis mercibus refertam, & ad Abydum vſque progreſſam, ac Conſtantinopolim feſtinantem, incidit, quam etiam omnibus viribus expugnatam intercepit. Verùm, cùm huius funeſti belli exitus, quicumque etiam fuiſſet ſucceſſus, cum Reip. Chriſtianæ pernicie coniunctus ab omnibus ſapientibus iudicaretur, ideoque Pontifex vereretur, ne (id quod plerumq. fieri ſolet,) ex belli diuturnitate, pernes quemcumque etiam victoria ſtetiſſet, grauia damna toti Chriſtiano orbi incumberent & demanarent; vt his incommodis inſtantibuſque malis obuiam maturè iretur, iterũ ſeriò ab ipſo, ac nõnullis aliis Italiæ Principibus elaboratum fuit,

Fœdus inter Ligures & Palæologum.

Martinus Buccanigra.

fuit, vt honestis propositis vtrique contentiosæ parti pacis cõdicionibus, ad concordiam & vnionem redirẽt. Verùm, licet omnibus viribus & studiis hac in parte instaret, vix tamẽ obtinere potuit, vt ipsi Genuenses in illius gratiã Guidonem Spinulam & Simonem Saluagum legatos, de summa pacis acturos, ad se mitterent: qui post longa in Curia ipsa Romana colloquia & disceptationes, tandem non ita multo pòst, re infecta, ad suos reuersi sunt. Pontifex tamen, tum vt doceret quanto pacis studio teneretur, tum quò vtrumque populum facilius permoueret, oratorem proprium ipsis Genuensibus Legatis adiunxit, Sassari scilicet Antistitem, virum in primis eruditum, & multarum rerum cognitione atque vsu instructum, qui Senatui eius nomine ostenderet, quantis periculis populus Genuensis sese obijceret, si pertinaci quodam animi decreto, solo æmulationis studio bellum in Asia ipsa alerent & fouerent. Ceterùm tanta animorũ omnium fuit distractio, vt neque Pontificius Legatus, neque oratores, qui Roma redierãt, Patrum animos ad pacem inflectere vel aliquo modo emollire potuerint, adeò vt bellum indies sensim vehementius flagraret, ac Veneti non modò Genuenses assiduos & veteres hostes, verum etiã Palęologos ipsos infestissimos habebant, & experiebantur. Et quia ipsi multum præsidij in hoc situm esse putabant, si cõparata classe, hostiũ consilia celeritate præuerterent, summa cõtentione adnisi sunt, vt ea instructa, primũ impetum in Eubœam insulam, vulgò Nigropontũ dictam, facerent; & deinceps cõmutatis subinde portubus, totam illã oram maritimam diuexarunt, quæ mari Ægæo proxima, Asiæ minori adiacet; eiectisque iis qui Græci Imperatoris studia & partes sequebantur, magnam impressionem vbique fecerunt, ita vt etiam Amphesium, Friderici secundi Cæsaris ex Marula, Bonifacij Veronensis filia, nothum, illius insulæ parte auctum & ditatum, pari inclementia & ardore eijcerent. Inde multæ calamitates ortæ, ac subsequentibus temporibus mare ipsum à prædonibus & piratis miserè inquietatum, sic profectò, vt nullibi gentium satis tutò viueretur, cùm scilicet nullæ nauigationes fierent, quæ præsenti periculo carerent, infestis ipsis hostibus omnia circumquaque occupantibus, & citra aliquem locorum, vel personarum delectum deprædantibus. Veneti enim, ne inferiores, vel aliqua ex parte hostium potestati cedere viderentur, tres naues prædandi causa emiserant, quæ totum ipsum Hellespontum, & Propontidem ad Bosphori fauces vsque peruagatæ, adeò liberè grassabantur, vt tanquam extra omne discrimen positæ, de reditu parùm essent sollicitæ. Verùm longè aliter atque existimabant, res accidit; quippe ab ipsis hostibus per insidias circumuentæ, ad vnũ captæ fuerunt, tãta cum strage & inaudita barbarica feritate, vt per exquisita tormenta, & varios cruciatus captiuos sorte ductos, summaque cum inhumanitate inter se partitos, crudeliter iugularẽt atque interficerent. Reliquos, quos Palæologus obtinuerat, miserè excæcatos, ad infelicem & miserrimam vitam reseruauit. His variantibus belli successibus, vtriusque gentis animi adeò fuerunt exacerbati, vt omnes cogitationes pacis abijcerent, ac omnis vitæ præsidia, omniaque pacis & belli ornamenta, in solis victricibus armis domi forisque reponerent, crudeli, vti equidem reor, vtrumque populum extimulante fato, cùm à paruis initiis ita deinceps successu temporis mutuis odiis exarserint, vt in mutuam perniciem perenni cura inuigilarent atque incumberent. Hinc videre licet, quam grauia damna sæpe à leui causa nõ solùm cum dispendio atq. excidio vnius solius gentis vel ciuitatis, verùm cum communi maximarum regionum iactura sæpiùs inferantur, quæ sanè progressu temporis ita inualescunt, vt postmodum nullis consiliis, vel iudicij maturitate tolli, vel superari

Palæologi sæuitia in Venetos.

rari possint, sicuti iam longo vsu & tempore cum manifestis, vt sæpè vidimus, ipsarum regionũ euersionibus obseruauimus. Hæc obiter pro mei iudicij tenuitate adieci & annotaui, ne cùm in statu harum duarũ præclarissimarum rerum publicarum penitiùs intueor, inanimaduertentia quadam, animiq. torpore, alternantis vtriusque fortunæ vices neglexisse videar. Veneti interea, vt ad omnem casum essent instructi & parati, duarum & viginti sex triremium classem duce Gilberto Dandalo instruxêre, atque omnibus apparatibus bellicis eleganter adornatam, extra portum aliquantulum prouectam, toti ciuitati conspiciendá cum summa omniũ ciuium satisfactione præbuêre, acclamantibus omnibus, vt quod faustum & felix esset, pro Reipublicę Venetæ nominis claritate & pristinæ gloriæ incremento gereret ac perpetraret. Itaque arridentibus ventis, fausta omina-tione subsecuta, è conspectu ciuium sensim subducta, ac prospera nauigatione in Asiam delata fuit. Pari diligentia & ardore domi foriſque à Genuensibus elaboratum est, ac eodem fermè temporis puncto classem quinque & viginti triremium, & nonnullorum nauigiorum vehendis militibus mirificè commodorum, magna celeritate & industria eduxerunt: sed Senatui haudquaquam per id tempus consultum videbatur, vt vni soli tam magni momenti classis committeretur. Proinde suffragantibus ipsis Patribus, Petrus Grimaldus, & Peschettus Marocellus, optimè semper de Repub. meriti, cum æquali imperio ipsi classi impositi & præfecti, quorum scilicet opibus non semel Resp. ipsa necessitatis tempore, præsertim in præcedentibus expeditionibus, adiuta & vsa fuerat. Habuit namque inter cetera præclara bene institutæ Reipub. ornamenta, Genuensis populus fatali quadam ratione hanc felicitatem, vt vtroque tempore belli & pacis viros produceret cùm industrios, tum patriæ amantissimos, qui recusatis nullis periculis, nihil non in patriæ gratiam facerent, adeò certè vt laboranti Reipub. & propter assidua bella valdè exhausto & attenuato ærario publico, sæpè à priuatis ciuibus occursum & opitulatum fuerit, tanta sanè prosperitate, & tam immenso Reipub. beneficio, vt, diis ipsis, bonis ciuibus propter spectatam pietatem, & patriæ amorem, gratiam referentibus, non solummodò semper eorum meritis à periculis liberata fuerit, verumetiam recuperato pristino decore, in posterum maiori ferè quàm antea dignitate ac existimatione constiterit atque floruerit. Constitutis igitur omnibus ex sententia rebus, paratisq. ad bellum necessariis, Orientem versus nauigarunt, & non ante classem in portum subduxêre, quàm ad Promontorium, vulgò S. Angeli vocatum, peruenirent. Ibi enim cùm reliquam Iustici nominis & imperij classem, ad ancoram subsistentem, inuenissent, magna cum omniũ gratulatione atque applausu accepti, sese ceteris coniunxerunt, ita vt in hac expeditione classem triginta octo triremium sub imperio haberent. Delectu itaque habito, recensitisque de more militibus, singulis trierarchis imperatum, vt si quæ triremes vel nauigia aliqua sui parte luxata essent, vel minus sincera, eadem summa cum diligentia reficerentur, ne scilicet ad tantam expeditionem, omnemq. belli vsum essent inutilia, vel imparata. Quod postquam actũm ab omnibus effectum & procuratum fuit, sub auroram, propitiantibus ipsis ventis & leuatis ancoris, sublatisque nauticis de more vndique clamoribus, classem eduxerunt, atque Byzantium versus cursum tenuerunt, eo consilio, vt Imperatorem Græcum eo tempore ibi consistentem, omnibus præsidiis & commeatibus iuuarent. Sed vbi primùm extensis velis classis ipsa prospera nauigatione ad vnum ferè diem vsa fuisset, per speculatores ad hoc missos Præfecti ipsi intellexêre, hostilẽ classem non ita longè esse in statione & in procinctu, eo animi decre-

Naualis apparatus Venetorum ac Genuens.

Populi Genuens. felicitas.

decreto, vt ad primam commoditatem Genuensi classi occurreret, & si ita rei opportunitas & temporis condicio ferret, manus conseret, ac vim pararet: super quo nũcio habitis & collatis, vt moris est, in ipsa prætoria triremi sententiis, communibus suffragiis decretum fuit, vt ad omnem casum se paratos & expeditos præberent, ac nulla ratione pugnam defugerent. Verùm, cùm post communicatas sententias non satis bene inter ipsos duces eorumque supremos trierarchos, mutua puto æmulatione concitatos, conueniret, quatuordecim tantummodò triremes ex tota classe electæ fuerunt, quæ à ceteris nauigiis separatæ & distractæ, seorsum cum hoste congrederentur, non absque magno Genuensium detrimento; quorum dissensio effecerit, vt parùm feliciter cum aduersariis, hoc quidem tempore, dimicaretur. Nam cùm ipsi numero & viribus longè Venetis essent inferiores, fieri non potuit, licet summo ardore res ipsa vtrimque gereretur, vt victoria, fortunæque prosperæ successus, penes ipsos staret. Proinde interempto Grimaldo, præfectorum altero, simul fortis ducis ac strenui militis munia grauiter obeunte, quatuor nauibus amissis, ceteræ triremes à prœlio reliquæ, sese in fugam dedêre; quæ tandem in Epidaurensem portum delatæ sunt. Hæc ferè in Ægæo mari ad septem puteos, vt ipsi patrio idiomate appellant, gesta fuerunt. Interea temporis, cùm Ligurum animi hac accepta clade potius exacerbati quàm consternati essent, nihil reliqui ad summam diligentiam fecerũt, quo minus omnem temporis rationem conquirerent, & commoditatem aucuparentur, vt acceptam ignominiam paribus, vel, si possent, maioribus damnis resarcirent: & fortunæ beneficio breui postea factum fuit, vt interceptis quatuor onerariis nauibus Venetis, commeatu atque omni genere mercium onustis, ac in Eubœam insulam velificantibus, priorem iacturam & dolorem magna ex parte mitigarent ac subleuarent. Hæ namque cùm ventis omnibus propter maris malaciam essent destitutæ, efficere non potuêre, vt remigum agilitate & robore sese à Liguſticis triremibus, celeritate mira & opportuno remigio instructis, liberarent: qua de causa cùm sese in summo discrimine & periculo versari intelligerent, vnicam spem omneque vitæ subsidium in fortibus armis reposuêre, eo sanè successu, vt cùm robore minus valerent, facilè in potestatem eorum deuenirent. Ceterùm cùm summa animi vtriusque partis contentione & pertinacia plurimis in locis sæpius concurreretur, & ambiguo Marte decertaretur, plurima proculdubiò vtrimque damna vltro citroque, diuersis quidem tẽporibus, illata fuêre; vicit tamen Genuensium fatum, & Reip. fortunæ genius, vt post exiguum temporis interuallum, ex variis locis & insulis, sub diuersorum ducum & præfectorũ auspicijs, sexaginta Liguſtici nominis & imperij triremes atq. amplius, in eundẽ locum conuenirent, & congregarentur. Verum enimuerò, cùm perniciosissima illa Erinnys, inuidia vocata, ad excidium & euersionem Rerumpublicarum & omnium honestarum actionum nata, etiam indies aliquid noui & sinistri Reip. Genuensi moliretur; factum fuit, vt subinde ipsi duces & præfecti inter se mutuis odiis certantes & flagrantes, Cæsari, rerum difficultatibus omnibus, omniumque rerum pænuria & inopia maximè laboranti, & cui se plurimum debere sæpius confessi erant, in extrema quadam temporis necessitate opem non tulerint: sed funestis in medio rei bene gerendæ cursu odiis inflammati, ac ad otium & torporem conuersi, cum summo dedecore, nec minori nominis Liguſtici ignominia, animis, ibi nulla re præclarè gesta, prorsus elanguerẽt, adeò vt plurimis in patriam suam reuersis, summo vitio & ignominiæ datum fuerit, quòd sese in tantam animorum distractionem deduci passi essent. Nimirum cùm satis omnium militaris

Genuens. clades.

Ligures acceptam cládem vlciscuntur.

Priuatis Genuensium ducũ simultatibus res nauális malè administrata

disciplinæ peritorum iudicio constet, si concordibus animis in hac expeditione rem ipsam administrassent, Venetos cum summo dedecore ad vnum deleri, vel certè magna calamitate à Rep. affici potuisse. Porrò inciso belli neruo, quē semper strenuissimi duces concordiæ vinculo potissimùm contineri iudicarunt, necesse fuit, vt penes Genuenses socordia & ignauia mirum in modum postea cum tam euidenti Liguſtici nominis detrimento peccaretur, vt multis ignominia notatis, pecuniaq. multatis, in non paucos trierarchos, & alios magnæ auctoritatis viros, capitali pœna ad posteritatis exemplum animaduersum sit. Pari seueritate Senatusconsulto lato in ipsum vrbis prætorem ob Remp. segniter anno præcedenti administratam, vsi sunt. His ferè temporibus non solum in ipso Ægæo atque Ionio mari variis conflictibus ac certaminibus sæpius concursum fuit, sed etiam circa insulas finitimas, atque adeò in ipsa Syria, bellum exarsit, Venetis Ptolemaidem, Genuensibus verò Tyrum tenētibus, sic vt quidquid esset per ea loca Christiani nominis, tanquam in duo duarum gentium studia deductum & distractum, non citra Christiani orbis & imperij grauissimam iacturam & impendium, fuerit, crudelissimo interea Turcarum tyranno Mahumete omnia sanguine, cædibus & incendiis polluente, ac præclarissimis quibusque vrbibus in deditionem acceptis, omnia ad vastitatem & solitudinem redigente, conniuentibus, vel potius supinis & altum somnum dormientibus iis Principibus qui ad Christianæ Reip. gubernacula admoti erant. Genuæ etiam noua classis summo studio reparata fuit, vt si quid prioribus bellis esset incommodi acceptum, id iterum ad pristinam dignitatē redigeretur, sic vt breui temporis spatio, totius Reip. consensu duæ maiores onerariæ, & viginti duæ triremes omnibus armamentis instructæ fuerint, ac trium millium & quingentorum lectissimorum militum ex agro Liguſtico habito delectu, numerus sub imperio & auspicio Simonis Grilli conscriptus, cui ex communi Patrum decreto quatuor ciues fide, consilio ac virtute insignes, nempe Rogerius Anconitanus, Ogerius Scottus, Petrus Camilius, & Amichetus Grillus, coniuncti fuerunt, quorum cōsiliis in rebus arduis & quotiescumq. vsus postularet, vteretur. Nec minori diligentia Veneti vsi sunt, quippe cùm ad idem ferè tempus magnam classem instruxerint, & sub præstantissimorum ducum ac præfectorum imperio in Siciliam, vbi hostis tunc stationem habere dicebatur, ablegarint. Verùm, cùm præter spem & opinionem nullum in Sicilia hostem reperirent, confestim mutato cursu in Syriam iter instituerunt, & prospera celeriq́ue nauigatione vsi, non ita procul à Tyro in nauim Genuensem, Oliuam vulgò nuncupatam, omni genere mercium opumq́ue instructissimam, casu quodam inciderunt, quam adorti, facili negotio intercepēre. Quo quidem successu multò ferocior quàm antea factus Venetus, Tyrum obsidione cingere, atque viribus omnibus expugnare in animum induxit. Sed cùm vrbs ipsa non solùm esset arte & natura munita, verùm & summo cum præsidio validoq. milite teneretur, strenuè & diu intrepidè defendebatur, eo tandem successu, vt Venetum dulcis fortunæ beneficio mirum in modum ebrium ac lasciuientem, magnis incommodis afficerent, & ab omni expugnationis spe deiicerent. Siquidem tanta erat animi defensorum constantia & alacritas, vt licet obsidio nondum soluta esset, nihilominus Genuensium præfectus eodem adnauigare statuerit, quò ciuitatem ipsam valdè laborantē, recentibus suis auxiliis obsidione leuaret, hostemq́ue fortiter expelleret. Verùm, cùm iam maiorem partem Tyrrheni maris esset emensus, intellecta decem onerariarū nauium Venetarum nauigatione, quæ mercibus repletæ in Syriam festinare dicebantur, eueſtigiò mutata

Belli nerus concordiæ vinculo continetur.

Noui bellorum apparatus inter Venetos ac Gen.

Nauis Liguſtica intercepta.

Venetus à Tyri obſid. repulſus.

mutata sententia, illas prosequi constituit; quas non antea consecutus est, quàm ad Imperatorem Byzantium, à quo valde expectabatur, vnam ex suis triremibus misisset, ac duabus nauibus & triremibus frumentatum præmissis, ipse cum reliquis suis nauigiis versus Hadriaticum sinum cursum inflexit, & non ita procul à Dyrrhachio prædictis nauibus Venetis occurrit; magnoque in eas impetu facto, vndique obsidet & oppugnat: sed cùm Veneti propter rerum naualium longum vsum & consuetudinem nihil prætermisissent quod ad rem nauticam rebus tam perplexis & dubiis spectaret, nauim speculatoriam præmiserant; qua reuersa, illis nuntiatur, hostem in insidiis delitescere, ac ita paratum & instructum, vt nihil magis quàm illorum aduentũ expectaret atq. expeteret. Quo certè nuncio mirificè perculsi ac trepidi, commutato cursu, proximum portum summa contentione petunt; parteque mercium in continentẽ exposita, sese futuræ pugnæ non citra magnam animi consternationem expediunt, malo me herclè (ita omnium præsagientibus animis) fato. Nam cùm ipsi Veneti nauium numero longè essent inferiores, facilè amissis omnibus ferè nauibus, vnà cum ipsis mercibus in potestatem hostium deuenêre: vna tamen eximiæ magnitudinis nauis multis pretiosis mercibus onusta elapsa est, quæ ventorum & tempestatis beneficio vsa, salua & incolumis in amicum portum (Lumis vulgò vocant) acceptæ scilicet cladis nuncia deuenit. Sunt qui existiment, in hac pugna summa animorum vtriusque partis pertinacia & ardore, ad desperationem vsque dimicatum fuisse, adeò vt certamẽ parum ante Solis occasum inceptum, ferè in mediam vsque noctem protractum & prorogatum sit, donec tandem victoria potitis Liguribus, Veneti ipsi turpiter multati sint. Quibus rebus feliciter gestis, Genuensis nauarchus diuiti & pretiosa præda auctus, se domum recepit. At Veneti, licet grauem iacturam perpessi essent, & magni istarum nauium amissionem facerent; tamen animo infracti, confestim Iacobo Dandalo, summo viro, ad bellum electo, nouam classem instruxêre; cui præfecto circa Ragusium Illyrij oppidum, Marcus Gradonicus pari auctoritate & industria apud Remp. Venetam florens, sese coniunxit, & sociata classe, collatisque in vnum viribus, omnem ferè Siciliæ oram, Eoique & occidui Solis tractum latè circumuecti, tandem tres Liguſticas triremes circa Lilybæum Siciliæ promontorium obuias habuerunt; quibus conspectis, instar rapidorum luporum, ouium grege conspecto gestientium, quamprimum arma expedire iubent, impressioneque facta, modico negotio eas interceperunt, eò certè facilius, quò numero & viribus Genuensibus essent superiores. Nam, vt quorundam annales testantur, classis Veneta duorum & quinquaginta omnis generis nauigiorum erat. sunt multi qui scribant, hunc numerum excessisse. In hac gerendarum rerum diuersitate, & sæuientis fortunæ cursu, à Genuensibus decem triremes sub imperio Simonis Guercij aduersus Venetos paratæ instructæque fuerunt, eodemque tempore ad Tyri Principem, quò illum non solùm sibi deuincirent, sed firmiorem constantioremque in amicitia perpetuò retinerent, ex Senatus decreto Lanfrancus Carmandinus ad ipsum ablegatus fuit. Verumenimuerò, postquam de Venetis apparatibus, atque adeò de nauali expeditione certiores facti sunt, anno supra millesimũ ducentesimum sexagesimo sexto, viginti septem triremium classem duce Lanfranco Borborino emiserunt; cui, delectu prius habito, tres præstantissimos ex præcipua nobilitate viros, ceu indiuiduos comites, & ad omnes fortunæ casus fidissimos consiliarios, videlicet Balduinũ Dietisaluum, Rinaldũ Cebam, & Bonauiũ Comitẽ adhibere placuit. Sunt qui arbitrantur, in hos bellicos vsus ea ferè tẽpestate nauim eximiæ magni-

Venetorum clades.

Tres Liguſticæ triremes à Venetis interceptæ.

1266.

magnitudinis extructam in hac expeditione fuisse, quæ tanquam totius classis armamentarium ad manus esset. Et quoniam Præfectus in Corsicam delatus, hostem cum triginta nauigiis sinum Hadriaticum egressum, & Siciliam versus nauigantem, ab exploratoribus intellexerat, protinus ea, quam diximus, naui, in Cyrno insula ad Bonifacium relicta, eôdem, celeri & perpetuo nauigationis cursu, perrexit, eo quidem consilio, vt cum illo manus consereret, & de belli alea periclitaretur. In Siciliam itaque præteruectus, Venetum inter Drepanum & Mazaram, repentino quodam aduentu nihil minus expectantem, inuênit; licet multi sint qui existiment, vtriusque partis classem in conspectu Drepanitani portus inuicem occurrisse. Ego vt nihil certi hac in re scriptum inuenio, sic sanè nihil veri affirmare ausim. Vtcumque tamen res sese habeat, vel vbi inuicem congressi sint, parum ad rem facit: satis constat, summis viribus ac magna contentione, diuque dubio & ancipiti Marte vtrimque certatum fuisse, adeò vt penes quos victoria ipsa staret, vel quónam fortuna sese magis inclinauerit, difficulter animaduerti potuerit, præsertim cùm æquis viribus, parique quodammodò rei nauali peritia, in Siculorum conspectu res ipsa gereretur, ita certè, vt vterque populus, cùm virtute bellica inuicem non cederet, hoc studeret efficere, vt magis iniquitate fati, quàm propriis hostium virtutibus & viribus superari videretur. Pulchra herclè contentio, & omni laude gloriaque dignissima, cùm nulla maior vis sit ad concitandos animos, aliquo heroico motu præstantes, quàm virtutis æmulatio, & ex æmulatione ardens studium & feruor. Ceterùm, tametsi diu pari quodammodò fortuna & fortitudine res gereretur, ad postremum tamen Venetus superior factus, quatuor & viginti triremibus ab hoste captis, magna cum lætitia & gaudio victor discessit. Quæ reliquæ numero ex Genuensium erant, vel combustæ in ipso prœlio, vel submersæ fuerunt. Duo millia & quingenti capti, mille & ducenti ferro absumpti dicũtur, adeò vt hæc victoria multo sanguine, sudore, extremisq. periculis ab ipsis victoribus redempta videri possit. Sunt verò nonnulli qui memoriæ proditum reliquerint, hanc Genuensium cladem nauarchi temeritati ac imprudentiæ maiori ex parte asscribendam esse: quandoquidem cùm illi propter rei nauticæ naualiscque militiæ disciplinæ opinionem magnus honos haberetur, & in magna existimatione eo potissimum nomine penes ceteros naucleros esset, omnia ex propria voluntate, nõ adhibitis aliis in consilium, administrabat, sic vt quamuis sæpius à consiliariis ceteriscque rei nauticæ peritis, admoneretur, vt relicto littore aliquantulum vlterius in altum pelagus classem duceret & inflecteret, adduci tamen nullius auctoritate potuerit, vt dicto audiés esset, vel saniora consilia sequeretur; at potius pertinacia quadam animi, & philautia deceptus, effecerit, littori inhærendo, vt classis omnis, venti propitij flatu destituta, in aduersam classem incideret, nullaque ratione pugnam detrectare posset, atq. hinc factum esse, vt magna accepta strage & calamitate, parum abfuerit, quin ad internecionem vsque ad vnum omnes contrucidarentur. Non desunt etiam qui præfectum classis Liguscicæ, proditionis insimulent, quasi ipse largitionibus à Veneto corruptus, rem ex industria neglexisset. Aliqui collegarum fidem in dubium & suspicionem vocant, quasi illorum perfidia fuisset commissum, vt nauarchus omnium sanioribus cõsiliis & admonitionibus tam contumaciter reluctaretur. Quidquid fuit, satis liquet, præfectum ipsum Genuam reuersum, in Senatu ad dicendam causam fuisse coactum: qui etsi grauibus & verisimilibus rationibus suam innocentiam probare adniteretur, assequi tamen non potuit, vt omninò ex reis eximeretur. Nihil tamen seuerius, miro Senatus tem-

Nauale cõflictus.

Venetorum ad Drepanũ victoria.

temperamento, in illum, quàm quòd publicatis bonis, & decem millibus librarũ multatus, vrbe excederet, & à Reip. ſtatu exularet, ſtatutum. Magna quoque ſeueritate in ipſos conſiliarios & trierarchos animaduerſum fuiſſe conſtat, adeò vt ad poſteritatis exemplum, & ne deinceps pari imprudentia, perfidiæ non vſque adeò abſimili, peccaretur, néue contumacia & conſiliorum præcipitantia impunitate confirmata videri aliquo modo poſſet, edictum fuerit, vt præter bonorum publicationem, & duarum millium librarum multam, ædes ac ædificia eorum, quorum culpa claſſis in tantum diſcrimen venerat, ſolo æquata, funditus euerterentur. Non citra, me herclè (vt equidem iudico) magnam conſilij & iudicij maturitatem: quia cùm in primis neceſſarium ſit, vt Reipub. munia, ceteræque ciuiles & politicæ functiones magna cum fide & æquitate adminiſtrentur, nihil profectò ad retinendam Reip. ſalutem, vel propaganda imperij alicuius pomœria, vtilius eſſe poteſt, quàm diligenter præcauere, ne in militari diſciplina aliquid committatur eiuſmodi, quod aliqua ratione poſſit ad perfidiam referri, vel negligentia inculpari. Tanta accepta clade, quanquam publicis damnis priuatarumque fortunarum amiſſione mirum in modum omnes commouerentur & indolerent, adeò vt in mæſta vrbe dudum omnibus ſpectaculis, aliiſque ad vitæ humanæ tædia ſubleuanda & temperanda excogitatis remediis abſtineretur, nihilominus tamen paucorum dierum interiectu, omnibus tribubus atq. decurijs more ſollemni in palatium conuocatis, habito Senatu, eueſtigiò conſentientibus omnium animis & ſuffragiis, Senatuſcõſulto ſancitum & decretum fuit, vt ad reparandam Reip. priſtinam dignitatem & potentiam, propter acceptam recentem cladem, nonnihil labefactatam, ad ſui ſuorumque tutelam, viginti quinque, vel, vt nonnullis placet, triginta triremium claſſis ſummis ſtudiis & diligentia compararetur. Qua inſtructa, cùm Senatus nõ parum ambigeret, cui potiſſimùm rei militaris ſumma tutò demandari poſſet, tandem frequentioribus ſuffragiis ſummaque omnium conſenſione Vbertinus Auria, vir ſingulari virtute, rerumque geſtarum gloria illuſtris, & de ipſa patria ântea non ſemel bene meritus, dignus & idoneus iudicatus fuit, cui tantum imperium citra aliquod periculum, vel exiſtimationis iacturam committeretur. *Ligures nouam claſſem duce Vbertino Auria emittunt.*

Qui poſtquam domi res familiares & domeſticas conſtituiſſet, ſumma cum omnium congratulatione, ac fauſta omnia acclamantium, ab ipſis Patribus cum ſummo honore & pompa ad puppim triremis vſque honorificè deductus eſt: eiſque debita cum reuerentia dimiſſis, ac bene ſperare iuſſis, ipſe nulla mora interpoſita, menſe Auguſto eiuſdem anni nauigationem inſtituit, moxque Hadriaticum ſinum præternauigans, aliquot diebus ſubinde mutato curſu, oram illam eliciendi hoſtis gratia legit & circumuagatus eſt. Verùm, cùm ſibi nulla confligendi iuſta acie poteſtas ab hoſte fieret, occupatis & interceptis aliquot paruis eius nauigiis, temerè & inconſultè euagantibus, in Cretam inſulam adnauigauit, ibique Cydonem vrbem, nunc Caneam dictam, à Venetis prius expugnatam, militeque præſidiario firmatam, repentino incurſu, præter ſpem ac opinionem omnium magna cum felicitate, omniumque Genuenſium gaudio, cepit atque diripuit, tanta certè cum vehementia, vt vrbis direptione & ſpoliatione non contentus, in Venetorum odium ac contemptum magna ex parte diruerit, & ab ipſo prætorio non temperarit. Milites enim ſummo ardore concitati, & ob acceptæ cladis memoriam mirificè ferocientes, inhiberi non potuerũt, quin ſubmiſſis facibus, præſtantiſſimas quaſque domos incenderent, eaque parte qua flammis imperuiæ eſſent, vi, admotis harpagonibus, aliiſque inſtru- *Cydon à Genuenſ. expugnata, et direpta.*

mentis, demolirentur & deijcerent, ita vt non solùmodò in ipsa ciuitate, verùm etiam in suburbano agro magna vastitas & solitudo subsecuta sit. Siquidem ferè trecentis & quinquaginta in captiuitatem abductis, magnam & opimam omnis generis prædam in naues deportari iussit, tanta cum omnium alacritate & gaudio, vt ex hoc felici rerum successu sibi longè maiora deinceps pollicerentur, nouaq. spe accensi, ad grauiora & vtiliora ardentibus animis aspirarent atque contenderent. Hac itaque prosperitate fortunæ Auria vsus, quamprimum in patriam redire instituit; sed domum properanti, cùm in triginta duas triremes Venetas, quæ præsidij gratia viginti septem & amplius nauigia variis mercibus & opibus referta, comitabantur, incidisset, cùm viribus & numero hostibus longè esset inferior, institutum iter conuertere atque immutare, non sine summa prudentia & iudicij grauitate necessarium duxit; quippe qui minimè ex dignitate Reip. esse statuebat, vt fortunæ discrimen, vel belli aleam temerè, vel nisi summa necessitate adductus, experiretur. Proinde summo studio & nauclerorum dexteritate in Siciliam deflectens, ibi prædam inter duces & classiarios milites, prout vniuscuiusque virtus & honoris gradus ferebat, distribuit, ac mense Nouembri Genuam victor remigrauit. Circa idem ferè tempus pari felicis fortunæ successu tres triremes, quarum duæ Reip. Genuensis, tertia verò oppidi portus Veneris erant, vsæ sunt. Nam cùm duce Pascasio Cataneo circa Euboicum Euripum in onerariam nauim Venetam, pretiosis mercibus & exoticis rebus onustam, incidissent, facilè ea potiti sunt, sic vt expugnata ipsa naui, plusquam centum & triginta capti fuerint, qui partim ad transtra in triremes transcripti, partim melioribus vsibus reseruati fuêre. Quibus sanè successibus læti Genuenses, magna cum animi fiducia vndique mare ipsum infestabant, præsertim ij qui in Tyro, aliisq. partibus Asiæ negotiabantur, variis & diuersis excursionibus Venetos ipsos, recentibus cladibus languidos ac consternatos, mirum in modum diuexabant: quorum potentiæ cùm vix se opponere possent, ac indies in maiores angustias conijcerentur, Senatui Veneto placuit, vt ad retundendam Ligurum potentiam, & conatus, viginti & vna triremes bene ac militariter instructæ, Methonem, Peloponesiacæ oræ firmissimum oppidum, mitterentur, quæ ibi in statione perpetua ad tutelam insulæ, atque adeò ad securam nauigationem totius istius maris, potissimum verò ad Reip. Venetæ salutem & tranquillitatem, permanerent. Et quoniam, vt antè diximus, ob inflictas iniurias, præcipuè verò propter cladem in Creta paulò ante acceptam, mirum in modum omnium Venetorum animi erãt exacerbati, haud ita multò post, nouam classem trium & viginti nauium, magnis sumptibus & accurata diligentia, sub imperio Marci Gradonici instruxêre: quo confestim vnà cum tota classe in Syriam nauigare iusso, summis consiliis domi foriscque assiduè agebant, vt, quibuscumque possent rationibus, Genuensium insultus inhiberent, omnesque eorum conatus reprimerent, non absque summo sani consilij & periti ducis fructu. Nam Gradonico omnia sedulò ac prudenter administrante, fortuna sensim à Genuensibus ad Venetos inclinare cœpit, adeò vt non procul à Rhodo insula septem, siue octo onerariæ Liguscicæ ab ipso caperentur, & abducerentur. Interea temporis, Clemens quartus, Vrbano è viuis sublato, vt primum omnium suffragiis supremus Pontifex designatus est, inde statim ab initio nihil habuit antiquius, quàm hos duos potentissimos Italiæ populos, mutuis odiis mirum in modum flagrantes, iterum inuicem coniungere, & ad fœdus amicitiamque stabilem deducere. Qua in re tametsi artibus omnibus vteretur, assequi tamẽ non potuit, vt illud pernicioßissimum bellum inter vtrosque

Exemplum militaris disciplinæ.

Nauis Veneta intercipitur.

Octo naues Liguſticæ à Venetis occupatæ.

que ſumma cum pertinacia & obſtinatione inceptum, ac poſtea multis iniuriis & cladibus propagatum, aliqua ex parte reſtingueret, vel tolleret. Quapropter cùm per ſuos legatos & internuncios cum vtraque gente egiſſet, nec aliquid proficeret, eorum oratores Viterbum hoc animo & conſilio euocauit, vt ſi minus ad pacem conſtituendam, demonſtratis certis rationibus, inflecti poſſent, indutias ſaltem ad certum & præfixum tempus inter ſe paciſcerentur: quod ſanè vt facilius impetraret, valdè inſtabat, vt vtraque Reſp. viros auctoritate & conſiliis præſtantes mitteret, quorum iudicio res iſta publico nomine tranſigeretur. In hanc etiam ferè ſententiam Gallorum & Siculorum reges ad vtrumque populum eadem tempeſtate ſuos oratores habuêre, qui apud eos ſuo nomine ſeriò agerent, & ad pacem conſtituendam vrgerent & hortarentur. Verùm enimuerò, licet multis ſtudiis totius ferè Chriſtiani orbis Principum vtraque gens ſollicitata, illiſq. vnicè pax & concordia multis nominibus commendata fuerit, nihilominus tamen res eum ſucceſſum habuit, vt poſt varias & longas altercationes & controuerſias, nulla ratione ad fœdus, vel pacis formulam cogi potuerit, ita vt cum ſummo omniũ, præſertim verò ipſius Pontificis, dolore infectis rebus vtrimque diſceſſum ſit. Erant proculdubiò duo inimiciſſimi inter ſe populi, tam vehementer ad bellum propenſi atque accenſi, vt nunquam antea maiora iuſti odij & aperti belli argumenta, vel indicia præbuerint: & tanta denique cum 1267.
ſeueritate & fiducia bello erant intenti, vt anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo Genuæ iterum ea de cauſa comitia haberentur: quibus habitis, *Noua claſſis à Genuenſ. emiſſa.*
conſpirantibus in vnã ratamq. voluntatem Patribus, quinque ac viginti triremes duce Luca Grimaldo conſcriptæ & adornatæ fuerunt, cui duo Senatorij ordinis viri, nempe Paſcaſius Cataneus, & Otholinus Nigrius, tanquam conſiliarij, ſeu potius, vti puto, collegæ, adhibiti & coniuncti ſunt, magno ſanè cum iudicio maiorum ſuorum inſtitutum ſecuti, qui in rebus arduis & perplexis, vni ſoli Reipub. ſalutem credendam vel committendam eſſe, haudquaquam operæpretium fore exiſtimarunt, multiſque ac iiſdem grauibus rationibus adducti, ſæpenumerò militiæ ducibus graues viros, maturitate conſilij & militaris diſciplinæ ſcientia præſtantes, aſſociarunt. Poſtquam igitur ſacris pro veteri more operati eſſent, atque ab omnibus fauſta acclamatione in bonam ſpem beneque gerendæ rei fiduciam erecti, in Syriam tranſfretare placuit; & ſic ſatis commoda nauigatione vſi, in Ægæo mari in duas triremes Venetas, & vnam eximiæ molis ac multarum *Tria Venetorũ nauigia à Genuenſ. occupata.*
amphorarum nauem, inciderunt, quas ſubitò adorti, facili negotio expugnarunt; & Ptolemaidem verſus directo curſu, antea quàm vrbi appropinquarent, turrim in conſpectu ciuitatis ad illius ſubſidium extructam, tumque temporis à Venetorum præſidio defenſam, poſt multos maximorum tormentorum ictus vi occuparunt. Quã arce in deditionem accepta, ex cõmuni ducum conſilio quindecim triremes ad tutelam & ſubſidium illius oræ relinquere expedire viſum fuit. *Arx Ptolemaidis à Ligueribus capta.*
Ipſe interim Grimaldus dux cum reliquis ſuis copiis & velis, Tyrum verſus iter inſtituit, eo animo, vt cum illius vrbis regulo de nonnullis ſummi momẽti rebus ſecretò & priuatim ageret. Verùm cùm in hac nauigatione præter opinionem & ſpem viginti ſex triremes Venetas obuias habuiſſet, nulla ratione pugnæ aleam, tametſi omni ſtudio & contentione reluctaretur, euitare potuit, adeò certè, vt cum non leui Reipub. periculo præſtantiſſimus & peritiſſimus dux neceſſitate temporis & loci adductus, belli fortunam, licet multo inferior, ſubire neceſſarium habuerit. Quare extemplò omnibus ad fortiter dimicandum præparatis, habitaque ad militum animos acuendos & confirmandos parua quidem, ſed neruoſa

omninò

omninò oratione, ipſe lorica ſplendente indutus, omnia prouidi ducis & ſtrenui militis munia fortiter obibat, eiuſque verbis militum animi nonnihil, quòd ſe inferiores viderent, perplexi & attoniti, ad tam honeſtum exemplar confirmati, mirum in modum ad ſummam alacritatem erecti, nihilque omninò prætermiſerunt, quod ad exiſtimationem imperij Liguſtici, vel ſtrenui bellatoris munus pertinere arbitrarentur, eo denique ſucceſſu, vt poſt longam atque difficilem pugnam, ipſe Grimaldus quinque triremium iacturam faceret. Ceterùm, cùm ægrè incolumis cum reliquis ſuis triremibus euaderet, mira conſolatione vſus, præſentem omnium dolorem atque iacturam magna cum comitate verborum, & vultus geſtuſque ſerenitate inhibuit atque mirificè deterſit, Tyriq. portum præteruectus, ac mox cum ceteris quæ Ptolemaidi remanſerant, coniunctus, breui opportuniſſimis vſus ventis, in Siciliam delatus eſt, in qua nauim vnam hoſtilem opulentis mercimoniis, ac pretioſa ſupellectile repletam intercepit, ac vltra prædam, per ſe quidem magni pretij, & opimam, trecentos ferè vtriuſque ſexus homines ſecum in captiuitatem abduxit, pauciſque diebus elapſis, tribus roſtratis nauibus ad mare inquietandum & infeſtandum relictis, ipſe cum reliquis ſociis & militibus ſaluus atq. incolumis Genuam reuerſus eſt. Ineunte vere eiuſdem ſæculi anno ſeptuageſimo, Gregorius decimus, Theobaldus Leodienſis antè vocatus, Clementis quarti ſucceſſor, poſtquam pontificia ſedes propter purpuratorum collegij grauiſſimas diſſenſiones & controuerſias bienniò quodammodò vacauiſſet, frequentioribus ſuffragiis Pontifex renuntiatus eſt: qui principem in ea ciuitate locum nactus, nihil habuit priùs, quàm ſtatim omnium Chriſtiani orbis Principũ ſolicitare animos, vt depoſitis omnib. ſimultatibus ac domeſticis odiis, & controuerſiis conſopitis, tandem in vna perpetuaque voluntatis veræque pacis conſtantia coaleſcerent & coaugmentarentur: cumque ea tempeſtate Philippus Galliarum rex, qui Ludouico prædeceſſori in expeditione Tunetana peſtifera lue cum pleriſque aliis proceribus ex humanis rebus ſublato, ſucceſſerat, ceteriſque Chriſtianæ Reipub. Principibus facilè auctoritate & potentia antecelleret, Pontifex ſe operæpretium facturum exiſtimabat, ſi illius potiſſimùm auctoritate & dignitate ſubnixus, alios Tetrarchas & Dynaſtas ad parem conſilij rationem & ſententiam pertraheret. Cuius certè auctoritate in primis factum fuit, vt Carolus Andiouinus, Apuliæ & Sicaniæ rex, parem operam & fidem hac quidem in parte præſtaret, horumque interuentu, ſolicitudine & auctoritate, indutiæ tandem (cùm nulla veræ pacis ſpes in tanta rerum omnium cõfuſione tam citò ſperari poſſet) in quinquennium inter vtramque gentem, Venetos ſcilicet & Ligures, pactæ & conſtitutæ ſunt: cuius quidem diligentiæ fructum Pontifex fatali quadam ratione, & indulgentibus ipſis diis, mihi vt videtur, retulit vberrimum. Nam cùm totidem tantummodò annis rebus ſacris cum ſumma poteſtate præeſſet, hoc videtur planè aſſecutus, vt Pontificiam dignitatem, quieſcentibus nimirum interim his duobus populis à mutuis odiis & periculoſiſſimis bellis, totum Chriſtianum orbem miſerè diuexare & inuoluere ſolitis, pro voluntate & præſenti rerum ſuarum vſu tueretur & conſeruaret. Porrò Pontifice è viuis ſublato, quamprimùm poſtpoſita omni humanitatis, vel pacti fœderis reuerentia, iterum atrox bellum inter hanc vtramque gentem cum ſumma totius Reipub. Chriſtianæ pernicie renatum eſt, crudeliterque exarſit, eò certè maiori & iuſtiori cum omnium bonorum virorum dolore, quò pactæ indutiæ maiorem ſubſecuturæ quietis, & publici otij ſpem omnibus attuliſſent. Qua etiam potiſſimùm de cauſa commotus Innocentius quintus, demortui Gregorij ſucceſſor, antequam ferè

Atrox prælium inter Ligures ac Venetos.

Gregorius x. Pontifex renuntiatur.

Indutiæ inter Ligures ac Venetos.

Nouum bellum inter vtroſque.

ferè Pontificiam dignitatem auctoritate aliqua auſpicaretur, ſummi ſtudij pacis multa indicia præbuit, ac multis ſpem ſubſequendæ tranquillitatis publicæ iniecit. Siquidem ſtatim ab initio vix aſſumpta tiara,& infulis Pontificiis, quò maiorem ſui opinionem iuſta de cauſa excitaret, ad omnes quodammodò Chriſtiani orbis reges & principes, ſumma cum diligentia conſtituendæ publicæ pacis cauſa legatos habuit; præcipuè verò huius vtriuſque Reipub. decertantis proceres & Magiſtratus grauiter adhortatus eſt, vt tandem depoſitis odiis & armis, de concordia ac vera pacificatione ſeriò agerent & tractarent. Qua ſanè in re tam proſperi fuerunt primi ſucceſſus, vt nemini dubium fuerit, quin illos ad ſaniora conſilia pertraxiſſet, niſi fata huius optimi ſacri Principis vitæ ſtamina cum ingenti omnium mortalium mœrore ante quodãmodò diem, in ipſo bene gerendæ rei curſu inuida manu abrupiſſent. Periit namque ſexto ferè menſe, poſtquam ad tantum honoris apicem deueniſſet. Nec multo feliciori fato Adrianus quintus Pontifex illius ſucceſſor,ex nobiliſſima Fliſcorum familia oriundus,vſus eſt. Quippe ſumma omnium Antiſtitum & purpuratorum cõſenſione ſacrarum rerum adminiſtrationi admotus, vix quadrageſimum diem tranſgreſſus, in extremum vitæ periculum repentino & inopinato quodam mortis genere incidit, ac cum ſummo omnium dolore vita,non citra veneni ſuſpicionẽ,exceſſit. Quandoquidem cùm ex magna potentiſſimaque familia originem duceret, & per omnes ferè honoris gradus, virtute ipſa duce, ad tantum rerum humanarum faſtigium deueniſſet, nullus erat in tota Italia Princeps, cui Pontificis huius naturæ bonitas paciſque ſtudium aliqua ex parte exploratum non eſſet, ſic vt in non dubiam ſpem adducerentur omnes, vt eius auctoritate & prudentia bellum omne hactenus mira rerũ viciſſitudine inter hos duos bellicoſiſſimos populos geſtum, deponeretur, & penitus, quoad eius fieri poſſet,extingueretur. Flagrabat nimirum ipſe Pontifex amore patriæ, & communis tranquillitatis adeò erat ſtudioſus & amans, vt etiam interdum priuatas iniurias magna cum fortitudine & animi conſtantia ad retinendam publicam tranquillitatem deuoraret, & in gratiam publicam libẽs remitteret & condonaret. Erat præterea vſque adeò iuſtæ laudis gloriæque ſitiens, vt ad ſibi promerendam poſteritatis famam & memoriam,nihil non in gratiam Principum de pace ſollicitorum, hac potiſſimùm de cauſa faceret. Habebat nimirum, præter ingenij indoliſque præſtantiam, rerum diuerſarum cognitionem,ex medio vſu petitam. Siquidem cùm adhuc purpuratus eſſet, magna cum prudentia fideique integritate, in maximis & arduis negotiis, grauiſſimiſque legationibus non ſemel tanto cum honore omniumque ſatisfactione verſatus fuerat,vt vel hoc ſolo nomine ſibi aditum ad æternam gloriam & ſtabiliendam immortalitatis famam conſecutus videatur, patrui ſui Innocentij quinti, cuius ſuperius mentionem fecimus, tam diligens & ſtrenuus æmulus,vt illius venerabile nomen & gratam memoriam omnibus ſuis actionibus, aliiſque honeſtis officiis in hominum animis renouaret & propagaret. Tanto igitur Pontifice, præter omnium ſpem & expectationem, tam citò extincto,animis vtriuſq. populi denuò mirificè exacerbatis, bella vtrimque reſtaurata & redintegrata fuêre, ex quibus infinita incommoda (vt fieri ſolet) vltrò citroque data & inuecta ſunt. Nam tam vario & ancipiti Marte per longa tẽporis interualla geſta fuêre, vt difficulter inueſtigare poſſim,quínam illorum prẽcipui fuerint ſucceſſus. quippe cùm nihil in Annalibus, vel hiſtoriis ſeorſum de hoc annotatum reperiam, ridiculum planè fuerit, aliquid ad hiſtoriæ ſupplementum de proprio affingere, vel comminiſci, & ita hiſtoriæ fidei vim facere. Proinde cùm vniuerſa ea quæ ad annum

Breuiſſimus Pontificatus Innocentij v. & Adriani v.

Adriani v. egregiæ dotes, & in patriam ardentiſs. ſtudiũ.

num vsque eiusdem æui octogesimum gesta sunt, vel iniuria temporum intercinderint, vel fuerint eiusmodi, vt in litteras referri non meruerint, nos maiore sui parte latent, vel saltem sunt eiusmodi, vt magis vaticinio & ratiocinatione, quàm bona fide enarrari possint. Deinceps verò, hoc est, eodem anno octogesimo, tres Liguſticæ triremes in Eubœam insulam Reipub. Genuensis iussu transfretantes, cùm dudum diuersis ventis vsæ, huc illuc circumactæ fuissent; tandem non ita longè à Cephaloniæ sinu delatæ, in totidem hostiles triremes inciderunt, ibique commisso prœlio, cuius primos Venetos auctores fuisse putant, post diuturnam atque acerrimam pugnam & dubium Martem, tandem duas in Genuensium potestatem deuenisse, memoriæ proditum est. Paucis interiectis diebus, pari fortuna tria Venetorum nauigia in quatuor Liguſtica, quæ recèns à portu Genuensi soluerant, in mari Siculo maximo & violentissimo impetu, non citra magnam discurrentium consternationem inuecta fuerunt. Verùm, cùm rei militaris & nauticæ vtraque gens propter longam consuetudinem peritissima esset, atque ad omnem casum præparata, summo cum vtriusque partis ardore, pugna ipsa instruitur, & maximo cum periculo, diu, dubia etiam fortuna vtriusque decertatur, ac tandem defatigatis Venetis, & numero quodammodò superatis, victoria penes Ligures stetit, qua sanè ipsos tam magna moderatione vsos esse dicunt, vt captiuos, quorum magnum numerum fuisse constat, summa clementia prosequerentur, atque ipsis omnia humanitatis officia exhiberent, adeò vt Veneti hac potissimùm de causa non parum commoti, multisq. domesticis negotiis ac molestiis implicati, diu ab armis abstinuerint, ita vt à prædicto anno octogesimo vsque ad annum M. CC. XCIII. ab vtraque parte bello temperaretur & cessaretur. Interea, vt semper aliquid esset in quo se vterque populus vel domi vel foris occuparet, néue nimio otio torpesceret, à mutuis iniuriis ad præsens temperantes, sibi cum aliis diuersis populis sæua atque atrocia bella enata sunt. Et Venetis quidem primò acerrimum prœlium cum Anconitanis interceſſit, quo vix maxima cum difficultate summisque viribus & sumptibus feliciter terminato, arma sua in Istriæ populos, à pristina fide antiquoque fœderis iure, turpi defectione abalienatos, transtulêre; quibus ad obsequium fidemq. redire coactis, mox in Aquileiensem Antistitem, qui rebus priuatis diffisus, Goricianum Comitem in belli societatem conuocarat, quo Rempub. Venetam commodius atque fidentius diuexaret, conuerterunt. Ligures verò ijsdem ferè diebus aduersus Pisanos, quibus cum multis annis quietè ac pacificè vixerant, ob nouas exortas contentiones ac simultates, crudelissimum bellum repararunt: quarum quidem cõtrouersiarum odiorumque occasiones superioribus libris magna ex parte retulimus. His rebus ita per Italiam se habentibus, cùm per Orientem res Christianæ, propter nostrorum Principum ac populorum intestina dissidia & bella, valdè vndique essent accisæ & labefactatæ, nullibi tamen maiorem inclinationem, quàm in Syria fecêre, adeò, vt in illa præstantissima regione nostri rebus ferè omnibus excidissent. Tripolim enim Syriæ vrbem nobilissimam, à rege Memphitico expugnatam, ac diruta fuisse: Sidonem etiam celeberrimã ciuitatem Phœniciæ, cum Tyro ipsa vetustate & claritate certantem, necnon Berytum eiusdem prouinciæ vrbem, pari excidio interiisse, superius commemorauimus. Excussi igitur tot, tamque præclaris Christiani nominis in Oriente oppidis & opibus, nihil reliqui in Oriente, & præcipuè in his duabus regionibus, præter Ptolemaidem ipsam, vrbem satè cùm propter mercatorum aliarumque exterarum gentium frequentiam celebrem, tum ob omnium mercimoniorum affluentiam opulẽtissimam, habebant; magno

Insignis Genuensium moderatio in victoria.

Christianorum clades in Syria.

magno certè cum Reipub. Christianæ dispendio & iactura, nimirum quando expugnatis direptisque tam multis & præclaris à Barbaris oppidis, sola Ptolemais miseris ciuibus magna Saracenorum atrocitate exulare, ac nouas sedes quærere compulsis, effugium, vel aliquod asylum ostenderet, quæ vsque adeò magna hospitalitatis officia miseris afflictis semper præstitit, vt vel hoc præcipuè nomine mirum in modum postea augeretur. Accedebat huc, quòd militiæ sacræ Magistri post indutias, expugnata Tripoli, cum Ægypti Sultano in quinquennium pactas, præsidia ibi collocassent: quæ sanè indutiæ licet ratæ ab initio fuerint, non diu tamen pòst irreuerenter ab ipso Ægyptio violatæ fuêre, quòd diceret, magnas excursiones à nostris, summa tunc temporis inopia atque annonæ caritate laborantibus, cum euidenti suo detrimento, atque immensa hominum pecorumque non secus ac in hostili agro abacta præda, indies fieri. Quippè præter ceteros, Nicolaus quartus mille quingẽtos equites cataphractos, stipendiis suis eò miserat. Inerant & multarum nostrarum gentium procerumque milites ampla stipendiorum spe allecti; quæ cùm non exoluerentur, & rapto viuere præ magna inopia cogerentur, magnis difficultatibus premebantur, ita vt his de causis magna etiam consiliorũ diuersitate ac dissensione in ipsa ciuitate laboraretur; malè enim trium potissimorum ordinum magistris conueniebat, singulis magna ambitione eius vrbis imperium ad se trahentibus, & contentiosè vindicantibus. Accedebant etiam ad vrbis interitum & ruinam festinantis, fatales calamitates, quòd sanctæ ciuitatis Patriarcha primas partes profani dominatus ditionisq. sibi inuerecundè arrogaret. Carolus etiam, & Siciliæ & Hierosolymorum rex, à Romano Pontifice dictus & coronatus, summa Pont. indulgentia ius exigẽdarum decimarum à ditionis suæ sacerdotibus in sexennium impetrarat; quo fretus, Ptolemaidem, vt sacro regno contributam, sui esse imperij, pertinaciter contendebat. Præterea, Henricus Cypri rex, cum satis magna pro facultatibus suis classe Ptolemaidem profectus, Templariis, ibi magna auctoritate ea tempestate florentibus, persuaserat, vt sibi sacri regni diadema redderent. Quam rem Carolus permolestè ferẽs, vectigalia, quæ sub eius ditione Templarij percipiebant, prouentusque agrorum fisco suo adiudicari, & in posterum inferri iussit, ita profectò, vt tanta omnium procerum oppidanorumq. contentione, & mira animorum distractione, Helpis Ægyptiorum Imperator, filium suum Melesaitin, dum nostri nihil in commune consulunt, ad vrbem ipsam obsidione premendam, & si potis esset, expugnandam, anno eius sæculi nonagesimo primo ablegauerit. Verùm ad vrbis tutelam propugnationemque amplius triginta lectissimorum hominum in militia non parùm versatorum millia erant; quorum quidem virtute vrbs ipsa aliquamdiu strenuè ac fortiter defensa & conseruata est. Ceterùm, tanta erat oppugnatorum multitudo (nam centum quinquaginta armatorum millium exercitum Barbarus sub signis habuisse dicitur) tamque ardens studium, vt mira celeritate ingentia opera efficerent, quibus nostros arctissima obsidione pressos, valdè terrebant, & omni eruptione prohibebant: oppidanosque primò per cuniculos aggressi, vbi pari diligentia ijsdem artibus ab obsessis rem geri intellexêre, ab incepto destiterunt, cõmutatisq. studiis, & admotis ipsis mœnibus summæ molis machinis, assiduè vrbem ipsam quatiebant & defatigabant, eo quidem successu, vt tandem diruta magna murorum parte, parum abfuerit, quin vrbs ipsa in illorum potestatem deueniret. Oppidani interim atque præsidiarij milites, omnibus viribus obsidionem fortiter & animosè tolerabant, summaq. cum diligentia, si quid clandis interdiu aliquo modo ab hoste illatum esset, hoc noctu cum summa indu-

Nostrorum mutuæ simultates in vrbe Ptolemaide.

1291. Ptolemaidis obsidio & expugnatio.

ſtria & citra aliquam temporis moram vel intermiſſionem vllam reficiebant, eo certè animoſius, quò maiora pericula oſtendebantur. Nam licet oppidani poſt trimeſtrem fortiter toleratam obſidionem, morte Ægyptij Imperatoris nuntiata, aliquantulum recrearentur, nihilominùs quòd audiuiſſent, Sultanũ eius filium quamprimùm cum ſumma omniũ militum conſenſione & applauſu patri ſucceſſorem datum & ſalutatum fuiſſe, verebantur, ne, id quod accidit, ſub nouo Principe ipſi milites ſe ſolito multò animoſiores & officioſiores præſtaret. Habet enim hoc omnis imperij cõmutatio, vt ſub nouo Principe noua ſubinde naſcãtur vel odia, vel amicitiæ, eò certè feruentiora, quò recentiora. Sacræ militiæ Benignus, ex Galliis, vti exiſtimo, oriundus, vir ſtrenuus, reiq́ue militaris peritus præerat, omniaq́ue fortis militis ac ſtrenui ducis munia obibat; ac ſæpius perplexam ciuitatem, & inclinantis fortunæ ſtatum conſeruauit, ſic vt multum præſidij & quaſi ſalutis ſpem omnem oppidani vniuerſi in ipſo ponerent. Verùm, ipſo ſagitta venenata, vti perhibent, extincto, magnam omniũ animis, præſertim verò Latinis, conſternationem tanti ducis interitus haud dubiè attulit, & vniuerſam ciuitatem tantoperè conturbauit, vt Patriarcha, & Cypri rex, ac reliqui, qui magis ſalutis, quàm decoris curam habebant, intempeſta nocte præ metu clam ſeſe ex vrbe ſubducerent, conſcenſiſq. nauibus, abitum & diſceſſionem pararent; qui cùm hoſtium conſpectum & inſidias euaſiſſent, ac iam Cypro appropinquarent, exorta ſæua tempeſtate, magnũ naufragium perpeſſi ſunt, ægreq. tandem in eam inſulam incolumes appulerunt, magna ſuorum parte fluctibus abſorpta, adeò vt qui ferrum euitaſſent, ignaua morte inglorij perierint. In ipſa verò vrbe ad duodecim ferè hominum millia remanſerant, miſerum proculdubio & horrendum ſpectaculum, tantis ſauciis, longaq́. obſidione mirum in modum defatigatis, ac malis præſentibus defeſſis omnibus, & quòd nulla ſpes ſalutis vel periculi effugium oſtenderetur, valdè anxiis. Expugnata enim & capta ipſa ciuitate, nullo cum diſcrimine, vel citra aliquem ſexus vel ætatis delectum, inhumaniter & crudeliter omnes à crudeliſſimo victore cæſi ſunt, pauci in captiuitatem abducti. Nec in mortales modò atrox barbari victoris ira ſæuiit, ſed, vt ad Tripolim prius factum fuerat, publica priuataq́ue ædificia, ac templa ſuperũm euerſa, & ne indicium vllum euerſæ vrbis, vel monumentum aliquod extaret, omnia auulſa & ſolo æquata; tantaq́ue ſubſecuta eſt vaſtitas & ſolitudo, vt deinceps non ſecus quàm in deſerto & inhabitato ſolo, terra ipſa inculta & longa ſolitudine damnata iacuerit. Huius tam præclaræ vrbis euerſio & deploranda calamitas, finem ſacro bello impoſuit. Nam cùm omnis ſpes ſalutis, & omnium opum conſeruatio in iſtius ſolius vrbis præſidiis ſtaret, vnà cum vrbis excidio etiam Chriſtiana potentia in ipſo Oriente concidit, anno centeſimo nonageſimo ſexto ab eo quo Vrbani ſecundi auſpiciis, ductu verò Gothifredi Hieroſolyma recepta ſunt. Cyprius interea rex, fuga, vti diximus, cum ſuis elapſus, paucis diebus, poſtquam in regnum poſtliminiò rediiſſet, Famaguſtã (quam antiquis Tamaſſum fuiſſe puto) in portu valdè amœno & celebri, inſtar Ptolemaidis ædificari iuſſit, tantis cum incrementis & genij loci felicitate, vt deinceps vrbs ipſa celeberrimum euaderet emporium, tanto cum omnium gentium confluxu, vt propter rerum Orientalium affluentiam, multarumq́. mercium commoditatem, plurimæ nationes, præſertim verò Genuenſes ac Veneti, ibi concurrerent, & aſſiduis nauigationibus in Cyprum tranſmitterent. His ferè temporibus, vt eò vnde inceperam, redeat noſtra oratio, finitis indutiis quas inter Venetos ac Genuenſes aliquot annis factas fuiſſe demonſtrauimus, iterum bellum intermiſſum, ſummis ſtudiis vtrim-

Ptolemais ſolo æquata.

Famaguſta inſtar Ptolemaidis condita.

vtrimque reparatum est. Cùm enim Veneti anno supra mille ducentos tertio ac nonagesimo cum quatuor maioribus nauibus quàm optimè instructis, Famagustam versus, à Rege Cyprio, vt antea ostensum est, summa diligentia & industria ædificari cœptam, nauigationem instituissent, septem Ligusticis nauigiis, commeatibus variisque mercibus onustis, & ex Eubœa insula reuertentibus, occurrerunt; cúque inter eos facilè vetera odia renouarentur, ac Veneti suis validis præsidiis ac bellico apparatui quamplurimum confiderent, impetum & impressionem in ipsos Genuenses fecerunt, eo quidem successu, vt tandem, vbi ad aliquot horarum tempus inter se acerrimè pugnassent, Ligur superior euaderet, & hostilibus aliquot nauigiis potiretur, quæ tamẽ ipsis breui pòst ex Senatus Reip. Genuensis decreto illæsa, integra & inuiolata fuerunt restituta. Nam Ligures, inuitis animis, & summa quodammodò necessitate adducti, hoc bellum ea tempestate susceperant, sic vt ex vtriusque partis consensu oratores Cremonæ diu pro constituenda pace ab omnibus nequicquam allaboratum esset, ac tandem, rebus vtrimque infectis, illinc discessum fuit, paruoq. dato respirandi tempore; à Venetis primum bellum exortum est. Hi enim ad retinendum maris imperium, propagandamque maiorum suorum gloriam & rei naualis peritiam, ex Senatus decreto publicis sumptibus sex & quadraginta, siue, vt aliis placet, sexaginta triremium classem instruxerunt; quæ sanè ad præoccupandum potissimas maris partes in altum confestim educta fuit, eique cum imperio præpositus Ruggerius Maurocenus, quem scribunt prima nauigatione in Ponticum mare profectum, ad res Genuensium circa Byzantium & Peram infestandum. Quandoquidem satis compertum est, primam eruptionem in Perenses, aduerso littore Byzantinis oppositos, Ligustici nominis socios, factam fuisse. Is locus erat Genuensibus quàm maximè opportunus, non solum ad Ponticas merces vltrò citroque conuectandas, sed ad belli etiam gerẽdi necessarios vsus: adeoque res ad id tempus ibi loci creuerant, vt ab emporij forma non multum abesset. Venetus subita vi locum adortus, quia nullis erat adhuc munitionibus firmatus, facilè occupat, diripitque hostiliter, direptum incendio absumit. Inde ad vtramque Phocæam itum, quæ Ioniæ vrbes, Foliæ nouæ ac veteres vulgò appellatæ, Genuensibus ea tempestate parebant, huiusque loci pars vna sub Venetæ classis accessum igni conflagrauit. Proximo anno qui fuit eiusdem sæculi quartus & nonagesimus, iterum Venetiis quinque ac viginti triremium classis adornata est duce Ioanne Superantio, qui Pontum versus nauigatione directa, Caphatam vrbem, olim Theodosiam, in Taurica Chersoneso positã, improuiso accessu expugnauit, illumque in his locis hiemare coactum, in tantam frigoris intemperiem incidisse commemorant, vt nouem propemodum nauales turmæ pedibus manibusque intolerando frigoris rigore haud mediocriter periclitatæ sint. Et ita quidem Venetorum Annales referunt. Quandoquidem de his duabus expeditionibus quas proximè recensui, Genuensium Annales, quos potissimum sequor, nullam prorsus mentionem habuerunt; sed tantummodò ea literis consignarunt quæ hîc subiiciam, nempe, hoc anno, cùm Genuenses octodecim triremes & duas onerarias Eubœam insulam, & Peloponnesum versus eduxissent, Venetos, qui eo ferè tempore viginti octo triremium & quatuor liburnicarum classem exornarant, in tres Ligusticas naues multis ac pretiosis mercibus refertas incidisse, illasque, præter cætera incommoda paulò antè Genuensibus illata, subita impressione facta occupasse. Id verò cùm præfectis Ligusticarum triremium innotuisset, protinus amissa nauigia recuperare constituisse. Proinde vt faciliùs & commodiùs rem agerent,

1293. *Causa & origo noui belli inter Ligures & Venetos exorti.*

Ligurum victoria cum ingenti clementia.

Pera & Phocæa à Venetis diripiuntur.

1294. *Capha à Venetis expugnata.*

Tres naues Ligusticæ à Venetis interceptæ.

mercibus prius coëmptis, in Pera expositis, rectà in hostem contenderunt: & Nicolaus Spinula, qui legationis munere apud Cæsarem Græcum eo tempore fungebatur, ob spectatam virtutem, longumque rerum gerendarum vsum & cognitionem toti classi omnium suffragiis & consensu præfectus est: cumque in conspectum hostis deuenissent, ad captandam in ipso certamine ventorum opportunitatem, & seruandum flatum, obuersis proris fugam simularunt. At Veneti existimantes hoc ab eis præ metu fieri, cùm præsertim se decem nauigiis hoste superiores conspicerent, militarem disciplinam atque ordinem in prœliis retineri consuetum, magna sui fiducia, vel potius temeritate quadam penitus neglexêre, adeò vt Ligures, cùm confusos & perturbatos viderent eorum ordines, nacti opportunitatem, classeque explicata, summo studio atque animorum alacritate illos inuaderent, & cominus eminusq. aggrederentur, sic vt post ancipitem atque atrocem pugnam, tandem insigni victoria potiti sint, captis quinque ac viginti triremibus, ingentique hominum numero in suam potestatem redacto. Sunt verò qui narrent, Spinulam, hoste conspecto, pugnam à Venetis oblatam diu detrectasse, ne scilicet aduersus classem numero tantò superiorem, tot ciuium suorum capita & salutem, in tam manifestum periculum & discrimen adduceret; sed tandem Venetis nullum vrgẽdi finem facientibus, ad necessariam pugnam quodammodò attractum, classe, vt dictum est, explicata, & in aciem directa, congressum fuisse, atq. ita suis ira & indignatione propter violatas indutias accensis, vltimaque necessitate animos, vt fieri solet, acuente, hostilem classem profligatam. Verùm enimuerò prior sententia, vt vero proximior, nonnullis magis probatur, cùm ipsi sponte hostem adorirentur, eo cum animi decreto, vt manus consererent, illataq. iniurias per occasionem pro viribus vlciscerentur. Incidit hæc præclara Genuens. victoria in festum diem S. Germano sacrum, quo eius memoriam perenni anniuersario aureaque chlamydis dono Patribus recoli & quotannis celebrari placuit. Huius cladis fama vt primùm Venetias delata est, vniuersam vrbem incredibili ira simul & dolore affecit, ita vt Patres Conscripti ad eam vindicandam summoperè inflammati, ingentes apparatus cum summa diligentia fecerint, magna me herclè cum comminatione & dirorum omnium denunciatione, sese scilicet omnem Ligusticæ oræ tractum assiduis excursionibus ita infestaturos, vt nullus portus, nullæque rupium angustiæ, Genuensis imperij & nominis, incolis effugium aliquod præbere possent; adeoque omnia sibi fausta & felicia pollicebantur, vt existimarent Genuenses ne aspectum quidem suæ classis laturos. Quod postquam ad horum cognitionem peruênit, haud sanè mediocriter ipsorum animos extimulauit atq. accendit; & quò maiori industria ac sedulitate in eam expeditionem incumberetur, ex vnanimi voluntate atque assensu factiones, quæ circa hoc tempus sub Mascaratorum & Rampinorum nomine contrariæ, Guelfarum & Gibellinarum partium studia fouebant, reconciliatis animis, penitus sustulerunt, lętaque hoc nomine vltra modum ciuitate, in eius rei gratiam supplicationes publicæ à Senatu decretæ fuerunt, ipseque Iacobus Voragineus vrbis Antistes cum infulis & tiara de more sollemni, summa cum religione & ferculorum gestatione, ac cætero clero omnes vrbis regiones, concomitantibus Patribus, & subsequente populo, peragrauit atq. lustrauit. Quibus peractis, sub externi Prætoris Iacobi Calcani ciuis Mediolanensis administratione & auctoritate, nauibus ex omni Ligustica ora corrogatis, ac in vnum eundemque locum conductis, ab Idibus Iulij vsque ad decimum oct. Cal. Sept. classem ducentarum ferè triremium compararunt, quæ deinde ad centum & sexa-

Militaris dolus.

Insignis Genuensiũ victoria, duce Nicolao Spinulà.

1295.

sexaginta quinque omni nautico instrumento & militari apparatu exornatas atq. instructas redactæ sunt, illiq́ue Vbertum Auriam, virum rebus gestis, clarissimaq́ue victoria de Pisanis nuper parta, celeberrimum, cum suprema potestate atque imperio præfecerunt, in eamq́ue classem amplius quinque & quadraginta bellatorum Liguſticæ ditionis ac nominis millia, vltra remiges, conscenderunt, quos vel generosæ expeditionis fama ex diuersis partibus, vel Genuensis populi amicitia & ostentandæ virtutis studium Genuam exciuerat, non enumeratis iis qui omnes cum tam famoso bello nomina certatim dare vellent, non citra magnam gratiarum actionem gratiq́ue animi testimonium in patriam abire iussi, & benignè dimissi sunt: prout Iacobus Varagineus, cuius proximè meminimus, illorum temporum æqualis, grauissimus & sanctissimus Antistes, idemq́ue certissimus scriptor, tradit, qui rei ipsi ceu oculatus testis interfuit, numerumq́ue nauium se recensuisse affirmat. In hoc etiam tanto Liguſticæ ditionis apparatu & domestico milite, tam magnus armorum vestiumq́ue splendor fuisse narratur, vt plusquam octo millia fuisse constet, quorum chlamydes sagulæq́ue militares, aliaq́ue arma, vndique auro & holoserico enituerint. Quæ sanè cùm admiratione & notatu digna sint, vnius scilicet Reip. opes nullis viribus quàm priuatis subnixæ, ad tam magnam expeditionem sufficere potuisse; plus tamen hoc admirationis meretur, quòd vltra hanc quam recensuimus classem, ad tutelam & præsidium Liguſtici imperij, vltra quadraginta nauigia, omnibus instrumentis bellicis instructa, domi hinc inde per certas stationes dispersa, non secus ac si in otio Resp. ipsa diu floruisset, remanserũt, quæ si alij classi coniuncta fuissent, magnum proculdubiò numerum constituissent, adeò certè, vt sese non solummodò hosti, in cuius gratiam parabatur, sed etiam exterorum Principum potentiæ æquare non immeritò potuerint. Quo etiam factum est, vt multorum Christiani nominis Principum animi non parum fuerint commoti, veriti scilicet, ne ex vtriusque populi florentissimi potentissimiq́ue internecione atq. excidio, vniuersa Resp. Christiana in maximum postea periculum deueniret. Proinde inter ceteros, Bonifacius octauus, qui eo tempore, Cælestino quinto fraudibus oppresso, malis artibus ad Pontificatum peruenerat, hac quidem re optimi Præsulis munera implesse videtur, quòd Romam, Patriarcham Venetum, & Genuæ Antistitem, ac vtriusque Reip. oratores accersiuerit, vt de cõmuni omnium sententia pacis rationes inirentur. Verùm enimuerò, in tantum vtriusque gentis animi à pace abhorruerunt, vt nihil omninò, quod ex vsu tranquillitatis publicæ esset, ea quidẽ tempestate, statui potuerit. Quocirca Genuenses vbi omnia ad rem naualem, tantumq́. bellum pertinentia, studiosissimè procurassent, hostium minas verborumq́ue ferociam armis retundendam iudicantes, protinus certo ad hoc interrnuncio misso, Venetis nunciarunt, lætari se vehementer, illorum ambitione & contumacia factum esse, vt necessum sibi sit prœlio experiri, vtra natio rei militaris disciplina belliciſq́ue artibus magis valeret, seq́. illis etiam laborem longioris itineris adempturos. Siciliam enim se insulam ab vtraque vrbe non vsque adeò remotam, pariq́ue ab vtraque interuallo distantem, campũ delegisse, in quo præclaram hanc æmulæ virtutis & potentiæ contentionem communis Mars decerneret. Auria interim paucis diebus interiectis, nactus ad commodè nauigandum opportunam & idoneam tempestatem, cum vniuersa classe in insulam certamini destinatam contendit. Cumq́. integrum mensem ibi stationem habuisset, hostemq́. ad ancoram cum sua classe expectasset, nec vsquam appareret, Genuenses, Diuos homineſq́., ac cælum ipsum & maria cõtestati, certamen

Potentiſſ. Genuenſium claſſis ducc Huberto Auria.

In claſſe Genuenſ. erant quadraginta quinq. millia hominum armatorum.

Genuenſ. Venetis bellũ indicunt.

Veneti detrectant pugnam.

vltrò à se oblatum, ab hostibus tam segniter detrectatum esse, Genuam, hieme præsertim appetente, sibi redeundum statuêre, magno sanè cum honoris æterniq́ue nominis incremento & gloria. Nam etsi in conspectum hostium non venerant, nihilominus tamẽ magnam apud ipsam posteritatem famam nacti sunt, quòd tantum virtutis ac fortitudinis specimen dederint, vt deterrito hoste, ac in publicum prodire non audente, ipsi, citra cędem & sanguinem, omnium gentium consensione & suffragiis victores declarati, triumphum de Venetis non immeritò reportarint. Ceterùm anno eiusdem sæculi nonagesimo septimo, cùm Genuæ nunciatum esset, Venetiis magnam classem præparatam, atque omni genere apparatus bellici instructam, sinum Hadriaticum excessisse; quæ sanè in vniuersum quinque & sexaginta triremium numerum æquabat; quam primum Senatus consulto decretum fuit, vt auspiciis Gandi Marij septuaginta quinque triremiũ classis ad opponendum hosti instrueretur & educeretur: Et licet ipse Marius designatus tantæ classis Imperator, nihil reliqui ad summam diligentiam faceret, quò nominis Ligustici Reipublicæq́ue gloriam noua laude accumularet, néue Vberto Auriæ strenuo duci fortissimoq́ue militi aliqua ex parte inferior esse à quoquam videri posset, nihil haberet antiquius, nihil denique magis in votis, quàm totius maris tractum diligenter perscrutari, & in hostem ipsum perpetua inquisitione inquirere; is tamen cùm secundo præteritarum rerum euentu, atq. adeò præsentis Reip. Genuensis viribus deterritus, prodire non auderet, sed se, non absque magna ignominia fortissimorum ducum oculis subtraheret; factum fuit, vt Gandus ipse cũ magno dolore, & inuidentis fortunæ despectu, nunquam gloriam prædecessorum suorum ex noui certaminis successu, atque rerum gerendarum dexteritate augere potuerit. At proxima æstate fortuna ipsa Reip. Genuensis statum prospero flatu prosecuta est. Cùm enim Veneti per id temporis septem & nonaginta triremium classem duce Andrea Dandulo eduxissent, Ligures ne quid ab hoste detrimenti vel cladis repentino incursu, aut imparati aliquo modo acciperent, tres & septuaginta, siue, vt aliis placet, octo & septuaginta seu nonaginta octo triremes, sub Lambæ Auriæ præfectura instruxerunt, qui maiorum suorum vestigiis insistendo, atque præstantissimorum Genuensium Reip. ducum alacritatis & rei gerendæ peritiæ æmulus, postquam operatis sacris, ac fausta acclamatione sibi omnia prospera & felicia animo præsagiuisset, conscensa prætoria triremi, atque opportuna nauigatione vsus, tandem in Hadriaticum sinum ingressus, hostem ipsum magno animi cum ardore atque celeritate prosecutus est; & cùm is ad vrbem Cursulam, aliis Corcyram nigram dictam, stationem habere nunciaretur, summo pugnandi studio accensus, eò cursum retonuit. Veneti interea, operæ pretium se facere existimantes, si prioris dedecoris, ob detrectatæ pugnæ asperam labem, insigni aliquo facinore, bellicæq́ue virtutis claro & euidenti testimonio eluerent ac emendarent, conuocatis ducibus sese ad certamen & pugnam magna cum animi alacritate & omnium ardore composuêre, magnaq́ue fiducia omnia sibi felicia sperabant & ominabantur. Accedebat quippe ad animorum indignationem pristinaq́ue odia, Liguſtici ducis contemptus, atque præterea superioris belli ad Ptolemaidem in Syria, ac in Sicilia ad Drepanum prosperè & cum ingenti laude gesti recèns memoria, quæ sanè ipsorum animos, suapte natura ambitiosos & excelsos, mirificè extimulabat, & ad ferociam vsque exacuebat, ita equidem, vt ex rerum præteritarum feliciter gestarum memoria & successu, futurarum statum metirentur atque conijcerent. Contrà verò Ligures superioris cladis in Pontico mari acceptæ memores, flagrabant

1297.

Genuens. naualis apparatus duce Gando Mario.

1298.

bant ira & vindictæ cupiditate, ac propter detrectatam à Venetis nuper pugnam non parum ſublati, modis omnibus exoptabant ſibi locum & tempus idoneum pugnæ à Diis immortalibus concedi, quò ſcilicet præteritarum iniuriarum & acceptarum cladium magnitudinem vno eodemque tempore probè vlciſci & vindicare poſſent. Nec erat inter eos quiſquam, qui animo, quaſi cum nouo & nunquam antea viſo hoſte res gerenda eſſet, aliqua ex parte conſternaretur. Omnium ſiquidem animos ſubibat recordatio, quàm ſæpe Venetos ipſos priuata propriaque potentia confiſos, nouiſque victoriis ſubinde exultantes, fudiſſent, & in turpem ac planè ignominioſam fugam non ſemel coniecciſſent. Accedebat etiam huc ſuperiorum bellorum cum Piſanis proſperè geſtorum frequens cogitatio, quos ad tantas anguſtias ſe aliquandò redegiſſe meminerant, vt ſæpenumerò, acciſis eorum rebus, difficulter, intermiſſo bello, reſpirare potuerint. Quæ omnia in vnum collata, & vtriuſque hoſtis comparatione facta, non ſolùm erant bene animati ac prorſus intrepidi, ſed certam ſibi victoriam animis præſumentes, geſtientibus ſimiles, pugnæ ardore ac ſtudio exæſtuabant. Præparatis itaque omnibus ad fortiter prœlium ſubeundum & ſuſtinendum neceſſariis, priuſquam manus cum hoſte conſererent, Auria ipſe, quò illos in propoſita ſententia firmiores conſtantioreſque redderet & retineret, pauca verba ſibi præfanda ratus, in hanc ferè ſententiam concionem ex triremis prætoriæ puppi habuit.

Lamba Auriæ oratio ad ſuos milites.

SI exiſtimarem, inquit, ſtrenuiſſimi Duces, fortiſſimique milites, hac in expeditione mihi ſummo Deorum beneficio commilitones dati, aliquem veſtrum ignorare cum quo populo nobis negotium eſſet, vel pro qua Rep. bellum gereretis, eſſem me herclè aliquantulò ſolicitior, ne mihi vobis pauca verba facienti minor fides haberetur, quàm rei magnitudo & periculum exigit. Verùm cùm me non lateat, vos vniuerſos, & patrũ memoria, & longo iam vſu ſatis ſuperque intellexiſſe, quantis iniuriis maiores veſtri à populo Veneto, numquam quietis vel pacis ſtudioſo, ſed ſemper immani quadam atq. dira cupiditate exterarum gentiũ finibus & opibus anhelanti & imminenti, domi foriſque affecti fuerint. Quarũ certè cùm adeò recẽs ſit memoria, vt exempla adhuc ſubinde omniũ oculis obuerſentur, nõ eſt mediusfidius, quòd verear, ne vos, pro innata pectoribus veſtris generoſitate, atq. naturali propugnãdę patriæ zelo, imparati, vel languidis animis ad tantũ oppugnandũ hoſtem mecũ veniatis. Satis igitur ſuperque fuerit, ſi ſuperiorũ temporum recordatione, atque multarum victoriarum memoria, quibus noſtra Reſp. non citra multarũ gentiũ & nationum cum admiratione tum inuidia mirum in modum hactenus creuit, & ſibi immortalem gloriam penes omnem venturam poſteritatem parauit, nunc voſmetipſos exſuſcitetis, ac bene gerendæ rei curſum ſegniter rem ipſam adminiſtrando haudquaquã abrumpatis. Nihil hîc de manubiis ac ſpoliis, quæ etiam inter ceteros bene adminiſtrati belli fructus vos manent, cùm ea ſint proculdubiò huiuſmodi, vt magis auaris & effeminatis, quàm verè fortibus & generoſis animis incentiua eſſe ſoleant, refero. Interim vobis nullo modo reticendum eſſe arbitror, nos omnes pro aris, pro focis, pro coniugibus, chariſque pignoribus, ac denique pro Reipub. noſtræ ſalute ac veteri dignitate & gloria, cum ſuperbiſſimo hoſte, inſatiabili atque inexplebili ſiti omnia noſtra deuaſtante, hodiè pugnãdum eſſe; cuius quidem vires ac temeritas niſi hac tempeſtate à vobis fortiter & alacriter ſuperentur & opprimantur, in perniciem noſtram, atque adeò omnium noſtrũm, omniumque ſociorum magis atque magis ferociet, & blandientis

dientis fortunæ prosperitate elatus, indies debacchabitur. Ceterùm cùm causam, longè omnium iustissimam, conscíis ipsis diis, foueamus, cùm præter rei æquitatem, nõ nisi coacti, & summa necessitate adducti, hanc belli aleam subeamus, spero Deorum omnium numina in hoc nostro certamine æquis oculis adfutura, & iustiori causæ patrocinatura. Vestræ interim erunt partes, maiorum nostrorum partam tantis belli difficultatibus dignitatem, turpi aliquo recenti facinore non dedecorare, vel leuitate aliqua & inconstantia commaculare. Sed me plura dicere volentem, aduocat hostis ipse, quem nunc nobis in conspectum progredientem, pari animorum omnium ardore atque fidei integritate excipiamus, & aggrediamur. His verbis militum animis valdè erectis & confirmatis, singuli victoriæ spem, vel planè fiduciã, in propria virtute & dextera, magna præsertim æquitate causæ subnixi, ac miris præstantissimorum ducum exemplis prouocati, ponere cœperunt, adeò vt inde statim ab initio certaminis dudum ancipiti Martem ad multarum horarum spatium, prœlium ipsum non absque teterrima cæde, multíque Christiani sanguinis effusione, protractum fuerit, mira certè alternantis fortunæ varietate atque inclinatione, ita vt in tantarum triremium, & nauigiorum concursu ac velificatione, fœdus fuerit pereuntium hominum conspectus, atque, quod dici solet, tristissima vbique mortis imago. Tanta siquidem erat moribundorum corporum misera facies, & vicissim tanta mox miserè periturorum militum alacritas & ardor, vt antea nihil de minitabundo vultu & oculorum toruitate remitterent, quàm animam exhalarent, extremumque spiritum vnà cum corporibus relinquerẽt, ita certè, vt hæc clades, omnium quæ ad ea ferè tempora inter vtramque gentem post multorum annorum interualla atque varios successus commissæ fuerunt, vtrique populo periculosissima & funestissima exiterit. Quippe tametsi victoria ipsa penes Ligures staret, atq. Veneta classis ad vnum, exceptis duodecim tantummodò nauibus, quæ sese fuga exitio subtraxêre, deleta esset, nihilominùs tamen tam magno sanguine, atque tam præsentibus periculis & laboribus hæc victoria ab ipsis victoribus redempta fuit, vt nisi Venetorum potentia domi foriſque diu florente rerum omniũ statu, fuisset ad summum apicem perducta, non dubium est, quin illius diei tristissimus casus bellum finem attulisset. Sed cùm vtraque Respub. maxima potentia & immensis opibus domi foriſque niteretur, non ita mirum, si post huius certaminis infortunium, bellum iterum victi repararint. Elapsis itaque remorum beneficio dumtaxat, vt suprà demonstrauimus, duodecim nauibus, reliquæ omnes partim depressæ, partim incendio absumptæ; nõnullæ verò iussu & mandato Lambæ ducis, Genuam ad speciem iusti triumphi reseruatæ & ductæ fuerunt, inter quas erat ipsa prætoria Andreæ Danduli Venetæ classis, tunc temporis, vt retulimus, præfecti præsentia nobilitata; qui postquam amissa classe, & ferè septem millibus & quadringentis Veneti nominis militibus captis, in potestatem hostium deuenisset, commutatæ fortunæ condicioniſque suæ impatiens, simulque propter tantam acceptam cladem anxius, & ad desperationem vsque demissus, omni melioris fortunę condicioniſque spe abiecta, caput suum tantisper postibus atque cardinibus prætoriæ puppis illisit, assidueque impegit, donec miserrimè in corona magnorum virorum valdè hoc nouo spectaculo attonitorum expiraret, summopere, vti fama est, veritus, ne triumpho reseruatus, Genuam ad publicum spectaculum & populare ludibrium deportaretur. Aliqui existimant, huius naumachiæ felicem successum non tam ad militum robur & fortitudinem (licet strenuissimè pugnarint) quàm ad singularem Liguſtici ducis industriam, exactissimamq. rei nauta-

Naualis conflictus.

Venetorum clades.

Dandulus Venetæ classis Præfectus, sibi ipsi mortem conscíscit.

lis pe-

lis peritiam meritò referendam esse; quandoquidem non pauci memoriæ prodiderunt, ipsum in instruenda atque disponenda acie mira prudentia stratagemati non ita absimili, ad ludificandum hostem vsum fuisse, nimirum quindecim eum triremes omnibus apparatibus bellicis quàm opportunè instructas, à tota sua classe separatas, in insidiis à tergo reliquisse tradunt, eo sanè consilio, vt si iam inclinata acie, necessitas harum auxilium & vsum requireret, illis quamprimùm, ceu nouis subsidiariis, repentino per medios hostes incursu impetuque facto, commodùm vteretur. Vtcumque verò res gesta sit, insignis profectò ac memorabilis ea fuit victoria, tantique ponderis atque momenti, vt memoria eius anniuersario perpetuo sacro, ad ædem D. Matthæo dicatam, aulæique aurei dono, decreto publico decorata sit, & ad hanc vsque diem, citra intermissionem vllam propagetur. Quidam Venetorum Annalium scriptores deuictæ classis Præfecti nomen alto silentio supprimunt, eo fortassis consilio, ne Dandalæ familiæ, ex qua ipse oriundus erat, propter acceptam cladem, & infeliciter in illa quidem expeditione administratam rem bellicam, labem, vel aliquam aspersam notam posteritas reperiret. Qua sanè in re non est, meo equidem iudicio, quòd nobilissimæ isti familiæ, ac optimè de sua patria iugiter meritæ, aliquid dedecoris, vel sinistræ famæ periculum metuant, præsertim cùm ipse Dandalus omnia simul fortissimi Imperatoris, & strenui militis officia obierit, nulloque modo negligentiæ, vel temeritatis à quoquam meritò insimulari possit: quãdoquidem cùm fortunam ipsam non habeamus in nostra potestate, nec sanis semper consiliis rerum euenta respondeant, satis est actionum nostrarum successus non aliàs quàm boni consilij maturitate æstimare atque metiri. Siquidẽ nemo ferè est, qui ignoret, omnibus quodammodò ætatibus semper clarissimos extitisse duces, qui post multas reportatas de hostibus inclytas victorias, & gloriosissimos actos triumphos, tametsi in omnibus suis negotiis summam prudentiam & iudicij rectitudinem adiungerent, quandoque tamen infelicibus successibus pugnasse citra omnino aliquam suarum laudum & virtutis bellicæ partæ existimationis iacturam, vel iustam imminutionem. Cuius quidem rei cùm infinita propemodùm exempla ex ipsa antiquitate nobis in primis sese offerant Mithridates Ponti rex, L. Crassus, Magnus Pompeius, ac demùm Hannibal ipse, ex recẽtioribus verò maximis & præstantissimis Imperatoribus Carolus Quintus (cuius augustissimum nomen honoris & reuerentiæ causa nomino) mihi instar omnium sit, cuius virtutes bellicæ, aliæque veri heroici & excelsi animi dotes, si penitiùs introspiciantur, ac cum aliorum magnorum Principum virtutibus conferantur, adeò fuerunt præclaræ & celebres, vt gloriosissimis bellicosissimisque istis quos modò recensui Ducibus non solùm par, verumetiam multis parasangis superior à multis grauibus viris iudicatus sit; qua tamen ipse fortuna ad Algerium, & Mediomatrices vsus fuerit, non est (cùm paucos ignorare existimem) quòd hoc loco tanti Cæsaris felicitatem, & æqualis ferè vitæ tenorem, ac insignem isonomiam inuidiosa commemoratione aliquo modo eleuem; cùm in confesso sit, eum in vltima illa expeditione Algeriana tãtam fortunæ aduersitatem expertum fuisse, vt parùm, vel nihil abfuerit, quin desperatis atq. accisis rebus, ipse in vltimum vitæ discrimen adductus, vitam cum imperio amiserit. Hæc eo potissimùm recensui, quòd cùm constet, Dandalum ipsum præstantissimũ sese virum in omnibus suis actionibus semper gessisse, & maiorum suorum gloriam, summa gerendarum peritia, fideique constantia semper antea conseruasse, planè dolendum sit, quòd ipse propter vnius pugnæ improsperitatem, à recto rationis itinere deuius, in tantam impatien-

Militaris peritiæ exemplum.

Rerũ euentã non semper sanis cõsiliis respondent.

Caroli v. elogium.

patientiam & desperationem prolapsus sit, vt nō solùm malam nominis sui autæque gloriæ rationem, verumetiam pessimam de se habuerit; nimirum cùm verè excelsi & generosi animi sit, rebus asperis & aduersis non consternari vel disijci, sic etiam nec secundis efferri, vel attolli. Proinde magnum cum impotentis, tum etiam malè Christiani & religiosi animi argumentum dedit, quòd retroactæ vitæ suæ honestatem & innocentiam tam turpi ac scelerato fine, & (vt sic dicam) colophone dehonestarit. Inferre enim sibi ipsi manus, vel etiam ethnicorum Philosophorum sententia non minùs quàm alij vim & impressionem inferre, impium ac inhumanum scelestumque est, cùm in tabulis Decalogi expresse præcipiatur, homicidium non committendum esse; quod non de proximi tantùm, verumetiā de vniuscuiusque propria vita intelligi existimandum est. Quid igitur viro forti, & illo quidem Christiano indignius, vel flagitiosius, quàm vel vitæ tædio, vel promerendæ famæ ac posteritatis gratia, animā ipsam nunquam iniussu Imperatoris sui (vt ait ille) educendam, paricidialibus & plusquàm sacri legis manibus è custodia, atque suo constituto domicilio, ante tempus scelestè educere? Hæc tametsi multos patronos tamquam honesta habeant, & à non paucis ad fortitudinem rapiantur, falsoque illius titulo excusentur, cùm specie quadam, licet inani & fucata, fortitudinis indoctiores & imprudentiores fallere possint; nihilominus tamen quia Christianum non est, aliquid Christiana pietate & religione indignum committere, omnium hominum iudiciis Dandulus noster in perpetuum reprehendetur, & hac de causa vituperabitur. Habeant alij suos Catones, Hannibales, Antonios, Cleopatras, & alios quos stulta ambitio & inanis gloriæ fama ad scelus pertraxit, vel quos vitæ tædium, aut melioris vitæ subsequendæ spes, vt de Cleombroto & Empedocle, stolidis certè hac in parte philosophis, antiquitas ipsa testatur, ad odium huius lucis ita adduxit, vt vitæ filum abrumpere non veriti sint. Satis est nos qui Christo nomina dedimus, eiusque sacris initiati sumus, intelligere, quàm turpiter insana illa stultissimorum hominum multitudo fiducia quadam sui subnixa, à vero, Deique voluntate in hoc aberrauerit. Verùm de his satis, & me aliquantulum ab instituto digressum, reuocat historiæ contextus. Veneti post acceptam cladem nihil de pristina animositate remittentes, nullum planè alicuius consternationis specimen, vel argumentum præbebant, sed ne propter illata damna, potentia sua aliqua ex parte labefactata vel attrita videri posset, hoc vnum dabant enixè operam, vt summa cum diligentia reparata classe, sese melioribus temporis & fortunæ successibus reseruarent. Proinde ad initium veris viginti quinque triremes duce Marco Paseo, vltra

Summum scelus, sibi ipsi vim inferre.

1299.

Noua classis Venetorum.

finum Hadriaticum eo animo & consilio emittunt, vt insulas omnes, & Mediterranei Ægæique maris oppida præsidio tuerentur, nullamq. bene gerendæ rei occasionem, si qua daretur, prætermitterent. Baseus itaque quo aliquo præclaro facinore Reip. cladē solaretur, ciuiumq. suorum animos in nouam spem erectos sibi arctius deuinciret & promereretur, summa industria & celeritate vsus, ad Hellesponti fauces penetrauit, eoque cùm peruenisset, in hostilem classem præter expectationem incidit, & inuicem nihilo meliore euentu, maiore tamen animi alacritate cum hoste summa necessitate adductus conflixit. Magna fuit in hoc certamine vtriusque partis alacritas, & pugnandi contentio. Veneti namque vt præteritas & superiorum temporum iniurias grauesque clades vlciscerētur, magno ardore & impetu in hostem ferebantur: Ligures verò felici rerum successu confirmati, longoque belli vsu edocti, solo laudis gloriæque amplificandæ studio, ad prœlium feliciter conficiendum, hostemque superandum incitabantur, & magna

Nauale conflictus.

magna quadam animi fiducia freti, omnia sibi prospera ominabantur, adeò mehercle, vt post longam ac diuturnam pugnam, mutuamque stragem, iterum Veneti pari infortunio inferiores facti, sexdecim triremes cum omnibus armamentis sociisque naualibus (vt quorundam Annales testantur) amiserint. Duplici igitur victoria auctus & elatus Ligur, multò magis quàm antea, hostem ipsum flocci pendere, multoq. maiora sibi polliceri, ac denique, vt plerumque in prospero rerum cursu fieri solet, omnium subsequendarum rerum ex præteritarum successu, euẽta & exitus comparare atq. metiri, tãta cum securitate & sui fiducia, vt in Cretam vsque nemine prohibente euagatus, quamprimùm sese totam insulam occupaturũ, & in potestatem redacturum cõfideret, & fecisset haud dubiè omninò, nisi ad primum quodammodò impetum vehemens ille ardor vnius tantummodo vrbis accessione, nescio qua de causa, quãprimùm restinctus fuisset. Nam post iterum occupatam, & feliciter Venetis ademptam Cydonem vrbem, nihil memorabile vel notatu dignum ab eo patratum fuit, demirantibus ferè omnibus, quòd ipse tam felici atque secundo rerum successu vsus, fortunam suam vlterius non sit (prout omninò debebat) egregiè & fortiter prosecutus; quippè ab hac vltima victoria, vsque ad annum ferè millesimum trecentesimum quinquagesimum secundum, à mutuis armis hunc vtrumq. populum temperasse comperio, nihilque hostiliter, nisi vt pari æmulatione maris imperium sibi quisque retineret, fuisse attentatum. Subsecuta exinde tempora, atrocissima bella ex veteribus odiis atque simultatibus renata, exceperunt; quæ proximo libro maiori qua fieri poterit breuitate enarrabuntur.

Genuensium victoria.

Cydon à Genuens. occupata.

1352

DE BELLO VENETO,

LIBER II.

EQVIDEM non possum satis admirari, quónam Reipub. Genuensis fato acciderit, vt ipsi tantarum gentium victores, gloriam foris egregiis factis & gestis acquisitam, tam sæpè domi funestis & planè exitiosis simultatibus ac factionibus exstinxerint, vel saltem non parùm obscurarint, lateque patẽs dominium atque eximiam potentiam domesticis iurgiis attriuerint. Porrò his fermè temporibus, rursus in Repub. veteres factiones repullularunt, & sensim infelici progressu magnam contagionem attraxêre, pernicioſissimis dissidiis inter Grimaldam & Spinulam gentem exortis; deinde contagione ipsa ad proximos quosque serpente, Auriæ, aliæque patriciæ nobilesque familiæ, similibus studiis & turbis inuolutæ atque implicatæ fuerunt; quæ etsi graues & magnos patronos haberent, nihilominùs consilio & auctoritate præstantissimorum virorum restinctæ & compositæ, anno millesimo trecentesimo decimo, magna sui parte fuerunt, pace certis sub condicionibus atque capitulis iterum postliminiò inter factiosos inita & confirmata: Verùm, cùm successu temporis nouæ subinde seditiones exortæ, & in manifestum vrbis excidium eruperint, nullam me herclè maiorem fuisse causam omnium controuersiarum reperio, quàm quòd semel constitutæ pacis condiciones plerisque iniquæ viderẽtur, ac tales omninò, quæ fidem ipsam datam non obligarent: ex qua certè scaturigine deinceps multa dissidia, quæ in posterum Remp. ipsam mirificè

1300.

Genua veteribus factionibus diuexatur.

Ciuilium dissensionũ causa.

mirificè torserunt, enata sunt, & nisi magna cum difficultate deleta ac consopita. Quomodo autem præclarissima hæc Respub. continua quadam serie diuexata ciuilibus bellis fuerit, seorsum antea enarrauimus. Verumenimuerò, tametsi omnibus Christiani orbis Principibus aliqua spes continuatæ pacis inter vtramque gentem affulsisset, tamen tantisper à bello temperatum fuit, quamdiu Genuenses domesticis iurgiis & seditionibus ciuilibus attererentur: quo quidem tempore, anno scilicet supra mille trecentos tricesimo septimo, inter vtramque gentem propter duas naues Venetas, pretiosis mercibus onustas, quæ ex Gallia Belgica soluerant, à Guelfis interceptas, bellum quodammodò renouatum videri poterat. Quippè cùm post exiguum interuallum, Franciscus Marinus, sicuti lib. VI. rerum politicarum recensuimus, cum decem nauigiis, quibus in Peloponnesum adnauigarat, totidem Venetis fortè occurrisset, horumque præfectus Marino per myoparonem significari iussisset, vt, demissis velis, secum in colloquium atque congressum veniret: quo minimè impetrato, sese mutuis armis impetierunt, eo quidem exitu, vt post lõgam atqué atrocem dimicationem, sex Venetæ triremes in Genuensium potestatem deuenirent. Sed postquam Venetus Senatus totam causam sigillatim ac planè intellexit, licet haud mediocri detrimento affectus, nihil sanè vlterius contra Ligures attentauit, adeò vt per multos annos inter vtrumq. populum pax illæsa atque intacta remanserit. Ceterùm vbi Genuenses priuatis molestiis liberati sunt, iterum vniuersam potentiam ac vires in Venetos cõuertêre: & quamquam multi reperiantur scriptores, qui de renouati belli causa varient, tamen hanc potissimam fuisse existimo, quòd vltra vetera odia, & accepta iniuriarum memoriam, rei naualis, imperijq. maritimi æmulatio, vt dictum est, vtroq. mirum in modum exerceret. Accedebat, quòd postquam Veneti gratia apud Palæologũ excidissent, Byzantioq. fuissent excluſi, Ligures citra aliquam temporis intermissionem, vel expensarum & sumptuum rationem, summis viribus ipsos omni orientalis maris nauigatione excludere enixè contendissent. Quibus sanè de causis Veneti ira accensi, & indignatione inflammati, hoc flagrantiùs succensebant, quòd Chium insulam, antea ipsis Genuensibus cum Smyrna Asiæ vrbe à Michaële Palæologo dono datam, illorum armis retentam conspicerent; cumque illis hanc maximè inuiderent, miris excogitatis artibus, nouisque studiis ac dolis, eam insulam, valdè sibi opportunam, eripere allaborarunt, infelici tamen successu, cùm omnibus suis conatibus à fortuna ipsa destituti, quasi ea nouerca, & omninò contraria illis temporibus cum æmula gente bellum gererent. At cùm Veneti nullis calamitatibus exhauriri, vel aliquibus consiliis sanari possent, magna vtriusque partis contentione iterum ad arma recursum fuit. Genuenses enim, cùm ea tempestate per totũ Eoi maris tractum longè lateque dominarentur, magnum negotium Venetis negotiatoribus faciebant, præsertim verò circa Thracium Bosphorum. Porrò cùm multas onerarias, negotiationis causa, per mare Ægæum & Ionium dimittere solerent, Ligures tunc temporis in aliquot Venetas & Cretenses naues incidentes, magna cum Veneti nominis ignominia, eas Caphatam ex instituto cursu retrahũt, siue, vt aliis placet, in portu Capharino negotiatores & mercatores ipsos detinuerunt: qua re Venetias perlata, repetitis de more mercibus, nec redditis, ipsi ad eam iniuriam vlciscendam magno studio triginta quinque triremes duce Marco Rucciano, siue, vt alij volunt, Nicolao Pisano, comparant: quo Hellespontum nauigare iusso, cùm non longè ab Eubœa aduersa tempestate distineretur, diu ad omnem ventorum flatum circũuagatus, tandem ab instituto cursu retractus, Carystium portum

Francisci Marini aduersus Venetos victoria.

Bellum inter Ligures ac Venetos instauratum.

portum subire summa necessitate compulsus fuit, vbi quatuordecim longas Genuensium naues omni mercium genere onustas, ac imperio Nicolai Magnerres (quæ gens nunc Franca Genuæ est) parentes, præter spem & expectationem reperit; quas vt faciliùs opprimeret & occuparet, néue vllus effugij illic locus relinqueretur, angustias ipsius portus insedit, atque instructo ordine præclusit. Ligures ad tam repentinum inimici ducis aduentum commoti atque perculsi, magna celeritate incidunt rudentes, omnibusque impedimentis naualibus omissis, quàm primum sese pugnæ præparant; ac tandem sublatis velis, cùm propter iniquitatem loci, nulla cõmodè pugnãdi facultas daretur, & parum abesset, quin ab hoste, nauigiorum numero longè superiori, circumuenirentur, protinus omnes in illam portus partem qua mare, quod ibi vadosius esset, difficilius nauigatur, inquirunt; & per illud orificium, alioquin valde arctum & angustum, cùm nullis præsidiis teneretur, earum quatuor primæ elabuntur, reliquæ eodem elabendi studio primas illas secutæ, magna hostium celeritate præoccupantur: & cùm quinta earum quodammodò effugisset, Venetus per transuersum in eam deuectus, cursum præpediuit, eo exitu, vt omnes reliquæ ad illius casum & impeditionem consternatæ, sese in arcto & sinuoso littore reconderent, cui inhærentes, omnes à victore hoste interceptæ in portu fuerunt, ita vt magna & opima præda ampliséque spoliis victor ipse sit auctus. Nam vltra decem naues captas, multosque contrucidatos, septuaginta & amplius nobiles cum mille aliis Ligustici nominis militibus asseruandi causa in Eubœam deportati sunt: quadringenti verò in Cretam insulam traducti. Qua victoria lætus Venetus, cùm in festinatione magnam reliqui opprimendi hostis spem poneret, exiguo reficiendis corporibus concesso tempore, summa diligentia & commoda nauigatione vsus, Hellespontum ac Propontidem emensus, non antea substitit, quàm Bosphorum peruenisset; constituerat enim, Perenses improuisos & imparatos, inopinato accessu opprimere. Verùm, cùm illos præter spem ac opinionem suam, rebus omnibus bellicis ad excipiendum hostes paratos & instructos reperiret, pugna abstinuit, magno certè cum Perensium omnium emolumento, quos prioris prœlij successus ad Carystium paucis diebus antea commissi multo prudentiores effecerat, adeò vt inopinatum hostis aduentum veriti, perpetuis vigiliis atque assiduis laboribus sese ita instruerent, vt omnia necessaria ad manus haberent, nullamque hostilem vim magnoperè ad bellum & obsidionem sustinendum timerent. Venetus itaque sua spe frustratus, nonnihil his locis commoratus est, cõsilij anceps, abiret'ne, vel eos obsidione fatigaret. In hoc ambiguo Venetorum consilio, quatuor illæ Ligusticæ ex Carystio portu nuper, vt antea diximus, dilapsæ, cum nouem triremibus à Simone Vignosio Chij prætore, atque aliis nonnullis priuatis ciuibus Genuensibus, ob recentem suorum cladem duce Philippo Auria viro strenuo & rei naualis peritissimo instructis, sese coniunxerunt: isque vt illatas iniurias & damna vlcisceretur, in Eubœam insulam præteruectus, illam varijs populationibus & incendiis deuastauit; & mox Chalcidem, vrbẽ illius insulę primariam, subito appulsu feliciter expugnauit, captiuos ibi adinuentos recepit; omniéque oppidanorum turba inde abducta, vrbem diripuit atque incendit, pretiosisque captæ vrbis spoliis onustus, cum tribus & viginti patricij ordinis ciuibus Venetis captiuis, Chium reuersus, captæ ciuitatis claues ad sempiternam huius inclytæ victoriæ memoriam ad eius vrbis portas, more Romano, qui ad rostra hostium exuuias spoliaque suspendere solebat, affixit, quæ ad nostra vsque tempora ibi permanserant, & etiamnum, vt fama est, cõspiciuntur, nisi postremò, vi-

Genuensium clades ad Carystium portum.

Chalcis à Philippo Auria expugnatur, ac diripitur.

delicet anno ſupra milleſimũ quingenteſimum ſexageſimo ſexto, Calendis Maij,
Chius inſula à Turcis occupata. quo Turcarum Cæſar Solymanus hanc celeberrimam inſulam ſuo imperio adiecit, illinc tandem, vt veriſimile eſt, amotæ ſint; cùm Tyrannus hoc vnum ſemper egerit, vt omnium Principum Chriſtianorum victoria rerumque cum laude geſtarum monumenta, ex oculis hominum atque memoria amouerentur & extinguerentur. Quomodo autem hæc, duce Piali, aulæ Othomannicæ purpurato, per id temporis occupata fuerit, in Epitome hiſtoriæ variarum rerum, hac noſtra tempeſtate multis in locis geſtarum, cui titulus eſt, De bello Cyprio atq. Pannonico, à me conſcripta ac typis euulgata, dilucidè oſtendi. Ceterùm, vt ad inſtitutum redeam, cùm Reſp. Genuenſis priſtini nominis ſui gloria, ſuperioris temporis iniquitate nõnihil, propter acceptam ad Caryſtium portum cladem, obſcuratam, iterum egregia virtute ac diligenti opera Auriæ ducis recuperaſſet, recentiq. victoria mirum in modum illuſtrata eſſet, Victor Ligur, exque Boſphoro reuerſus, omnis maris tractum latè audacterque circũuectus, nullo relicto, vel ſtatim prodire audente aduerſario, ouans cum magnis ſpoliis, & opima præda, quæ ad quadringentas, vel, vt aliis placet, trecentas auri myriades æſtimata eſt, Genuam cum ſumma Patrum totiuſque populi congratulatione remigrauit, adeò vt effuſa vrbana multitudine, magnus illi eiuſque ſociis honor haberetur. His rebus ita conſtitutis, ac mari vlteriori & inferiori pacato, vtriuſque gentis Rep. nonnihil ab armis & curis conquieſcente & reſpirante, magno cum omnium compendio & ſatisfactione, aliquot menſibus in otio vterque populus vixit: ſed breui pòſt, iterum bellum vtrimque inſtauratum fuit, ſummoperè allaborantibus Venetis, vt ignominiam delerent, ac nouis auſis, & recenti expeditione iniurias & clades
1352. vlciſcerentur. Quod vt facerent commodiùs, anno ſupra milleſimum trecen-
Venetorum fœdus cum Catalanis, et Græco Imperatore, aduerſus Genuenſ. teſimum quinquageſimo ſecundo, cum Petro Aragonio, Siciliæ regnum tunc temporis obtinente, ac Ioanne Cantacuzeno Græcorum Imperatore, (qui expulſo Caloioanne Andronici iunioris filio, contra ius & æquitatem imperium per vim & tyrannidem occuparat) fœdus atque amicitiam, hoc nomine ſubinde ſolicitatis pleriſque Veneti nominis & imperij ſociis, per Michaëlem Stenum, & Ioannem Delphinum ſuos legatos contraxerunt. Socij itaque, nouique illorum cõfœderati, quò laboranti Reip. ſubuenirent, ad inſtituendam nouam expeditionẽ octoginta vnius, vel, vt nonnullis placet, vndenonaginta triremium claſſem, cui ſinguli ſuos duces impoſuêre, adornarunt. Veneti verò magna cum diligentia magniſque ſumptibus, imperatis ad hoc antea nouis vectigalibus, atque delectu in omni ferè agro ſui imperij habito, magnam claſſem aduerſus tantum hoſtem comparatunt, quam quadraginta triremium numerum expleuiſſe conſtat. Et quia ea tempeſtate Nicolaus Piſanus erat vir induſtrius, cuius virtutes bellicæ aliæque corporis & animi dotes in multis rebus ſæpius fuerant exploratæ & perſpectæ, hunc Senatus omnium ſuffragiis claſſi præpoſuit. Catalani verò, Venetorum in hoc bello ſocij, qui triginta triremes ſubſidiarias miſerant, Pontium titulo S. Paulæ cum imperio præfecêre. At quem Græcus Imperator ſuæ claſſi præfecerit, hactenus nulla diligenti inquiſitione inueſtigare potui. Genuenſes vbi de tanto apparatu, ac de tam magnis & potentibus ſociis in partes & belli ſocietatem vocatis, cognouerunt, habita de more graui in curia deliberatione, ac,
Genuenſium claſſis duce Pagano Auria. quid in rem foret, diu longumque conſultato, expedire omnibus viſum eſt, vt ſub auſpiciis Pagani Auriæ, cuius eximia virtus rerumque geſtarum gloria, ac in patriam ſpectata fides erat, ſexaginta triremes quamprimũ habito militari delectu, ceteriſque neceſſariis, inſtruerentur. Cuius certè viri virtus cùm magna & excellens

cellens per se esset, eò tamen maior habebatur, quò Auria familia semper viros præstantes, ac patriæ amantissimos, perpetua quadam serie dedisset, adeò vt tota Respub. omnia fausta & felicia de tanti viri industria sibi polliceretur. Neminem enim latebat, hostiles impetus multis in locis ab Auriis fatali quadam vi fuisse planè retusos & repressos. Is igitur oram Ligusticam emensus, summo ventorum beneficio citò in Hellespontum est delatus: & cùm illi renunciaretur, hostilem classem inter Byzantium & Chalcedonem ad Bosphori angustias propediem profecturam, operæpretium se facturum existimauit, si eò etiam cursum teneret; ratus (id quod erat) se hoc modo Perensibus, nouo Venetorum apparatu valdè deterritis & consternatis, opportuno quidem tempore auxilio futurum: deinde, si ita temporis conditio ferret, vel commodum cum hoste congredi videretur, sese opportunitate loci fretum, tutiùs atque commodiùs dimicare posse. At Pisanus Venetæ classis præfectus, ex Methone vnà cum Pontio Tarraconensium duce in Eubœam traiecit, inde Byzãtium, vt statuerat, profecturus. Verùm pertinaci quodam Aquilonis flatu plures dies ab instituto cursu intercluſus, deficiente tandem commeatu, retrò in Cretam cum tota classe abire coactus est. hinc interpositis ferè quadraginta diebus, sub initium veris, Venetus, ac socij armis & cõmeatibus instructi, solutis atq. sublatis ancoris, institutã nauigationem diligenter prosequentes, Byzantium tandem præteruecti sunt, vbi mox illis Græcorum classis adiũgitur. Nec multò pòst cum hoste circa Peram, olim Galatam, Auria neutiquam pugnam, licet nauium numero longè inferiori, detrectante, acerrimo prœlio vtrimque dimicatum. Verisimile autem videtur, iccircò à Ligure Bosphoranas fauces atque angustias præoccupatas, ne, si in alto & aperto mari res gerẽda esset, à triplici classe circumuentus, in gyrum dimicare cogeretur. Quanta autem cum rei militaris naualisque disciplina & ordine aciem suam instruxerit, sunt multorum Annales qui varient. Nam aliqui dicunt, totam Ligusticam classem in duo potissimùm cornua fuisse distributam, idque eo consilio, quòd Auria summoperè vereretur, ne Græcorum classis aliquantulum remotiùs quàm reliquæ à tergo relicta, sese, postquam cum Venetis & Cathalanis congressus esset, reliquis classibus coniungeret. Proinde expedire sibi visum, vt acie in duo latera, seu in æquales partes distributa, omnem hostilem classem in cõspectu haberet, magna me herclè cum ducis sollertia, quippè qui, cùm hostiũ numero vinceretur, solum præsidium in fortitudine & alacritate, cum singulari coniuncta prudentia reponeret. Cùm sese quo recensui modo ad certamen præparasset, cum hoste nihil minus existimante congressus est, tanta cum omnium pugnantium animositate & ardore, vt, cùm hinc acuentibus animos odiis atque receptarum iniuriarum calamitatumque memoria, illinc verò toties superati & deuicti hostis recordatio, magna fieret inter eos cædes & strages, tanto impetu, vt licet nox instaret, ægrè tamen pugna dirempta sit. Pomeridiano enim tempore tribus ferè horis ante Solis occasum prœlium inter eos inchoatum, in sequentis diei primam quodammodò lucem varia fortuna extractum est, eo certè euentu, vt sub certaminis initium fortuna Venetis sociisque valdè faueret. Atrox, horribile & deforme erat ipsum prœlium, pugnæque facies, propter innumera armorum ac telorum genera, quibus classiarij ac epibatæ vtebantur, densumq. nauigiorum inuicem cohærentium & colligatorum nexum, adeò vt vniuersum mare humano sanguine fœdè suffusum & cruentatum, armis, clypeisque, remis & harpagonibus, denique humanis cadaueribus, non sine immenso terrore & commiseratione, vndique constratum atq. repletum conspiceretur. Augebant hor-

Naualeprælium.

rorem ingentes hominum clamores in cælum ipſum vſque ſublati, qui confuſione quadam inſtar boatus, vel mugitus, vndique aërem perſtrepebant, ac latè longeque circumſonabant, multorum armorum crepitus, remorum fragor, atque concurrentium nauigiorum depreſſiones & eliſiones mirificè omnes afficiebant, præſertim cùm tanta vbique animorum pertinacia & obſtinatione pugnaretur, vt nulla ſalutis ſpes niſi in dextera & victoria ipſa relinqueretur. tanta ſiquidem fuit vtriuſque partis contentio & deſperata quædam animoſitas, vt nullibi terrarum fortiùs hactenus & longiori prœlio conflictum, vel inſtabiliori fortuna dimicatum fuerit. Tandem Pontio cadente, & Catalanis ſuo duce deſtitutis, pugnam remittentibus, Veneti ſenſim ac pedetentim cedere cœperunt, ſic vt victoria prorſus ad Ligures ſeſe inclinans, ea cum magna gaudij effuſione potiti ſint: Græcorum verò claſſis ex tranſuerſo inuecta, pugnam Græca calliditate detrectans, facilè citra multam ſanguinis effuſionē recroceſſit. Sed Venetæ & Aragoniæ à frontiſpicio congreſſæ, ac tam arcto loco, atq. ita inter ſe coagmentatæ & coniunctæ, vt vix dimidia Venetarum nauium pars propter anguſtias explicata fuerit, facilè à Genuenſibus alacriter pugnātibus ſuperatæ ſunt. Omnes enim quotquot rei militaris periti in ea expeditione fuerunt, faſſi ſunt, Venetos & Aragonios propter iniquitatem loci in ſummas anguſtias coniectos, maiori ex parte ſuperatos fuiſſe, ita vt quamuis Genuenſibus & mare & venti aduerſarentur, rem tamen feliciter gerere potuerint; cùm hoſtis in iſtis anguſtiis eſſet quodammodò ſua mole & robore ſuffocatus. In hoc prœlio ex fœderatis & Veneti nominis ſociis ſupra quatuor millia cecidiſſe, fama eſt: inter quos, præter multos equites Aragonios, Stephanus Contarenus D. Marci Procurator, Ioannes Stenus, qui ſuperiori anno legatione, vt dictum eſt, apud Cantacuzenum Cæſarem functus fuerat, Benedictus Bembus, Pancratius Hadriatici ſinus Præfectus, deſiderati. Ex Genuenſibus verò non vltra ſeptingentos periiſſe conſtat, & inter illos quidem præclari ac ſtrenui ciues; amiſſarum verò, vel depreſſarum nauium numerus itidem exiguus fuit. Sed ex hoſtilibus in poteſtatem Ligurum deuenêre quinquaginta octo triremes, ex quibus triginta Venetorum, ceteræ Tarraconenſium extitêre: reliquæ in ipſo ardore prœlij depreſſæ. Græcis autem, quoniam ipſi, pugnæ aſperitate animaduerſa, ſtatim vt ſuperiùs retulimus, receſſerant, nihil prorſus incommodi allatum eſt. Huius glorioſiſſimæ victoriæ memoriam ſeptimo Idus Martij habitam, ſacro anniuerſario ſollemni in æde Matthæi, aureique paludamenti dono ab ipſo Magiſtratu publicè deferendi, quotannis celebrandam inſtituêre. Nec ſanè immeritò, cùm hæc omnium pugnarum naualium in Oriente commiſſarum, longè maxima, vel ſaltem vna ex præcipuis extiterit. Nam, vt aliarum gentium naualia certamina præteream, in ipſa Græcia non extitêre celebriora quàm illa quæ ad Thermopylas, Salaminam, Marathonem, Mycalen, Mantineam, Leuctra, Cheronæam, & apud Plateam inter Græcos & Mardonium copiarum Xerxis præfectum, commiſſa fuêre. Pari quoque ſtrenuitate & ardore dimicatum fuiſſe narrat antiquitas inter Romanos & Carthaginienſes, mutui imperij æmulos, itemq. inter Octauium & M. Antonium, ad Actium congreſſos: nec defuerunt inter Chriſtianæ ac Mahumeticæ religionis Principes pugnæ memorabiles, quarum omnium illa præſtantiſſima, quæ ſuperioribus annis magna cum Chriſtiani nominis dignitate, decore, ac emolumento ad Echinadas inſulas commiſſa eſt: cuius prœlij ſucceſſum luculenter in tertio libro De bello Cyprio à me conſcripto, ſum complexus. Huius tantæ cladis ad Boſphorum acceptæ fama Venetias delata, vniuerſos in-

Inclyta Genuenſium victoria.

Celebriores naumachiæ.

sos ingenti dolore pariter & indignatione affecit: sed Senatum alioſque patricij ordinis viros magis pudor, quàm mœror torquebat, iniquo animo ferentes, paucorum temeritate factum esse, vt ipsi duorum potentissimorum Principum opibus adiuti, non modò Ligurem capitalem hostem, toties à se antea superatum & fugatum, nullo incommodo affecissent; verùm alternante fortuna, summa accepta clade, ac turpiter loco derelicto, maximo cum omniũ detrimento immensam ignominiam in se admisissent. Impacatis igitur omnium animis, non antea quieturi videbantur, quàm eam labem pristinæ suæ gloriæ ac æstimationi inustam, aliquo recenti facinore, atq. adeò singulari aliquo Liguribus illato damno, 1353. eluerent atque corrigerent. Igitur proximè sequenti anno supplemento habito, quinq. & quadraginta triremium classem, duce eodem Pisano, instrui iusserunt; qui comparata iam classe rectà in Siciliam contendit, vt Aragoniam classem triginta quinque nauigiorum numerum æquantem, & ibi in ancoris subsistentem, cuique in Pontij locum Bernardus Caprarius cum imperio suffectus erat, sibi adiungeret. Quod vbi Genuæ cognitum est, eueſtigiò ex Ioannis Valentij ea tempestate supremum Principatum gerentis, aliorumque Patrum decreto, sexaginta triremes adornatæ sunt: quibus omni bellico apparatu instructis præpositus est Antonius Grimaldus, qui ferè ante viginti & vnum annos, quinq. & quadraginta triremium classis Præfectus, maiorem Balearicam, & Cathaloniam magnis cladibus affecerat, hostemque in turpem ac præcipitem fugam coniecerat. Is itaque omnibus rebus ad rem naualem opportunis, summo studio ac diligentia præparatis, è sinu Ligustico soluens, rectà in Sardiniam, quò hostilem classem concessisse per speculatores acceperat, nauigationem instituit: ibique iuxta Calarim in eius insulæ ora, siue ad Congeriam, vt aliis videtur, vbi primùm in hostilem classem incidisse dicitur, ferociter in mutuum conspectum & pugnam processerunt. Ligur, quia nuper aduersus hostem, licet potentiorem, circa Bosphorum prosperrimè dimicasset, certam sibi victoriam proponere. Veneti verò, iniquitate loci, non hostium virtute superiorem cladem sese accepisse rati, quamprimùm futuri certaminis successu priorem ignominiam abolitum iri contẽdebant. Tarraconenses pugnæ auidissimi, Venetorum animos, sua sponte alioquin mirabiliter flagrantes, oculorum alacritate, & animi robore ac constantia summoperè accendebant & extimulabant, adeò vt magna cum ferocia & ardore, tametsi Ligur nauigiorum numero longè impar esset, vtrimq. ad manus sit deuẽtum, atrociterque dimicatum: Prœlium ipsum, pedestrẽ & statariam pugnam præ se ferre videbatur, cùm animi constantia corporumq. vi ac robore res gereretur, vt neque loco, cùm cominus pugnaretur, facilè dimouerentur, neque antea inuicem cederent, vel locum desererent, quàm fortiter pugnando occumberent, donec tandem magno cum Genuensium infortunio ac prioris fortunæ mutatione, finitum est; siquidem ipsi, toties aduersariorum suorum victores in hoc certamine, magno cum fortunę volubilitatis exemplo, inferiores extitêre, vna & quadraginta triremibus amissis; quarum aliæ depressæ, aliæ verò in potestatem hostium deuenêre, ac reliquæ nouemdecim sublatis velis, subita venti mutatione facta, cum ipso duce Grimaldo incolumes elapsæ sunt, quæ postmodum secunda nauigatione Genuam redierunt. Traditur etiam, præter captiuos, quorum sanè magnus fuit numerus, plurimos ex præcipua Genuensium nobilitate fortissimè pugnantes desideratos esse. Quidam huius pugnæ infelicem exitum magna ex parte ipsi nauarcho acceptum referunt, quòd dicant, eum minimè ex militaris scientiæ, & disciplinæ præceptis, ordines instruxisse, multaque prouidi & circumspecti ducis

Naualis conflictus.

Ligurum infelix prœliũ.

munia & partes neglexiſſe. contrà verò non pauci extant qui conſtanter aſſeuerent, ipſum omnia prudentis Imperatoris ac ſtrenui militis officia abundè præſtitiſſe, nihilque ab eo in illo prœlio deſiderari potuiſſe. Proinde cùm belli alea ſemper ſit anceps, & ſæpiùs humana conſilia & vincat & ludificetur, exiſtimant, potius incertam humanorum caſuum & fortunæ viciſſitudinem ob oculos ponendam, quàm propter ſiniſtræ & aduerſæ pugnæ caſum aliquo modo ipſius ducis dignitate eſſe eleuandam; nimirum, cùm vel hoc in primis viri prudentis ſit, animum ita inſtituere, vt nihil ſibi certi de propria virtute ac fortuna quiſquam polliceatur: ſed cùm rerum humanarum maxima ſit incõſtantia & varietas, omnes actiones ita diſponere decet, vt cum honeſta rectaque ratione conſentiant, ilarum verò ſucceſſus ac exitus diuinæ voluntati permittere. Meritò igitur excuſetur Grimaldus, qui propria virtute, & ſuperiorum felici rerum ſucceſſu confiſus, certamen cum claſſe tanto numero ſuperiori committere nequaquam ſit veritus. Ingentis verò cladis acceptæ memoria egregium rerum humanarum documentum poſteris præbere poterit, nullius virtutem atque induſtriam fortunæ poſſe obniti. Veneti, & Tarraconenſes, fortunam ſuam vlterius proſecuti, duo Liguſticæ ditionis oppida in Sardinia, ſubita incurſione facta, ceperunt: quibus captis, nouiſq. præſidiis firmatis, ſinguli ad ſuos reuerſi. Hæc tam funeſta clades, ob plurimorum ciuium, & lectæ nobilitatis iuuenum, partim ſuperioribus bellis, partim verò in hoc poſtremo certamine cæſorũ interitum, vniuerſam vrbem haud ſanè mediocriter afflixit; & ad hanc neceſſitatem adduxit, vt tandem Reſp., acciſis iam rebus, multis grauibuſque cauſis neceſſarium habuerit, ad externam potentiam, ceu ad ancoram, confugere. Quæ ſanè res cùm non eſſet leuis momenti, ſed ita perplexa & grauis, vt magnam deliberationem requireret, diu Senatum torſit, antequam ipſis Patribus bene ſuper eligendo externo Principe conueniret. Tandem poſt multarum ſententiarum rogationem, illorum prœualuit, qui Mediolanenſium Principem, ceu vicinum & potentem, aliaſque ſocium, ceteris grauibus rationibus adducti, præferendum iudicarent. Itaque ſe vltrò, de communi omnium ſententia, Ioannis Vicecomitis, Mediolanenſium Principis & Antiſtitis, cum maximis & præſtantiſſimis quibuſque Principibus & Dynaſtis, non ſolùm totius Italiæ, verumetiam reliqui Chriſtiani orbis opibus & ſummа potentia facilè certantis, fidei ac tutelæ commiſerunt, & tradiderunt, ea quidem lege & condicione, vt inter cetera ſe aduerſus omnes Venetorum Aragoniorumque iniurias & vim deinceps tueretur. Deditionis huius fama effecit, vt & Veneti nouo fœdere, ac ſocietatis iure ſuas partes augerent & conſtabilirent. Porrò cùm magnos & potentes haberent vicinos, quorum fidei atque opibus nõ mediocriter fidebant, minimè neceſſarium eſſe arbitrati ſunt, vt longo & moleſto ambitu externorum longeque remotorum Principum gratiam atque amicitiæ neceſſitudinem quærerent, multiſque precibus emendicarent, & quaſi, quod ſæpius vſu venire ſolet, longa condicionum ſerie emercarentur. Itaque legatione ad omnem viciniæ oram miſſa, Patauinorum, Veronenſium, Eſtenſium, Mantuanorum, & in Etruria Florentinorum amicitiam implorarunt, citraq. magnam aliquam difficultatem obtinuerunt, eò quidem faciliùs, quò Vicecomitum opes atque potentia propter imperij magnitudinem finitimis populis eſſent mirum in modum ad faſtidium vſque inuiſæ & ſuſpectæ; nec mirum, cùm ad omnium fere gentium aures vetus illud prouerbium peruenerit, Odimus quem metuimus.

Genua ſub Ioannis Vicecomitis imperio ac tutela.

Venetorum fœdus cum multis populis & Principibus initum.

1354. Proximo vere, quod in annum eiuſdem ſæculi quartum & quinquageſimum incidit, Veneti, communi Patrum ſententia, triginta ſex triremes expediuerunt, additis

ditis ingentis magnitudinis onerariis quinq.,ac pleriſq. aliis nauigiis.Cumq. eſſet variatum,tandem frequẽtibus ſuffragiis eidem Piſano ſummum imperiũ ijſdem ferè quibus antea legibus,de more traditum. At Genuenſes interea de rebus ſuis mirificè ſolliciti, enixè allaborabant,ne negligẽtia,vel imprudẽtia,minima etiam in re peccarent,vel laberentur. Proinde ſumma prouidentia & celeritate quinque ac viginti triremiũ claſſe præparata, tametſi in Rep.omni ferè tempore præclariſſimi ex quãplurimis familiis duces extitiſſent,qui Remp. ipſam externarũ gẽtium armis attritam & defatigatam,non ſemel ſalutaribus conſiliis ac rerum gerendarum peritia, ſumma cum fidei integritate iuuiſſent; & hæc virtus bellica, ceu per manus ad poſteros tradita,ita in multis familiis nobilibus floreret,vt non difficile eſſet in tanta nobilitatis frequentia aliquem armis præſtantem, tantæ prouinciæ idoneum inuenire: nihilominus tamen quia Auriæ familiæ arma & induſtria,aduerſus omnem hoſtem, præſertim verò Venetum,prorſus fatalia iam longo vſu deprehenderant, omnium decuriarum ac tribuum ſuffragiis, iterum Paganum Auriam maritimo negotio atque nauali bellicæ expeditioni cum ſuprema poteſtate ac Imperatoris titulo præficere placuit. Ceterùm Venetus vt quàm longiſſimè patriis ſedibus bellum propulſaret atque proferret, ſuorum militum ac nauigiorum robore & numero fretus,Ionium mare penetrans, Oenuſas,à recentioribus inſulam Sapientiæ dictam, haud procul Meſſeniaco ſinu poſitas, celerrimè contendit.Verùm,cùm hæc inſula ita ſit obſcura,vt à pleriſque,niſi bene in Coſmographia verſatis, ignoretur, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi leuiter aliqua attingerem, quæ ad illius ſitus deſcriptionem haud parum pertinere iudicarem. Itaque cùm huius inſulæ tractus valdè ſit ſcopuloſus & aſper,ac pleriſque inlocis inuius & inacceſſibilis, potius magni ſcopuli, quàm iuſtæ inſulæ retinet formam:ſed quia vna ex parte, ſcilicet ea qua Peloponneſo contigua eſt, portum habet amplum & capacem,qui multis nauibus fidam ſtationem ac receptaculum præbere poteſt, magis illius ſecuritatis cauſa,quàm propter aliarum rerum vſum, cùm lignationibus & aquationibus omninò careat, frequentari ſolet. Huc ergo Auria, qui, vbinam hoſtis ſubſiſteret, optimè exploratum habebat, cum ſua claſſe,cui paulò antè ſeſe decem triremes ductu Vicecomitis Grimaldi ſocias addiderant, cum viperæ inſignibus,Inſubriæ principum auitis & familiaribus, irrequieto curſu ac ſummo dimicandi ſtudio & ardore conceſſit,& modico temporis ſpatio ambæ claſſes ſe ex aduerſo intuitæ ſunt; virtuteque ac æmulatione vtriuſque Præfecti,haud ſanè magna mora iniecta eſt, quin mutuò infeſtis armis congrederentur. Venetus, in nauium ſuarum quas in primo cornu hoſti oppoſuerat,robore, inq. victoria,ſuperiori æſtate in Sardinia habita, plurimum confidere: Ligur contrà non minore animi alacritate ac fiducia, quàm ante biennium in Helleſponto magno cum fortunæ beneficio dimicarat, manus cõſeruit: & derelictis nauibus, quæ propter nimiam æquoris malaciam, loco dimoueri nequiuerant,contra aduerſariorum ſpem ac opinionem,illorum claſſem ex vtroque latere inuaſit,eo quidem ſucceſſu, vt voti compos factus,præclara atque planè inſigni victoria potiretur. Capta enim tota hoſtium claſſe, eius præfectum Nicolaum Piſanũ cum quinq. & quadraginta hoſtium millibus in poteſtatem redactis, nec nõ vexillum D. Marci ad puppim obliquè inuerſum atq. affixum, Genuam tranſmiſit. Verùm ſicut paſſim multa cum magna ſcriptorum varietate tradũtur, ſic etiã circa huius certaminis ſucceſſum haud exiguam diſcrepantiã eſſe animaduerto. Eorum namque qui huius pugnæ meminerunt,quidam poſteris tradidêre,in aperto mari ab vtriſque dimicatum fuiſſe,& poſt longum ac valdè pe-

Oenuſarum inſularum deſcriptio.

Nauale prælium.

Inſignis Genuenſ. victoria,duce Pagano Auria.

dè periculosum certamen, fortunam ad Ligures inclinasse. Nonnulli verò in literas retulerunt, sine vlla pugna, aut cæde, vniuersam Venetam classem, excepta vna triremi, quæ statim sub pugnæ initium celeri fuga sibi consulebat, in ipso portu subito & planè inopinato accessu, quemadmodum paucis antè annis in Carystio portu Ligusticis nauibus contigerat, oppressam. Prior tamen sententia, vt verisimilior, mihi magis probatur. Hanc funestam cladem Venetis ex antecurrentibus notis prædictam fuisse, plerique commemorant. Nam pridie illius diei qua clades illa accidit, ex manifesto ac mirabili augurio haud pauci malè Venetis ominabantur. Coruorum enim agmen aduerso volatu inuicem infestantium, atque miro strepitu & rixis se mutuò lancinãtium, in ipso aëre supra Venetorum classem ab omnibus summa cum admiratione visum & obseruatum fuit. Quod sanè prodigium hoc certiorem Venetis denunciabat infelicitatem, quòd post multam contentionem, mutuus concursus & impetus in lucta fuerit tam ardens & vehemens, vt dimicando ita inuicem attererent, quòd alarum plumæ vi euulsæ, decíderent, & effuso cruore Venetas triremes aspergerent. Accedebat tam tetro & prodigioso spectaculo aliud indubitatæ calamitatis haud leue argumentum, quòd remex vnus ex sua in proximam nauim transilire conatus, cùm ita pede aberraret, vt cum saltu interstitium inter vtramque nauem positum transmittere nequiret, in mare prolaberetur; qui actutum ab immani pisce exceptus & deuoratus fuisse narratur. Ceterùm Auria, his rebus quàm prosperrimè ac felicissimè gestis, secũdæ fortunæ suæ auspicia secutus, inde cum victrici classe in sinum Hadriaticum præterrectus est, ibiq́ue negotiatoriis aliquot interceptis nauibus, moxq́ue in Istriam perpetuo cursu delatus, Parentum capit, & diripit; direptumq́ue incendit; deinde multa strage edita, opimis spoliis, multisq́ue manubiis auctus, cum ingenti gloria ac magno suorum militum emolumento, domum rediit, tanta cum omnium lætitia, & fausta gratulatione, vt vrbana multitudo vndique effusa, victricem classem in patriam reducem faustis acclamationibus in ipso portu exciperet, summoq́ue gaudio singulos ob res præclarè gestas compellaret: qua sanè lætitia num vnquam ab eo tempore maior, quo bellum cum Venetis gestum fuit, cum maiori omnium declaratione demõstrata sit, vix equidem scio. Dux ipse namque extra prætoriam triremim progressus, cum iuuentutis ac nobilitatis flore obuiam Senatui processit, & magna hilaritate exceptus, in curiam honorificè deductus est. Cui in patriam cum tanto honore, ac rei bene gestæ gloria reuerso, Resp. Genuensis, quæ semper magnorum virorum, omniumq. virtutum iusta & æqua æstimatrix extitit, ne erga eum aliquod gratæ patriæ officium prætermittere videretur, præter eximios honores, quibus eum antè ornarat, ad perpetuæ memoriæ ac virtutis eius testimonium splendido & magnifico palatio in foro Auriano sito, donauit. Verumenimuerò fortuna ipsa omnia mutabili pede varians, & semper viris bonis iniqua, ac in primis quidem illustrium virorum meritis ac virtutibus æmula & infesta, Auriæ tantam à grata patria gloriæ felicitatem collatam inuidit. Quandoquidem haud diu tantis honoribus frui potuit, cùm ipse cum incredibili omnium dolore fato sublatus, mirum sui desideriũ toti suæ patriæ ac memori posteritati reliquerit. Nec me hercle mirum, ciuitatem tanti & tam præclari sui ciuis obitum grauiter tulisse, cùm omnium scripta & voces in hoc planè consentiant, illum tanta animi celsitudine atque præstantia, tantaq. demum aduersus cupiditates omnes continentia & moderatione fuisse, vt cũ solùm ad gloriã atq. laudem respiceret, & ad has, ceu vnicũ fidissimum scopũ, omnes suas cogitationes & studia cõferret ac dirigeret, nullam prorsus

Prodigia quæ Venetã cladem præcessere.

Parentum à Genuens. captum, atque incensum.

Exemplum gratitudinis erga de patria benemeritos.

Pagani Auriæ obitus, ac singularis virtus.

prorſus opum rationem habuerit, ita vt poſt ſuum obitum, præ rei familiaris angustia & tenuitate, prout etiam Græci de Ariſtide prodiderunt, in eius ædibus non eſſet, vnde illius cadaueri iuſta pro dignitate perſoluerentur: ideoque publicis ſumptibus fuit illi parentatum, & in æde Dominico ſacra marmoreum monumentum erectum. Huius autem victoriæ, ſicuti etiam prioris ad Helleſpontũ habitæ memoriam ſacro anniuerſario ſollemni in tẽplo Matthæi, ac chlamydis aureæ dono à Senatu publicè deferendæ, quotannis recoli placuit. Id quidem ſilentio premendum non eſſe arbitror, ad hanc victoriam parandam, plurimum Mediolanenſium Ducis ſubſidia & opes, quibus Remp. Genuenſem, tunc tam domi quàm foris rebus acciſis, mirum in modum laborantem, iuuit, momenti & roboris attuliſſe: quippe qui vltra duodecim triremes, ſuis impenſis ac milite egregiè inſtructas, ad nouam etiam claſſem exornandam militem, pecuniam, & omnis generis cõmeatus non inuitus contribuerit, adeò vt ipſi Ligures, Mediolanenſis Principis potiſſimùm ope ac recenti victoria aucti, gratitudinis ergô, nouo decreto antea cõceſſæ ciuitatis iura, quæ Ioannis Vicecomitis morte finiebantur, ad Galeacium pariter & Barnabam eius nepotes tranſtulerint, ſic vt Liguriæ vrbes à Coruo Lunenſi Promontorio ad Herculis Monœci portum vſque, horum imperio ſubiicerentur. Interea temporis Ioanne Vicecomite humanis rebus excedente, præfati Principes in demortui patris locum ſucceſſerunt, ſub quorum tutela & dominio aliquandiu remanſêre; ac horum etiam Principum interuentu & auctoritate bellum tandem inter Venetos ac Genuenſes terminatum eſt, anno eius ſæculi quinquageſimo quinto: quæ ſanè pacificatio eò minori cum negotio & difficultate inter eos coaluit, quò vterque populus laboribus & opibus exhauſtus, ad otium & quietem propenſius ſpectaret, & in primis quidem Veneti ob acceptam cladem, quæ ſanè vniuerſam vrbem tam acri dolore perculſerat, vt omnes de ſalute publica deſperare, vulgoque credere ac fateri, actum eſſe de re Veneta, ſi hoſtis victoriæ ſuæ proſperitatem & curſum proſecutus, vrbem ipſam adnauigaſſet, præſertim cùm nulla claſſis, nullæ turmæ nauales, nulla denique præſidia tunc ad manus adeſſent, quibus tanto hoſti iretur obuiam, vel cuius vires commodè in tanta rerum omnium trepidatione tempore opportuno inhiberi poſſent. Nihilominus tamen in tanta vniuerſæ vrbis conſternatione, periculi præſentis magnitudo efficere nequiuit, vt omnia ſana conſilia eriperet vel extorqueret. Confeſtim enim ſumma cum diligentia & celeritate quatuor triremes inſtructæ ſunt, quæ ad fauces ſinus Hadriatici in perpetua ſtatione manerent, ac totam illam oram maritimam contra aduerſariorum iniurias tutarẽtur & defenderent. Hæ, paulò poſt diſceſſum Aurianæ claſſis in altum eductæ, tres Liguſticas prædandi ſtudio in Iſtriam vſque progreſſas curſu auerterunt. Sunt qui referant, triremim illam quam Sapientina clade euaſiſſe diximus, per eos dies ab vna Liguſtica, Grimalda vocata, in Peloponneſo non ita longè à promontorio quodam interceptam fuiſſe, indeq. poſt paucorum dierum intermiſſionẽ, alteram, & mox aliam ex Venetis pari fortuna à Ligure fuiſſe oppreſſam, ſucceſſuque blandiente in Iſtriam vſque curſu euectam, metu retrò ceſſiſſe. Quo etiam tempore Venetiis ſeptem triremes ſub Bernardi Iuſtiniani auſpiciis eductas, citra tamẽ alicuius rei bene geſtæ memoriam, eſſe comperio; tandemque denuò, pacem vtrimque, vti antea demõſtrauimus, tranſactam fuiſſe: quæ ſanè anno eiuſdem ſæculi quinquageſimo quinto, vſque in annum eiuſdem æui ſextum & ſeptuageſimum, illæſa & inuiolabilis permanſit. Tranſacta itaque pace, Genuenſes, paucis interiectis menſibus, Caloioannem Andronici iunioris filium, à Cantacuzeno contra fas

Mediolanẽſ. Principis ſtudium erga Remp. Gen.

Ioan. Vicecomitis mors.

Pax inter Venetos ac Genuenſ. anno 1355.

Veneti in magna conſternatione propter cladẽ acceptam.

fas atque omnes leges imperio expulsum & deturbatum, adeò enixè in recuperando auito imperio, ac hereditaria amplitudine iuuarunt, vt ipsorum potissimùm opibus atque armis subnixus, in paternam sedem restitutus sit: Senatus enim Genuensis Franciscum Catalusium, virum maritimarum rerum scientia celeberrimum, classisque Ligusticæ tunc temporis præfectum, Andronici subsidio miserat, cuius quidem consilio, virtute, cura & vigilantia, Cantacuzeni conatus ingẽtibus ac periculosis initiis res nouantis, sunt compressi, & propter eximiam suam fortitudinem, egregiamque Cæsari multis in locis nauatam operam, maximum auctoritatis & potentiæ locum apud eum sortitus est, ac summa rei naualis præfectura & titulo donatus. Nec Cæsar tanta liberalitate vel honore eum prosecutum esse contentus, quò eius, gentisque suæ memoriam ab omni obliuione vindicaret, Catalusios opulentæ ac celebris nominis insulæ Lesbi, vbisque Mitylenorum ditione, sorore illi prius in matrimonium concessa, nobilitauit, quam Mahometes secundus Turcarum Imperator, cùm Byzantium, omnemque Thraciam occupasset, Catalusiis ipsis non sine ingenti multorum clade, vi abstulit, Nicolaumque Catalusium, tunc Lesbi Principem, crudelissimè occidit. Hanc Genuensium in Caloioannem propensionem & studia ægerrimè tulerunt Veneti, indeque inter eos noua iurgia & simultates fuerunt exortæ, quæ deinde, aliarum iniuriarum accessione, in manifestum & atrocissimum bellum eruperunt. Interea temporis Respub. domi iterum ciuilium contentionum fluctibus iactata, & eo quidem euentu concussa est, vt populus, nobilitate tandem oppressa, excussoque Mediolanensium Principum iugo, Simonem Buccanigram postliminiò ad supremæ dignitatis locum veheret. Insecutis verò temporibus, nempe anno eius sæculi septuagesimo secundo, in Cypro insula, vbi vtraque gens mercaturam exercebat, & licitabatur, grauissimi rerum turbines, & periculosæ procellæ, quæ miris fluctibus ac tempestatibus vtramque Remp. inuoluerunt, exortæ sunt, quæ vt clarius eluceścant, & penitius introspici valeant, oratione paulo altius repetita, breuiter, vnde illa initium habuerint, ostendam. Cyprus itaque, vt plerique historici tradunt, postquam Romanum imperium inclinare cœpit, diu sub eorum Imperatorum Græcorum imperio extitit, qui Constantino Byzantij successores fuêre. Ricardus interim Anglię Rex cùm Hierosolyma classe petens, eò tempestate delatus, portu prohibiberetur, confestim arma in Saracenos parata, in Græcos vertit, eosque, vt antea recensuimus, tota insula deturbauit ac expulit, moxque illam direptam & spoliatam, firmo suorum præsidio reliquit: eamque postea Guidoni Lusiniano, ex Gallijs oriundo, & de regno Hierosolymitano contendenti, habendam permisit: quam ille ab Anglo acceptam, sibi & posteris suis per multa annorum volumina obtinuit. Tandem post varias successiones, regnum ad duos fratres peruenit, quorum alter Petrus nomine, classe instructa, cum Catalanis ac Gallicis Alexandriam Ægyptiorum inuasit, eo successu, vt quamuis occurrentibus maximis Ægyptiorum copiis, fugæ se commiserit, ingentem nihilominus prędam, ditissimaq. spolia reportauit: qui breui pòst à fratre noctu in vrbe Nicosia, olim eius regni metropoli & regia, per insidias & proditionem interfectus est, (nulla enim sancta regni reperitur societas) in eiusque locum Petrus eius filius, adhuc planè puer, substitutus. Exorto itaque in solemni Regis inauguratione super accipiẽdo superioris honoris loco inter Venetos & Genuensium Prætores ac iudices, quos ipsi patrio idiomate Baiulos appellant, vti non rarò inter æmulos & ambitiosos fit, iurgio & rixa, cùm controuersia esset huiusmodi, vt non facilè posset consopiri, ad Regem, ceu ad supremum iudicem,

Franciscus Catalusius.

Genua Simõ Buccanigra Dux ac Princeps declaratur, 1356.

Noue inter Genuens. ac Venetos simultates ac bella, anno 1372.

Noui motus in Cypro exorti.

dicem, delata fuit, qui instinctu Iacobi Lusiniani eius patrui, Venetis rebus fauentis, secundum Venetos pronunciauit. Genuenses, acceptæ contumeliæ impatientes, cùm æquitatem causæ suæ se nullo sinceri iudicis patrocinio tueri posse confiderent, rem armis vindicare statuerunt. Proinde occultis gladijs se præcingunt, vt Venetos iure præferentiæ exultantes, interficerent. quod vbi resciuêre Veneti, Regi ipsi aperiunt, adeoque per calumniam factum ipsum exaggerant, vt illos in ipsius regis caput & vitam arma sumpsisse criminarentur. Facile fuit puerilem ętatem suapte natura infirmam & credulam, atque calumniis & assentationibus expositam, circumuenire. Ingenti igitur ira commotus iuuenis regis animus, Genuenses, qui octo numero erant, cum sicis in sinu reconditis, comprehensos, non rogatos quamobrem armati essent, nullaque de eis quæstione habita, sed tanquam manifesti parricidij ac læsæ maiestatis reos, crudelissimo mortis genere affecit. E celsa quippe turri in præcipitium dari iussit, substituta adhoc militum cohorte, quæ erectis mucronibus cadentes exciperet. Reliqui Genuenses per Cyprum commorantes, tota insula perquisiti, ac trucidati sunt, ita vt dumtaxat vnus ægrè ex tanta clade, vulnere in facie accepto, rei tam nefariæ & inhumanæ in patriam futurus nuntius, euaserit. Qua re cognita, Ligures dolore simul & vehementi ira ptopter barbaram & crudelem suorum carnificinam ardentes, tantæque atrocitatis iniuriam haudquaquam inultam sinendam statuentes, Damianum Cataneum cum septem triremibus egregiè instructis, quoad maiores apparatus fierent, in eam insulam præmiserunt, eo quidem consilio, vt omnes aditus, quò minus aliunde in eam subsidia comportarentur, diligenter obstrueret & obseruaret. Verùm, postquam inconsultus Cypri rex iuuenili errore lapsus, ex falsa paucorum criminatione exacerbatus, eiusque tutores qui regni administrationem gerebant, paricidiales manus inhumaniter innocentium sanguine cruentassent, Nemesis effecit, vt eorum animos tam magna commissi sceleris subiret pœnitudo, ac tacitis stimulis conscientiæque vibicibus, tam crudeliter excarnificarentur, vt mirum in modum vltoribus Diis obcæcati, graues inter eos orirentur dissensiones & intestina iurgia; quæ eò vsque excreuerunt, vt singuli sibi verentes, quisque seorsum priuata subsidia quæreret, ac foris effugia implorare in animum induceret. Quorum certè consilia cùm Cataneo, diligenti alioquin & studiosissimo rerum omniũ inquisitori, per clancularios internuncios, qui huc illuc sub profectionis prætextu circũuagabantur, explorata essent, ac probè intelligens, quàm turpem lanienam in Genuenses ipsos Cypri exercuissent, callidè animi sui sensa dissimulans, omnia hospitalitatis iura sibi ab illis præstare, ac inuicem exhibere concedit & patitur; suarumq. rerũ satagens, hoc vnum studebat, vt dissensiones illas domesticas, inter primarios potissimùm exortas, omnibus artibus, quoad eius fieri posset, aleret atque foueret, tanta mediusfidius cum animi præsentia, vt nunquam, nisi summa cum prudentia & cautione, in omnibus suis actionibus aliquid ageret, & hoc vnum præcaueret, ne se illorum fidei vel potestati temerè committeret. His rebus ita sese habentibus, Genuæ comitia centuriata gesta sunt, in quibus de communi omnium decreto, summo studio ac celeritate magna classis, trium scilicet & quadraginta triremium, multarumque longarum nauium, delectu in agro Ligustico prius ad hoc habito, ac milite diligenter conscripto, comparata & instructa fuit, quam adeò magnificam & splendidam fuisse dicunt, vt ad quatuordecim strenuissimorum militum millia sub signis complecteretur. Taceo reliquum apparatum bellicum, qui magna cum diligentia & prudentia instructus erat. Huic tantæ

Ingens crudelitas in Cypro aduersus Genuens.

1373. *Damianus Cataneus cũ 7. triremib. in Cyprum ablegatur.*

Potentissima Genuens. classis duce Petro Fulgosio.

tantæ classi Petrus Fulgosius, Dominici Fulgosij, ea tempestate supremum magistratum gerentis, frater, omnium iudicio dignus est habitus, qui cum imperio præficeretur. Hic igitur, vt bonam de se suaque industria conceptam opinionem haudquaquam falleret, magna festinatione vsus, non antea substitit, vel aliis negotiis aliquem locum constituit, quàm Famagustam, regni Cyprij celeberrimum emporium, quinto Non. Oct. appelleret; quam statim arctissimè obsedit, & obsidionis initium à quatuor regiarum triremium, atq. vnius nauis eximiæ magnitudinis in ipso portu ad ancoras stantium, incẽdio exorsus, atq. auspicatus est; quæ exiguo tẽporis interuallo durauit. Nam regina interfecti regis vidua, cùm animaduerteret suarum non esse virium, obsidionem sustinere posse, simulque cognatos, mariti necis auctores, vlciscì summoperè vellet, sexto Idus Oct. vrbis deditionem fecit. Ea vrbe potitus Genuensis præfectus, totam insulam cum victore exercitu peruagatus, omnia loca quæcumque adiret, Ligusticæ ditionis fecit, ac regem cum suis proceribus in angulum regni compulsum, & latebram quærentem, ad hanc necessitatem compulit, vt, cùm sciret se Genuensi populo longè opibus & potentia inferiorem, præscriptas à se, proque suo arbitrio conditiones pacis acciperet. Tres perpetrati huius nefarij sceleris auctores, nimirum Ciulfi dominus, Henricus Gibella, & Ioannes Grauilla, capitis damnati. Iacobus Lusignianus, quòd regis patruus esset, duoque Principis Antiocheni filij, pari consanguinitatis gradu eum contingentes, & amplius sexaginta illustres viri, tanquam obseruãdæ pacis cum rege antea sancitæ obsides, retenti, ac deinde Genuam perducti. Regis verò mater, quòd rex filius eius esset adhuc impuber & minorennis, ac talis, qui in eius tutela, planeque in ipso gynæceo cum ipsa versaretur, multis precibus obtinuit, vt penes se relinqueretur. His rebus nõ minùs celeriter, quàm feliciter per Cyprum peractis, si Genuenses in hac expeditione tantam constantiam, quantam in ea suscipienda diligentiam & industriam adhibuerant, adiunxissent, non ambigendum est, quin facili negotio vniuersam insulam suæ ditioni atque imperio adiecissent. Verùm cùm iam gloriæ, nominisque immortalitati abundè satisfactum iudicarent, si illatas Ligustico nomini iniurias atrociter vindicassent, & de sontibus commeritas pœnas & supplicia sumpsissent; totum regnum, Famagusta excepta, regi magna ex parte propter ætatis gradum extra culpam posito, saluum atque incolume restituerunt, sic tamen, vt ipse, tanquã ipsorum vectigalis ac tributarius, quotannis vsque ad certi & prædefiniti temporis terminum, Genuensi Reipub. quadraginta aureorum millia penderet, aliaq. subsidia necessitatis tempore contribueret; quæ à regibus tributariis, vt longo iam vsu receptum est, persolui & præstari consueuêre. Quibus ita constitutis, Fulgosius rerum præclarè ac pro voto gestarum facinore & successu lætus, domum redire gestiens, sexdecim triremes, vltra illas septem quibus Cataneus Genua in Cyprum traiecerat, domum remisit: ipse verò Famagustæ ad res reliquas ex vtilitate & dignitate Reipub. componendas aliquandiu commoratus, quinque triremes præsidiarias, ad nouos motus, si qui forsitan ibi in posterum orirentur, coërcendos, reliquit: & sic nulla mora interposita, prosperam nauigationem exercitus, domum postliminiò rediit, ac summo cum honore & animorum beneuolentia non solùm ab ipso supremo Senatu, aliisque patriciis ordinibus, in primis verò à fratre suo Dominico Fulgosio principem locum tunc in Repub. obtinente, verumetiam ab ipsa promiscua plebe reliquaque vrbana multitudine exceptus est, ac etiam præter cetera priuilegia & immunitates, ipsi, ac Rolando eius primogenito concessas, decem millibus aureorum donatus. Cuius Fulgosij memorabilis

Famagustæ obsidio.

Eiusdem deditio.

Ligures regi Cyprio pacis conditiones præscribunt.

Insignis Genuensis victoria in Cypro.

Cyprius rex, Genuẽsium tributarius efficitur.

Petrus Fulgosius victor Genuam reuertitur.

bilis victoriæ memoriam, Patres conscripti Senatusconsulto miro cum totius populi applausu anniuersario sacro in cœnobio D. Francisci cum dono paludamenti aurei consecrarunt. Dum res itaforis geruntur, Dominicus Fulgosius Rempub. quietè ac magnificè magna cum prudentia & animi moderatione administrans, non solùm ob sui fratris præclaram victoriam, remque bene ac feliciter in Cypro, aliisque circumuicinis locis, vti ostendimus, gestam; verumetiam, propter Gregorij vndecimi Pontificis Auenione Romam proficiscentis aduentum, summa voluptate atque lætitia perfundebatur. Solebant enim Antistites Romani, retroactis temporibus, si quæ Romæ vel in aliis Italiæ ciuitatibus, bellorum, vel barbaricarum gentium eruptionum suspiciones exorirentur, suæ quietis securiq. secessus causa, Auenionem, Pontificij iuris vrbem, ceu tranquillissimam sedem, concedere. Gregorius igitur Auenionem profectus, & ibi aliquot mensibus continuis commoratus, dum Romam repeteret, quia per oram Ligusticam reuertebatur, Genuam multis modis, & in primis quidem, quòd Pontificiæ dignitati semper debitam reuerentiam detulisset, sibi caram, sua præsentia exhilarare decreuerat: & Ligures de eius aduentu edocti, cum magna omnium Ordinum, in primis verò Patrum conscriptorum lætitia, ipsum honorificè, & cum sollemni pompa expectarunt, ac octauo Idus Octob. ad vrbem profectum, exceperunt. Fulgosius namque supremum, vti diximus; Magistratum gerens, alijque purpurati Patres, sub vmbella aurea, de more indictis supplicationibus, ipsum ad ædem D. Laurentio sacram, summo cum applausu deduxêre, ita vt Pontificis aduentus planè effecerit, vt tota ipsa ciuitas, propter res domi foriséque bene administratas, alioquin læta, in summũ gaudium effunderetur, & mirabili quadam animorum consensione coalesceret. Cæterùm, Pontifice digresso, ac institutum iter prosecuto, bella cum Venetis redintegrata, præsentem rerum statum vehemẽtissimè perturbarunt & immutarunt, vsque adeò, vt omnem otij & quietis fructum eriperent. Quorum sanè funestorum prœliorum, vtrimque subsecutorum, originem, & potissimam causam, multi præclari atque graues viri ad Tenedum referunt; super cuius possessione, post Cyprum vectigalem & tributariam factam, peracris contentio inter vtrumque populum exorta est. Cùm enim Andronicus iunior, Michaëlis Palæologi filius, Andronicum auum imperio deturbare statueret, reb⁹ viribusque suis priuatis diffisus, Ligurum auxilium implorauit, pactus cum eis, vt si voti compos fieret, & imperium ad se, illorum subsidio oppresso auo, transferret, ipsis Tenedon, opportunissimam insulam, præmij, seu mercedis loco, tribueret. Proinde, confectis rebus, ille pactis stetit, & ipsi Tenedum recepere. Proinde, confectis rebus, ille pactis stetit, & ipsi Tenedum receperunt. At Veneti eo tempore in illis quidem partibus fortiores, Andronicum Imperatorem, à nepote horum auxilio deturbatum, in patriam & regnũ restituunt, & ab eo Tenedum muneris loco pari modo recipiunt; inde maximum odium ac æmulatio inter vtramque gentem enata. Hæc insula olim à tam multis celebrata, sita est in mari Ægæo inter Lesbum & Hellespontum, contra Troiam; distatque à continenti stadiis ferè quadraginta, portu & statione, priusquam scilicet in agrum Troianum Græci descenderent, multorum testimonio celebris, & præterea parricidio Iphigeniæ ab Agamemnone patre immolatæ, clara. Eius tractus in ambitu ferè octoginta stadia continere dicitur, Æolica vrbe quondam florẽtissima, duobusque commodis portibus, & Apollinis Smynthei delubro olim itidem insignis decantata. Duæ Tenedo adiacẽt insulæ, Calydnæ quondam appellatæ, paruo maris tractu inuicem disiunctæ, plerisque propter nominis obscuritatem, cosmographicis atque historiis planè ignotæ. Sunt qui Tenedum antiqui-

Gregorij Pont. XI. ad Genuam profectio. 1376.

Causæ & origo belli instaurati.

Tenedi elegans descriptio.

tus Leucophryn, id est candidum supercilium, vocatam velint. Quoquo tamen nomine dicta fuerit, satis constat, vel ipso Virgilio, instar multorum, teste, opulentam fuisse, Priami dum regna manerent; quandoquidem inter alia eius ornamenta, quæ satis magna & splendida fuisse referunt, arcem, arte & natura munitam, opportunoq. loco extructam, habuit, quæ multis sæpè gentibus decertandi atque confligendi ansam, præsertim verò patrum nostrorum memoria, Venetis ac Genuensibus præbuit: qui non antea inter se contendere atque altercari desierunt, quàm de mutuo consensu funditus euersa ac solo æquata sit. Sed me, huic descriptioni diutius, quàm fortasse par sit, inhærentem, non deerunt proculdubiò rigidi aliqui censores qui leuitatis accusabunt, quòd scilicet circa tam parua ac planè hac nostra tempestate desertæ insulæ, nihilque, præter nominis antiquitatem retinentis descriptionem, cum magna ab historia digressione tamdiu versèr. Ab his, vti spero, eò faciliùs veniam impetrabo, quò mei instituti ordinem planiùs intellexerint. Quamuis enim historicum nihil magis deceat quàm rei veritatem pro fide historica ob oculos ponere, nihilominùs tamen ad maiorem lucem rebus afferendam, atque rem notiorem faciendam, licet nobis interdum aliquid de proprio, modò claro fonte hauriatur, addere. Quocirca non me herclè mirum, si aliquoties in rebus aliquibus, prout vsus fert, prolixior, quàm par sit, videar. Ad propositum igitur reuertamur. Eo ferè tempore quo Ligures Catalusi auspiciis Caloioannem, Cantacuzeni fraude atque violentia nefariè expulsum, in regnum patrium & auitum reposuêre, magnæ dissensiones, grauiaque odia inter has duas gentes immortalibus inimicitiis inter se flagrãtes, exorta sunt, tam magno profectò cum incremento, vt postea in atrocissimum bellum, quod multis mortalibus varias calamitates & strages attulit, eruperint. Aliqui asserunt, Caloioannem ipsum, paulò antequam viuis excederet, Emanuelem suũ filium, quanquam natu minorem, mira tamen storga, & quòd eum propter inclytas virtutes dignum iudicaret, Andronico alteri filio primogenito, inaudita prærogatiua & præpostera quadam imperij successione prætulisse, magna proculdubiò cũ huius indignatione atque dolore, quòd suo vitio, & non patris iudicij errori adscriptum iri summoperè vereretur, quòd se præterito & neglecto, frater minor natu, inuerso ordine, hæreditatem & successionem paternam adiret. Hinc multæ & acres contentiones, velut ex perenni fonte, scaturierunt, quæ multas turbas etiam concitarunt. Porrò cùm ipsi fratres in magnam altercationem propter regni prærogatiuam & iuris præferẽtiam deuenissent; quò haberent certa præsidia quibus inniterentur, vterq. sibi patronos ac certos defensores quæsiuit atq. parauit. Emanuel quidem supremis tabulis patris, vt ostensum est, regno destinatus, Venetos in amicitiam pellexit. Andronicus verò, quò fortiùs sese fratri opponeret, licet haberet magnos Principes & Dynastas qui illi in re tam iusta patrocinarentur & fauerent; Genuenses, ceu capitales Venetorum hostes, magna cum animi sagacitate in amicitiæ iura & fœderis partem attraxit. Et quò magis ambo fratres vtrumq. populum in amicitiam & fœderis societatem receptum, arctiùs sibi deuincirent, & officiosiùs promererentur, Tenedum ipsam, cuius proximè prolixam mentionem fecimus, seorsum quisque per se dono sociæ genti concessit. Quare Veneti, ea quidem tempestate in Oriente maioribus viribus pollentes, nullo habito iuris respectu, vel legum reuerentia, illam insulam sub titulo donationis, licet posteriores essent qui dono accepissent, vsurpabant; valdè indignantibus Genuensibus, qui potiori iure, tanquam qui prius ab Andronico accepissent, se in possessionis ius veniisse asseuerabant. Vtcumque res quæ in disceptationem

nem & controuersiam donationis titulo ab his populis deducta est, sese habuerit, Ligures armis litem & differentiam determinandam esse videbant. Proinde, quò sese commodiùs atque fortiùs Venetis opponerent, & eorum opes, vt antea Pisanorum, prorsus euerterent, operæpretium se facturos existimabant, si nouas amicitias quærerent, & sese aliorum regum atque Principum opibus, gratia atq. beneuolentia augerent & communirent. Igitur post longas atque diuturnas consultationes, tandem omnium calculis atque sententiis decretum fuit, vt viri lectissimi ex omnibus ordinibus secernerentur, qui legationem ad varios Principes Reipub. nomine fœderis iciendi atque amicitiæ firmandæ causa haberent; & in primis quidem anno supra millesimum trecentesimum duodeoctogesimo, honorifica legatio ad Ludouicum Pannoniæ regem potentissimum, & Franciscum Carrarium Patauij regulum, habita est. Pari modo statutum, vt ad Pannoniæ superioris Archiducem, & Aquileiensem Antistitem societatis ineundæ causa oratores mitterentur; à quibus omnibus citra aliquam recusationem, vel difficultatem, cum ipsius Reipub. felicitate in fœderis atque necessitudinis societatem recepti. At Veneti, ne soli tantam instantis belli molem sustinerent, néue onus humeris suis quodammodò impar, in se deriuare velle temerè viderentur, cum Barnaba Vicecomite Mediolanensium Principe, Genuensibus, propter repentinam à se defectionem, ac pristinæ amicitiæ violationem, infensissimo, & cum Petro Lusiniano Cypri rege, qui à pacificationis formula cum Genuensibus, vti superiùs enarrauimus, nuper inita & transacta, contra omnium gentium mores, & leges digressus erat, amicitiam instituere parant; eiusque assequendæ causa, summoperè, habitis vltrò citroque legationibus, elaborarunt, eo sanè successu, vt impetrarent, tanto quidem faciliùs, quòd Lusinianus, vt Genuensibus frenos iniceret, ac eorum vires attereret, seque prorsus omni periculo & molestiis liberaret, Vicecomitis filiam mirum in modum ambibat, quam sibi vnicè nuptum dari exoptabat; prout breui pòst obtinuit. Quocirca vterque populus externis viribus auctus, denuò ex veteri instituto in atrox & funestum bellum exarserunt; & quò minori cum periculo Veneti instantis belli apparatum auerterent & declinarent, quatuordecim rostratas bene instructas & præparatas, duce Victore Pisano, longo vsu domi forisque, ac belli & pacis artibus claro, vltra sinum Hadriaticum præmiserunt, eo consilio, vt in oram inferi maris delatus, in Antiate sinu non ita procul ab Ostia, si forte fortuna in aliquas hostiles naues vel triremes incideret, ac se illis parem videret, strenuè cõgrederetur & confligeret, sicuti etiam factum est. Quandoquidem vix in hunc sinum delatus, in decem Liguscas incidit; quas primùm fortiter aggressus, cùm suæ naues, nescio qua ratione sese maiori ex parte sensim prœlio subtraherent, ita vt ne dimidia earum pars cum hoste congrederetur, ignauia militum magis, nescio, an nauclerorum pertinacia (cùm subita exorta tempestate, aliquot illarum disiectas esse comperiam) accidit, vt Veneti quidem superiores fuerint, sed non citra ignauiæ suspicionem, eam non retulerint, quam poterant, & prorsus in manibus habebãt, victoriam. Nam si collatis viribus, in hostem pugnassent, non dubium est, cùm prœlium fuerit valdè atrox, & in duas integras vsque horas protractũ, quin Genuenses, inclinatis iam rebus, & quinque nauibus, & in his quidem ipsa Prætoria, vnà cum Ludouico Fliseo classis Præfecto, atq. aliis viginti nobilibus amissis, penitus ad internecionem deleti fuissent: sed socordia (vt non nullorum Annales testantur) cõmissum fuit, vt reliquæ naues Liguscæ remorum beneficio euaserint. Sunt qui asserant, hanc cladem ipsi Præfecto in primis adscribendam, eò quòd belli aleam subierit,

1378. *Ligures ac Veneti diuersos Principes sibi in fœdus ac societatem adsciscunt.*

Nouum bellum inter Venetos ac Ligures.

Genuensium clades.

priusquàm sua classis quinque triremium iamiam paratarum supplemento adaugeretur. Ligures in hoc prœlio, vltra captum ducem alioſque nobiles, & direptas quas diximus naues, vltra sexcentos, vel, vt alij putant, octingentos remiges partim cæsos, partim verò fluctibus absorptos, amisisse tradunt. Sub eiusdẽ temporis tractum, Carreti Marchio Barnabæ Vicecomitis auxilio fretus, ad Reipub. statum infestandum & conturbandum, & quò externam illius potẽtiam priuatis domesticis iniuriis domũ reuocaret, ac quasi ab instituto cursu retraheret, vltra priuatas simultates, quas iampridem cũ Rep. exercuerat, in Venetorũ potissimùm gratiam Albingaunum, Naulum, atq. Castrum Francũ repentino quodam motu contra spem & opinionẽ omnium partim vi, partim dolo occupat. Nihilominùs tamen haud ita multò pòst cum Ligure in gratiam reuersus, magna cum animi promptitudine restitutionẽ fecit & præstitit. Interim Senatus vt cladem ad Antium acceptã vlcisceretur, nouã classem instrui atq. adornari iussit, eiq. Lucianum Auriam, cuius virtuti plurimum tribuebant, cum supremo imperio præficiunt. Antequam verò præsentis belli statum vlterius prosequar, non absurdum fore arbitror, si breuibus ostendero, quónam pacto Insubri Ducis filia Cyprio regi, vt enarrare inceperam, elocata, in mariti regnũ deportata fuerit. Barnabas Vicecomes, cùm Venetos, ceu socios & amicos, in fœdus & amicitiam recepisset, illorum suasu filiam, quam habebat præclaram, & mirum in modum propter animi corporisque dotes caram, Cyprio regi, generosæ atque heroicæ indolis adolescenti, sed in iuuenili ætate multa incommoda & aduersa experto, desponsare & elocare non dubitauit: hoc modo ratus, sese in posterum ad omnem fortunæ casum futurum præparatiorem & firmiorem. Itaque, vt maiori cum honore ac dignitate ad sponsum perueheretur, destinatæ sunt ex Veneta classe triremes sex, quæ insigni pompa aliisque rebus gynæceis & parmenonibus commodis fuerunt ad lautitiam vsque instructæ. Hanc cùm Venetias ducendam curasset, summo cum honore à Veneto Senatu aliisque Patriciis excepta fuit, & quamdiu Venetiis substitit, apud Corneliam gentem omni officiorum hospitalitatisque iure vsa fuit. Tandem commoditate ventorum ad iter institutum prosequendum inuitata, summa cum omnium fausta acclamatione triremem ad hoc magnificè & splendidè regio ferè ornatu præparatam, conscendit; ac concomitata aliquot patricij ordinis viris, opportuna nauigatione in Cyprum ipsam, breui temporis interuallo, delata est. Erat tum rex sponsæ videndæ auidus ad Cerauniam, atque ibi multis diebus ad speciem desiderabundus nouam sponsam expectarat. Verùm, sub hoc nouæ sponsæ aduentu, ac sub nouarum nuptiarum prætextu, aliud moliebatur: egerat namque cum trierarchis Venetarum nauium, magnam mercedem & pecuniam pactus, vt Famagustæ portum ex improuiso irrumperẽt; ipse verò cum suis, quos ad decem ferè millium armatorum hominũ numerum habebat, terra vrbem ipsam vno eodemque tempore oppugnaret. Venetæ triremes, prout pactum erat, cum quinque aliis onerariis regis, quæ se illis coniunxerant, tres Ligusticas in portu Famagustano ad ancoras stantes subita vi opprimunt; eoque successu ardentiores facti, vrbis oppugnationem tentant. Verum, Cypriis segniter ex continenti rem gerentibus, & aliquantulum tardiùs muros subeuntibus, ab oppugnatione & mœnibus cum multa cæde repulsi, totoque portu magna telorum multitudine & nimbo fuerunt deiecti ac deturbati. Tenebatur siquidem vrbs ipsa pro loci opportunitate & amplitudine sic satis magnis & firmis præsidiis. Nam quingenti, & amplius Ligusticæ ditionis milites, ea tempestate ad vrbis defensionem à Fulgosio relicti erant. Proinde vrbe ipsa parum

Insubri Ducis filia Cyprio regi elocatur.

Famagusta à rege Cyprio & Venetis frustrà tentata.

rum feliciter tentata, Venetæ triremes, vt temeritatis notam turpemque ignominiam aliqua larua occulerent, nauigatione in Syriam simulata, vlterius, vt fit interdum, vel ventorum rabie, & tempestatis vi, vel prædæ studio progressæ, in eximiæ magnitudinis nauim, Spinâ regiâ dictam, omni merciũ genere onustam, ac Genuam versus cursum tenentem, inciderunt: quam vndique circumseptam, tantis viribus adorti sunt, vt, licet se viriliter omnes qui in ea erant, defenderent; nihilominus tamen, cùm longè impares essent, ad extremum expugnata sit. Rerum forensium ac externarum statu sese eo, quo demonstrauimus, pacto habente, Senatus populusque Genuensis, quòd viderent assiduis bellis Rempub. valdè esse attritam, atque adeò inuolutam, vt nisi nouo supplemento habito, haud posset deinceps tam potenti hosti obuiam iri, præsertim cùm ex vno bello, vix cum multis laboribus atque sumptibus cõsopito, aliud priori longè crudelius & atrocius enasceretur, nexuq. quodam perpetuo forensibus dissidiis & contentionibus implicaretur; de cõmuni omnium sententia & consilio, non citra magnam ac diuturnam deliberationem & iudicij grauitatem, statuerunt, vt omnes profugi ac extorres, nobilium vel popularium partium studiosi, in patriam postliminiò sub fide publica, ac præteritarum pœnarum irrogatarum abolitione & impunitate reuerterentur. Quò igitur Reipub. status fieret pacatior, simulque res domesticæ faciliùs & tutiùs administrarentur & conseruarentur, hoc quod diximus decretum Senatusconsulto confirmari & sanciri placuit, ne scilicet aliqua ratione in dubium, vel in suspicionem à quoquam in posterum vocari posset. Instructæ præterea fuerunt viginti duæ triremes Luciano Auria duce, cuius proximè mentionem habuimus: hisque adornatis, rebusque omnibus ex sententia paratis & expeditis, Auria citra aliquam moram in mare Hadriaticum peruênit, ac tribus nauigiis Liguſticis, quæ paulo antea Genua discesserant, sese coniunxit, & Iaderam, Liburniæ oppidum Pannoniæ regi parens, rectà contendit. Interea verò Pisanus Venetæ classis, vti superiori loco ostensum est, præfectus, Catharum pariter Liburniæ oppidum, ea tempestate neque mœnibus, neque viris, nec armis validum, primo impetu oppressum, expugnat: quo in deditionẽ recepto, in Istriam, Polam versus, nauigationem instituit; eo consilio, vt ibi quingentorum militum ac lectissimæ nobilitatis iuuenum Polæ in præsidiis & aduentum ducis præstolantium manu classem suam augeret & firmaret. Quo quidem supplemẽto facto, cùm iam classis Veneta numero & viribus Liguſticæ par, vel etiam superior esset, statuerat ibi hostẽ expectare; animo præsagiens, Liguré aduersariũ, Iadera relicta, non commissurum, quin rectà in Istriam contenderet; vti etiam paucis diebus postea elapsis, accidit. Priusquam verò vtraque acies congrederetur, Auria, conuocatis de more in prætoriam triremim omnibus trierarchis, tribunis militum, aliisque militaris disciplinæ officialibus, ea qua potuit breuitate his ferè verbis concionem habuit.

Nauis Liguſtica à Venetis expugnata.

Exules in patriam reuocati.

Ligures nouæ classi aduersus Ven. Luciani Auriæ auspicio emittunt:

1379.

Luciani oratio.

ISTI, inquit, cum strenuis & fortissimis ducibus atque militibus, optimi commilitones, mihi verba facienti negotium esse scirem, vterer certè artificiosa potiùs oratione, quàm forti & militari. Verùm, cùm fortia pectora, qualia vobis magno cum Reip. nostræ beneficio, ac non mediocri mea cum voluptate, esse iam sæpiùs expertus sum, magis generositate & gloriæ cupiditate, quàm splendidis verbis, magnisque & longis pollicitationibus ad res præclarè gerendas & administrandas incendantur & inflammentur, nõ est me herculè quòd ad vos incitandos, hac præsertim tempestate, sim

prolixior. Vnum tantùm cohortabor, atque altiùs inculcabo, vt vobis omnibus ſuccurrat, atque animos veſtros ſubeat, illos cum quibus prœlium inituri eſtis, nulla ex parte eſſe diſſimiles iis cum quibus maiores veſtri longè inferiori nauigiorum imparíq. bellatorum numero ſunt congreſſi, & cum inſigni etiam laude magnoque patriæ beneficio victores euaſêre, ac læta victoria parta, ſub iugum miſerunt. Obuerſetur igitur ob omnium veſtrûm oculos non ſolùm rei bene geſtæ cum hoc hoſte memoria, verumetiam ea gloria, quòd Piſanos opibus atq. fortunis mirum in modum etiam tum florentes, ſub iugum tamen miſſos, vos ardentius inflammet atque excitet. Si enim proſpero Marte dimicantes, has imbecilles vires, quibus temerariè inſoleſcunt aduerſarij noſtri, ademerimus, haud dubiè totius maris imperium facili cum negotio aſſequemur. Nec eſt quòd præmia, quæ vos, rebus bene ac fortiter geſtis, iure manent & debentur, nunc larga pollicitatione oſtendam. Satis eſt vos meminiſſe, hanc victoriam fortibus armis atque animis eſſe quærendam & redimendam: qua certè parta, non video quid nobis obſtare poſſit, quin, debellatis & ad internecionem deletis antiquis & inueteratis noſtris hoſtibus, Venetias ipſas, toto orbe celeberrimam vrbem, & tam multis victoriis mari terraq. habitis inclytam, noſtro imperio ſubiiciamus. Nec eſt quòd vos noui præſidij ſupplementum aliqua ex parte moueat, vel deterreat, quo nuper aduerſarij noſtri metu & magna animorum conſternatione languidi, ſuam claſſem contra nos communiuêre. Nam quantum illis robore & fortitudine, ac rerum gerendarum felicitate antecellamus, diutina experientia iam ſatis omnibus conſtat. Accedit huc, quòd ſi aliarum gentium rerum naualium peritia cum noſtra in comparationẽ veniat, haud certè difficulter cognoſci poterit, quantum inter nos & illas interſit. Nec volo hic Thraſonico more de fortunæ noſtræ ſingulari felicitate multa iactabundus commemorare: quandoquidem cùm ſemper hactenus domi & foris rem proſperè ac feliciter adminiſtrauerimus; qui ſunt, quæſo, triumphi, qui nobis propter rerum naualium peritiam, atque maritimos ſucceſſus, iure non debeantur? Quàm felici, Diis ipſis fauentibus, Reſp. noſtra genio in priuatis ſuis negotiis etiam domi vſa fuerit, cùm neminem veſtrûm latêre exiſtimem, non eſt me herclè quòd ſubinde recenſeam. Proinde cùm hæc omnia ita ſeſe habeant, agant quæſo radices in animis veſtris, nec vnquam priſtinæ & auitæ virtutis noſtræ in pectora veſtra irrepat vel inducatur obliuio. Hoc ſi præſtiteritis, ſtrenui duces, fortiſſimiq. milites, fieri non poterit, quin hoſtem trepidum, mirumque in modum multis de cauſis anxium, fortiter ſuperetis, hoc eò faciliùs, quò ſæpius à nobis victus fuit. Qua in re quàm bene animi veſtri mecum conſentiant, non eſt quòd aliundè metiar, quàm ex rerum gerendarũ robore ac virtute. Agite igitur, vt non ſolùm meam de vobis omnibus conceptã ſpem, imò planè fiduciam, adimpleatis; verùm etiam longè lateque ſuperetis. In hanc ferè ſententiam locutus, in mutuum conſpectum vnà cum ſua claſſe deuenêre Duces. & cùm ferè numero atque viribus inter ſe eſſent æquales, ac ex vtraque parte mira rei bellicæ ratio haberetur, non citra ſummam demirationem quiſque per ſe ordinem atque diſpoſitionem intuebatur & conſiderabat, præſertim cùm propter rem non leuem vel friuolam, ſed pro maris imperio ſuaque Reip. dignitate ac amplitudine in certamẽ & prœlium deueniendum eſſet, ac ex alea iſtius belli, quaſi de reliquarũ rerum ſucceſſu videretur non immeritò pronunciari poſſe. Piſanus vt etiam ſtrenui Ducis in omnibus adimpleret officium, néue aliqua in parte negligentia peccaſſe videretur; breui, ſed neruoſa oratione ſuos commonefaciens, hoc demum agebat, vt

Peroratio.

milites

milites ad decus & ad laudem cõcitaret, adeò vt cùm videret, suorum omnium animos arrectos, & incredibili pugnandi ardore flagrantes, manus cum hoste summa contentione sese ad pugnam præparante, eueſtigiò conſeruerit, magno me herclè cum vtriusque partis periculo. Nam ſtatim ſub initio initi certaminis tanta fortitudine atque ſtrenuitate ab omnibus pugnatum fuit, vt non citra magnam & ingentem omnium videntium admirationem, dubio quodammodò Marte diu prœlium ipſum protractum ſit. Verùm, cùm Auria fortiter pugnando, ac omnia ſtrenui Ducis, & acerrimi bellatoris officia obeundo, in primo quodammodò occurſu fataliter concidiſſet, prætoria triremis, qua ipſe vehebatur, quamprimum ad illius caſum repentino impetu facto oppreſſa fuit. Genuenſes, ne ex tanti ſui ducis interitu ac fatali oppreſſione, ceteris militibus auidè atque ſtrenuè pro Reip. dignitate pugnantibus, aliquo modo metus oriri poſſet, néue inde animi ardorem (vt plerumque vſu venire ſolet) remitterent, miro ſtratagemate vſi, quamprimum ſubtracto ſummo ſub ſilentio Ducis cadauere, alium iiſdem armis & inſignibus ornatum & conſpicuum ſubſtituêre, ita vt milites ſpecie quadam ducis decepti, in officio perſiſterent. Tanta erat ſiquidem in huius ducis virtute fiducia, vt putarẽt, aleam belli eius quodammodò manu & poteſtate contineri. Cùm itaque rei ſucceſſus aſpiraſſet cœptis, & fortuna à Genuenſium partibus ſtaret, mira felicitate, licet interempto Duce, celebrem victoriam conſecuti ſunt. Quandoquidem militibus magna ex parte vtrimque defatigatis, tandem Ligures ſuperiores facti, magnum proculdubiò triumphum in ea victoria retulêre. Captæ ſunt enim quindecim triremes, remigio, atque omni apparatu maritimo egregiè inſtructæ. plus tamẽ hoſtium cæſum quàm captum eſt, licet dicantur vltra duo millia hominum & quadringentos eſſe capti, & inter hos, multi nobiles; alij aut ferro, aut mediis fluctibus merſi. Perpauci enim numero fuerunt, qui ad proximum littus natandi beneficio ſalui & incolumes peruenerunt. Piſanus ſe cum reliquis nauigiis in proximos portus incolumem recepit. Inter multos qui huius certaminis meminêre, ſunt nonnulli qui varient. Nam aliqui à ſuperiore noſtra enarratione diſcrepantes referunt, Piſanum ipſum ex Apulia, vbi frumentandi gratia aliquandiu fuerat, Polam reuerſum cum viginti duabus nauibus, inter quas quinque ceteris aliquãtò ſpiſſiores fuiſſe dicuntur, & in eo portu ſtationẽ habuiſſe, eumque tum maximè palmigationi fuiſſe intentum, cùm quatuordecim illæ Liguſticæ ſeſe in cõſpectum ciuitatis Polanæ nulla alia ratione, quàm vt claſſem Venetam, ibi in portu, vti diximus, conſiſtentem, ad pugnam exçirent, dederunt; eodemque tempore Ligurem, decem aliarum triremium ſupplemento, ignaris Venetis, auctum fuiſſe, caſque poſt promontorium in inſidiis aliquandiu delituiſſe, ita vt Piſanus nihil minùs quàm inſidias veritus, cùm prioris tantummodò claſſis numerum vidiſſet, iuſſis illis quinque, quarum carinæ palmigabantur, ad prœlium expediri, ac eueſtigiò educi, in Ligurem impetum feciſſe, & aliquandiu vario atque ancipiti euentu dimicaſſe, primoque congreſſu Auriam, vti narrauimus, concidiſſe: tum Ligurem, ſimulata fuga, Venetum callida arte à portu diſtraxiſſe, & vbi locum pugnæ commodum, atque inſidiis idoneum, nactus eſſet, à fronte & à lateribus ferociter circumſtitiſſe, quoad ſcilicet triremes illæ ſubſidiariæ, in quibus multũ præſidij poſuerant, Venetam claſſem ab hoſte circumuentam intuitæ, ad dexteram curſum flecterent Venetias verſus: tum Venetos, qui pugna degrauati, ægrè hoſtem ſuſtinebant, ſuorum auxilio deſtitutos, haud dubiè ſuccubuiſſe. Piſanum verò, inclinata iam ſua acie, ſeſe clanculum ex omnium conſpectu ſubduxiſſe;

Naualis pugna.

Luciani mors.

Inſigne ſtratagema.

Venetorum clades.

Scriptorum diſcrepantia.

fugaq̃ue ſibi conſuluiſſe: & hæc quidem multorum conſtans eſt opinio. Sunt præterea qui adiiciant, trierarchos aliquot pugnam, cùm ſuis ſubſidio maximè eſſe debuiſſent, detrectaſſe, eoſq̃ue Venetias reuerſos, in carcerem coniectos, adeoq̃ue ipſum claſſis præfectum, propter rem malè geſtam, & quòd Remp. in magnum diſcrimen adduxiſſet, ex Patrum decreto in cuſtodia diu aſſeruatum fuiſſe. Hæc Venetorum clades incidit in annum eius æui vndeoctodecimum. De Luciani autem interitu memoriæ proditum eſt, ipſum, cùm inter pugnandum, galeæ ocellum (ita enim appellant anguſtam illam foraminum διάφασιν) paululum ſibi ſupra frontem extuliſſet, in ea parte, telo ab hoſte immiſſo, transfixum, atque ita initio certaminis, vti antea oſtendimus, fortiſſimè prœliantem interfectum. Huius tam præſtantis & excellentis viri caſus, adeò cum publico dolore & diſpendio fuit coniunctus, vt tam inclytæ victoriæ fructum maiori ex parte interceperit, & miro mærore gaudium publicum perturbauerit. Nam vltra res bellicas, quibus in vita mirum in modum inclaruerat, & immortalem ſibi gloriam pepererat, tanta & tam eximia humanitate, beneficentia, & ſingulari erga ſuos ciues charitate fuit ornatus, vt nõ ſemel militum inopiã argento, pretioſa ſupellectile, atque omnibus priuatis ſuis fortunis ſubleuarit, ita vt militi cuidam ad genua procumbenti, ſeq̃ue fame deficere clamanti, fibulam auream, ſiue argenteam à cingulo præciſam, cùm nihil reliquum eſſet, donarit. Quæ ſanè incredibilis humanitas cum animi beneficenria coniuncta, planè effecit, vt cùm viuis exceſſiſſet, cùm omnes ſuas fortunas vnà cum anima ipſa ad Reipublicæ ſalutem contuliſſet, liberis eius ex publico ærario ſubueniendum fuerit. Iurè igitur Genuenſes victoriæ pridie Nonas Maij partæ, ac præſtantiſſimi viri memoriam perpetuo anniuerſario atque aurei paludamenti dono in æde D. Georgio ſacra ad omnem poſteritatem propagandam celebrari voluerunt. Interea Veneti propter tantam cladem ſummoperè indignabantur, ac non parum dolebant, eò certè vehementiùs, quò eodem ferè tempore ipſorum Reſpub. etiam terreſtri bello duriùs premebatur. Carrarienſis enim, & Aquileienſis Antiſtes, aliiq̃ue inter ſe ſocij & cõfœderati, Venetam ditionem mirum in modum diuexabant, ſic, vt eo tempore Meſtri oppido in locis paluſtribus iuxta ſtagna ſito, & Tauriſio in Foroiulio multati fuerint. Hoc in cardine rebus Venetis verſantibus, Ligures pari fortuna terreſtribus bellis diſtinebantur. Siquidem Vicecomites Mediolanenſes, Venetorum inſtinctu, veteranorum militum legionem, Stellæ cognomine inſignem, quæ ſanè quatuor millium lectiſſimorum bellatorum numerum æquabat, contra eos miſerunt, hiq̃ue recto itinere in Vallem Pociferam deſcendentes, vſque ad ipſam vrbem excurſiones fecerunt, agriſq̃ue populatis, & plurimis vicis pagiſq̃ue incenſis, indigenas & municipes plurimis incommodis ac detrimentis affecerunt, donec tandem ſeptimo die ex quo venerant, ab hoſte illinc retrocedere coacti fuerint. Ceterùm, vt eò vnde eram digreſſus, mea relabatur oratio, Ligur, poſt partam victoriam, omnis quietis otijq̃ue intolerans, reparata confeſtim claſſe, captiuiſq. nauibus Delmatico remige inſtructis, octo & quadraginta triremium expleuit numerum; quibus etiam pleraque minora nauigia coniunxit: ab initio tamen non eſt vniuerſa vſus claſſe; ſed parte nauium celeriter deducta, Humagum in ora Iſtriæ occupat, mox Gradum, & Caprulas Venetiis vicinas cepit; rerumq̃ue ſucceſſu ſibi abblandiens, vlterius progreſſus, onerariam vnam, variis ac pretioſis mercibus onuſtam, adeptus, in conſpectu vrbis diripuit atq. incendit. Inde dextrũ littus tenens, Paleſtrinam metu hoſtium deſertam occupauit: poſtremò Clodiam adortus, ægrè inde ab oppidanis & præſi-

Luciani eximia virtus.

Ager Ligusticus ab Insubris diuexatur.

Genuenſ. noua expeditio.

præsidio repulsus est. Quibus rebus ex sententia gestis, in Dalmatiam, quò nuper Petrus Auria, Genua cum quindecim triremibus recèns instructis missus, & in demortui Luciani gentilis sui locum classis præfectus designatus, appulerat, quàm primum enauigauit. Sed parum ibi commoratus, omnem ferè sinum Illyricum, & Hadriatici maris tractum, eo potissimùm consilio præteruectus est, vt circumuicinis gentibus terrestri naualique clade affectis, Venetias in summam rerum omnium angustiam conijceret. In eam enim adducebatur spem, Venetos ea tempestate, rebus omnibus ad bellum necessariis valdè laborantibus, facilè superari posse, præsertim cùm Insubres, quorum, tanquam sociorum opibus atq. armis hactenus potissimùm innitebatur, ita domesticis bellis essent implicati, vt etiamsi maximè vellent, nullum tamen subsidium commodè præstare possent. Quamuis igitur ad eius primum aduentum Patres, atque vniuersa ferè vrbs haud mediocriter commota esset, nihilominus tamen ea animi fortitudine ac prudentia, qua non modò in rebus secūdis & affluentibus, verùm etiam in dubiis atque aduersis semper vsi erant, nihil habuêre antiquius, quàm vt statim ea omnia quæ ad sui propugnationem attinebant, studiosissimè procurarent. Quamobrem, præter cetera prudenter atque grauiter ab eis administrata, Reip. expedire visum fuit, vt arces iuxta ædem Nicolao sacram, & Methamaucensem portum quinto lapide ab vrbe distantem, sitas, aliaque ostia & fauces, quibus in vrbem accessus datur, firmo validoque præsidio circumuallarentur. Pari sedulitate & industria allaboratum est, vt, cùm pauca maiora nauigia in promptu essent, non paruum minorum supplementum fieret. Sed priusquam vlterius ad alia progrediar, haud sanè à meo instituto alienum fuerit, si breuiter, qualisnam sit huius inclytæ ac celeberrimæ vrbis situs, & quibus potissimùm conditoribus sua prima initia & incunabula debeat, explicauero. Iacet in intimo sinus Hadriatici recessu, mediis in stagnis, quę æstibus irrigua marinis, affuso ab Oriente mari, quod rectà in exortum M. P. DL. hinc patet, at secundum oram vsque ad promontorium leucæ mill. DCC. enauigatur. Summouet id à stagnis terrenus agger tenuis, artificio prouidæ naturæ prætentus ad tutelam paruarum insularum in his stagnis, contra fluctus & irati maris violentiam. Excurrit in longum millia ferè XXXV. curuus instar arcus, & ostiis quinis interruptus, quæ singula portum modicum efficiunt, & cum mediocribns nauigiis, tum ipsis aquis marinis aditum ac viam in æstuaria præbent. Habet itaque ab Austro vrbs partem eius aggeris cum continente, pariterque à Septentrione & Occasu stagna his finibus inclusa, propemodum millia LXXX. longitudine patent, nimirum ab insula Gradu vocata, vsque ad Lauretum olim non ignobile iuxta Padum oppidum: latitudine admodum est varia, quia vix certi termini æstuariorum quà è mari diffunduntur, statui possunt, aquis passim diuersis euripis hæc stagna complentibus vsque ad cōtinentem, adeò vt perdifficile omninò foret, latitudinem tam diuersam inuestigare. Condita igitur mediis in his paludibus, quæ tum aquæ marinæ per quinque ostia littoris, de quibus suprà commemorauimus, effusæ, tum multi continentis amnes huc se exonerantes creāt, vrbs nobilissima Venetiarū est, modicis primùm in insulis ferè LX. paruo inter se spatio dissunctis, intercurrentibus euripis, vt herculè non minùs per se tuto loco, quàm ad imperia multarum gentium & nationum moderanda idoneo ac opportuno loco sita sit. Prima verò huius præclarissimæ vrbis fundamenta iacta esse dicuntur in insula cui tunc fuit, & nunc est, Riuo alto nomen. Incidit primordium illud in VIII. Cal. April. eius anni qui quadringentesimus fuit humanæ salutis, ac primus & vigesimus. Quòd si eximia

Petrus Auria in locum demortui Luciani sufficitur.

Venetiarum descriptio.

quædam

quædam opera naturæ quæ eodem die edita dicuntur, conſiderare voluerimus; non abſurdum erit dictu, nihil ea luce inchoari potuiſſe, quod non idem magnificum eſſet, amplum, perpetuum, humanarumq. rerum faſtigium ſuperaturum. Diuinæ literæ teſtantur, eodem die mundum à Deo conſtitutum, & humani generis parentem ab eodem formatum, ipſum quoque Dei filium in Virginis vtero conceptum; cuius myſterij amplitudinem humanum ingenium non modò verbis explicare, ſed ne mente quidem vel intellectu concipere poteſt. Præterea cùm circa Meridiem iacta ſint prima illa vrbis fundamẽta, ſatis apparet, ea hora Arietem, qui Solem geſtabat, medium cælum, quaſi mundi verticem tenuiſſe: fuiſſeq. tunc & Veneris ſidus in eodem ſigno, recto Ioue vndecimam Piſcium partem tenente, recto & Mercurio octauam, vt in tot felicium Planetarum commercio, proximoque reſpectu, ſi qua vis eſt ſideribus, vt circa hæc, quæ in terris fiunt, fermè omnibus perſuaſum video, facilè appareat, nihil ea luce & hora, vt dictum eſt, inchoari potuiſſe, quod non felix fortunatumque eſſet, & ad rerum apicem & culmen peruenturum, ita vt iuxtà cæli diuinaque natura, nouæ vrbis primordio affuiſſe videri poſſint: hæc, quia iterum ſit ipſo die nobiliter operata, illi fœliciſſimorum ſiderum radiatione, mutuoq. aſpectu. Hæc modò quàm breuiſſimis verbis de ſitu & primordiis Venetiarum recenſui. Quæ autem fuerit ipſarũ origo, & cauſa; quibus auctoribus ea vrbs condita ſit; qualemq. Reipub. ſtatum habuerit; quæ mari terraque variis temporibus præclara facinora fecerit; quibus artibus ac ſtudiis floruerit; quos denique domi foriſque illuſtres viros ediderit: ex veterum & recentium ſcriptorum monumentis facillimè erui & intelligi poterit. Ad inſtitutũ igitur reuertar. Auria in hunc ſinũ præteruectus, cõfeſtim arces, vbi ædes Nicolao ſacra conſpicitur, inuadere conſtituit, primoque hîc milite in terram expoſito, atque ope Franciſci Carrarij, qui cum mille armatis hominibus illi auxilio aduenerat, ipſum Nicolai cœnobium occupauit, & mox in duo caſtra impetum fecit: ſed quoniam validiſſimo præſidio vtrumque à Venetis firmatum erat, inde poſt longam & acrem oppugnationem, infecto negotio receſſit. Portus defenſioni prægrandibus catenis, aliiſque munimentis vndiquaque occluſi, Ioannes Barbadicus cum magno minorum nauigiorum numero præerat, qui bellicis tormentis, aliiſque hoſtilibus telis hoſtem non citra cædem propulſauit, adeò vt cùm viderent, illorum expugnationem ſummæ difficultatis ac periculi eſſe, Clodiam Foſſam immutato curſu adoriri ſtatuerit. Hanc tamen Veneti, quòd eum locum haud leuis momenti eſſe intelligerent, præter oppidanam multitudinem, tribus propè lectiſſimorum virorum millibus, & diuerſi generis præſidiis ad omnem caſum communiuerunt, ita vt Ligur cum vniuerſa ſua claſſe in eam oppugnationem ſummis viribus incumberet. A quibuſdam in literas relatum eſt, Clodiam à Clodio Albanorum duce fuiſſe conditam; eſtque iuxta illam portus Clodianus, quinque ac viginti ab vrbe Veneta milliaribus diſtans. Ciuitas effecta eſt ſub Ordelafo Falerio Duce, milleſimo centeſimo quinto poſt C. N. anno, tranſlato huc Methamauceno Epiſcopatu, cùm eam vrbem inundatio vaſtaſſet. Vndique ſtagnis marinis circumfunditur, in longum protenta, ſpatioſaque, & longa platea diuiſa, in quam vtrinque vici plurimi inſtar ſpinæ piſcis exeunt. Circa vrbem ſalinæ paſſim, vbi menſibus æſtiuis è marinis aquis ſal conficitur ingenti Venetæ Reipub. compendio, eſtque natura ſitus longè munitiſſima. In huius portus introitu atque oſtio, ex vtroque latere propugnaculis aliiſque aggeribus communito, Veneti, vt hoſtem ingreſſu arcerent, nauim eximiæ magnitudinis depreſſerant. Hanc vrbem Auria ſummis conatibus aggreſſus eſt, in cuius

Clodiæ deſcriptio.

Eiuſdem obſidio.

cuius obsidione Carrarius, & Aquileiensis Antistites ipsum commeatu atque auxiliaribus copiis iuuarunt. Verùm, cùm statim sub obsidionis initium oppugnationem acceleraret, nec satis ex militari disciplina rem ageret; à defensoribus strenuè ac celeriter repulsi sunt, ita vt paucis diebus interiectis, Auria ad sarciendam iacturam & inflictam contumeliam reparandam, maiori cum prudentia & animositate oppugnationi instaret; & haud mediocri suorũ cæde, at hostiũ multò maiori, circiter sex millibus oppidanorum, militumque præsidiariorum interfectis, & captis fermè nongentis, præclaram victoriam de hoste retulerit. Clodia vi expugnata, Præfectus classis singularem modestiæ laudem sibi cõparauit, dum severissimo edicto cauit, ne miles muliebri pudori quicquam iniuriæ inferret, néue vrbem vllo incommodo ac detrimẽto afficeret. Nuntius tantæ acceptæ cladis Venetos, quòd ea in vrbe haud exiguam suarum rerum spem ac salutem reposuerant, mirum in modum consternauit: & cùm hæc recèns præteritis calamitatibus perpessis coniuncta, ob oculos versabatur, summam illis molestiam adferebat, potissimùm, quòd publicum ærarium propemodùm exhaustum esset, summaque rei frumentariæ pænuria, omnisque generis commeatus inopia laboraretur; & difficultatibus omnibus implicati, vix sciebant, quánam ratione classi necessaria suppeditarentur. Nam in Barnabæ Vicecomitis promissis auxiliis iam nihil, aut certè parum confidebant, adeò vt ea vrbs paulò antè florentissima, nullique secunda, pænè ad omnia extrema redigeretur. Quo sanè factum est, vt post longas deliberationes, priusquam ad Insubri opem confugerent, vrbis Senatus Genuensium animos circa pacis condiciones tentare statuerit: missisque oratoribus, iniunctum fuit, vt quamlibet condicionem propositam reciperent. Proinde in colloquium à Liguribus admissi, vnus eorum, qui rectitudine iudicij, cõsilij grauitate, ac longa rerum experientia ceteris præstabat, his verbis Auriam est allocutus.

Clodia à Genuens. expugnata.

Veneti Oratoris ad Ligusticæ classis Præfectũ oratio.

QVANTVM splendoris & incrementi auitæ tuæ gloriæ nouisq. tuis laudibus, inuictissime dux, recèns accedat, vel ex eo constat, quòd inter tot strenuos duces solus ad hunc vsque diem extiteris, qui dignus esses ad quem supplicibus animis togati pacem petituri veniremus. Nulla siquidem temporum vicissitudine, nullis dico aduersantis fortunæ procellis effectum fuit, vt Reipub. nostræ fasces alicuius Principis potentiæ cederent; nedum tam humiliter, vt nunc fit, sese submitterent. Cuius quidem temporis, ac præsentis nostræ fortunæ condicio, cùm hactenus nihil à nobis imprudentia vel temeritate in administranda nostra Rep. vti quidem existimamus, admissum vel peccatum fuerit, quod meritò à quoquam culpari debeat, potiùs ad humanarum rerum fragilitatem fortunæque nostræ volubilitatem, quàm ad aliquem casum priuatum, & alicuius culpam, referri iure debet. Proinde, cùm tu, tuique omnes, Deos habeatis tam propitios & fauentes, vt hunc de nobis triumphum, citra controuersiam omnium, quem vnquam habuistis, maximum, vobis conferre & indulgêre dignati sint, tuum erit dare operam, atque in primis elaborare, ne hanc tuam eximiam felicitatem aliqua animi ægritudine, ceu turpi labe, aspergas. Solent enim victoriæ & rerum bene gestarum successus, plerumque tantum habere in animis hominum virium atque potentiæ, vt etiam vel optimos quosque à bene institutæ vitæ curriculo non rarò abducant. Quippè cùm omnium hominum animis à natura ipsa sit insitum, vt res aduersas fortiùs & moderatiùs quàm secundas ferre possint. Sis igitur tibi in omnibus, ac in omni vitæ tuæ tenore par, vel etiam, si potis est, superior; nec patiaris te à fortunæ tuæ prosperitate tibi tantum abblandiri, vt ab æquitate & honestate retraharis. Obuersentur, quæso, oculis tuis

lis tuis clarorum virorum omnium facta, & in primis quidem maiorũ tuorum, ceu veræ fortitudinis domestica exempla, tecum reputa; qui adeò fuêre in rebus suis prosperis moderati & humani, vt nihil prius, nihilque habuerint antiquius, quàm ita hostem vincere, vt victoria quidẽ penes se, ceterùm humanitatis & benignitatis testimonia veram laudem & iustam victoriæ partæ gloriam iudicarent. Hæc est, crede mihi, sola illa laurus, tuis temporibus digna, quæ tibi demùm reuerso, cum magno Reip. beneficio, à grata patria optimo quidẽ iure debetur & imponetur: qua sanè quid tibi in hac vita à diis ipsis contingere, vel conferri possit præclarius, non equidem intelligo. Tacebo hîc breuitatis causa, quàm honorificum & quasi inauditum sit, eos debellasse, qui hactenus tot regna & tantas prouincias perdomuêre, quique tot rebus præclarè ac fortiter domi foriſque gestis, imperium, quàm maximè diuturnum & firmum semper habuêre, eumque populum ad condiciones pacis redigere, qui eas reliquis præscribere consueuerunt. Nos siquidem multorum temporum atque hominum testimoniis felices, nunc præsenti rerum condicione adducti, admonemur, quàm nihil in rebus humanis simplex atque firmum sit, ac solam imperiorum diuturnitatem & stabilitatem, ex diuinæ prouidentiæ, omnia regentis, nutu & voluntate pendêre. Quæ sanè condicionis humanæ consideratio nonnihil nos in præsenti rerum statu solatur & subleuat; adeoque faciliùs ferimus ad vnius victoris arbitrium & humanitatem confugere, ab eoque pacem petere, quam si æquis & tolerabilibus condicionibus impetrauerimus, inceptam fortunæ tuæ felicitatem, crede mihi, mirificè firmabis & stabilies. Quid enim homine dignius, quàm humanitatis meminisse? easque proponere & conseruare leges, quibus humani generis societas potissimùm coalescit, & continetur? Quid demùm victori excelsius & splendidius, quàm ita sese in victoria moderatum & temperãtem exhibere, vt potiùs clementia & mansuetudine, quàm vi & armis ditionem augere velle videatur? Hoc est per Deum immortalem, demùm regnare, cùm ita regnas, vt diu regnare possis, ac omnem luxuriantis fortunæ frenum, attractis habenis, ita inhibere, vt nunquam, nisi pro temporis necessitate ac condicione relaxandas esse sentias. Hæc omnia cùm in tua potestate, Deorum omnium beneficio, nũc posita sint, ne permittas, rogamus, prædecessorum tuorum laudem atque gloriæ auitæ amplitudinem nouo aliquo inhumanitatis exemplo obscurari, vel aliqua in parte imminui. quin recordare potiùs, te tuæ patriæ, cui in primis omnia debes, tantum esse obligatum, vt dignitatem tuam ex eius tibi metiri omninò necessum sit: nec tantum ad vanæ gloriæ fucum, quantum ad earum rerum actiones quibus veræ immortalitatis fama continetur, respicere debes. Noli ergò extremos aduersantis nobis fortunæ ictus curiosiùs perscrutari & pertentare, nec incertam periculosamque victoriam certis præsentibusque commodis præferre. Verùm potius hoc vnum age & contende, vt pacem, quam modò abs te submissè petimus, honestis & æquis condicionibus subnixam, nobis libèns concedas. Nam, præterquàm quod ex eo tui nominis splendor & immortalitatis fama citra omnem interitum ad posteritatem deuentura est, nos in amicitiam tuam receptos, ita habebis in posterum deuinctos & obligatos, vt nullum obsequij genus paratissimis animis tibi non exhibeamus. Postquam Venetus dicendi finem fecit, Auria in hanc ferè sententiam respondit.

Immitis atq. insolens Auriæ respõsio.

INTER alia magna atque præclara munera, quibus me immerentem cælestis fauor à primis annis vsque ad huius diei horam prosecutus est, vel illud inter præcipua numero, quòd me in arduis rebus sæpiùs versantem, ac mira sortis fortunæque

tunęque diuersitate vsum & exercitum, Dij ipsi iam longa experientia docuerint, quantum iuris & potestatis in rebus humanis fortuna, vel, vt alij nominant, cæcus ille casus sibi vendicet, adeò certè, vt magno meo cum periculo hoc videar assecutus, vt pro rerum temporumque condicione, æstus istos animi variis de causis humana pectora miserè, & huc illuc impellentes, aliqua ex parte in mea habere potestate, & veluti iectis frenis, in officio continere didicerim. Cùm itaque vos pacem humiliter ac demissè petituri ad me veniatis, facilè adducor, vt patiar me huius præclarissimæ victoriæ de vobis habitæ testimonio ad perpetuam gloriam, & sempiternam mei nominis memoriam adornari. Interim tamen vos seriò admonebo, vt subinde cogitetis, atq. exactè perpendatis, quantum inter nostram & vestram Remp. hoc quidem tempore propter fortunæ diuersitatem intersit; atque ex huius condicione officia nobis debita diligenter metiamini ac expendatis, potissimùm cùm alia sit victoris, alia verò victi ratio. Nec video me herculè, quare ego de fortunæ meæ pristinæ prosperitate & felici genio magis metuere debeam, quàm vos de vestra in posterum bene sperare. Nam cùm omnibus rebus humanis sit certus terminus præfixus & præfinitus, sic ego proculdubiò statuo, fortunæ meæ felicitatem nondum ad vltimam periodum peruenisse. Proinde cùm hæc ita sese habeant, alias vobis leges præscribere vel concedere non possum, quàm illas ipsas quæ vobis à nostro Senatu, si præsens foret, iniungerentur. Quod vt planum faciam, vos, vestraque omnia meæ voluntati atque arbitrio quamprimum permittite. Ad tam atrocem, & plusquam inhumanam Auriæ responsionem Veneti legati mirũ in modum indignati, & quòd sibi omnia longè mitiora & moderatiora de illo promisissent, iustissima ira accensi, nihil amplius locuti, cum summa festinatione discesserunt; satius esse arbitrati, omnia extrema experiri, ac cum hostibus suis ad vltimum vitæ spiritum vsque colluctari, quàm tam indignas, & planè barbaras condiciones, vix mancipiis, nedum libero populo tolerabiles, cum magna ac perenni Reip. posteritatisque ignominia subire; adeò vt meritò Auriæ ambitio ab omnibus incusari debeat, qua factum esse maiori ex parte videtur, vt tantæ & tam præclaræ Reipublicæ subiugandæ ac edomandæ oblata occasio cum grauissimo Ligustici nominis detrimẽto neglecta sit. Auria etiam ipse non parum sibi suæq. existimationi derogauit. Extitisset nimirum alioquin nemini suæ gentis rerum gestarum magnitudine vel gloria secundus, si ad bellicam virtutem moderati atque fortunæ humanorumque casuum memoris animi laudem adiunxisset; ac nisi pristinum nominis splendorem nimio fastu animique impotentia, ea potissimùm tempestate, obscurasset. Nihil enim glorioſius in re bellica, vel etiam vtilius, confici vel optari poterat, quàm, Clodia vi expugnata, sexque defensorum millibus acriter vrbem ipsam propugnantibus, ad vnum, vti demonstrauimus, cæsis, vel vulneratis, Venetias, opulentissimam vrbem, rerum gestarum, Imperijque cum diuturnitate, tum amplitudine, totius Europæ facilè principem, veluti faucibus oppressam, ad pacis petendæ necessitatem, legesque à victore accipiendas, supplicem adegisse. Sed fit non rarò, vt hominum animi prospero rerum cursu elati, fortunæque indulgentia vltra omnes humanitatis honestatisque limites prouecti, ea plerumque negligant, & imprudenter prætereant, quorum vel maxima sit habenda ratio. Diuina planè prouidentia tam splendida vrbs ab interitu conseruata, meo equidem iudicio, censeri debet. Nam siquis omnia Venetorum tempora ab vrbe condita ad hanc vsq. ætatem considerarit, & diligentiùs examinarit; reperiet proculdubiò, nullum vnquam tempus vel occasionem

incidisse, in qua Veneta virtus magis & clarius enituerit, vt dubitare liceat, maiór-ne afflictæ ciuitati in rebus aduersis constantia, an in laboribus robur, & in conspiliis sollertia fuerit. Porrò cùm ab hoste, vti diximus, talis proponeretur pax, vt nihil ipsis præter vitæ incolumitatem relinqueretur, tanta ira ex rei indignitate orta est, & ex hac tam feruidum tuendæ libertatis studium, vt admirabili quadam consensione omnia extrema tentanda, & audenda potius proponerét, quàm ita abiectè ac viliter cum hoste pacisci. Quare ad eum repellendum summa cum celeritate ad Barnabam Vicecomitem legationem habuêre, qua præsentem Reip. suæ statum illi ostenderunt; simulque rogarunt, vt tam necessario tempore sibi deesse nulla ratione vellet. Quem quò facilius ad ferendam opem inflecterent, graui atque diserta oratione ostendebant, quanta illum laus & gloria maneret, si Resp. Veneta, quæ hactenus contra barbarorum incursiones, vnicum Italiæ asylum & refugium extiterat, eius potissimum beneficio salua & incolumis remaneret. Et quia multas ad diuertendum bellum rationes iniuerant, hæc vna ceteris videbatur esse præstantior, vt ipse Vicecomes quàm primum arma contra Ligures expediret, illorumq. patriæ bellum inferret. Intelligebant siquidem, hoc modo ipsos facilè ab instituto, cùm semper strenuos sese patriæ suæ defensores præbere solerent, abduci & auocari posse. Insuber, audita legatione, videns tam præclaræ Reip. statum suo beneficio ab hostium vlterioribus iniuriis seruari atque defendi posse, licet Venetam potentiam semper antea habuisset suspectam, confestim tamen, tanquam socios & vicinos, eos milite, ceterisque omnibus necessariis, quoad fieri posset, iuuare statuit, conscriptisq. summa cum diligétia aliquot pedestribus & equestribus copiis, haud paruã, vel cõtemnendam manũ collegit: inter quos fuit vna quatuor milliũ veteranorũ legio, Stellæ cognomine insignis, cuius superius meminimus: easque omnes subsidiarias copias ad depopulandum agrum Ligusticum, prout Senatus illum per suos oratores rogarat, emisit. Qui post varias excursiones & depopulationes ita progressi sunt, vt non procul à Genua in villis Bisamnis castrametarentur. At Nicolaus Guarcus, qui tunc temporis Genuæ principatum gerebat, his rebus percognitis, statim ex Patrum decreto, vt hostiles conatus reprimerentur, in vrbe militarem delectum summo silentio haberi iussit, eique Isnardum fratrem cum imperio præposuit. Qui rebus omnibus ex sententia expeditis, subitaque eruptione facta, hostem de improuiso adortus est, cumque tandem post longum & cruentum prœlium fudit ac deleuit, maxima parte obtruncata, & reliquis in fugam cõiectis; inter quos Astorgius Manfredus Fauentiæ regulus, Insubrum Dux, ægrè omnino euasit. Nam dicitur, agresti habitu, siue, vt aliis placet, cucullo, periculum euitasse. Ipsa quoq. veteranorum legio vniuersæ Italiæ prægrauis & formidolosa, profligata est; quippe quæ nullius Principis stipendiis addicta, assiduis velitationibus & populationibus multas eius prouincias infestas antea non semel reddiderat. huiusq. victoriæ fructus non modò ad Genuenses, sed ad quamplurimas Italiæ ciuitates magna cum lętitia & emolumento peruenit, adeò vt pleręq. literis & nuntiis gratias Genuensibus egerint, quòd illorum virtute & fortitudine, à tanta molestia essent liberatæ. Genuenses quidem hanc victoriam in magnis numerant, eamque octauo Cal. Oct. partam anniuersario sacro, & aulæi aurei dono in æde D. Georgij posteritati commendarunt. Ceterùm Veneti ob acceptam cladem vehementer indoluerunt, summoperè veriti, ne hostium iniuriis omninò exponerentur: & idcircò, vt illos faciliùs ab littoris ingressu prohiberent, murum, cuius etiamnum hodiè vestigia cernuntur, ab æde D. Nicolai vsque ad alteram stationis

Veneti ad Mediolan. opem confugiunt.

Genuensium aduersus Principem Mediolanẽsium victoria.

ſtationis partem deduxerunt, ſimulque claſſem ſuam maiori parte inutilem & laceram, reparauerunt; cui de communi omnium ſententia Victorem Piſanum, qui poſt cladem Polanam in vinculis, vti ſuperiùs diximus, cõiectus fuerat, præfecerunt, totiuſque ſubſecuturi belli ſupremum Ducem, ſiue mauis Imperatorem, renunciarunt: quo etiam die à Genuenſibus Pupilia capta eſt, prout inſignia ipſorum ibidem affixa teſtantur. Auria vlterius progreſſus, Methamaucenſem portum cepit atq. expugnauit; cunctaque hoſtiliter demolitus, Lauretum quoque oppidum, huic proximum, in ſuam poteſtatem redegit. Quorum ſanè locorum iactura Venetos haud parum afflixit, eiſque non mediocrem metum ac terrorem incuſſit, adeò vt hac de cauſa ſubinde noua conſilia & rationes inirent, quibus hoſtilem vim inhiberent. Proinde cùm per ſpeculatores exploraſſent, Clodiam, propter claſſis abſentiam, quæ maiori ex parte in Apuliam frumentandi gratia conceſſerat, tenui præſidio teneri, ad illam capiendam minoribus nauigiis circiter numero trecentis clàm expeditis, intempeſta nocte, ea ſpe, vt illam reciperent, enauigarunt. Verùm res haud tanto ſilentio geri potuit, quin Auria ſtatim ipſorũ conſilia præſentiret, & probè ſubodoraretur, ita vt repentè illos adortus, facili negotio ſuperarit; multoſque Veneti nominis captiuos fecerit. Vbi verò triremes, in Apuliam frumentatum profectæ, rediiſſent, Auria Methamauci portus commoditate fretus, ad vrbem Venetam curſum nauigationis direxit, in eoque itinere quædam triremis Sauonenſis, cùm temerè ceteras prætergreſſa, & aquis deſtituta, iuxta fanum vulgò S. Spiritus, tanquam in ſicco hæreret, confeſtim à nonnullis nauigiis Venetis, cùm omni auxilio deſtitueretur, oppreſſa eſt. Ligures, illius periculo animaduerſo, etſi libenter ſuccurriſſent, fieri tamen propter aquæ altitudinis defectum non licuit: ſed inde retrogreſſi, ad vrbem aditum ea parte qua ad templum Nicolao ſacrum peruenitur, tentarunt, in quo Veneti reliquam omnem ſuam ſpem atque fiduciam collocarant. Siquidem licet omnes aliæ ferè fauces in hoſtium poteſtatem deueniſſent, parum tamen de illis erant ſoliciti, quòd earum altitudo excipiendis triremibus, aliiſque maioribus nauigiis nõ ſufficeret, ſic vt potiſſimùm in illis duabus munitionibus tuendis, eiuſque littoris, ſiue aggeris propugnatione, præcipuam curam & ſtudium ponerẽt, ibique intra catenam portum occludentem, Piſanus cum plurimis nauigiis varij generis præerat, vt ſedulò caueret, ne quid incommodi ex ea parte acciperetur. Auria, tametſi omnibus conatibus & viribus eum locum fortiter oppugnaſſet; is tamen fuit euentus, vt denuò re infecta, illinc diſcedere, ſeque Methamaucum recipere cogeretur: quo ſanè effectum eſt, vt interea Veneti plus otij ac temporis nacti, rebus ſuis multò faciliùs atque commodiùs conſulerent, & de omnibus neceſſariis proſpicerent, ſimulque per hoſtis abſentiam, riuum, ſeu canalem, vt appellant, S. Spiritus, & illum qui deducit ad fanum D. Marthæ, præualidis aggeribus communiuerunt. Et quamuis Methamaucum amiſiſſent, nihilominus cum haud mediocri cymbarum & minorum nauigiorum numero, quæ ſub Ioannis Barbadici præfectura, prout vſus requirebat, eius iuſſu diſponebantur, vim aduerſariorum fortiter ac ſtrenuè repellebant. Sunt qui tradant, in his leuioribus mutuis congreſſibus ænea tormenta tunc primùm reperta, Venetis magnum vſum & vtilitatem prẽſtitiſſe. Quandoquidẽ eorum crebra diſploſione, & Genuenſibus illorũ vſum adhuc ignorantibus, quamplurimos grauiſſimis incommodis affecerunt. Auria interim cùm ex ea parte omnes conatus inanes atque irritos animaduerteret, ad nouas rationes confugit; ac exiſtimabat, omnia ſibi ex animi ſententia ſucceſſura, ſi ex Methamauci ſtatione per continentem

Victor Piſanus è vinculis eductus, nouæ claſſi præficitur.

Quãdo ænea tormenta primùm repertæ fuerint.

arces iuxta templum Nicolai sitas inuaderet. Quod vt faceret cautiùs & securiùs, finxit se velle murum, in illarum aditu erectum, expugnare; vt scilicet præsidiario in earum defensione occupato, ipse euestigiò ex continenti munitiones aggrederetur. Qua de causa summo silentio magnum lectissimorum militum robur in quodam nemore tunc temporis inter Methamaucum & Nicolai delubrum sito collocarat. Verùm eius consiliis à quibusdam aduersæ partis, qui se iuxta propugnacula recipiebant, detectis, ab eo conatu destitit. Veneti contrà, nihil omninò reliqui ad summam diligentiam facere, quod ad suam salutem patriæque libertatem retinendam & conseruandam pertinere iudicarēt, & Clodianam recuperationem noctes diesque animis voluentes, cùm se ingenti annonæ commeatusque inopia premi intelligerent, ad extremi consilij rationem confugerunt. Quandoquidem Principis ac Senatus decreto, clanculum summaque celeritate vniuersa nauigia, quæ in publico armamentario adhuc extabant, instructa fuerunt, eo quidem consilio, vt si Clodiana expeditio nequicquam tentaretur, Veneta vrbe prorsus relicta, in Cretam insulam adnauigarent. Quod verum fuisse, ex eo potissimùm patet, quòd satis constet, & literis consignatum sit, in eam classem præcipuos ciues, atque adeò ipsum Andream Contarenum ea tempestate Reipub. Principem, cum vniuerso ordine Senatorio & lectissima nobilitate conscendisse. Consilium sanè vt admiratione dignum, ita & humanarum rerum mirificum exemplum. Classis, quæ tum pro temporum angustia & conditione parari atque instrui potuit, trium ac triginta triremium, duarum nauium eximiæ magnitudinis, & quorundam aliorum nauigiorum numerum explebat. Quibus accedebant duo nauigia ex his quæ vulgò Pontones appellant, quod est genus nauium Gallicarum, vt hæc ad Claudiæ fauces & aditum obstruerent, quò illarum faucium vsu hostem multarent. Ceterùm illa tempestate ea Respub. in tanto rerum omnium discrimine versabatur, tantisque in angustiis & difficultatibus coniecta erat, vt non pauci ciues populares, opibus & fortunis reliquis antecellentes, in patricium ordinem, largitione facta, certaq. prius ad hoc pecuniæ summa ad vsus publicos consignata, transcriberentur, ea lege & condicione, vt deinceps omne inter eos tolleretur discrimen, & ordinis distinctio: quod quidem certè nonnullis aliis nostrorum temporum ciuitatibus, quæ aut democratica, vel aristocratica ratione administrantur, pro iugi ac perenni exemplo haud immeritò esse potest. Veneti tanta festinatione ac silentio in educenda classe vsi sunt, vt priùs iuxta Clodiam conspecti fuerint, quàm aliquid hostis de illorum appulsu rescire posset, vix illi data facultate, vt triremes vndetriginta è portu educeret: cumque id præter Venetorum spem ac opinionem accidisset, eò tandem res deuenit, vt Veneti contra suum decretum & consilia congredi ac prœlio decertare cogerentur. Nam etsi ipsorum classis nauigiorum numero & bellico apparatu hostili esset superior; nihilominus tamen Ligustica nauigia diutina belli exercitatione & vsu, illis recèns cum summa properatione armatis, ac passim Senatorij ordinis togatisque viris & nouo tyrone instructis, longè vtique antecellebant. Itaque commisso certamine, & longo vtrimque habito conflictu, licet Venetis naues, quas secum adduxerant, & in primo aciei cornu & frontispicio constitutæ erant, haud paruo emolumento ac præsidio extitissent; is tamen pugnæ fuit exitus, vt ipsi, amissis nauibus, ac etiam nonnullis triremibus, cum reliqua parte classis multò maiori discrimine, quàm antea, subitò Venetias redire coacti sint, adeò vt si Ligur eo tempore Franciſci Carrarij consilio obtemperasset, multorum opinio sit, eam Remp. funditus deleri potuisse. Hic enim suadebat, vt relicto in vrbe

Veneti eò redacti, vt de ipsa vrbe deserenda cōsilium inierint.

Ciues in Patriciorū numerū à Veneto Senatu coptati.

Veneti ad Clodiam infeliciter pugnant.

vrbe Clodiana opportuno præsidio, classeque in apertum educta, protinus in Istriam contenderet, ibique hostem omni re frumentaria & cõmeatu arceret. Ceterùm, Auria huic prudentissimo ac saluberrimo consilio ea de causa minimè acquieuit, cùm omninò existimaret illum, spe priuati cõmodi, ea dumtaxat proponere, vt scilicet hunc locum ob salis vbertatis prouentum, qui inde maximus quotannis redire solet, ipse retineret. Is etiam vt hoc suaderet, cumprimis Venetorum desperatione, & Genuensium indiligentia mouebatur; quippè qui, vt plerumque vsu fieri consueuit, ob rem hactenus feliciter gestam, plurimum de priori sedulitate ac studio, præcipuè verò in tuenda classe, remiserant. Auria tamen nullis rationibus commoueri potuit, quin ijsdem in locis susceptam expeditionem prosequeretur; præsertim cùm post reductam ad Clodiam classem, sibi persuaderet, Venetos eò necessitatis esse redactos, vt nullam amplius eruptionem facere auderent. At ipsi nihil reliqui pro conseruanda sua salute & liberatione ad summam diligentiam facientes, intempesta nocte cum triremibus quatuordecim, & duabus onerariis, lapidibus & alia id genus materia, ad eius statationis altitudinem implendam, refertis, egressi, ostium portus Clodiani improuiso accessu occuparunt, ibique admirabili quadam celeritate, cratium sepimentorumque beneficio sic eum aditum obstruxêre, vt inde hosti nullum daretur effugium: isque de periculo admonitus, cùm intempestiuè huic rei obuiam ire conaretur, turmatim exiliit cum tedis ac facibus incensis, vt earum carinarum summitatem ex superiori parte incendio absumeret. Res ea tamen incassum tentata. Siquidem nauigia, saxorum aliarumque rerum ingenti mole oppressa, subinde magis magisque in imum proruebant, ita vt fauces atque ostium portus breui vndiquaq. obstrueretur: idque negotij summo studio, ne scilicet Ligustica nauigia inde vlterius educi possent, à Venetis procuratum, hosti, vti mox dicetur, summã perniciem ac planè exitium attulit. Quamuis enim inceptum opus omnibus viribus impedire conaretur, is tamen subinde palis, epistyliis, aliisque aggeribus sedulò instare, operamque vrgere, adeò vt cùm vterque omnibus rationibus suarum rerum satageret, magnus ibi fuerit concursus atque certamen. Verùm enimuerò cùm ex illius prælij euentu vniuersa fermè belli alea penderet, Princeps Venetus iterum ex vrbe cum maiorum nauigiorum & bellatorum numero ac robore egressus est; ibique, biduum, & amplius, nauali & terrestri pugna, multis vtrimque desideratis, inuicem conflixêre. Tandem Ligur, post diuturnam luctam, summo studio, vt se illinc expediret, suamque classem ex eo portu educeret, allaborans, cùm id dumtaxat per Brundulum, Clodia ad tertium lapidem distans, fieri posse animaduerteret; quanquam iter summæ difficultatis plenum videretur, illuc tamen sibi eundum statuit, eoque nauigatione directa, simulauit, se denuò claustra, quæ hostis fecerat, inuasurum, eo quidem animi decreto, vt, dum is defensioni vacaret, ipse interim sua nauigia eo itinere educeret. Sed Venetus ea re percognita, illius consilia anteuertit, quippè qui Brundulum properans, facili negotio, dum Ligur ob exiguam aquæ altitudinem, quæ ibi erat, variis machinis ac instrumentis, vt classem illinc educeret, summa ope anniteretur, illis exitum obstruxit. Hæc noua difficultas res Genuensium hucusque florentissimas mirum in modum afflixit, ac in vltimum ferè discrimen adduxit: Venetorumque fortuna sensim in melius mutata, ita vt sub Caroli Zeni ex Orientalibus partibus aduentum, Laureti oppidi recuperatione subsecuta, benigniorem ac pacatiorem vultum ostenderet. Priusquàm tamen de iis quæ deinceps inter vtrumque populum gesta sunt, aliquid enarrem, paucula mihi dicenda restant

Nauali ac terrestris conflictus.

de his rebus quæ iisdem ferè temporibus circa Byzantium contigerunt. Porrò cùm Venetus enixè daret operam, omnibusque viribus contenderet, vt hostem ab ea expeditione auerteret, Caloioannem Græcum imperatorem sibi, vti superius meminimus, confœderatum & socium induxit, vt Peram Ligurũ coloniam armis inuaderet, quò etiam in his locis eos sic aliquo nouo incommodo & detrimento afficeret. Quorum voluntati dum obtemperare vult Græcus Imperator, arctissima obsidione Peram ipsam in aduerso littore sitam, terra marique premere inceperat. Et quamuis Andronicus eius æmulus, ac Lucianus Nigrius, hostiles impetus aliquandiu egregiè sustinerent, ac omnibus conatibus fortiter propulsarent; res tamen eò deducta erat, vt nisi Nicolaus Marcus Genuens. patricius, ac fortissimus ciuis, cum aliquot triremibus valdè opportuno tempore obsessis extremè laborantibus, maturam opem attulisset, proculdubiò summoperè verendum erat, ne deditio subsecuta fuisset. Ceterùm, nouo præsidio subleuati, sic omnium animi recreati & confirmati sunt, vt nihil iam minùs, quàm de deditione cogitarent, hostemque crebrò fortiter ac strenuè à mœnibus repellendo contemnere didicerant; eo tandem successu, vt ipse re infecta obsidionem solueret. Quod verò ad Zenum attinet; is sanè sub huius belli exordio cum nonnullis triremibus, ceterisque nauigiis Patrum decreto in Syriam nauigare iussus, primo cursu Tenedum appulerat, ibique ad eius loci præsidium duabus triremibus relictis, Rhodum versus profectionem instituit, indeque in Cyprum peruenit: mox pluribus hostium obuiis nauibus interceptis, in Syriam contendit. Et vix vnum atque alterum diem in Berytino portu ad ancoram constiterat, cùm Cretensis nauis publicis literis Clodiæ amissionem patriæque diuexationem nunciantibus & significantibus, ad eum delata est. Admonebatur itaque, suis quamprimùm opem ferre; multum namque periculi in mora esse, nequa scilicet maior clades cunctando adiretur. Commotus tam atroci nuncio Zenus, confestim ex Syria profectus, celeri cursu Cyprum repetit: hinc digressus, cùm Rhodum præterueheretur, onerariam vnam Ligusticam expugnat; qua neque vlla maior, neque ditior, ea quidem tempestate, extitisse dicitur. Prospera inde vsus nauigatione, peropportunè suis circa Clodiam laborantibus affuit. Nam eò res venerat, vt Veneti, qui Clodiam terra & aquis circumsedebant, rerum omnium inopia adacti, hostequè prægrauante, biduò soluturi essent obsidionem, nisi maturus ac exoptatus Zeni reditus suorum animos incredibiliter confirmasset. Interim Ligures, ne fortunæ suæ cursum negligentia aliqua interrumperent, vel remorarẽtur, Genuæ in Veneti belli supplementum noua nauigia exædificari iusserunt; breuique temporis interuallo tredecim triremes paratæ atque instructæ sunt, quibus Matthæus Maruffus spectatæ fidei summæque prudentiæ vir præpositus. Quod sanè vt à Venetis cognitum est, multò maiore studio, quàm antea, omnia propugnacula, aliaque opera ad defensionem tutelamque diu cœpta & inchoata, perficere conabantur, ita vt de propria salute mirum in modum solliciti atque anxij, Carolum Zenum Brundulanæ expeditioni cum quatuordecim nauigiis præfecerint. Ligur enim ad præoccupandum hostem classem suam subinde educere tentabat; eiusq. rei gratia ædem ac cœnobium Michaëli sacrum, huic stationi proximum, occuparat; in eoque validum præsidium collocauerat. Dum hæc ita fierent, Venetiis, post Clodiani portus aditum præclusum, Patrum omnium sententia & decreto sancitum est, vt Clodia expugnaretur: moxque instructa classe, illuc circiter octo bellatorum millia transmissa. quorum quidem ope ac præsidio Zenus primò aduersariam classem adoriri constituit: vtque hostem

Pera à Græco Imper. in gratiam Venetorum obsidetur.

Nicolaus Marcus Perẽsibus subsidio venit.

Caroli Zeni reditu Venetorum vires confirmantur.

1380.

Genuæ fit nouum supplementum sub Matthæi Maruffi præfectura.

ſtem ad certamen prouocaret, ipſum cœnobium, vbi haud exigua pars Genuenſ. militum ſeſe communiuerant, maximo impetu aggreſſus eſt. Verùm Ligures tanta ſollertia induſtriaque vtebantur, vt refractis ipſis impedimentis, ſuperatiſq. aggeribus, ad decem triremes Brundulo emitterent. ac ita vno eodemque tempore mari terraque valdè tumultuatum. Et licet Veneta nauigia cum Liguſticis concurrentia, inferiora numero eſſent; nihilominùs tamen propter ſummum animorum ardorem atque certandi auiditatem hæc pugna fermè inter ſe par & æqualis cenſebatur. Quandoquidem ob canalis iſtius anguſtiam, vna dumtaxat, vel ad ſummum duæ triremes, vtrimque per idem tempus inter ſe confligere & cõcurrere poterant. Quo ſanè factum eſt, vt, cùm ad ipſum Auriam, qui cum ſuis ad certamen deſcenderat, nouus miles per continentem Clodia ſubſidio aduenisſet, longum & cruentũ prœlium committeretur, potiſſimùm, quòd Piſanus cum nouis nauigiis nouaque manu militari in terram ibidem expoſita, prœlium fortiter inſtauraret: in quo ſanè cum Auria ſtrenuiſſimè dimicans, ſuoſq. variis cohortationibus ad bellum inflammans, ictu ænei globuli vulneratus concideret, victoria tandem ad ipſos Venetos inclinarit, peneſque eos ſteterit. Cuius quidem pugnæ ſucceſſus, interituſque Ducis fama, poſtquam in Ligurum caſtris diuulgata eſt, protinus terreſtres ac maritimæ copiæ ceſſerunt, & claſſiarij actutùm nauigiis, ne hoſtium præda fierent, incenſis, ſeipſos pedeſtribus copiis adiunxerũt; omneſque ſimul Clodiam verſus iter flexerunt: quos quidem victor miles ſumma velocitate atque ardore ſubinde inſecutus eſt. Et quamuis diuerſæ adferri poſſint cauſæ, quarum ratio ſi expendatur, Venetus ſuperior euaſerit; tamen nulla potior eſt, quàm nauarchi obitus; cuius ſanè culpa & temeritate commiſſum eſt, vt Liguſtici nominis dignitas hac præclariſſima victoria defraudaretur. Nam ſi, vt antea demonſtrauimus, victoria tam probè vti ſciuiſſet, quàm vincere; haud dubiè inter celeberrimos militiæ duces haud immeritò annumerari potuiſſet. Eius mortem vniuerſus exercitus grauiſſimè tulit. At Veneti tam felici victoria læti, & rei ſucceſſu ſibi abblandientes, animos multis incommodis & præteritis aduerſitatibus fractos, ita erigere cœperunt, vt ſibi maiora polliceri nõ addubitarent. Proinde cùm multum ſpei in præſenti fortuna reponerent: operæpretium ſe facturos arbitrabantur, ſi recentem adhuc victoriam indefeſſis animis, totiſque viribus proſequerentur. Porrò ſumma contentione adniſi ſunt, ne hoſtis Clodiam ſe recipere poſſet, néue vllum tutum effugium illi vſquam patêret. Sed Ligures veriti ne intercluderentur; longè maturiùs, quàm Veneti, pontem iſti canali, cuius ſuperius meminimus, ſuperinſtructum, occuparant, ibique ſtatim agminatim ſub vexillis confluxêre, eo animo, vt, redintegratis viribus, coactiſque copiis, bellum repararent, ſeſeque hoſti, recenti victoria ſummoperè exultanti, fortiter opponerent: videbanturque eorum conſilia, cùm iam non contemnendo numero militariter arma corripuiſſent, aliquem inſignem fructum reportatura. Verùm præcedentis pugnæ infortunium planè effecit, vt eodem quaſi ſucceſſu ab eis dimicatum ſit. Diſſipatis namque ſignis, ac militaribus ordinibus valdè confuſis & perturbatis, ſe itidem in celerem fugam proripuêre, tanto me herclè impetu, vt ob frequentem concurſum, & vtriuſq. agminis ſeſe impedientium multitudinem, pons diſiectus fuerit; & quamplurimi, præſertim ex Genuenſ., armorum pondere prægrauati, & in mare præcipitati, partim ſubmerſi, partim verò colliſione & attritu miſerè perierunt: multi etiam præterea illuſtres viri ab hoſte interfecti; in quorum numero Thomas Guanus, equeſtrium copiarum dux fuit. In ea namque clade amplius ſexcentos contrucidatos, & totidem in hoſtium pote-

Crebri conflictus inter Venetos ac Genuenſes.

Petri Auriæ interitus.

Venetorum victoria.

Genuenſium clades.

ſtatem veniſſe fama obtinuit. Reliqui ob confractionem pontis in altera vrbis parte ab hoſte diligenter cuſtodita, incolumes euaſerunt. At Ligures cùm in ea denuò aliqua munimenta ad nouam defenſionem pararent, à Venetis copiis obſeſſi fuerunt. Iiſdem fermè diebus quinque Liguſticæ triremes nullis armamentis inſtructæ, ad quorum quidem propugnationem octoginta ſolummodò relicti fuerant, à minoribus nauigiis Barbadici, in canali, ſeu foſſa vinearum, vt appellant, captæ ſunt, ita vt Ligur iam vndique maximis anguſtiis oppreſſus, quotidianis nouis cladibus afficeretur. Nam breui pòſt acceſſit etiam nouem nauigiorum iactura, quæ commeatibus onuſta, à Franciſco Carrario ad ſubleuanda caſtra miſſa erant. At cùm Venetus omnes ferè aditus inſediſſet, ſummaque diligentia iugiter obſeruaret, ne aliquid præſidij hoſti veniret, facilè intercepta fuerunt. Itaque maiore parte claſſis, ac eius Præfecto, & omni re frumentaria exutis, nihil iam erat reliqui, niſi vt ſe Clodiæ validis præſidiis firmarent. Interea temporis Genuæ, ſimulac de obitu Auriæ cognitum eſt, Patres conſcripti, vnà cum ipſo Principe, nihil rerum Clodianarum ſucceſſu animis fracti, eueſtigiò Gaſparum Spinulam non modò nobiliſſimæ ac præpotentis familiæ ſplendore, ſed ſpectata etiam virtute conſpicuum & clarum, Auriæ ſucceſſorem declararunt: eiúque ex communi eorundem Patrũ decreto Ludouicus Guarcus, & Hannibal Lomelinus, fide, conſilio, ac virtute præſtantes, coniuncti fuerunt, quorum conſilio vteretur: hiq. menſe Februario, cũ pulcherrimo lectiſſimę iuuentutis comitatu, & valida manu in Etruriã profectione ſuſcepta, breui iuxta Clodiã affuerunt. His ad Clodiam ita geſtis, Marruffus, cuius paulò antè mentionẽ habuimus, iam cũ ſua claſſe in Apuliam, ſpei plenus, eo cõſilio venerat, vt nulla interpoſita mora, prima quaq. opportunitate ſuis, Clodiano ſucceſſu valdè acciſis & cõſternatis, opportuno remedio adeſſet. Et quòd non ignorarent, Venetos paulò antè illuc quaſdam onerarias frumentatum miſiſſe, eis ſummoperè expedire videbatur, ſi Thadæum Iuſtinianum cum duodecim triremibus eôdem ad rem frumentariam, & commeatum expediendum & afferẽdum ablegarent. Is itaque Carnorum oram præteruectus, claſſemque ſuam ſubinde oſtentans, Gradum recepit, indeque ſecunda & proſpera nauigatione Sipontum, hodiè Manfredoniam vocant, tenuit. Hîc cùm Venetus ſtationem haberet, audito Liguſticæ claſſis aduentu, aliquot naues tritico onuſtas domum properare, ceteras onerarias deprimere iubet; veritus ſcilicet, ne illis Ligur potiretur; ipſeque cum ſex triremibus (nam reliquæ præſidiariæ aliò frumentatum diuerterant) cõfeſtim portu egreſſus, in altum pelagus, Venetias petiturus, enauigauit. Ceterùm, inſtituto curſu ſubita tempeſtate excuſſus, Sipontum repetere coactus eſt; paruoque temporis ſpatio interpoſito, Ligur ſumma celeritate aduolauit, eo animo, vt hoſtem imparatum opprimeret, vel ſaltem totis viribus adoriretur, ſic vt in mutuum conſpectum deuenirent: ibique ad aliquot horas ſtrenuè vtrimque pugnatum, eo quidem euentu, vt tandem ſuperante Ligurum multitudine, Thadæus ipſe cum centum aliis non obſcuri nominis caperetur: ceteri propinquæ vrbis beneficio incolumes euaſerunt. Naues verò ſubito incendio conflagrarunt. Poſt cuius pugnæ exitum, ad Ficulanum portum eſt itum; in quo ſex aliæ Venetæ triremes ſtare ad ancoram dicebantur. Hîc victor Ligur ſucceſſu exultans, cùm temerè portum ſubiiſſet, occaſionem præbuit effugij. Nam quinque, vna poſt aliam, prima trepidatione dilapſæ, altum tenuerunt: vna hoſtem effugere non potuit. Nauales turmæ quæ Siponti fuerant, metu compulſæ, terreſtri itinere Clodiam venêre, vbi adhuc Venetus cum claſſis parte erat; quamquam res ipſa ad exitum deducta eſſe videbatur. Marruffus interim,

Gaſpar Spinula in Petri Auriæ locum ſubſtituitur.

Matthæi Maruffi victoria.

rim suam nauigationem prosecutus, primò Iaderam iter suscepit: eoque feliciter appulsus, classem, vt suis Clodiæ obsessis opem atque auxilium ferret, omni bellico apparatu instruxit: cui etiam in iisdem locis quinq. triremes, quæ haud multò antè è sinu Ligustico soluerant, se tanquam subsidiariæ adiunxerunt. At Veneti de Spinulæ aduentu, nouaque classis supplemento certiores facti, nihil reliqui ad summam diligentiam fecêre, vt denuò littus seu aggerem, ad Nicolai fanum positum, nouis munitionibus firmarent; atque ibi munitissimam turrim, quæ adhuc nostra tempestate conspicitur, excitarunt, valida manu militari iuxta oræ maritimæ tractum passim constituta, ne quid incommodi vel periculi ex ea parte hostis inferret. His rebus apud Venetos ita sese habentibus, Spinula, breui mora interiecta, cum sua classe non procul à Clodia peruenit; ibique ob incredibile studium atque industriam, qua Veneti in portus Claudiani faucibus claustrisque tuendis, ac reliquis locis, quà ingressus dabatur, vsi fuerant; nihil omninò earum rerum quas sibi animo proposuerat, effecit. Quocirca illinc protinus classe abducta, ad littoris munimenta perrexit, vt periculum faceret, num ex ea parte hostis à Clodiana oppugnatione auerti posset. Verùm, cùm omnia firmissimis præsidiis perpetuisque vigiliis custodiri ac teneri animaduerteret, confestim mutato consilio, omnem curam ac industriam contulit, vt Venetos ab omni frumentatione, qua eo tempore in Apulia & Picena regione vtebantur, excluderet: Nam Veneti licet nauigiorum militumque ferè numero præstarent, sic tamen erant animati, vt nunquam belli aleam subire, vel prœlio decertare vellent. Ceterùm, hostilibus conatibus, vnde sibi haud mediocre incommodum ac detrimentum imminebat, animaduersis, continuò quinque ac viginti triremes ad sui tutelam salutisque conseruationē eduxerunt. Verumenimuerò cùm ambæ classes diuersam nauigationem tenerent, neutri cum hoste congrediendi facta est potestas. Dum hæc ita geruntur, Carrarius ad arcendum à Clodiana obsidione Venetos, Taurisium paulò antè ab eis receptum & instauratum, arctissimè oppugnauit. Et quamuis hac in re omnes conatus ac vires adhibuisset; attamen is fuit exitus, vt illinc fortiter repulsus, infecto negotio, discedere cogeretur. His rebus Genuam perlatis, Marruffo ab iis qui rerum bellicarum curam habebant, seriò iniunctum fuit, vt iterum suis, qui ad Clodiam obsidebantur, præsidio adesset, nec à prœlio, si ita res ferret, vllo pacto abstineret. Quod cùm diligentissimè esset executus, omnemque, quod aiunt, lapidem moueret, vt hostem clade afficeret; semper tamen suos conatus fortuna destituit. Quandoquidem Venetus, inter cetera obstacula & munitiones, ab exteriori parte munimentum, instar maximæ cuiusdam arcis erexerat, vnde cum maioribus tormentis, tunc primùm, sicuti antea diximus, ab humana sollertia in summum generis humani detrimentum ac perniciem, & planè multarum heroicarum virtutum excidium, excogitatis, tanto incommodo Ligusticas triremes afficiebat, vt ægrè littori appropinquandi facultas præberetur, adeò vt cùm Ligustica classis littore prohiberetur, militesque præsidiarij omni rerum inopia laborarent, summa necessitate adducti, cum hoste paciscī constituerint. Missis ergo qui pro constituenda pace apud Senatum agerent, tanta fuit eius insolentia, dicam, an præteritæ suæ condicionis recordatio, vt nullam aliam prorsus transactionem admittere dignaretur, quàm vt sese suo arbitrio ac voluntati, prout ipsi nuper fecerant, permitterent. Torquebat mirum in modum fatalis hæc bellica necessitas, & acerbissima quædam fortunæ vicissitudo Ligures: sed quid facias, vbi nullus bonis consiliis locus relinquitur, & vbi fatum prudentiam, aliasque virtutes superat? Tentatis igitur nequicquam omnibus

Taurisium frustrà à Carrario obsidetur.

Ligures Clodiæ obsessi sese victorũ arbitrio permittunt ac dedunt.

bus extremis, eò tandem deuenêre angustiæ, vt Cal. Iunij ad victoris arbitrium deditionem facere cogerentur: atq. ita ab eo felicitatis gradu, ad quem paulò antè singulari quodam fortunæ beneficio euecti fuerant, exiguo tẽporis puncto, cum admirando fragilitatis beatitudinisque humanæ exemplo deiecti ac præcipitati sunt. Quippe qui diuturna & arctissima obsidione domiti, fameque & laboribus confecti, decimo mense, ex quo vrbẽ ipsam armis receperant, sese dediderunt. Quo sanè intermedio tempore, infinita propemodùm multitudo diuerso mortis genere, variisque casibus, & in primis quidem inedia periit, ipsoq. deditionis die supra tria Ligustici nominis millia fuisse dicuntur. Nam reliqui defensores ferè omnes partim Patauini, partim Dalmatæ ac Liburni erant, qui omnes super vndeuiginti triremibus Clodiæ adinuentis, Venetias captiui perducti sunt, & in arctam custodiam coniecti & asseruati. Fuit hic annus, quo per hunc ferè modum ad Fossam Clodiam vtrimque bellatum est, supra trecentesimum ac millesimum octogesimus. Ceterùm, Ligures statim post Clodiam à Venetis expugnatam, tametsi multis incommodis & cladibus essent defatigati, & mirificè debilitati, neutiquam tamen animum despondêre. Spinula etenim vir excelso animo, atque vt in rebus secundis temperato, sic in aduersis prorsus intrepido, qui magna prudentia nunquam se intra Clodianas fauces præoccupari permisserat, intellecta suorum deditione, citra aliquam moram cum sua classe, quæ triginta, siue, vt aliis placet, duodequadraginta triremium numerum æquabat, Martruffo sibi adiuncto, in intimũ Hadriatici maris sinum penetrauit, & Tergestum,

Tergestum, Iustinopolis, & Pola à Genuens. expugnãtur.

Istriæ haud obscuri nominis vrbem inuasit; eoq. adegit, vt paruo interiecto tempore sese dederet, eamque Patriarchæ Aquilegiensi confœderato ac socio dedit; moxque decem nauigiorum supplemento facto, Clodiam repetiit. vbi cùm omnia aduersa, & nihil incustoditum experiretur, læuum littus relegens, vsque ad ipsum Veneti portus ostium delatus est: ibique explicata classe, inque pugnam directa, summo vindictæ studio flagrans, non minori animi alacritate prælian-

Veneti prælium detrectant.

di ansam aduersariis obtulit. Verùm, quòd ipsi, nulla eruptione facta, pugnam detrectarent, castraque, & omnem oram maritimam validissimis præsidiis atque aggeribus communiuissent, in Carnorum oram secedens, classem in Marranensi portu refecit: & mox illinc digressus, Iustinopolim, & Polam vrbem, à Colchis conditam, olim Pietatem Iuliam dictam, decimo nono Cal. Febr. eiusdem anni, hostiliter expugnatam & direptam, maiori ex parte incendio absumpsit. pariqué exemplo in Segnianos & finitimos sæuitum est. Veneti hac clade commoti, recuperata pristina rei naualis gloria, ac longè diligentiùs quàm antea, restaurata classe, septem & quadraginta triremes vnà cum aliquot biremibus in apertum educunt: de quorum aduentu Ligures edocti, Iaderam concessêre. Sed cùm indies

Caballus Veronensis.

miris accessionibus & incrementis Venetorum classis augeretur, tandem eò potentiæ deuenit, vt centum circiter triremium numerum expleret, cui cum imperio Pisanus multis expeditionibus clarus præerat. Militabat etiam ea tempestate Venetis inter alios eminentes Duces Caballus Veronensis, vir vt natalium splendore, sic etiam rerum gerendarum peritia, multisque animi & corporis dotibus insignis. Hic, quòd fidelem operam isti Reip. in rebus dubiis atque perplexis, maximo cum illius emolumento, non semel antea nauasset, in summo honore apud eos erat. Proinde Veneti cùm tam præpotentem classem tot tamque insignibus ac strenuis ducibus & militibus adornatam haberent, vniuersi qui Veneto nomini fauebant, in magnam & haud dubiam spem deueniebant, præteritas Reip. clades noua quadam felicitate & victoria deletum iri. Quapropter circumui-

cumuicinis populis formidabiles facti, fiducia iam pleni, cum omni sua classe in Istriam profecti sunt; & ad primum suum istuc appulsum, Tergestum citra aliquod negotium vel defensionem receperunt. Et quia hoc oppidum superioribus diebus exulum fuerat domicilium, & tutum quodammodò asylum, hostiliter direptum. Deinde Polam contenderunt eodem ferè tempore quo Genuenses Arba potiti sunt. Deinceps Pola relicta, Istriæ oram legentes, tandem in Dalmatiam deuenêre. Ibi, cùm laderæ imminêre decreuissent, indicio speculatorum compertum est, decem Ligusticas triremes in Apuliam frumentatum abiuisse. Hoc postquam Pisanus, qui tunc subinde febri sic satis periculosa tentabatur, resciuit, confestim ladera soluit, vt eas Ligusticas inopinatò imparatas inuaderet, atque opprimeret. Sed quòd Ligusticam classem in Pelignis oris fortè haberet obuiam, inter se conflixerunt, eo quidem euentu, vt propter ingruentes tenebras atq. opacam noctem, nihil memoria dignum geri potuerit: & classis quidem Veneta in de Sipontum profecta est, vbi Pisanus post magna & fortia facta, mense Augusto, fatis concessit. Fuerunt in hoc præstantissimo viro multa præclari & excelsi animi non obscura argumenta, in primis verò animus inuictus & impiger, ac in vtraque fortuna constans, adeò vt si fortunam habuisset suis fortibus ausis secundam & obsequentem, cum maximis quibusque ducibus meritò conferri potuisset. At cùm ita vsu venire nonnunquam soleat, vt bonis consiliis rerum exitus non semper feliciter respondeant, non mirum, si huius præclarissimi viri bellica virtus & fortitudo multis in rebus à fortuna oppressa, verum suum lumen proferre nequiuerit. Qualicumq. tamen sorte vsus est, magnus omnium iudicio haberi debet, & planè talis, cui Respub. Veneta propter insignem fidei voluntatisque constantiam se plurimum debere fateri, & grata memoria testari debeat; licet calumniis, quibus mehercle nihil non est peruium, exagitatus, apud Senatum Venetum non semel malè audiuerit. Memoriæ quoque proditum esse à nonnullis reperio, eum summo mane ad Senatum è carcere venire iussum, liberumque declaratum, in custodia pernoctare, ac nisi post longam exhortationem ea liberari voluisse; bonaque conscientia ita confisum tradunt, vt non antea egredi sustinuerit, quàm sacerdote in consilium adhibito, illi totius vitæ suæ cursu declarato, non semel iureiurando testatus fuerit, se innocentem, ac nihil tale de Repub. merentem, tam indigna perpessum fuisse. Ignoscere se tamen cunctis, quorum opera & auctoritate factum fuisset, vt tantis iniuriis afficeretur. Et ne hic suus animus à quoquam in dubium, vel in suspicionem deinceps vocari posset, sumpta sacrosancta ac venerabili panis Eucharistia, religiosissimè deierauit, se libenter omnibus ignoscere, ac omnium contumeliarum & iniuriarum memoriam deponere; nihilque esse in sua potestate quod pro Reip. salute non libenter cũ vitæ suæ periculo subiret atq. exequeretur. Itaq. sic tum è carcere profectum in Senatum, ab eo summis honoribus exceptum, & maximis omnium Patrum suffragiis præfecturæ classis insignibus ornatum asserunt. Veneta classis, post mortem Pisani, clarissimi, vt diximus, Ducis, tantisper Præfecto caruit, donec ex Senatus consilio Aloysius Lauretanus, non minùs egregius ciuis, quàm strenuus miles, successor illi daretur: cuius certè auspiciis res Veneta non solùm præteriti temporis damna mirabiliter recuperauit; sed nouarum vrbium accessione breui temporis spatio creuit & aucta est. Nam statim sub initium suæ Præfecturæ, Segniam, & Brescham, oræ Liburnicæ oppida, summa vi adortus, magna cum animi alacritate & fortitudine cepit atque subegit. Pari fortuna subsecuta est Corictana deditio, postquam Boccharis oppidum ex Ducis decreto direptum, atque incendio absumptum est: & hortante successu, nouus hic Dux nihil

Tergestum à Venetis receptum, ac direptum.

Victoris Pisani obitus, ac singularis virtus.

Aloysius Lauretanus Pisani successor.

Fortuna Venetis rebus iterum propitia.

hil omninò intentatum reliquit, quin diligentissimè inuestigaret & rimaretur, hoc vnum habens præ oculis, vt priorum ducum antecessorum suorum fortunæ prosperos euentus noua felicitate superaret, vel admissos ex negligentia siue imprudentia errores, singulari quadam iudicij rectitudine ac prudenti consilio corrigeret, adeò vt Venetæ opes vbique gentium, præsertim mari, sub hoc duce validiores fuerint, quàm proximis temporibus extitissent. Hinc ille metus omnibus
1381. incussus, sic vt non solùm hosti, verùm etiam exteris regibus inciperet esse formidabilis. Sub idem ferè tempus, Spinula Patrum conscriptorum consilio ac iussu domum reuocatus, prius ex illorum decreto, cum sua classe in oram Orientalem adnauigauit, militeque iuxta Lemum exposito, Petrum Campofulgosium & Spinetam Spinulam, qui nouarum seditionum auctores, cum suis sociis atque clientibus ingentes turbas & commotiones excierant, partim in fugam coniecit, partim etiam quamplurimos ex his qui illorum partibus adhæserant, captiuos fecit: & mox rebus omnibus compositis, ingenti gloria parta, nec minori præda onustus, quarta Non. Ianuar. cum magna omnium admiratione reuertitur, eò sanè admirabilior, quò rariora monumenta domum reportaret. Inter enim pretiosissimas manubias & hostilia spolia, quibus in immensum ditatus erat, etiam Diuorum reliquias, ex delubris hostium ablatas, summa cum religionis reuerentia clero Genuensi, inaudito ferè ad illa vsque tempora exemplo, conseruandas religiosè tradidit atque distribuit. Ceterùm, haud multò pòst, Genua tre-

Venetorum ac Genuens. noui apparatus.

decim triremium classis, sub Isnardi Guarci, viri optimi ac præstantissimi ductu atq. imperio, emissa est, ad cuius famam Veneti etiam suam classem sub Caroli Zeni præfectura iterum instruxêre. Educta itaque vtraque classe, Ligur magis ad amissorum recuperationem intentus, quàm prælij auidus, Zeni occursu declinato, Delmatiam repetiit; oppidaque, quibus paulò antè excederat, denuò recuperauit, & ad omnem casum maioribus præsidiis firmauit. At dum hæc geruntur, tres Ligusticæ omni militari apparatu instructæ, ac læuum Italiæ latus cursu præteruectæ, Ancona, à commoditate portus vrbe Piceni celeberrima, Venetias vsque incertis gyris contendentes, in quinquaginta, vti referunt, onerarias, inciderunt, quas dispersas & vagabundas, circa diuersorum fluminum iisdem ferè locis confluentium ostia temerè aggressæ, diripuerunt: earumque præfectus valdè sibi metuens, ne subito ac repentino hostium occursu opprimeretur, præda onustus, in Delmatiam transmisit: quo quidem tempore Zenus haud minori felicitate vsus, duodecim Delmatici nominis naues, diuersis in locis captas, diripuit & incendit: indeque perpetuo cursu cum sexdecim triremium classe in oram inferi maris circumuagatus est, eo quidē consilio, vt hostem domestico bello distineret. Proinde cùm Genuensium finibus ferociter immineret, oraque Ligusticæ tractum variis populationibus diuexaret, Guarcus, septē triremium classe adaucta, hostem insecutus est, illumque in sinum vsque Hadriaticum repulit atq. fugauit. His rebus ita sese habentibus, tandem inter ambas Respub., earumque socios & confœderatos, de communi vtriusque partis consensu sub certa pacis formula, aliisque equis ac legitimis cōdicionibus, breui pòst transactum est, & pax insecuta & confirmata: cuius certè capita multa & ardua fuêre: quorum omnium enarrationem breuitatis causa, cum publicis Annalibus cōprehendantur, hîc studio prętereo. Non committam tamē, quin pauca, eademque potissima, ad maiorem lucem & vberiorem historiæ cognitionē afferendam, hîc subiecero. Nam cùm constet, hanc gentem non vnius Principis, vel populi studiis & auctoritate in mutuam gratiam rediisse, cùm multæ & graues inter eos essent dissensiones atque certaminum causæ; ea certè præcipua fuit, quòd mutuæ feli-

Pax inter Venetos ac Genuenses.

felicitatis & imperij vtrumque populum propenſione naturali ad magna natum, & ad maiora aſpirantem, extimularet ambitio & æmulatio, ex qua ſanè, ceu ex perenni ſcaturigine, plerumque multæ Reip. peſtes, &, vt Græci dicunt, catharmata, oriri atque enaſci conſueuerunt. Quorũ certè odiorum cauſæ, ſi ſtatim ab initio enaſcentium ſimultatum alicuius magni viri iudicio & auctoritate è medio tollerentur, videremus multas Reſp. nunc vel euerſas, vel ſaltem acciſis rebus mirificè inclinatas, non ſolùm priſtinæ dignitatis ſplendorẽ retinere, verùm etiam rerum omnium abundantia, aliiſque rectis diſciplinis & neceſſariis artibus florere, ac pęnè ad ſummum faſtigium perductas eſſe. Sed habet hoc fatalis rerũ omnium, multorum iudicio, vis, vt vltra conſtitutam periodum Rerumpub. ſtatus & imperia non progrediantur. Quod cùm omnibus ferè temporibus à ſapientioribus probè animaduerſum & intellectum ſit, non ita mediusfidius mirum, ſi multas ciuitates, gentes & populos, ſubinde oriri, vel extingui quotidianis exemplis videamus. Hæc ideò adijcio, quòd nullum fermè ſæculum, imò vix aliqua fuerit ætas, quæ maiora diuerſarum conuerſionum exempla nobis ob oculos ponat, quàm hæc noſtra miſerrima tẽpora, quæ indies magis atq. magis maiores nobis calamitates denũtiant. Vtinam Deus optimus max. impendentes has procellas à nobis auertat. Sed me aliquanto cordatiùs rerum humanarum ſtatum deplorantem, reuocat hiſtoriæ noſtræ ad finem properantis contextus. Diximus enim Venetos & Ligures in pacem multorum precibus & auctoritate tandem coiuiſſe, inter quos omnium præſtantiſſimus fuit Haimo Allobrogum & Salaſſorum Dux, à cuius arbitrio leges vtrique genti præſcribendæ pendebãt, & ſtabant: inter quas hæ fuerunt præcipuæ: *Initæ pacis conditiones.*

Vt Ludouicus Pannoniæ Rex, omnem Dalmatiæ oram Venetis vltrò citroq. negotiorum cauſa migrantibus tutam & ſecuram redderet, omnibuſque ſalinis obturatis, ſalis conficiendi vſum in Dalmatiæ tractu prohiberet.

Vt Veneti, ipſi regi quotannis ſeptem aureorum nummûm millia iure beneficiario penderent.

Vt cum Aquileienſi Patriarcha eædem condiciones in poſterum eſſent quæ hactenus ante bellum cœptum extitiſſent.

Vt Genuenſibus ac Venetis integrum eſſet, quæcumque bona, prædas & manubias in hoc bello cepiſſent, exceptis captiuis, qui ſtatim vtrimque liberi dimittendi eſſent, retinere.

Vt Veneti caſtrum inſulæ Tenedos, ab ipſis longa poſſeſſione vſurpatum, penitus demolirentur & ſolo æquarent, ſponſione per Florentinos ad hoc facta, ad ſummam vſque ducentorum aureorum millium.

Vt Franciſcus Carrarius præſidia circa ſtagna, fluminumque oſtia collocata & exiſtentia, demoliretur, & caput aggeris & Morentianum reſtitueret: Veneti verò è contrà, Curaniam turrim illi ſaluam & integram relinquerent.

Vt Albertus Eſtenſis eſſet finium qui in diſceptatione & controuerſiam venirent, iuſtus arbiter.

Vt Barnabas Vicecomes, vtrique parti multis nominibus ſuſpectus, ab hac pacificatione & concordia omninò excluderetur. Hæc ferè fuerunt præcipua pacis capita, ſub quibus, anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo primo, ac menſe Auguſto, pax cum omnium congratulatione atque fauſta acclamatione primo Sauonæ Liguriæ oppido promulgata eſt, ac præconis voce ex publico ſuggeſtu in curia recitata, anno ferè ſexto ex quo bellum ipſum inter vtramque gentem redintegratum fuerat. Cùm autem poſtmodum à Veneto prætore 1382.
arx inſulæ Tenedos ad tempus conſtitutum, minimè, vti conuenerant, diruere-

tur, & Ligures omnia bona Florentinorum, qui se, vt dictum est, prædes eo notmine constituerant, in ipsorum regione inuenta, detineri & asseruari iussissent, Veneti Zachariam Contarenum, Ioannem Gradenicum, & Michaëlem Maurocenum, Andreæ Contareni in principatu successorem, qui deinde quarto mense à suscepta dignitate fato extinctus est, Genuam legatos miserunt, vt moram excusarent, ac Senatum Genuensem docerent, non culpa vel aliqua negligentia Senatus Veneti fieri, vt fides hac in parte minimè liberaretur: sed si quid esset quod posset iure imputari, culpam in ipsum Prætorem priuatim recidere. Qua excusatione satisfacti Patres, & Florentinis negotiatoribus pristinæ libertati restitutis, bonisque redditis; paruo interiecto tempore Genuæ nuntiatum est, præ-

Arx Tenedi funditus excisa.

dictam arcem coram Reip. Genuensis procuratore, prout pactum erat, euersam ac funditus excisam. Quæ sanè res nodum retinendæ pacis non mediocriter astrinxit. Sopitis igitur hoc modo vtriusque populi diuturnis atque periculosissimis bellis, coalescentibusque paulatim vtriusque Reipub. membris, quæ tam longa armorum series lacerauerat, mihi videor, antequam huius Veneti cum Genuensi populo belli gesti historiæ vltimam manum imponam, operæpretium facturus, si pauca de Andrea Contareno Venetorum Principe, ad perpetuam posteritatis memoriam, dixero, commotus non solùm tanti viri præclaris

De Andrea Contareno Venetæ Reip. principe.

virtutibus, verùm etiã quòd sub eo, & Leonardo Guarco laudatissimo ac sapientissimo Principe, Deorum omnium beneficio, bellum, quod nunc, vti puto, luculenter descripsimus, finitum & extinctum fuerit. Hic autem postquam Senatus, aliarumque tribuum suffragiis de more sollemni renunciatus est Princeps, clàm in suburbanum agrum Patauinum sese subtraxerat, eo consilio, vt tantæ dignitatis fastigium, atque ex fastigio inuidiam declinaret; magna me herculè cum fortitudine, quòd summum honoris apicem, à tam multis ad insaniam vsq. expetitum, magno cum animo sperneret atque abnueret, & potius priuatum ac domesticum suũ otium magnis istis curis, quibus viri principes implicari solent, præferret atque præponeret. Verùm cùm multorum amicorum illi firmæ amicitiæ vinculo coniunctorum consiliis magis atque magis indies incitaretur, ne tantam prouinciam, cui omninò par esset, fugere, vel in aliũ minus forsitan Reip. idoneum, reclinare vellet; tandem precibus deuictus, inuitus imperium suscepit, eò certè cum maiori molestia, quòd magis amittendarum fortunarum metu, quàm alicuius propositi præmij spe, amicorum precibus obtemperaret. Cetetùm qualem se post adeptum principatum gesserit, qualíue natura & moribus extiterit, Gaspar Contarenus operis sui inscripti de Magistratibus & Rep. Venetorum libro primo satis luculenter memoriæ prodidit: cuius verba inter cetera hæc sunt quæ adieci. Vnum, inquit, ex innumeris gentilis mei Andreæ Contareni Ducis exemplum adferam. Genuensi bello grauissimo ac longè omnium periculosissimo, cùm Dux hic nostræ Reip. præesset, incredibili sapientia, animiq. magnitudine singulari rem patriam seruauit; hostesque iam victores, maxima clade illata, profligauit; omnesque ad vnum trucidauit, aut captiuos fecit: conseruata patria, re aucta, firmataque Rep., diem extremum clausit; ac testamento cauit, ne eius sepulchro, quod ad hunc vsque diem visitur, iuxta templum D. Stephano dicatum, vlla Ducis insignia, vllaue gentis nostræ affigerentur. quin neque tam magni Ducis nomen inscriptum ibidem videas: eiusque modestia effectum est, vt viri celeberrimi illustrissimique Principis monumentum plerique omnes ignorent; certissimum hoc reor ego argumentum esse, non ambitionis ventosæque famæ maiores nostros studiosos fuisse, sed patriæ tantùm bono cõmunique vtilitati consuluisse. Cõtareni verba eò libentiùs adscripsi, quò tanti viri te-

ri testimonium plus ponderis apud posteritatẽ habiturum esse non dubitem. Cetèrùm, quia hactenus ea bella quæ Resp. cum Venetis, diuersis tẽporibus, priuatis iniuriis, vel proferendi Imperij cupiditate incitata susceperit ac gesserit, pro mediocritate ingenioli nostri explicauimus; nũc reliquum est, vt eas expeditiones obiter enarremus, quas Genuens. post multa temporum volumina cum iisdem partim instinctu atque in gratiam Philippi Mediolanensium Principis, cuius imperio tunc temporis subijciebantur, partim verò sponte, ac multis nouis cõtumeliis lacessiti, anno supra millesimum quadringentesimũ trigesimo primo ac sequenti, variis successibus gessêre. De prima igitur origine, bellorumque à Philippo aduersus Venetos susceptorum initiis, tametsi multiplices ac planè diuersæ tradantur rationes & causæ, tamen, quantum equidem ex scriptorum Annalibus eruere potui, hæc fuit omnium præcipua, quòd Veneti, suapte natura gloriæ studio flagrantes, atq. externæ potentiæ æmuli, ipsius ambitionem immẽsis opibus innixam, summoperè metuentes, clàm & apertè hoc vnum agebant, vt ad labefactandum florentissimum eius imperium, & quasi neruum incidendum, illi multorum finitimorum Principum inuidiam concitarent, sperantes hoc modo amplissimum eius dominium multorũ telis petitum iri, & ita sensim summam eius potentiam infringi posse, eaque de causa cum Florẽtinis fœdus ac societatem iniuerant. Philippus igitur de Venetorum erga se voluntate atque immani odio commonefactus, graui contumelia, simulque ira accensus, omnia extrema, nisi desisterent, denuntiare, aliaque, quæ ad profligandum hostem spectarent, præparare, adeò vt gliscentibus indies magis atque magis mutuis odiis, res eò deueniret, vt tandem in apertum atque flagrantiss. bellum euaderet: primumque bellum, quod inter eos gestum est, terrestri certamine fuit determinatum, primò quidem iuxta Brixiam, deinde ad Otholengum, haud procul à monte Clario, in agro Brixiano. tertium circa Cremonam, & postremum inter Pompeianum & Mælodium; in quo tandem Philippi copiæ fusæ profligatęque esse dicuntur, & capta ad septem vel amplius millia, exque præcipuis Carolus Malatesta Insubrici exercitus Imperator, in hostium potestatem venit. In flumine autem Pado bis vtrimque congressi sunt: & in prima nauali pugna Venetæ classi Franciscus Bembus, Insubricæ verò Eustachius præfuit: estque ad quatuor millia passuum à Cremona dimicatum: & hoc nauale certamen Veneto quidem prosperum fuisse traditur, octonis nauibus ex his quas Galeones vocant, ex hostili classe captis. Eustachius medio prœlio dilapsus, cum cetera classe Cremonã se recepit. Verùm tam præclaræ inclytæque victoriæ cursum fœdauit clades eodem fermè loco Venetis inflicta, trecentis ferè classiariis temerè in eam terram quæ media est inter Padum & Cremonam, egressis, & ab hoste subita eruptione exceptis ferroque contrucidatis. In secundo nauali certamine dux Venetæ classis fuit Nicolaus Treuisanus; Philippicæ verò præfectus Ioannes Grimaldus, vir rei maritimæ scientia, inter Ligures ea tempestate longè clarissimus, qui Papia cum suis nauigiis soluens, in Eridanum naues suas traduxit, & cum præualida Venetorũ classe, nauium numero, ac pugnantium multitudine, omnisque bellici apparatus copia longè superiore, in Pado flumine ad Cremonam, quò Venetus cum sua classe peruenerat, decimo Cal. Iulij longo atque ancipiti Marte conflixit, eo successu, vt Ligur tandem superior euaderet, captis octo ac viginti nauigiis, inter quæ aliquot Galeones, vt ipsi nuncupant, fuêre; & circiter octo millibus lectissimorum virorum partim captis, partim interfectis. Ambo hi nauales conflictus longè acerrimi & atrociss. fuerunt, ac strenuè vtrimque dimicatum est, non secus ac si in mari bellum gereretur, seruato vtrimque nauali ordine, tametsi pugna fluuiatilis

Bellum inter Ligures ac Venetos inflauratum, anno 1431.

Veneti cum Florentinis fœdus percutiunt.

Venetorum aduersus Philippum Mediolanens. Principem victoria.

Ioannes Grimaldus.

Venetorum clades.

uiatilis extiterit. Hæc clades Venetorum animos haud ſanè mediocriter accendit, quòd in non dubiam ſuſpicionem veniſſent, Ligures acceptæ calamitatis præcipuos auctores extitiſſe: indeque vetera bella inter vtramque gentem aliquamdiu intermiſſa, non minoribus odiis, quàm antea, recruduerunt. Siquidem Veneti haud multo pòſt, Petri Lauretani, qui identidem in multis naumachiis egregiam ac ſalutarem Reip. operam nauarat, auſpiciis, ex Patrum decreto duodeuiginti, ſiue, vt aliis placet, duodetriginta triremes paratæ inſtructæque fuerunt, quibus claſſis præfectus Ligurum adnauigans, ſeſe cum quatuor triremibus Florentinis, & magna quadam oneraria ex his quas vulgò Galeatias appellant, coniunxit, in quibus, præter ceteros inſignes viros, Iacobus Adurnius & Antonius Fliſcus, tum extorres ac profugi, cum pleriſque aliis Genuenſibus patricij ordinis, conſcenderant, ea ſpe, vt hac ratione in patriam redirent. At vbi Genuæ primùm de his apparatibus cognitum eſt, protinus ex Senatus omniumque Ordinum conſenſu, duæ ac viginti triremes, magnaque oneraria ductu Franciſci Spinulæ Othoboni armatæ inſtructæque fuerunt. Ceterùm hæc expeditio infelicem exitum ſortita eſt, ea potiſſimum de cauſa, quòd Spinula moræ impatiens, præ nimia feſtinatione claſſem ſuam, priuſquam de omnibus rebus neceſſariis ſibi eſſet proſpectum, contra hoſtem educeret. Vix enim Rapallitanum ſinũ attigerat, cùm ab inimica claſſe rebus omnibus inſtructa, iuxta ædem D. Fructuoſo ſacram, vbi eſt promontorium, ſummo impetu inuaderetur. Erant nauigiorum numero fermè inter ſe pares. Quocirca, inito prœlio, diu ancipitique fortuna pugnatum eſt, ambarumque prætoriarum mutuus concurſus fuit, alteraque in alteram, vt in huiuſmodi conflictibus haud rarò vſu venire conſueuit, harpagonibus implicata: ſed cùm in eo certaminis ardore Tuſca illa nauis, cuius proximè meminimus, tam validam impreſſionem in Liguſticam prætoriam faceret, vt illam in alterum latus reflecteret, epibatæ alijque nauales ſocij titubante greſſu proni cõcidebant, & non pauci in mare præcipitabantur. Quo caſu reliqui conſternati, animum deſpondere incipiebãt, adeò vt fortuna tandem ad Venetos inclinarit. Cùm enim ceteri, qui erant in triremibus, ſuam prætoriam omninò ſubmerſam eſſe arbitrarentur, ſtatim ſeſe à pugna ſubducẽtes, fuga ſibi conſulebant, in eaque octo triremes vnà cum ipſo præfecto, tribus conſiliarijs, octo triearchis, ac pleriſque aliis non obſcuri nominis ac famæ, in hoſtium poteſtatem deuenerunt. Reliquæ verò, nempè vndecim, partim in Delphini portum, ibi proximum, partim ſe Genuam recipientes, ſaluæ atque incolumes euaſerunt. Ferunt Lauretanum in hac tam inſigni victoria ſumma animi clementia & moderatione vſum eſſe. Quandoquidem narrant, Liguſticæ claſſis præfectum, & reliquos, qui erant alicuius nominis atq. exiſtimationis, humaniter ac etiam honorificè ab illo habitos: ceteros autem maiori ex parte gratis ac ſine vllo præmio dimiſſos. Non fuit tamen Venetis ea victoria prorſus incruenta, cùm in eo prœlio quàm plurimos vulneratos & interfectos fuiſſe conſtet, ita vt cùm Piſanum portum repeterent, militemque de more recenſerent, maiorem illius partem deſiderarent, licet aliqui ſint qui aſſerant, numerum vtrimque cæſorum non vltra octingentos fuiſſe. In hoc autem omnes conſentiunt, vltra quatuor millia conſauciata extitiſſe. Incidit hæc naualis pugna in annum ſupra milleſimum quadringenteſimum trigeſimum primum nono Cal. Oct. At Genuæ qui Philippi nomine gubernationi admoti erant, tantum abeſt, vt ad eius cladis nuntium animo cõſternarentur, vt etiam confeſtim ea nauigia quæ ex fuga ſuperfuerant, denuò inſtaurari, atque noua exornari iuſſerint: eaque claſſis duce Nicolao Iuſtiniano, Franciſci filio, educta eſt: atq. illi haud multò poſt duodecim triremes egregiè inſtructę, pro orę maritimæ

Bellum inſtauratum.

Naualis cõflictus adſitum Rapallitanum.

Venetorum contra Genuenſ. victoria.

Franciſcus Spinula capitur à Venetis. Exemplum ſingularis moderationis & clemẽtiæ.

titimæ tutamine additæ. Verebantur etenim summoperè, ne hostis hoc secundo ac felici rerum successu elatus, atq. alacrior factus, maioribus viribus instructus, ad vrbem recto cursu contenderet, sibiq́ue aditum armis in eam faceret. Quod procul dubiò fecisset, nisi vulneratorum ratio ab illo habita, & reficiendæ classis necessitas huic rei magnum impedimentum attulisset. Qua sanè cunctatione factum est, vt interim Liguribus animum viresq́ue colligendi facultas daretur, & aduersariis Remp. grauioribus damnis afficiendi ansa præcideretur: breuiq́ue spatio interiecto, Lauretanus Florentiam, indeq́ue Venetias victor cum captiuis reuersus est. In hoc rerum tractu, cùm Philippi aduersarij putarent, se huiusmodi successibus posse Ligusticam ditionem de more diuexare, iterum Barnabas Adurnius ope Ioannis Iacobi reguli Montferratensis cum aliquot cohortibus ac turmis equitum circa vrbem excursiones fecit; at Picinini imminentis exercitu deterritus, non vltra Sextrum oppidum progredi ausus fuit. Proinde tantum in illis locis excurrens, omnem maritimam oram ad defectionem solicitabat. Cuius suæ temeritatis statim pœnas luit. Quandoquidem Picininus breui cum suo exercitu appropinquans, Adurnium, eiusq́ue assecias & confœderatos, ibi omnia conturbantes, sept. Idus Oct. profligauit, & ipsum Barnabam Adurnium cepit. Idoneos habeo auctores qui tradant, Iacobum Adurnium, & Antonium Fliscum, quorum proximè mentionem habuimus, cùm post Lauretani discessum Pisis Florentiam vnà cum suis clientibus peterent, in insidias, à Florentinis instructas, incautè præcipitatos; cumq́ue se obstinatius tuerentur, ne viui in hostiũ potestatem venirent, sibi mortem conciuisse: quod sanè vt non planè affirmare ausim, sic etiam nec infitiari contenderim. Nec enim desunt qui memoriæ prodiderint, ipsos, dum se acriter defendunt, ab hoste, à Florentinis, vti diximus, subornato, interfectos fuisse. Ceterùm quia illarum Vallium indigenæ profugorum partes summo studio atque viribus hactenus fouerant, Picininus vt illos in posterum à tanta audacia retraheret, crudelius omninò quàm par erat, in eos animaduertisse dicitur: Siquidem tàm horribili ac fœda crudelitate vsum esse asserunt, vt nulli ordini ac sexui parceret; nec tanta immanitate contentum, vniuersam illam regionem partim flamma, partim ferro & expilationibus ad magnam solitudinem & vastitatem redegisse, validissimũ & robustissimum quemque, mancipiorum instar, in diram captiuitatem abducendo; ita vt cùm in Insubriam venisset, barbarico more conterminum populum coëgerit, vt miseros abductos captiuos auctionarentur & emerent. Bellum inde in Montferratensem conuersum, cuius prouinciam non minori clade affecit: pauciq́ue diebus interiectis, castella circiter triginta eius ditionis occupauit: adeoq́ue Picininus ipse omnibus euaserat terribilis & formidabilis, vt sola armorum ostentatione omnes populos in officio retineret, & exortos motus consopiret. Veneti interim ad omnem occasionem intenti, enixè dabant operam, vt Ligures aliquo graui incommodo afficerent, præsertim in his locis quæ illi adhuc in partibus Orientalibus retinebant, nimirum quòd existimarent, illa inualido ac tenui præsidio teneri. Et quia Chium insulam ceteris locis opportuniorem, maioribusq́ue iniuriis obnoxiam videbant, summa diligentia tredecim ingentis magnitudinis corbitas, & quindecim triremes maioris ferè notæ ac formæ ex his quas vulgò Galeatias appellari diximus, omni bellico apparatu ad hanc oppugnandã instruxêre; aliamque expeditionem in speciem præferentes, ductu Scaramuciæ Papiensis, viri artis militaris scientissimi ac celeberrimi, rectà in eam insulam mense Nouembri eiusdem anni, nempe supra mille quadringentos vnius ac tricesimi, atque aspera hieme, adnauigarunt, haud dubia spe vrbis campestris, non flumine, non fossa

Nicolai Picinini immanitas.

Veneti Chiũ insulam adoriuntur, auspiciis Scaramuciæ Papiensis.

cinctæ, neque mœnibus validæ, tum autem nullo, vel saltem exiguo præsidio, vtpotè in nulla tali suspicione, firmatę, primo aduẽtu, atq. ipso impetu, potiundæ. Proinde instructis nauibus, aliisque ad vsum huius expeditionis rite dispositis, & tantummodò septingentis militibus impositis, è sinu Hadriatico soluentes, commodaque nauigatione vsi, rectà eò cursum instituêre: primaque accessione mili-

Chius à Venetis obsessa.

te statim in terram expositò, incredibili insulanorum animos trepidatione affecerunt, cùm hostem priùs viderent, quàm de illius aduentu quicquam explorati habuissent. Cùm tamen illis paululùm temporis ad consultationẽ daretur, dum aduersarij copias exponunt, & loca figendis castris aptiora explorant, maioraque tormenta disponũt, se omni studio & alacritate ad eius loci propugnationem parârunt. Erat tum fortè in Chio Raphaël Montaldus Leonardi filius, vir apprimè strenuus ac militaris, quem ipsi in tanta rerum omnium propter inopinatum hostis aduentum confusione, cum ob familiæ amplitudinem, tum ob rei militaris peritiam & bellicæ virtutis opinionem, ex vnanimi cõsensu huic prouinciæ præposuerunt. Is ergo, mœnium turribus haud exiguo sagittariorum præsidio, & magno bellicorum tormentorum numero communitis, ceterisque rebus, prout in tantis rei ac temporis angustiis fieri potuit, studiosè præparatis & expeditis, se ac ciuium omnium animos ad defensionem, atq. ad omnia vltima experienda intrepidè confirmauit. Hostis verò biduum à descensione in terram facta,

Strenua & egregia Chiorum aduersus Venetos defensio, duce Raphaele Montaldo.

primò veteres muros balistis, aliisque muralibus machinis diuerberauit, quibus magna ex parte prostratis, se ad oppugnationes conuertit; quas quidem oppidani ac præsidiarij milites mira virtute & constantia sustinuerunt, ita vt primo die impetum ab aurora in vesperum vsq. protractum noctis interuentus diremerit. Scaramucia interim cum Andrea Mocinico classis legato grauiter expostulans, inter cetera dixit, se longè opinione sua deceptum esse, cùm priùs ex diuersorum hominum fama & sermonibus accepisset, à se infirmum quoddã ac debile Græcorum castellum inuadendum. Nunc verò se vrbem omnibus militaribus præsidiis egregiè communitam atque instructam inuenisse, ideoque censebat, vel ab ea expeditione recedendum, vel ipsam vrbem arctissima obsidione premendam. Interea oppidani, quòd valdè exiguum propugnatorum numerum, tantæque defensioni imparem haberent, in magno metu ac solicitudine versabantur. Quamdoquidẽ, præter duas turres in ipsius portus faucibus sitas, quæ necessariò contra hostium iniurias summa contentione propugnari debebant, operæ pretium ducebant, duas onerarias insolitæ magnitudinis, pretiosis mercibus onustas, ibi ea tempestate ad ancoram stationem habentes, nullo pacto negligere, adeò vt cõmodè singulis pro rei periculiq. magnitudine sufficere nequirent; fortunæ tamen beneficio factum fuit, vt auaritiæ studium ad tutelam vrbis casu potiùs, quàm consilio, sit transfatum. Siquidem intempesta nocte quidam classiarij cymbis summo cum silentio per quasdam rupium angustias in littus penetrantes, sic nauium ac turrium præsidiarios terruêre, vt igne prius in nauibus iniecto, eas quamprimùm desererent, atque in vrbem confugerent; ita vt Venetis quidem iam littore potitis, vrbem vndique inuadendi maior facultas daretur. Sed contrà oppidani nouo isto præsidio confirmati, multò maiori studio & commoditate quàm antea, omnibus ad defensionem necessariis dabant iugiter operam. Venetus igitur tali ansa præbita, maiores naues cum aliquot copiis, muris portus admoueri, vt denuò impressionem facerent, parique diligentia triremes, & alia minora nauigia versus Solis ortum disponi iussit, vt hac ratione propugnatoribus maior metus inijceretur. Igitur denuò bellicis machinis dispositis, vndiquaque oppugnationes fiebant: in quo sanè illud oppidanis non parum detri-

Chius à Venetis acerrimè oppugnata.

menti

menti afferebat, quòd scilicet malis hostilium nauium altitudinem mœnium superantibus, ex corbibus bellatorum refertis ingens missilium vis funderetur, sic vt defensores locum illum relinquere cogerentur. Proinde hostes ad mœnia defensoribus nudata, scalas erigebant, haud dubiè in vrbem transcensuri, reliquis ciuibus imminentis pestis specie oculis atque animis obuersante, exanimatis, nisi Raphaël, qui nunquam animum desponderat, singulari quadam audacia, egregioque consilij atque animi aduersus omnem formidinem intuicti exemplo, imminenti vrbis exitio maturè obuiam iuisset. A diuersa enim illius parte egressus, delectaque fortissimorum iuuenum manu, quam sibi delegit, circumducta, terga scandentium inuasit, quibus partim cæsis, partim in fugam coniectis, vrbem ab instanti periculo eripuit. Verumenimuerò hæc tanta Raphaelis alacritas, & egregia eius suorumque defensio inhibere non potuit, quin hostes indefatigatis animis ductu Scaramuciæ omnibus modis & artibus sibi in vrbem aditum quærerent. Omissa enim propter rei difficultatem oppugnatione, occultis in oppidũ cuniculis sibi aditum facere instituerunt. Scaramucia, dum omnia fortissimi ducis ac strenuissimi militis officia obit, & fossores ad opus perficiendum extimulat, locique situm penitius contemplatur, sagitta, siue, vt aliis placet, tragula ictus est, & intra paucos dies, ex vulneris dolore fatis concessit. Repentinus eius atque insperatus obitus haud parum consternationis vniuersæ Venetæ classi attulit, ita vt sensim multum de solita industria & oppugnandæ vrbis studio remitterent. Huius expeditionis Venetæ aduersus Chios fama longè lateque euagata, etiam ad Perenses peruenerat, qui de suorum ciuium periculis admoniti, cõtinuò ad illos aliquot triremes cum septuaginta lectissimorum ac fortissimorum iuuenum præsidio, hortatu potissimùm Damiani Grilli, instruxerũt, quæ in Chium delatæ, silentio noctis portum ignaris hostibus intrarunt, exploratoque inimicæ classis ordine, eadem nocte, pari taciturnitate per medios hostes ingenti ausu, nemine prohibente, vrbem non sine maximo oppidanorum commodo ac lætitia ingressi sunt. Hoc nouum & insperatum subsidium adeò oppidanorum animos confirmauit atque erexit, vt cùm sese præ nimio confligẽdi ardore ac studio diutius intra mœnia continere nequirent, subinde eruptione facta, obsessores inuaserint. Profuit mirum in modum oppidanis hæc noua initi cõsilij ratio cum summa alacritate atque animositate coniuncta. Quandoquidem Veneti omnia extrema nequicquam experti, fracto aduersis rebus animo, obsidione soluta, vrbem liberam tandem decimo nono Cal. Febr. reliquêre, vasisque conclamatis, noctu Rhodum versus nauigationem instituerunt. Sed antequam huius obsidionis enarrationem finiam, non reticebo clarissimi viri Ambrosij Grimaldi, qui in hac expeditione erat, somnium. Ipse enim cùm in Chio ciuitate in præsidiis esset, ac cum ceteris omnia belli munia strenuè obiret, iam intempesta nocte per quietem vidit serpentem immensæ magnitudinis scintillantibus & toruis oculis, hiantique ore dira minantem, & quasi se illicò inuasurum. Grimaldus tam tetro atque horribili spectaculo exterritus & expergefactus, magno cũ pauore somnij spectrum examinauit: cumq. postero die nocturnam visionem enarrauisset, aliis alia interpretantibus, fuêre qui illi dicerent, & admonerent, omninò in posterum ab omnibus belli muniis esse abstinendum, quòd scilicet illud monstrum dira, atque adeò funestum exitum illi denũtiaret. Quorum monitis ipse aliquantisper obtemperans, cùm forte fortuna oppidani eruptionem in hostem facerent, ipse spectri memor, ponè postremum agmen lento passu, tantùm videndi conflictus gratia, sequebatur. Et quò maiorem cautionem adhiberet, seque ab omnibus belli iniuriis tutiorem redderet, sese post magnæ crassitudinis parietem, ceu

Raphaëlis Montaldi eximia virtus ac sollertia.

Scaramutiæ interitus.

Perensium subsidium.

Chij non absque summa laude victores cõtra Venetos.

Præsagium in somnio Ambrosij Grimaldi.

tutam latebram, abdidit. Verùm, cùm videndi commissi prœlij teneretur desiderio, temperare sibi nequiuit, quin caput per obturati muri foramen exereret. Quod postquam malo suo fato extulisset, cuestigiò maioris tormenti ictu ab humeris illi auulsum fuit. Res proculdubiò mirabilis, & cuius inuestigatio planè sit ardua atque abstrusa, cùm nullæ videantur esse rationes physicæ, quibus tantæ rei successus meritò ascribi possit. Latet igitur in occulto semota ab hominum intellectu fatalis illa vis ineluctabilis, quæ nos aliquando inuitos, omnibusque modis reluctantes, præcipites in diuersa trahit. Et quia omnium doctorum iudicio constat & confirmatum est, homines sæpius spectris, aliisque nocturnis imaginibus per somnium sese offerentibus, de multis futuris rebus commonefieri, ideò confitendum est, extare quiescentis animi præscita & diuinationes, humanæque mentis præsagia, quasi vaticinia futurorum diuinitùs mortalibus data. Quod sanè vt magis eluceſcat, hîc aliquot non inutiliter, vti existimo, subijciam exempla. Olim Diuo Cæsari, antequam in citeriorem Galliam mouisset, infestaque in vrbem ferret arma, per quietem visum fuit matri stuprum intulisse: quo somnio ad spem ampliſſimam coniectores illum excitarunt, dominium orbis sibi dari interpretati. Idem somnium Hippiæ Pisistrati filio, qui tyranni successor, patriam crudelius occupauit, dum priuatus adhuc regiũ affectat fastigium, haud dispari euentu oblatum fuisse memorant. Rursus quod Astyagi Assyriorum regi in somnis oblata species tulit, qui ex naturalibus filiæ vitem enatam, cuius palmite omnis Asia obumbraretur, vidisse visus erat. Quare consulti harioli, nepotem futurum qui toti Asiæ imperitaret, & regni sibi responderunt portendi euersionem. Hoc nimirum Cyro Assyriorum regi relatum insomnium fuit. Mater Octauij vterum ferens, sua intestina per omnem terræ ambitum explicari per somnium imaginata fuit, veriſſimo præsagio, quo latè ipsius imperium protendi euentus docuit. Rursus quod idem D. Iulio visio per quietem oblata portendit, cùm supra nubem volitare, & cælum vertice contingere videbatur, parem exitum habuit cum somnio Cambysis, quo Smerdis fratris regio solio sedentis & cælum vertice contingentis, ostendi species visa est. Quod tamen vtiq. exitium tulisse, necemque & cladem portendisse constat: siquidem alter à Bruto & Cassio cædis auctoribus oppressus fuit: alter verò cùm in suspicionem affectati regni venisset, occisus, nõ cogitati forsan facinoris pœnas dedit. Quod sanè cõpar fuit cũ insomnio Iulij Cæsaris, qui pridiè quã periret, sibi visus est, vti diximus, per quietem interdũ super nubila volitare, aliàs cum Ioue dextras iungere. At mihi fermè exciderat quod enarrat Tranquillus in eiusdẽ Iulij vitæ descriptione. Dicit enim Cæsaris futuram cædem non solùm multis euidentibus prodigiis denuntiatam fuisse, sed etiam Calpurniam eius vxorem secundum quietem funestum eius exitum præuidisse. Et quia hic auctor planè elegans atque disertus est, eius verba ascribere non pigebit. Et Calpurnia vxor imaginata est collabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi; ac subitò cubiculi fores spontè patuerunt. Ob hæc simul, & ob infirmam valetudinem diu cunctatus, an se contineret, & quæ apud Senatum proposuerat, agere differret: tandem D. Bruto adhortante, ne frequentes, ac iam dudum opperientes destitueret, quinta ferè hora progressus est: libellumque insidiatorum indicem, ab obuio quodam porrectum, libellis ceteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis, cùm litare non posset, introijt curiam, spreta religione; Spurinamque irridens, & vt falsum arguens, quòd sine vlla noxa Idus Martiæ adessent: Quamquam is veniſſe quidem eas diceret, sed non præteriisse. Verùm cùm Artemidorus, qui etiam scriptis Iulium præmonuerat, ne coacto Senatu, in curiam eo die

Ambrosij Grimaldi interitus.

Somnia nõnunquam vere futura denuntiare.

to die quo occubuit, veniret, peculiarem libellum de ſpectris & inſomniis conſcripſerit, qui etiamnum extat, plura de hac materia diſſerere ſupersedebo. Vt igitur ad inſtitutum reuertar, priuſquam Veneta claſſis in Rhodum peruenirent, duæ onerariæ maris tempeſtate diſiectæ atque ſubmerſæ ſunt. Hîc verò claſſe refecta, & ſuorum numerum recenſentes, prȩter vulneratos, fermè dimidiam eorum partem amiſſam inuenêre. Poſtquam verò Genuæ de hac obſidione reſcitum eſt, ſubitò ex Senatus decreto, tres maiores naues, & duæ triremes cum mille & quingentorum electiſſimorum virorum prȩſidio, auſpiciis Thomaſi Cebæ, inſtructæ, atque expeditæ fuerunt. iamque oram ſinus Liguſtici emenſi erant, cùm hoſtem illinc receſſiſſe, illis pro certo nuntiatum eſt. Ipſi tamen inſtitutam nauigationem proſecuti, octauo Cal. April. in Chium ſalui atque incolumes prætereuecti ſunt, ibique ſicut in aliis portibus earum regionum ſuam operam præſtitêre, ita vt in Venetos, per id quidem tempus, nihil aliud omninò ab eis attentatum fuerit. 1452.

Quãta fuerit Venetorum clades in Chij obſidione.

Proximo anno Genuæ, ad Venetorum inhibendos conatus, quatuor ac viginti naues, quarum decem longæ ac triremes fuerunt, reliquæ corbitæ ingentis magnitudinis, inſtructæ, ac ſub imperio & præfectura Petri Spinulæ, Cypriani filij, eductæ. Qui, vniuerſis rebus expeditis, ſub finem Aprilis verſus Hadriaticum ſinum cum claſſe ſua contendit, vt nominis ſui famam cum Reipub. vtilitate ac dignitate coniunctam, aliqua inſigni expeditione excitaret. Proinde exiſtimans, Corſicam inſulam inualido præſidio teneri, hanc expugnare conatus eſt. Verùm admota claſſe, tentataque eius expugnatione, quòd vrbs longè ſupra hominum famam atque exiſtimationem omnibus neceſſariis eſſet inſtructa, hanc expeditionem, ceu periculi & difficultatis plenam, direptis atque incenſis ſuburbanis locis, præter ſpem & contra voluntatem dereliquit. Inde in Euxinum pontum delatus, Naxum atque Andrum inſulas, priorem quidem ſitam in mari Ægæo, alteram Eubœæ adiacentem, deditione occupauit, & Genuenſ. imperio adiunxit: moxque in Chium perueniens, ibi propter annonæ incommoda pauliſper commoratus eſt. Vbi verò claſſem rebus opportunis refeciſſet, Cretam verſus nauigationem direxit; & in itinere cùm ſibi aliquot naues Venetas ex Syria redeuntes obuiam haberet, vnam ex his, pretioſis mercibus onuſtam, cepit, reliquæ ventotũ ac noctis beneficio incolumes abierunt. quibus progreſſibus eam æſtatem & autumni partem, nulla re alia memorabili geſta, tranſegit. Et cùm adulta iam æſtate domum repeteret, dira atque atroci tempeſtate iactatus eſt, duæque naues ab aliis diſtractæ, quarum altera naufragium fecit: reliqua deinde nauigia non mediocri incommodo affecta, ſummamque difficultatem perpeſſa, tandem menſe Martio in Liguſticum ſinum appulêre. Claſſis autem Præfecto per calumniatores & aduerſarios peculiatus aliarumque rerum crimen obiectum eſt, ac repetundarum poſtulatus. ſed tam manifeſta fuit eius innocẽtia, vt ipſe exemptus omni crimine atque culpa, facti inuidia & acerbitas in æmulos recideret. Cetertùm gliſcentibus indies magis atque magis inter Inſubres ac Venetos odiis, bellũ ex bello enatum eſt: cumque diſſenſionibus nullus conſtitueretur terminus, vterque hoſtis ad ſui tutelam longè maiori ſeſe quàm antea præſidio aliiſque ad bellum neceſſariis firmauit. Et Veneti quidem ſuperiorum prœliorum memoria atque ſucceſſu animis elati, mariſque imperio auidè inhiantes, ad euertendam Liguſticam potentiam, tunc temporis Philippi gratia & opibus innixam, claſſem triũ ac triginta triremium inſtruxerunt, eaq. vniuerſam ferè inferi maris oram peruagantes, ad portum Piſanum appulêre, ibique duarum nauium Florentinorum, tunc ſociorum, cum quingentis militibus miſſarum, ſupplementum fecêre, ſuæque claſſi, in quam etiam Abraham & Baptiſta Fulgoſij, qui ambo erant ex-

Genuenſ nouam claſſem duce Petro Spinula emittunt.

Naxus, & Andrus à Genuenſ. occupatæ.

torres

torres ac profugi, conſcenderant, coniunxerunt. Quibus viribus freti, recto curſu in Liguſticam ditionem perrexerunt, vt eam armis infeſtarent: pro cuius quidem tutela & ſalute certè minor potentia, quàm Philippi Principis, non requirebatur. Siquidem inde ſtatim ab initio, quo Reipub. Genuenſ. adminiſtratio Philippo Mediolanenſium Principi commendata atque permiſſa fuit, præcipuarum ciuitatis factionum Principes & auctores variis initis ſocietatibus atque fœderibus, ſemper anxiè contenderant, vt Rempub. iugiter diuexarent, & ſubinde variis incommodis ac detrimentis affligerent. Ceterùm tanta erat Philippi in adminiſtranda Repub. prudentia, & contra omnes aduerſarios cautela, vt non dubium ſit, quin diutius rerum potitus Genuæ fuiſſet, nequicquam reluctantibus hoſtibus, niſi nouam conſilij rationem ingreſſus, pleroſque vrbis ciues priſtinis ſuis honoribus defraudaſſet, atque adeò Rempub. ipſam præcipuis ſuis immunitatibus & priuilegiis, vti antea demonſtrauimus, ſpoliaſſet. At Veneta claſſis vlterius progreſſa, Sextrum eo conſilio venit, vt illam inſulam occuparet. Tenebatur ea tempeſtate is locus ſic ſatis valido, vtpotè mille quingẽtorum militum, præſidio, ad primam hoſtilis claſſis aduentus famam eò à Repub. duce Nicolao Nigrone miſſo. Igitur Veneti tanto præſidio deterriti, relicta illa expeditione, in Rapallitanum ſinum prædabundi venerunt, omniaque hoſtilia ad euertendum Rapallum fecerunt, freti aliquot factioſorum hominum in iis locis ſubinde ſubſiſtentium auxiliis atque conſiliis. Sperabant enim, oſtenſa tantũmodò claſſe, aliquos nouos motus eo in oppido per Philippi aduerſarios exorituros: ideoque ad duarum ferè horarum ſpatium rei euentum expectantes, ſubſtitêre. Verùm, cùm omnia ſedata atque tranquilla contra opinionem ibi conſpicerent, quòd hiems inſtaret, inde ſoluerunt, ſeſeq. verſus ſuperi maris oram receperunt.

1433. Interea temporis, cùm pacis iungendæ arbitrium ad Nicolaum Eſtenſem & Ludouicum Salutianum, ambos tum Marchiones, delatum fuiſſet, tandem menſe Maio proximè ſubſecuti anni, qui ſupra milleſimum quadringenteſimum tertius ac trigeſimus fuit, pax renouata eſt, & captiui vltrò citroque dimiſſi, inter quos ex parte Genuenſium, præter ceteros, adhuc Venetiis aſſeruabatur Franciſcus Spinula, qui eo tempore vnà cum reliquis dimiſſus eſt, ac priſtinæ libertati reſtitutus. cui ſanè in patriam redeunti, amplius quingẽti ex ſuprema nobilitate, honoris ergò, equites obuiam proceſſêre, ac vniuerſa ciuitas illius liberatione atque aduentu incredibili gaudio perfuſa. Verùm enim verò vt ſemel huic enarrationi de huius vtriuſque Populi rebus extremam manum imponam, non diffitebor, me ſummo ſudore maximiſque laboribus ad hiſtoricam huius belli fidẽ peruenisſe. Nam cùm multi ſint & reperiantur ſcriptores, qui variis, vt puto, de cauſis inter ſe diſſentiant mirumque in modum varient, difficile fuit ex tantorum ſcriptorum numero aliquid deligere, quod citra controuerſiam, vel mendacij ſuſpicionem tradi poſſit. Proinde ſi aliqua in re lapſus fuero, vel ab ipſa veritate aberrauero, eò facilius venia mihi, vti ſpero, dabitur, quò cum maiori inueſtigandæ & eruendæ veritatis ſtudio hactenus elaborauerim. Reliqua pari fide atq. diligẽtia à me, vti confido, præſtita fuerunt. Quatenus verò ad ea grauiſſima itidem ac periculoſiſſima bella attinet, quæ populus Genuenſis olim cum Tariraconenſibus, & præſertim cum Alfonſo Aragonio, variis temporibus geſſit, licet externa fuerint, eodemque ordine enarrari debuiſſent, cùm tamen hæc ſatis abundè in iis libris in quibus de politico Reip. ſtatu & gubernatione agitur, explicauerimus, ab illorum commemoratione, tanquam inani & ſuperuacanea, in præſentiarum ſuperſedeo. Et de his quidem hactenus dictum ſit.

Pax inter Venetos ac Genuenſ.

BELLI VENETI FINIS.

PERBREVIS TRACTATVS
IN QVO SVMMATIM ATQVE
PAVCISSIMIS VERBIS DE VNIVERSO REIP. Genuensis statu & administratione disseritur.

ENARRATIS hactenus cum summo veritatis inquirendæ studio, nec minori temporum distinctione, omnibus iis quæ in huius Reip. nostræ tempora vsque ad hanc nostram tempestatem inciderunt; haud absurdum me facturum existimaui, si pari fide ac diligentia politicum ciuitatis statum quàm breuissimis potero verbis attexuero. Ex veterum quippe libris ac monumentis satis liquet, hanc Remp. primò patrium quodammodò ius diu exercuisse & retinuisse: deinde postquam in potestatem Romani imperij deuênit, annuo quodam magistratu per Consules ab ipsa communi plebe creatos, dudum administratam fuisse, & ad multa tempora assidua quadam serie hanc ferè administrationis normam retinuisse, temporisque tandem decursu, circa scilicet annum salutis millesimum centesimum primum, bini Consules addi cœperunt; quorum certè magistratus fuit anceps, adeoque non perpetuus, vt pro temporis rerumque condicione interdum adiungerentur, vel remouerentur, prout videlicet popularis animus esset comparatus: durauitque huius ambigui magistratus varietas ad annum vsque centesimum vndetrigesimum supra millesimum. Insequenti etenim anno, priori illo instituto immutato, tres electi Consules cum tredecim viris, quibus rerum ciuilium cognitio permitteretur: fuitque magistratus hic ferè duodecim annorum spatij; postea aucta fuit magistratus dignitas decem Consulum accessione, qui in laborum & dignitatum societatē & communionem recepti, paribus studiis Remp. gererent & administrarent. Deinde decursis viginti duobus subsequentibus annis, nescio qua ratione factum fuerit, vt iterum hic numerus immutaretur. Quippè abrogata illa multitudine, ad paucos, nimirum quinos, vel senos, ex omnibus ordinibus rerum summa administratio deuênit. Quo in statu sine vlla singulari immutatione aliquamdiu Resp. ipsa ad annum millesimum centesimum nonagesimum permansit: tum primùm Prætor institutus, qui vnà cum ipsis Consulibus toti rerum summæ præesset. Cuius sanè instituti pleræque aliæ Italiæ ciuitates exemplum secutæ, idem postea fecerunt. Et quia magistratus diuersimodè instituebantur, Resque publica non semper eodem administrationis genere, vti superiùs commemorauimus, constitit, magnæ exinde, ceu perenni fonte, ortæ sunt ciuium simultates, atque, vt passim euenire solet, multis intestinis odiis laboratum & certatum aliquādiu fuit, ad annum scilicet supra millesimum ducentesimum decimumseptimum. Nonnunquam enim interea per interualla temporum Prætor externus accersitus fuit; interdum verò omissus: quandoque etiam consiliarij pro temporum condicione Prætori attributi. Deinde succedente tempore, ad annum ferè salutis humanæ millesimum ducentesimum quinquagesimum septimum, nouo quodam excogitato instituto, Præfectus populi creari cœptus, qui, vt olim apud Romanos Censores faciebant, seueritatem censoriam in populum ipsum distringeret atq. exerceret. Proinde ceu collega perpetuus Prætori in societate gubernationis ad-

nis additus, quo instituto annis ferè sex ciuitas ipsa administrata fuit. Deinceps per nouem annos continuos Præfectura intermissa est, non secus ac omninò sublata esset, totiusque Reip. auctoritas in ipsum solum Prætorem reclinata & deriuata fuit. Sed demum paruo interiecto tempore, bini præfecti ex patriciorum ordine allecti & coniuncti ipsi prætori fuerunt, sub quorum auctoritate & administratione ad annum Resp. stetit. Deinde quia temporis condicio ita ferre & expostulare videbatur, iterum Præfectum & Prætorem ab exteris gentibus accersire placuit, quibus etiam ex communi sententia Abbas, ceu custos populi, additus est. Quam administrationis formam ciuitas ipsa ad annum millesimum trecentesimum ac duodeuigesimum retinuit: quo ferè tempore Resp. Genuensis in Ioannis XXII. Pont. Romani & Roberti Apuliæ regis potestatem deuenit. Sub quorum imperio vrbs vsque ad annum millesimum trecentesimum trigesimum quintum permansit. Inde repetito iterum veteri instituto, rursus Prætorem, binos Præfectos, Abbatem, & Antianos, quos vocant, ciues Resp. sibi legit; sub quibus exacti sunt anni ferè quatuor. Verùm cùm illa tempestate Genuæ inter nobilitatem factiones orirentur, magnis discordiis ciuilibus Respublica fuit diuexata. Nam pulsis ex vrbe Spinulis & Auriis, postmodum grauissimæ enatæ sunt tempestates, quæ intestinis contentionibus mutuisque odiis magnam ansam & occasionem præbuêre, ita vt post plurimas receptas clades, operæpretium Patres se facere existimarent, si perpetui magistratus speciem inueherent atque stabilirent; arbitrati hac potissimùm ratione pacem & tranquillitatem ciuitatis parari & conseruari posse: habitisque centuriatis comitiis, de communibus omnium suffragiis Simonem Buccanigram longo rerum vsu insignem, nouo & inaudito ad illa vsque tempora titulo, Ducem ac Principem renuntiarunt. De cuius summi Magistratus prorogatione, ceterisque aliis, quæ ad supremam potestatem pertinent, satis luculenter explicauimus, atq. etiam præter cetera ostendimus, anno supra mille quingentos septimo ac vigesimo Genuenses ex permissu Francisci primi regis Galliarum, ac Theodori Triuultij eius præfecti, nouum Reip. statum constituisse, illumque proximo anno ab iisdem Principis Andreæ Auriæ auctoritate confirmatum. Et si autem, qualis nam ille extiterit, non paucis, neque obscuris verbis libro XX. rerum politicarum ostensum esse arbitror; nihilominus tamen, quò magis de illo constet, quique magistratus eligi soleant, & quamdiu ciues in aliqua dignitate constituti, suis muneribus fungantur, pleniùs elucescat; operæ pretium fore putaui, si ea omnia hîc breuiter ac summatim explicarentur; ne quid ab industrio & sollerti lectore, hac quidē in parte, desiderari possit. Ex omnibus igitur ciuitatis ordinibus, duodecim potissimùm ciues, quorum nomina ibidem expressimus, in Senatum allecti & conscripti sunt, quorum consilio & auctoritate status Reip. constituetur. Hi ergo de vnanimi voluntate atque consensu diligenter atque accuratè omnibus causis perpensis, quæ hactenus illam variis factionibus ac simultatibus inuoluerāt, optimum fore censuerunt, vt ciuilibus odiis extinctis, ac dissensionibus è medio sublatis, quædam gubernationis forma & ratio institueretur: cuius sanè quilibet ciuis nobilis ac virtute præditus, alternatim particeps fieret. Proinde statim abrogarunt decretum diu antea promulgatum, ne quispiam scilicet suprema dignitate fungeretur, nisi esset popularis, & Gibellinarum partium studiosus: itemque multa alia decreta circa magistratuū distributionem lata. Et præter cetera sanxêre, vt quicumque in ciuitate sex domos apertas, & à ciuibus suæ familiæ inhabitatas haberent, hi vicissim in Magistratuum distributione alternatim

tim succederent. Quæ verò essent minori numero, sed tamen alicuius dignitatis ac existimationis, nec apertas domos haberent, in aliquam earum ex illis duodetriginta, quibus eas habere contigisset, adscriberentur, prout ipsi magis omninò expedire videretur. Nomina verò earum familiarum, quæ octauum ac vigesimũ numerum explebant, infrascripta sunt: Auriæ, Calui, Catanei, Centuriones, Cibo, Cicadæ, Flisci, Franchi, Furnarij, Gentiles, Grimaldi, Grilli, Iustiniani, Imperiales, Interiani, Lercarij, Lomelini, Marini, Nigrij, Nigrones, Palauicini, Pinelli, Promontorij, Spinulæ, Saluaghi, Sauli, Viualdi, Vsusmarij. Et quia iam longo vsu in vrbe receptum erat, vt aliqua insignis & ampla familia vltrò sibi alterã cooptaret; eamq. quò magis opibus viribusq. floreret, in nomen ac societatem reciperet; minimè alienum atque absurdum videbatur, publico decreto sanciri, quod prius speciali quadam & priuata auctoritate decernebatur. Deinde placuit, ex illis viginti octo familiis, quarum mentionem fecimus, quotannis Senatum quadringentorum ciuium haberi, quibus vnà cum Duce ac Præfectis, totius Reip. cura & administratio committeretur. Ab hoc Senatu Principem, & octo Gubernatores eligi, qui biennio rebus gerendis præessent, & quæcumque ibi forent præcipua, quæque ad Reip. decus atque amplitudinem pertinerent, ex vnanimi consensu & voluntate decerni, hosque ipsos vnà cum Duce constituere ac designare Senatum. Verùm si aliqua de re, quæ licet haud minimi ponderis ac momenti esset, non tamen huiusmodi, vt de illa, ceu omnium summa & præcipua, habenda esset consultatio, Senatum debere interponere operam alterius minoris Senatus, suffragiis centum nobilium, qui numero quadringenti esse solent, delecti. Caput itaque illius Reip. Dux censetur, quoniam is titulos & honores huic dignitati quàm maximè conformes & consentaneos gerit & obtinet; estque antiquus gradus illius vrbis, ad quem variis tẽporibus variæ ac diuersæ familiæ, licet diuersis & quandoque illegitimis studiis, atque artibus contenderunt. Principatus verò bimulus est; & quamdiu eo munere & honore fungitur, publicas ædes, quas Palatium vulgò vocant, inhabitat, eiusque custodiæ præsidiique causa, quingenti stipatores ac satellites Germanicæ nationis adhiberi solent, in hoc fermè liberi absolutique Principis imaginem ac dignitatẽ exprimens. Postquam verò Princeps renuntiatus est, à purpura ceterisque Ducum & Principum ornamentis imperium auspicatur, totumque biduum se paludatum conspiciendum publicè exhibet: deinceps ad togam coccineam à ceteris Senatorij ordinis forma haud ita multũ absimilem delabitur; retinetque sanè in ipso Senatu nõ mediocrẽ vel exiguam auctoritatem, quippe cùm nullum citra eius suffragium Senatusconsultum fieri vel sanciri in ipso ordine Senatorio possit vel debeat, adeò vt, si aliqua Reip. formula inducenda, vel vetus aliqua institutio innouanda sit, omnes consilij rationes, sententiarumque summæ ad ipsum Principem deferri & reijci debeant, nihilque citra eius auctoritatem constabiliri. Solet autem Princeps hoc ferè pacto cõstitui & designari. Tertio Nonas Ian. omnes ordines qui plerumque communem Senatum constituere solent, in curiam sine prioris Ducis interuentu conuocari, & conuenire moris est; nimirum cùm priori Duci post biennij muneris sui defunctionem vacatio plerumque constitui soleat, & ad priuatas suas ædes deduci; ea tamen lege, vt inter ordinis procuratorij viros reliquum vitæ suæ cum summa dignitate, ceu in otio & tranquillitate transigere possit. Coacto Senatu cõmunibus omnium suffragiis duodetriginta nobiles pro totidem familiarum numero designantur, qui omnium consiliorum socij ab ipsis consiliariis, quorum magistratus bienniò definitur, in ordinem cooptari solent,

Principis, et octo Gubernatorũ electio.

Principis auctoritas.

iustumq́ue Senatum vnà cum ipso scilicet Principe constituere. quorum tamen singulorum auctoritas ita ab ipso Principe dependet, vt nihil seorsum, quacumque in re, licet etiam minima, sancire vel præstare possint; quippe cùm in grauioribus causis, & quarum consultatio perplexior esse videtur, totius negotij difficultas ipsi maiori Senatui communicari soleat, & plerumque reseruari, adeò vt sine consilij communicatione & sententiarum rogatione, nihil temerè de iis decernatur. Ex his verò consiliariis, duo alternatim vnoquoque semestri eliguntur, eorumq́ue electio in hunc ferè modum fieri consueuit. Cogitur vniuersus Senatus cui ipse Princeps vnà cum suo ordine patricio interest, iterumq́ue communibus suffragiis vigintiocto deliguntur, habita scilicet familiarum, vt antea etiam diximus, ratione, quorum iudicio duodecim, vel quatuordecim ciues ampliori Senatui proponuntur, ex quorum numero successiuè, & quasi, quod dicunt, per vices, in purpuratorum numerum ascribuntur & cooptantur. Proximo die par in electione secundi cooptandi in numerum habetur ratio. Nam minor, vt ipsi vocant, Senatus, alios duodetriginta ex omnibus ordinibus deligit, ex quibus reliquorum ordinum & magistratuum faciunt supplementum, & absolutam quandam bene institutæ Reip. formam, adeò vt elapso Magistratus tempore, illi, ex his octo, quos Gubernatores vocauimus, vacatione quodammodò impetrata, etiam in ordinis procuratorij viros transcribantur, & in collegio Procuratorum semper adesse consueuerint, qui prius principalioribus Reip. functionibus & partibus admoti fuissent, penesq́ue eos, & ipsum Principem, sit totius Reip. administratio, ita vt etiam ex ipsis, quos diximus, Gubernatoribus, ipsi Principi in eodem prætorio, iisdem ferè tectis conuiuere, & recipi soleant: reliquis, ciusdem ordinis in propriis ædibus habitare permissis, permutatione tamen habitationis ad singulos exacto per vices trimestri transeunte. Et quia superius satis fusè procuratorij ordinis meminimus, operæ pretium me facturum putaui, si aliquantulum clariùs rem ipsam pertractauero, potissimùm cùm in omnibus ciuitatibus diuersæ soleant esse Reip. imagines & formæ, nullæq́ue ferè reperiantur, quæ non aliqua ex parte ab aliis, sibi licet vicinis, pro morum studiorumq́ue varietate differant atq. dissentiant, sic vt difficile omninò dictu pronunciatuq́ue sit, penes quos hactenus citra aliquam controuersiam melior & probatior sit administrationis forma. Nam cùm omnis Resp. soleat vel Aristocratiam, vel Democratiam, nunquam verò Monarchiam sequi; fit plerumque, vt aliæ magis hanc, vel illam, amplectantur: qua certè in re cùm plures sint qui ex omni fermè memoria optima quæque in literas contulerint, eamq́ue Reip. imaginem delineauerint quæ suo iudicio perfectissima esse videatur; tamen meo iudicio multum inter se dissentiunt. Nam dum quisq. quod sibi placet, tuetur & defendit, vel Principum voluntati atque arbitrio inseruit; in hoc ferè omnes labuntur, vt non satis quid ex communi vsu petendum sit definiant. Nec mirum me herclè, cùm huius rei difficillimæ tractatio me de illa scribere volentem, haud parum deterreat, ne iudicij rectitudine, quod quàm exiguum sit, facilè intelligo, destitutus, à vero abberrem: hoc tamen dicere mihi absurdum non videtur, eas Respub. optimè institutas esse, quæ ex Aristocratia & Democratia iusto quodã temperamento, hoc est geometrica quadam proportione, ita sunt constitutæ, vt in illis etiam Monarchiæ ratio penitus non negligatur. Sed me aliquantò latiùs forsitan ab instituto euagantem, reuocat suscepti sermonis series; quæ, vt de procuratorij ordinis viris & institutis paulò fusius edisseram, admonet. Proinde, quò magis huius Reipub. institutionis forma eluceſcat, nõ absurdum fuerit, si de Senatorio ordine seorsum, & ceu

& ceu per certos gradus dixero. Nam cùm in hac Repub. multa sint ab ipsa antiquitate petita, singula maiori quodam lumine indigent, quàm vt in ipso primo aditu prorsus percipi & inuestigari queant; nimirùm cùm pleraque videantur à plurib. bene institutis Rebuspub. petita, sic proculdubiò, vt faciles negligenti scriptori relinquantur lapsus. Quocirca de Procuratorio, vt ipsi vocant, Ordine, exordium mihi distinctionis fecero: estque ferè talis, vt nemo in eum recipiatur, nisi priùs Principis, & octo gubernatorum personam sustinuerit, ac supremum illum Magistratum gesserit. Nam nisi gubernatorum officio functi fuerint, ab hoc ordine omninò excluduntur, & id quidem non sine summo maturoq. consilio: quippè cùm his potissima Reipub. administratio incumbere soleat, vtpote quibus solis prouentuum, censuum, & vectigalium cura & administratio relinquatur. Ceteri verò Magistratus tantummodò circa Reip. ciuilem gubernationem occupantur. Solet namque tribunalibus & foris iudiciariis, præsertim in criminalibus, Prætor extraneus proponi, qui moderatione iudicij, summaque rerum cognitione sese æquum & iustum iudicem præstet. Nam nisi exploratæ fuerit eruditionis, Doctoratusque gradu insignitus, nunquam ad hanc sublimitatem dignitatis assumitur, habitatioque in palatio, ceu publicis ædibus, adsignatur, quasi ipsi Senatui, totique ordini Senatorio indiuiduus & collateralis constitueretur comes, præsertim cùm Reip. multum interfit, habere virum fide cognitioneque rerum præstantem, qui iudicij grauitate summaque diligentia in fontes inquirat, superque omnibus maleficiis strenuè cognoscat; licet tamen de capite hominis nihil per se possit statuere, vel sine consensu ipsius Senatus pronunciare. In summa, solet haberi in Prætore designando accurata quædam ratio. Priusquam enim huic officio præficiatur, vsu iam receptum est, tres in ordine esse externos Doctores, quibus seorsum iudiciarij fori summa & cognitio permittitur. Nam ex tribus, vnus ad Præturam, vti diximus, euehitur. Secundus verò, Quæsitoris titulo, (vulgò Iudicem maleficij vocant) insignitur. Tertius autem, Fisci sibi locum vendicat: horumque sententiis & iudicio instituuntur processus, nec non causæ, ac lites definiuntur; eorumque etiam cognitio maximè ad eos pertinet: Prætorque ipse solet sibi habere subdelegatum, quem ipsi Vicarium nominant; cuius potissimùm opera circa res ciuiles vtitur. Alia Magistratus classis à Romano illo Septemuiratu abhorrere non videtur. Cùm enim qui huic ordini præsunt, septem numero esse consueuerint, ea etiam dignitate pollent, vt personam Principis publicis negotiis distenti & occupati, repræsentent, ea sanè cura, vt omnis eorum administratio & munus sit, vt forenses lites & controuersiæ, illorum auctoritate interposita, aut prorogentur, vel absoluantur: pupillis verò, & minorennibus, tutores & curatores assignent. Nam cùm lege cautum sit, ne imbecilliori à potentiori vis inferatur, hoc Magistratu commodè vtitur ipse supremus Senatus, vt, consopitis iurgiis & contentionibus, partes ipsæ altercantes ad gratiam & concordiam redeant: finiturque huius Magistratus functio plerumque semestri spatio. Est & alius præterea Magistratus ex quinque potissimùm viris, quos ipsi supremos Syndicos vocant, constitutus; videturque Syndici vox tracta esse à Græca appellatione, quasi apud Latinos Recognitorem sonet, nouo fortasse vocabulo, sed satis ad huiusmodi munus explicandum idoneo; quibus hæc permittitur potestas, vt æquè in Principes, ac ipsos gubernatores, postquam sese suis muneribus abdicauerint, si propter aliquem incidentem casum, puta, si contra legum sanctiones aliquid commiserit, statuere & pronunciare possit, adeò libera & absoluta potestate, vt etiam Princeps ipse, illique octo, quos diximus,

Procuratores

Prætor extraneus.

Tres externi Doctores.

Septemuiratus

Syndici vox quid sonet.

Præsides, amoto Magistratu, horum arbitrio, si quid ab illis, dum Magistratum gererent, peccatum & delictum sit, permittatur & subiiciatur. Publicatur enim eorum edictum, quo omnibus iniuria & contumelia affectis, ius & integritas contra eos qui Magistratibus functi sunt, seruatur: eiusque rei gratia per totum octiduum tribunalibus præsidere, deque iniuriis & contumeliis illis illatis, penitiùs cognoscere & pronunciare solent. Sin verò innocentia vitæ, morumque integritate culpa vacare inueniantur, statim edito diplomate, absoluuntur; & si incontaminatis moribus, inculpatæque vitæ esse reperiantur, ad procuratorium ordinem admittuntur. Nam alioquin, nisi horum quinque virorum diplomate probentur, ab ipso procuratorio munere prorsus reijci consueuerunt. Fitque nonnunquam, vt ab aliis eiusdem Reipub. Magistratibus, ad hos fiat prouocatio, ita profectò, vt huius, cuius nunc mentionem facimus, Magistratus tanta sit amplitudo & dignitas, vt Andreas Auria Reip. liberator & assertor, in hunc ordinem Plebiscito cooptatus sit: eorumque electio propemodum semper per viros Senatorios, qui in minori Senatu selecti fuerunt, fieri solet; habentque iuxta Senatum in ipso prætorio locum. Et quamuis de supremis rerum capitalium iudiciis & cognitionibus, satis fusè superiùs dictum esse videatur; tamen quò magis planum fiat, quo modo huius Reip. Magistratus instituantur, non alienum fuerit, de singulis officiis, collegis, & tribunalibus, ceu membris, separatim dicere. Quandoquidem cùm, sicuti antea diximus, huius Reipub. forma à diuersarum sit petita rerum publicarum institutionibus; difficile fuerit, nisi cõtinua quadam serie ob oculos ponantur, omnia intelligere. Proinde deinceps aliquid de ciuilibus istis politicisque rationibus obseruandum erit. Cùm enim magna in parte Reip. administratio extraneis permitti & concredi consueuerit, visitatum quoq. est, vt vnoquoque biennio de omnium Ordinum consensu v. Doctores iurisperiti, & in foro iudiciali non mediocriter versati, à finitimis ciuitatibus petantur & accersantur, amplo illis constituto stipendio, vt v. viratum hoc scilicet numero instituant, quem ipsi patrio idiomate ROTAM nuncupant; quorum præcipua cura & administratio circa res ciuiles & politicas versatur: quarum vt faciliorem habeant cognitionem, in ipso Ducali prætorio, vel palatio, plerumq. habitare solent; causarumque omnium, quarum ipsi notitiam habent, tractatio & iudicium, secundum Imperialium legum receptum vsum & cõsuetudinem formantur & deciduntur. Processus verò causarum forensium iuxta ordinem iudicialem earum vrbium & oppidorum, sub quibus litium initia orta sunt, plerumque iudicari & consopiri videmus. Quòd verò ad artium mechanicarum & opificiorum rationem & institutionem attinet; moris est, vt instituantur Censores aliqui, quorum opera, industria, & iudicio vtantur in obseruando & perspiciendo, vt forum rerum venalium, atque alij, qui opificia exercent, habeant mensuras, pondera, & alia huius generis, ad æqualitatis & isonomiæ stateram, & ad iustam trutinam, expendantur & examinentur. Sed & præter hos, quos diximus, v. viros, vnicuique opificio seorsum aliqui ex Consulum numero præfici, & ab ipsis artificibus cum pleno iure & potestate eligi consueuêre; vt ea quæ ad ipsorum opificia & artes pertineant, absolutam quandam rationem habeant, adeò vt horum iudicio & auctoritate de alicuius capite pronuncietur, hoc est, de aliquo possit haberi quæstio, plecti exilio, ad remos & transtra transcribi, aliáue pœna & supplicio puniri, prout vniuscuiusque meritum & culpa promeruerit. Et ne aliquid in hac Repub. negligatur, cuius ratio à bene instituto Magistratu haberi & expendi debet, exactam quandam militaris disciplinę curam & rationem omni ferè

ni ferè tempore obseruauit, prout etiamnum retinet. Siquidem distributa ciuitate in quadraginta decurias, singulis decuriis Præfecti ex patricio ordine electi, quotannis præponuntur; quorum singulis singulæ centuriæ, ex ipsis, vt vocant, popularibus, militent & subijciantur: & ita ex vniuerso populo quatuor millia hominum in cohortes militares transcribuntur, vt scilicet ad omnem repẽtinum casum & incidentem occasionem Respub. non sit inermis & imparata: sed horum opera & strenuitate, ad omnem temporum occasionem vtatur. Proinde suspectis ac dubiis temporibus, si Senatui in publicum prodeundum sit, ab ipsis centurionibus honorificè & eleganter, nobilium scilicet more, ornatis deducitur & constipatur; vrgenteque necessitate, quicquid fuerit suburbani ciuis & iuuentutis, armis & militiæ aptum, his præfatis centurionibus militare & nomen dare, ac illis, omnibus in rebus, dicto audiens esse cogitur. Ceterùm, habet vt plurimum Respub. suum generalem, vt vocant, Prætorem, cui suprema militaris disciplinæ cognitio atque tractatio permittatur, adeò vt si aliqua suscipienda sit expeditio, & manus cum ipso hoste conserendæ sint, ipsius ductu & auspiciis omnia administrentur & prospiciantur. Est & alius præter eos quos diximus Magistratus, quem ipsi D. Georgij vocant. Hunc à multis annis, scilicet ab annis septem supra millesimum quadringentesimum institutum, adeò florentem, atque summa dignitate subnixum, omni memoria conspeximus, vt non mirum sit, si hac potissimùm tempestate ad supremum honoris apicem deuenerit. Nam cùm exacto præstantium virorum iudicio ad omne laborantis Reip. subsidium excogitatus & institutus esse videatur, eius certè beneficio Resp. iamdudum stetit, & hoc assecuta est, vt semper rebus dubiis, prosperis & aduersis incolumis quasi hoc fundamento constiterit, & ad illum, ceu ad firmissimam ancoram, semper confugerit; vocatusque est D. Georgij Magistratus, eò quòd plerumque in ædem D. Georgio sacram, P. C. qui huic scilicet Magistratui præsunt, cõuenire soleant. Habet enim hæc Resp. inter cetera bene institutæ & moratæ ciuitatis ornamenta, vt licet multis vitæ subsidiis, propter sterilitatem agri vrbani, asperitatemq. naturalem ipsius soli, destituta; semper tamen viros grauissimos, ingenio, industria, & animi magnitudine excellentes, in lucem protulerit, ac ceu ex perenni fonte, ad vtilitatem & salutem posteritatis, multa bene excogitata atque instituta defluxerint; quibus Reip. dignitas potissimùm continetur. Namque inter reliqua, non paruum magnæ prudentiæ specimen est, quòd Reipub. status necessitate belli, vel quauis de causa, in aliquam angustiam coniectus, paratum habeat cogendæ & expediendæ pecuniæ modum, adeò vt superioribus temporibus hic ferè instruendi ærarij publici inuentus fuerit potissimùm modus, scilicet vt qui publico ærario præessent, à priuatis ciuibus pecuniam mutuò sumerent: quod sanè vt feliciùs faciliusq. impetrarent, néue hanc subsidij publici rationem aliqua de causa remoraretur, versuram facienti fructus pecuniæ suæ ratione decem, nouem, octo, & quandoque septem aureorum pro centenario, vt vocant, prout scilicet temporis ratio ferret, recipiebant; quo sanè artificio mirum in modum ad vtilitatem publicam excogitato, neruus ipsius Reip. supramodum creuit & auctus est, ita vt dum ciues propensione quadam nullo impendij metu deterriti, saluti publicæ consulunt, hoc videantur assequi, vt etiam cum lucro priuato commodum publicum haud parùm iuuent. Ad maiorem tamen versurã facientibus præstandam cautionem interdum vectigalia publica, puta vinorum, portoriorum, reique frumentariæ ad tempus elocare ac permittere solent, quod ipsi nouo, sed patrio idiomate, Pedagium Gaui vocant; cuius certè vocis etymologia cùm perobscura sit,

De Georgiano Magistratu.

ra sit, haud facilè hoc loco explicauero: satis est me declarasse, quibus modis contractus inter Rempub. ipsam & priuatos ciues fiant & sancian-
uentiones & contractus inter Rempub. ipsam & priuatos ciues fiant & sancian-
tur. Quandoquidem tanta in cauendis publicis damnis religio habetur, vt elocationes publici iuris, tanquam priuatæ emptiones & venditiones forent, mutua
tiones publici iuris, tanquam priuatæ emptiones & venditiones forent, mutua
astipulatione obstringantur: & Senatusconsulto cautum & sancitum est, vt quicumque Remp. centum libris iuuaret, haberet locum in elocationibus vectigalium publicis vnum: qui verò ducentis adiuuisset, pari numero duos locos sortiretur, & sic deinceps, pro scilicet quantitate pecuniæ parem in publico iure rationem, vt superius retulimus, assequeretur. Itaque factum est, vt eiusmodi emptiones miris incrementis augerentur, adeò vt tanquam per classes, certis distinctæ nominibus distribuantur. Aliæ namque emptiones Capituli, aliæ D. Pauli, nonnullæ salis, prout scilicet cuiusque esset ratio & vsus, dicebantur: summaq. cura & fide à pluribus ciuibus singulæ procurabantur; quorum videlicet integritate fidei, & prudentia sedulò prouidebatur, vt fides publica, propter subsidium ærarij priuatis istis ciuibus oppignorata, publica etiam pecunia ex iure pacti & constitutionis, per eos liberaretur; ac reliqui prouentus, & pecuniæ publicæ bona fide in ærarium importarentur. Inde autem successu temporis in vsum receptum est, vt propter numerum emptionum indies magis atque magis miris incrementis per externas quoque nationes adaugescentem, ad huius Magistratus, (cuius quidem numerus pari modo in immensum excreuerat,) stabiliendam rationem, accurata quædam deberet adiungi prudentia & cautio, ne quauis de causa propter exterorum inquilinorumque cum ciuibus ipsis communionem, aliquæ subinde perturbationes confusionesque orirentur, ita vt ad præscindendam futurarum controuersiarum ansam, Senatusconsulto decretum sit, vt omnes emptiones, qualescumq. etiam essent, & quouis nomine dicerentur, in vnicam emptionem, ceu ad quandam particularem massam, redigerentur. Quæ quidem vnica emptio ab hoc S. Georgij instituto Magistratu, denominata emptio S. Georgij fuit: cuius quidem emptionis cognitio, regimen & cura, ad octo ciues prudentia & dignitate conspicuos, vt versuram facientibus ex vectigalibus publicis satisfieret, delata, & summa cum religione demandata fuit: videturque hic Magistratus hinc initium atque originem traxisse. Et quoniam successu temporis, diligentiaque obseruatione minimè obscurè deprehensum est, huius præfati Magistratus singulari æquitate & prudentia potissimas partes Reipub. gubernari & administrari; non mirum si variis atque diuersis temporibus, summæ rerum difficultates & necessitates, huius consilio superatæ fuerint. Postquam enim numerus, vt antè diximus, locorum mirum in modum augeri cœpit, factum est, vt pecuniæ publicæ in ærarium publicum conferri consuetæ, valdè fuerint diminutæ: sed hac difficultate Reip. laboranti solida cura & fideli administratione huius ordinis semper occursum fuit, ea certè felicitate, vt temporis progressu multas circumuicinas ciuitates atque oppida suo imperio adijceret. Proinde, ne Patres conscripti supremi Senatus aliquo modo horum exactam diligentiam & fidem negligere vel præterire viderentur, eos priuilegiis donarunt, quæ multis summorū Pontificum, Cæsarum, atque aliorum Principum diplomatis confirmata sunt, adeò me herculè, vt quamuis hoc munus Georgianum potiori sui parte pendeat à Senatu; minimè tamen ipsi subijciatur. Nam quotiescumque aliqui in supremi Senatus ordinem cooptantur, iureiurando interposito, dataque fide, summa religione pollicentur, se priuilegia Georgiani Magistratus summa cura & animi integritate conseruaturos. Verumenimuerò, quia sic naturali quodam nexu compa-

Magistratus Georgianus vnde originē traxerit.

ratum

ratum esse videmus, vt omnium rerum nascentium primordia sint per se exigua, & infirma; & nisi sensim, ac quasi per gradus dilatentur, donec ad integram & absolutam quandam perfectionem deducantur, non mirum, si in constituendo hoc Magistratu, successu etiam temporis multæ adinuentæ fuerint rationes, quæ ad hunc perpetuandum & adornandum non parùm facerent, sic sanè, vt hac tempestate minori negotio, sed longè maiori cum vtilitate, quàm antea, ineatur & regatur. Quapropter cùm iustorum consiliorum ratio ægrè in omni Repub., vel etiam aulis Principũ inueniatur, & sæpius magnis periculis implicetur; ad Deum ipsum veris gemitibus, meo equidem iudicio, confugiendum semper esse censeo, vt bonos Gubernatores rerum gubernaculis admoueat. Nam nisi fidelitatem ipsam in multis proculdubiò malis, in ipsius Reipub. oculos subinde incurrentibus, opponamus; & nisi multarum rerum cognitionem ad clauum Reipub. afferant, ipsam multis malis & periculosissimis inuolucris inuolui aliquando necesse est. Nam, vt in lege Aquilia videre licet, in Reip. administratione duo sunt potissimùm exitiosæ pestes, nempè negligentia & ignorantia; cùm hæ duæ coniunctæ, summas contentiones, imò exitium ipsis ciuitatibus & imperiis nonnunquam afferre soleant, ita profectò, vt, cùm multi negligentes in discendo hac nostra tempestate sint, qui, postquam beneficio fortunæ vel plebis suffragiis potiùs quàm rectitudine iudicij, negotiis & consiliis publicis adhibentur, quia ipsorum fontium scaturiginem ignorant, sæpè in dicenda sententia, vel ferendis suffragiis hallucinantur, & magna cum pernicie Reip., vt antè diximus, insanabiliter peccant: & cùm multos passim reperire liceat, qui confisi qualicumque dicendi genere, se haud rarò ad Principum voluntatem inflectant; non mirum, si verborum lenocinia, & prætextus quærant, ad ea scilicet negotia ornanda, quæ grata sunt ipsis Principibus, quibus operam & labores suos elocarunt. Inde fit, vt, cùm veritas & iustitia sophisticis præstigiis opprimantur, multæ & infinitæ postmodum calamitates in ipsas Respub. introducantur: qua in re essem prolixior, nisi existimarem, omnes bonos indubitata fide intelligere, stationem illam, in quam Deus ipse gubernatores collocauit, non otiosam & ludicram quandã palæstram, sed veram speculam generis humani esse, ex qua Deus religionem, iustitiam, legum & disciplinæ seueritatem retineri vult & commonstrat. Hæc ideò pro mei tenuitate ingenij circa Magistratus & iudiciorum tractationem allata sunt, quia longo vsu, & magna obseruatione iam non semel deprehendi, in multis rebus publicis, præsertim verò in hac, quam describimus, multas accessiones, & incrementa, non aliunde, quàm à maturitate consilij promanasse, & cum publico bono ad posteritatem felici quodam successu prouenisse. Nam in primis puto factum esse, vt prudentia huius honorifici Magistratus multa instituta fuerint, quæ, vt sæpè dictum est, hanc Rempub., non semel in summa omnium rerum ac temporum difficultate versantẽ, conseruarunt; cùm subinde ex huius iudicio pro temporum condicione sint institutæ sanctiones, nouæque præscriptæ leges non solummodò circa causarum cognitionem, & sontium pœnas, verumetiam circa rationem politicam, populos ipsos ac clientes Reip. subditos concernentem, sic sanè, vt minimè dubitandum sit, rem aliquantulum penitiùs introspicienti, quin ratione huius officij corpus ciuitatis in duas veluti diuisum partes, æquabilitate tamen & concinnitate quadã illæsum & incolume retentum & reseruatum semper fuerit: quarum certè partium ea maior esse videtur, quæ principalem dignitatem, supremumque illum Senatum cum aliis decuriis & ordinibus coniunctum, continet & denotat: altera verò minor & inferior ea de causa censetur, quia hunc

Lex Aquilia.

dumtaxat Magiſtratum repræſentat, potiſſimùm cùm prior ab ipſo prætorio, vel, ſi mauis, ſupremo tribunali regatur, vniuerſamque vrbem complectatur: poſterior, Georgiani Senatus beneficio & munere omninò contineatur. Proinde, cùm Reſp. in duas tantummodò partes diuidatur; prior, vt eſt præſtantior, quia communitatem ipſam complectitur, ſic certè periculoſior, quò magis variis fortunæ caſibus & tyrannicæ oppreſſioni ex Principum licentia & gubernatione pateat. Poſterior verò, cùm magna ex parte hoc periculo careat, tantò admiratione dignior eſt, quantò nunquam hactenus à Philoſophis, vel aliis de Rerumpublicarum inſtitutionibus ſcribentibus animaduerſa, vel delineata fuerit; præſertim cùm eodem circuitu atque ambitu vnius ciuitatis, eodemque etiam tempore poſſit per partium factiones & ſtudia eſſe imperij formula, quam tyrannidē intelligo, ac libertatis etiā aliqua imago, corrupta tamē, & ad ciuilē ſocietatē inidonea: cùm neminem lateat, in diſtracta, inæquabili, & bipartita ciuitate, ipſam iuſtitiam exulare, vel ciuium animos in vera communione & conſenſione coaleſcere nequire: à quibus vitiis iuſta hac diſtributione & iſonomia quàm longiſſimè ſemper hæc Reſp. abfuit, & in poſterum, Deo fauente, in perpetuum aberit.

Octouiratus Georgiani Magiſtratus

Deinceps verò de huius collegij Georgiani octouiratu dicemus. Solent nimirum ex ordine lectiſſimorum virorum octouiri, quos ipſi Protectores vocant, huic potiſſimùm collegio præfici; quorum ſcilicet conſilio & auctoritate omnis eius adminiſtratio & cura geratur: eſtque huius muneris præfectura vnius tantummodò anni ſpatij. Vno quoque ſiquidem ſemeſtri quatuor ferè ex omni creditorum ciuium numero eliguntur, quorum electio hoc ferè modo inſtituitur, vt ſortitione ex omni ciuium creditorum numero facta, octoginta ex vrna educantur, quibus ſtatim coëuntibus, iterum de ipſis ſuffragia habentur, adeò vt octoginta globulis in vrnam coniectis, prima ſortitione viginti quatuor eductis, confeſtim perlectis eorum nominibus, in certum conclaue ſeorſum conuocentur, inque tantiſper nulla exeundi facultate data, permaneant, donec ex omni illo viginti quatuor numero octo Protectores creati & renunciati fuerint, ſic vt nemo in huius octouiratus ordine recipiatur, niſi ſexdecim ciuium prædictorum ſuffragatione. Ceterùm, cùm multa vel neceſſitate temporis, vel etiam longa conſuetudine ſoleant immutari; non mirum, ſi & huic collegio non ſemper idem tenor & ordo conſtiterit. Nam anno ſalutis humanæ ſupra milleſimum quadringenteſimum quadrageſimo quarto huic magiſtratui aliud collegium paris numeri à Patribus ipſis conſcriptis communibus ſuffragiis adiunctum fuit; quod quidem vt auctoritate & dignitate priori eſt inferius, ita etiam appellatione differt, quippe munus viginti quatuor vocari ſolet: & videtur non ſine graui conſilio euenisſe, vt hoc, de quo nunc agimus, collegium priori adiungeretur: quoniam cùm collegium Georgianum ſucceſſu temporis, ac ferè triginta ſeptem annorum decurſu mirum in modum eſſet auctum & amplificatum, ita vt non niſi cum ſummis moleſtiis atque perenni cura iſti octo Protectores ipſi collegio præpoſiti, propter ſummas ingruētes occupationes negotiorum molem & onus ſuſtinere & abſoluere poſſent; factum fuit; vt ſumma neceſſitate adducti, ſubſidiū à ſubdelegatis requirerent, qui ſibi operam & induſtriam fidelem omnibus in rebus præſtarent, potiſſimùm cùm emolumenta & reditus illorum ſapienti adminiſtratione in immenſum excreuiſſent, adeò vt theſaurus publicus horum beneficio maiori ſui parte contineatur: & ab eo tempore perpetua quadam ſerie hoc inferius collegium inde ſemper in hunc vſque diem quotannis inſtitutum eſt: cuius certè Magiſtratus auctoritas tanta eſt, vt in poteſtate ac ditione Cyrnum

num insulam multasque alias vrbes & non minimi momenti municipia habeat; quorum locorum reditus & vectigalia plerumque ad tuendam amplitudinem Senatus conferuntur. Satis ampliter puto superius ostensum esse, quænam huius Reip. forma & institutio pro temporum varietate ac vicissitudine subinde fuerit; ac quo in statu ad annum vsque vigesimum septimum supra millesimum quingentesimum constiterit, quo exacto, Principis Andreę Auriæ auctoritate, propter præclara gesta, summamque in patriam fidem & indefatigatum laborem, communi omnium consensu in Repub. florentis, confirmata, & publicis suffragiis corroborata fuit; ac sollemni Senatusconsulto sancitum, vt ex eo præscripto ac instituto omnia deinceps consisterent atque constabilirentur. Proinde cum incredibili totius vrbis lætitia & voluptate huic rei applausum atque assensum fuit, adeò vt, sublata omni seditionum ac simultatum ansa, vniuersa ciuitas in animorum quadam consensione coaluerit: in eaque tranquillè ac pacificè perseueratum est, vsque ad annum eiusdem sæculi quadragesimum septimum; quo quidem tempore commissum fuit, vt propter noui decreti promulgationem, multis motibus & periculosis conuersionibus summa occasio in posterum præberetur, donec tandem quorundam optimorum iuxtà & potentissimorum Principum, de Reip. salute & tranquillitate solicitorum cura & diligentia, & in primis quidem Cardinalis Moroni Pontificij legati, viri, præter natalium splendorem, præstantissimis animi corporisque dotibus insigniti, singulari prudentia, industria, & auctoritate, ac immensa rerum gerendarum peritia effectum est, vt ciuium animi diuersis studiis distracti, necnon grauissimis dissensionibus laborantes, consopitis cõtrouersiis, obliteratisque priuatis contumeliis, ad pristinam concordiam, ac mutuam beneuolentiam redirent: & mox Reipub. administratio iis præcipuè commissa fuit, qui legitimum magistratum gerere solent, ac debent. Hæc postrema reconciliatio incidit in annũ eiusdem æui septuagesimum sextum. Ceterùm non me latet, multos fore, qui hanc meam historiam, ceu imperfectam, damnare, vel saltem meritò accusare posse sibi videbuntur, quòd scilicet ad calcem, continuata perpetua rerum gestarum serie ac enarratione, non perduxerim. Non inficior sanè, haud exiguam subesse seuerioribus æstimatoribus querimoniæ ansam, si horum vltimorum motuum causas, atque decursus, ceu extremum huius operæ nostræ laborem, exactè à me desiderent. His non habeo equidem quod fortius opponam, quàm modestiam, & animi candorem, omnia benignè atque sincerè interpretantis: ideoque meritò excusabor, si huius nostræ Reipublicæ vltimè subsecutam conuersionem, singulatim, & prout quæque res gesta fuerit, assiduo contextu non explicauerim; præsertim cùm viderem, me diligenti inquisitione nihil, præter meras coniecturas, deprehendere potuisse. Proinde satius esse duxi ab his quæ mihi essent ambigua, supersedere, quàm temerè historiæ nostræ seriem turpi mendacio aspergere. Interim tamen id vnum, quod hac in parte præstare potuimus, nullo modo negleximus, vt scilicet vltima Reip. constitutio certis Senatus consultis, ceu diuersis capitibus delineata, his nostris laboribus coniungeretur. Ex hac nimirum, ceu ex limpido speculo, videre cuiuis licebit, quàm graui consilio, post tot longas deliberationes, à Senatu aliisque Patribus conscriptis, allaboratum fuerit, vt Reip. status emendaretur, & tranquillitatis constituendæ causa antiquatis multis legibus atque Senatus consultis, superioribus temporibus pro illorum condicione & diuersitate sapienter excogitatis & latis, noua Reipub. forma induceretur; ad quam deinceps, tanquam ad filum Ariadnæ, mores & disciplina

sciplina Reip. duceretur & attemperaretur. Hinc etiam omnibus rectis ac bene institutis ingeniis manifestum clarumque, vti arbitror, fiet, quanta prudentia, rerum difficultates interdum superantur, quanta denique sollertia adhiberi oporteat, vt, collapso rerum statu, Reip. dignitas restituatur, & amputatis atque resectis ex eadem omnibus contagiosis membris, eiusdem corpus curetur, sic me hercle, vt in posterum non citra iniuriam temporum similis Reip. pestis verenda sit. Hoc si præstiterit amplissimus huius Reip. Senatus, testes illi, quorum iudicium longo vsu atque rerum experientia est probè informatum: Ego, absit omnis assentatio, nihil vnquam vidi præstabilius, nihil dico cum maiori sapientia coniunctum, quàm illam Reip. formam, quæ nunc in manibus hominum est, & exempli petendi causa ab omnibus cordatioribus euoluitur. Faxit Deus opt. max. vt correctum atque egregiè emendatum Reip. statum, posthac magis atque magis concordia fulciat, & perpetuis, rectis, atque sanis consiliis ad sui gloriam, religionisque Christianæ propagationem stabiliat atque conseruet. Ita fiet, vt florentissima Resp. cum maximis quibusque ciuitatibus non solùm se exæquare, sed iurè multas multis parasangis superare possit.

FINIS.

AD CANDIDVM LECTOREM.

QVanquàm non ignorem, beneuole atque amice lector, huius nostri noui fetus nimiam festinationem, dicam, an præcipitantiam, in plerisque tibi stomachum mouisse, quòd scilicet multa à me negligenter, nonnulla incondito stylo, vt necessariò in tanta properatione, ac tanti operis varietate & magnitudine cõtingere solet, dicãtur, quæ iure optimo à seuerioribus ingeniis reprehẽdi possint, ac debeant, nihilominus tamen confisus tuo ingenuo candore atque animi beneuolentia, non veritus fui hunc nostrum qualemcumque laborem in manus hominum emittere, atque adeò tuis oculis ac censuræ subiicere, non certè alio inductus studio, quàm bene de optimo quoq., ac in primis quidem de ipsa posteritate, dum amplissimæ Reipub. Genuensis res gestas Latinis literis illustrarem, promerendi. Nec vtar in excusanda hac mea festinatione longa verborum serie, cùm vnusquisque facilè per se, modò ad huius nostræ historiæ lectionem debitum candorem ac rectitudinem iudicij attulerit, perpendere ac æstimare valeat, quàm multa, etiam sagacissimum atque oculatissimum scriptorem, à quo equidem, vt verum fatear, multis parasangis absum, in tanta rerum diuersitate effugiant, quæ nisi temporis decursu ad incudem reuocari, & perfectius absolui possunt. Verumenimuerò cùm huius nostræ operæ moles tanta fuerit, vt tantùm non oneri succubuerim, spero me facilè gratiam ab humanitate tua impetraturum, etsi omnia pro dignitate historica non dixerim, si omnia denique eo ordine qui maximè requiritur, non recensuerim. Quandoquidem, vt ingenuè quod res est, eloquar, rerum cõcatenatione ac perpetuo quodammodò nexu implicatus, vltra instituti nostri operis atque destinati laboris sepimenta & limites longè sum prouectus. Memini enim, me statim ab operis nostri exordio, nihil perinde habuisse antiquius, quàm veritatis ac breuitatis studio placere & commendari. Sed quid agas? Tanta fuit multarum rerum perplexa cognitio, atque haud paucarum intricata inuestigatio, vt illa, nisi multo cum sudore ac temporis interstitio ex probatissimis auctoribus inuestigari atque erui nequiuerint, adeò profectò, vt hac difficultate præpeditus, multa mihi obiter circa aliquam retractationem, licet me inuito, instante, ac citra intermissionem vllam vrgente typographo, hoc tempore euulganda fuerint. Nolui tamen committere, Deo fauente, quin temporis opportunitate adiutus, errores admissos, quos nec Lynceus in tanta, vti dixi, celeritate facilè animaduertere queat, quoad eius fieri poterit, recognouerim, recognitos emendauerim, ac opus meum à lituris & mendis, quæ tibi haud dubiè in oculos incurrerunt, & passim sese dederunt obuiam, vindicauerim & repurgauerim. Interim erit tuæ humanitatis atque beneuolentiæ, hos nostros admissos errores non solùm non reprehendere, sed candidè atque humaniter excusare. Ita proculdubiò fiet, vt me, meapte natura promerendi tui studio mirificè flagrantem atque incensum, deinceps ad ea quæ adhuc in vmbra inter priuatos nostros parietes imperfecta delitescunt & reseruantur, modò vita supersit, perpolienda, & ad publicam vtilitatem euulganda, alacriorem reddas. Fruere interim his nostris vigiliis & assiduis lucubrationibus, non aliunde certè profectis, quàm quòd maiorem posteritatis, quàm præsentis fructus, vel vllius emolumenti rationem haberemus. Quod cùm ita sit, & multis cordatis viris exploratò constet, tui erit officij, petulantiores linguas tua salutari admonitione, ceu iniecto freno, à virulenta dicacitate & mordacitate inhibere. Sunt enim aliqui blaterones, quorum lingua tam est prodiga, volubilis atque infrenis, vt semper fluat, ac æstuet colluuione verborum humidorum & lapsantium, non immeritò ab optimis quibusque vtriusque linguæ principibus omnium ætatum semper reprehensi & taxati, nimirum quòd egregiè viderent atque intelligerent, ipsis verba non in pectore, vt Homerus Vlyssem hoc nomine summoperè commendat, sed in labris atque in ore nasci. Tuæ igitur etiam erit singularis benignitatis, me ab omni calumnia vindicare, & illorum petulantiæ tuam modestiam fortiter opponere. Hæc enim nullis quàm

erudi-

eruditis atque ingenuis hominibus ſcribuntur. Abutantur alij aliorum laboribus, vt volent, & ſycophantico more proſcindant nos pro libito publicè, ac priuatim; nihil moror, dummodò intellexero, hos noſtros labores non aliunde pretium ſumere, quàm ab optima & integerrima benemerendi voluntate atque conſtantia; parum meduſidius de illis ſolicitus, quos vitium loquendi atque obtrectandi tenet, non aliter quàm veternoſum ſolet excruciare bibendi ac dormiendi morbus. Ceterùm, vt huic narrationi finem faciam, epilogi loco obiter dixero, nihil me magis in præſentiarum habuiſſe in votis, quàm hunc noſtrum partum, tot, vti diximus, nævis & maculis aſperſum, abluere, & in meliorem formam redigere ac reponere. Sed quòd vererer, hunc noſtri laboris fructum, qui non aliò reſpicit, vti iam ſæpe dixi, quàm ad vtilitatem publicam, & ad Reip. Genuenſis dignitatem amplificandam, præuentione interceptum iri, non grauatè hoc conſilijs ac precibus amicorum dedi, vt hoc opus, qualecumque etiam eſſet, in lucem emitterem, ſperans, me deinceps omnia diligentius, quàm hactenus, vti etiam ſuperius memini, recogniturum & emendaturum. Vale, ac me, quæ tua eſt humanitas, ama.

EMENDANDA ET ADDENDA.

Pagina 2. circa finem totus *pro* totius. *pag. 3. ſub initium lege* vrbem ipſam ſub temperatiſſimo cælo conſtitutam &c. *pag. 6.* inuadi *pro* adoriri. *pa. 7. lin. 21.* hoſtibus *pro* hoſte. 12. ratas facerent *pro* ratificarent. 13. *lin.* 12. Brixiani *pro* Brixiam. *In eadem pagina obſeruabis,* Amicum Grillum & Rogerium Iuſtinianum fuiſſe patricios Genuenſ. & propterea minimè ablegatos fuiſſe à rege Siciliæ ad Senatum, ſed contrà eueniſſe, vt ſcilicet ipſi à Senatu ad Siculum regem mitterentur. 15. vereque *pro* vera. *3. ſub finem;* eſſent *pro* erant. 46. *lin. 6. poſt* fœderatos *deeſt,* in promptu atque ad manus habebat. 66. *lin. 13. lege* Chriſtina *pro* Chriſtiana, & Georgij *pro* Gregorij. 68. *lin. 26.* iuxtaque *pro* iuxta. 83. *lin. 7.* conſenſu *pro* conſenſum. 99. 2. ſubinde *eſt ſuperfluum.* 109. 37. *lege* ex Alpibus agminatim. 100. 16. Orientale *pro* Orientalem. 123. *diſtingue* exerciti militiæ, 145. 9. Iliadem *pro* Iliadam. 153. 31. quibus *pro* quo. 161. Sauonenſis *deeſt* Epiſcopi, *circa finem.* 167. 20. Rep. *pro* Reſp. 184. 28. ægerque animi *pro* ægei. 186. 31. *lege,* incolumitas bonorum conſeruari poſſit. 189. *ſub finem,* legem ſancitam eſſe, *pro* lex ſancita eſt, 192. 10. aſpera *pro* aſperæ. *ſub finem eiuſdem pag.* ipſe, *pro* ipſi. 199. 33. reſpondiſſe *pro* reſpondit. 202. *vltima lin.* Saxelum *pro* Sacellum. 204. 5. indeque *pro* inde *rurſus eadem pag.* Grimaldum *pro* Grimano. 205. *lin. 18. lege* eodem anno ingenti caritate ac pænuria vini laboratum, 207. *lin. 11.* nihil tum amplius. 210. *in pen. ult. lin. lege* Ioanne Carolo Aenobarbo, vulgò ab Eijſenbarde. 211. 24. Aloſtain *pro* Alcſtain. 218. *vlt. lin.* æmulis *pro* amulis. 219. 17. collocarat *pro* collocarant. 220. 20. fuerint *pro* fuerunt. 255. 2. Baracellum *pro* Baracellum. *eadem pag.* Macium *pro* Maciam. 272. 24. exorta *pro* exortæ. 606. *pen. lin.* tolerantia *pro* intolerantia. 285. *lege* Ioanne Philippo Fliſco. 306. *ſub finem deeſt* ad officium redigeretur. 307. aliorumque *pro* aliorum. *item* quòd ſi præſtarent *ſine accentu.* 308. *circa initium* ſufficeret *pro* ſufficerent. 325. conſtitutam *pro* conſtitutum. 423. conſtituerat *pro* conſtituerant. 342. *lege* quoad eius fieri poſſet. 357. 2. Ciboum *pro* Ciborum. *362. vlt. lin.* ruſticabantur *pro* ruſticabatur. 570. Ciboum *pro* Ciborum. 381. 21. Miolanium *pro* Mediolanum. 425. *circa finem* Iulio ſecundo *pro* tertio *legendum* 427. 13. ſui *pro* ſiue. 430. 21. *lege* ſi pari *&c.* 431. *ſub finem* cecidiſſe narrant. 449. cum Franciſco *pro* Ludouico. 453. denunciabat *pro* denunciabant. 478. 14. *deeſt* ad maiorem in poſterum &c. 509. *in medio pag.* exercuit *pro* excreuit. 533. *tertia lin.* infelicitatis *pro* felicitatis. 553. *ſub finem* inuoluatur *pro* inuoluantur. 570. *in medio paginæ pro* inter vtrumque regem, *lege* inter Gallos & Hiſpanos. *In margine pag. 354. loco* Pauli Fulgoſij *apponatur* Proſperi Adurnij. *Item in margine* 367. Conradi Stanghæ Mediolanenſis Principis legati.

Reliqua, ſi quæ inciderint errata, benignum lectorem facilè condonaturum ſpero.

LEGES NOVÆ REIPVBLICAE GENVENSIS,

A LEGATIS SVMMI PONTIFICIS, CÆSARIS, ET REGIS CATHOLICI,

In quos per Rempublicam collata fuerat auctoritas, conditæ,

ET GENVÆ DIE XVII. MARTII M. D. LXXVI. PVBLICATÆ.

PROOEMIVM.

POST restitutam Genuensi Reipublicæ Libertatem, quæ Andreæ Principis Auriæ, ciuis optimi, ac de Patriæ dignitate, & salute potius, quàm de propria solliciti, virtute, & beneficio donata, ac recuperata fuit: cæperunt paulatim, ac sensim in animis Ligurum serpere tacitæ simultates, ac occulta dissidia, quæ postmodum tractu temporis, crescente hominum cupiditate, & ambitione, florentibusque diuitiis (vt opulentiæ comes est superbia) ita exarserunt, vt natæ continuò ex nimia felicitate intestinæ seditiones, publicos in ciuitate tumultus, & ciuilia bella excitarint. Iamque eò ventum erat, vt omnes Italiæ Principes ex his rerum initiis, supremas, ac miserabiles periclitantis Reipublicæ clades ominarentur, atque inde timerent, ne bellum in Italia omnibus exitiabile, nec facilè extinguendum exardesceret: Quando Gregorius Decimus tertius Pontifex Maximus, Maximilianus Cæsar Secundus, & Philippus Secundus Hispaniarum Rex, de Reipublicæ Genuensis salute anxij, ac Italicæ quietis studiosissimi, singulari clementia, ac pietate permoti, Legatos ad Rempublicam miserunt, qui eorum auctoritate, & prudentia, tumultibus, dissidijs, & controuersijs sedatis, restitutaque pristina quiete, Italicis tumultibus iam pullulantibus occurrerent. Hi fuere Ioannes Episcopus Ostiensis Cardinalis Moronus, Sacri Collegij Cardinalium Prior, Legatus è Latere, &c. Petrus Faunus Costachiarius Acquensis Episcopus, ac Imperij Princeps, Oratorque & Commissarius Cæsareus: Don Carolus à Borgia Gandiæ Dux, ex primarijs Hispaniarum proceribus: Et Don Ioannes de Idiaquez, Catholici Regis Consiliarius, & apud eosdem Genuenses Orator. Expositis autem Principum suorum mandatis, & obtentis à Republica, pro ea reformanda, amplissimis facultatibus, nihil habuerunt antiquius Legati, quàm Rempublicam malè compositam, ac proinde fluctuantem, sanctissimis Legibus, & Decretis instituere, ac stabilire: Ligurumque ingenia nimia felicitate lasciuientia, & inter se dissidentia componere. Id, quod DEO optimo maximo bonorum omnium auspice, & authore, fuerunt consecuti. Quod igitur felix, faustumque sit, prodeunt in lucem sacrosanctæ Leges pro Genuensis Reipublicæ reformatione, sub felicissimis tantorum Principum auspicijs conditæ, quibus posthac in ea ciuitate viuendum erit. Quæ vti à prudentissimis viris, & suapte natura, & ingenio, quàm maximè ex Principum suorum iussu Genuensis libertatis studiosissimis, summa diligentia, & studio compilatæ sunt; ita ab omnibus istius Reipublicæ ciuibus alacri, & prompto animo recipi, admitti, & tamquam sola, & vnica salus labentis, & cadentis Reipublicæ, & Libertatis obseruari debent.

IN NO-

IN NOMINE SANCTISS.MÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

IOANNES EPISCOPVS OSTIEN. CARDINALIS MORONVS, SACRI COLLEGII PRIOR, SANCTAEQ. SEDIS APOSTOLICAE DE LATERE LEGATVS, &c.

PETRVS FAVNVS COSTACHIARIVS, SACRI IMPERII COMES, ET PRINCEPS, EPISCOPVS ACQVENSIS, CAESAREVSQVE ORATOR, ET COMMISSARIVS, &c.

DON CAROLVS A' BORGIA GANDIAE DVX, &c. ET DON IOANNES DE IDIAQVEZ, SACRAE CATHOLICAE MAIESTATIS CONSILIARIVS, ET APVD GENVENSES EIVSDEM ORATOR, AMBO MINISTRI CATHOLICI REGIS, &c.

DE RELIGIONE.

CAPVT I.

ADMONENT nos & sacrosanctæ Leges, & Prudentum responsa, vt, antequam de formanda Republica, & de humanis Legibus condendis cogitemus, ad Christianæ Religionis cultum respiciamus. Adducimur etiam exemplo nonnullarum Prouinciarum, quæ statim atq. à Religione Christiana deuiarunt, & declinarunt, ipsæ etiam declinare, ac demum ruere cœperunt. Propterea prospiciẽtes Rempubl. Genuensem semper, & omni tempore Christianæ Religionis cultricem fuisse, existimauimus illud tantum esse prouidendum, vt illustrissimus Dux, & Gubernatores statim atque petitum fuerit à reuerendissimo Antistite, in causis quæ ad forum suum spectant, & à reuerendo Inquisitore, pro coërcendis, & castigandis Hæreticis, & suspectis, brachium, & auxilium suum promptè concedere debeant. Insuper aduertent, & cauebunt ne aliquid contra clericorum personas, bonáve Ecclesiastica, eorúmve immunitates, aut aduersus Ecclesiasticam libertatem aliquid committant, aut à Magistratibus committi permittant. Et quoniam Principis, & supremorum Magistratuum mores in ciuitate maximè obseruantur, & spectantur, excitanturque populi, & subditi maiorum exemplis ad eorum imitationem; vt cultus diuinus principaliter obseruetur, hortamur excellentissimum Ducem, Magnificos Gubernatores, & Procuratores, ceterosque in ciuitate Magistratus, vt diebus saltem Paschatis, & Natiuitatis Domini, in Ecclesia Archiepiscopali à reuerẽdissimo Præsule sanctissimam Eucharistiam publicè, & reuerenter sumant; diebus sollemnibus in Ecclesia maiori manè conueniant; ibi diuina, Verbumque Dei audiant, & tempore Quadragesimæ prædicationibus frequenter intersint.

Constitutio vnici ordinis, & de reassumendis naturalibus familiis.

CAPVT II.

AD Reipublicæ Genuensis instaurationem, aut potius institutionem manum apposituri, iuxta Principum nostrorum facultatem, & auctoritatem, illud primò ante oculos habuimus, nihil esse quod rectè institutam Rempublicam facilius labefactare, eiusque radices, ac fundamenta radicitus, & funditus extirpare, atque euellere possit; nihil quod eiusdem vitalem spiritum penitus extinguere valeat, quàm ordinum, nominum, colorúmve diuisio, & disparitas, ac pernicioſæ in ciuitate ciuium factiones. Neque enim dubitandum est, quin statim atque abominanda hæc pestis in Republica fundamenta iecerit, ciues omnes, posthabito publici, ac communis boni, & commodi studio, ac desiderio (quod in libero ciue præcipuum esse deberet) ad proprij coloris augmentum, & ad contrariæ factionis oppressionem temerario impetu ac cursu impellantur: quæ postmodum futuræ & proximæ Tyrannidis

ſpeciem aut imaginem referunt. Id, quod in hac potiſſimùm Genuenſi Republica prium, & præcipuum eſſe, tum priſca, & vetera, tum etiam noua exempla (quod ſummæ miſerationis eſt) clariſſimè demonſtrant, & oculis noſtris ſubiecerunt. Hiſce igitur exemplis, imo certa ratione commoti (quod inſtaurandæ huius Reipublicæ caput, & baſim exiſtimauimus) hac perpetua, & inuiolabili Lege ſancimus, & decernimus, tollendas eſſe omnes diuiſiones, quæ hactenus in hac ciuitate malo ſuo extiterunt, tam quæ nomina, aut cognomina perſonarum, quàm quæ ordinum, colorum, factionum, aut locorum denominationem concernunt; atque ita tollendas, vt & radicitus extirpatæ, & à memoria hominum deletæ, & abolitæ penitus, & in totum eſſe cenſeantur. Et vt facilius hoc animi noſtri propoſitum executioni demandari poſſit: volumus, & expreſsè mandamus, abroganda, & antiquandà eſſe nomina nobilium Veterum, & Nouorum, ſeu Aggregatorum, aut Popularium, eorúmue, qui intus, foríſue ſunt, Porticuumque ſanctorum Petri, & Lucæ, & omnia alia nomina, cognomina, appellationes, & denominationes, tam perſonarum, quàm colorum, aut factionum, familiarumque, aut (quod dicitur) Albergorum, necnon locorum, & porticuum, quæ hactenus in vſu, aut potius ab vſu fuerunt; & omnia alia, quibus inter ciues diuiſio induci, aut conſeruari poſſit; ita vt qui poſthac haſce abominabiles recordationes, aut quamlibet earum renouare, aut inſtaurare auſus fuerit, aut de eis contentiosè loqui, omnibus honoribus, & commodis Nobilitatis ipſo iure, & facto priuatus cenſeatur. Declarantes inſuper pro bono, iuſto, quieto, & pacifico Reipublicæ regimine, omnes, qui nunc in libro Ciuilitatis deſcripti ſunt, & qui in futurum iuxta legum noſtrarum formam deſcribentur, & omnem earum diſpoſitionem explebunt, ita in ipſa Reipublicæ adminiſtrandæ iuriſdictione, & auctoritate eſſe pares, & æquales, vt nulla penitus diſparitate, aut inæqualitate diſcernantur, & non minus, ac ſi eadem die, & hora omnes ad moderandæ Reipublicæ facultatem promoti, aut euecti fuiſſent. Volumusque nunc, & perpetuò adeſſe vnum, ſolum, & ſingularem, nullisque terminis, aut numeris diuiſum Nobilitatis, & ciuium Rempublicam adminiſtrantium ordinem.

Inſuper cùm vſus ipſe planè docuerit omnes haſce priuatas ſimultates, ciuiliaque, ac inteſtina diſſidia originem, fomentum, ac incrementum habuiſſe ab his aſſumptionibus alienatum familiarum, & inſignium, quæ per eos qui Nobilitati aſcribebantur, hactenus factæ fuerunt; volentes hanc malorum omnium radicem, & caput tollere, & extirpare; Mandamus, & enixè iniungimus omnibus, & vniuerſis ciuibus in libro Ciuilitatis deſcriptis, & qui ab anno 1528. citra alicuius familiæ nomen, & ſtemmata aſſumpſerunt, vt in futurum, & perpetuò ipſi, ac eorum deſcendentes propriæ, ac naturalis familiæ inſignibus, cognomine, & denominatione tam in voce, quàm in quacumque publica, aut priuata ſcriptura vtantur, dimiſſo penitus nomine, & appellatione cognominis aſſumpti, & inſignibus. Non obſtantibus quibuſcumque Statutis, Legibus, Decretis, aut conſuetudine, in contrarium diſponentibus. Idem intelligatur in omnibus, & per omnia in his qui in futurum in ordinem Nobilitatis cooptabuntur.

Declaratio artium Mechanicarum.

CAPVT III.

ANGVSTIÆ loci, & hominum multitudini, ac regionis ſterilitati compatientes, ipſius denique ciuitatis antiquum morem maturè conſiderantes; Declaramus artes infraſcriptas, ſi modò quæ infra exerceantur, nihil præiudicare Nobilitati; artes ſcilicet Serici, Lanæ, & Pannorum, quas vulgus Seateriam, Lanariam, Pannariá & Draperiam vocat. Eademq. ratione artem eam qua quis merces omnium rerum in magna quantitate, & non minutatim vendendas in officina aliqua retinet, qui lingua materna *Fondaghieri all' ingroſſo* nuncupantur; dum tamen Nobiles ipſi neque eas propriis manibus exerceant, neq. in apotheca reſideant.

Notarios inſuper, qui inſtrumenta, & vltimas hominum voluntates domi ſuæ, vel in infirmorum ædibus conficiunt; dum tamen nec ſcamnum, ſeu apothecam priuatim, aut publicè retineant, nec præcepta ſcribant, minusque apud aliquod tribunal actuarij exiſtant; dignitati ſuæ, ac Nobilitati nequaquam derogare decernimus.

Nobiles præterea, qui rei nummariæ, ac cambiorum negotiationi operam dant, dummodo contractus fœneraticios, & cambia illicita, & à ſanctionibus Pontificiis damnata non exerceant, ad Magiſtratus, & alias ipſius ciuitatis dignitates admitti poſſint. Si ſecus feciſſe legitimè damnati fuerint, vltra alias pœnas à iure inflictas, omnibus Magiſtratibus, ac dignitatibus, & in adminiſtratione Reipublicæ honoribus ipſo iure priuati ſint. De his

De his verò Nobilibus qui publica vectigalia, quas gabellas passim nuncupamus, & publicos redditus emunt, conducúntve, illud statuendum esse duximus, vt inter Nobiles censeri valeant, si à mercenariis, & exploratorum officiis hoc in negotio abstinuerint, & præsertim si nec ad portas, pontésve in spectandis mercibus, nec in lustranda regione pro explorandis fraudibus, vel mercede conscribendis licentiis, aut libris, aut aliis huiusmodi operam suam impenderint.

Eos quoque summa ratione à Nobilitate non esse excludendos arbitrati sumus, qui nauigationi egregiè operam dant: quòd antiqui Genuenses his artibus magnum Patriæ, & sibi nomen compararunt, posterisque suis gloriam propagarunt, indeque quotidie Vrbi ipsi maxima commoda proueniant. Itaque Nauarchos, quos vulgus magnarum Nauium, & Triremium Capitaneos, & Patronos vocat, nequaquam Nobilitati suæ derogare decernimus.

Ceteras autem omnes alias artes, in quibus manuum artificium versatur, & præsertim quando res emuntur, vt in aliam formam manuum opera mutentur, & vendantur, Mechanicas, & Nobilitati repugnantes declaramus.

De Nobilibus nunc, & quotannis creandis.

CAPVT IIII.

CVPIENTES Rempublicam hanc quotidie magis augeri, & florescere, existimauimus nihil esse quod ei maius incrementum afferre possit, quàm si bonis ciuibus, & qui in Rempublicam propenso sunt animo, quorum numerosa est in hac ciuitate copia, consequendæ Nobilitatis præmia proponantur: hoc enim pactò fiet, vt multi hac spe gloriæ, & honoris allecti, ad virtutem, ac ad de Republica benemerendum accendantur.

Nobiles pro hac prima vice quomodo creandi.

HI igitur qui hodie ad Nobilitatem aspirant, vel eam quouis iure, aut decreto sibi deberi prætendunt, describi se curabunt apud quem Senatus decreuerit. Mox ex illustrissimis duobus Collegiis quinque sorte extrahentur, qui pro hac vice Magistratus officio fungentur. Iurabunt isti in primis in manibus Ducis se legaliter, & fideliter, ac secreto munus suum expleturos. Habebit hic ordo notulam omnium prætendentium, seu candidatorum, & omni diligentia, fide, ac silentio sine scriptura aliqua singulorum qualitates inquiret, receptasque vniuscuiusque informationes Senatui, duobus Collegiis, ac minori Concilio simul coactis fideliter referet. Quibus maturè perpensis, si quis eorum duas partes ex tribus suffragiorum feret, ascriptus Nobilitati censebitur; qui verò secus, pro ea vice à Nobilitate excluſus erit. His, qui hac prima vice inter Nobiles assumi cupiunt, si Genuæ, vel in Dominio fuerint, statutum intelligatur tempus sex mensium à die promulgatarum præsentium Legum, intra quod assumi curent; his verò, qui absentes erunt, anni vnius. Quòd si in dicto tempore non assumentur, sciant se omnino, & prorsus excluſos esse à sua prætensione. Non obstantibus quibuscumque Decretis, siue generalibus, siue particularibus, aut descriptionibus quibuscumque; quæ omnia penitus, & in totum irritamus, & annullamus. Declarantes hisce saluum esse ius tantum, hanc assumptionem obtinendi in numero eorum qui quotannis ad Nobilitatem euocandi sunt: si modò seruarint ea quæ in præsenti Sanctione sancita sunt. Cetertim his qui hac prima vice ad Nobilitatem aspirant, non oberit artes Mechanicas exercuisse: modò eas omnino dimittant ante assumptionem. Aliis autem qualitatibus, quas in his qui iure ordinario, & in singulos annos cooptandi sunt, requisiuimus, nullo pacto careant. Filij, quos Nobiles isti postmodum de legitimo matrimonio suscipient, & ipsi Nobiles intelligantur.

In Nobilium numero descripti, qui hactenus artes Mechanicas Nobilibus præsentium Legum vigore interdictas & exercuerunt, & exercent, intra annum à promulgatione præsentium, verè, & cum effectu eas dimittant. Interim verò priuilegiis Nobilitatis non careant. Quòd si intra alium annum, quem ex post ex gratia indulgemus, intra quem tamen perfrui Nobilitate non licebit, omnino artes Mechanicas non reliquerint, statim ipso iure, & facto perpetuò à Nobilitate electi censeantur. & vti Legum, & Nobilitatis contemptores, non possint amplius ad eam restitui. Horum filiis, dum pater inter Nobiles erat, natis non oberit paterna electio, modò ipsi à Mechanicis artibus abstineant, nec aliud priuatione di-

gnum committant. Post verò electionem, & ante adeptam Nobilitatem nati non censeantur Nobiles; sed virtute ad instar ceterorum viam sibi ad parandam Nobilitatem sternant.

Insuper statuimus, vt singulis annis in ipso Ianuarij mensis initio illustrissima Dominatio, cum duobus Collegiis, ac minori Concilio diligenter consideret, ac perpendat, an eo anno aliqui sint inter Nobiles adscribendi. quòd si visum fuerit aliquos cooptandos esse, non possit vltra decem, ex ciuitate scilicet septem, ex Ripariis verò tres, Nobilitate insignire. Cùm igitur de assumendis Nobilibus decretum fuerit, illustrissima Dominatio, descriptis omnibus vtriusque Collegij nominibus, curabit diligenter, vt sorte quinque extrahantur, qui omni diligentia, fide, silentio, & prudentia, & sine vlla prorsus scriptura informationes vniuersaliter sumant, quinam illi sint in ciuitate, & Ripariis, quos magis Nobilitatis splendore dignos, & Reipublicæ profuturos existimarint; vt suo tempore in Senatu, & minori Concilio distinctè, & sine vlla fraude referre valeant. Quod vt melius & salubrius efficere possint, coram excellentissimo Duce iuramentum præstabunt, quòd eorum munus fideliter explebunt. Et nihilominus qui vota dare debebunt, ipsi quoque notint, se ceterorum diligentia à propria negligentia non esse excusatos.

Hos autem, qui hoc splendore Nobilitatis cohonestari cupiunt, conuenit bonæ vocis, & famæ esse, ex legitimo matrimonio natos; ab omni arte Mechanica per triennium antè abstinuisse; omniq́ue hæreticæ prauitatis, seditionis, aut criminis infamiam irrogantis labe mundos esse; ciuitatemq́ue Genuæ, vel Ripparias (debitè referendo,) cum vitæ integritate, morumq́ue honestate diutina, maiorum habitatione incoluisse oportet.

Qua ratione ipsis ciuibus sit viuendum, & ad regimen Reipublicæ accedendum.

CIVES ipsi, postquam Nobilitate modo quo suprà insigniti fuerint, non possint amplius in futurum aliquam artem Nobilibus prohibitam exercere; alias ipso iure, & facto priuati Nobilitate perpetuò existant.

Ad Concilium autem maius non prius admittantur, quàm per quatuor annos Legem Nobilitatis seruarint. Ad minus Concilium, ac Magistratus, tam in dominio, quàm in ciuitate, dempto Senatu, Procuratoribus, ac supremis Sindicatoribus, non prius promoueantur, quàm sex anni fluxerint à die cooptationis in ordinem Nobilitatis. Inter Senatores, & Procuratores non describantur, nisi lapsis annis decem ab adepta Nobilitate. Ad supremum verò Ducatus culmen, non nisi annis quindecim elapsis, euehi possint. In reliquis verò aliorum Nobilium commodis perfruentur.

De conficiendo libro Ciuilitatis.

CAPVT V.

CVM administratio Reipublicæ Genuensis his tantùm ciuibus credita sit qui in libro Ciuilitatis descripti sunt, & pro tempore legitimè describentur; existimauimus conuenire, quòd liber hic certa aliqua cum ratione, & Lege compiletur, & regatur, conscriptusq́. diligenter custodiatur. Propterea volumus quàm primùm in libro egregiè compacto, & consuto, & numeris suis in vnaquaque pagina distincto, describi per Cancellarium, aut Scribam ab illustrissima Dominatione deputandum, præsentibus tamen illustrissimo Duce, & duobus ex Magnificis Gubernatoribus sorte extrahendis, omnia nomina eorum ciuium, & Nobilium Genuensium, qui in libro Ciuilitatis nunc descripti reperiuntur, cum eorum nominibus propriis, ac patrum suorum, & cognomine propriæ ac naturalis familiæ suæ, dimissa assumpta, si quam habent. His addi volumus nomina omnium quos ex his qui descripti sunt, legitimè natos esse constiterit: etiam quòd absentes à ciuitate sint. Alios verò, si quos describi continget, non nisi seruata forma à nobis præscripta, in eo libro referri volumus.

De libris Nobilitatis diligenter custodiendis.

CAPVT VI.

POSTQVAM Nobilitatis liber modo, quo iam sanximus, completus erit; volumus eius exemplar fideliter, & ad verbum expleri. Horum alterum illustrissima Dominatio, alterum magnifici Procuratores perpetui seruabunt. Nemo audeat super aliquo eorum scribere, nec no-

nec nouum aliquod nomen, aut familiam addere, aut iam inscripta nomina, aut familias delere, aut in eis, eorúmve aliquo quicquam penitus, nec syllabam immutare, nisi Cancellarius ad id per illustrissimam Dominationem deputandus; atque id, non nisi præsente, & mandante illustrissimo Duce, & duobus ad id muneris nominandis. nec super aliquo eorum aliquid inscribat, aut aboleat, nisi etiam super altero itidem perficiat. Et hæc omnia obseruari volumus sub pœna falsi. Statim autem ac omnia inscripta erunt, quæ illustrissimus Dux, & duo deputandi vt suprà mandauerint, libri in locis iam destinatis reponentur. Quòd si in aliquo horum aliquid abrasum, aut additum, quod suspicionem pariat falsi, comperietur, sciant hi quorum fidei librorum custodia commissa est, se huius temerarij facti, aut negligentiæ suæ rationem reddituros.

Compositio vrnæ pro Seminario maiorum Magistratuum.

CAPVT VII.

CONSCRIPSIMVS centum & viginti Patres ex toto Reipublicæ corpore summo studio & diligentia selectos; qui prudentia, virtute, rerum experientia, & in Patriam meritis visi sunt præstantiores. Qua in re illud tantum in animo habuimus, vt Reipublicæ conseruationi, & publicæ quieti hac optimorum virorum electione consuleremus. Eorum autem nomina in vrna reponi iussimus; vt maiorum Magistratuum, quorum consilio hæc Respublica in futurum moderanda erit, celebre, atque elegans sit Seminarium. Verùm non videtur plenè satis factum nostris mentibus; nisi etiam prouideatur, quo pacto Seminarium hoc, tanta cum ratione constitutum, à fraudibus, quæ contingere possent, tartum, tectumq. conseruari debeat; qua item ratione extrahendorum deficientium, aut eiiciendorum (si qui erunt) numerus singulis annis suppleri possit. Sancimus igitur in primis horum nomina cum familiæ, & patris denominatione in membranis, seu chartulis eiusdem materiæ, formæ, ac magnitudinis describi; easque vniformi ratione complicatas in capsula ferrea reponi debere; quæ sine trium clauium diuersarum ministerio aperiri non possit. Harum vnam excellentissimus Dux, aliam Procurator natu maior, tertiam verò Cancellarius ab illustrissima Dominatione deputandus seruabunt. Claudetur capsula hæc ita firmata in alia ferrea, quæ excellentissimi Ducis fidei committetur. Clauium autem duarum, & diuersarum quarum opera capsa hæc maior reseranda erit, altera apud vnum ex supremis Sindicatoribus qui alios ætate præcellat; altera apud vnum ex Legum Conseruatoribus custodietur.

Ad hæc volumus præcipuum librum confici, in quo vti diligenter & fideliter eorum ciuium nomina, prout in membranis, & chartulis quæ in capsula conduntur, iacent, descripta erunt, ita deficientium extrahendorum, nec non eorum qui tamquam facti indigni eiicientur, nomina, & ex aduerso nomina eorum quos in talium locum subrogari continget, indies referri debere decernimus. Huius autem libri custodiam, & rationem Conseruatoribus Legum committendam duximus.

Vbi electio aliqua facienda erit Gubernatorum, & Procuratorum; quæ in singulo semestri medio mense Iunio, & medio Decembri fiet coram duobus Collegiis, ac Concilio minori, adsistentibus etiam Conseruatoribus Legum; illustrissimus Dux capsam deferri mandabit, & per puerum annorum ad summum decem ab illustrissima Dominatione vocandum, quem tunc publicis impensis vestiri volumus, aperire, ab eaq. per eundem puerum quinque nomina, aut chartulas quæ prius sedulò commixtæ sint, extrahi; ex quibus, tres, quorum nomina primo loco educentur, Gubernatores, & duo postremi Procuratores constituantur: si tamen prius Conseruatores Legum eos superstites esse, & præsentes, vel non distantes à ciuitate centum millibus passuum, ita vt termino quindecim dierum vocati ad Magistratum accedere possint, nec ex Legum nostrarum serie aliquo modo factos indignos recognouerint. Si ex his qui sorte extracti erunt, aliqui mortui sint, aut postquam in vrna conditi sunt, facti indigni ex Legum nostrarum norma; nulla harum chartularum ratio habeatur: sed alij eorum loco statim educendi erunt per puerum. Quòd si in eis aliqui erunt absentes vltra centum milliaria, eorum nomina in vrnam, aut capsulam reponentur, aliis extractis. Si verò ex his quos puer primò educet, reperiantur duo, aut tres vnius familiæ, ita existimauimus conuenire, vt primus in Gubernatorum numerum electus intelligatur; secundus in Collegium Procuratorum cooptatus; tertij verò nomen, seu chartulam in vrnam reponi mandamus. Si verò ex vltimò extractis ambo reperiantur eiusdem familiæ, postremum in vr-

in vrnam coniiciendum esse, altero educto, volumus. Eorum munus biennio duret, quo lapso, omni Magistratu vacent.

Vbi supplendus erit numerus extractorum, mortuorum, & eorum qui vti facti indigni, eiicientur, quem omnino in fine cuiuslibet anni suppleri volumus; eliget mense Decembri Concilium minus, concurrentibus tribus partibus ex quinque suffragiorum, ex vniuersa Nobilitate duplicatum numerum eorum qui reponendi sunt in vrnam; qui tamen requisitis qualitatibus non careant. Horum nomina ad Concilium maius mittentur; quod, sumptis de more suffragiis, frequentiori calculo eliget eos qui ad complendum vrnæ numerum necessarij sunt; & vbi paribus votis contendatur, nec contentio bis sumptis suffragiis tolli posse videatur, tunc sorte ex eodem Concilio quinque eligantur, qui paritatis contentionem votorum imparitate tollent. Si de aliquo qui præsens sit, suffragia ferenda erunt, ipse omnino à voto abstinebit, ne in propria causa iudicium ferat. Idem intelligatur sancitum vbi de patre, filio, fratre, socero, aut genero suffragia ferenda erunt. Licebit vnicuique in Concilio minori vnum tantùm omnium votis discutiendum nominare; modò nec patrem, nec filium, nec fratrem, nec socerum, aut generum nuncupet. Horum, qui Concilij maioris iudicio aptiores fuerint existimati, nomina in chartulis, seu membranis conformibus, & paribus, vt dictum est, conscribantur, & in capsula recondantur, necnon in librum diligenter referantur.

Firmatio numeri Gubernatorum, & Procuratorum.

CAPVT VIII.

SANCIMVS in posterum Collegium Gubernatorum ex duodecim ciuibus consistere, Procuratorum verò ex octo, vltra perpetuos.

Quòd in Collegio Gubernatorum, nec Procuratorum non possint duo ex eadem familia esse.

CAPVT IX.

VT autem vnusquisque in partem munerum & Magistratuum se vocatum esse sentiat; volumus geminos ex eadem familia in Gubernatorum, nec Procuratorum Collegio eodem tempore positos esse; vnum verò in singulo Collegio concedimus, vltra Ducem, & perpe tuos.

De qualitatibus, quæ in Magistratibus ciuitatis requiruntur.

CAPVT X.

NVLLVS ad Magistratus, nec ad aliqua ex Conciliis assumatur, nisi habeat in ciuitate Genuæ domicilium, aut in ea habitet. Habitare autem, & domicilium habere quis intelligatur, si cum parentibus, aut in domo conducta in vrbe maiori anni parte viuat.

De maiori Concilio.

CONSILIARII maioris Concilij, quod Principis, seu Reipublicæ personam refert, minores annis viginti quinque ne sint: liceat tamen his quibus creandi huius Consilij auctoritas data est, vsque ad sexaginta eligere, qui vigesimumsecundum annum excesserint: si ita eis expedire videbitur. Artem aliquam Nobilibus non concessam per triennium antè non exercuerint. Excipiuntur ab hac sanctione hi qui vigore præsentium Legum in termino anni, aut biennij artes Mechanicas deseruerint.

De Concilio minori.

QVI ad Concilium minus euocandi sunt, pro medietate annorum sint non minus triginta: pro alia verò ad minus viginti septem (Doctoribus, & Medicis exceptis) qui, si reliquis qualitatibus non carebunt, biennio antè recipi poterunt. Sint ciuitatis habitatores. commodum habeant in ciuitate, aut dominio patrimonium. Artem aliquam Mechanicam, & Nobilibus non concessam per quinquennium antè non exercuerint.

De Ma-

De Magistratibus ciuitatis.

QVI in ciuitate Magistratum aliquem obire sperat, sit Nobilis, & maior annorum viginti septem. artem aliquam Nobilibus interdictam per annos octo non exercuerit. Ad duos Magistratus obeundos eodem tempore nemo admittatur; quòd si quis ad secundum eligatur, possit, primo retento, alterum repudiare; vbi verò reiecto primo, secundum maluerit, disponatur de primo iuxta Legum decreta.

De electione triginta Electorum.

CAPVT XI.

IN fine Decembris cuiuslibet anni coram illustrissimis Collegiis conueniet Concilium minus in numero à nobis præscripto; ibique licebit vnicuique eorum ciuem vnum, modò non sit pater, filius, frater, socer, aut gener, nec à ciuitate absit: vbi tamen in eo concurrant qualitates, quas in Concilij minoris Patribus requisiuimus, ex vniuerso Nobilium cœtu nominare; & concurrentibus tribus partibus ex quinque, seliget triginta ciues optimos, quibus electio maioris, & minoris Concilij commissa erit. Quòd si de aliquo, qui Concilio interfit, aut eius patre, aut filio, fratre, socero, aut genero suffragia ferantur; aduertent Conseruatores Legum, & auctoritate Excellentissimi Ducis prouidebunt, vt ille omnino à voto abstineat. eademque auctoritate prouidebunt, ne Consiliarij, etiam ex causa necessaria, à Prætorio recedant, nisi perfecto opere quod cœperunt.

De electione maioris Concilij.

CAPVT XII.

HORVM triginta ciuium, qui Electores vocantur, munus erit eadem die, vbi id fieri possit: sin minus, immediatè sequenti summo manè, auditis prius diuinis, coram Illustrissimo Duce, & Gubernatoribus in Prætorio conuenire; ibique ex vniuersa ciuium Nobilitate, demptis absentibus, hisque qui tunc Consiliarij munus obeunt, & quibus qualitates à Lege requisitæ deficiunt; quadringentos Patres eligere; qui futuro anno Concilium maius, & personam Principis, seu Reipublicæ referant; concurrentibus tamen tribus partibus ex quinque suffragiorum. Inter hos autem licebit eis vsque ad sexaginta ciues in eo ordine referre, qui annum vigesimumsecundum tantum excesserint: si ita eis expedire videbitur.

De electione Concilij minoris.

CAPVT XIII.

CONSCRIPTA hac electione Patrum, ex eis seligent eodem ordine, & numero suffragiorum centum viros, qui qualitatibus à Lege requisitis non careant. Hi autem ita electi Concilium minus conficiant. Quòd si numerosæ hæ electiones prima die absolui non poterunt, redibunt Electores sequenti die; nec à Prætorio discedere audebunt, nisi perfecto negotio. Confidimus autem Electores pro eorum virtute, & prudentia, posthabitis omnibus affectibus, aptiores, & digniores ad vnumquodque munus nuncupaturos, & familiarum omnium congruam rationem habituros.

De tollendis controuersiis, quæ in electione triginta Electorum oriri possent.

CAPVT XIIII.

LICET, sublatis antiquis Legibus, quæ quandoque in Republica discordiis, & simultatibus inter ciues causam aut occasionem præbuerunt, introductisque nouis Legibus, ac conciliatis ciuium inter se animis; auxiliante DEO optimo maximo bonorum omnium auctore, nobis iure sperandum sit, Rempublicam hanc optimorum ciuium consilio, & auctoritate, semotis penitus omnibus simultatibus, ac dissidiis, administratum iri, & omnium Magistratuum electiones summa cum animi temperatia, & moderatione fieri debere; nihilominus ad ea etiam prospicientes, quæ vix accidere posse cõfidimus, existimauimus non esse abre, si certam aliquam formam hisce Magistratuum electionibus præscriberemus: vbi aliquas

earum in controuersiam deduci continget. Iccirco vbi Concilium minus in legitimo numero coactum pro seligendis triginta ciuibus, ad quos paullò antè diximus pertinere ius constituendi Concilium maius, item minus, id operis termino horarum octo non perfecerit; Volumus ex numero Gubernatorum, & Procuratorum, qui præsentes erunt, educi sorte quatuordecim, qui, iuncti Concilio minori, concurrentibus tribus partibus ex quinque, ex his omnibus, qui prius per Concilium minus nuncupati fuerunt, tot eligant, quot ad implendum numerum triginta necessarios esse cognouerint. quòd si hi omnes, modo quo suprà, non poterunt numerum triginta electorum sex horarum spatio implere, termino horarum duarum cum frequentiori suffragiorum numero implere electorum numerum conabuntur. Quòd si id assequi non poterunt; ex hoc corpore (nempe Concilij minoris, & adiunctorum,) volumus sorte vndecim Patres tolli, qui voto careant. reliquos verò ex iisdem nuncupatis, concurrentibus pluribus votis, eos eligere debere, qui ad implendum numerum triginta Electorum defuerint.

De tollendis controuersiis, quæ in electione maioris Concilij oriri possent.

CAPVT XV.

POSTQVAM triginta, quos Electores diximus, de vniuerso Nobilium cœtu, demptis inhabilibus, & aliis, quos suprà diximus, sumptis de more suffragiis, periculum fecerint; nec reperti fuerint tot ciues qui, concurrentibus decem & octo votis, pro implendo Concilio, idonei iudicati fuerint; iterum per eosdem Electores de his omnibus qui prius integrum & præscriptum suffragiorum numerum non retulerunt, vota ferantur. Et vbi secunda hac vice nec dum opus perfici possit, mandamus decimari numerum Electorum sorte; ita vt vacantibus tribus à suffragio, cum frequentiori reliquorum voto deficiens Concilij maioris pars suppleatur.

De tollendis controuersiis, vel in eligendo Concilio, casu subortis.

CAPVT XVI.

QVOD si in eligendo minori Concilio, sumptis suffragiis super vniuerso Concilio maiori prima vice, numerus impleri non possit; volumus iterum sumi suffragia de his qui, licet habiles sint, tamen integrum, & legitimum numerum non retulerunt. & vbi, concurrentibus tribus ex quinque votorum partibus, non possit centumuiralis ordo compleri, tunc cum maiori suffragiorum numero deficiens Concilij minoris pars eligatur. quòd si adhuc difficultate paritatis laboretur, mandamus sorte decimari numerum triginta Electorum; vt eiectis tribus votis, paritate omnino sublata, maior suffragiorum frequentia Concilium minus impleat.

De tollendis dissidiis, quæ in eligendo duplicato numero pro implendo Seminario oriri possent. CAPVT XVII.

SI verò in electione duplicati numeri per Concilium minus eligendi, eorum qui quotannis subrogandi sunt, vt in vrnam, aut Seminarium eorum nomina coniiciantur, aliquæ emergant difficultates; illud, pro eis superandis, seruare mandamus, quod suprà, in creandis per minus Concilium triginta electoribus, sanciuimus.

De subrogationibus Magistratuum, aut Officialium.

CAPVT XVIII.

VBI vel morte, vel absentia, vel alia ex causa Magistratum aliquem, aut Consiliarij munus vacare contingat; hi, quibus subrogandi auctoritas demandata est, alterum in eius locum quamprimum eligant, qui eas qualitates, & condiciones habeat, quæ Legibus nostris præscriptæ sunt; seruentque eosdem modos, & formam, quæ in principalis delectione seruata fuit. Auctoritatem verò supplendi deficientes in vtroque Concilio, duobus Collegiis, ac minori Concilio præsentium vigore demandatam esse voluimus.

Quot

Quot vota requirantur in deciſionibus Collegij Gubernatorum.

CAPVT XIX.

EA, quæ à Gubernatorum Collegio, & tractanda, & ſtabilienda erunt, ſi octo ſuffragiis concurrentibus approbata fuerint, decreta & ſancita intelligantur, & executioni mittantur: ſaluis tamen, & exceptis his caſibus, in quibus certa Lege maiorum ſuffragiorum concurſum requiſiuimus.

De tollendis contentionibus, quæ in dicto Collegio oriri poſſent.

CAPVT XX.

QVOD ſi aliquæ ſubortiantur contentiones, atque ea ratione negotia expediri non poſſint; Volumus Collegium Procuratorum vocari, vt collato ſimul negotio, interueniente legitimo ſuffragiorum numero, quod iuſtum, & conueniens fuerit, ſanciatur. Sed ſi nec dum ingenia hominum conuenerint (quod tamen ſperamus non futurum) mandamus acciri Conſilium minus, vt prudentia, & æquitate ſua, reiectisque animorum affectibus, frequentiori calculo controuerſum negotium concludendo pertinaces haſce contentiones, & maximè indignas tollat.

Quot vota requirantur in deciſionibus Collegij Procuratorum.

CAPVT XXI.

EA verò, quæ à Procuratorum ordine ſunt terminanda, nonniſi concurrentibus duabus partibus ex tribus ſuffragiorum validè poterunt deliberari.

De controuerſiis Collegij Procuratorum caſu exortis tollendis.

CAPVT XXII.

SI autem inter Collegas nata contentione, impediantur rerum exitus; ſancimus adeundum eſſe Collegium Gubernatorum; vt iunctis votis, & trutinato negotio, conformibus animis, quod æquum fuerit decidatur. Si verò etiam labor iſte ſit infructuoſus; volumus per Conſilium minus modo quem paullò antè formauimus, omnem hanc indignam, & maximè vitandam controuerſiam præcidi, ac dirimi.

De modo tollendi controuerſias in duobus Collegiis ortas.

CAPVT XXIII.

EADEM ratione volumus præcidi contentiones quæ caſu oriri poſſent in terminandis his cauſis, & negotiis, quæ ſui natura ad duo Collegia ſimul iuncta pertinent.

De legitimo numero Conſilij maioris, & minoris.

CAPVT XXIIII.

VBI cogendum erit Conſilium maius, non intelligatur eſſe plenum, & legitimum, niſi, computatis illuſtriſſimis Collegiis, impleat numerum tercentum. Conſilium verò minus, nonniſi conuenerint octoginta, vltrà duo Collegia. Excipitur tamen à præſenti Sanctione caſus ille, quando Conſilium minus, pro eligendis his qui in locum demortuorum, vel abſentium ſubrogandi ſunt, vocabitur; licebit enim tunc temporis, cum minori numero, & interuenientibus tantum his qui poterunt conuenire, Conſilium minus legitimè congregare: modò adſint duo collegia.

De qualitatibus in Duce requiſitis.

CAPVT XXV.

SVPREMA eſt in Republica Genuenſi Ducatus dignitas; proinde conuenit eum qui ad tantæ dignitatis culmen euehendus eſt, vti auctoritate omnibus præſtat, ita animo, virtute, conſilio, ac rerum omnium experientia, pollere; vt dignitati, & auctoritati, quam præ ſe fert, virtutes animi egregiè reſpondeant. Sancimus igitur neminem ad id muneris aſſumendum, niſi ita cum Nobilitate ſplendorem animi coniunxerit, vt à quacumque arte Nobili viro interdicta per quindecim annos omnino abſtinuerit, de legitimo matrimonio, ciuitatisque

tisque habitatorem, maioremque annis quinquaginta esse oportet. In publicis vetò Concit

terit ex quantitate pillularum, quæ in nigrum, aut in album vas ceciderunt, quæ pars præualuerit.

Globuli, quorum vsus in hoc opere necessarius est, lanei, aut linei, aut serici sint oportet; ne cadentes, aut dimissi, strepitu suo vicinis qualitatem voti demonstrent, sintque eiusdem coloris; cùm non color eorum, sed locus, seu vas, in quod immittuntur, voluntatem votum dantis denotet.

De habitu Ducis, & Magistratuum.

CAPVT XXVIII.

DVX, Gubernatores, Procuratores, ac Magistratus, quibus iustitiæ ciuilis, & criminalis administratio commissa est (quod maximè ad Magistratus dignitatem pertinere videtur) togati incedant, iuxta formam ex antiquis Legibus præscriptam.

De sindicatu Ducis, Gubernatorum, & Procuratorum.

CAPVT XXIX.

NIHIL est quod optimos quosque vitos in fide & officio faciliùs contineat, quàm virtutis amor, gloriæque & honoris præmium: malos verò, timor Legum, & pœnarum. Propterea optimo iure constitutum est, vt Magistratus omnes, finito eorum munere, sindicatui subiiciantur; vt mali, debitas pœnas subeundo, aliis sint exemplo: qui verò laudabiliter & fideliter se gesserint, debito commendationis & laudationis præmio non defraudentur. Quare laudabilem morem Reipublicæ approbamus; vt non modò Gubernatores, & Procuratores, verùm Dux ipse, finito munere, Supremorum inquisitioni, & notioni subsint. qui tamen non nisi respectu eorum quæ ab vnoquoque eorum in Magistratu commissa sunt, eos inquirere, aut coërcere possint. ratione verò eorum quæ per collegium Gubernatorum, aut Procuratorum, aut per ambo collegia simul iuncta fuerint contra Leges, decreta, aut ordinata, æquum non est eos singulariter teneri. Licebit tamen supremis, vbi aliquid tale commissum cognouerint, Consilium minus vocare; quod, audita causa, quod iustum, & conueniens fuerit, frequentioribus votis decernet. A sententiis per supremos ferendis in causis sindicatuum, vbi de priuatione vitæ, honoris, aut inhabilitatione ad Magistratus agatur, appellari possit ad Consilium minus; huiusque iudicij instantia sexaginta dies non excedet.

De Gubernatoribus, & qualitatibus, quæ in eis requiruntur.

CAPVT XXX.

QVI ad Reipublicæ gubernacula sunt promouendi, eos non modò claritate Nobilitatis splendere decet, verùm etiam prudentia, rerum experientia, ac fide præditos esse. Proinde sancimus ad hoc munus eligendum, & Nobilem esse; ac ciuitatis habitatorem; & ab artibus, quæ Nobilibus interdictæ sunt, per decennium abstinuisse. adhæc annorum sit vltra quadraginta; conueniens dignitati habeat patrimonium; & vbi decoxerit, non admittatur, nisi prius integrè suis creditoribus satisfecerit. in Consiliis autem, & aliis Reipublicæ muneribus ita se gesserit oportet, vt apud omnes non mediocrem sui spem, & opinionem concitauerit. Vnus tantum ex eadem familia in eo Gubernatorum ordine existat, vt suprà.

De qualitatibus, quæ in Procuratoribus requiruntur.

CAPVT XXXI.

QVAS in magnificis Gubernatoribus qualitates requisiuimus, easdem in magnificis Procuratoribus necessarias esse decernimus.

De præfecto generali triremium, & de præfecto triremis, & quæ in eis concurrere debent. CAPVT XXXII.

GRAVE est admodum pondus, quod fidei, & prudentiæ præfecti triremium committitur. Propterea conuenit eum qui huic muneri præficiendus est, Nobilem esse; ab omni arte Mechanica saltem per annos octo prorsus abstinuisse; nec minorem annis triginta esse; Magistratumque aliquem, aut Consiliarij munus feliciter obiisse, aliis item qualitatibus, quas in Gu-

in Gubernatoribus requisiuimus, nequaquam carere oportet. Triremis autem præfectum, & Nobilem, & annorum viginti quinque esse necesse est.

De Gubernatore Corsicæ, & eius necessariis qualitatibus.

CAPVT XXXIII.

CORSICA nobilissima est Genuensis Dominij pars. Quare decet eum qui ad moderandam eam insulam mittendus est, & Nobilem esse; & omnibus his qualitatibus præditum, quas in Gubernatoribus requisiuimus.

De Commissariis cum suprema auctoritate deputandis.

CAPVT XXXIIII.

COMMISSARII in Dominio cum suprema auctoritate deputandi nonnisi Nobiles, & annorum ad minus quadraginta eligãtur; sed & qui Mechanicas artes per annos octo non exercuerint; & Consiliarij munus, & alterius in vrbe Magistratus personam sustinuerint; sciantque maximè eis conuenire, vt suprema auctoritate, quæ eorum prudentiæ commissa est, maturè & consultò vtantur. Quòd si secus fecerint, sciant se sindicatoribus per illustrissimam Dominationem ex laudabili more deputandis, vltra alia inquiri, & coërceri solita, se barattariarum, concussionum, extorsionum, violentiarum factarum exactam, & seueram rationem reddituros.

De Oratoribus, & Legatis ordinariis.

CAPVT XXXV.

ORATORES, & Legati, qui per illustrissimam Dominationem ad supremos Principes transmittuntur, vt ibi resideant, non possint vltra triennium in ea Legatione esse, neque id temporis aliquo modo prorogandum est, nisi ex grauissimis causis, iudicio eorum ad quos eorum electio pertinet: neque id vltra annum fieri conceditur.

De electione nonnullorum Magistratuum.

CAPVT XXXVI.

POSTQVAM iudicio duorum collegiorum, & Consilij minoris, concurrentibus tamen tribus partibus ex quinque suffragiorum, nuncupati fuerint duo, aut ad plus quatuor ciues; pro vnoquoque infrascriptorum officiorum qui qualitatibus requisitis in his qui ad minus Consilium promouendi sunt, non careant; omnia eorum nomina ad Consilium maius transmitti volumus, vt iudicio suo, aptiorem vnicuiq. muneri calculorum frequẽtia declaret.

Quorum officiorum nomina sunt hæc:

PRÆTOR Sauonæ.
Commissarius, aut Capitaneus Clauariensis.
Commissarius, aut Capitaneus Spediæ.
Commissarius, aut Capitaneus Sarzanensis.
Gubernator Corsicæ.
Locumtenens vltramontanus, seu Capitaneus, aut Prætor Ayacensis.
Commissarius Bonifacij.
Commissarius Caluæ.

Alia verò munera, quæ per duo collegia, & viginti octo ciues conferri solebant, in futurum per duo collegia, & Consilium minus, concurrentibus plusquam tribus ex quinque omnium suffragiorum, conferri volumus. Quibus addere voluimus eadem ratione conferenda, Præfecturam triremium; Legationes ad Principes destinandas extra Dominium; Præfecturas militum prætorianorum, qui forum, & prætorium, & vrbem custodiunt; Præfecturam Arcis Sauonæ, & Sinus Spediæ.

Cetera verò officia, quæ per illustrissimam Dominationem solam, aut per illustrissima duo collegia tantùm, aut per collegium Procuratorum simpliciter conferri solebant (demptis tamen suprà exceptis) eadem ratione in futurum conferenda esse censemus.

De præ-

De Præfectorum nonnullarum arcium qualitatibus.

CAPVT XXXVII.

MAXIMA est habenda ratio arcium, & munitorum locorum, quæ Reipublicæ propugnacula sunt. Iccirco decernimus arces infrascriptas nullius fidei committendas esse, nisi Nobilium, qui annum excedant trigesimum, & per annos octo aliquam artem Mechanicam non exercuerint; quique in Consiliis versati quandoque fuerint; aliisque virtutibus præditi sint, quæ ad obeundum tale munus necessariæ sunt.

Arces omnes, & munitiora loca illustrissimæ Dominationi subiecta, his tantum exceptis, quæ & quas non descriptis committendas, & committenda esse duximus.

De officiis conferendis in ciues non descriptos.

CAPVT XXXVIII.

CONVENIENS est eorum etiam rationem habere, qui in libro Ciuilitatis descripti non sunt; nam cùm & ipsi Reipublicæ onera subeant, & patiantur; æquum est etiam eos Reipublicæ commodis, & fructibus perfrui, & gaudere. Sancimus itaque infrascripta officia, quum primùm vacauerint, in ciues non descriptos, & non in alios, omnino conferenda esse. Ea tamen lege adiecta, quòd vbi in aliquo eorum agatur de tractanda publica, vel aliena pecunia, non prius ad illud obeundum admittantur, quàm idoneam cautionem præstiterint.

Omnia officia Scribarum, & Notariorum, tam eorum qui à Secretis sunt illustrissimæ Dominationis, quàm qui collegio Procuratorum, officio S. Georgij, Supremis, Prætorij, Rotæ, tam ciuili, quàm criminali, omnibusque Magistratibus, tam in ciuitate, quàm in Ripariis, in insula, & demum in vniuerso Dominio assident.

Officia omnia Consulum rationis.

Omnia officia receptorum pecuniarum, quos vulgus Capserios appellat, tam apud officium S. Georgij, quàm apud licitatores vectigalium, & omnium redituum publicorum.

Officium vnum inter Censores. inter Conseruatores Sanitatis vnum. inter Præfectos annonæ vnum.

Præturas insuper infrascriptorum locorum.

TABIÆ.	Andoriæ.
Rapalli.	Vultabij.
Castrinoui.	Costæ vadorum.
Gauij.	Varaginis.
Framuræ.	Stellæ.
Montis rubei.	Castilioni.
Vernatiæ, & Corniliæ.	Rimazorij, & Manarolæ.
Sigestri.	Portus Veneris.
Trioriæ.	Coruariæ.
Moneliæ.	Carri, & Castelli.
Vuadæ.	Godani.
Cerianæ.	Arculæ.
Recchi.	Vezzani.
Petræ.	Præfecturas arcis Lericensis.
Ceruij.	Arcis Sarzanellæ, & arcis Gauij.

Et omnia alia officia iam dictis inferiora, quæ aliàs per illustrissima duo collegia conferri solebant. His addere voluimus infrascripta alia officia, in quibus ciues etiam non descripti participare poterunt.

Officia Vicariatus.

Sauonæ.	Nouarum.
Clauari.	Spediæ, & Bastitæ in Corsica.

Omnia autem supradicta officia, & quæque alia, quæ tam descriptis, quàm non descriptis conceduntur, gratis conferri mandamus. excepta tamen Gabella, quam Stagij vocant; cui nullum afferre præiudicium intendimus.

De Scribis, seu Secretariis.

CAPVT XXXIX.

IVSTIS rationibus moti, noluimus officium Scribarum, qui excellentissimo Duci, ac Gubernatoribus à secretis inseruiunt, perpetuum esse, sed quinquennij curriculo præscribi debere; neque prorogari posse vltra triennium, si ita è re ipsius Reipublicæ esse, hi quibus huius electionis auctoritas demandata est, concurrentibus duabus partibus ex tribus suffragiorum, arbitrati fuerint. Horum electio excellentissimo Duci, duobus collegiis, ac minori Consilio credita est. qui ex omnium ciuium non descriptorum numero, virtute, probitate, moribus, prudentia, continentia, ac fide insignes, & huic muneri aptiores, quique ætatis suæ annum vigesimum quintum expleuerint, eadem votorum frequentia, quam in prorogatione requisiuimus, seligent. Hosce, vbi munus suum fideliter, & legaliter expleuerint, voluimus Nobilitate donare, quam ipso iure, & facto statim ac ab officio cum commendatione dimissi fuerint, adipiscentur; vt tam insignis præmij, & gloriæ desiderio victi, ad bene de Republica merendum accendantur.

Horum qui nunc in officio hoc seruiunt, cùm virtus, fides, probitas omnibus satis perspecta, & cognita sit, munus quinquennio adhuc durabit: si ita hi qui eligendi eos ius habét, arbitrati fuerint; sine spe prorogationis. Lapso autem tempore, vacabunt, & omnia acta, scripturas, litterásve, quæ ad eorum munus pertinent, successoribus suis in officio integrè consignabunt. quas in publico archiuo recondi, & diligentissimè conseruari volumus. Non intendimus tamen hac Lege tollere laudabilem morem ipsius Reipublicæ: quinimò decernimus teneri eos singulo anno ab illustrissima Dominatione litteras confirmatorias obtinere, in fidem, & testimonium bene gesti muneris sui. quas si impetrare non poterunt, à suo munere cessent. Non obstantibus quibuscumque decretis, Legibus, aut statutis in contrarium existentibus, si quæ sunt.

De Conseruatoribus pacis.

CAPVT XL.

POSTQVAM Dei optimi maximi beneficio, nouis Legibus promulgatis, & æquo animo receptis, ac inter ciues sincera & inuiolabili pace sancita, amplius de bello agendum non est, cùm maximè eius Magistratus iam sublatus sit; visum fuit constituere ordinem ciuium, quos Conseruatores pacis appellamus. Horum præcipua cura erit, matrimonia tractando, & stabiliendo, ciuium animos, quoad fieri poterit, vincire, & coniungere. De simultatibus verò, & rixis, quas indies inter ciues oriri continget, sedulò inquirent, easque, quàm citius fieri poterit, (ne morbus iste in Republica adeò exitiosus, altius serpat) conciliatis hominum animis, tollere, & radicitùs extirpare conabuntur. Contumaces, & eorum dicto non audientes, ad illustrissimam Dominationem deferent, quæ causa cognita, opportunè prouidebit: non retardato tamen cursu iustitiæ. Pro horum electione, ex illustrissimis collegiis tres sorte eligentur, quorum singuli duos ad hoc munus idoneos nuncupabunt. Horum autem tres, qui frequétiori calculo recepti fuerint, pacis Conseruatores erunt: eorũ munus biennale erit.

De Legum Conseruatoribus, & iuramento dando.

CAPVT XLI.

NIHIL prodesset Leges compilasse, ac Rempublicam bene instituisse, nisi etiam prouideretur, quòd Sanctiones istæ suum sortirentur effectum, ac executioni mitterentur. Hac ratione erigere voluimus ordinem duorum ciuium grauissimorum, quos Legum Conseruatores appellauimus. Horum præcipuũ munus erit electionibus Ducis, ac Magistratuum omnium, & præcipuè triginta Electorum, qui Consilij maioris, & minoris creandi ius habent, & quibuscumque electionibus assistere; curaréque quòd antequam ad id manus apponatur, Lex super ea electione, de qua tunc agetur, condita, publicè alta & intelligibili voce omnibus legatur; & sollemnitas, & forma, quæ in eis comitiis seruanda est, non modò ad memoriam reducatur, verum omninò obseruetur. Iuramentum ciuibus his quibus ius eligendi demandatum est, dari curabunt in manibus illustrissimi Ducis in forma infrascripta. His, qui ad aliquod munus assumpti fuerint, aliud iuramentum in forma pariter infra descripta, antequã ad Magistratũ accedant, dari curabũt. Fraudibus, quæ in comitiis quibuscumq. fient, & quæ præuideri per nos non potuerũt, occurrent. & si quem in fragráti crimine deprehẽderint, ad illustrissimum Ducem statim deferent, qui eum vtriusq. voti impotẽ declarabit; prout nos tenore præ-

præsentium declaramus; & pro modo culpæ grauiori etiam pœna mulctabit. Biennale erit hoc munus. horumque electio ad duo collegia, & Consilium minus pertinebit.

Forma iuramenti eligere debentium.

IVRO ego N. ad sancta Dei Euangelia manibus corporaliter tactis scripturis, & in animam meam, me in electione, quam hodie facturus sum de ..... remoturum ab animo meo iram, amicitiam, amorem, odium, proficuum affectum ad quemcumque colorem, & factionem: sed Deum tantum ante oculos habiturum; & huius Reipublicæ, & libertatis nostræ, publicæque quietis conseruationem, daturumque suffragium meum illis tantùm qui mihi virtute, prudentia, fide, & integritate præstantiores videbuntur. Ita me Deus optimus maximus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Forma iuramenti iam Electorum.

IVRO ego N. ad sancta Dei Euangelia, manibus corporaliter tactis scripturis, & in animam meam, me munus hoc mihi demandatum legaliter, & fideliter obiturum; & huius Reipublicæ libertatem, publicamque quietem, quantum in me erit, curaturum, & defensurum. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

De electione Conseruatorum Legum.

CAPVT XLII.

EREXIMVS officium, quod Conseruatorum Legum appellatur; atque id summa cum ratione. cùm, sublatis Legibus, aut eis nequaquam obseruatis, necesse sit Rempublicam, vti anima carentem, omnino perire, ac ruere. Proinde volumus per duo collegia, & Consilium minus medio mense Ianuario, concurrentibus tribus partibus ex quinque suffragiorum, duos ciues optimos eligi debere, qui in Rempublicam propenso sint animo & qualitatibus, quas in Gubernatoribus requisiuimus, non careant. Horum ita Electorum pietati & prudentiæ per biennium Legum conseruationem, imo Reipublicæ salutem, & vitam eo, quo possumus, studio & ardore commendamus. Quòd si medio hoc tempore Conseruatores isti, aut alter eorum decesserit, vel recedat, non rediturus breui, statim mandamus suppleri numerum; ne Magistratus, adeò in Republica necessarius, aliquo tempore vacet. Pro hac prima vice eligimus in Conseruatores magnificos Dominos Lucam Iustinianum, & Nicolaum, aliàs Nichefosum Pallauicinum.

De vacationibus Magistratuum.

CAPVT XLIII.

NE ciues hi qui elato animo suapte natura sunt, primariorum Magistratuum frequentia elatiores fiant, atque inde in tyrannidem declinent: quod maximè fugiendum est in Republica: Sancimus eum qui Ducalis dignitatis munere semel functus fuerit, non posse iterum ad eiusdem dignitatis culmen euehi: nisi prius lapsis quinque annis, à fine officij numerandis. Qui item semel Gubernator fuerit, non posse pariter, nisi lapso quinquennio vt suprà, iterum ad eundem Magistratum promoueri. Eum autem qui Procurator semel electus fuerit, vacare debere ab eo munere per quadriennium. Qui verò in altero Consiliorum fuerit, per annum. Non prohibendum tamen existimauimus, quin Gubernator, aut Procurator, vbi omnibus qualitatibus quas dignitas suprema expostulat, præditus sit, in Ducem eligi possit. Ceteras verò vacationes, tam munerum, quàm familiarum, vti non necessarias, tollendas esse arbitramur.

De prouisionibus quæ fieri debent suprema auctoritate.

CAPVT XLIIII.

LICET eo quo possumus studio, & feruore administrationem iustitiæ criminalis iuxta Legum, statutorumque formam Prætori, & Rotæ ita commendauerimus, vt nemo possit nec cumulatiuè, nec priuatiuè eorum iurisdictionem impedire; Non ignoramus tamen quandoque non modò in ciuitate, verùm in dominio euenire posse subitos quosdam,

& repentinos casus, in quibus seruata, & non seruata forma iuris, & suprema auctoritate, ac regia manu prouidendum est; ne publica quies, ac pacificus Reipublicæ status perditum eant, cùm vel populus insanit, vel seditiosi tumultuantur, vel perditorum & flagitiosorum hominum turmæ vias publicas hostili more inuadunt, agrosque, & ditionem Genuensem depopulantur. Hisce casibus, & aliis huiusmodi, quibus ad illustrissimam Dominationem pertinet auctoritate sua omnia sedare, excellentissimus Dux, iunctis duobus collegiis, vocatoque Prætore, quatenus expediat, & Rota, vt auctoritati etiam consilium iungatur, & nulla interposita mora, scelerum auctores debitis pœnis affici curabit. mox participes, & suspectos detineri faciet; veritatem criminis inquiret, vt pro modo culpæ quisque debitas luat pœnas.

Quòd si aliqui Commissarij delegandi erunt, qui Prouinciam lustrent, & facinora compescant, nonnisi hi qui graues aliquos Magistratus gesserunt, eligentur; vt suprema auctoritas grauissimis tantum viris & prudentibus committatur.

De gratiis & forma, in illis concedendis, obseruanda.

CAPVT XLV.

IN concedendis gratiis delictorum, quarum auctoritas apud illustrissimum Ducem, ac duo collegia residet, concurrentibus votis duarum partium ex tribus, illud aduertendum duximus non licere, quòd absque legitima partis offensæ remissione in his casibus, in quibus requiritur, aut ea extincta, hæredis sanguinis & bonorum, Princeps suam exerceat clementiam. In casibus verò criminis læsæ Maiestatis, & seditionum, in quibus Principem decet quasi esse inexorabilem, non esse concedendam gratiam, nisi ex magna causa, & ob bonum publicum, & interuenientibus omnibus votis, & vtriusque collegij, ac minoris Consilij. In infrascriptis verò casibus qui grauissimi, & atroces sunt, scilicet homicidij animo deliberato patrati, parricidij, assassinij, mandati ad occidendum, secuto tamen effectu homicidij in officialem, robariæ in strata publica, fabricationis falsæ monetæ, raptus monialium, aut mulierum honestarum, nonnisi interuenientibus duabus partibus ex tribus, & vtriusque collegij, & minoris Consilij litteras gratiæ, aut restitutionis esse concedendas.

De Procuratoribus perpetuis sindicandis.

CAPVT XLVI.

QVI cum honore, & commendatione Ducatus munus obierunt, in præcedentis dignitatis honorem, perpetui Procuratoris munere, antiquarum Legum beneficio, fungunter; id quod & nos laudamus. Verùm ne horum animi ex perpetui officij auctoritate elatiores, quàm par est, fiant, voluimus eos singulo biennio sindicatui supremorum, & aliorum quinque ex Consilio minori tunc sorte eligendorum, subiicere, qui diligenter eorum acta in officio, & administratione reuideant. Et si quid per eos contra Leges commissum fuisse comperierint, debitis pœnis afficiant.

Insuper nolumus Procuratores perpetuos in electionibus Prætoris, auditorum Rotæ criminalis, nec ciuilis, Aduocatisve fiscalis aliquo modo votum suum dare posse.

De condendis Legibus. CAPVT XLVII.

SI in aliquo maturè, & prudenter est agendum, aut grauiori cum consilio; id in materia Legum condendarum agendum est; sunt enim firmamentum, & basis totius Reipublicæ; cum ipsis viuendum sit; nec contra eas aliquo modo eundum. Et propterea vniuersi populi (si commodè fieri posset) consensus requirendus esset, cùm vel de noua Lege condenda, vel de aliqua abroganda tractatur. Verùm consulentes & vtilitati, & necessitati; Sancimus nullo modo nouas Leges condi, quæ præsentibus, quibus nunc viuitur, & quæ à nobis aut conditæ, & condendæ, aut approbatæ fuerunt, contrariæ sint; neque iam conditas, ac condendas, & approbatas abrogari, aut corrigi, siue emendari, nisi coactis prius collegiis, maturè consulatur; & si quatuor partes ex quinque non approbauerint, nihil actum censeatur: vbi verò approbauerint, deferantur omnia ad Consilium minus discutienda; cuius nisi quatuor ex quinque consenserint, nihil concluſum intelligatur: vbi verò consentiant, denuò omnia maturè Consilij maioris consultationi subiaceant; & nisi frequentiori eorum voto approbetur, nihil pariter actum existimetur.

Alias verò Leges quæ non contrariantur vt suprà, nonnisi per duo collegia, & Consilium minus, concurrentibus duabus partibus ex tribus, fieri posse declaramus.

De pace, bello, fœdere, & adhærentia.

CAPVT XLVIII.

VBI maius periculum est, ibi cautius, & maturius esse aduertendum existimauimus. Propterea quotiescumque tractandum erit de bello ineundo, vel de pace, aut tregua sancienda, aut adhærentia stabilienda, siue fœdere cum aliquo Principe, aut Republica iciendo; aut si aliquid aliud simile, & graue, quod statum Reipublicæ tangat, decernendum erit; nolumus aliquid sanciri, aut executioni mitti, nisi prius maturè, & modò, ac ordine, quo infrà, consulatur. In primis igitur coram illustrissimis collegiis id omne plenè trutinabitur; & nisi quatuor ex quinque partibus consenserint, nihil actum intelligatur: Vbi verò conueniant, conuocato Consilio minori, idem proponatur, & diligenter discutiatur, & nisi quatuor ex quinque illud approbauerint, nihil conclusum, nec sancitum intelligatur.

De pedagiis, collectis, & vectigalibus de nouo non imponendis, nec impositis tollendis, nisi seruata forma. CAPVT XLIX.

NEMO est qui non intelligat nouas pedagiorum, collectarum, vectigaliúmve impositiones populis esse admodum graues. Proinde mandamus nemini licere in Republica Genuensi de nouorum onerum impositione decernere, nisi Consilio maiori, quod Principem ipsum, & Rempublicam refert; neque id fieri posse volumus, nisi prius illustrissima duo collegia, & Consilium minus maturè consuluerint, ac concurrentibus duabus partibus ex tribus, declarauerint non modò necessitatem subesse, verùm etiam nullam neque meliorem, nec æqualiorem formam inueniri, qua opportunius Reipublicæ necessitati consuli possit. Idem intelligatur sancitum, vbi agendum erit de tollendis iam impositis.

De Doctoribus, & Medicis.

CAPVT L.

DOCTORES tam Legum quàm artium, & Medicinæ talari veste vtantur; nec sine ea incedant. Contrafacientes, priuilegiis, & immunitatibus suis biennio carebunt; Iureconsulti postulare, Medici verò cum collegis suis de communium infirmorum curâ conferre per triennium non poterunt, & in eorum collegiis vtriusque voti impotes erunt.

Hisce, quòd maximo vtui sunt in Republica, nec mediocre ei ornamentum afferunt, volumus omnino obseruari priuilegia, & immunitates, sublatis fraudibus, si quæ sunt.

Ratio eorum dignitatis postulat, & ita obseruari volumus, vt ab omnibus Magistratibus, excepto illustrissimo Duce, & Gubernatorum collegio, sedentes, & tecto capite & audiantur, & excipiantur. possintque ad omnes in Republica dignitates promoueri, etiam quòd Consiliarij maioris, vel minoris munus, aut alios Magistratus numquam obierint, suprema excepta.

Collegium iureconsultorum tenebitur in futurum quotannis duos sui ordinis sumministrare, qui pauperes, & miserabiles personas tam in foro ciuili, quàm criminali gratis, & pietatis ergò tueantur, & protegant.

Præterea Medicorum ordo duos ex collegis suis singulo anno nuncupabit, qui gratis pauperibus, & miserabilibus personis in medendo diligentem, & piam operam præstent.

Hebræi à postulatione, & medela omnino abstineant, & quicumque alij qui doctoratus diplomate caruerint.

Procuratores, & præfecti annonæ non participent in commodis sui muneris.

CAPVT LI.

QVÒ magis grauiora negotia fidei suæ commissa esse quis perspicit, eò magis intelligere debet, sibi elaborandum, vt fidei, quæ de eo concepta est, rerum exitus egregiè respondeant. Id autem facilè vnusquisque consequetur, si illud vnum ante oculos habuerit, homini libero nihil patria ipsa carius esse debere. Iccirco Procuratores tam perpetui, quàm temporales, quibus patrimonij, ac publicorum reddituum qui nerui Principis dicuntur, cura demanda est, sciant, sibi maximè cauendum, vt mundas ab omni auaritiæ labe habeant manus,

& (quod caput omnium est) ne in licitationibus, emptionibus, aut conductionibus publicorum reddituum aliquo modo directè, aut indirectè participent, néve publica pecunia aliquo modo, nec etiam minima in parte, aut breuissimo tempore pro rei priuatæ commodis vtantur, aut gaudeant. Præfecti item annonæ caueant, ne in comparanda re frumentaria, aut in ea ad Vrbem traducenda aliquid commodi priuatæ rei adscribant, aut publicam hanc administrationem cum priuata, aliquo modo commisceant. Quòd si secus feciſſe compertum fuerit, sciant se, vti indignos, inhabiles ad Magistratus factos esse, & pœna pecuniaria arbitrio supremorum plectendos.

Quòd dotes anteriores tempore præferantur officio S. Georgij posteriori.

CAPVT LII.

INTELLEXIMVS inoleuisse consuetudinem in ciuitate Genuæ, aut Lege aliqua, aut ritu firmatam, qua mulieres quæ pro dotibus suis bona mariti obligata habent, si concurrant cum officio S. Georgij etiam posteriore creditore, ab earum tamen iuribus excludantur; quod & iuri, & omni æquitati maximè aduersatur. Huic igitur abusui prouidere volentes, publicæque honestati, & vtilitati consulentes, ne mulieres indebitè indotatæ remaneant, edicimus, & hac præsenti Lege decernimus, quòd si in futurum concurrat officium S. Georgij cum mulieribus dotem suam repetentibus, dispositionem iuris communis seruari debere; sublatis quibuscumque Legibus, statutis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus in contrarium facientibus.

De seditiosis. CAPVT LIII.

NIHIL est quod publicam quietem, quæ in Republica summopere conseruanda est, facilius perturbare, ac subuertere possit, quàm seditiosorum prauæ & iniquæ voluntates, ac temerarij ausus. Ideo sancitum est, quòd si quis aliquo modo in hoc crimen inciderit, si auctor sceleris fuerit, bonorum publicatione mulctetur, & vlterius capite puniatur. quòd si non auctor, sed complex fuerit, vltra iam dictam pœnam confiscationis, perpetuò remiget. Contra hoc genus hominum adeò Reipublicæ exitiosum iudices procedent non modò ad accusationem partis, verùm etiam ex officio. Accusatores occulti tenebuntur, & quartam partem bonorum eius qui accusatus fuerit, & de hoc crimine legitimè damnatus, in præmium consequentur.

De gladiatoribus, & sicariis, quos Brauos vulgus appellat.

CAPVT LIIII.

NVLLVM est hominum genus, quod in Republica, aut alia ciuitate rectè instituta, sit adeò abominabile, quàm gladiatores, & sicarij, quos vulgus Brauos, seu Scauezzos appellat; qui iuuentutem omnem bene compositam ad seditiones, rixas, & digladiationes promouent, & excitant, subortas casu contentiones fouent, & nutriunt; vt ab imprudentibus adolescentibus pecunias extorqueant. Hanc igitur pestem ab hac Republica eradicare volentes, mandamus hoc genus hominum statim è ciuitate eiiciendum esse; sub pœna triremium triennalium.

De conuenticulis. CAPVT XV.

COMPOSITIS iam rebus, & stabilito quieto statu Reipublicæ, nihil reliqui est, nisi eam intra cancellos qui præstituti sunt, continere. Id autem, vt facilius fieri possit, dedimus opportunas Leges ac instituta, quæ si obseruentur (vt confidimus) speramus futurum, vt Respublica quotidie magis floreſcat, & augeatur. Ad maiorem verò securitatem, sancimus per illustrissimam Dominationem prouidendum esse, vt conuenticula, quæ sub imagine boni, aut priuatæ hilaritatis, iniquis consiliis, ac perfidis tractatibus viam aperuerint, omnino tollantur.

Confirmatio Priuilegiorum, & immunitatum illustriss. Ioannis Andreæ Auriæ, prout hactenus obseruata fuerunt. CAP. LVI.

DONAVIT Andream Principem Auriam ciuem suum optimum, ac de ea optimè meritum Respublica Genuen. nonnullis immunitatibus, priuilegiis & exemptionibus; memor

memor tam insignis, ac præclari ab eo beneficij accepti; vtpotè qui patriam, multis rebus præclarè gestis insignem, sed alieno iugo suppositam, incredibili erga eam pietate ductus, abiecta prorsus ab animo omni ambitione, pristinæ restituit libertati. Eius etiam indelendam ab animis hominum memoriam, erecta statua marmorea, ac publico lautæ domus dono illustrauit. Hæc, & alia virtutis, & gloriæ condigna præmia Ioanni Andreæ Nepoti, & auitarum virtutum, tam in conseruanda libertate patriæ, & eius dignitate amplificanda, quàm in bellicæ, & naualis militiæ gloria hæredi, & vero successori, prout hactenus obseruata fuerunt, ac eius familiæ omnino obseruari volumus.

De eligendis Magistratibus pro nunc per illustrissimos Ministros.

CAPVT LVII.

ANIMADVERTIMVS Magistratus qui pro nunc moderandæ Reipublicæ Genuensi præficiendi sunt, nequaquam secundum modum, & formam in Legibus, quas nuper compilauimus, præscriptam, eligi posse, nisi prius iactis fundamentis, & constitutis ordinibus Magistratuum, ex quibus successores postmodum prosilire, atque insurgere debent, iuxta ea quæ per nos accuratè fuerunt sancita: Neque expedire, aut decere, quòd secundum antiquarum Legum normam, quas in hac parte nunc abrogamus, atque abolemus, promoueantur. Minus etiam conuenire existimauimus relinquendum hoc esse arbitrio ciuium, qui sine certa Lege inter se conflictantes, nouos possint in ciuitate tumultus excitare, nondum integrè veteribus extinctis. Proinde necessitati ipsi cedentes, & facultate, ac bailia nobis attributa, pro bono, iusto, ac pacifico ipsius Reipublicæ regimine vtentes, menti etiam Principum nostrorum inhærentes, qui post maturam harum omnium sanctionum nostrarum considerationem, & discussionem, & quibus de iure Italiæ, & totius Christiani orbis pax, & quies commendata est, eam nobis litteris suis amplissimè declarauerunt; omniq́ue meliori modo via, & forma, qua possumus, & nobis tributa est; Hac præsenti Lege inuiolabiliter obseruanda sancimus, & statuimus, Magistratus maiores, videlicet Gubernatores, qui his nostris Legibus supplendi sunt, Consilium maius & minus, administrationi criminalis iustitiæ præficiendos; nec non Magistratuum Seminarium, quod nostris Legibus erigendum esse duximus, pro hac prima vice à nobis eligendos, & statuendum esse; eosq́ue ita electos, & constitutum ad Reipublicæ regimen, & iustitiæ administrationem recipi, & admitti debere, & in suo officio manuteneri, donec integrè muneris sui cursum peregerint, iuxta nostrarum sanctionum seriem, & tenorem. Ceteros verò Magistratus, quos in futurum creari contingeret, nonnisi seruata ad vnguem forma nostrarum Constitutionum, eligi, aut creari posse decernimus.

Electio Magistratuum, & Consiliorum, ac Seminarij.

CAPVT LVIII.

PROVIDERE igitur volentes nouæ Magistratuum, & Consiliorum electioni iuxta ea quæ per nos sancita fuerunt; Eligimus ex vniuerso Nobilitatis ordine infrascriptos, quos graues, aptos, & de Republica benemeritos, reiectis prorsus ab animis nostris omnibus aliis respectibus & causis, existimauimus, eosq́ue singulis Magistratibus (debitè referendo) modo quo infrà addiximus.

In primis pro Gubernatoribus tum subrogandis in locum cedentium, tum supplendis vsque ad numerum duodenarium iuxta per nos ordinata Magnificos Dominos, videlicet;

Hectorem Fliscum, vsque ad medium Iunium anni præsentis,

Octauianum Saulium, vsque ad medium Decembrem anni 1577.

Franciscum Spinulam quoñ. Baptistæ, quoñ. Antonij, vsque ad medium Decembrem anni 1577.

Siluestrum Cattaneum, vsque ad medium Iunium anni 1577.

Ioannem Baptistam Pallauicinum quoñ. Damiani, vsque ad medium Decembrem 1576.

Bartholomæum Lomellinum, vsque ad medium Decembrem anni 1577.

Pro Procuratoribus verò in locum cedentium Magnificos Dominos, videlicet;

Lucam de Nigronibus, &

Hieronymum Caneuarium: ambos vsque ad medium Decembrem anni 1577.

Pro

Pro Consilio maiori magnificos Dominos, videlicet:

FRANCISCVM Saluaigum quon. M. Ambrosij.
Octauianum Arquatam.
Ioannem Baptistam de Cauo.
Iulianum Saluaigum, q. Lucæ.
Paulum Saluaigum, q. Leonardi.
Petrum Vernatiam, q. Bernardi.
Andream de Ecclesia.
Stephanum Confortum.
Ioannem Marinum, q. Laurentij.
Iulianum Marinum Marrosellum.
Gregorium de Turri.
Vincentium Riparoliam, q. Petri.
Octauium Riparoliam iuris Doctorem.
Hieronymum Marinum, q. Pauli.
Dominicum de Turri.
Nicolaum de Marco.
Pelegrum de Palio.
Ioannem Pansanum Marinum.
Ioannem Antonium Marinum, q. Iacobi.
Stephanum Dauaniam.
Perciualem Cattaneum, q. Accelini.
Franciscum Cattaneum, q. Stephani.
Simonem Oliuam.
Alexandrum Cattaneum, D. Siluestri.
Cæsarem Cattaneum Vescontis.
Ioannem Baptistam Zerbinum.
Hieronymum Cattaneum, q. Philippi.
Ambrosium Cattaneum, q. Baptistæ.
Dominicum Cattaneum, q. Baptistæ.
Franciscum Zoalium.
Edoardum Cigalam.
Alexandrum Squarciaficum Cigalam.
Vincentium Bondinarium.
Alexandrum Cigalam, q. Nicolai.
Nicolaum Cigalam, q. Vincentij.
Octum Cazerium.
Vrbanum Fliscum, D. Hectoris.
Laurentium Fliscum, q. Stephani.
Nicolaum Paxerium.
Ioannem Baptistam Ragium, q. Io. Baptistæ.
Raphaelem Ragium.
Ioannem Saluaigum, q. Benedicti.
Augustinum Saluaigum, q. Ambrosij.
Hieronymum Marinum, q. Franciſci.
Augustinum Marinum, q. Donaini.
Petrum Baptistam Cattaneum iuris Doct.
Bartholomæum Lazaniam.
Gasparem Oliuam.
Baptistam Bauam.
Franciscum Taliacarne iuris Doct.
Antoniotum Cattaneum Stephani.
Stephanum Cigalam, q. Bartholomæi.
Antonium de Brignolis.
Emanuelem Fliscum, q. Petri.
Petrum Baptistam Fliscum, q. Gregorij.
Damianum Fliscum, q. Lucæ.
Marcum Antonium Rauaschierium.
Federicum Fliscum Laurentij.
Franciscum Fliscum D. Hectoris.
Benedictum Caneuarium.
Ioannem Stephanum Moronum.
Ioannem Marruffum.
Ioannem Baptistam Lercarium, q. Stephani.
Baptistam Buronum.
Baptistam Camillam.
Nicolaum Serram.
Iacobum Lercarium, q. Franciſci.
Iacobum de Saluo.
Benedictum Pernicem.
Augustinum Gurlerium.
Angelum Lercarium, q. Lucæ.
Nicolaum Lercarium, q. Franciſci.
Camillum Lercarium Camillam.
Octauianum de Albara.
Iacobum de Nigro, q. Ioannis.
Stephanum Pasquam.
Edoardum de Nigro Physicum.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Antonium Inuream.
Nicolaum de Auria, q. reuerendiss.
Siluestrum Inuream.
Georgium de Auria, q. Melchioris.
Augustinum de Auria, q. Iacobi, q. Augustini.
Ioannem Baptistam de Auria, q. Dominici.
Io. Hieronymum Lercarium, D. Io. Baptistæ.
Stephanum Buronum.
Hieronymum Gallum, q. Dominici.
Nicolaum Lercarium, q. Franciſci.
Ioannem Franciscum de Nigro, q. Benedicti.
Nigronum de Nigro, q. Philippi.
Ambrosium Carmagnolam.
Baptistam Groppalum.
Lucam de Prato.
Philippum de Nigro, D. Ioannis.
Laurentium de Nigro, q. Nicolai.
Ioannem Franciscum Pasquam.
Bernardum Castaneam.
Dominicum Grillum.
Franciscum Vignolum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Baptistam Nigronum, q. Baptistæ.
Paulum Viualdum, q. Antonij.
Hieronymum Axeretum.
Antonium Sophiam.
Christophorum de Iudicibus iur. Doct.
Iacobum Viualdum, q. Baptistæ.
Paulum Grimaldum, q. Augustini.

Vincen-

Vincentium Duratium.
Ioannem Baptiſtam Groppalum.
Gaſparem de ſancto Petro.
Nicolaum de Nigro, q. Pauli.
Angelum de Maiolo.
Silueſtrum Vſuſmaris.
Baptiſtam Maiolum.
Paulum Delphinum.
Raphaëlem Oliuam.
Auguſtinum de Iudicibus.
Herculem Caſtilionum.
Iacobum Robertum.
Alexandrum Rubeum.
Ioannem Baptiſtam Grimaldum, q. R^mi.
Bartholomæum Ritium.
Auguſtinum Grimaldum, q. Io. Baptiſtæ.
Lucam Grimaldum, q. Franciſci.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Philippum Spinulam, q. Ambroſij.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.
Danielem Spinulam, q. Nicolai.
Io. Baptiſtam Spinulam, q. Antonij.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Iofredum Spinulam, M^ci. Lucæ.
Nicolaum Spinulam, q. Steph. iuris Doct.
Iacobum Spinulam, q. Federici.
Io. Baptiſtam Gentilem, q. Iacobi.
Raphaëlem Odonum.
Ioannem Odonum.
Ioannem Senaregam.
Io. Baptiſtam de Auria, D. Antonij.
Paganum de Auria.
Ioannem de Regibus.
Franciſcum Clauexanam iur. Doctorem.
Clementem de Ruere.
Nicolaum de Auria, q. Io. Iacobi.
Marcum de Auria, q. Stephani.
Nicolaum de Auria, q. Iacobi, q. Petri.
Proſperum de Auria, D. Dominici.
Baptiſtam de Ricardis.
Marcum Fociam.
Franciſcum de Auria, q. Nicolai.
Baptiſtam Garbarinum.
Stephanum Gentilem, q. Conſtantini.
Bartholomæum Coronatum.
Georgium Gentilem, q. Conſtantini.
Stephanum Pinellum, q. Auguſtini.
Io. Franciſcum Balbum, q. Nicolai.
Michaëlem Adurnum.
Paulum Adurnum.
Thobiam Pallauicinum.
Galeatium de Auria.
Caſtellinum de Auria.
Io. Philippum de Auria, q. Lambæ.
Hieronymum de Auria, D. Pauli.

Nicolaum Cornerium.
Hieronymum de Nuce.
Benedictum de Auria, q. Io. Baptiſtæ.
Adrianum de Auria.
Pelegrum de Auria, D. Ioannis.
Alaramum de Auria.
Ludouicum Interianum, q. Oberti.
Nicolaum Gambaruttam.
Baptiſtam Parriſolam.
Ambroſium Interianum, q. Bartholomæi.
Franciſcum Groſſum, q. Laurentij.
Silueſtrum de Paſſalio.
Ioannem Antonium Baſſadone.
Lucam Siuori.
Franciſcum Pallauicinum, q. Babilani.
Felicem Pallauicinum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Iacobum Seneſtrarium.
Iacobum Moneliam, q. Mag. Benedicti.
Io. Baptiſtam Salutium.
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Franciſcum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Ioannem Baptiſtam Seſterium.
Hieronymum de Clauaro, q. Lucæ.
Andream Pedralues.
Ioannem Lumellinum, q. Antonij.
Antonium Balianum.
Alexandrum Imperialem, q. Auguſtini.
Michaëlem Portam.
Franciſcum Terrilem Phyſicum.
Nicolaum Balianum iur. Doct.
Ioannem Baptiſtam Mercante.
Ioannem Iacobum Imperialem, q. Vincentij.
Baptiſtam de Terrili.
Nicolaum Sangninetum Phyſicum.
Hieronymum Marinetum.
Io. Baptiſtam Ioardum, q. Benedicti.
Auguſtinum Lumellinum, q. Iacobi.
Angelum Lumellinum, q. Auguſtini.
Philippum Lumellinum, q. Franciſci.
Andream Picchenotum.
Lucam Iuſtinianum, q. Vincentij.
Petrum Ioſephum Iuſtinianum.
Hieronymum Iuſtinianum Roccataliatam.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori.
Auguſtinum Muſſinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Dauidem Vaccarium iur. Doct.
Baptiſtam de Ferrariis, q. Galeoti.
Lucam de Fornariis iur. Doct.
Leonardum de Multedo.
Franciſcum Sauli, q. Dominici.
Philippum Sauli.
Antonium Gualterium.
Ioannem Grillum, D. Lucæ.

Paulum

Paulum de Cattaneis.
Gotardum Biſcottum.
Petrum Cantellum.
Nicolaum Vignolum.
Ioannem Griffum.
Stephanum Doxium.
Alexandrum de Vultabio.
Io. Baptiſtam Nigronum, q. Petri.
Raphaëlem Merellum Phyſicum.
Io. Auguſtinum Airolum.
Iacobum Nigronum, q. Simonis.
Melchionem Nigronum, q. Siluagij.
Leonem Merellum.
Bernardum Bancherium.
Stephanum Viualdum, q. Franciſci.
Iulianum Benigaſſium.
Lazarum Viualdum, q. Hieronymi.
Antonium Viualdum, D. Pauli.
Antonium Cebam Grimaldum, q. Bernardi.
Bartholomæum Feretum.
Hieronymum Mulaſanam.
Anfreonum Cebam Grimaldum.
Hieronymum Zinum.
Angelum Ritium, q. Petri Pauli.
Io. Franciſcum Grimaldum, D. Baptiſtæ.
Auguſtinum Grimaldum.
Andream de Ferrariis.
Auguſtinum Cebam Grimaldũ, q. Antonij.
Laurentium Buzalinum.
Gerardum Cebam Grimaldum.
Ioannem Baptiſtam Petrarugiam.
Hieronymum Grimaldum, D. Lucæ.
Ioannem de Ferrariis, q. Blaxij.
Lazarum Grimaldum, q. Auguſtini iur. Doct.
Gregorium Spinulam, q. Io. Franciſci.
Laurentium de Ferrariis.
Dominicum Spinulam, q. Iacobi.
Gaſparem Franſonum.
Andream de Benedictis.
Paulum de Benedictis.
Ambroſium Spinulam, q. Franciſci.
Auguſtinum Pinelum.
Ioannem Auguſtinum de Rauiolis.
Iulianum Spinulam, q. Accelini.
Ioannem Baptiſtam Spinulam, q. Stephani.
Io. Auguſtinum Iuſtinianum, q. Nicolai.
Dionyſium Spinulam, q. Hieronymi.
Thadæum Spinulam, q. Iacobi.
Ludouicum Spinulam, q. Franciſci.
Franciſcum Murchium.
Hieronymum Spinulam, q. Philippi.
Laurentium Spinulam, q. Quilici.
Antonium Argiroffum.
Stephanum Spinulam, q. Pauli.
Ambroſium de Eccleſia.
Matthæum de Ponte.
Dominicum Spinulam, q. Stephani.
Io. Baptiſtam Spinulam, q. Bernardi.
Antonium Roccataliatam, Hieronymi.
Paulum Spinulam, q. Gregorij.
Vrbanum Cauaturtam.
Stephanum Spinulam, q. Ambroſij.
Hieronymum Spinulam, q. Gregorij.
Pelegrum Rebuffum.
Io. Dominicum de nouis iur. Doct.
Thomam de Turri.
Nicolaum Parriſolam.
Carolum Spinulam, q. Pauli.
Cattaneum Spinulam, q. Simonis iur. Doct.
Io. Baptiſtam de Blaxia.
Lucam Spinulam, q. Iacobi Mariæ.
Io. Paulum Iuſtinianum.
Hectorem Spinulam, q. Auguſtini.
Sebaſtianum Spinulam, q. Gregorij.
Petrum Baptiſtam Cauanam, D. Ioan. Mariæ.
Obertum Spinulam, q. Franciſci.
Hieronymum Spinulam, q. Gregorij iur. Doct.
Franciſcum de Luciano.
Francum Spinulam, q. Gaſparis.
Io. Baptiſtam Caluum.
Oratium Spinulam, q. Io. Mariæ.
Simonem de Iugo.
Ioannem Mariam Spinulam, D. Lucæ.
Conradum Spinulam, q. Panthaleonis.
Gregorium de Monterubeo.
Antonium Bonam.
Philippum Iuſſanum.
Antonium Mariam Spinulam, q. Iacobi.
Lazarum Spinulam, q. Iacobi Mariæ.
Paulum Baptiſtam Spinulam, q. Simonis.
Vincentium Carpeninum.
Damianum Spinulam iur Doct.
Bernardum Peliſonum.
Ioannem Franciſcum de Franciſcis.
Marcum Gentilem, q. Iacobi.
Nicolaum Gentilem, q. Ambroſij.
Dominicum Gentilem, q. Io. Baptiſtæ.
Paulum Gentilem, q. Gaſparis.
Io. Andream Coſtapelegrinam iur. Doct.
Panthaleonem Gentilem, q. Simonis.
Thomam Gentilem, q. Benedicti.
Baptiſtam de Canali.
Vincentium Adurnum.
Demetrium Pinellum.
Io. Andream Pinellum, D. Io. Pauli.
Raphaëlem Pallauicinum Marci Antonij.
Nicolaum Pallauicinum, q. Io. Franciſci.
Benedictum Siuorium.
Gotardum Coronatum.
Innocentium Pallauicinum, q. Nicolai.

Andream

Andream Pallauicinum, q. Ludouici.
Iacobum Mariam Pallauicinum.
Carolum Pallauicinum, q. Vincentij.
Benedictum Rotulum.
Augustinum Pallauicinum, q. Philippi.
Laurentium Capellonum.
Bartholomæum Caluum, Hieronymi.
Augustinum Senestrarium, D. Iacobi.
Andream Centurionum, q. Dominici.
Laurentium Piccalugam.
Barnabam de Illice.
Sebastianum Centurionum, q. Iacobi.
Manfreonum Centurionum.
Benedictum Centurionum, q. Luciani.
Federicum Centurionum, q. Pauli.
Thomam de Calanis Physicum.
Stephanum Centurionum, q. Dominici.
Augustinum Centurionum, q. Iacobi.
Augustinum Centurionum, D Hieronymi.
Ioannem Baptistam Farinanti illustrissimi.
Ioannem Centurionum, q. Francisci.
Leonardum Lumellinum, q. Hieronymi.
Augustinum Lumellinum, q. Philippi.
Iacobum de Alegro.
Benedictum Lumellinum, q. Io. Baptistæ.
Andream Lumellinum, q. Panthaleonis.
Iosephum Stratam.
Nicolaum Lumellinum, q. Io. Baptistæ.
Io. Baptistam Lumellinum, q. Babilani.
Nicolaum Saulium, q. Antonij.
Vincentium de Plebe.
Io. Baptistam Lumellinum, q. Panthaleonis.
Laurentium Saulium, D. Octauiani.
Benedictum Lumellinum, q. Germani.
Io. Baptistam Lumellinum, D. Benedicti.
Io. Baptistam Passanum, q. Bartholomæi.
Augustinum de Facio.
Ambrosium Lumellinum, q. Philippi.
Christophorum Axeretum.
Ambrosium Lumellinum, D. Hieronymi.
Augustinum Lumellinum, q. Baptistæ.
Baptistam Spinulam, q. Hieronymi.
Benedictum Argiroffum.
Ansaldum Iustinianum iur. Doct.
Baptistam Iustinianum, q. Vrbani.
Carolum Spinulam, q. Luciani.
Io. Paulum Iustinianum, q. Nicolai.
Augustinum Spinulam, q. Stephani.
Ansaldum Grimaldum, Io. Baptistæ.
Gasparem de Franchis, q. Antonij.
Ioannem Iacobum Grimaldum, Pauli.
Balianum Fornarium.
Victalianum Fornarium.
Ioannem Spinulam, q. Nicolai.
Vincentium Fornarium, q. Io. Baptistæ.
Gasparem de Fornariis.
Ioannem Hieronymum de Bene.
Ioannem Baptistam Compianum.
Io. Baptistam Fornarium, q. Bartholomæi.
Vincentium Ritium, q. Io. Matthæi.
Christophorum Spinulam, q. Georgij.
Baptistam Lumellinum, q. Baptistæ.
Bendinellum Saulium, q. Sebastiani.
Thomam Saulium, q. Iuliani.
Franciscum Vnciam.
Iosephum Stratam Physicum.
Bernardum de Sopranis.
Paulum Vincentium Lumellinum.
Iacobum Guisum.
Iulianum Donatum.
Raphaëlem Spinulam, q. Augustini.

Hi sunt numero quadringenti.

Pro Consilio minori magnificos Dominos, videlicet:

Ioannem Saluaigum, q. Benedicti.
Augustinum Saluaigum, q. Ambrosij.
Hieronymum Marinum, q. Francisci.
Augustinum Marinum, q. Donaini.
Petrum Baptistam Cattaneum iur. Doct.
Bartholomęum Lazaniam.
Gasparem Oliuam.
Baptistam Bauam.
Franciscum Taliacarne iur. Doct.
Antoniotum Cattaneum, D. Stephani.
Stephanum Cigalam, q. Bartholomæi.
Antonium de Brignolis.
Franciscum Fliscum, D. Hectoris.
Benedictum Caneuarium.
Ioannem Stephanum Moronum.
Ioannem Marruffum.
Io. Baptistam Lercarium, q. Stephani.
Baptistam Butonum.
Baptistam Camillam.
Nicolaum Serram.
Iacobum de Nigro, q. Ioannis.
Stephanum Pasquam.
Edoardum de Nigro Physicum.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Antonium Inuream.
Nicolaum de Auria, q. Reuereñ.
Siluestrum Inuream.
Georgium de Auria, q. Melchionis.
Augustinum de Auria, q. Iacobi, q. Aug^ni.
Io. Baptistam de Auria, q. Dominici.

Bernardum Caſtaneam.
Dominicum Grillum.
Franciſcum Vignolum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Baptiſtam Nigronum, q. Baptiſtæ.
Paulum Viualdum, q. Antonij.
Hieronymum Axeretum.
Antonium Sophiam.
Chriſtophorum de Iudicibus.
Iacobum Viualdum, q. Baptiſtæ.
Paulum Grimaldum, q. Auguſtini.
Vincentium Duratium.
Alexandrum Rubeum.
Io. Baptiſtam Grimaldum, q. R^mi.
Bartholomæum Ritium.
Auguſtinum Grimaldum, q. Io. Baptiſtæ.
Lucam Grimaldum, q. Franciſci.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Philippum Spinulam, q. Ambroſij.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.
Danielem Spinulam, q. Nicolai.
Io. Baptiſtam Spinulam, q. Antonij.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Iofredum Spinulam, Mag. Lucæ.
Nicolaum Spinulam, q. Stephani iur. Doct.
Iacobum Spinulam, q. Federici.
Io. Baptiſtam Gentilem, q. Iacobi.
Raphaëlem Odonum.
Ioannem Odonum.
Ioannem Senaregam.
Baptiſtam Garbarinum.
Stephanum Gentilem, q. Coſtantini.
Bartholomæum Coronatum.
Georgium Gentilem, q. Coſtantini.
Stephanum Pinellum, q. Auguſtini.
Io. Franciſcum Balbum, q. Nicolai.
Michaëlem Adurnum.
Paulum Adurnum.
Thobiam Pallauicinum.
Io. Antonium Baſſadone.
Lucam Siuorium.
Franciſcum Pallauicinum, q. Babilani.
Felicem Pallauicinum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Iacobum Seneſtrarium.
Io. Baptiſtam Salutium.
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Franciſcum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Io. Baptiſtam Seſterium.
Hieronymum de Clauaro, q. Lucæ.
Andream Pedralues.
Io. Lumellinum, q. Antonij.
Auguſtinum Lumellinum, q. Iacobi.
Angelum Lumellinum, q. Auguſtini.
Philippum Lumellinum, q. Franciſci.
Andream Picchenotum.
Lucam Iuſtinianum, q. Vincentij.
Petrum Ioſephum Iuſtinianum.
Hieronymum Iuſtinianum Roccataliatam.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori.
Auguſtinum Mulfinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Dauid Vaccarium iur. Doct.
Baptiſtam de Ferrariis, q. Galeotti.
Lucam de Fornariis iur. Doct.
Leonardum de Multedo.
Franciſcum Saulium, q. Dominici.
Philippum Saulium.

Et hi ſunt numero centum.

Seligimus inſuper centum & viginti Patres, viros omni virtutum genere cumulatos, & publicæ quietis ſtudioſos. Horum nomina in vrnam, ſeu capſulam, modo & forma à nobis deſcripta, coniici mandamus; vt primo quoque tempore ſorte educti Reipublicæ ſeruiant, iuxta Legum noſtrarum formam.

Horum autem nomina ſunt hæc, videlicet magnificos Dominos

AVGVSTINVM Saluaigum, q. Ambroſij.
Ioannem Saluaigum, q. Benedicti.
Bartholomæum Saluaigum, q. Benedicti.
Lucam Iuſtinianum, q. Vincentij.
Petrum Ioſephum Iuſtinianum.
Franciſcum Saulium, q. Dominici.
Philippum Saulium, q. Alexandri.
Petrum Baptiſtam Cattaneum.
Franciſcum Fliſcum, D. Hectoris.
Bendinellum Saulium, q. Sebaſtiani.
Laurentium Saulium, D. Octauiani.
Stephanum Cigalam.
Ioannem Auguſtinum Iuſtinianum.
Ioannem Paulum Iuſtinianum.
Cattaneum Marinum.
Auguſtinum Marinum.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai
Hieronymum de Franchis, q. Petri Baptiſtæ.
Iacobum Lercarium, q. Franciſci.
Franciſcum Lercarium, q. Nicolai.
Ambroſium de Nigro.
Franciſcum de Nigro, q. Bonifacij.
Balianum de Fornariis.

Vincen-

Vincentium de Fornariis,q. Io. Baptiſtæ.
Nicolaum de Auria, q. R^mi.
Nicolaum de Auria, q. Mag. Iacobi.
Georgium de Auria, q. Melchionis.
Chriſtophorum de Fornariis.
Lucam de Fornariis iur. Doct.
Nicolaum de Auria, q. Iacobi, q. Petri.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Paulum Adurnum, q. Baldaſaris.
Michaëlem Adurnum.
Auguſtinum de Auria, q. Mag. Iacobi.
Vincentium Adurnum, q. Iuliani.
Paulum Baptiſtam Interianum.
Iacobum Seneſtrarium.
Iacobum Viualdum, q. Baptiſtæ.
Dominicum Grillum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Bendinellum Nigronum.
Vincentium Zoalium.
Stephanum Pinellum.
Raphaëlem Odonum.
Ioannem Odonum, q. Ioannis.
Io. Baptiſtam Grimaldum, q. R^mi.
Bartholomæum Ritium, q. Stephani.
Antonium Grimaldum Cebam.
Auguſtinum Grimaldum, q. Io. Baptiſtæ.
Gaſparem Oliuam.
Lucam Grimaldum, q. R^mi.
Nicolaum Paxerium.
Dauid Vaccarium iur. Doct.
Andream Picchenotum.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Nicolaum Spinulam, q Stephani, iur. Doct.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam Garbarinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Io Baptiſtam Spinulam, q. Antonij.
Iofredum Spinulam.
Danielem Spinulam.
Franciſcum Zoalium.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.
Petrum Benigaſſium.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Iacobum Spinulam, q. Federici.
Io. Baptiſtam Gentilem, q. Iacobi.
Ambroſium Bondinarium.
Ioannem Marruffum.
Bartholomæum Lazaniam.

Nicolaum Gentilem, q. Ambroſij.
Baptiſtam Bauam.
Franciſcum Pallauicinum, q. Babilani.
Thobiam Pallauicinum.
Franciſcum Taliacarne iur. Doctorem.
Nicolaum Pallauicinum.
Antonium Inuream.
Io. Baptiſtam Ragium.
Baptiſtam Buronum.
Andream Centurionum, q. Dominici.
Federicum Centurionum, q. Iacobi.
Chriſtophorum Centurionum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Franciſcum Inuream.
Silueſtrum Inuream.
Baptiſtam Monſiam.
Silueſtrum Paſſalium.
Franciſcum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Ioannem Lumellinum, q. Antonij.
Antonium Sophiam.
Paulum Vincentium Lumellinum.
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Marcum Rubeum, D. Alexandri.
Vincentium Duratium.
Hieronymum Clauarum, q. Lucæ.
Benedictum Caneuarium.
Auguſtinum Lumellinum.
Marcum Moronum iur. Doctorem.
Gregorium de Turri.
Iacobum de Saluo, q. Pelegri.
Nicolaum Serram D. Pauli.
Baptiſtam Camillam.
Silueſtrum Vſuſmaris.
Stephanum de Mari.
Alexandrum Imperialem, q. Auguſtini.
Benedictum Pernicem.
Ambroſium Carmagnolam.
Nicolaum Piccamilium.
Michaëlem Portam.
Ioannem Griffum.
Iulianum Maroſellum.
Io. Baptiſtam Ceſterium.
Franciſcum Montebrunum.
Stephanum Squarciaficum, q. Hilarij.
Iacobum Moneliam, q. Benedicti.
Vincentium Coſtam.
Clementem de Ruere.
Bernardum de Sopranis.

Hi ſunt numerò centum viginti.

Hos autem, & quoſcumque alios Magiſtratus per nos electos volumus Reipublicæ ſubiectos eſſe, eiq; parere debere; ſeruata tamen forma conſtitutionum noſtrarum, & non aliter.

Omiſimus autem nonnullos in hac noſtra electione ex propoſito æquè bonos, aptos, & in Rempublicam propenſo animo, ac ſunt iam per nos nuncupati; vt electis cedentibus, hi quoque poſſint Reipublicæ inſeruire.

Eligimus inſuper infraſcriptos Iurecõſultos, quorũ virtus, probitas, & litterarũ ſciẽtia nobis

probata, & perſpecta eſt; qui triennio hoc proximo Rotæ criminalis, & Aduocati fiſcalis munus obibunt; cum honoribus, auctoritate, ſalariis, & præeminentiis à nobis eiſdem, & ſucceſſoribus ſuis aſſignatis. Horum primus (cùm ſecundum ætatis gradum deſcripti ſint) primo anno Prætor erit; mox alij ſuo ordine curſum Præturæ implebunt.

Hi ſunt magnifici Iureconſulti:

Petrus Antonius Vicedominus.
Blaſius de Loſſo, & Hieronymus de Gerardis.

Pro Aduocato fiſcali:

Magcus. Paulus Albutius.

De reſtitutione ſpoliatorum.

CAPVT LIX.

NON ignoramus in hiſce bellicis tumultibus qui in hac Republica exarſerunt, multas hinc & inde interceſſiſſe, iure quodam belli, aut potius iniuria, direptiones, depopulationes, & deprædationes, quæ ſubditis, ac aliis non leuia incommoda attulerunt. Vt igitur, quantum fieri poteſt, ab animis hominum flebilis hæc memoria ſucceſſuum funeſtorum deleatur; Volumus omnia hinc & inde occupata, direpta, aut deprædata tam in Dominio, quàm extra, tam in mari, quàm in terra, & vbique locorum tam ſubditis, quàm aliis omnino, & ceſſante prorſus omni exceptione reſtitui debere. Huius verò Decreti, & Legis executionem demandamus Prætori, qui ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſolaque facti veritate inſpecta, prouideat, vt ſtatim, remotaque omni appellatione ſpoliatis ablata reſtituantur.

Declaratio conſeruationis libertatis.

CAPVT LX.

INSVPER ad maiorem potius Reipublicæ ſecuritatem, quàm quòd neceſſarium exiſtimemus, declaramus mentis noſtræ, Principúmve noſtrorum non fuiſſe, nec eſſe, quòd per harum Legum condicionem, aut quamcumque Magiſtratuum electionem, aut alia quæcumque, quæ per nos facta ſint, aliquod cenſeatur, nec ſit illatum præiudicium libertati Reipublicæ Genuenſis; nec quòd ea in controuerſiam deducta ſit; quam Principes noſtri omnino illibatam, atque intactam, & conſeruatam eſſe volunt.

Abrogatio omnium Legum quæ præſentibus contrariantur, & innouatio aliarum. CAPVT LXI.

CVM opportunè prouiderimus tum Magiſtratuum electionibus, tum etiam nonnullis abuſibus qui imperfectam admodum Reipublicæ inſtitutionem reddebant, cenſuimus neceſſarium tollere omnia impedimenta, quæ harum Legum plenam, & integram executionem aut impedire, aut offuſcare potuiſſent. Quare præſentium tenore Leges omnes antiquas, Decreta, Statuta, aut conſuetudines etiam immemorabiles, quæ præſentibus noſtris aliquo modo contrariantur, etiam quòd de eis ſpecialis, & indiuidua mentio fienda eſſet, abrogamus, annullamus, & irritamus: his, quæ non contrariantur, ſiue Reipublicæ adminiſtrationem, ſiue iuſtitiam ciuilem reſpiciant, ſiue conuentiones cum finitimis quibuſcumque initas, & hucuſque obſeruatas, concernunt, innouatis, ac confirmatis.

ERE-

ERECTIO ROTÆ CRIMINALIS.

CAPVT I.

CVM nihil magis necessarium sit pro conseruanda quiete in Republica, quàm iustitiam fouere, & eam illa qua decet auctoritate, omnibus æqua lance administrare: Proinde sancimus in vrbe Genuæ erigendum esse tribunal trium Iureconsultorum exterorum; qui iudicio, auctoritate, integritate, & rerum experientia polleant; quique nulla cum ciuibus Genuensibus affinitate coniuncti sint; tribunalque hoc Rotæ criminalis nomine appellari debere.

De electione Rotæ criminalis, & fiscalis.

CAPVT II.

EOs qui administrandæ iustitiæ præficiendi sunt, conuenit & integritate vitæ, & morum honestate, & litterarum scientia ceteris omnibus præcellere. Quare vbi de eligendis Rotæ auditoribus agendum erit, curabit illustrissima Dominatio, vt super vita, moribus, doctrina & peritia non modò eorum qui ad id muneris adspirant, verùm eorum etiam quos, vti idoneos, proponi continget, secretæ informationes per duos ex magnificis Gubernatoribus sorte extrahendis assumantur; quibus omnibus fideliter coram Senatu, Procuratoribus, & Consilio minori relatis, nomina eorum qui maiorem partem suffragiorum retulerint, in vrnam ab illustrissimo Duce custodiendam, coniici mandamus; vt suo tempore Rotæ auditores ex ea sorte eliciantur, electis his qui interim mortui fuerint. Quod ita tempestiuè fieri volumus, vt sorte educendi per trimestre, antequam ad munus accedant, præmoneantur. Idem seruari volumus in electione Aduocati fiscalis.

Distinctio officiorum Rotæ, & electio Prætoris.

CAPVT III.

EX hoc Magistratu qui triennium non excedet, singulo anno vnus, inchoando à seniore, & post eum sequentes, secundum ætatis gradum, in Prætorem electi intelligantur, anno tantum hoc munere functuri; ita vt finito triennio, singuli hoc munere anno fruentur. Præeritque Prætor aliis Rotæ auditoribus durante officio, aliisque honoribus, commodis, & præeminentiis, quæ huic muneri adiectæ sunt, perfruetur.

De salario Prætoris, & auditorum Rotæ.

CAPVT IIII.

SALARIVM hisce auditoribus Rotæ criminalis persoluatur sexcentorum aureorum annuorum, in singulo trimestri pro rata erogandum ex ærario publico; & hoc vltra habitationem, emolumenta, regalias, immunitates, exemptiones præstari solitas, & consuetas. Cùm verò munere Prætoris fungentur, vltra sexcentos scutos aureos, (vt dignitatem officij sui tueri decentiùs possint) alios ducentos aureos, pro eo anno tantùm, habeant.

De iustitia fideliter administranda.

CAPVT V.

CVM autem maximè conueniens sit, vt qui alios auctoritate sua in officio & fide continet & coërcet, ipse aliis præstantior sit; sciant Prætor & auditores sibi maximè cauendum ne immundas habeant manus; sed suis stipendiis, & legitimis honorariis contenti sint. Ad hæc se æquales, & iustos omnibus præbeant, nullam penitùs personarum acceptionem habeant: sed omnibus, & contra omnes, æqua lance iustitiam administrent. Quòd si secus factum fuerit, vltra quòd Deum optimum maximum occultorum scelerum grauissimum vltorem & vindicem experientur, seuerè etiam in sindicatu rationem reddent, in quo nulla habebitur ratio, quòd aut metus reuerentialis, aut maiorum iussiones interuenerint, aut impedimento fuerint.

De officio, & salario Fiscalis.

CAPVT VI.

ASSISTAT Rotæ criminali Fiscalis vnus Iurecõsultus,quem & exterum,& versatum in causis criminalibus esse decet,& nulli ciui Genuen. affinitate coniunctum, vt liberè, & sincerè munus suum obire valeat;habeatque pro salario annuo scuta auri trecenta in singulos quatuor menses ex ærario publico eroganda, vltra habitationem, & alia commoda, præeminentia,& immunitates per suos antecessores percipi solitas,& consuetas. Durabit eius munus triennio. eligetur,ac sindicabitur non aliter ac Rotæ criminalis auditores. Sciatque nihil magis muneri suo conuenire, quàm processum, & causarum celerem expeditionem instare, omnique studio, & diligentia curare, vt rei debitas delictorum pœnas luant. Aduertet insuper, & inuigilabit ne fiscus in multis, & condemnationibus pecuniariis, aut bonorum confiscationibus, quæ indies fiunt per Magistratus,damnum,aut illusionem patiatur.

De Militibus, siue Allabarderiis Prætoris.

CAPVT VII.

DECET eos qui administrandæ iustitiæ præsunt, non modò auctoritate pollere, verùm etiam, pro ea aduersus temerariorum impetus,& ausus tuenda, ac conseruanda, viribus præstare. Proinde habebit Prætor sex Germanos milites Allabarderios nuncupatos,illustrissimæ Dominationis impensis, & auctoritate ei subministrandos,qui & domi suæ pro foribus resideant, & eum egredientem continuò publicè,& reuerenter comitentur. Mandabit insuper illustrissima Dominatio præfecto cohortis Prætorianæ, vt pro defensione, & fortiori auctoritate iustitiæ, subministret Prætori eam militum manum, quam ipse postulauerit, vsque ad centum, & vltra: si ita illustrissimæ Dominationi expedire videbitur.

De electione, & salario Baricelli,& satellitum.

CAPVT VIII.

ELIGET sibi Prætor Baricellum vnum practicum, & virilem, cum octoginta strenuis satellitibus, qui ei præsto sint, eiusque iussa diligenter, & fideliter obseruent, & exequantur, nulla habita prorsus personarum acceptione. Huic illustrissima Dominatio scuta quindecim, illis verò scuta tria auri in singulos menses ex publico ærario erogari mandabit: vltra regalias,& emolumenta per eos legitimè percipi solita, & consueta. Caueat autem Prætor ne aliquid muneris,aut præmij, etiam sponte oblati, capiat à Baricello per eum eligendo, occasione huiusmodi electionis.

De iuramento per Prætorem exigendo à Notariis Rotæ criminalis.

CAPVT IX.

EXIGET Prætor à Notariis maleficiorum in principio muneris sui iuramentum de dolo non committendo, ac fideliter, & legaliter exercendo munere, & quòd nemini prorsus, nec prece,nec pretio, nec amicorum, Principúmve rogationibus, aut iussis commoti, secreta processuum pandent,nec pandi permittent,ante eorũ publicationem,sub pœna periurij, falsi, & infamiæ,& vlterius sub pœna pecuniaria arbitrio Prætoris imponẽda,& fisco applicãda.

Quòd Notarij,& alij Officiales Rotæ non excedant taxas suarum mercedum.

CAPVT X.

CVRABIT omni studio, & diligentia Prætor, vt tam Notarij, & Scribæ, quàm nuntij, & cursores,Baricelli, satellites, custodes carcerum,& omnes alij in dicto Magistratu seruientes taxas mercedum ex ordinibus vnicuique eorum præfixas obseruent; neque aliquo pacto directè, aut indirectè excedant. Quòd si contingat aliquos palam,vel secreto à clientulis, aut aliis eorum nominibus plus debito extorquere aut indirecte,expeditiones differendo, vel moras ponendo in sui muneris expletione,ita concutere litigatores,vt tędio affecti,maiorem,quàm par sit,mercedem soluere cogantur: eos pro prima vice in quadruplum eius,quod sibi

sibi per statuta debetur, quoties deliquerint, mulctet. In futurum verò ita seuerè, & grauiter plectat, iuxta facti qualitatem, vt ceteris sint exemplo. Aduertet insuper, & prouidebit ne aliquid penitùs à pauperibus, aut à miserabilibus personis accipiant: sed Notarij omnia acta, & scripturas gratis conficiant, & expleant. Alij verò munera sua, nulla penitùs petita, nec expectata mercede exequátur, sed à Deo optimo maximo huius pij laboris cumulatá expectét.

De denuntiatoribus delictorum.

CAPVT XI.

EXPEDIT maximè, pro iustitia rectè, & diligenter administranda, adesse in ciuitate Denuntiatores criminum. Ideò sancitum est in vnaquaq. parochia per vicinos singulo triennio eligi debere duos Officiales qui teneantur omnia delicta, quæ in sua parochia committi continget ea quæ diurno tempore, saltem in die immediatè sequenti, quæ verò noctu, saltem intra biduum Prætori denuntiare; exprimendo delicti tempus, locum, delinquentes, offensi nomen, & cognomen, & testium qui adfuerint, vel sciuerint, aliasque circumstantias omnes, quas de his acceperint. Qui omiserit, vel minus fideliter denuntiauerit, subeat pœnam ducatorum decem auri, & vltra, arbitrio Prætoris, pro modo culpæ, & negligentiæ; nisi causam attulerit, quare arbitratu Prætoris iure veniat excusandus. Non excusentur tamen ex hoc Medici, & Chirurgi, quin teneantur iuxta Statuti tertij dispositionem lib. primo Criminalium omnes saucios, seu percussos, quibus medebuntur, apud acta D. Prætoris deferre.

De auctoritate, & iurisdictione Rotæ criminalis.

CAPVT XII.

APVD hoc tribunal resideat omnis auctoritas, & iurisdictio causarum criminalium, respectu eorum delictorum, quæ in ciuitate, & tribus curiis Bisamnienſi, Pociferana, & Vulturenſi committentur, tam in procedendo, quàm in decidendo. Verùm respectu eorum delictorum quæ in vniuerso Dominio, comprehensa etiam prouincia Corsicæ, fieri continget, singuli Prouinciarum, & locorum Prætores, & Iusdicentes (demptis tamen locis exemptis, & separatis, si quæ sunt) processus legitimè instruent, & decident. Et vbi agatur de crimine, quod habeat pœnam mortis naturalis, mutilationis membri, & triremium etiam temporalium, non prius manum ad decisionem causæ admouebunt, quàm Rotæ fideliter, & ad amussim statum causæ, & processus, cum eorum voto retulerint, ac responsum decisiuum habuerint; quod ad vnguem seruari, & exequi teneantur.

De modo procedendi per Prætorem, & Rotam in delictis.

CAPVT XIII.

PROCEDET Prætor Genuæ in omnibus delictis, non modò ad partis instantiam, siue accusationem, verùm etiam ex officio; & non solùm per capturam, & inquisitionem, sed etiam præceptis pœnalibus: vbi ita aliis Rotæ auditoribus conuenire videatur, iuxta iuris, & statutorum formam. Et vbi de crimine publico agi contingat, parte etiam non instante, teneatur ex officio procedere, ac omni studio & diligentia veritatem criminis inquirere, cogendo etiam testes de delicto informatos omnibus iuris remediis, etiam per quæstiones & tormenta ad veritatem dicendam; & pro modo culpæ, & iuxta statutorum, & Legum sanctiones, reos punire.

Quòd iurisdictio Rotæ non possit per aliquem impediri.

CAPVT XIIII.

NEMO possit cognitionem, & iurisdictionem D. Prætoris, & auditorum Rotæ cumulatiuè, aut priuatiuè impedire, nec causarum, & processuum criminalium cursum, nec earum decisionem retardare, minimeve suspendere; sublatis etiam Statutis, & Decretis incipientibus. Liceat præterea prædictis Procuratoribus, & Incipien. Item declarauerũt ad abundantem potius cautelam: quę magnificis Procuratoribus, & illustrissimæ Dominationi notionem criminalem hactenus dederunt; ceterisq. Legibus, aut Statutis in contrarium faciẽtibus non obstãtibus quibuscũque. Curabit tamen illustrissima Dominatio, vt Prætor, & auditores

Rotæ iuſtitiam fideliter, & viriliter exerceant. Excipitur tamen caſus criminis læſæ Maieſtatis, & ſeditionis, in quibus illuſtriſſima Dominatio, quæ ex his criminibus de facili labefactari poſſet, vnum, vel duos Gubernatores, vel Procuratores deputare valebit qui cauſis huiuſmodi cum Prætore, & Rota ſimpliciter aſſiſtent, & curabunt, vt huiuſmodi proceſſus, ea, qua decet in tam grauibus delictis, diligentia perficiantur, & pro iuſtitia à Prætore, & Rota expediantur. Adiungendo etiam, vbi ita eis conueniens videatur, duos ex Rotæ ciuilis auditoribus.

De reis temerè in carceribus non retinendis.

CAPVT XV.

NIMIS durum viſum fuit eos qui in carceres truduntur, relaxari non poſſe, niſi cauſa, propter quam detenti fuerint, non modò cognita, ſed etiam deciſa ſit. Ideo rigorem Statuti xxvj. lib. 1. Criminalium temperare volentes, ſancimus id remittendum eſſe arbitrio D. Prætoris, & auditorum Rotæ, qui ſecundum qualitatem facti, & perſonarum, necnon & indiciorum, quibus vnuſquiſque detentus grauabitur, quod iuſtum, & conueniens eis viſum fuerit, ſtatuent.

Quòd in ſententiis per Rotam ferendis duo vota ſufficiant.

CAPVT XVI.

CVM voto aliorum auditorum Rotæ criminalis, Prætor cauſas expediat: duorumque vota, reluctante etiam Prætore, vim habeant ſententiæ, tam in definitiuis, quàm interlocutoris.

De appellationibus reiiciendis, & ſententiarum executione.

CAPVT XVII.

A Sententiis per Prætorem, & Rotam ferendis, ſiue definitiuæ ſint, ſiue interlocutoriæ; nec non à ſententiis per Prætores, & Magiſtratus vniuerſi Dominij Genuenſis in cauſis criminalibus de voto Rotæ ferendis non liceat cuiquam prouocare, appellare, nec de nullitate dicere: ſed ipſæ prout latæ fuerint, executioni mittantur. Verùm vbi agatur de pœna mortis, aut mutilationis membri, ſi in ciuitate, & diſtrictu agatur, per triduum; ſi in inſula Corſicæ, per dies viginti; ſi verò in aliis ciuitatibus, & terris Dominij, per quindecim dies ab executione ſuperſedeatur.

De litteris Principis ad nouas defenſiones.

CAPVT XVIII.

VSu ſæpe compertum eſt, multos ob paupertatem, nonnullos verò inimicorum ſuorum malignitatem, aut etiam Iudicum iniuriam, timentes, cùm in iudicium vocati eſſent, etiam quòd innocentes forent, non fuiſſe auſos in iudicio comparere, maluiſſeque ſententiam in contumaciam pati, quàm euidens vitæ periculum ſubire. Horum indemnitati conſulentes, ſancimus hoſce in contumaciam bannitos, aut condemnatos admitti poſſe ab illuſtriſſima Dominatione ad nouas defenſiones, modò litteræ petantur intra biennium: eoque caſu habenda erit relatio à magnifico Prætore, & intelligendum vtrum ex præſumptionibus, & indiciis tantùm, an verò ex legitimis probationibus damnati ſint; quo caſu nullo modo concedantur. Qui huiuſmodi litteras impetrauerint, teneantur intra decem dies immediatè ſecuturos ſe in carceribus publicis perſonaliter conſtituere; aliàs litteræ ſibi non ſuffragentur. Sciantque ſibi onus incumbere docendi de innocentia ſua, abſque eo quòd fiſcus aliquid probet. Quòd ſi intra annum ſe conſtituerint, & innocentiam ſuam demonſtrauerint; non modò à pœna capitali, verùm etiam à multa pecuniaria, & bonorum confiſcatione liberari valebunt; ſi poſt annum eo caſu à pœna corporali, & capitali tantùm liberari poſſint.

De ſindicatoribus Rotæ criminalis, & inſtantia ſindicatus.

CAPVT XIX.

FINITO officio, ſtatim ſorte eligantur per illuſtriſſimam Dominationem vnus ex ſupremis Sindicatoribus, duo de minori Conſilio, vnus Rotæ ciuilis auditor, & vnus de collegio Docto-

Doctorum, & qui omnes, vel eorum filij lites non habuerint coram sindicandis. qui Prætorem, & Auditores, Fiscalem, Notarios, Baricellum, & familiam sindicent, querelas audiant, processus instruant, libros criminales reuoluant, diligenterque aduertant, num aliquid dolo, iniustè, supináve negligentia actum sit, quod iura fisci, aut tertij offendat; & omnibus perfectis, iustitiam faciant: Instantiaque sindicatus quadraginta dies non excedat.

Quòd officium auditorum Rotæ criminalis triennale sit.

CAPVT XX.

QVI per triennium hoc Magistratu Rotæ perfunctus fuerit, non possit confirmari, vel prorogari, nec ad idem officium assumi, nisi lapso triennio integro, à die functionis sui muneris.

De Protectoribus pauperum carceratorum.

CAPVT XXI.

MAXIME refert pauperum, & miserabilium personarum qui omnium opé destituti, aut in carceribus marcescunt, aut à potentioribus oppressi iniustè, & longiùs fortasse, quàm par sit, detinentur, & quandoque etiam iniustas pœnas subeunt, rationem habere. Proinde officium, quod Protectorum carcerum appellatur, à nobis erigendum esse censuimus. Constabit hic ordo ex duobus ciuibus Christiana pietate insignibus, quos illustrissimus Dux, & Gubernatores eligent; ex duobus item Iureconsultis, quos collegium singulo biennio nuncupabit; duobus item causidicis, quos eorum ordo peritiores singulis duobus annis huic muneri deputabit. Hi postquam electi erunt, nulla admissa excusatione, onus impositum subibunt; carceres adibunt; notulam carceratorum, qui propter paupertatem defensore indigent, habere curabunt; titulum, & causam eorum detentionis à Notariis, vel à Prætore, aut aliis iudicibus intelligent; conuenient in domo senioris Iureconsulti, aut vbi eis opportunius videbitur; de defensione eorum diligenter, & accuratè tractabunt; munera inter se partientur. Doctores, & causidici in videndis processibus, parandis legitimis defensionibus, disputandis causis incumbent. Ciues verò frequentiores erunt in Prætorio, carceratos sæpe inuisent, & intelligent, vtrum in aliquo à custodibus carcerum, vel ab eo qui alimenta subministrat, grauentur; & vbi opus fuerit, omni studio curabunt, vt ab offensis opportunè eis fiant remissiones. Protectoribus (cùm opus adeò pium exerceant) Prætor, & auditores tam ciuiles, quàm criminales facilem aditum, benignasque aures præbebunt. Notarij processus, (si publicati fuerint,) promptè exhibebunt videndos, & explebũt gratis acta, & eorum defensiones eadem pietate gratis recipiẽt: cumulatam mercedem à Deo expectaturi. Horum officium biennale erit. Sciant tamen, lapso biennio, astrictos etiam fore pro hoc munere, vt successores suos diligenter instruant. Doctoribus illustrissima Dominatio scuta quinquaginta pro singulo: Causidicis verò viginti quinque erogari mandabit; vt operam suam pauperibus gratis præstent.

De visitatione carceratorum.

CAPVT XXII.

HORTAMVR insuper illustrissimam Dominationem, quam huic pietati Christianæ addictam esse confidimus, vt semel in mense per duos ex magnificis Gubernatoribus, vel Procuratoribus carceres visitari curet; pauperum, & miserabilium carceratorum causas intelligat; indeque prouideat, vt celeriter, & fauorabiliter, & prout opportunum esse iudicauerit, expediantur.

De abrogatione statutorum, quæ libertati matrimonij, & immunitati ecclesiasticæ aduersantur. CAPVT XXIII.

MAXIME nefarium existimantes matrimonij libertatem vel violare, vel aliquo modo impedire; Censemus statuta in lib. Crimin. 2. cap. 7. & 93. quæ libertati matrimoniorum non leuiter aduersantur, abolenda, & irritanda esse, prout per præsentem sanctionem abolemus, & irritamus. Eadem auctoritate statutum lib. 2. Crimin. cap. 71. §. si quis autem sacris

sacris initiatus, tamquam immunitati, & libertati ecclesiasticæ, ac sacris Canonibus contrarium, tollimus, & abrogamus.

De abrogatione Legum, & statutorum quæ præmissis Legibus aduersantur, & de innouatione aliarum non obstañ. CAPVT XXIIII.

ALIAS verò Leges, statuta, & decreta criminalia ciuitatis Genuen. vti & rationi, & iuri consentanea, innouamus, eorumque executionem D. Prætori, & Rotæ, sedulò iniungimus: his quæ præsentibus nostris constitutionibus, aut alicui earum aliquo modo aduersantur, abolitis, & antiquatis.

QVÆ superiùs descriptæ sunt Leges, Statuta, Decreta, Ordinationes, atque Electiones, & paullò antè publicè recitatæ fuerunt, eas, & ea Nos Ioannes Cardinalis Moronus, sacri Collegij prior, sanctæque Sedis Apostolicæ de latere Legatus; Petrus Faunus Costachiarius, sacri imperij Comes, & Princeps, Episcopus Aquensis, Cæsareusque Orator, & Commissarius; Don Carolus à Borgia Gandiæ Dux; & Don Ioannes de Idiaquez, sacræ Catholicæ Maiestatis Consiliarius, & eiusdem Orator apud Genuenses, ambo ministri catholici Regis, Deo optimo maximo annuente, concordibus votis, & nemine nostrûm penitùs discrepante, facta prius per nos, & quemlibet nostrûm Principibus nostris plena, & integra omnium relatione; & de eorum omnium communi, ac penitùs concordi voto, & mandato, pro reformatione Genuensis Reipublicæ, ac eiusdem bono, iusto, quieto, & pacifico statu condidimus, ac compilauimus. Et in fidem præmissorum manu propria subscripsimus, & nostris sigillis sigillari, & à Secretariis nostris subscribi iussimus. Dat. Casali Montisferrati, die Sabbati, Decima Martij, anno à partu Virginis, M. D. LXXVI.

Ioannes Episcopus Ostiẽ. Cardinalis Moronus, Legatus è Latere, &c.
Petrus Faunus Costachiarius Episcopus Aquensis, Orator, & Commissarius Cæsareus, &c.
Don Carolus à Borgia Gandiæ Dux, &c. Et Don Ioannes Idiaquez Orator, Ministri Catholici, &c.

CONDIDIMVS Legem, in qua decreuimus, officia Scribarum, qui à Secretis sunt illustrissimæ Dominationis, in futurum singulis lustris conferenda esse per duo Collegia, & Consilium minus. Verùm voluimus hos qui nunc Reipublicæ seruiunt, in munere suo per quinquennium perseuerare debere: si ita hi qui eligendi eos ius habent, arbitrati fuerint; sed inde dubitatum fuit, quòd statim, acceptatis Legibus, nec accedente consensu & duorum Collegiorum, & Consilij minoris, extincta esset horum facultas; id quod nos existimauimus indubitatum esse, cùm nullo verbo, aut sensu Legis caueatur, quòd hi debeant à munere vacare præsenti tempore: quinimò decreta sit certa, & expressa continuatio, & perseuerantia officij vsque ad quinquennium; nec eligere debentibus reseruata sit alia facultas, quàm arbitrandi, an perseuerantia hæc debeat vsque ad quinquennium currere, an minori tempore. Verùm ad maiorem declarationem, & ad tollendas etiam superfluas dubitationes, edicimus mentis nostræ non fuisse, quòd horum qui nunc seruiunt, munus extinctum esset, nisi & duo Collegia, & Consilium minus contrarium fuerint arbitrati. Verùm id voluisse, præsentes Scribas in suo munere perseuerare debere vsque ad quinquennium: vbi ab illustrissima Dominatione habeant litteras confirmatorias, quas singulis annis impetrandas esse duximus: nisi & duo Collegia, & Consilium minus quinquennalem hanc continuationem auctoritate sua præciderint. Verumtamen hoc præsenti anno litteras confirmatorias minus necessarias esse censemus; sed munus Scribarum sine aliqua difficultate durare; & ita obseruari debere volumus. In quorum fidem, &c.

Dat. Casali Montisferrati Die 18. Martij. M. D. LXXVI.

Ioannes

Ioannes Cardinalis Moronus Legatus Apostolicus, &c. Petrus Faunus Costachiarius Episcopus Aquensis Orator, & Commissarius Cæsareus: Don Carolus Borgia Gandiæ Dux: Et Don Ioannes Idiaquez Orator, Ministri Catholici, &c.

DEDIMVS formam in Legibus nostris, qua Officiales, & Magistratus in Republica Genuensi in futurum eligi debeant; & omnium qualitates, quas in eligendorum personis desiderauimus, suis in locis descripsimus; & officiorum, quæ aliâs per duo collegia, aliosque viginti octo conferebantur; nonnullis exceptis, eisdem duobus collegiis, vnà cum minori Consilio eligendi in futurum facultatem dedimus, & contulimus. Verùm quia de infrascriptorum officiorum, & Magistratuum electione distinctam mentionem non fecimus, cùm huiusmodi Magistratus, & officia in ciuitate Genuæ exerceantur, & magnam auctoritatem, atque iurisdictionem administrent: Nos, ne deinceps dubium aliquod oriri possit, hac nostra præsenti Lege decernimus, & sancimus electionem Officiorum, & Magistratuum Extraordinariorum, Corsicæ in ciuitate Genuæ, Terræfirmæ, Patrum communis, Annonæ, Censorum siue Magistralium, & Monetæ de cetero ad duo Collegia, & Consilium minus pertinere, cum eisdem suffragiis, modis, & formis, quas in aliis similibus eligendis præscripsimus, & desiderauimus: Non obstantibus quibuscumque Legibus, Statutis, decretis, ordinationibus, vel consuetudine etiam immemorabili in contrarium facientibus: quibus omnibus expresè derogamus. Et nihilominus cetera per nos in Legibus nostris sancita, & præsertim circa præmissa, inuiolata, & intacta esse, & remanere decernimus, sancimus, & censemus. In quorum fidem, &c.

Dat. Casali Montisferrati, Die XIX. Martij, Anni M. D. LXXVI.

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HIS ANNALIBVS CONTINENTVR.

AAron Spinula Insubricis cataphractis præficitur. 140.
Abraimus excidit gratia Solymani 500. eiusdem iussu noctu inter dormiendum iugulatur. 501. exemplũ humanæ infelicitatis. ibid.
Acellinus Auria cum plerisque aliis nobilibus viris publicum palatium extruit. 90.
Actius Sincerus Sannazarus summo in pretio habitus à Ludouico Galliarum rege. 441.
Adolphus Comes Neuenarius mittitur legatus ad Cæsarẽ Rodolphum. 483.
Adrianus Dertosonus Pont. eligitur, Leonis successor, & vocatur Sextus. 451. eius Genuam aduentus. 455. Romam profectio. 456. mors grata Italis. 459.
Adriani v. egregiæ dotes & in patriam ardentissimum studium. 731.
Adurnius Princeps Reipub. 138. per vim principatum recuperat. 161. eius victoria. 162. quarto princeps declaratus. 173. eius sollertia in retinendo principatu. 177.
Adurnij Genua excedunt. 401.
Adurniorum & Fliscorum clades. 438.
Aegidius Buccanigra Hispanicæ classis præfectus. 123. eiusdem aduersus Mauretanos victoria. 123. Aegidius Nigrius. 84.
Aeneæ tormenta quando primùm reperta fuerint. 771.
Aenobarbus, vulgò ab Eysenbarde. 210.
Ager Ligusticus à Castrario diuexatur. 110. ab Insubris diuexatur. 764.
Agria & Corcyra Melæna à seminis potissimùm defensa. 405.
Aidinus Smyrnæus insignis pirata. 485. eius victoria. 486.
Alanus Costa. 659.
Alaricus Gothorum rex. 92.
Albanus dux mittitur prorex in Italiam. 557. infeliciter pugnat cum Gallis in Gallia transalpina. ibidem.
Albertus Fliscus. 86.
Albertus Gauij March. à Genuens. in carcerem conijcitur. 30.
Albertus Spinula mittitur ad Sultanum. 88. & 679.
Albingaunum & portus Veneris deditionem faciunt. 55. à Gibellinis occupatur. 101. à Genuens. maturo præsidio sublenatur. 258. à Pisanis direptum. 638. à Cæsarianis deditione occupatum. 688. eorum & Sauonensium defectio. 43. tandem in gratiam recepti. 38.
Albintimilij defectio & recuperatio. 12. frustra à Genuens. oppugnatum. 24. rursus in gratiam redit. 38. noua defectio. 42. & 54. obsidetur. 55. denuò recipitur in gratiam. ibidem. diripitur. 105. noua defectio. 212. diripitur à Genuensibus. 209.
Alemanus Consta Genuensium beneficiarius. 711. à Venetis captus. 712.
Alexander ab Alexandro vir singularis eruditionis. 392.
Alexãder Fulgosius Albintimilij Episcopus frustrà Genuam inuadit. 449.
Alexander VI. Pontifex creatur. 370. obitus. 380.
Alexander Medices Florentiæ interficitur. 505.
Alexander Vitellus. 511.
Alexandri Florẽtiæ principis cædes. 498.
Alexandrini Genuensium opem implorant & obtinent. 14. Genuensibus bellum indicunt, & Capriatum frustrà obsident. 40. eorum pertinacia. 41. & 42. iterum arma aduersus eosdem corripiunt. 46. eorum immanitas & furor, ibidem.
Alfonsus Aragonius inuadit Corsicam. 226. Caluio occupato, Bonifacium obsidet. 226. eius conflictus cum classe Ligustica. 230. relicta insula in Siciliam nauigat. ibid. Massiliam diripit. 235. cum instructissima classe ad Pontiam insulam cum Genuens. congreditur, & victus, Mediolanum perducitur. 248. humanissimè dimittitur. 249. recuperat Neapolim. 267. cum Genuens. reconciliatur. 271. nouum bellum excusitat. ibid. Genuam & Corsicam infestat. 285. eius epistola ad Petrum Fulgosium principem. 287. bellum infert. 292. mors & natura. ibid.
Alfonsi Aragonij auxiliares copiæ ad expugnandam Almeriam. 623. eiusdem constantia. ibidem.
Alfonsi Petrucij Card. aduersus Leonem X. conspiratio. 447. mors. 448.
Alidosij cardinalis cædes. 431.
Almeriæ obsidio. 623. expugnatio. 629.
Almericus Balduini successor. 95. 408.
Aloysius Spinula.
Aloysius Lauretanus Victori Pisano in re nauali succedit. 779.
Aluarus Nonius doctor. 369.
de Alumine. 302.
Ambrosij Nigrij eximia virtus. 392.
Ambrosij Grimaldi præsagium in somnio. 787. interitus. 788.
Amicus Stregia. 703.
Amplificatio portus Genuens. 95.
Anciani qui dicantur. 222.
Andora arx à Genuensibus octo millib. librarum coëmpta. 69.
Andreæ Alciati obitus. 537.
Andreas Auria à Gallo conducitur, eiq; inseruit. 455. Gallicæ classi præficitur. 464. in portu Delphini victoria. 465. defectio à rege Gall. 473. cur à Gallis ad Cæsarem deficit. 474. torquem conchyliatum Francisco regi remittit. 475. victor Genuam ingreditur. 475. principatum renuit. 476. ingens in patriam studium atq; amor. 476. singularis virtus & felicitas. 477. patriam in pristinam libertatem vindicat, ideoq; marmoreæ statua donatur, ibidem. pater patriæ appellatur. ibid. Carolo V. admodum gratus & familiaris. ibid. ab eodem torque aurei velleris donatur, & Melphiorum Dux declaratur, ibidem. summum vitæ periculum euitauit. 478. iussu Cæsaris cum sua classe in Hispaniam nauigat, vt ipsum in Italiam deuehat. 479. Portundi cædem vindicare conatur. 487. eius classis contra Turcas. 490. & variæ ipsius nauales expeditiones. 491. vsque ad finem libri XX. eius iustitia & misericordia. 495. Cæsarem Genuæ in suis ædibus excipit. 504. Francisco regi reconciliatur. 507. eius prosperi successus contra Turcas. 510. fuga salutem sibi parit. 530. expeditio aduersus Dragutum. 537. Aphrodisium expugnat. 538. cum Draguto iuxta Neapolim ad Pontiam insulam infeliciter pugnat. 547. Casalium sinũ in Corsica expugnat. 563. portum Syracusanum frustrà obsidet. ibid. eius singularis sollertia. 679.
Andreas Auria principis Andreæ nepos interficitur. 477.
Andreas Contarenus Venetorum princeps. 772.
Andreas Dandalus Venetæ classis præfectus, sibi ipsi mortem conscisit. 738.
Andreas Iustinianus. 406.

Andreas Lomelinus. 194.
Andreas Marius. 686.
Andreas Mergus, insignis vrinator. 229
Andreas Teupulus. 696.
Andreas Zenus. 716.
Andreæ Hungariæ regis in Syriam expeditio. 611. *eiusdem insana persuasio.* 612.
Andreottus Saracenus. 672.
Andros à Genuens. occupata. 789.
Anduria ab hoste nequiquam tentata. 107.
Angelus Dentatus. 257.
Angelus Dormanus aduersus Sanpetrum Corsum prosperè consligit. 576.
Angelus Grimaldus insidiis Pauli Fulgosij interficitur. 362.
Angelus Stufa Florentinorum legatus apud Mediolanensium Principem. 332.
Anglia ciuili bello diuexatur. 555.
Angliæ regibus tollendæ elephantiæ peculiaris quædam vis & potestas. 411. *cur sibi Hierosolymitani regni titulum vindicent.* 607. *eorundem classis pro sacra militia.* 617.
Anglorum de Scotis victoria. 439, 519. *eorum clades in Scotia.* 535.
Anna Momorantius Magister equitum designatur. 507.
Annæ Austriacæ Maximil. 11. filiæ in Hispaniam enauigatio. 578.
Annales Genuens. incipiunt post natiuitatem Domini anno, 1100.
Anni climacterici siue scalares. 478.
Ansaldi Auriæ oratio, habita ad suos milites. 623.
Ansaldus Balbus. 83.
Ansaldus Grimaldus benefactoris & patris patriæ nomine insignitus. 387.
Ansaldus Guaracus. 657.
Ansaldus Marius in locum demortui Nicolai Spinulæ Cæsarianæ classi sufficitur. 685. *circa sinum Ligusticum cum classe oberrat, & Sauonam petit.* 687. *fuga.* 688. *Albingaunum deditione occupat. ibidem. à portu Genuens. cum ignominia & detrimento repellitur.* 689. *fugit, amissis duobus vexillis.* 690. *Sauonæ frustrà oppugnatur à classe Ligustica. ibid. eius inanes conatus circa obsidionem portus Veneris, & Leuanti.* 693. *repentinus discessus.* 694. *relicto Arentiano, Sauonam profugit.* 695. *hostilem obsidionem egregiè ac fortiter sustinet. ibidem. prospera fortuna vtitur. ibid. Fabium cunctatorem imitatur. ibidem. aduersis ventis agitatus naufragium patitur.* 696.
Anselmus Bolettus. 683.
Anselmus Garius. 644.
Anselmus Mediolanens. Antisles militat in sacro bello. 591.
Antiani. 73
Antiochia obsidetur. 592. *expugnatur.* 593.
Antipatrida & Cæsarea à Genuensibus occupatæ. 595.
Antistes Nouocomensis ementito habitu Genuam ingreditur. 346.
Antoniottus Adurnius Montaldo in principatu succedit. 153. *principatum deserit.* 160. *eundem armis recuperat.* 161. *victoria.* 162. *rursus principatum deponit.* 163. *dezuò principatum ambit.* 166. *capitur ab Antonio Montaldo.* 172. *resumit principatum.* 173. *oratio in Senatu.* 173. *sollertia in retinendo supremo Magistratu.* 177. *mors.* 182.
Antoniottus & Hieronymus Adurnij sua consilia aduersus Octauianum frustrà expediunt. 436. *fit etiam eius mentio* 455.
Antonius Auria. 11. 119. 128. 237. 491. 537. *classis præfectus aduersus Britannos in gratiã Gallici regis.* 119. *mittitur cum instructa classe aduersus Aragonios.* 213. *victor Genuam reuertitur.* 214.
Antonius Bizarus. 475.
Antonius Bufferius interficitur. 148.
Antonius Bracellus cum Francisco Marchesio ad Ferdinandum regem orator mittitur. 368.
Antonius Caluus. 267.
Antonius Cocoruus. 181.
M. Antonius Columna. 281.
Antonius Fliscus. 789.
Antonius Gallus. 408.
Antonius Grimaldus Liguslicæ classi præficitur. 114. *ad Ferdinandum regem ablegatur.* 376. *victoria* 115.
Antonius Guarcus. 168. *princeps renunciatur.* 171. *vltrò principatum deponit.* 172. *bis à principe Adurnio prosligatur.* 174. *Adurnium armis persequitur.* 183. *cum Montaldo dissensio. ibid. obitus.* 187.
Antonius Guarcus prator Famagustæ. 203. *exilio multatus.* 203. *eiusdem cædes. ibidem.*
Antonij Guidoti, ciuis Florentini, opera & industria. 537.
Antonij Marciani Comitis mors. 358.
Antonius Montaldus Princeps eligitur. 163. *frustrà cum Antonio Guarco vrbem adoritur.* 183. *aduersus Antoniottum Adurnium victoria.* 164. *à Clemente Promontorio principatu deturbatur.* 165. *eundem recuperat.* 168. *singularis humanitas & clementia erga Baptistam Buccanigram.* 169. *vltrò sese principatu abdicat.* 170. *mors.* 187.
Antonius Polinus à Francisco Gall. rege mittitur ad Solymanum. 511.
Antonius Rex. 168.
Appiana familia. 406.
Aphrodisium à Draguto captum. 537. *ab Auria & Cæsarianis expugnatur.* 538. 94.
Aquæductus. 98.
Aquila fuit Romanorum insigne. 446.
Aragoniorũ stirps quãdiu steterit. 239.
Aramus Saluagius. 44.
Arbisola vnà cum arce à Genuens. occupata. 592.
Armenia minor in Christianorum potestatem redacta. 40.
Arquati obsidio. 577.
Arcis Antverpianæ prima initia, eiusdem demolitio. 255 *oppugnatur à Genuens.* 306. *obsidetur.* 364.
Arx Castelleti excisa. 626
Arx Dertusiæ deditione expugnata. 275.
Arx Finarij à Genuensib. euersa. 437.
Arcis Genuens. descriptio. 259.
Arces à Genuensibus receptæ.
Arx Mediolani, Bernardini Cursij persidia à Lud. Gall. rege recepta. 400.
Arx Niciæ à Narbon. Comite occupata. 47. *à Genuens. diruitur.* 33.
Arx noua Neapolis à Nicolao Fulgosio obsessa, & tandem deditione occupata. 263. 580.
Arx noua vi capitur. 729.
Arx Ptolemaidis à Ligurib. capta. 243.
Arx Rocataliata à Genuens. emitur. 254.
Arces vallis Pociferæ diruuntur.
Arx Vulturij ab Anfreone Spinula occupata & postmodum amissa. 111.
Astenses cõfugiunt ad opẽ Genuens. 41. *ope Genuens. obsidione liberantur, ib.* 92.
Athaulfus. 6.
Audomari interitus. 19.
Augelerij Vsusmarij cædes. 539.
Augustana comitia.
Augustinus Adurnius nomine Lud. Sfortiæ Genuam administrat. 366. 383.
Augustinus Grimaldus Dux Ebuli. 386.
Augustinus Iustinianus Præsul Nebiensis. 408.
Augustinus Spinula aduersus Aurianos feliciter pugnat. 465. *fit & eius mentio.* 531.
Augustus Princeps Dux Saxoniæ S. Rom. Imp. elector, Mauritij frater & hæres. 552. 516.
Aureliani Ducis mors.
Auriæ familiæ origo. 9. *aquilam imperialem sibi assumunt pro suis insignibus.* 98. *vide Andreas.*
Austrianorum clades ad Budam. 510.

B.

BAbilanus Nigrius. 228.
Batica à Ferdinando expugnata, & Mauri deuicti. 369.
Baiazetus paternum regnum demolitur. 536.
Balduinus Gothifredo succedit, & primus Hierosolymitanorum rex nominatur. 595. *eiusdem diploma datum Genuens.* 597.
Balduini Comit. Flandriæ, Constantinopo-

nopolitana expeditio. 707. eiusdem fœdus cum Venetis. 707. rex Constantinopolis designatur. 708.
Baleatis minor à Genuensibus expugnata. 620.
Balenæ caput repertum Genuæ quidnam portenderit. 574.
Baptista Buccanigra. 166. 167. 192. & 195. capitis damnatus euasit. 169. & iterum captus, securi percutitur. 195.
Baptista Francus Genuæ præficitur, 193. 207. & 213. fuga mortis periculum deuitat. 196. iterum captus fuga elabitur. 203. Theodorum Montisferrati regulũ ad bellũ contra Gallos extimulat. 207. 213.
Baptista Fulgosius. 222. 225. 226. 259. obitus. 268.
Baptista Fulgosius, Petri Fulgosij filius, in vrbem reuocatur. 352. Princeps declaratur. 354. vi detentus, principatu exuitur à suis consanguineis ac eiusdem factionis viris. 356. eruditio singularis. ibid.
Baptistæ & Galeacij Iustinianæ familiæ singularis humanitas erga Raueštanum. 404.
Baptista Grimaldus, Dux Terræ nouæ, & Marchio Montis S. Angeli, 386.
Baptista Guanus. 319. (214.
Baptista Montaldus Liguriæ præficitur.
Baptista Montanus. 205.
Barbarussa dictus Hariadenus. 486. eius classis & expeditio aduersus Christianos. 508.
Barbigius in classis præfectura à Franc. Gall. Andreæ Auriæ prælatus. 474.
Barison Sardiniæ rex à Frederico II. inauguratur. 637. infelicitas. 638.
Barnabas Adurnius. 240. princeps designatus, cui mox succedit Ianus Campo-Fulgosius. 272. Barnabas Auria vnà cum Opicino Spinula vrbu præfectus designatur 95. eius opera in carcerem conijcitur. 96.
Barnabas Cataneus septem triremium præfectus. 116.
Barnabas Guanus ad principatum prouectus. 220.
Barnabas Vicecomes Mediol. princeps, suam filiam Cyprio regi desponsat ac elocat. 760.
Bartholomæa Auria. 317.
Bartholomæa Ioann. Ant. Buccanigræ coniux, vnico partu septendecim liberos enixa est. 359.
Bartholomæus Auria. 311.
Bartholomæus Capra. 240.
Bartholomæus Facius. 408.
Bartholomæus Fliscus Ligusticæ classis præfectus. 460.
Bartholomæus Grimaldus. 202.
Bartholomæus Iustinianus. 239. 259.
Bartholomæus Liuianus Venetarum copiarum præfectus. 426.
Bartholomæus Pernix artem fabricandi aluminis in Italia primus instauravit. 302.
Bartholomæus Pinelus. 228.
Bartholomæus Scartabonus, Iustitiæ præfectus declaratur. 180.
Bartholomæus Vianus. 138.
Bebekij fuga. 577.
Bellum inter Genuens. ac Pisanos redintegratum. 21. 73. & 635. inter Venetos ac Genuens. redintegratum. 21. 73. contra Massilienses. 29. inter Venetos ac Genuenses. 87. inter Ligures ac Tarraconenses. 92. inter Spinulas & Aurias. 99. inter Guelfos & Gibellinos. 102. inter nobilitatem ac plebem. 113. rursus inter Guelfos ac Gibellinos. 117. aduersus Tarraconenses. 118. 119. aduersus Sinopis regulum. 123. inter nobiles & populares. 128. inter Venetos & Ligures. 133. inter eosdem & Aragonios. 213. bellum quod vocant Medium. 217. rursus inter Ligures & Aragonios. 229. inter Gallos & Genuens. 309.
Bellum inter Scotos & Anglos. 439. inter Carolum & Franciscũ instauratur. 502.
Bellum Germanicum. 517. aduersus Grumbachium eiusq; confœderatos. 577. inter Anglos & Scotos. 533. inter Richardum regem & Richemontium Comitem. 560. inter Cæsarem Maximilianum II. & Ioannem Vayuodam. 576. Genuensium contra Malespinas. 661. inter Ligures & Pisanos. 665. & 669. 13. continuis annis productũ. 648. inter Venetos & Henricũ Malliacæ oræ principem. 709. inter Ligures & Venetos. 744. & 783.
Bellum regulo Mauritano indictum 53.
Belli inter Pisanos & Genuens. instaurati origo & causa. 634.
Bellici apparatus aduersus Genuẽs. 450. contra Cæsarem. 462.
Belli inter Ligures & Fredericum secundum Imp. habiti causa & origo. 682. (724.
Belli neruus cõcordiæ vinculo cõtinetur.
Bellobrunus Iustinianus. 651.
Bendinellus Saulius Cardinalis. 354. iussu Leonis Pontif. comprehenditur. 447. pristinæ libertati ac dignitati restituitur. 448. mors. ibid.
Benedictus Fliscus mittitur in Africam ad regem Tunetanum. 327.
Benedictus Giacarius. 88. & 679.
Bened. Iustiniani præclarũ facinus. 434.
Benedictus Spinula in præfat. & 392.
Benedictus Viales. 161. (430.
Beneuolentiæ fideiq; singul. exemplar.
Bernardinus Adurnius. 381. (400.
Bernardini Cursij perfidia & auaritia.
Bernardus Valdemarinus Aragoniæ classis Nauarchus. 285. eius fuga. 297. perfidia. 368.
Bertoloti. 181. præficitur in vrbe militaribus cohortibus. 192.
Beryti & Malmistræ deditio. 596.
Berytus à nostris recepta. 610.
Bisertæ descriptio. 447.
Blanca Sfortia Galeacij Principis Mediolan. mater. 325.
Blasius Axeretus Ligusticæ classi aduersus Alfonsum præficitur. 245.
Bodwilli Comitis mors. 569.
Boëmundi Ducis zelus. 591.
Bolonia deditur Anglis. 515.
Bona Galeacij mater. 345.
Bonacursius Pisanorum Consul à Genuensib. capitur. 635.
Bonciartus Carolum Zenum ad singulare certamen prouocat. 202. eius legatus Genuæ interficitur. 207.
Bonifacium oppidum in Corsica à Genuens. præsidio subleuatur. 230.
Bonifacius Pamphanus. 683.
Bonifacius Montisferratensis regulus Thessaliæ rex declaratur. 709.
Boniuetus Gallicæ classi præficitur. 458.
Boscũ capitur & diripitur à Genuẽs. 42
Boschi March. 29.
Brancas Auria vir præpotens, & totius fermè Sardiniæ possessor. 115.
Branda Castilio. 368.
Brascus Francus. 212.
Brucius Iustinianus 4. triremium præfectus. 369.
Brixiani. 13. Brixiensis clades. 431.
Brixius Iustinianus 409.
Buccanigra imperio exuitur, 76. 126.
Buccanigrarum familia adhuc perseuerat in Hispanis, & in magno pretio habetur. 123.
Buda à Solymano occupata. 463. 510. ingenti terræmotu concutitur. 584. eiusdem arx cælitus tacta. ibidem.
Bugea vrbs Africæ à Ferdinando expugnatur. 426.
Buralla funditus euersa. 100.
Burchardus Comes à Barbi. 553.
Busontiũ oppidũ à Genuẽs. euersum. 692.
Byzantiũ à Christianis occupatur. 260. recipitur. 708. eius descriptio. 278.

C.

CAballus Veronensis. 778.
Caccianimicus Cataneus. 672.
Cælestini V. pontificatus admodum breuis. 691. (380.
Cæsaris Borgiæ ambitio. 377. interitus.
Cæsar Contardus. 408.
Cæsar Fulgosius Gallici regis partes tutatur, 465. eius summa moderatio in victoria 467. eiusdem & Ringonij cædes. 11.
Caieta obsidetur ab Aragoniis. 245.
Caietani legationem mittunt ad Genuẽses. 250. legati oratio in Senatu, ibidem. petunt sibi dari præsidem à Genuensi repub. ibid. Captiui Mediola-

diolanum perducuntur. 251. liberantur Genuenſium interceſſione. ib.
Cairus fruſtra à noſtris obſidetur. 613.
Caloritanus Iudex ſuam ditionem Genuenſib. donat. 666.
Calixti. 11. ſingulare ſtudium erga Genuenſ. ac Piſanos, pro mutua reconciliatione 631. idem ſecundum Genuam pronunciat. 632. mors. ib.
Camillus & Paulus Vitellij, Gallorum ſtudiis adhærent. 381.
Capha, olim Theodoſia, Genuenſium colonia 122. à Scytharum rege obſeſſa. 125. à Turcis occupata. 200. & 327. fertilitas. 328. à Venetis expugnata. 735.
Carbo Marocellus reipub. nomine regulo Mauretano bellum indicit. 53. ad Maurum Hiſpalenſium regem ſuppetias imploraturus proficiſcitur. ibid. eiuſdem obitus. ibidem.
Cardinalis Sforția inter fugiendum captus, Venetias, indeq; in Galliam perducitur. 378. 379. eiuſdem magnanimitas & liberatio, ibidem.
Cardinalis Moronus Pontificius legatus. 801.
Carinianum à Guidone Rangono deditione occupatum 504. & 515.
Carmagniola capta, 504.
Carolus Andegauenſ. Corſicam inuadit. 84. Genuam proficiſcitur. 88.
Carolus Tarenti princeps à Senatu Genuenſ. honorificè excipitur, 87.
Carolus Fliſcus vnà cum Gaſpare Grimaldo Genuæ præficitur. 100.
Carolus VI. Galliarum rex Genua potitur. 178. Carolus zenus. 202. eius reditu Venetorum vires confirmantur. 774.
Carolus Malateſta, licet captiuus, honorificentiſſimè à Philippo Mediolanenſ. principe excipitur, & loco patris habetur. 237.
Carolus Lomelinus. 238. Cembalum expugnat. ibidem. in oppugnatione Soltaiæ vrbis magna clade afficitur à Scythis 244.
Carolus Adurnius. 311. & 338.
Carolus Dux Burgundiæ, ac eius interitus. 336.
Caroli VII. Gall. regis obitus. 313.
Caroli VIII. Gall. regis memorabilis in Italiã expeditio. 376. potitur Neapoli. 377. Genuenſib. bellum infert. 388. interitus. 393.
Caroli Dominici Carretini Cardin. obitus. 439.
Caroli Borbonij à Gall. rege defectio, 459. ex Hiſpaniis Genuam venit, indeq; Mediolanũ proficiſcitur. 463. Romam obſidet. 468. eius obitus. 469. epitaphium. 470.
Carolus Lanoius Franciſcũ Gall. regem Cæſaris nomine captiuũ fecit. 460.
Carolus V. inauguratur Cæſar, 488. Mediolano potitur. 450. eius expeditio in Galliam Narbon. infeliciter ſuccedit. 503. proficiſcitur Genuã. 504. circa Foſſas Marianas in Gallia Narbonenſ. cum Franciſco rege in mutuum colloquium deuenit. 507. Genuam proficiſcitur. ibidem. orbatur coniuge. 508. eius clades ad Algerium 511. Galliam inuadit, fœdere prius iuncto cum Anglorum rege. 515. eius victoria in bello Germanico. 517. eius ſcripta in Regem Gall. clades ad Metim. 544. Philippo regna, et inſignia Imp. electorib. conſignat. 559. cum vtraq; ſorore in Hiſpaniam enauigat, ibiq; ſe in cœnobium eremitarum recipit, ibid. obitus. 570. vſus eſt varia fortuna, licet vt plurimum ſecunda; eiuſq; heroica virtus. 741. (516.
Carolus Princeps Hiſpaniarũ naſcitur.
Caroli Sabaudiæ ducis obitus, 555.
Carolus IX. Gall. rex. 573. obitus 580.
Carolus M. Genuam à Lõgobardis euerſam inſtaurari iuſſit, 627.
Carreti March. Genuenſ. beneficiarij declarantur. 32.
Caſanus Auria, 203.
Caſtelleti arx à Sfortianis deditione occupata. 319.
Caſus maximè lugubris. 514.
Caſtronouũ à Turcis expugnatur. 508.
Caſtrucius Caſtracanis rei bellicæ gloria inſignis. 105. à Cæſare Lucenſiũ princeps renũciatur. 110. obitus. 111.
Caſtrum Francum, aliàs Cauianũ. 138.
Caſtrum Sardiniæ donatum Genuenſib. 666. à Piſanis obſidetur. 667.
Catanei Auriæ cædes. 99.
Catanei cum Grimaldis & Fliſcis conquiruntur. 113.
Cataneorum deditio, 653.
Cataneus Lomelinus. 452.
Catharina Medicea Henrico Gall. regi deſponſata. 498. inauguratur. 535.
Cattarum à Turcis fruſtrà oppugnatur. 509. (430.
Cauſa odij pontificij aduerſus Ludouic.
Cauſæ quæ Andreã Auriã impulerint vt à rege Gall. ad Cæſarẽ tranſiret. 474.
Cauſa & origo belli Piſani. 627.
Cauſa belli ſuſcepti aduerſus Fredericum Cæſarem 682. 787.
Cauſa & origo belli aduerſus Venetos. 710. & 735. & 757.
Cauſa ciuilium diſſenſionum. 743.
Cauſa multorum bellorum inter Genuenſ. Venetos ac Piſanos. 753.
Celox quod genus nauigij. 425.
Cembalum à Genuenſib. recipitur. 243.
Ceruinum oppidum fruſtra à Cæſarianis tentatum. 688.
Ceuas Auria. 180. eius oratio habita coram regio præſide. 184.
Chalcis à Philippo Auria expugnatur ac diripitur, 745.
Cherſoneſus directa. 506.
Chij redeunt ad priſtinum obſequium. 206. à Tarraconenſib. nequequam tentati. 213.
Chius inſula à Turcis occupata. 746. à Venetis obſeſſa. 786. eorundem ſtrenua defenſio & virtus. ibid. Rectores contra Venetos, ibid.
Chriſtianorum Principum aduerſus Ludouicum regem intra cõſpiratio. 432. ad recuperandam Budam expeditio, 511. copiæ aduerſus Turcas in Hungariam irruentes 513. in Hiſpaniam reditus. 373.
Chriſtianorum numerus in ſacra militia. 592. eorundem victoria contra Saladinum. 606. clades in Syria. 732 ſimultates in vrbe Ptolemaide. 733. 480.
Chriſternus princeps.
Chriſtophori Columbi in nouum orbem nauigatio. 37. eius ſingularis eruditio in Aſtronomicis & mathematicis. 374. 368.
Chriſtophorus Cataneus. 402.
Chriſtoph. Spinulæ funeſtus caſus. 408.
Chriſtophorus Grimaldus. 345.
Cichus Simoneta, 772.
Ciues in patriciorum numerum à Veneto Senatu cooptati. 364.
Ciuiles conflictus, 97.
Ciuilium diſſenſionum cauſa & origo. 70. fructus. 88.
Chunradus Vberti filius. 95.
Chunradus Spinula, 635.
Chunradus Moguntinus Septẽuir. 635.
Clades Opicini Spinulæ. 97. clades illata in agro Liguſtico per Nicolaum Picininum. 256. Pauli Fulgoſij. 324.
Clades Chriſtianorum à Mauris inflicta. 122. in Pannonia. 463.
Clades Conſtantinopolis. 282. 709.
Clades Sicula. 668.
Claſis Turcica à Liguſtica intercipitur. 447. Liguſtica tempeſtate diuexatur. ibidem.
Claſsis Othomannica ductu Hariadeni Barbaruſſæ venit in ſubſidium Gallorum. 512.
Claſsis Turcica ad litora Tarracinæ peruenit. 546. Neapolitana litora deuaſtatur. 557.
Claſsis Cæſarea à Genuenſ. portu cum ignominia ac detrimento repellitur. 689. Liguſtica aduerſus Gallos. 380
Clauarum à Petro Fulgoſio deditione capitur, 296.
Clemẽs Promontorius Antoniũ Montaldum inuadit, & principatu deturbat. 165. 327. eius fertilitas. 328.
Clemẽs IIII. Pontifex renunciatur. 79.
Clemens V. Pontif. renuntiatur. 459. eius cum Franciſco rege colloquium habitum Maſſiliæ. 498. inde Sauonam, atq; illinc Romam deuehitur. ibidem. eius obitus & natura. 499.
ei Paulus III. ſufficitur, ibidem.
Cle-

Clementiæ singularis exemplum. 545.
Cluensis Dux ad Cæsarem profectus parum humaniter excipitur. 509.
eius à Cæsare defectio. 513.
Clodia descriptio. 766. obsidio. ibid.
à Genuensib. expugnata. 767.
Cælius Secundus. 576.
Colan cognomento Piscis singularis urinator. 231.
Collardus Calleuilla. 189.
Columbus maximis honoribus afficitur à regibus Hispaniarum. 374.
interitus. 373.
Columniorum familia. 452.
Cometæ nonnulli insigniores. 78. duo conspecti 336. cometa. 77. & 199. 414. ante Frederici Aragonij obitū præcessit. 446. cometa in Palatinatu visus. 470. comet. horribilis. 490. 508. item 558. & 583.
Comparatio inter Carolum Cæsarem & Franciscum Galliarum regem. 480.
Condæus princeps capitur. 513.
liberatur. 573.
Condiciones Sfortiæ à Gallo præscriptæ 444. inter Cæsarem & Andream initæ. 474.
Conflictus Genuæ. 218. acerrimus inter Ligures & Tarraconenses. 299. iuxta Genuam inter Gallos ac Ligures. 309. Christianorum & Turcarum ad Tunetum. 579.
Conflictus naualis. 233. in Ligusticis montib. inter Sfortianos ac Genuens. 350. in vrbe inter factiones. 353. item 364. inter Gallos ac Genuens. 381. & 565.
Conflictus exercitus Mauritij & Alberti. 551.
Coniuratio contra Gul. Buccanigram patefacta. 74. aduersus Præfectos, & Abbatem. 89. aduersus Thomam Fulgosium. 269. Petruciana aduersus Leonem x. 447.
Conradus Vberti Auriæ filius, patri in præfecturæ succedit. 88.
Conradus Auria & Conradus Spinula, ambo Vbertorum filij, rectores ac præfecti Reip. designantur. 94.
Conradus Auria. 206.
Conradi Stanghæ prudentia & moderatio in gubernatione. 367.
Conradi Marchionis Montisferrati cædes. 606.
Conradus Spinula. 674.
Consalui Ferdinandi cognomento Magni obitus. 446.
Consentinus Antistes incognito habitu comprehenditur, & breui pòst liberatur. 366.
Constantini Imp. cædes. 281.
Constantinus Auria. 358.
Constantinopolis obsidetur à Mahumete II. Turcarum Imp. 278. eius descriptio, ibid. expugnatio. 279. cladis & direptio. ibid.
Consulatus Genuæ nunquam fuit ex exteris gentibus. 33.
Consulum ac Ducum Genuensium singularis virtus. 624.
Contentio inter Ligures ac Lucenses ob Petram sanctam. 384.
Conuentus Rauennensis indictus à Friderico II. 682. Smalcaldicus. 499.
Controuersia inter Frid. & Gul. Siciliæ regē. 13. inter Ligures & Venetos, etiam de rebus sacris. 714. inter Genuens. & Pisanos propter inaugurationem Episcopi Sardiniæ. 630.
Corlogolus insignis Turcarū pirata. 446
Corone à fœderatis Principibus capitur, 494. eius descriptio. 493.
Corsica à Genuensibus subacta. 7. nouis motibus agitata. 88. in fidem recepta. 89. ab Aragoniis frustrà tentata. 236. nouis motib. diuexatur. 244. ab Alfonso nequicquā tentata. 285. capitur à classe Turcica. 555. à Gallis præsidio firmatur. 556.
Corsicæ descriptio. 629. vnde appellatur, ibid. defectio. 575. & 679. ad pristinum obsequium redeunt auctore in primis Luca Auria. 680.
Cortingorum familia. 680.
Corsici motus Ambrosij Nigrij opera & virtute componuntur. 392. & 431.
Cosmus Medices Alexandro in principatu succedit. 505.
Creta Venetorum colonia. 711. à Balduino eis tradita. 709. Venetis adempta. 28.
Crudelitatis exemplum singulare. 516. & 578.
Cuniculorum vsum Genuenses primi in Italia reuocant. 437.
Curiales. 20.
Cydon à Genuensib. expugnata & direpta. 727. item 743.
Cyprus à Richardo Angliæ rege expugnata. 605. nouis tēpestatibus agitatur. 754. à Selymo expugnata. 91.
Cypriorum sæuitia in Genuenses. 755.
Cyprius rex Genuens. tributarius efficitur. 756.

D.

Dandalus Venetæ classis præfectus sibi ipsi mortem consciscit. 740.
Dandelotus Castillioneus à Cæsarianis capitur. 59.
Damascus nequicquam à Christianis tentata. 598. noua obsidio. 625.
Damianus Cataneus cum 7. triremibus in Cyprum ablegatur. 755.
Damianus Grillus. 787.
Damiata olim Pelusiū, ac postmodum Heliopolis dicta. 612. Mēphitico regi restituitur. 613. à nostris recipitur. 613. amissio, ibid. recuperatio. 616. rursus amittitur. ibidem.
Danorum classis. 596.
Darsena inchoata. 86.
Dauid Ricius omnium mortalium improbissimus, vnicè amatur à Maria Stuarda. 568. cædes. 568.
Decemuiralis magistratus. 348.
Defensores libertatis. 254.
Demetrius Iustinianus capitis damnatur. 423.
Demetrius Spartanus. 456.
Derthusia à Genuens. expugnata. 625. arx deditione recipitur. 626.
Descriptio Galatæ siue Perę, olim Genuens. coloniæ. 283.
Desiderius Longob. rex à Carolo Magno deuictus. 6.
Dictum Caroli v. cometa inspecto. 558.
Dictum Annibalis. 238.
Dies D. Matthiæ sacer Carolo v. fortunatissimus. 460.
Disciplinantium ordo. 75.
Dissensio inter Mōtaldum & Guarcum. 183. inter Spinulas & Arias. 71.
Dissidia domestica. 54.
Dium oppugnatur à Turcis. 506.
Dolus militaris. 145.
Dominicus Auria. 357. eius interitus. 99.
Dominicus Campofulgosius. 141. princeps renunciatus. 142.
Donationes factæ reipubl. Genuens. 29.
Donatus de Comitibus. 341.
Donatus Insuber. 318.
Dragutus Aphrodisium, vulgò Africam, expugnat. 537.
Drudus Marcellinus. 22. & 656.
Duæ Pisanorum triremes à totidem Ligusticis interceptæ. 631.
Duellum. 50.
Dura à Cæsarianis expugnata. 513.

E.

Eclipses Lunæ tres. 515.
Eclipsis Lunæ. 75. Solis. 515. & 583. Solis & Lunæ. 67. definitio eclipsis. 244.
Eduardus Auria. 118.
Eduardi VI. regis Angliæ generosa indoles ac virtus. 550. mors. ibidem.
Eduardus Cortonæus à Maria Angliæ regina pristinæ libertati restituitur. 559. obitus. 561.
Elephantiæ tollendæ peculiaris Angliæ regibus quædam vis & potestas. 411.
Elizabetha Britannico regno præficitur. 567. eius heroicæ virtutes. ibidem.
Exemplū singularis continentiæ. 110. æquitatis. 606. seueritatis. 334. fortitudinis in quodam iuuene Genuensi. 404. prudentiæ. 640. perfidiæ & crudelitatis. 654. militaris disciplinæ. 661. item 674. humanæ calamitatis. 678. benignitatis. 679. fatalis decreti. 694. humanitatis. 710. sæuitiæ. 91. 548. 583. & 719. militaris disciplinæ. 661. 674. & 727. item 741. gratitudinis erga de patriæ benemeritos. 752. moderationis & clementiæ. 260. 422. & 784.

Elpis Ægyptius Imperat. 678.
Emanuel Græcorū Imp. Genuā venit. 201
Emanuel Nigrius. 87.
Emanuelis Caballi egregiū facinus. 434.
Encius Friderici II. filius 697. à Bononiensibus capitur. 704. mors. ib.
Epistola regis Aragonum ad Ducem Baliæq; præfides reipub. Genuens. 287. eorundem ad eum responsio. 288.
Erasmus Triuultius. 254.
Erycis oppidi & arcis expugnatio. 666.
Eugenius Pont. 269. & 620.
Exercitus maximi parua manu profligati. 394.
Expeditio aduersus Regē Tunetanū. 154. aduersus Galeotū Carretinum. 273.
Exules in patriam reuocati. 761.

FAbrica publici palatij. 90.
Fabricius Carretinus Rhodiensi militiæ præficitur. 439.
Facinus Canis. 207.
Facinus egregium Hugonis Caffari. 27.
Factum Saladini insigne ac memorabile. 617.
Famagustæ in Cypro descriptio. 91. instar Ptolemaidis extructa. 91. & 734. obsidione liberata. 202. à Cyprio rege nequicquam obsessa. 196. à Genuensib. obsidetur. 756. deditione occupatur, ibid. frustrà à Venetis ac rege Cypri obsidetur. 760.
Famis & sitis incommoda. 112.
Farauellus Auria. 98.
Farnesij, Auriæ familiæ infensi. 520.
De Fato. 42.
Fati ratio ineluctabilis. 695.
Ferdinandus Embriacus. 138.
Ferdinandus Aragonius Alfonsi successor. 293. adiuuat Genuenses cōtra Sfortianos. 348. profligatis Mauris & regno Granatæ recepto, Catholici cognomen sortitur. 369. Castiliæ rex & Isabella Hispaniarum reges. 371. & 372.
Ferdinandi clades ad Meningem insulā. 430. mors & fortuna. 446.
Ferdinandus Romanorum rex designatur. 480. 488. Pannoniæ bellum infert. 510. expulso Ioanne; Pannoniæ regno potitur. 540.
Ferdinandus Imperator renunciatur. 559. in fauorem Marchionis Finarij aduersus Genuenses sententia. 572. obitus. 573.
Ferdinandus Aluarus 430.
Ferdinandus & Ludouicus reges Neapolitanum regnum inter se partiuntur. 379.
Feritor amnis. 233.
Finarium oppidum. 273. deditione à Genuens. occupatum. 275.
Fliscorum regio. 68.
Flisci & Grimaldi arma aduersus Auriας corripiunt, & victoria potiūtur. 100.
Fliscus Ioan. Baptista Verrinam suæ coniurationis participem facit. 521.
Florentini fœdus cum Aragonio percutiunt. 236. infeliciter pugnant. 237. præstitæ fidei immemores bellum instaurant. 360. pristina libertate multati. 489. secundum Ligures pronuntiant. 665.
Fœderatarum acierum instructio. 491.
Fœdus inter Græcum Imperat. & Genuens. 10. Genuens. cum rege Numidiæ. 21. inter Carolum Andegauens. & exules Genuens. 83. inter Ligures & Palæologum. 76. & 710. inter Leonem Pontif. & Carolum Cæsarem aduersus Franciscum Gall. regem. 451. inter Rom. Pontif. & Carolum V. & Venetos. 507. inter Ligures & Lucēses aduersus Pisanos. 643
Fœdus à diuersis Principib. cōtra Venetos initum. 425. contra Carolum Cæsarem. 462.
Foliæ nouæ ac veteres Genuens. imperio adiunctæ. 130.
Fortuna quæ prius Iulij Pontif. conatibus aduersata est, postea fauere prorsus incipit. 431. Cæsari propitia. 695 Venetis rebus iterum propitia. 779.
Franciscus Catalusius à Græco Imper. Lesbi insula donatur, & illius filiam in matrimonium ducit. 134. & 754.
Francisci Marini prosperum certamen contra Venetos. 119. & 744.
Franciscus Vivaldus. 143. & 175.
Frācisci Iustinianus Garibaldus Princeps designatur. 166. vltrò sese principatu abdicat. 167.
Franciscus Carmaniola. 234.
Franciscus Spinula Othobonus. 234.
Franciscus Spinula. 245. 251. 323. eius oratio pro liberanda patria. 251.
Franciscus Spinula capitur à Venetis. 784.
Franciscus Spinula Mauri cognomento. 382.
Franciscus Pandonus. 246.
Franciscus Sforția. 268. 298. 307. eius responsio ad legatos Genuens. 322. interitus & laus. 324.
Franciscus Sforția Insubriæ principatum recuperat. 451. in principatu restituitur. 489. interitus. 502.
Franciscus Sanseuerinus. 365.
Franciscus Marchesius. 371. & 408.
Franciscus Valesius Ludouico XII. succedit. 442. eius expeditio pro Mediolanens. ditionis recuperatione, ibid. eiusdem aduersus Maximilianum Sfortiam victoria. 443. in Italiam expeditio. 458. Mediolanum recipit. 459. capitur. 460. liberatur. 461. bellum Carolo Cæsari indicit. 464. omnium eruditorum amantissimus. 518. obitus. ibidem.
Francisci Delphini obitus. 504.
Franciscus Rossellus Comes Bedfordiæ. 562.
Franciscus Walsingamus eques. ibid.
Franciscus II. Henrico Gall. regi patri in Imperio succedit. 571. eius mors. 573. 138.
Francum Castrum.
Francus Gibertus classis Genuensis præfectus. 424.
Francus Maria Vrbinatium Princeps. 462.
Friderici I. Aenobarbi Barbarossæ in Italiam aduentus, & quidnam, præter cetera, inter ipsum & Genuens. gestum sit. 10. à Rom. Pontif. in Cæsarem inauguratus. 11. vnà cum vxore Genuam venit. 18. Genuam proficiscitur. 30. Genuensib. infensus. 36. eius aduersus Saladinū infausta expeditio. 603. interitus. ibid.
Fridericus Siciliæ rex Gibellinis patrocinatur. 105. multis priuilegiis Genuens. in regno Siculo donauit. 34. 112.
Fridericus Marabotus. 151.
Fridericus Paganus. 191.
Fridericus Promontorius.
Fridericus Aragonius liberalissimè à Lud. Galliarum rege exceptus. 379. perfidiæ nota inustus. 425.
Friderici II. Imper. in Italiam aduentus. 35. in Asiam expeditio. 615. Hierosolyma ab eodem recepta. ibid. singulare studium pro mutua reconciliatione inter Pisanos ac Genuens. 636. Moguntinum ad vtrosque legatum mittit. ibidem. rursus laborat pro mutua pacificatione. 642. mitior factus in Genuens. captiuos dimitti iubet. 683. eiusdem in Italiam reditus. 649. suum filium Henricum Genuam mittit. 650. victoria nauali contra Genuens. 686. terrestri exercitu Genuam diuexat. 687. maritimis ac terrestribus copiis Genuens. ditionem inuadit. 689. Genuensium ope victoria potitur. 697. Balduini Græci Imper. intercessione Pontificios dimittit. 700. à Pontifice diris immittit. 700. petitus, imperio exuitur. 701. Eiusdem aduersus Insubres expeditio, ibidem. in Genuenses captiuos sæuitia. ibidem. Victoriam vrbem condit. 702. mors & ingeniū. 704.
Fridericus Fulgosius Octauiani principis frater classi præficitur. 447. 454.
fuga. 62.
Fulco Guercius. 650.
Fulco Iustinianus.
Fulco Iustinianus & Orolandus Aduocatus factionum principes. 17.
Fulco publica sententia damnatus. 20.
Fulgosia familia non minus quàm Adurnia reipub. perniciosa & fatalis. 141. 240.
Fulgosij clades. 301.
Fulgosij exercitus, fuga & clades. 366.
Fulgosius Cardinalis atroci tempestate iactatur. Furiosa

Genua, æ, am.

GENVA à quibus condita. 1. eius antiquitas, ibidem, & 590. situs 2. portus ibid. promontorium. ibidem. quo cæli climate posita. 3. cur tot insulis atque vrbibus, & interdum ipsa etiam libertate exciderit. ibidem. vas ex solido smaragdo, ibidem. à Carthaginiens. euersa & à Rom. instaurata. 5. à Longobardis deleta. 6. instauratur. ibid. à Saracenis occupata. 7. Genuæ fons sanguinem manans quid portenderit. 7. primò à Coss. administrata. 9. veterum murorum ambitus. 12. gliscentes tumultus inteſtim Coss. prudentia repreſſi. 18. ſub externo prætore. 19. nouus prætor. 21. turres iuſſu prætoris depreſſæ. 23. quatuor naues vi tempeſtatis in portu ſubmerſæ. 27. incendium in vrbe. ibidem. grauiſſimo incendio et maris tempeſtate vexata. 31. nouus ordo circa publicas impenſas & vectigalia. ibid. in florentiſſ. ſtatu. ibid. noua reipub. forma. 33. conſulatus numquam fuit ex exteris gentibus, ibidem. terræmotu percuſſa. 34. noui terræmotus. 38. auctore Gulielmo Mario, noui motus exorti. 45. noui motus. 54. nouæ diſſenſiones in rep. ob Friderici & Pontif. ſtudia. 58. prætoris concio in Senatu. ibidem. populariſ ſtatus introductus. 73. bellum inteſtinum. 76. reſpublica ſub optimatũ regimine. 77. noui tumultus, ibid. ciuilis ſeditio. 79. reipub. adminiſtratio penes nobiles. 79. penes Vbertum Spinulam & Vbertum Auriam. 82. prætoris auctoritas imminuta, præfectis ſubiicitur. ibid. maxima inundatio. 87. præfecti ſe ſupremo magiſtratu abdicant. 90. noua reipub. forma inſtituitur, ibid. turſus penes prætorem externum, ibid. fabrica publici palatij, ibid. nouis motib. reſp. diuexatur. 91. portus ampliſicatio. 95. noua forma reip. 97. primus externus dominatus ſub Henrico Cæſare. 98. ſub Guelforum imperio. 100. reip. adminiſtratio penes Guelfos. 100. obſidetur à Gibellinis. 101. ſub Ruberti Andegauenſ. et Ioannis Pontif. dominio. 102. obſidione liberatur. 105. iterum obſeſſa. ibid. ſeditio à popularibus excitata. 104. pro emẽdando reipub. ſtatu decemuiratus decernitur. 107. fame ac morbis vexata. 111. noui tumultus. 113. prælium inter nobilitatem ac plebẽ. 113. propter initam pacem inter Guelfos & Gibellinos in vrbe incredibilis lætitia. 114. à nobilitate inuaditur. 125. ſub principum Mediolanenſ. dominio. 133. nouis ſeditionibus agitatur. 135. expulſis patriciis, democratia inſtituitur. 138. à duce Mediolanenſ. inuaditur. 139. ingens caritatis annona. 143. popularis tumultus. 147. magiſter iuſtitiæ à plebe trucidatur. 147. peſte diuexatur. 153. noui tumultus in repub. 161. reſpub. ſæpè neutralium ciuiũ beneficio ab ingẽtibus periculis erepta & conſeruata. 170. multa ſplendida palatia ciuilibus diſſidiis incenſa. 173. octingenti ciues proſcribuntur. 175. primus regius dominatus. 179. peſte diuexatur. 180. magni tumultus propter diſſidia. 183. conflictus. 188. lex aduerſus immodicos ſumptus. 189. nouus popularis tumultus. 190. prætorium captum atque direptum. 190. nouus magiſtratus ex ipſa plebis fece atque colluuie deſignatur, ibid. omnes alba indumẽta ſibi aſſumunt. 191. peſte diuexata. 204. inundatio. 205. ſub Marchionis Montiſferratenſ. imperio. 208. popularis tumultus. 215. prætorium à plebe direptum. 215. deficit à Marchione Montiſf. 215. conflictus. 218. cum Galliarum rege in gratiam redit. 222. ſub Philippi Mediolanenſium Principis imperio. 233. à Thoma Campofulgoſio ac fœderatis nequicquam tẽtata. 239. noua reipub. forma. 254. peſte diuexata. 261. noui Magiſtratus creantur. 262. noui motus ab Antonio Fliſco excitati. 266. ſub Carolo ſeptimo Galliarum rege. 291. ab Alfonſo terra & aquis oppugnata. 292. à Petro Fulgoſio ac fœderatis grauiſſimè obſeſſa. 295. conflictus. 299. abſente Andegauio, tumultuatur. 301. quibus cauſis defecerit à Gallorum imperio. 303. rixæ ac diſſidia inter plebẽ ac nobilitatem. 303. noui tumultus. 304. noua Reip. forma introducta. 305. à Sforciano milite occupata. 318. ſub Franciſci Sforciæ Mediolanenſ. principis dominatu atque imperio, ibidẽ. ſub einſdem dominio longè feliciſſima. 323. noui tumultus inter plebem & patricios. 332. nouis motibus inuoluitur. 337. noui motus. 339. prætorium à plebe direptum, & vniuerſa ciuitas grauiſſimo diſcrimini obnoxia. ibidem. in varias partes ac ſtudia diſtrahitur, ibiq; ad arma fit concurſus. 347. decemuiralis magiſtratus. 348. noui motus propter factiones ac ſtudia diuerſa excitati. 352. conflictus inter factiones. 353. nouum bellum aduerſus Florentinos exoritur. 357. ſeptemdecim liberi vno partu editi. 359. nouis ciuilium bellorum fluctibus agi-

tatur,

Furioſa temeritas cuiuſdam iuuenis plebeij. 304.

GAbriel Adurnius princeps Reip. 138. vrbe expellitur. 142.
Gabriel Vicecomes Genuæ capitis damnatus. 205.
Gabriel Serbellio captiuus Byzantium deducitur. 580.
Galeacius Auria. 205.
Galeacius Auria capitur à Guelfis. 109.
Galeacius Sforcia Genuam proficiſcitur, 325. Genuenſ. bellum infert. 340. expeditio aduerſus Genuenſ. 349. eius obitus & natura. 334.
Galeaciæ quæ ſint. 28.
Galeotus Spinula. 98. Genuam adoritur. 126.
Galeotus Lomelinus. 248.
Galeotus Carretinus. 256. & 266. & 273.
Galliarum regib. mirabilis ſtrumæ curatio. 411.
Galliæ rex Turcarum opem implorat. 511.
Gallici apparatus pro recuperanda Genua. 307.
Gallici morbi inueſtigatio admodũ perplexa. 384.
Gallicus exercitus ingenti clade ab Heluetiis ad Nouariam afficitur. 433.
Gallici regni ac inferioris Germaniæ calamitates. 573.
Gallica lanienа ſub Carolo IX. 669.
Gallorum cædes. 131. & 419. fuga & cædes. 310. potentia vniuerſæ Italiæ formidabilis. 403. clades in Inſubria. 458. victoria. 460. ad Ticinum capto rege infeliciter pugnant. 460. claſſis tempeſtate agitatur. 468. ad Ticinum ſæuitia, ibid. clades ad Neapolim. 475. ad Carignanum victoria. 515. Corſicæ oppida ab inſularib. occupata præmuniunt. 556. duce Briſſaco, Caſalem ac eius arcem occupant. 557. clades ad Sanquintinũ. 564. Caletum vrbem capiunt. 566. clades, ibidem. excluduntur ab Anglis è regno Scotiæ. 572. clades in Sicilia quo potiſſimùm auctore perpetrata fuerit. 668.
Gandauenſium rebellio & animaduerſio. 509.
Gandus Marius rei nauali præficitur. 738.
Garcias Toletanus. 537.
Gaſpar Coſſa Neapolitanus. 188.
Gaſpar Vimercatus. 317.
Gaſpar Colinij Caſtelionij Gallici regis Thalaſſiarchi cædes. 578.
Gaſpar Spinula in Petri Auriæ locum ſubſtituitur. 776.
Gaſpar Contarenus. 782.
Gaſto Fuxæus. 398.
Gauij Marchiones creantur ciues Genuenſ. 26.
Gaurici aſtrologi vaticinium. 571.

tatur.363. Prætorium à fœderatis occupatum.363. 12.ciues tanquã Censores designantur.364. ciuiles conflictus, ibidem. iterum sub Mediolanensium Principum dominio. 366. diuexatur peste, vti etiam propemodum vniuersa Europa. 370. asperrimum frigus & glacies, ibidem. certus doti modus constituitur. 390. partus monstrosus.391. moles portus ampliata, ibidem. sub Ludouico XII. Galliarum rege.401. laborat peste.407. quinã doctrina & scriptis hactenus Genuæ inclaruerint. 408. olim Camera imperialis fuit. 412. puer à pisce deuoratus. 413. peste diuexatur & horribili tempestate. ib. grauissimæ simultates inter nobiles & populares.414. octoniratus instituitur.415. redit in potestatem regis Galliarum.420. noui motus per factiosos excitati.435. propter factiones eodem anno reipub. administratio variauit. 436. quibus conditionibus se Gallo permiserit. 445. classis contra piratas instruitur.447. obsidetur à Cæsarianis. 452. ab Hispanis expugnata. 453. ab exercitu Cæsariano capitur & diripitur. 454. magna fit conuersio.454. peste affligitur. 459. ferè in extremam angustiam redacta. 463. summa annonæ caritas.464. in potestatem Francisci Gall. regis redit. 467. prætorium à plebe direptum. ibid. peste atrocissima diuexatur. 470. noua Reip. forma introducitur. ibid. diuersa studia & factiones, ib. peste agitatur.475. ope principis Andreæ Auriæ à Gallorũ seruitute eripitur.475. noua reipub. forma introducta, quæ adhuc viget, & illæsa conseruatur.476. ope Principis Auriæ & Augustini Spinulæ, magno periculo liberatur.503. tumultus exortus. 534. balenæ caput repertũ, quidnam portenderit. 574. sub Comitum gubernatione.627. creantur noui Coss.639. mira annonæ penuria.644. nouus Prætor creatur. 653. noua magistratus forma introducitur.669. septuaginta triremes tridui spatio instructæ.672. infra vnius anni spatium ducentæ atque amplius triremes adornantur, ib. incredibilis latitia propter adeptam victoriam.676. resp. virtute atque industria Alberti Spinulæ Sultano reconciliatur.679. sub Ioannis Vicecomitis imperio ac tutela.750. Simon Buccanigra Dux ac Princeps declaratur.754. fit nouum supplementum sub Matthæi Mariffi præfectura.774.

Genuensis, es, ium, ibus.

Genuens. industria & victoriæ. 3. studium in religione propaganda, ibid. opes, ibid. ærarium optimè instructum, ibid. annales quo tempore incipiãt.4. amicitia erga Romanos.5. Audomaro Duce Corsicã inuadũt.6. annales incipiũt ab anno salutis 1100. veteres familiæ.8. fœdus inter Genuens. & Græcum Imp.10. legatio ad Frider.I. in comitiis Roncalis.11. munera Cæsari oblata, ib. altera legatio, ib. cõstituuntur Cæsaris beneficiarij, & in eius tutelã suscipiuntur, ib. propter fœdus initum cũ Cæsare, Gulielmo Siciliæ regi, ipsorum auxiliũ imploranti, suppetias denegant. 13. variæ legationes.14. Genuens. & Pisani adsunt Henrico Imp. in oppugnãda Sicilia.21. inter eosdem bellum redintegratum, ibidem. Genuens. fœdus cum rege Numidiæ, ibid. victoria.23. cũ Siculis reconciliatio. 24. legatio ad Sultanum.25. immunitates in Armenia ac Cilicia. ib. ab eis multæ ciuitates deficiunt. 26. cum Pisanis ac Venetis bellum gerũt. 27. priuilegia in vrbe Tripoli.28. legationes ad regem Numidiæ. 29. donationes eis factæ.29. bellũ contra Massilienses. 29. à Frid. Monœci agro donati. 32. clementia, 38. clades.41. inuadunt Alexandrinos.42. nomen ac potentia. 48. multæ legationes ad varios Principes.50. plurimi ex nobilitate Cæsarianas partes fouebant.60. variæ legationes,80. pleraque oppida coëmũt.86. victoria aduersus Tarraconens.115. à rege Andegauens. defectio.117. victoria aduersus Sinopis regulum duce Simone Quarto. 123. aduersus Mauretanos victoria.124. à duce Mediolanens. defectio.136. expeditio aduersus regẽ Tunetanum.154. legatorum oratio habita coram rege Galliarũ.154. sese Galliarum regi dedunt, & quibus conditionibus. 178. clades. 181. aduersus Tarraconens. victoria. ibid. expeditio aduersus regẽ Cypri. 201. à Galliarũ rege defectio.207. noua classis aduersus Tarraconens. 213. Senatus gratitudo.233. quàm latè olim dominabãtur.236. à Philippo ingens abalienatio.239. clades à Scythu inflicta.244. classis aduersus Alfonsum Aragonium.246. inclyta victoria aduersus Alfonsum. 248. gloria oppressa sub imperio ductis Mediolanens.249. duce Francisco Spinula sese in pristinam libertatem vindicant.254. Senatus gratitudo.259. adiuuant Renatũ pro recuperãda Neapoli.298. splendidissima legatio ad Franciscum Sfortiam.319. legatorum oratio coram Principe Mediolan.320. legatio ad Galeacium Sfortiæ filium.325. legati oratio coram Galeacio. 330. Sansseuerinate duce Insubricos conatus repellunt. 349. classis pro defensione Rhodiensi. 355. clades. 361. legatio ad summum Pontificem.364. industria.367. mulier anguem enixa.369. nauale victoria aduersus Gallos.382. à Ludouico Sfortia defectio.401. constantia erga Lud. regem Galliarum.403. non solùm armis, verùm etiam literis inclaruerũt.407. erga Cæsares summa obseruantia & fides.412. recusant Pisanæ vrbis imperium, ipsis vltrò oblatum.413. à Galliarum rege defectio.413. legatio ad Galliarum regem. 415. à Ludouico Galliarum rege defectio.432. Cuniculorum vsum primi in Italia reuocant.437. legatio ad Galliarum regem. 445. legatio ad Daualum missa.453. clades Cæsari permolesta.455. Sauonæ iacturam grauissimè ferunt.466. Hispanica præsidia minimè intromittunt.479. virtus & fortitudo, 494. natura. 524. inter eos & Anglos vetus necessitudo. 570. anno Neronis ferè pænult. Christianã fidem ac religionẽ amplectuntur.589. classis pro Hierosolymitana expeditione duce Gulielmo Embriaco.593. miro artificio turrim expugnandis vrbibus idoneam inueniunt.594. Myram vrbem occupãt. 595. naualẽ classem instruunt. ibid. Antipatridẽ & Cæsareã occupant, ib. rursus nouam classem instruunt & Ptolemaidem capiunt, ibid. præclaro elogio à Balduino celebrantur. ibid. nouam expeditionem suscipiunt Ansaldi & Hugonis Embriacæ familiæ auspiciis, ibidem. Biblio potiuntur. ibid. Tripolim expugnant. 596. Priuilegijs & immunitatibus donantur. ibid. eorundem religio, potentia & fortitudo, ibid. diplomate à Balduino donantur. 597. classem instruunt aduersus Saracenos.619. eorundem expeditio pro expugnatione minoris Balearis.620. expugnatio ibid. noua classis pro expeditione Almeriæ, ibid. stratagema.621. aduersus Mauretanos victoria. 622. in media expeditione à Barcinonens. deseruntur.626. post præclaras victorias in patriam reditus, ibid. aduersus Saracenos victoria. 628. conclassis aduersus Pisanos.631. conditiones pacis præscriptæ Pisanis, ibid. horum perfidia in pacis violatione. ib. nouus apparatus militaris aduersus eundẽ hostem. ibid. inuadunt Corsicam à Pisanis occupatam.632. nouam classem exornant. ibid. Pisanã turrim demoliuntur.635. mittunt lega-

legationem ad Frider. II. Imp. 636.
feliciter cum Pisanis confligunt. 644.
victoria aduersus Pisanos. 645.
Guilelmo regi Siciliæ reconciliantur.
648. classis pro Sicula expeditione
in gratiam Henrici Imper. 651.
Syracusas capiunt spatio 7. dierum.
658. victoria. 673. in portu
Genuensi. 58. triremes & 8.
phaseli ab hora diei tertia vsque ad
solis occasum instructæ atq; in prom-
ptu habentur. 674. cum Pisa-
na classe feliciter confligunt. 656. &
675. Ligures fœdere cum Lucensib.
percusso, nouum bellum aduersus Pi-
sanos parant. 680. horum potentiã
euertunt. 681. legatio ad Fri-
dericum Cæsarem. 684. classis in
Pontificis gratiam instructa. 685.
clades. 686. nouam classem exor-
nant. ibid. eorundem lætitia propter
suarum nauium appulsum ex Syria.
687. mira celeritate rem naualem
expediunt. 688. eorundem incre-
dibile studium erga patriam, ibid.
fortitudo & magnanimitas, ibidem.
prætorem suis copiis præficiunt. 690.
clades. 691. huius prospera expe-
ditio. 692. tridui spatio 70.
triremes instruunt. 695.
nequicquam hostilem classem Sauo-
næ incendere conantur, ibidem.
naufragium subeunt. 696. suis dũ-
taxat priuatis opibus Friderici Cæsa-
ris potentiæ resistunt. ibid. Genuens.
populi commendatio & virtus. 697.
Sauonam obsident, ibid. in Senatu va-
riis deliberationibus certatur. 698.
relicta Sauonensi obsidione tantum-
modo rem naualem prosequendam
statuunt. ibid. prætor cum ignomi-
nia recedit à Sauonens. oppugnatione.
699. inter se dissentio, ibid. cle-
mentia erga Sauonenses ac ceteros
qui ab eorum fide receſſerant. 708.
legatio ad Venetos. 710. item alia.
711. Malliaco suppetias ferunt, ib.
indutiæ decennales cum Venetis. 712.
pax. 713. belli innouatio, ibidem.
clades. 715. & 723. vltio. ibid.
infeliciter pugnant. 717. nouæ in-
dutiæ. 717. Lucensium opem im-
plorant. 717. eorum felicitas. 722.
nouam classem aduersus Venetos duce
Vberto Auria emittunt. 727.
Cydonem expugnant. 727. nauim
Venetam intercipiunt. 728. nouam
classem emittunt. 729. tria Vene-
torum nauigia intercipiunt, ibidem.
arcem Ptolemaidis occupant. ibid.
prælium cum Venetis. 730. indutiæ.
ibid. nouum bellum. ibidem. insignis
moderatio in victoria. 732. victo-
ria cum ingenti clade. 735. victoria
duce Nicolao Spinula. 736. poten-
tissimã classem Vberto Auria educunt,
in qua erant 45. millia hominum ar-
matorũ. 737. bellũ Venetis indicunt,
ibid. rursus rem naualẽ duce Gando
Mario expediunt. 738. item auspi-
ciis Lambæ Auriæ insigni victoria po-
tiuntur. 740. item alia victoria
ductu M. Pasci. 742. Cydonem oc-
cupant. ibid. veteribus factionibus
diuexantur. 743. victoria contra
Venetos duce Francisco Marino. 744.
nouam classem parant. 744. clades
ad Carystium portum. 745. victo-
ria sub Pagani Auriæ auspiciis. 748.
clades. 749. victoria. 751. Pa-
rentum capiunt & diripiunt. 752.
reconciliatio. 753. victoria aduer-
sus regem Cypri. 756. Cyprio regi
pacis conditiones præscribunt. 756.
nouum bellum aduersus Venetos. 759
clades, ibidẽ. nouam classem ductu
Luciani Auriæ emittunt. 761.
victoria in Cypro. 763.
noua expeditio. 764. contra
Mediolanensium Principem victoria.
770. eò redacti, vt de ipsa vrbe de-
serenda consilium iniuerint. 772.
ciues in numerum senatorum coop-
tant, ibidem. ad Clodiam infelici-
ter pugnant. ibidem. Mari ac terra
Genuenses diuexant. 773. Græcũ
Imperatorem incitant, vt Peram op-
pugnet. 774. Caroli Zeni reditu
animum atque vires resumunt, ibid.
conflgunt cum Genuens. 775. victo-
ria, ibid. clades. 776. prælium de-
trectant. 778. fortunam iterum
prosperam experiuntur. 779. nouos
apparatus bellicos præparant. 780.
reconciliatio cum Genuens. ibidem.
conditiones pacis. 781. nouum bellũ
reparant. 683. cum Florentinus fœ-
dus percutiunt, ibid. victoria aduer-
sus Philippum Med. Principem, ibid.
clades. ibidem. bellum instaurant.
784. victoria ad sinum Rapalitanum,
ibid. Chium insulã inuadunt. 785.
re infecta discedunt. 787. clades
propter huiusmodi expeditionem ac-
cepta, 789. nouam classem duce
Petro Spinula emittunt, ibidem.
pax cum Genuens. 790.

Georgius Adurnius magno applausu Prin
ceps renunciatur, 129. 205. 215.
Georgius Granellus. 189.
Georgius Aimon. 317.
Georgij Fliſci sublimes & inanes cona-
tus. 338.
Georgius Interianus vir singularis erudi-
tionis. 407.
Georgius Stella. 408.
Georgius Danſletterus summus Medicus
& Mathematicus prædixit mortem
Cæsaris Maximil. primi. 449.
Georgius & Ludouicus Comites à Steyn
& Wirgensteyn. 485.
Georgianus Magistratus. 797.
vnde originem traxerit. ibidem.
Germanorum stulta persuasio. 3.
Gibellini portũ Genuensem ingrediuntur.
103. aduerso marte confligunt, ib.
pleraque nauigia in ipso portu flamma ab-
sumunt. 104. sese in fugam
cõiiciunt. 105. iterum Genuam in-
uadunt. 106. eorum clades. 108.
patria & fortunis exuuntur. 703.
Gliscentes tumultus intestini Coss. pru-
dentia repressi. 18.
Gobbus Iustinianus Cæsaris militiam se-
ctatur. 472.
Gorgonæ Abbatis simulata sanctimonia.
690.
Gostanus Suecorum rex. 480.
Gothfredus Bulionus primus omnium
Hierosolymorum mœnia conscendit.
594. regis titulam auersatur, ibid.
mors. 595.
Græci duce Michaële Palæologo imperiũ
recuperant. 708. amissum Imperiũ
recuperant. 719.
Gregorij Pont. erga Senatum Genuens.
ingratitudo. 85.
Gregorius Guanus. 221.
Gregorij V. de Imper. eligendis sanctio.
554.
Gregorius IX. Pontifex Synodum Romæ
indicit. 684. mors. 691.
Gregorius X. Pontifex renunciatur. 730.
Gregorij XI. Genuam aduentus. 757.
Grimaldus. 114.
Grimaldi vrbe eiecti, 95. cum suis cõfœ-
deratis Genuam inuadunt. 129.
Grimaldi vnde originem trahant. 386.
Guarcus & Montaldus Reipub. recon-
ciliati. 180.
Guani Principis fuga. 221.
Guarenus Iudex. 720.
Guelfi & Gibellini quando esse cœpe-
runt. 56.
Guelfi confugiunt ad Vbertum Andega-
uens. 101. validam classem con-
tra hostes educunt. 105.
Guelfi & Gibell. etiam in partib. Orien-
talibus inter se confligunt. 108.
Guelfi cedunt Gibellinis. 117.
Guelfæ & Gibellinæ factiones sub Mas-
carato & Rampinorũ nomine. 736.
Guido Taurellus. 233. 234.
Guido Vicecomes. 333.
Guidonis Rangonij & Cæsaris Fulgosij
inanes conatus in occupanda Genua.
503.
Guido Spinula. 596. 706.
Guidobaldi Vrbini Ducis mors. 580.
Gulielmus Spinula vocatur à Sultano.
28.
Gulielmi Pigneli cædes. 33.
Gulielmus Marius. 45.
Gulielmus Spinula cum plerisque aliis
nobilib. viris proscribitur. 57.
Gulielmus Hollandiæ Comes Cæsar de-
signatur. 67.
Gulielmus Albintimilij Comes hostis
Reipub.

Reipub. declaratur. 69.
Gulielmus Palauicinus. 133.
Gulielmus Ermirius. 141.
Gulielmus Rodoanus. 408.
Gulielmus Budæus in ſummo honore ac exiſtimatione habitus à Ludouico Galliarum rege. 441.
Gulielmus Cæcilius Burlai Baro. 562.
Gulielmus Brook Baro de Cobbam. ibidem.
Gulielmus Mõtiſpeſſulani regulus. 625.
Gulielmus Biſaccius. 647.
Gulielmus Iudex. 656.
Gulielmus Roſſus. 660.
Gulielmus Buccanigra. 666. vrbis præfectus & poſtea princeps renunciatur. 73.
Gulielmus Cataneus. 683.
Gulielmus Spinula. 692.
Gulielmus Embriacus. 712. Liguſticæ claſſi præficitur in Hieroſolymitana expeditione. 593.
Gulielmus Vicecomes. 720.
Guletæ arcis deſcriptio. 447.
Guleta & Tunetum à Cæſare expugnata. 502.

H.

HAbraam Fulgoſius. 224.
Hadrianus V. Pontif. renunciatus, breui pòſt fato exceſſit. 86.
Hadriani Pontif. interitus. 459.
Haſina vnde dicta. 63.
Heliopolis expugnatio. 62.
Henrici Cæſaris legatio ad Genuenſ. ac itidem Genuenſ. ad eundem Cæſarem. 21. natura & ingenium. 57. Genuam proficiſcitur. 98. veneno ſublatus. 99.
Henricus Lantgrauius rex Rom. deſignatus. 63.
Henrici Stuardi cædes. 440.
Henricus Britanniæ rex. 480.
Henricus Delphinus cum exercitu in Galliam Tranſalpinam ablegatur. 505.
Henrici Angliæ regis interitus. 518.
Henricus II. Franciſco in Gall. regno ſuccedit. 518. in Germaniam cum exercitu proficiſcitur. 543.
Henricus icto fœdere cũ Solymano claſſem impetrat. 546.
Henrici Nauarr. regis obitus. 558.
Henrici Galliæ regis magnanimitas. 566 mors. 570.
Henricus Scotiæ rex ſuæ vxoris conſenſu à Comite Bodwillo interficitur. 568.
Henrici Sydnei Hiberniæ proregis præclariſſimæ dotes. 569.
Henricus VI. Friderici I. ſucceſſor. 604. eius crudelitas & auaritia. 608. Legatos mittit ad Genuenſ. 650. ad Genuam profectio. 652. Neapolim fruſtrà obſidet. 652. in Italiam redit. 652. regno Siciliæ potitur. 654. mors. 658.
Henricus Malliacæ oræ Princeps. 34. & 658. feliciter pugnat aduerſus Venetos. 709. eius clades. ibidem. Genuam venit. 710.
Henricus Vſuſmarius. 673.
Henricus Dandalus. 707.
Henricus Marius. 672. 677. & 680.
Herculis Monœci portus, vulgo Villafranca. 435.
Hermannus Murſiæ & Nieunariæ Comes. 483.
Heſdinum expugnatur. 546. (397.
Hieronymæ Spinulæ ac eius mariti cædes.
Hieronymus Gentilis. 332. eius animi generoſitas & flagrantiſſ. ſtudium pub. libertatis. ibidem.
Hieronymus Auria vnà cum ſua coniuge in exilium relegatur. 431.
Hieronymi Fliſci cædes. 435.
Hieronymi Adurnij ſingularis virtus. 451. mors. 452.
Hieronymus Fliſcus deditionẽ facit. 531.
Hieroſolyma à Chriſtianis Principibus recepta. 594. peſte diuexatur. ibidem. à Saladino expugnata. 600. excidium. 614. à Friderico Cæſ. recipitur. 615.
Hippolyti Cardinalis mors. 498.
Hippona ab Andrea Auria capta. 502.
Hiſmaël Perſarum rex. 480.
Hiſpalis à Ferdinando rege Caſtellæ expugnata. 68.
Hiſpanicæ claſſis amiſſio. 484.
Hiſpaniolæ magnitudo, & à Gadibus diſtantia. 373.
Homines, Alpheſtæ appellati. 90.
Honorius II. Pont. creatur. 632.
Horribilis tempeſtas. 62.
Horuccius. 486.
Hubertus Languetus. 577.
Hugeboldus ab Einſidel. 553.
Hugo Fliſcus. 706.
Hugolinus Vinaldus. 91.
Hugolinus Guiſolfus. 125.
Hugolinus Card. Hoſtienſis mittitur legatus Genuã ab Honorio III. Rom. Pont. 662. eiuſdem oratio ad Legatos atque Antiſtites Genuenſium ac Piſanorum. 663.
Hugolini Comitis potẽtia & auctoritas. 676. pacem initam auerſatur. 677. eiuſdem ſumma felicitas & extrema miſeria. ibidem.
Hungarici regis inſana perſuaſio. 612.
Hydruntũ à Chriſtianis receptum. 355.

I.

IAcobus Grillus capite damnatus. 51.
Iacobus Squarciaficus. 84.
Iacobus Luſinianus. 152.
Iacobus Campofulgoſius princeps declaratur. 160.
Iacobus Iuſtinianus. 220. & 248.
Iacobus Cadora. 235.
Iacobus Iſolanus. 236.
Iacobus Apianus. 242. 406.
Iacobus Candola. 265.
Iacobus Triaultius. 341.
Iacobus Bracellius. 408.
Iacobus Furnius. ibidem.
Iacobus Varraginenſis. ibidem.
Iacobus Corſus. 419.
Ioan. Iacobus Triaultius ſumma virtute ac rei militaris gloria inſignis. 433.
Iacobi Stuardi perfidia. 439.
Iacobi Stuardi Scotiæ regis cædes. ibid.
Iacobi Stuardi Moraniæ Comitis cædes. 440.
Iacobi Scotiæ regis in Galliam profectio. 505. Magdalenam Franciſci regis filiam vxorem ducit, quæ proximo anno fatis concedit. ibidem.
Iacobi V. Scotiæ regis mors. 511.
Iacobus Nigrius. 666.
Iacobus Marcellus. 685.
Iacobus Varagineus. 737.
Iacobus Adurnius. 785.
Ianus Luſinianus. 196.
Iani Cyprij regis mors. 243.
Iani Fulgoſij victoria, & ad principatum promotio. 273. mors. 274.
Ianus Fulgoſius Princeps ciuitatis renunciatur. 432. fuga. 435.
Ido Picius & Hugo Cataneus ablegãtur ad Cæſarem. ibid. 643.
Ido Conradus. 680.
Ilua inſula Piſanis erepta. 457.
Imperatoris præſentia vtiliſſima. 27.
Incendium in vrbe Genua. 81.
Indutiæ inter Venetos & Genuenſes. 214. inter Ligures & Tarraconenſ. 214. inter Carolum V. & Franciſcum regem decennales. 507. inter Maximilianum & Turcarum Imper. 580. inter Genuenſ. ac Piſanos. 636. 662. à Piſanis violatæ. ibidem. inter Venetos ac Genuenſ. 711. inter eoſdem decennales 712. inter Ligures ac Venetos. 718. & 730. 647.
Ingo Fleſſa, 690.
Ingo Cataneus.
Initium diſcordiæ inter Spinulas & Auerias. 96.
Initium & origo belli inter Genuenſ. ac Venetos. 710.
Innocentius V. Genuenſ. Reipub. amantiſſimus. 85.
Innocentius VIII. Pont. Genuenſ. 357. erga ſuam patriã ingratiſſimus. 370. interitus. ibidem.
Innocentij II. ad Genuã profectio. 633.
Innocentius IIII. Pontifex renunciatur. 700. Genua Lugdunum proficiſcitur. 701. Romam reuertitur. 706. mors. ibidem. 237.
Inſubrum clades.
Inſubria à Cæſarianis inuaditur. 450.
Inſubri Ducis filia Cyprio regi elocatur. 760.
Inſula Meninga à Genuenſibus occupata. 154. 205.
Inundatio. 609.
Ioachimi abbatis vaticinium. Ioanna

Ioanna Lotharinga. 405.
Ioannes Spinula, 44.
Ioannis Pontif. inanes conatus pro mutua reconciliatione. 108.
Ioannes Fornarus. 116.
Ioannes Fliscus. 117.
Ioannes Marius. 123.
Ioannes Morta dux Genuens. obitus. 132. 127.
Ioannes Vicecomes. 133.
Ioannes Valentius princeps designatur. 133.
Ioannes Centurio Vltramarinus. 156.
Ioannes Bonciartus. 195.
Ioannes Carolus. 210.
Ioannes Grimaldus. 223.239.& 371.
Ioannes Fulgosius. 224. 227.& 266.
Ioannes Antonius Fliscus.266.& 269.
Ioannes Philippus Fliscus. 286.
Ioannes Andegauensis, Renati filius, Genuam venit.291. Genuam profectus, nomine Gall. regis, illius imperium suscipit. 292.
Ioannes Cossa. 296.& 298.
Ioannis Flisci obitus. 296.
Ioannes Scipio Palauicinus. 329.
Ioannes Franciscus Palauicinus. 336.
Ioannes Baptista Guarcus. 337. 342.
Ioannes Georgius Fliscus. 338.
Ioannes Palauicinus. 341.
Ioannes Aloysius Fliscus. 345.
Ioannes Aloysius, & Matthæus dimicãt pro patria. 349.
Ioannes Paulus Lecensis. 361.
Ioannis Galeacij vxor Genuam proficiscitur 367.
Ioannes Metellus. 376.
Ioannes Cagnatius. 408.
Ioannes Baptista Lazania. 417.
Ioannes Andreas Auria Melphiæ princeps. 477.& 579. eius interitus. 530.
Ioannes Auria principis Andreæ Auriæ successor atque hæres. 477.
Ioannes à Ferreriis Vidamus Carnutensium princeps. 481.
Ioannis Vayuodæ obitus. 509.
Ioannes Baptista Montius in obsidione Mirandulæ interimitur. 540.
Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux, & Landegrau. pristinæ libertati restituuntur. 544.
Ioannis Austriaci in Africam expeditio. 579.
Ioannes Brennus Hierosolymorum rex. 611.
Ioannes Rossus Cataneus. 614.
Ioannes Panzanus. 666.
Ioannes Procul Salernitanus. 668.
Ioannes Turchius. 703.
Ioannes Trinisanus. 710.
Ioannis Vicecomitis singulare studium erga Genuenses. 753. eius obitus. ibidem.
Ioannes Grimaldus Philippicæ classis præfectus. 783.
Iordanus Vrsinus Corsicæ à Gallis præficitur. 555.
Isaacius Angelus à fratre Alexio in vincula conijcitur.707. eius filius Cæsar renunciatur. 708. à Murzifilo interficitur. ibidem.
Isedius Cataneus. 670.
Isnardus Guarcus. 217. 240.& 256. princeps renunciatur, eiq; breui pòst succedit Thomas Cãpofulgosius.257
Iulianus Maguerra. 368.
Iulius II. Pontifex 412. eiusdem apud Lud. regem interceßio pro Genuensib. 417. Venetis infensissimus. 426. mouet bellum cõtra Ludouicum. ibid. inuadit Genuam. 427. in suscepta aduersus Ludouic. regem expeditione indesessum studium atque implacabile odium. 428. omnes reges inflammat aduersus Ludouicum. 430. eius obitus. 433.
Iulius III. Roman. Pontifex renunciatur. 537. relicto Cæsare, in partes Gallorum transit. 540. mors. 557.
Iustinopolis à Genuẽs. expugnata. 778.

L.

Ladislaus Augustus. 480.
Lambas Auria capitur à Germanis, qui pro ipsò militabant. 100.
Lambas Auria Ligusticæ classi præficitur. 738. eiusdem oratio ad milites. 739. victoria. 740.
Landresium à Gallis præsidio subleuatur. 513.
Lanfranci Peueri cædes. 20.
Lanfrancus Buccanigra interficitur. 76.
Lanfrancus Pignatarus. 84.
Lanfranci Spinulæ interitus. 95.
Lanfrancus Vsusmarius. 105.
Lanfrancus Marcellus. 665.
Lanfrancus Rossus. 711.
Lanfrancus Carmandinus. 725.
Lantgrauij 64. eorundem origo. 64.
Largherum à Pisanis deditione occupatum. 670.
Laterna pro nauigantibus erecta. 107.
Laurentius Angelus. 136.
Laurentius Folieta. 223.
Laurentius Mediceus. 358.
Laurentius Magius insignis Philosophus ac Medicus. 407.
Laurentius Theupulus. 716.
Lazarus Gerardinus. 43.
Lazarus Auria. 325.& 360. eius magnanimitas. 329.
Lazarus Spinula. 326.
Lazarus Axeretus. ibidem.
Lazarus à Schwendi Baro, &c. 483.& 581. Cæsareo exercitui præficitur. 577.
Lecensis arx & Ginarca in Corsica insula à Genuens. recuperata. 362.
Leo Armeniæ rex Ciliciæ multas immunitates Genuensib. concedit. 25.
Leo X. Iulio II. Pontif. suffectus. 435. Leonis Pontif. & Francisci Galliarum regis Bononiæ multus congressus. 446. mors. 451.
Leo Strozza principem Auriam insequitur. 540. eius magnanimitas. ibidem. mors. 556.
Leonis Ventrani mors. 711.
Leonardus Montaldus. 137.& 138.& 147. princeps creatur. 152.
Lesbos insula à Mahumete Turcarum imperat. occupata. 403. eius descriptio. 404.
Lex Genuæ aduersus immodicos sumptus. 184.
Lex Aquilia. 799.
Ligures olim Romanorum hostes. 5. Ligures & Veneti à Scytharum rege grauissimis damnis affecti. 124. Florentinis bellum inferunt. 358. victoria. 633. eis IIII. triremes à Pisanis intercipiuntur. 643. victoria. 644.& 645. eorum ac Pisanorum reconciliatio. 653. tria nauigia eis à Pisanis capiuntur. 660. eodem tempore cum Pisanis, Venetis, & Gallis Narbonensib. belligerant. 661. nequiquam hostilem classem incendere conantur. 695. acceptam cladem vlciscuntur. 723. nauem amittunt. 724. nouam classem duce Vbertino Auria emittunt. 727. victoria cum ingenti clementia. 735. infeliciter pugnant. 748. regi Cyprio pacis conditiones præscribunt. 756. diuersos principes sibi in fœdus ac societatẽ adsciscunt. 759. nouam classem aduersus Venetos Luciani Austriæ auspiciis emittunt. 761. Clodiæ obsessi sese victorum arbitrio permittunt ac dedunt. 778.
Ligurnum expugnatũ ac direptũ. 680.
Loca Genuensib. diuendita. 25.
Loca Ligusticæ ditionis à Gallis diuendita. 213.
de Locustis, & quantum detrimenti persæpè intulerint. 139.
Locustarum ingens multitudo in Italia. 514.
Lombardus Spinula. 119.
Lomellina familia præstantissimos viros tulit. 385. eius auctores. ibidem.
Longobardorum in criminibus purgandis consuetudo. 50.
Lotharingus Martinengus. 36.& 41.
Lucæ intestini motus Genuens. auctoritate compositi. 51. Gerardo Spinulæ diuendita. 111. Lucenses Pisanis bellum indicunt. 643. magnam cladem inferunt. ibid. fœdus cum Genuensib. contra Pisanos contrahunt. ibidem.
Lucas Grimaldus. 81.& 729.
Lucas Auria optimè de Republica meritus. 89.
Lucas Nigrius. 110.& 111.
Lucas Fliscus. 211.
Lucianus Auria rei nauali præficitur. 761.

761. oratio ad milites. ibidem. victoria. 763. eximia virtus. 764. mors. 763.
Luchinus Facius. 132.
Ludouicus Bauarus. 110.
Ludouicus Andegauenſ. Genuam proficiſcitur. 206. & 226.
Ludouicus Fulgoſius princeps renunciatur. 274. principatum deſerit. 275. tertium Princeps creatur, 312. & 313. neutri parti adhæret. 353. mors. 397.
Ludouicus Valla. 303. & 311.
Ludouicus XI. 314.
Ludouicus Sfortia implorat opem Turcarum. 378. captiuitas ibidem. ad Genuam profectio & aduentus. 391. & 392. cedit Galliarum regis potentiæ. 399. relicto Mediolano confugit ad Maximilianum Cæſarem. 400. Mediolanum Heluetiorum auxilio recuperat. 403. ab Heluetiis perditus. 403.
Ludouicus XII. Galliarum rex. 397. Mediolano, & mox arce potitur. 400. Genuam proficiſcitur. 409. Genuenſium poſtulatis benignißimè aſſentitur. 410. eiuſdem ſingularis humanitas ibidem. in Genuenſes clementia. 416. parat expeditionem aduerſus eoſdem. 417. cum potenti exercitu inuadit Genuenſes. 418. Genuam ingreditur. 420. adhortatio ad Senatum iurgatione mixta. 423. Mediolanum proficiſcitur. 424. de Venetis victoria. 426. eius fortitudo & magnanimitas. 433. obitus & natura. 441.
Ludouicus & Ferdinandus reges Sauonæ conueniunt. 424.
Ludouicus Fliſcus à Ludouico Galliarũ rege in equeſtrem ordinem cooptatus. 442. aduerſus Rempub. Genuenſ. conſpiratio. 519. æmulus Auriæ felicitatis. 520. mors. 529.
Ludouicus Hungariæ rex in prælio aduerſus Turcas interficitur. 463.
Ludouicus Princeps Palatinus Sacri Roman. Imperij. 482.
Ludouicus Turingiæ Lantgrauius, maritus S. Elizabethæ, cum pleriſque aliis Principibus, fato ſublatus eſt in expeditione Hieroſolymitana. 615.
Ludouici IX. Gall. regis in Africam expeditio. 616. victoria, & Tuneti obſidio, ibidem. capitur à Saladino. ibidem. interitus. 617.
Ludouicus Guarcus. 776.
Lues Gallica primùm in Campania exorta. 383.
Lugdunenſia comitia. 701.
Luporum vis immenſa. 109.
Luſitania horribili inundatione diuexatur. 489.
Luſitanici belli deſcriptio. 506.
Luſitani regis clades. 584.
Lutetiæ ingens trepidatio. 515.

M.

Magallanus. 374.
Magdeburgenſium virtus. 542.
Magdeburgica pacificatio, eiuſq; conditiones. ibidem.
Magiſter Iuſtitiæ à plebe trucidatur. 147.
Magiſtratus Baliæ. 343. reſtituitur. 354.
Mahumetes Turcarum Imperator. 277. obitus. 355.
Mahumetes Iahaoglis Hungariæ à Selymo præficitur. 513.
Maimonus Almeriæ regulus. 619.
Malliacus Genuam proficiſcitur. 709. aduerſus Venetos victoria. ibidem. clades. ibidem.
Mamaluchi qui dicantur. 601.
Manegoldus primus prætor Genuenſ. 19.
Manfredi parricidium. 704.
Marcellus II. Pontifex renunciatur. 557. obitus. ibidem.
March. Maleſpinæ. 29.
Marchionis Finarij expulſio. 571.
Marchionis Palauicini inanes conatus. 693.
Marcoaldus Henrici Cæſaris dapifer. 21. & 652.
M. Pius Carpi Princeps. 308.
Marcus Fuggerus Baro, &c. 484.
M. Paſeus. 25. triremium præfectus contra Venetos feliciter dimicat. 743.
Margareta Comitiſſa Hollandiæ. 359.
Margaretæ Valeſiæ obitus. 537. & 580.
Margaritus prælium cum Genuenſibus detrectat. 651.
Mariæ Britanniæ reginæ obitus. 566.
Maria Stuarda nubit Franciſco II. Valeſio. 566. nubit parricidæ. 568.
Marinus Caracciolus. 452.
Marinus Ebulus. 689.
Martinus Buccanigra. 76. & 720.
Martinus Zacharias. 126.
Martinus Montaldus. 163.
Marſi. 411.
Maſſilia à rege Alfonſo direpta & incenſa. 235. à Cæſarianis fruſtra obſidetur. 459.
Matthæus Lomellinus. 258.
Matthæus Fliſcus. 338.
Matthæus Senarega. 408.
Matthæi Stuardi Leuiniæ Comitis cædes. 440.
Matthæus Marruffus. 776. victoria. ibidem.
Matthiæ Archiducis heroicum ingenium & virtus. 582.
Matutina Gallica. 669.
Mauritanorum ingenia. 622.
Mauritij ducis virtus & fortitudo. 511. voluntariè Cæſari militat. 514. eius inauguratio. 533. bellum in Cæſarem mouet. 542. mors. 551.
Maximilianus primus Cæſar Genuam venit. 387. in Italiam proficiſcitur. ibidem. obitus. 448. eius virtutes. 449.
Maximilianus Sfortia Mediolano potitur. 432. Pontificis opem implorat. 443. eius conſtantia. 444. humaniſſimè à rege Franciſco exceptus. ibidem.
Maximilianus ſecundus Auſtriacus, Philippo regi imperio prælatus. 539. Cæſar deligitur. 573. obitus. 581.
Mechlinienſium clades atque direptio. 578.
Mediolani Antiſtes vrbis Genuenſ. præfecturam gerit. 241.
Mediolanenſ. principis exercitus contra Genuenſ. 349. ſtudium erga Rempub. Genuenſ. 753.
Mediolanum in Gallorũ poteſtate. 379. à Ludouico recipitur. 433. vnà cum arce à Gallis receptum. 443. 145.
Megolus Lercarius. 616.
Meledini Sultani obitus. 136.
Melianus Cataneus. 154.
Melita à Genuenſ. expugnata duce Thoma Murchio. 142. à Rhodienſ. defenſa. 576.
Melitenſium equitum inſignis virtus & fortitudo. 538.
Memphitici regis proſperi ſucceſſus. 678.
Meninga inſula à Genuenſib. occupata. perbrevis deſcriptio. 430.
Metenſis vrbs perdolum occupata. 543.
Methone fraude capta. 492.
Michael Stenus. 202.
Michael Ricius mittitur à rege Ludouico ad Genuenſ. 416.
Michaelis Noſtradami vaticinium. 505.
Michael Palæologus, expulſo Balduino, potitur Byzantio. 719.
Militaris dolus. 230. 310. 350. 736. 763. 741.
Militaris peritiæ exemplum. 100.
Militaris ſeditio aduerſus Aurianos. 610 in Chriſtianorum caſtris exorta omnem victoriæ curſum interrupit. 644.
Militare ſtratagema. 411.
Mira quædam de Veſpaſiano ac Theodoſ. Imperat. 402.
Mirabilis & repentinus funeſtus caſus.
Mirandula à Ioanne Baptiſta Montio obſidetur. 540.
Mitylenæ fruſtra à Genuenſ. ac fœderatis obſidentur. 404. earum ſitus & quibus ingeniis inclaruerint. 405.
Moguntini ad pacem cohortatio. 636.
Moles portus Genuenſ. ampliata. 391.
Monaſterium oppidum in Africa expugnatum. 538.
Monſtra quare dicantur. 369.
Montaldus & Guarcus ſimul coniunctis viribus Adurnium inuadunt. 177.
Montaldi obitus. 153. ſingularis humanitas & clementia. 169.
Mon-

Montanarij expugnatio. 42.
Montanarus Squarciaficus. 670.
Montanarus Marinus. 684.
Montis ex suo loco commigratio. 51.
Montiferrati March. filia Græco Augusto desponsatur. 28.
Mos inaugurandis regibus Hungariæ. 541.
Mossouitarum clades. 439.
Motus in vrbe Genuens. 54.161.339. in Corsica Thomæ Fulgosio auctore concitati. 361. in agro Ligustico opera Iulij Pontif. excitati. 427.
Motus in Africa. 536. in Cypro. 754.
Mouleasses se confert in Siciliam. 516. à filio excæcatus. ibidem.
Mulier Genuens. anguem enixa. 369.
Mulier virilis animi. 405.
Murziphili cædes. 708.
Musactus Saracenorum rex Pisas capit atque incendit. 628. vir excelsi animi. 630.
Mustapha innocens necatur mandato patris. 547. eius somnium. 548.

N.

Napolio Spinula. 118.
Nati sub Delphino. 231.
sub Piscibus, ibidem.
Nauale apparatus Christianorum principum contra Mauritanos. 156. Venetorum ac Genuens. 324. 722. Regis Galliarum. 468.
Nauale conflictus in quo Gibellini superiores euaserunt. 106. inter Ligures & Tarraconens. 213. inter Alfonsum & Ligures. 247. item 463. in sinu Salernitano. 472. inter Cæsarianos & Gallos. 557. inter Pisanos ac Genuens. 639. 644. item 657. 659. 673. inter Cæsarianos ac Genuens. 686. conflictus cum Venetis. 726.
Nauale conflictus. 716. 740. 742. 748. 751. 763. ad sinum Rapalitanum. 784.
Nauale ac terrestre conflictus inter Ligures ac Venetos. 773.
Nauale Christianorum victoria. 578. classis. 592.
Nauale victoria Hispanorum & Anglorum aduersus Gallos. 565.
Nauigationes insignes quorundam veterum. 375.
Nauis Veneta à Genuensib. capta. 202. item 728. Ligustica, vulgò Oliua, à Venetis intercepta. 324. item 761. Ligustica à Pisanis intercepta. 657. Iacobi Auriæ à Gallis in portu Genuens. intercepta. 460. Pisana à Ligusticis occupata & incensa. 648.
Naulum cum arce à Gibellinis occupatum. 107. à Genuensibus receptum. 297.
Naumachiæ celebriores. 748.
Naupactum à Turcis occupatum. 403.
Naxus à Genuensib. occupata. 789.
Nazarus & Celsus Genuensem populum ad Christianam fidem conuertunt. 589.
Neapolis vrbs à Lutrechio obsidetur. 471. seditio propter Hispanicam inquisitionem. 518. eius deditio. 235. & 653.
Nicæa à Turcis expugnatur. 512. deditionem facit. 592.
Nicenses sub Genuens. potestate. 32.
Nicolaus Auria. 23. 25. 83. classis Genuens. præfectus. 433. 435. & 531.
Nicolaus Canettus. 137.
Nicolaus Spinula. 143. Cæsarianæ classis præfectus. 685.
Nicolaus Guarcus. 144. 146. 770. Oratio ad populum Genuens. 149. sponte principatum deponit. 151. Genuam captiuus perducitur, 153.
Nicolaus Maruffus. 152.
Nicolaus Zoalius creatur Princeps. 170.
Nicolaus tertius cognomento Bellator. 237.
Nicolaus Picininus. 242. & 255.
Nicolai Picinini sæuitia & immanitas. 785.
Nicolaus Campofulgosius. 262.
Nicolaus Brimaldus princeps Salernitanus. 386. item 665.
Nicolaus Odericus. 415.
Nicolaus Belogius Ligusticæ classi præficitur. 459.
Nicolai Serini Comitis eximia virtus & fortitudo. 512.
Nicolaus Michaël patricius Venetus, vnà cum Mustapha iussu Solymani interfectus. 548.
Nicolaus Cataneus. 659.
Nicolaus Nigrius, ibidem.
Nicolaus Rutius. 644.
Nicolaus Cicada. 666.
Nicolaus Ventus. ibidem.
Nicolaus Buccanigra. 680.
Nicolaus Pisanus Venetæ classis præfectus capitur à Genuensib. 751.
Nicolaus Marcus Perensibus subsidio venit. 774.
Nicopolis deditione occupata. 592.
Nobiles Genuens. iterum arma corripiũt aduersus Buccanigram. 126.
Noctes Siculæ in prouerbium abierunt. 578.
Nostri Seleuciam recipiunt. 593. nostrorum mutuæ simultates in vrbe Ptolemaide. 733.
Nouellus Camilius nouarum turbarum concitor. 33.
Nouium à principe Mediolanensi occupatum. 145.
Numerus cæsorum & captiuorum in expugnatione Almeriæ. 624.

O.

Obiectus Fliscus, 316. deficit à Fulgosio. 317. 341. Mediolanum perducitur. 344. fuga, ibidem. à Mediolanens. duce pristinæ libertati restituitur. 352. capitur à Florentinis vnà cum suo fratre Ioanne Aloysio. 361. cum fratre libertati restituuntur. 362. eius mors. 390.
Octauianus Sforcia in Athesi flumine submergitur. 345.
Octauianus Fulgosius princeps creatur. 436. eius summa in gubernando æquitas & moderatio, ibidem. eiusdem eximiæ ac heroicæ virtutes. 437. & 452 laudes. 438. vulneratur in prælio. 438. in clientelam Francisci regis recipitur. 445. sese Marchionis Piscarij fidei permittit. 454. mors. 455.
Octauij ducis Parmensis à Cæsare defectio. 539.
Octo triremes & pleraque alia Pisanorum nauigia à Genuens. occupata. 666. naues Ligusticæ à Venetis occupatæ. 728.
Octouiratus. 270. & 337.
Octouiratus Georgiani Magistratus. 800.
Oddo Lautrechius in Italiam cum validiss. exercitu ablegatur, 464. progressus. 467. in regnum Neapolit. expeditio. 468.
Odertus Lautrechius Mediolanens. prorex. 450.
Odo Lusinianus. 222. mors. 230.
Odo Burgundionum Dux. 605.
Oenusarum insularum perbreuis descriptio. 751.
Oggerius Scottus. 666.
Oligarchia. 339.
Olradus Lampugnanus. 243.
Opicinus Spinula & Barnabas Auria, vrbis præfecti. 95.
Opicinus cum exercitu Genuam frustrà inuadit. 97.
Opicini Mediolanens. Ducis præfecti miserabilis interitus. 254.
Opizus Malespinæ Marchio. 648.
Oppidani Genuens. repelluntur à Gibellinis. 102. prospera fortuna dimicant. 104. aduersus nobiles victoria. 127.
Ora Ligustica à piratis inuaditur. 446. fœderatorum classe plurimum diuexatur. 462.
Oratio pro Reipub. statu corrigendo. 15. legati Bonifacij habita Genuæ. 227. item legati Genuens. coram rege Galliarum. 154. item coram rege Ludouico. 420.
Origo belli inter Pisanos ac Genuens. 627. cur instauratum. 634.
Orlandinus Carmandinus. 651.
Orlandus Fulgosius. 193. & 212. cædes, ibidem.
Otho Cæsarus. 644. & 647.

Otho-

Othobonus Elias à Iacobo Grillo interficitur. 50.
Othobonus Fliscus. 75 nouarum seditionum auctor. 83.
Othobonus Spinula. 211.
Othobonus cognomento Bonuillanus. 624.
Othobonus Albericus mittitur legatus ad Guliel. Siciliæ regem. 648.
Othobonus Cataneus. 686.
Otholinus Nigrius. 729.

P.

PAdi, Medoaci & aliorum fluminum exundatio. 581.
Paganus Auria felicissimè cum fœderatis insigni victoria potitur. 748. rursus victor. 751. interitus. 580. & laudes. 752.
Palauicini inanes conatus. 693.
Palæologorum familia vnde genus traxerit. 708.
Palæologi sæuitia in Venetos. 721.
Panormi expugnatio. 654.
Pantaleon Iustinianus. 719.
Papilionum exercitus. 573.
Parentum à Genuens. captum atque incensum. 752.
Parmense bellum. 539.
Parmæ obsidio. 702. deditio. 704.
Partus monstrosus. 391. risu dignus. 406.
Pascasius Cataneus. 729.
Pasqualis Spinula, in Dedicat.
Passani castrum à Genuens. recuperatur & diruitur. 647.
Patra deditione recepta. 495.
Paulus Auria. 88.
Paulus Montaldus. 167.
Paulus Monelius. 180.
Paulus Montaldus. 192.
Paulus Interianus. 210.
Paulus Lercarus. 213.
Paulus Guimisius. 242.
Paulus Adurnius. 299.
Paulus Fulgosius. 304. & 308. inexplebilis ambitio. 311. ambitio & ad principatum promotio. 313. principatu à plebe deturbatur. 313. quartùm princeps designatur. 315. tyrannis. 316. Genuam deserit. 317. publicæ quietis perturbator. 323. tyrannis. 362. in arcem profugit. 363.
Paulus Fulgosius, Cardinalis substituitur. 355.
Paulus Nigronus. 407.
Paulus Nouius à Tribunis & infima plebe Genuens. princeps creatur. 417. Genua ausugit. 420. capite plectitur. 423.
Pauli Centurionis præclarus ausus. 461.
Paulus III. ex Farnesia familia Pontif. Romanus. 480. & 499. Genuam petit. 507. obitus. 536.
Paulus Pansa Fliscum ab incepto dehortatur. 528.
Pauli Lazaniæ constantia & virtus. 530.
Paulus IIII. Caraffa Pontifex designatur. 557.
Pax inter Ligures ac Massilienses. 29. inter Venetos ac Genuens. 34. inter Ligures & Mauritanum. 54. inter Ligures & Venetos. 55. inter Genuenses & Carolum eiúsque fœderatos. 86. inter rempub. Genuens. & extorres. 98. Genuæ inter Guelfos & Gibellinos. 113. & 188. inter Ligures atque Aragonios. 118. inter Venetos & Ligures. 133. inter Mediolanens. & Ligures. 140. inter Venetos ac Genuens. 146. inter Ligures & Afros 159. inter Venetos & Ligures instaurata. 203. inter Ligures & Florentinos. 216 inter Alfonsum & Philip. cum maximo Reip. Genuens. detrimento. 238. inter Philippum, Venetos ac Florentinos. 268. inter Alfonsum ac Genuens. 271. inter Ligures & Florentinos. 360. & 361. inter Genuens. & Aragonios frustrà tentata. 368. inter Ferdinandum & Genuens. 376. pacis condiciones à Daualo Senatui præscriptæ. 453. Cameraci inita inter Cæsarem & Franciscum Gall. regem. 479. inter eosdem. 515. inter Franciscum Gall. & Henricum Britann. reges. 517. inter eosdem. 537. inter Pont. & Hispanũ. 565. inter Philippum & Henricum reges. 570. inter Ligures & Pisanos. 634. frustrà tentata. 643. inter Genuens. ac Pisanos. 649. denuò per Pisanos violata. ibid. inter vtrumque populum in XI. annos producta. ibidem. inter eosdem, 660. 664. & 677. inter Ligures & Gallos Narbonens. 661. pacis renouatio cum Venetis per decennium. 706. cum eisdem firmata. 713. item 753. 780. & 790.
Pelegrus Promontorius. 262.
Pera à Turcis deditione occupata. 282. à Græco Imp. in gratiam Venetorum obsidetur. 774.
Pera & Phocæa à Venetis diripiuntur. 735.
Perenses potissimùm Damiani Grilli hortatu Chiùs suppetias ferunt. 787.
Perciuales Auria. 665.
Perfidiæ & ingrati animi exẽplum. 53.
Pestis per vniuersam Italiam. 132. & 475. in Christianorum exercitu. 593.
Petra sancta à Genuensib. defensa. 358. deditione à Florentinis occupata, ibid.
Petrus Capurrus. 119.
Petrus Lusinianus, Cyprius rex, Genuam proficiscitur. 137. fit Genuens. tributarius. 143. & 756.
Petrus Lusitanus à suis fratrib. interficitur. ibidem.
Petrus Fulgosius in vincula coniectus. 159. iterum capitur. 161. item 164. & 270. sagacitas. 285. Genuam inuadit. 299. naualem expeditionem suscipit in Cyprũ. 756. victor Genuam reuertitur. 756. interitus & magnanimitas. 301.
Petrus Auria. 205. 339. & 614. in locum demortui Luciani sufficitur. 765. responsio ad Venetos legatos. 770. interitus. 775. 376.
Petrus Ximenius.
Petri Baptistæ Guitij funestus casus. 402.
Petri Nauarri auspiciis arx Mediolanẽs. à Francisco rege recipitur. 443. subsidio Genuensibus venit. 453. capitur ab Hispanis. 454. pristina libertati restituitur. 462.
Petrus Aloysius Farnesius Fliscam conspirationem promouet. 525. cædes. 533.
Petri Toletani mors. 546. & 555.
Petrus Strozza à March. Marmiano ingenti clade afficitur. 556. iterum ab eodem vincitur & profligatur. ibid. interitus, ibid.
Petrus Eremita Christianos principes ad sacram expeditionem sollicitat. 591. 712.
Petrus Ventus.
Pharia turris deditione à Gibellinis capitur. 101. mœnib. ceterisque munitionibus præcingitur. 109. à Genuens. obsidetur. 433. & 437. eius diuturna obsidio. 433. ab Octauiano Fulgosio deditione recepta & statim solo æquata. 437.
Philibertus Auraicus mortuo Borbonio Cæsariani exercitus præfecturã suscepit. 469.
Philippus Auria. 134. capitur ab Augustino Spinula. 465. & pristinæ libertati restituitur. 467. cum classe ad Lautrechium venit. 472. insignis victoria aduersus Cæsarianos, ib. Chalcidem expugnat ac diripit. 745. 141.
Philippus Spinulæ.
Philippus Mediolanensium princeps. 224. Liguriam inuadit. 232. aduersus Aragonios expeditio. 234. interitus. 274. mores & ingenium. ibidem. 342.
Philippus Lomellinus.
Philippus Rauestanus Genuæ Ludouici regis nomine præficitur. 401. et 403. ad expugnationem Mitylenarũ expeditio. 404. naufragium. 404.
Philippi Archiducis Austriæ interitus. 413. ibidem.
Philippus Roccalbertinus. derelicta vrbe Genua, in Galliam reuertitur. 417.
Philippus Vilerius Liladamus Rhodiensis mili-

militiæ præfectus. 456.
Philippus Ludouicus ac eius fratres, principes Palatini. 482.
Philippus Palatinus Viennam defendit. 484.
Philippus Cataneus. 528.
Philippus rex Genuam venit. 533. Mediolanum, indeq; in Belgium profecturus. 534. & 559.
Philippi clades ad Meningem insulam. 573.
Philippus Sydnæus. 569.
Philippus Galliarum rex, Syriaca expeditione relicta, ad suos reuertitur. 603.
Philippi & Richardi regum expeditio in Syriam. 604.
Philippus à Monteforti præficitur Ptolemaidi. 714.
Picinini victoria aduersus Florentinos. 242.
Pij Pontif. epistola ad Paulum Fulgosium Archiepiscopum Genuensium. 315.
Pipinus Rex Sardiniam Genuens. imperio subijcit. 627.
Pisæ à Musacto Saracenorum rege direptæ atque incensæ. 628. earundem instauratio, ibidem. à Genuens. obsessæ, & condiciones impositæ. 633.
Pisanorum à Gabriele Vicecomite defectio. 204. Genuensium opem aduersus Florentinos implorant atque obtinent. 383. in potestatem Florentinorum veniunt. 425.
Pisani belli origo. 627. à Saracenis repelluntur. 628. Sardiniam expugnant. 628. clades propter naufragium. 630. duæ triremes eis à totidem Ligusticis intercipiuntur. 631. quibus conditionibus pacem à Genuensib. redemerint. 631. in violanda pace perfidia, ibid. nouum bellum Genuens. indicunt. 632. eorundem fuga, ibid. à Genuens. magno incommodo affecti, ibidem. clades. 633. reconciliatio. 634. nouum bellum instaurant. 635. confugiunt ad Imperatorem. 635. nouum bellum instaurant, ibidem. indutiæ. 636. bellum renouatum, ibidem. Legatos mittunt ad Cæsarem. 637. pace neglecta Corsicã inuadunt. 638. nouum bellum inter vtrosque, ibidem. Albingaunum ab iisdem capitur ac diripitur, ibidem. naualis pugna. 639. inanes ipsorum conatus in portu Veneris & Leuanti obsidione, ibidem. clades propter naufragium. ibidem. cum Genuens. transactio. 640. eorundem fraudes atque insidiæ deteguntur. ib. vniuersam Sardiniæ insulam sibi solis vindicant. 640. Genuensibus quatuor triremes adimunt. 641. Cæsaris animum largitione sibi deuinciunt. ibidem. pacem lasti expetunt. 642. clades sibi à Lucensibus inflicta. 643. contra Lucenses feliciter pugnant. 646. eorum bona fisco Imperiali adiudicantur. 646. Genuensibus denuo quatuor triremes auferunt. 647. neglectis comminationibus Cæsaris nouo prælio Genuenses diuexant. 646. tres triremes amittunt. 647. detrectant pugnam. 648. nauim amittunt. 648. bellum tredecim annos cum Genuens. producunt, ibidem. pacem per XI. annos cum iisdem fouent. 649. hanc rursus violant. ib. redeunt in gratiam cum Cæsare, ibid. classem instruunt pro Cæsare. 652. nouæ simultates vtrimque oriuntur. 651. reconciliatio. ibidem. bellum innouatum. 655. improsperè dimicant. 656. Bonifacium nequicquam adoriũtur. 657. conflictus naualis, ibidem. Syracusas expugnant. 658. amittunt. ibid. iterum oppugnant. 659. infelici Marte prœliantur, ibidem. nouam classem exornant. ibid. tria nauigia Ligustica intercipiunt. 660. reconciliatio, ibid. perfidia. ibid. clades. 661. indutiæ. 662. ab iisdem mox violatæ. ibid. pax cum Genuens. 664. nouum bellum instaurant, quo Genuens. Erycem ac Trebianum eripiunt. 665. superantur in prœlio. 666. Eryce vnà cum arce exuuntur, ibid. octo triremes, & pleraque alia nauigia amittunt, ibidem. iidem Castrum obsident. 667. septemdecim triremium iacturam faciunt naufragio. 668. postremum bellum aduersus Genuens. 669. insidiæ. 670. Largherum Sardiniæ municipium expugnant, ibidem. Cyrnum & Sardiniam variis excursionibus inquietant. 671. vi tempestatis pleraque ipsorum nauigia submerguntur, ibidem. portum Veneris frustrà obsident. 672. clades. 673. bellum instaurant. ibid. aciem ad prælium disponunt. 674. confligunt nauali prælio. 675. ipsorum prætoria nauis à Ligustica expugnatur, ibidem. Pisanum vexillum conuellitur & prosternitur, ibidem. triremium captarum numerus, ibid. Pisanorum vexillum cum Pisanæ Reip. sigillo Genuæ in D. Matthæi fano asseruatur. 676. pacem ineunt cum Genuens. 677. excusatio apud Senatum Genuens. ibidem. Ilua insula multantur. 680. maior turris portus Pisani à Genuens. diruitur, ibidem. Ligurnum ab iisdem Genuens. expugnatur ac diripitur. ibidem. ipsorum vires penitus accisæ. 681. eorundem potentia & victoriæ, ibidem.
Plumbinum oppidum à Turcis frustra obsidetur 558.
Plumbini castrum deditione à Genuens. occupatum. 633.
Pola à Genuens. expugnata. 778.
Polinus Baro in locum Strozzæ sufficitur. 540.
Pontificatus Innocentij V. & Adriani V. admodum breuis. 731.
Pontificij Balduini Cæsaris intercessione pristinæ libertati à Frid. Imperat. restituuntur. 700.
Populi Genuens. felicitas. 722.
Popularis inconstantia quoad gubernationem. 165.
Populonia, olim Portus Traiani sinus. 671.
Portentum. 403.
Portundi magnanimitas. 485. interitus. ibidem.
Portus Ligurnus. 468. Syracusanus dolo à Turcis & Gallis occupatur. 555. frustrà ab Auria tentatur. 563. Veneris frustra à Pisanis tentatus. 672. & Leuantum nequicquam à Cæsarianis obsidentur. 693.
Præda ingens. 512. Turcis eripitur. ibidem.
Præfecti se supremo magistratu abdicant. 90.
Præsagia quæ mortem Henrici regis præcesserunt. 570.
Præsagium in somnio Ambros. Grimaldi. 787.
Prætor. 21. eius interitus. 41. à plebe trucidatus. 48.
Prætoris concio in Senatu. 58. eius auctoritas imminuta præfectis subijcitur. 82. à Guelfis comprehensus. 188.
Prætor extraneus. 795.
Prætoria nauis Pisana à Ligustica expugnatur. 675.
Prætorium à plebe direptum. 190. 215. 339. 467. à fœderatis occupatum. 363.
Preiannes Gallicæ classis præfectus. 428. Venetam classem insequitur. 428. nauim Francisci Catanei intercipit. 438.
Prima Christophori Columbi in Indiam nauigatio. 372.
Primus rex Aragoniæ ex Gotthorum familia. 93.
Primus externus dominatus Genuæ sub Henrico Cæsare. 98.
Primus regius dominatus Genuæ. 179.
Principum multorum vno fermè tempore obitus. 570.
Principis & octo Gubernatorum electio. 793. eiusdem auctoritas, ibidem.
Priuatis Genuens. ducum simultatibus res naualis malè administrata. 723.

Procuratores. 795.
Prodigia ante cladem Constantinopolitanam. 285.
Prodigium ante Romæ expugnationem visum Romæ. 458. *item* 514. *in sole.* 517.
Prodigia ante Mauritij obitum. 552. *& alia quæ apparuerunt.* 570. *& quæ Venetam cladem præcessere.* 752.
Proditio patefacta. 240.
Prælium atrox inter Guelfos & Gibellinos. 102. *inter Galliæ atque Angliæ reges.* 129. *nauale inter eosdem.* 223. *inter P. Strozzam & March. Marinianum.* 556. *ad Grauelingam.* 566. *inter Genuenſ. ac Piſanos.* 638. & 657. *in Typhernate agro.* 678. *inter Ligures ac Venetos.* 730.
Proſcripti exules patriæ reſtituuntur. 704.
Proſper Adurnius. 304. 308. 341. *princeps deſignatus.* 306. *principatu relicto fugam capeſſit.* 312. *Genuæ præficitur.* 343. *ad Ferdinandum Aragonium defectio.* 346. *fuga.* 354. *neceſſitate adductus in mare ſe præcipitat, ibidem.*
Proſper Camelus. 408.
Proſper Columna Pontificiis copiis præficitur. 443. *humanitas erga populum Genuenſ.* 454.
Pſyllorum natura aduerſus venenum. 411.
Ptolemais celeberrimum Chriſtianorum emporium. 713. *expugnatur.* 91. *à Liguribus capta.* 595. *à Chriſtianis recepta.* 603. *obſidetur.* 605. 733. *expugnatur.* 733. *ſolo æquatur.* 734.
Puer Genuæ à piſce deuoratus. 413.
Pyrrhi digitus maximus pedis inextinguibilis. 411.

Q.

Quamdiu ſteterit Græcorum imperium. 282.
Quando Guelfi & Gibellini eſſe cœperunt. 56.
Quando æneа tormenta primùm reperta fuerunt. 771.
Quanta clades Reipub. illata propter ciuiles ſimultates. 220.
Quanta fuerit maiorum in elocandis filiabus moderatio. 390.
Quanta fuerit Genuenſ. potentia & amplitudo. 93.
Quantam cladẽ inundatio Veneti attulerit. 581.
Quatuor naues Liguſticæ ſubmerſæ. 27. & 28.
Quinam hac tẽpeſtate præter Columbũ nauigationibus inclaruerint. 375.
Quinam fuerint poſtremi Andegauenſ. familiæ. 302.
Quinam reges noſtra tempeſtate potiſſimùm excelluerint. 480.
Quinam præcipui Principes Hieroſolymitanæ expeditioni interfuerint. 591
Quibus conditionibus Reſp. Genuenſ. ſeſe Gallorum regi tradiderit. 178. *iterum* 445. *noſtri pacem à Saladino redemerint.* 607.
Quibus de cauſis Genuà defecerit à Gallorum imperio. 303.
Quibus rebus ciuitates atque imperia potiſſimùm contineantur. 568.
Quinquennales indutiæ inter Cæſarem & Henricum, 558. *violantur.* 563.
Quis ordo in hac hiſtoria obſeruatus. 7.
Quo iure Gallici reges Mediolanum ſibi vindicent. 397.
Quo tempore Genua condita ſit. 590.
Quo tempore incipiant Genuenſ. annales. 4.

R.

Ramula deditione occupata. 593.
Rapallum à Genuẽſib. receptum. 382.
Raphael Adurnius. 162. *princeps renunciatur.* 270. *ſponte principatum deſerit.* 272.
Raphael Montaldus. 163. *eximia virtus ac ſollertia.* 787.
Raphael Fulgoſius. 408.
Raphael Iuſtinianus, vir præſtantiſſimus atque optimè de patria meritus. 576.
Rarum exemplum. 48. *continentiæ.* 176. *ſiccitatis.* 327. *de leone.* 583. *fatalis decreti.* 694.
Ratisbonenſia comitia. 510.
Rauennenſis clades. 431.
Raueſtanus Genuam redit. 416. *eiuſdem diſceſſus.* 417.
Recaſenius Cæſarianæ claſſis præfectus. 455.
Reconciliatio inter Genuenſ. & Marchiones Maleſpinas. 661.
Regni Neapolitani calamitates. 396. *Regni Mahumetani initium.* 618.
Renatus Andegauenſis. 249. & 307. *Genuam proficiſcitur.* 260. *Genuenſ. opere regno Neapolitano potitur. ibidem. Neapoli regaliter excipitur.* 261. *ex regno Neapolitano diſceſſus.* 267. *victoria ad Sarnum.* 301. *redit Maſſiliam.* 313.
Rentius Ceres. 460. & 468.
Repentinus conflictus inter Conſulem Genuenſ. ac Piſanum. 638.
Rerum euenta non ſemper ſanis conſiliis reſpondent. 741.
Res minimè ab euentu pŏderandæ. 461.
Res nouæ Indiæ. 488.
Reſpublica, vide Genua, Genuenſ.
Rhodus à Chriſtianis recepta. 98. *à Turcis nequicquam tentata.* 355. *deditione expugnatur.* 457. *eius ſitus.* 456.
Ribellus Grimaldus. 122.
Richardus Pacæus. 452.
Richardus Angliæ rex. 754. *eius expeditio in Syriam.* 604. *Cyprum expugnat.* 605. *à ſacra militia reuerſus, capitur in Germania.* 608. *in bello pugnans interficitur.* 560.
Ricij Paſſaui præclara virtus. 645.
Rinaldus Oliuarius. 194.
Rinaldus Sanctius. 264.
Rizzanum à Turcis deditione occupatum. 509.
Robertus Andegauenſis proficiſcitur in Galliam Narbonenſ. 103. *Genuam redit.* 109.
Robertus Sanſeuerinus. 314. 340. & 342. *ab Adurnio vrbanæ militiæ præficitur.* 348.
Robertus Stuardus Gallicis copiis præficitur. 453.
Robertus Belus. 562.
Rochandulphus Ferdinandi exercitus Imperator. 510.
Rodericus Borgia Romæ Pontif. creatur. 370.
Roderici Portundi interitus. 484.
Rodolphus Cæſar. 314.
Rodolphus Maximil. ſecundi primogenitus Imper. deſignatur. 582.
Rogerius Malabotus. 644.
Rogerius Caſtellus ſiue Iuſtinianus. 648
Rogerij & Tancredi Siciliæ regis obitus. 652.
Roma ſub Adriano Pontif. ingenti peſte diuexatur. 456. *Demetrij Spartani opera peſtis remittit.* 456. *expugnatur atque diripitur.* 469. *Romæ portentum conſpicitur.* 583. *defuncto Pontifice magna fit cõuerſio.* 691. *anarchia.* 699. *Roman. Pontif. à Cæſarianis in Sotri oppido obſidetur.* 700. *Liguſticarum triremium beneficio elabitur & Genuam venit, ibidem.*
Roſſus Buſcarinus. 670. & 672.
Roſſus Turcicus. 716.

S.

Sabellus Cardinalis. 355.
Saladini origo, fortuna & ingenium. 600. *Hieroſolyma expugnat. ib. eiuſdem inſigne ac memorabile factum.* 601. *obitus.* 609.
Salager Nigrius. 115. *eius eximia virtus atque in bello felicitas. ibid.*
Salarais archipirata mare Tyrrhenum & Tuſcum infeſtat. 558.
Salernitani Archiepiſcopi fuga. 454.
Salernitanus princeps principatu exuitur. 546. *à Carolo Cæſare defectio, ibidem.*
Saluiatus Rhodiarum triremium præfectus. 491. *impiger iuuenis.* 492.
Sanpetri Corſi cædes & interitus. 576.
Sapor Perſarum rex. 199.
Saraceni à quibus orti & vnde dicti. 618. *clades.* 7. *Mahumetem ſibi ducem creant. ibid. Hiſpaniam inuadunt.* 619. *excurſiones. ibidem.*
Sardiniæ expeditio Gallis infeliciter ſuccedit.

cedit.468. à Genuens. occupata. 625. à Saracenis recipitur. 627. eius descriptio.628. eius administratio.629. à Saracenis denuò expugnata.630. Genuens. & Pisanorum armis recuperata. ibidem. contentio inter vtrumque populum propter ipsius possessionem. item propter episcopi inaugurationē, ibid. Sardi pacisciuntur cum Genuensib. 640.
Sarræ Spinulæ interitus. 128.
Sauona à Genuens. oppugnata. 44. eius deditio, arxque diruta & noua constructa, ibid. ab ijsdem recepta. 101. à Cæsarianis obsidetur. 697. 698. idque arctissimè, ibidem. oppidani eruptionem faciunt in Cæsaris castra. 698.
Sauonensium & vicinarum vrbium à Genuensib. defectio. 54. in gratiam recepti. 55. noua defectio. 61. altera defectio. 161. à Philippo defectio. 255. cum Genuensibus contentio. 425. reconciliatio, ibid. seditio.475. à Genuensib. multati. ibidem. Cæsaris studia sectantur. 688.
Saxonicæ familiæ origo. 554.
Saxonica familia tres Imperatores protulit. 554.
Scaramuciæ interitus. 787.
Scarparium terræmotu concutitur. 519.
Scelus summū sibi ipsi vim inferre. 742.
Scotorum cladem prodigia præcesserunt. 439.
Scriptorum discrepantia. 763.
Seditio in vrbe Genua à popularib. excitata. 104.
Seleucia à nostris recepta. 593.
Selymus Turcorum Cæsar designatur, 437. eiusdem victoriæ, ibidem. aduersus Sultanum victoria. 446. mors. 449.
Selymi præclarum facinus. 548. patri in imperio succedit. 577. Galliæ regi munera mittit. 580. mors. 583.
Seneca. 394.
Senensium clades. 556. sententia in dissensione inter patricios & populares Genuens. per Luchinum Mediolan. principem lata. 128.
Septemuir Ioannes Casimirus. 482.
Seresana deditione à Genuens. recepta. 384.
Seresanum à Florentinis deditione occupatum. 361.
Septa.48. eius descriptio. 49. obsidione liberata. 52. à Genuens. obsessa. 53.
Sextrum à Gibellinis occupatum. 110. à Guelfis occupatum. 118.
Sextrum vnà cum arce à Petro Fulgosio expugnatur. 296.
Sfortianorum clades. 342.& 351.
Sfortiæ magnanimitas. 379.
Sfortia Palauicinus. 511.
Siccitas prodigiosa. 241.
Sicula expeditio frustrà ab Andegauens. tentata. 109.
Sideris noui apparitio. 578.
Sidon recepta. 596.
Sigismundus Cæsar. 216.
Sigismundi Pol. regis obitus. 533.
Sigismundus Malatesta. 462.
Signum à Cæsarianis obsidetur. 691. arx largitione occupatur, ibidem.
Simon Spinula. 90.
Simon Turrigerus. 102.
Simon Buccanigra.120. eius oratio.ib. primus Dux ac Princeps Genuens. 121. iterum fit princeps reipub. Genuens.136. veneno interimitur.137.
Simon Quartus. 122.
Simon Vignosius Ligusticæ classis præfectus.129. eius singularis laus & cōmendatio.130.& 131. item 745.
Simon Simonius medicus Illustriss. Ducis Augusti electoris Saxoniæ. 384.
Simon Guercius. 666.
Simon Saluagus. 721.
Simultates inter Grimaldos & Aurias. 743.
Sinamus Othom. classis nauarchus Corcyram diuexat. 541.
Singulare exemplum æquitatis. 606.
Sinopij reguli perfidia et crudelitas.108.
Smyrna & Chius Genuensib. donata.76
Smyrnæ à Saracenorum manibus abreptæ. 126.
Soldaia à Genuensib. occupata. 138.
Solis defectus. 573.
Solymanus Selymo in imperiū succedit. 449. Turcarum Imperator. 480. quibus de causis Rhodum oppugnat. 456. eius aduentus in castra.457. fidem Rhodiensibus religiosè seruat promissam.457. denuò cum ingenti exercitu Hungariam inuadit. 490. in Persas expeditio.499. à Tammaso Persarū rege haud exigua clade afficitur.ibid. Italiæ bellū infert. 505. Christianis variis in locis bellū infert. 510. iterum Hungariam inuadit. 512. eius singularis clementia erga Valponij præfectum, & in reliquos milites inhumanitas, ibidem. filium insequitur vsque ad necem. 536. mittit munera ad Maximilianum Cæsarem designatū.574.obitus.577.
Somersetus securi percussus. 536.
Somnia nonnumquam verè futura denunciare. 788.
Sorleo Peuer. 690. interitus. 26.
Spedia direpta atque incensa. 84.
Spedia & pleraque alia loca à popularib. occupantur. 415.
Spernideus Palmarus. 408.
Spinetta Fulgosius princeps renunciatus, & mox Ludouicus eiusdem familiæ. 312.
Spinulæ familiæ origo. 9.
Spinulæ infeliciter dimicant aduersus Aurianos. 99.
Spiræ cōuentus imperialis habetur. 514.
Stella mons. 198.
Stephanus Iustinianus. 385.
Stephanus Bracellius. 408.
Stephanus Ambrosius Sciappalaria. 408
Stratagema militare. 112. 123. 246. 472.621.644.699.736.763.
Strigonium, Alba regalis, & pleraque alia loca Hungariæ à Turcis occupata. 512.
Struma quid sit. 411. in ea curanda, regum Galliæ virtus, ibidem.
Sudor Anglicus. 488.
Sultanum creandi ritus, déque eius magistratuum ratione. 601. Sultani militia .602.
Synodus Tridentina. 516.
Syracusanorum expugnatio. 653.
Syracusæ à Pisanis expugnantur. 658.
Syrus primus Genuæ Archiepiscop. 634.

T.

TAbula ærea reperta anno 1556. 1. Tamerlanes.197.& 198. quid significet. 199. victoria aduersus Baiazetem. 198.
Tācredus Rogerij D. Calabriæ filius.650.
Taurisium diripitur. 500. frustra à Carrario obsidetur. 777.
Telamonis portus à Genuensib. expugnatus. 210.
Tempestas dira atque horribilis. 413. exitiosa in Hollandia & Zelandia exorta, multa hominum millia absumpsit. 489.
Tenedi elegans descriptio. 757. arx funditus excisa. 782.
Teramus Adurnius. 225.
Tergestum, Iustinopolis & Pola à Genuensib. expugnantur. 778.
Tergestum à Venetis receptum ac direptum. 779.
Terouana à Cæsarianis capta ac solo æquata. 546.
Terra quam vocant D. Pauli. 412.
Terraconensium origo. 92. sub Genuens. potestate.129. priores à fœdere desciscunt. 325.
Terræmotus insigniores. 39.
Thadæus Iustinianus. 776.
Theodorus Auria. 91.
Theodorus Montisferrati regulus. 207. mors. 226.
Theodorus Trivultius Genuæ præficitur. 467. prudens ac fidele consilium. 473.
Theodorus Spinula. 494.
Theodorus Lascarus. 719.
Theodosia à Scytharū rege obsessa. 125.
Thomas Spinula. 60.& 670. victor Genuam reuertitur. 671.
Thomas Fulgosius. 215. 220. 257. princeps declaratur.222. & Georgius Adurn. arma aduersus Guanum principem expediunt. 221. sponte

principatum deponit. 233. arma sumit aduersus Philippum. 237. princeps renunciatur. 257. in aduersis fortitudo. 270. principatum sponte oblatum recusat. 277.
Thomas Auria. 256.
Thomas Malespina. 224.
Thomas & Rolandus Fulgosij capite multati. 301.
Thomas Fulgosius matre Corsa natus Corsicam inuadit. 345. capitur, & in arcem Ilicensem relegatur. 361.
Thomas Raitinus. 306.
Thomas Bozolus. 357.
Thomas Iustinianus. 365. & 383.
Thomas Cataneus à Senatu ad Leonem Pontif. pro Bendineli Saulij liberatione ablegatur. 448.
Tiberis inundatio. 565.
Tobiæ Lomellini cædes. 362.
Trabs ignita. 570.
Transiluania deficit à Ferdinãdo. 551.
Trapezus. 122.
Trincherius Ismaël. 686.
Tripolis à Sultano obsessa & oppugnata. 88. à Philippo Auria expugnata. 134. elegans descriptio, ibidem. à Ferdinando Aragonio expugnatur. 430. à Turcis expugnatur. 542. Genuensiũ auxilio expugnatur. 596. ab Ægyptio rege obsidetur. 678. expugnatur. ibid.
Triremium captarum numerus. 675.
Triuultius humanissimè dimittitur. 476.
Tumultus in vrbe Chio. 205. Genuæ. 534. in Anglia. 536. Ambosianus. 572.
Tuneti descriptio. 156. obsidio. 158. rex pacisciturcum Cæsare. 539.
Tunetum à Ioãne Austriaco occupatum, 579. obsidio. 616. deditio. 617.
Turcarum classis à principib. Christianis deleta. 92. excursiones. 438. in foro Iulio. 402. per Italiam, 425. militaris disciplina. 602.
Turca redit in Persidem. 500. à Persis cæduntur. ibidem.
Turcarum Imperatoris litterarũ Venetis missarum tenor. 577. à Bisertanis repulsi. 579. Tuneto decedunt. ibidem.
Turcica classis contra Lusitanos. 505.
Turcici apparatus contra Ferdinandum. 510.
Turcicus legatus Venetias venit, eisque bellum denunciat. 577.
Turres Genuæ iussu Prætoris depressæ. 23.
Turris Mediolani fulmine icta. 450.
Turris Lutetiana cælitus tacta. 507.
Turris maior Pisani portus à Genuens. diruta. 680.

V.

Valeriani Cæsaris deploranda fortuna & seruilis condicio. 396.
Valponum arx à Turcis expugnata deditur. 512.
Vbertus Spinula. 32. 79. & 711. Reynaldi filius à Germanis contruncidatur. 100.
Vbertus Sardena. 83.
Vbertus Andegauens. Genuam proficiscitur. 102.
Vbertus Folieta. 223. & 408.
Vbertus Squarciaficus. 328.
Vbertus Auria Liguslicæ classi præficitur. 674. eiusdem singularis sollertia & stratagema. 675. prospera dimicatio, ibidem. nulli Genuensium secundus. 676.
Vectigalia necessariò imponuntur pro Reipublicæ conseruatione. 149.
Venetiarum descriptio. 765.
Veneti insigni clade à Ludouico afficiuntur. 425. eorundem clades in Pado flumine. 426. cum Pont. Iulio reconciliatio. 426. Venetorum classis tempestate disiecta 429. magis in Cæsarem propendent. 458. Turcis Auriæ aduentum indicant. 491. regno Cypri multantur. 578. ijdem pacem ineunt. 580. Veneta inundatio. 580. atrox pestilentia. 581. Veneti à Tyri obsidione repelluntur. 324. clades. 725. tres Liguslicas intercipiunt, ibidem. ad Drepanum victoria. 726. octo nauium Liguslicarum prædam faciunt. 728. Peram & Phocæam diripiunt. 735. Caphamexpugnant & tres naues Liguslicas intercipiunt. 735. clades. 736. detrectant pugnam. 737. improspero Marte confligunt. 740. nouam classem instruunt. 742. rursus infeliciter dimicant. 743. nouum bellum instaurant. 744. victoria ad Carystium portum. 745. fœdus ineunt cum Aragonio & Græco Imp. 746. cum variis populis Italiæ. 750. sunt in magna consternatione propter acceptas clades. 753. nouum bellum instaurant. 754. complures Principes sibi in societatem asciscunt. 759. nauim Liguslicam intercipiunt. 761. eorundem clades. 763. eò redacti, vt de ipsa vrbe deserenda consilium inierint. 772.
Veneti oratoris ad nauarchum Genuens. oratio. 767. ad Mediolanensium opem confugiunt. 768. ad Clodiam infeliciter pugnant. 772. victoria. 775. prœlium detrectant. 778. eorundem ac Genuens. noui apparatus. 780. clades. 783. cum Florentinis fœdus percutiunt. 783. aduersus Philippum Mediolanensem victoria. ibidem. contra Genuens. victoria. 784. Chium insulam adoriũtur auspiciis Scaramuciæ Papiens. 785. quanta fuerit clades in Chij obsidione. 789.
Verrina Fliscopersuadet, vt patriæ principatum inuadat. 521. eius & Calcanij diuersa consilia. 524.
Vgo Moncada in Gallorum potestatem venit. 460. interitus. 472.
Vgolinus Comes. 672.
Vicecomitis Auriæ cædes. 414.
Victor Pisanus è vinculis eductus nouæ classi præficitur. 771. obitus ac virtus singularis. 779.
Victoria vrbs iuxta Parmam à Friderico condita. 702.
Vienna à Solymano obsessa. 484. obsidionis solutio, ibidem.
Viennæ prodigia post Solymani discessum. 484. 323.
Villa Franca. 292.
Villamarinus. 466.
Vincentius Palauicinus. 323.
Vincetellus de Istria. 223. & 244. à Zacharia Spinula denictus. 244. Genuæ securi percutitur, ibidem.
Virginius Vrsinus Florentino agmini præficitur. 361.
Vitaldæ familiæ origo ex Germania defluxit. 30.
Vlamanes contra Christianos mittitur. 508. 557.
Vlpiani deditio. 241.
Vnde nascatur siccitas.
Vrbani v. Pontif. ad Genuam profectio. 141. mors. 78.
Vrbes multæ à Genuensib. deficiunt, quæ mox in gratiam receptæ. 26.
Vrbes multæ atq; oppida à Senatu Genuens. recepta. 84.
Wilhelmus Princeps Lantgranius Hassiæ, &c. 66.
Wilhelmus Dux Cliuensis fœdus cum Francisco Galliarum rege contrahit. 510.
Wittenbergens. Dux suam ditionem recuperat. 498.
Wolfangus Bipontinus Princeps. 483.
Wormaciensia comitia. 516.

X.

Xistus IIII. Pontif. creatur. 326. Reipublicæ Genuens. amantiss. 327. mors. 356.

Z.

Zacharias Spinula. 244.
Zacharias Fulgosius crudelissimè interficitur. 435. 577.
Zaduar arx capta.
Zeanger supra fratris cadauer mortem sibi conscisit. 548.
Zigeti obsidio & expugnatio. 558.

FINIS.

APPROBATIO.

Hiſtoria Populi Genuenſis deſcripta à PETRO BIZARO, à me lecta eſt & examinata, & ſine errore qui fidem Catholicam reſpiciat, inuenta: ideoque ad illuſtrationem Genuenſis Reipub. & humanorum caſuum (qui in hac Hiſtoria varij deſcribuntur) cognitionem, eam poſſe imprimi, vendi, & vtiliter legi iudico

VValterus vander Steeghen S. Theologiæ Licentiatus & Eccleſiæ Antuerpienſis Canonicus.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI II. *Hiſpaniarum Regis Catholici priuilegio ſancitum eſt, ne quis librum hunc, cui titulus eſt,* Senatus Populiqúe Genuenſis rerum domi foriſque geſtarum Hiſtoriæ atque Annales, auctore PETRO BIZARO, *citra Chriſtophori Plantini voluntatem imprimat, aut alibi impreſſum importet, venalémue habeat, ad octennium; ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in litteris datis Antuerpiæ,* IX. *Iunij* M. D. LXXVIII.

Subſig.

Jac. Blyleuen.

1550340
OCN 1340039846